Perversa est uia tua, et mihi contraria

Devotio

JOHAN. WOLFII JC.

LECTIONUM MEMORABILIUM ET RECONDITARUM

CENTENARII XVI.

Habet hic Lector Doctorum Ecclesiæ, Vatum, Politicorum, Philosophorum, Historicorum, aliorumq; sapientum & eruditorum pia, gravia, mira, arcana, & stupenda; jucunda simul & utilia, dicta, scripta, atque facta; Vaticinia item, vota, omina, mysteria. Hieroglyphica, miracula, visiones, antiquitates, monumenta, testimonia, exempla virtutum, vitiorum, abusuum; typos insuper, picturas, atque imagines:

Sed & ipsius cæli ac naturæ horrenda signa, Ostenta, Monstra, atq; Portenta: His interiuncti sunt quoq; omnes sacri prophaniq; Ordines:

Ex quibus omnibus cum præteriti status in Ecclesia, Republica, & communi vita consideratio; tum impendentium eventuum, ac indies magis magisq; ingravescentium malorum præsagitio: sed & multorum abstrusorum hactenus desideratorum revelatio ob oculos perspicuè ponitur.

Cum Indice rerum, verborum & sententiarum locupletissimo.

LAVINGÆ,

Sumptibus Autoris, impressit Leonh. Reinmichel, Typog. Palatinus.

ANNO M. DC.

Reditus in Viam

Phænix pyth:



Ixion

Nascimur Morimur

Vivimus Naturæ Dissidio

Senescimus Reminiscor

Astræa

IN EFFIGIEM IOHANNIS VVOLFII IC.



HAEC est magnifici species heroica WOLFI;
Hoc caput, hoc pectus, Themin in sibi propria totam
Palladaq́ integram regna acceptare paratum,
Vtrocumq́ habitare Deæ ferventer amarent.
Vmbra viri restat tantummodo. Respice Lector
Palladis & Themidis studio monumenta, reducta
Per tot centurias annorum: vivere dices,
Et liquidò spirare etiam nunc CORPVS opacum,
Quod tantos peperit tanto sudore labores,
Perpetuam auctori dantes pro munere vitam.

Paulus Melissus Francus.

IN IPSUM OPVS.

Dexteritas, Pietas, Prudentia, nobile Verum
Hunc fecêre librum; quis reprehensor erit?


Sebastiauus Hornmoldt, J.V.D. Poëta
Nobilis Cæsareus, &c.

NOBILI-

Anno



ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, DOMINO BARNIMO, ET DOMINO PHILIPPO IVLIO, DVCIBVS STETInensibus, Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorũ, Burggrauiis Norimbergensibus, Principibus Rugiæ, & Comitibus Gutzgauiensibus, & cæt. Dominis suis clementissimis S.



ITÆ HVMANÆ CONDITIONEM VETEres pij exprimere volentes, pingebant (vt pro vestibulo in templo vrbis Say videre licet) Infantem, Accipitrem, Piscem, deinde Senem, & postremo loco Equum fluuialem: additâ scriptura; Nascimur, Viuimus, Senescimus, Morimur, Naturæ dissidio. Quid hisce denotetur (habent enim in se recondita multa) explicatur à diuersis, Ionethe Chaldæo, Horo Niliaco, Euthymio, Platone, Demosthene, Ambrosio, atq; Pierio. Carpitur autem ijs imprimis mortalium impietas, ingratitudo, securitas, & contumacia; propter quæ meritò nos interitus & ruina insequuntur.

Admonituri igitur, peccata & vitia esse declinanda, & pietatem arripiendam, Regum, aliorumque potentum sceptra, insignia, monumenta, & similia gestamina, quorum quotidianus vsus erat, ita insignierunt, vt supremâ potioreque parte caput & collum Ciconiæ ex auro, argento, vel ære præfigerent: inferne verò vngulam Hippopotami subiicerent: per hæc, illius summam pietatem imitandam, huius verò ingratitudinem, contumaciam, & proiecta scelera fugienda esse, innuentes.

Idem longè antè in sacris literis per Coruum, qui emissus à Noâ, ad explorandum circa sordes diluuij, pertinaciter aliò desedit, & non ad arcam reuersus est, tacitè præfiguratum fuisse; testes sunt grauissimi authores. Inter quos Hesychius Hierosolymitanus scribit, coruum illum significasse, fore quondam homines (præsertim ex illis multos, quos ad sacra, & sublimioris sapientiæ mysteria initiârit Deus) qui animi inconstantiâ, quæ sub fuscarum pennarum veste priùs delitescebat, præclara cœpta gnauiter frustraturi, institutionisq; sanctæ & probæ primordia leuiter derelicturi essent.

Cyprianus in libello ad Nouatianum hæreticum, per hunc coruum, qui ad cadauerum pastum se conuertit, intelligit eos; qui secedentes à veteri Apostolorũ doctrinâ, cadauerum pastu & sordibus, hoc est, traditionibus hominum, delicijs mundi, diuitijs, regnis & luxibus huius seculi, vocatione suâ relictâ, inhærent: & ad meliora, ad membra scilicet Ecclesiæ, redire minimè curant, sed cum immundo filiorum seculi grege, volutabris peccatorum pascuntur.

Apertè verò libri sacri probrosam & detestandam hanc contumaciam exsecrantur plurimis in locis. Dicit enim ipsemet Dominus Genes. c. 6. Cor hominis pronum est ad malum, ideoq; pœnitet me, quòd feci eum. Et Exodi 31. & 33. Po-

pulus es duræ ceruicis,& contumax. Item Deutero. 21. Nónne rogaui vos, ceu pa-
ter filios, vt essetis mihi in populum & filios,& ego vobis in patrem ac Deum: vo-
lui vos colligere, vt gallina pullos suos, sed noluistis: peccata vestra occultare vul-
tis, &c. Esdræ vlt. lib. cap. 1. De qua quoq; seriò monet Philo, inquiens: Cauete,
ne ceruix vestra dura sit, hoc est, refractaria, neue datâ operâ duretur ad rudi-
tatem noxiam.
Quæ durities & obstinatio, qualis olim fuit apud Iudæos, clamitantes, tem-
plum Domini, templum Domini, & interim legem ac mandata Domini derelin-
quentes: talis vel atrocior eâ est etiamnum hodie apud plurimos.
Qui enim in Ecclesia sint defectus, quis non videt? & tamen plerìq; hoc di-
uerticulo omnem reprehensionem effugere,& elidere conantes, dicunt, esse qui-
dem defectus, sed tantùm personarum; doctrinæ nullum: & simili modo nihil
aliud quàm Ecclesiam suam; & hoc subinde crepant, eam à Christi & Apostolorū
temporibus originem trahere, ac deinde ordinaria successione, veluti per tradu-
cem, propagatam, sine errore ac corruptione: nec quenquam ante hæc (vti nunc)
extitisse, qui se opposuerit. Quod tamen negârunt ab Apostolorum tempore vsq;
ad hodiernum diem plures Catholici viri, quos constat defœdatam Ecclesiæ condi-
tionem pio zelo seriò semper deplorasse, reformationemq; toto pectore exoptasse;
de quibus nunc paucis tantùm, plurimis infrà toto Opere tractabitur.
Nam Irenæus dicit: Ecclesiam Romanam præ aliis suspiciendam, quatenus
179. Apostolorum doctrinam seruet.
Et Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, primos Apostolorum succes-
200. sores doctrinâ ab Apostolis, tanquam filios à parentibus accepisse, sed perpaucos
filios patribus esse similes. Tertullianus lib. 27. de præscript. ad hæret. planè re-
209. iicit, quod de successione iactatur.
Antonius Eremita per visionem dicitur conspexisse, multos sacram men-
271. sam in templo subuertere, fœdissimè commaculare, & disiicere; per quæ secutas
Ecclesiæ corruptiones præfiguratas esse, pii autumant.
Lactantius de diuino præmio lib. 7. Hi sunt, inquit, homines, qui contra
317. veritatem clausis oculis latrant, nec possunt in cœlum aspicere; quoniam mens
eorum in terram prona, humique defixa est, ideoque nec fidem commodant
suæ doctrinæ.
Basilius Cæsareæ Cappadocum Magnus Episcopus, in libro de spiritu S. Ec-
369. clesiæ statum planè corruptum esse, toto capite vltimo conqueritur: in primis ve-
rò, quòd non tam doceant, quàm etiam seditionibus & cædibus defendant falsa do-
gmata sui temporis Episcopi. Item alibi dicit: veram ac piam doctrinam ex Eccle-
sia tolli, ac præfici sceleratos & falsos doctores.
In Epistolis sic ad quendam valdè lugubriter scribit inter alia: Cùm in virum
euasissem, & peregrinarer, in aliis quidem artibus & scientiis concordiam depre-
hendi; in solâ autem Ecclesiâ Dei, pro qua Christus mortuus est,& in quam Spiri-
tum sanctum abundè & opulenter effudit, magnum dissidium, & vehementem
multorum, tum inter ipsos, cùm contra diuinas scripturas dissensionem obser-
uaui: & quod horrendissimum est, ipsos Ecclesiæ præsides in tanto & animi &
opinionum dissidio inter se constitutos, tantaq; contrarietate mandatis Dei nostri
Iesv Christi repugnantes, Ecclesiam Dei crudeliter dissipare,& gregem illius absq;
vlla commiseratione perturbare, vt in ipsis nunc verè impleatur illud Apostoli; ex
vobis ipsis exurgent viri peruersa loquentes, vt abstrahant post se discipulos.
B. Ambrosius: qui debuerant esse vicarij Apostolorum, facti sunt socii Iudæ,
370. & præambuli Antichristi. Ephræm Syrus: cæterùm angelicum quidem ferimus
380. habitum, sed cum Diabolo militiam gerimus.
Gregorius Nazianzenus, corruptissimū genus Theologiæ in Ecclesiā irrepsisse,
queritatur; & alibi primatum impugnans Episcopi Romani, hanc ex falsâ eius

doctrinâ

doctrinâ deducit rationem: qui eandem doctrinam profitetur, ait, eiusdem etiam throni successor est; qui autem contrariam profitetur, aduersarius quoque in throno censeri debet, & non successor: nisi fortè quis ita successorem, quemadmodum morbum sanitatem, tempestates tranquillitatem, & dementiam subsequi prudentiam, dicat.

Diuus Hieronymus, diabolum dominari malo Prælato vt pecori, certè non nisi exemplis edoctus, scribere potuit. Et idem alibi: nunc ex quo creuit auaritia in Ecclesiâ, perijt lex à sacerdotibus, & visio à Prophetis. Et iterum: veteres scrutans historias, alios inuenire non potui, qui sciderunt Ecclesiam, & de domo Dei populos seduxerunt, quàm eos, qui sacerdotes positi fuerunt: isti enim vertuntur in laqueum tortuosum, in omnibus locis ponentes scandalum. 390.

Idem Romanos presbyteros vocat scribas, pharisæos, pharisæorumq; senatum; & suam ætatem fecem temporis, propter diram illuuiem falsorum dogmatum, & mali cleri: & addit, ab Apostolis vsq; ferè ad nos persecutionibus creuisse, & martyrijs coronatam fuisse Ecclesiam: sed hodie diuitijs & potentiâ maiorem, virtutibus autem minorem factam. Super quo exclamat Erasmus Roterodamus: ô Hieronyme, quid diceres, si nunc videres Ecclesiam, tot regnis, tot oppidis, tot bellis, tot fœderibus penè obrutam!

Eiusdem Hieronymi de prohibitoribus ciborum, dierum, & coniugij, hoc est iudicium: in hypocrisi, ait, loquuntur illi, qui cùm non contineant, tam casti volunt videri, vt etiam nuptias damnent: tam abstinentes, vt creaturâ Dei parcè vtentes iudicent, cùm ipsi comessationibus vacent.

Testatur item Augustinus, aberratum esse in Ecclesijs à primâ doctrinæ puritate. Et in Epist. 119. c. 19. religionem ita traditionibus & ritibus humanis esse corruptam, vt conditio Iudæorum facilior fuerit sub lege, quàm Christianorum sub ipso Euangelio. De quo etiam Haymo; pios iterum captiuos duci, & in seruitutem redigi, semel per Christum à Iudaicâ seruitute liberatos. 399.

Dionysius Corinthiorum Episcopus, per Epistolam monuit Pynitum Gnosiorum Episcopum, ne Christianos grauibus oneribus, ceremonijs & traditionibus oneret, néue fratribus cœlibatum obtrudat.

Chrysostomus de prioritate, quam Pontifex Romanus iam tum sibi arrogabat, sic sentit: Inter seruos Christi computari non posse, qui de primatu tractauerint; & qui desiderauerint primatum in terrâ, mereri confusionem in cœlo. Et de liberatione ex purgatorio per communicationem bonorum operum: qualis est illa iustitia, ait, munerare mortuos, & exspoliare viuos? Item: cur promittis pecuniâ redemtionem defuncto, & acceptâ eâ, illum in inferno relinquis? 410.

Hoc dogma etiam ipsemet VVolfgangus Eitinger, Catholicus, & Canonicus Augustanus exsecratur, dicens: decipi & frustrari primos fundatores; datasq; eleemosynas, vt pro illis preces fiant, quò ex purgatorio liberentur celeriùs, iniquè deuorari: cùm non vnquam post acceptam pecuniam promouendæ ipsorum salutis quisquam sit memor: ita vt, ni Dei misericordia interueniat, certè quantum ad preces & intercessiones illorum, ipsis in sempiterno exitio sit commorandum.

Vnde non immeritò Plato in Hipparcho sceleratos & impios dicit eos, qui sciunt, quòd nullius precij sunt ea, ex quibus lucrantur; & tamen ex impudentia lucrum amplecti audent.

Quibus motus Petrus Cantor Parisiensis, esse monasticam vitam ex mendacijs deceptionum, deceptionibus mendaciorum, & fœnoribus auarorum erectam constitutamq;, refert.

Socrates lib 7. c. 11. extra sacerdotij fines egressum Romanum Pontificem, nominatim affirmat. Gregorius Magnus, Romanus Episcopus Ecclesiam naui rimosæ comparauit, in quam vndiq; vndæ irrumpunt, quæ & tandem submergitur. 430. 496.

Nicephorus l. 3. c. 16. narrat, asserere solitum Egesippum, Ecclesiam, viuis
640. Apostolis, ad Traiani tempora virginem puram permansisse: illis mortuis, mox
corruptam fuisse. Et SS. Dei Ecclesiam vulnerari ab ipsismet custodibus suis.
730. Venerabilis presbyter Beda de degenerante suo tempore Ecclesiâ scripsit:
videt quisq; non sine lachrymis rem indignam, quantum Ecclesiæ status ad peiora
quotidie, & in infirma deuoluatur!

Hinc portentosum illud, maximè pijs considerandum, de quo Benno scri-
1050. bit; accidisse, vt sella pontificia subitò Dei nutu terribiliter fuerit scissa in plures
partes, vt manifestè daretur intelligi, sessores illius beati Petri sedem, & Ecclesiam
Christi crudeliter dissipare; & non omnem, qui teneat sedem Petri, esse Petrum.
Quid enim aliud significasset hoc, quàm, Apostolorum doctrinâ omninò diuulsâ,
& alienam esse ab hodiernâ; & successionem, quam prætendunt, planè nullam.

Vnde nõ frustra Venericus Vercellẽsis, miseremini, ait, ô principes regni cœlestis,
1076. populi Dei, vos inquã miseremini, imò indignamini, quòd in hanc sententiã vos
fascinis suis inducat homo mortalis, vt id, quod nõ potest fieri, credatis fieri posse:
habens mysteria magica, omnem culturam soluens, vt prædixit Sibylla.

Et Lambertus Schafnaburgensis, Hersfeldensis monachus: zizania totum
1078. sacri gregis corpus, quasi tabe quadam infecerunt: ô mores! ô tempora! ô abo-
minationem desolationis, stantem in loco, vbi non debet: & Mammonam nostris
tẽporibus publicè sedentem in tẽplo Dei, vt extollat se super omne, quod dicitur
Deus aut quod colitur. Iohannes Saresburiensis: supersedeo, malo, per alium in-
1140. notescant mores vestri & studia: dico tamen; ius, fas, honestas, religio in nostris E-
piscopis perierunt, vsurpantes aliter religionem, quàm decet: quid ergò restat, nisi
vt adijciant, & ipsis sanctis Angelis dominari?

Bernhardus Abbas Claræuallensis: serpit hodie, inquit, putida tabes per o-
1140. mne corpus Ecclesiæ; & quò latiùs, eò desperatiùs; eoq; periculosiùs, quò interiùs.

Et in libro ad Eugenium Papam, disputans contra primatũ, & ascititiã præro-
gatiuã, hæc verba ponit: est, vt aliâ ratione, quàm tradis, vendices tibi dominatum
& principatum, sed non Apostolico iure: non enim tibi ille dare, quod non ha-
buit, potuit: quod habuit, dedit, scilicet solicitudinem super Ecclesiam, non do-
minationẽ. Reges gentiũ dominantur, vos autem non sic: planum est, Apostolis
interdicitur dominatus. I ergò tu, & tibi vsurpare aude dominatum. Planè ab alter-
utro prohiberis; si vtrũq; habere voles, perdes vtrũq;. Dicit Dominus: ipsi regna-
uerunt, sed non ex me: principes extiterunt, sed non cognoui eos: si vis regnare,
gloriam habes, sed non apud Deum. Tu pastor procedis deauratus: dæmonũ ma-
gis, quàm ouiũ pascua hæc sunt. Scilicet sic factitabat Petrus? sic nè Paulus? cuius or-
dinis quæso es? Nam neq; vt miles pugnas, neq; vt clericus euangelizas; cũ vtroq;
esse cupis, vtrosq; deseris, vtrosq; confundis. Vnusquisq; in ordine suo resurget,
tu in quo? ô miserandam sponsam, talibus creditam paranymphis!

1140. Eiusdẽ Bernhardi tẽpore vixit Petrus Cantor Parisiensis. Hic in Lateranensi
cõcilio, cùm Papa ac Episcopi vellent nescio quas nouas traditiones condere, re-
stitit ac dixit; adeò non esse nouas traditiones condendas, vt quoq; de veteribus a-
liquid potiùs sit diminuendũ: nam illarũ numero & copiâ Christianos onerari.
Illud magis agendũ esse, vt Christi verbum seruetur. Iam. n. Christianis verè obiici
posse, quòd propter hominum traditiones Dei mandatum irritum sit factum.

Elizabetha virgo clerum sui temporis sic affatur: infelices & insensati, aperi-
1150. te oculos vestros, & legite scripturas, & recordamini, qua religione præcesserunt
vos antecessores vestri.

1161. Otto Frisingensis: Roma creuit in diuitijs & potentiâ, decreuit autem in
veritate & iustitiâ.

Hildegardis: quò vsq; demum raptores hos lupos tolerabimus? qui, cùm a-
1180. nimarũ cura eis, tanquam medicis, sit concessa, nihil minùs tamen, quàm de earũ

salute cogitant. Quin jmò, quia ligandi & remittendi ius habent, rapacissimas quasq; beluas imitantur; nec nostra, vt decet, abluunt: sed etiam sua in nos deriuant peccata; leges destruunt, nos vt agnos deuorant.

Ioachimus abbas Florensis in Calabria, in libro de concordiâ, & super Esaiam disserit, quàm longè aliena sit omnis hodierna religio à formâ primitiuæ Ecclesiæ, ex multis intelligi posse. Salomonem senescentem idololatram esse factum, & illud ipsum de Ecclesia quoq; iam senescente dici posse: ideoq; tandem perituram fortitudinem & sapientiam pontificis ac prælatorum: item, Aaronem hodiernos præsules repræsentare, qui sculptile conflauit. 1200.

In Vincentij speculo historiali hæc est historia: Habuit Carolus Magnus visionem quandam nocte, quâ raptus ad inferos cùm interrogasset Pontifices patris, & auunculorum suorum, quos ibi multos repperit, cur tam grauia paterentur tormenta? responderunt illi; quoniam patrem tuum, auunculos, populumque de pace, concordiâ & pietate non, vt debuimus, admonuimus; sed seruimus falsa dogmata, discordias, & fuimus incensores malorum; ideo nunc incendimur in illis Tartareis supplicijs & nos, & alij homicidiorum & rapinarum amatores; & huc venient tui quoq; Episcopi, qui similiter faciunt. 1240.

Et frater Robertus Gallus de sui temporis Ecclesiâ hanc memorat visionem; vidi, inquit, summum Pontificem in Ecclesiâ ante altare eleuatis manibus missam peragentem, nec admodum videbatur caput eius; igitur dubius, cùm intuerer diligentiùs, an esset omninò sine capite, vidi quidē caput, sed aridū & macilentū, ac si esset ligneum: dixitq; Spiritus ad me; hoc Ecclesiæ Romanæ statum significat. 1290.

De missâ, oblatione, atq; venditione Christi, illius coæuus, Guilielmus Peraldus Episcopus Lugdunensis sic loquitur: Non est pauper in mundo, qui non indignaretur, si quis eum vellet ducere ad forum, & ibi eum venalem exhibere, tanquam iumentum suum: quanta ergò contumelia est Deo, cùm ipse venalis exponitur ab his, à quibus præcipuè emendus & honorandus esset: in quo deteriores sunt Iudâ: hic enim semel tantùm eum vendidit, hi in infinitum: & pœnituit Iudam facti; hos autem nunquam: ille reddidit triginta argenteos, hi nihil vnquā: non obstante regulâ Iuris Canonici: peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur. Idem. Si nihil vnquam fuisset oblatum celebranti, pluralitas missarum nunquam in tantum inualuisset. 1290.

Vbertinus à Casali: hodierna Ecclesia dicitur noua Babylon, quæ est meretrix magna, quia verus cultus, & amor sponsi IESV est turpiter adulteratus, & spiritus iustorum huius temporis supra modum opprimitur in prædominio Babylonis, & velit nolit, in multis meretricis eius actibus seruire compellitur; ideoq; magna pericula nos expectant hoc tempore. 1304.

Similiter Guilielmus Occamus vt intentum suum horrendum ad finem perducere possint, defendentes veritatem persequuntur, interimunt, innoxium sanguinem fundunt, Regem & legem fronte ausuq; meretricio & execrabili subuertunt: quiq; hoc faciunt, sunt ipsi, qui videbantur regere & docere populum, ipsi pontifices: egressa est enim iniquitas de Babylone. 1320.

Marsilius Patauinus docuit, curiam Romanam contra naturam, legemq; diuinam ac humanam, ac omnem rationem esse. 1326.

S. Brigitta etiam statum Ecclesiæ miserabilem deplorauit multis modis, & alicubi in hæc erumpit verba: sunt in Ecclesiâ animarum interfectores, ouium Christi dispersores, & laceratores: additq; esse abominabiliores Iudâ, immitiores Iudæis, iniustiores Pilato, & peiores Lucifero. 1370.

Author libri de insolentiâ & erroribus Romanæ curiæ ait: videtur mihi, quòd tota Romana curia sit in viâ damnationis. Nam in eâ à plantâ pedis vsq; ad ceruicem non est sanitas. 1404.

Iohannes Gerson, Fateor, inquit, abnegare non possum, multa inter Christianos simplices sub specie religionis introducta esse, quorum sanctior esset omissio. 1416.

1455. VVesselus super verbis Paparum, *claue non errante*, exclamat: ô formidolosum regnum, quod claues habet errantes!

Barth. Platina secretarius Pontificis scribit: Damnat mandata Christi is, qui
1560. se eius vicarium dicit; & credentes in verba Dei exurit. Et in Syluestro 3. cessat sanctitas & doctrina Pontificum, crescit ambitio & largitio; sed hoc parum est, aliquando peiora videbimus. Et in Bonifacio 7. Vide quæso, quantum degenerauerunt hi pontifices à maioribus suis! Et in Benedicto 8. heu miseram certè conditionem cæcorum hominum, qui, quia contra conscientiam in errore persistunt, seipsos in æternum exitium prosternunt adeò, vt & preces inutiles fundant, nec eleemosynis, quia ex rapinis partas constat, quicquam proficiant.

VVolfgangus Eitinger, sacerdos Augustanus, Romam sic depingit: Roma
1520. pronunc est vorago inferni, & Mammon diabolus, capitaneus omnis malitiæ residet ibi, vendens pro denarijs & nummis patrimonium IESV Christi Nazareni, quod ipse Saluator noster cum amarissimâ passione, & dirissimâ morte promeruit. Quod dum scribo, mentem subit id, quod Plato in Eutyphrone disputando proponit, sanctitatem esse artem mercatoriam: & illud Socratis; cuilibet licere vendere suos Deos.

1507. Ad eundem ferè modum Iacobus Spiegel, Consiliarius Cæsaris, in commentario super poëmata Ligurini, deplorans nouas indulgentiarum, purgatorii, & alias traditiones, in hæc verba erumpit: O BEATAS NVGAS, QVÆ TANTVM PEPERERVNT IMPERIVM. Sed & Henricus Cornelius Agrippa, Imperatoris
1520. Consiliarius dicit: omnium admirabilium admirationem hoc vincit, quòd nostri sacerdotes, ijsdem medijs se cœlum posse ascendere, putant, quibus Lucifer olim cœlo decidit.

Similiter Auentinus: amisso puro veritatis fronte, ad lacunas lutosas conuertuntur, & pietatem quæstum, religionem prædam existimant: homines suaues, se æedituos cœli faciunt, vbi nec fuerunt, nec sunt, nec vnquam erunt, nisi nugari desinant.

Et de hac vanâ præsumtione in eandem sententiam monuit etiam Elizabetha virgo: (de qua prolixiùs infrà) fabulantur, inquiens, dum, suæ excommunicationis ædita comminatione, se cœlum præcludere posse, asserunt.

Andreas Friccius de Ecclesiâ & Republica emendanda: nónne Pontifex de-
1550. cretis suis supra sortem humanam se extulit? nónne animum suum tyrannidis appetentissimum patefecit? an in altum adeò euehi potuisset, nisi primùm verâ doctrinâ extinctâ?

Hæc pro ingressu saltem è paucioribus tantùm, qui de corruptione & erroribus doctrinæ Ecclesiæ scripsêre, referre volui: cæterùm longè plures infrà in ipso opere reperiuntur.

Sed de deprauatis MORIBVS, ET SCANDALIS in Ecclesia, quæ omni tempore maximè doluerunt & deplorârunt pij viri, omnia, proh dolor, volumina plus satis plena sunt lamentationum, quarum verbi gratiâ paucas tantùm hîc recensebimus.

255. D. Cyprianus sic infit: etiam in sinu sacerdotum se ambitio fraudulenter occultat, cupiditas regnandi, negotium monarchiæ, & vniuersi orbis dominium; vt in omnibus mundanis vnus homo, quasi Deus, habeat potestatem, & cui omnia subiecta sint. Quid vltrà cupidè quæris? si ampliùs impleri ambitio tua non potest; iniiciatur faucibus & dentibus tuis ossa & vniuersa massa huius mundi; & sis mundum habebis, Deum non habebis; mundus transibit, tu cum eo; quia non stas, cades, transibis, & rues.

Lactantius: vbi dignitates & opes in Ecclesiâ auctæ sunt, inuasit pseudosacer-
370. dotes etiam regnandi, dominandiq; libido: & omnibus hominibus ac potestatibus præferri se cupierunt: sed & dijs se contulerunt, volueruntq; adorari.

Et in

Et in lib. 7. de diuino præmio ait: ambitione & amore potentiæ inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos conferunt, nec si solem quidem ipsum gestarent in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos iubet, omni potentiâ & honore contemtis, humiles viuere; nec virtuti fauent, quia illam assequi non possunt. Eò fit, vt pauperes et humiles Deo credant faciliùs (quia sunt expediti) quàm diuites, qui sunt impedimentis plurimis implicati; imò catenati & compediti seruiunt ad nutum dominæ cupiditati, quæ illos inextricabilibus vinculis irretiuit.

Et alibi idem: longè diuersa sunt carnificina & pietas: nec potest aut veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate coniungi. Defendenda enim religio est, non occidendo, (arrigant aures Hispanicæ inquisitionis exsecutores) sed docendo; non sæuitiâ, sed patientiâ; non scelere, sed fide. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, iam non defensabitur, sed polluetur atq; violabitur. Nihil enim est tam voluntarium, quàm religio, in quâ si animus sacrificantis auersus est, iam subuersa, iam nulla est.

Idem: quis mihi imponat necessitatem, vel credendi, quod nolim; vel quod velim, non credendi?

Et Augustinus in Iohan. mentium rex Deus est: Idem, docendo magis, quàm iubendo; monendo, quàm minando religio colitur & propagatur. Idem: peccata ita compescas, vt supersint, quos peccasse pœniteat.

Marcus Aurelius Cassiodorus: religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, vt credat inuitus.

Bernhardus in Cant. fides suadenda est, non imperanda.

Ad quæ alludit illud Salustii ad Cæsarem: rigore magis vastantur ciuitates, quàm corriguntur.

Sic pacificus rex Salomon lapidibus dolatis atq; perfectis domum Dei extruxit, in qua nec malleorum, nec securium ictus audirentur, 3. Reg c. 6. Quo symbolo Deum significare voluisse, non armis, non ferro, non igne; sed malorum tolerantiâ, vitæ sanctitate & innocentiâ, Christi Ecclesiam debere coalescere; Guilielmus ab Hassonuille dicit in libro, qui Atheomastyx inscribitur.

Idem cum his asserunt multi patres, Chrysostomus, aliiq; pii viri (de quibus infrà) & addunt: Antichristum nullum quærendum vlteriùs, & expectandum esse, præter eum, qui suam doctrinam velit cædibus & sanguine defendere. Hilarius quoque contra Auxentium conqueritur: veterem Ecclesiæ formam esse deperditam planè & mutatam: sicut enim olim fuerit pauper, humilis & afflicta, & ab omnibus persecutionem patiens; ita nunc contrà esse superbam, diuitem, & persecutricem aliorum. 361.

Sed & ex epistolâ à Gerardo Busdrago, Episcopo Argolicensi, anno 1558. ad Cardinalem quendam sequentibus verbis inter alia scripta; quid ipsimet de sua tam crudeli & sanguinolentâ sentiant persecutione, constat; video certè, inquit, nos hic parùm inquisitione nostrâ, in qua iã viginti annis versatus sum, proficere; & Calabriam nuper per totum exinde tumultuasse. Quemadmodum de Hispaniis quoq; narrant, quòd illic etiam fint tumultus hac de re: & Carolum Quintum morientem Episcopo Toletano dixisse, Lutheranos habere iustam causam in articulo iustificationis.

Quid hoc vult esse? pauca dicam, R. V. D. fretus, quæ apud aliũ non auderẽ; me scilicet in Iure Canonico; in quo sum à pueritiâ versatus, nullũ vnquã reperisse titulũ de inquisitoribus, & proinde opinari, quòd apud maiores nostros minimè fuerint in vsu, sed tantùm Imperatores Tyrannos, fidei Christianæ hostes sanguinẽ fudisse: sed quòd antiqui Patres & Pontifices in vsu habuerint, sanguinem eorũ, qui sunt baptizati, & articulos fidei confitentur, vt faciunt Lutherani, fuderint, non memini me legisse, nec puto fuisse vnquam factum.

Fuit olim quoq; horrenda hæresis Arrianorum, quæ negabat, Christum esse

confubstan-

consubstantialem Patri, nunquam tamen maiores nostri sanguine baptizatorum se polluerunt, vt nunc in Papatu fit, etiam ob solum esum carnium. Quapropter si in reliquis rebus solemus semper maiorum vestigiis insistere (quæ nostra est præcipua defensio) cur in hac causâ longè diuersum facimus: quàm illi fecerunt?

Nec essemus tanto odio digni, si, vt in seditione fit, decem, aut viginti, ad terrorem aliorum, capite plexissemus: sed horresco dicere, quòd quadraginta annis plus quàm centena millia à summis pontificibus in Italiâ, Hispaniâ, Galliâ, Belgio & Anglia sint sublata: nec quicquam profecisse. Ab hac crudelitate & lanienâ frustraneâ abstinendum esse planè, censeo. Sed tutior esset via, vt Lutheranorum libri omnes comburerentur, quia in eo tota res sita est, ne Catholici sentiant & intelligant, quæ sit eorum doctrina: nam quàm primùm eam percipiunt, assentiuntur.

Ob oculos est Gallia, vbi plus sanguinis fusum est, quàm nusquam alibi, & tamen plures reperiuntur illic Lutherani, quàm aliis locis: certè, Veneti nostras inquisitiones & executiones nullo modo ferre volunt: vtinam igitur cogitaretur de verâ concordiâ: & quemadmodum toleramus Græcos, in multis à nobis dissentientes, quos tamen non habemus pro hæreticis, neq; eos persequimur; sic quoq; Lutheranos ferremus. Hactenus Busdragus. Nunc ad propositum.

Ephræm Syrus scriptum reliquit: Antichristum, vt omnes fallere possit,
380. humilem, (vt hodie seruum seruorum se dicit) se simulaturum.

Hieronymus scripsit: clerum ex inope diuitem factum, ceu pestem fugien-
390. dum esse. Item: nullam tam crudelem bestiam esse, quemadmodum clericum, vel sacerdotem malum: nam corrigi se non pati, nec veritatem audire posse. Ad quod illud Salustij quadrare videtur, pessimum quemque asperrimè rectorem ferre.

Et Augustinus asserit: religionem peperisse diuitias, & filiam deuorasse
399. matrem. Alibi de sacerdotibus verba faciens: lupos, inquit, lupis characterem imprimere: deq; nimio fastu & arrogantiâ ait: qui vult videri Deus, cùm sit homo; non imitatur illum, qui, cùm Deus esset, pro illo factus est homo.

Chrysostomus multifaria reprehendens cleri vitia, inter alia sic ait: non
410. possumus Christum sequi, nisi omnis secularis curæ simus expertes. Item: frustra Christiani nomen tibi assumis, qui Christúm in eius seruis persequeris; affectans vocari, quod operum simulatione mentiris. Idem: sacerdotis est tantùm arguere, liberamq; præstare admonitionem; non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec iacula mittere.

Item: modò in procuratores, dispensatores & caupones redacti sunt Episcopi. Cùm enim illos animarum curam habere deceret, hoc prætermisso, illa solicitè curant, quæ publicanis & quæstoribus curanda sunt. Orationibus enim & prædicatione prætermissa, alij frumenti, alij vini (quod etiam hodie notent quidam) venditionibus per totam vitam colluctantur.

Item; peccantes clerici difficilè pœnitentiam agunt, & sacerdotum culpâ potissimùm fit, vt vulgi mores sint corrupti: sicut enim omne bonum à sacerdotio, ita & omne malum egreditur.

Huic sententiæ respondet illud Eusebij Emyseni: veniet Enoch & Elias; quos, quia ratione superare non poterit, gladijs interimi faciet (vt suprà dictum est) Antichristus, præliabitur contra sanctos, & gladio conuertere studebit.

Saluianus in 5. de prouidentia Dei: cogimus, inquit, nos ad vlciscendas cri-
480. minum nostrorum immanitates nolentem Deum; propè est, vt eum non permittamus, vt parcat. Nam cùm in Deum nullum vnquam iniustitiæ signum cadere aut apparere posSit, sic agimus, vt, si enormitates nostrorum scelerum non vlcisceretur, injustus esse videretur.

580. Gildas Badonicus Episcopus, sacerdotes, & monachos vocat montes malitiæ,

Anno

& tandem in hæc verba exclamat: ô inimici Dei, & non sacerdotes! ô licitatores malorum; & non Pontifices; traditores, & non sanctorum Apostolorum successores; impugnatores, & non Christi ministri! Equidem Petro, & veris successoribus eius dicit Dominus: dabo tibi claves regni cœlorum; vobis autem, operarii iniquitatis, non novi vos, discedite à me, ut separati sinistræ partis hirci, eatis in ignem æternum.

Sancto sacerdoti promittitur, quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis; sed quomodo tu aliquid solves, ut sit solutum in cœlis, cœlo ob scelera separatus, & immanium peccatorum funibus compeditus? Tu enim, ut Solomon dicit, funibus peccatorum tuorum constringeris, quomodo igitur solves, iniquitatibus mundi ita ligatus, ut in cœlum nequaquam ascendas, sed in infausta Tartari ergastula potiùs descendas rationem redditurus pro te & illis, quos quasi propriis manibus interfecisti.

De clericis sic conqueritur ipse Gregorius Magnus similiter: ex nostro solùm 596.
peccato omnia proveniunt mala; Dei causam relinquimus, ad terrena properamus; nos, pereunte populo, authores mortis existimus, quorum debebamus esse duces ad vitam: cùm eos exonerare debuissemus peccatis sacerdotes, graviora committimus. Ex nostro, inquam, periculo perit populus, qui ad vitam nostrâ negligentiâ eruditus non est. De quo pulchrè etiam Plato; si præesse vis, virtutem imperties civibus; sed quomodo imperties, quod non habes?

Nicephorus depingit sui temporis sacerdotes, quòd eligantur tantùm favore 640.
& corruptione, non pietate & doctrina; & non consequi virtutem Apostolorum eos, qui illorum successione superbiant.

Et in Toletano Concilio habetur: in Ecclesia Dei non tantùm hæreticos, sed & ipsos custodes (hoc est, sacerdotes eius, qui deberent ob dignitatis excellentiam cæteros ad pietatis officium provocare) tanquam sal infatuatum, scandali potiùs, quàm ædificationis dare materiam, & dira vulnera infligere.

Et in Remensi Synodo: ô lugenda Roma, quę nostris maioribus clara patrum lumina præbuisti, nostris temporibus monstrosas tenebras, futuro seculo famosas effudisti. Num, talibus monstris, hominum ignominiâ plenis, scientiâ divinarum & humanarum rerum vacuis, innumeros sacerdotes Christi per orbem terrarum, scientiæ & vitæ merito conspicuos, subiici, decretum est? Hi, qui, cùm charitate destituuntur, inflantur & extolluntur, Antichristum referunt.

Pascasius Ratbertus, & Abbas Corbeiensis: ecce, aiunt, jam nulla penè est se- 880.
cularis actio vitæ, quam non sacerdotes Christi administrent; nulla mundi negotia, in quibus altaris ministri se non occupent; nulla rerum improbitas, qua se monasticus ordo non implicet; penè nulla illecebrosa vitæ blandities, qua se castitas sanctimonialium non commaculet. Susceptæ religionis ministerium vertimus ad ambitionis augmentum, dum locum sanctitatis ad terrena negotia deflectimus, & mundanis implicamur; ita ut; quod peius est, lupi pastores fiant, ministri altaris negotiatores seculi, monachorum ordines societates vitiorum.

Item: sacerdotes templorum Dei ex sacris lucrum & quæstum faciunt. Id dudum à Propdetâ Micheâ prædictum fuit, cùm cap. 3. dicit: sacerdotes in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecuniâ divinabant: quicunque autem vendit spiritualia, sacerdotio indignus est.

Synodus Macrensis perhibet: quomodo nos vitam corrigere valeamus alio- 881.
rum, qui negligimus propriam?

Petrus Damianus memoriæ prodidit in Chronicis; tempore suo eò rem rediisse, ut Ecclesiarum membris Episcoporum defectus: & quæcunq; corrigenda essent, 1050.
non licuerit deferre, sed sub pœnâ prohibitum fuerit.

Nullo modo igitur culpandos esse, utcumque delinquant, Moronessa Italus 1050.
statuit. Imò neque de homicidio, neque adulterio accusari posse; sed excusari, ut ho-

micidia

Anno micidia Samsonis; furta Hebræorum, & adulterium Jacobi, Hugo & distinct. 40.
non nos. Et qui aliter præsumit, vel judicat de sacerdote, cum peccare venialiter, qui
de Papâ, mortaliter: Laurentius Glossator.

Jacobus Klingershofer, Sacerdos Argentinensis tradit, abundantiam carna-
lium esse inopiam spiritualium; priùs enim vigilasse in penuriâ, jam plenis ventri-
bus dormitare.

Honorius Augustodunensis in Chronico, quod Flores temporum inscribi-
1120. tur, hæc verba alicubi ponit: verte te ad cives Babyloniæ, & vide quales sint: in tuêre
Principes & Judices, an non maximum scandalum præbent, & posita est in eis be-
stiæ sedes?

Johannis Sarisburiensis testimonium est hoc: in saturitate disputant de jeju-
390. nijs, & quod verbis adstruunt, operibus destruunt: si tyrannus secularis jure divino
& humano perimitur, quis tyrannum in sacerdotio diligendum censeat, aut colen-
dum? quis illum non repellat, aut saltem fugiat: qui ad hoc ovile ingreditur, ut ma-
ctet & occidat? Labijs & simulatione officij pastorem induunt, magis tyrannis, quàm
Principibus similes. Et ut ex horto paradisi oriuntur quatuor flumina, quæ irrigant
& fœcundant omnia: sic de horto Ecclesiæ, & medio Domus Dei erumpunt omnia
vitia, quæ confundunt ac destruunt omnia. Ibi enim omnia currunt ad pretium,
domusq; Dei fornicatoribus est commissa.

1400. Et Bernhardus: mirum non est, inter duodecim Apostolos olim in ventum
unicum Judam, quia hodie inter duodecim Ecclesiasticos vix unum reperias Apo-
stolum. Videtur (bone Jesu) adversus te conspirasse universitas Christianorum, &
illi in persecutione tuâ primi sunt, qui volunt in Ecclesiâ tuâ primatum tenere, &
gerere principatum. Heu Domine Deus, arcem Sion occupaverunt, apprehende-
runt munitiones, & universam deinde tradunt incendio civitatem. Constantini
equidem hodie, imò Romuli successores sunt, non Petri, Pontifices. Quomodo igi-
tur seculares continerent, cùm vident tantum fastum, & insolentiam sacerdotum,
qui irreverenter abutuntur bonis Ecclesiæ, hoc est, eleemosynis pauperum, qui de
patrimonio crucis Christi non pascunt egenos, sed pellices in thalamis. Hæc pauca
de Bernhardi scriptis; sed plura ex eius de consideratione, & alijs libris possent affer-
ri, quæ talia sunt, ut, si hodie viveret, eaque sic adversus Papam scriberet, tanquam
Lutheranus citò combureretur.

Vgetinus in visionibus: sedes Petri est obsessa superbiâ, & colitur avaritiâ.
Quod si tu (loquitur verba factæ ad se visionis) non indicaveris eis, quæ tibi revelata
sunt, & ipsi in peccatis suis morientur, tu judicium Dei portabis.

Rectè igitur Clericis, qui lumbos zonis aureis cingebant, & sericis vestibus
utebantur, eas abstulit Tarasius patria verò Constantinopolitanus, & ex caprarum
pilis confectis uti jussit. Ignatius in eius vitâ, & in Epistola ad Johannem 3. Tomo
Conciliorum. Hinc Otto Frisingensis ait: discant ergò in summo positi, creatorem
suum respicere, moderantiam servare, & quò maiores sunt, eò se submissiùs gerere;
tutius enim est summum, quàm in summo.

Opusculi tripartiti author de Ecclesiæ Dynastis hoc deponit votum: quòd
si ineptum regem habeant, deponunt: sed quando tot inepti & impij in Ecclesiâ,
Cœnobijs, & toto Ecclesiastico ordine reperiantur, trabem in proprijs oculis non
vident, aliena autem tantùm vident. Idem: ciconiæ, instinctu naturæ, eò feruntur,
ut, si quæpiam iniquè inter illas agat, omnes in unum insurgant, & alis nostrisque
desæviant: cur ergo non idem faciant prælati? causa est, quòd unus alij non est dis-
similis.

Elizabetha virgo scribit: sedes Apostolica repleta est iniquitate & impieta-
te, & scandalizant oves meas, & errare eas faciunt, qui custodire & regere de-
buerunt. Eadem prædixit, novum genus hominum ex Ecclestico ordine pro-

repturum, in quibus Diabolus quatuor vitia radicabit, adulationem, inuidiam, hypocrisin & detractionem: quique dicent: DATE NOBIS, ET NOS ORABIMVS PRO VOBIS.

Abbas Ioachimus: mulier auro inaurata, quæ cum terræ principibus fornicatur, est ecclesia Romana; quæ in Babylone vitæ confusione transfusa mœchatur: occidentalis igitur ecclesia spiritualiter & temporaliter malitiosa, videtur meritò abolenda. Item, prælatis præfracta est frons meretricis; indurati enim malitiâ nolunt erubescere: ideò oppressi ab EIS clamant ad Deum, dicentes: ô DEVS, quò vsque non vindicabis sanguinem innocentem clamitantium sub altari? 1200.

Catharina Senensis testatur: sicut olim rari fuerunt mali, sic hodie raros inueniri bonos. 1369.

Author libri de insolentijs curiæ Romanæ asserit: felicissima tempora fuisse primitiuæ Ecclesiæ, dum vnus erat malus inter duodecim; nunc autem inter duodeciesduodecim nullum, aut vix esse vnum bonum. 1404.

Petrus de Alliaco affirmat, religiosos & monachos plùs esse officiales fisci, quàm Christi: imò plus armis quosdam, quàm diuinis studijs esse intentos: id quod multis exemplis infrà demonstrabitur; hîc vnico tantùm.

Cùm enim ante hæc Philippus Belluacensium Episcopus, bello captus, & carceri Regis mancipatus fuisset: Canonici eius hoc ægrè ferentes, apud Papam Regem grauiter accusauerunt. Papa igitur Regi scribit, vt benigniùs fratrem & filium Pontificis tractet. Rex verò confestim præsulis arma & loricas per eundem tabellarium Romam deferri curauit, vt sententiam ferret, num istæ filiorum pontificis essent tunicæ, necné? At Papa subridens respondit; nec fratris nec filij tunicas esse, sed potiùs filiorum Martis: præsulemque regis reliquit arbitrio.

Matth. Paris. Sed & vicarius Christi non modò ipsemet bella gerit, vt infrà; sed etiam alios ad arma compellit: vt Papa Hildebrandus Mechtildi Marchionissæ, sub spe consequendæ vitæ æternæ, imposuit debellare Imperatorem Henricum. Annales.

Theodoricus à Niem refert, Gregorium 12. Bonifacium 9. Innocentium 7. & Vrbanum 6. eleemosynas nullas dedisse, hocq; signum damnationis esse. 1418.

Portugalius in libro de squaloribus Romanæ curiæ inquit: si principes terræ, quemadmodum nos, saperent, & intelligerent, nos tam nefandissimos omnes delerent de terrâ: & prioribus tyrannis atrociùs tollerent. Eidem adstipulatur Felix Hemmerlin, Canonicus Constantiensis. 1482.

Sed & Iacobus Carthusianus in libro de peccatis mortalibus: non mireris de hoc, inquit, mirare, quomodo clericus habens Ecclesiam possit saluari? Et Hermannus Rhyd ait: quis audet dicere, aliquem inter sacerdotes hodiernos, si non efficiantur meliores, posse saluari? 1440. 1460.

Et Platina intimus Pontificum quorundam consiliarius, scribere non dubitauit in hunc modum: consenescit virtus in quouis statu: deficit splendor Romanus in obscuras tenebras: idemque etiam Pontificatus dignitati accidit: sanctitas enim & doctrina primitus sine opibus creuit, mox verò cum ipsis opibus lasciuire cœpit ecclesia, nullo principe flagitia hominum coërcente. 1460.

Idem alibi: Iohannes decimus tertius, inquit, sceleratissimus homo, in adulterio comprehensus, confossus diuinitus periit, vt ecclesia Dei ab hoc monstro liberaretur. Et in Sergio tertio: vide quæso; quantum degenerârint isti à maioribus suis: ambitionem enim & inimicitias vt sæuissimi tyranni exercent, voluptatibus dediti.

Iohannes Marius Belga lib. de schismatibus & conciliis, licet optimus Catholicus, tamen scribit, tantùm 32. Papas esse saluatos, reliquos cum multis alijs Ecclesiasticis à Diabolo in sua retia hamo diuitiarum & superbiæ pertractos fuisse.

Author libri stellæ clericorum cum Bernhardo de sui temporis Ecclesia sic queritur: ô Domine, pastores tui mutati sunt in tonsores,& agni in lupos, defensores in dissipatores, qui deberent esse sobrij, quotidie sunt ebrij; qui prælati, Pilati; qui casti, incesti; qui pastores, seductores.

Sic ipsi Episcopi & Cardinales authores fuerunt Regi Galliæ, vt magnis sumtibus euocatus fuerit; anno Domini 1528. è loco quodam longinquo caucomagus quidam, qui Cæsari resisteret. Persuasum enim erat illis à patre mendaciorum, illum futurorum omnium præscium, & cunctorum arcanorum consiliorum conscium, tantâ præterea potestate præditum, vt posit regios pueros reducere per aëra ex Hispaniâ, & insuper thesauros maximos ex terrâ eruere.

Quod maius peccatum commiserunt Pharao, Balach, Saul, Achab cum Iezabel?

O stulti & impij, qui his artibus stabilire vultis regna, quibus olim potentissima ceciderunt, funditusque euersa sunt! Atque tamen huic tam nefario idololatriæ & sacrilegiorum artifici audaciam præstat, quæ istis tam impensè fauet orthodoxa scilicet illa mater,& christianissimi filij accomodatur authoritas, & è sacris pecuniis largiuntur munera, conniuentibus etiam, atq; tam nephariam operam conducentibus columnis Ecclesiæ, Episcopis & Cardinalibus, & impietatis ministro impij applaudunt proceres, quemadmodum operibus lupi congratulantur corui. Hæc Cornelius Agrippa Catholicus, & Imp. consiliarius in Epistolis.

Sed & ipse Thomas Stapletonus, Louaniensis professor, in libro de admirandâ Romanæ Ecclesiæ magnitudine; nec peccatis, ait, sceleribus & flagitiis Romani Pontifices caruerunt: sed per annos centum circiter quinquaginta à Iohanne 8. vsq; ad Leonem nonum à virtute maiorum plurimùm deficientes, PARVM APOSTOLICI visi sunt.

Plus quàm infelicem ergo populum, si damnata suæ Ecclesiæ capita, & Christi vicarios plerosq; habeat in inferno. Miserũ Deum (vt Papam vocant) qui scelerosus & flagitiosus est, & virtute pietateq; caret, & cui cœlum intrare non licet: pulchros Dei dispensatores, qui ex bonis eius & eleemosynis viuunt, sed propter cum nihil erogant: prodigiosam certè sedem, si tot seculis non nisi per Pilatos, monstra, & portenta sit gubernata, & non aliam firmiorem, quàm talem habeat successionem & continuationem.

Vnde non immeritò Iohannes Goropius Becanus, insignis ille Catholicus, sacerdotes canes nominari dicit ab Isaia, quia Deus eos accuset, quòd non solùm non doceant & latrent contra ignorantes; sed ne ipsi quidem videant, & sciant veritatem. Tum etiam tantum abesse, vt gregem pascentem contra lupos custodiant, vt ipsimet perpetuò prædis inhient, auaritiâ nunquam satiandâ. Non habere itaq; eos, quæ in bono cane laudanda sunt, sed ea, quæ in hoc animali sunt vituperanda; voracitatem scilicet & impudentiam, & pro vigilia altum soporem.

Imò in tantam bestialitatem delapsos affirmat, vt vetusto ritu apud Canonicos Monasterienses sit obseruatum, quòd iam iam morituro, & animam modò agenti, caput suillum ostendatur, quò agnoscat, se non humanam, sed porcinam vitam egisse, eoq; moueatur ad veram pœnitentiam, & diuinam misericordiam in postremo vitæ articulo implorandam.

Non equidem suilli capitis concionem derideo, sed mallem, mox in principio, dum in canonicorum collegium cooptantur, cũ porcis prandiũ ipsis parari,

vt diligen-

Anno

vt diligenter cauerent, ne tam lutulento & immundo animali perpetuò comparandi viderentur. Cogitent, dum bubulas & suillas carnes deuorant, ne, dum toti corporis in viuendo ductum sequuntur, fiant & ipsi boues atq; porci, capitibus semper in terrena defixis.

Abiiciendam ergò esse hanc cum brutis communem vitam, grauiter monet; & cogitandum, petasum Mercurij Cardinalibus & Episcopis non frustra impositum fuisse, de quo infrà.

Ex his paucis, num in doctrinâ & vitâ Pontificiæ Ecclesiæ hactenus nullus fuerit error & labes, satis superq; intelligere quiuis potest: ea tamen leuia & puerilia dices præ ijs, quæ infrà plurima suggeret hoc opus, ex Catholicorum scriptis congestum: nisi diffiteri, & mendacij arguere tuorum patrum, & præcipuorum luminum scripta, abnegare eos, & te eorum spurium dicere, veritatemque ex mundo pellere, & cœlum terræ miscere velis; quod absit, non facies.

Quantum igitur putas doluisse patribus & cæteris pijs viris, tot errores & flagitia tolerari in Ecclesiâ, foueri manifestè, defendi vi, propagari perniciosè: imò verò etiam eò contumaciæ & peruersitatis progressum esse, vt illud adhuc occultare (non considerantes, quid Esdræ vltimo dicatur: carbones ignis comburentur super caput eorum, qui dicunt, se non peccasse coram Domino) & pulchrè velare conentur, dicentes, se nec labi, errare, aut delinquere posse; ideoque nec correctione indigere: quam tamen impudentiam plurimi Catholici, & pij viri, vt demonstratum hîc, & infrà pluribus ostendetur, publicè sunt detestati.

Et inprimis hîc notandum, quod inter alios Ægidius Corrocetus Italus de Raphaële Vrbinate, pictore præstantissimo refert: is enim aliquando reprehensus à Cardinalibus, quòd Diuorum Petri & Pauli facies insolito rubore, præter decorum, exprimeret, scitè respondit: pudore suffusos Apostolos, erubescere vicariorum suorum nefaria scelera, cœlitus intuentes.

Nam si nulla labes Ecclesiam invasit vnquam, vnde tot tantæq;, quibus omnes penè ipsorum Catholicorum libri sunt referti, querimoniæ, suspiria, & piorum vota de reformatione, quam omninò necessariam esse nunquam diffessi sunt veteres: at hodierni duntaxat parasiti, ne Apostolico more cogantur parcè, castè, piè viuere, manibus pedibusq; impugnant, & excutiunt.

Sed audiamus aliquorum saltem (omissis pluribus, de illis enim infrà dicetur) ex ipsis grauissimorum & summorum capitum testimonia, vota, & consilia.

Reformationes instituisse Carolum Magnum, & Ludouicum eius filium Impp. referunt ipsorum annales, & alia de hac re scripta. Luitprandus, Vrspergensis, & Cranzius de reformatione Paparum & monachorum recensent: Ottonem Imperatorem in exilium misisse inquietum Papam Benedictum Hamburgum, & totum mundum fuisse exceciatum turbam vitiosorum, inutilium, voluptatibusq; vacantium fucorum, & iudicasse, satius fore, paucos bonos in monasteriis, quàm multos malos alere: sed ob hoc pium propositum Ottonem Romæ in maximum periculum vitæ incidisse, & vix euasisse.

Abbas Ioachimus de reformatione futurâ hoc affirmat super Ieremiæ cap. 8. & 13. post B. Gregorij tempora neminem comparuisse, qui populum Dei erudierit, vel rectè ingressus fuerit ad Euangelium veritatis. Et propterea secuturum breui à Ieremia prædictum illum ventilatorem Ecclesiæ sextæ, cui aperiendum sit ostium intelligentiæ, ad prædicandum Euangelium diu omissæ & amissæ veritatis; contra illum prædicatorem non præualiturum errorem hæreticorum, semet veros confessores dicentium. Super Esaiam part. 2.

Et apertiùs idem Abbas Ioachimus, & quoque Telesphorus prædixerunt: fore, vt vocetur ad Ecclesiam reformandam monachus Augustinianus, qui ob

metum persecutorem lateret inclusus, vt sit pastor Ecclesiæ. Quod quidam tunc impletum fuisse dicunt: cùm Lutherus, monachus Augustinianus, proscriptus & damnatus, latitaret in arce VVartburg, & ab vniuersitate VVittenbergensi ad ministerium vocaretur. In quo loco adeò mirabiliter conseruatus fuit, vt quemadmodum Diaboli locum sepulti Mosis; sic nec pontificij, etsi Magorum & Diaboli auxilium implorauerint, locum absconditi Lutheri detegere potuerint. Chytræus in Chron. Arct. & alij.

Telesphorus de Cusentiâ, & Petrus de Alliaco tradiderunt, Ecclesiam opus habere magnâ diligentiâ; reformatione & emendatione. Idem sentit Theologiæ Doctor Talheymius, de quo infrà fol. 834.

Franciscus Zabarella, Ecclesiæ Romanæ presbyter & Cardinalis, de impiâ Papalis potestatis exaltatione, adoratione, & reformatione sic scribit: nefanda sunt iura pontificia, quia malè considerata fuerunt per multos assentatores, qui volentes placere Pontificibus, per multa retrò tempora, & vsque ad hodiernum diem suaserunt eis, quòd omnia possent; & sic quòd facerent quicquid liberet, etiam illicita; & sint plus, quàm Deus. Ex hoc enim infiniti secuti sunt errores, & nisi Deus succurrat, status Ecclesiæ vniuersalis periclitatur.

Sed fauente Deo, speratur de reformatione, si (vt dicitur) constitutum congregabitur in Ecclesiâ concilium: in qua congregatione non oportebit solùm schismati præsenti, sed etiam futuris consulere, & ita determinare potestatem Papæ, vt Papa deinceps possit, non quod libebit, sed quod licebit. Nam etiam ipse B. Petrus non sic administrauit. Esset etiam considerandum de honorificentiâ faciendâ Papæ, ne in ea excedatur modus; ita etiam honorandus est, vt non adoretur, quod de se fieri passus non fuit idem B. Petrus. Hæc Zabarella.

Sigismundus Imperator diuinâ visione monitus, instituit reformationem omnium membrorum ac statuum vniuersæ Ecclesiæ, & scripto complexus methodum & normam procedendi, proposuit concilio Basiliensi & Pontifici Romano. At hic reprobare palàm aut resistere non ausus, promisit quidem parêre, sed metu, ne manifesta fierent multa (si susciperetur reformatio) tergiuersari, alienorum negotiorum remoris Imperatorem circumuenire cœpit, inde Sigismundus, subsidio Papæ (qui nil quàm elabendi subterfugia machinabatur) destitutus, spe suâ frustratus fuit, oleumque & operam piè susceptam perdidit.

De hoc Imperatoris pio proposito reformandi VVolfgangus Eitinger sic refert: in Concilio Basiliensi, cùm fuisset consultatum de reformatione, & Ecclesiastici dicerent, incipiendum esse à Minoritis, Cæsar Sigismundus dixit; NON A MINORITIS, SED MAIORITIS; volens indicare, Papam, Cardinales, & Episcopos eâ plùs opus habere; verùm prohibitus à Pontificibus nihil effecit. Sed ô si viueret Sigismundus modò, quid faceret pro reformatione Ecclesiæ Romanæ, quæ tribulis, vepribus, & spinis est plena vltra modum? credo, diceret, indigere eos eradicationis & extirpationis tribulorum atq; veprium. Equidem de primo ad vltimum propter mala capita purganda esset Ecclesia, & ex consequenti propter omnes malos Ecclesiasticos. Hæc Eitingerus.

Adrianus Barlandus scribit de reformatione sic: olim nulli fuit attributum sacerdotium, nisi priùs exploratâ eius doctrinâ & vitâ: quod vtinam hodie quoque facerent principes; non tam multos passim videres idiotas in Ecclesiâ Dei, quos fortassis præstaret, defricandis principum matulis, quàm hominum conscientiis præesse.

Adrianus Sextus Pontifex, legatis suis ad comitia Norimbergensia profecturis dedit in mandatis, vt statibus Imperij suo nomine dicerent, scire Papam, in sanctâ sede aliquot iâ annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deniq; in peruersum mutata: nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à summis pontificibus ad alios inferiores prælatos descenderit: omnes enim declinare, nec esse, qui faciant bonum, nec esse vsque ad vnum.

Quamobrem necesse esse, vt omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas nostras ei; videatque vnusquisque nostrûm, vnde ceciderit, & se potiùs quilibet iudicet, quàm à Deo in virgâ furoris sui iudicari velit: qua in re, quod ad nos attinet, pollicebimini, nos omnem operam adhibituros, vt primùm curia hæc, vnde omne hoc malum processit, reformetur: vt, sicut inde corruptio in omnes inferiores emanauit, ita etiam ab eâdem sanitas & reformatio omnium statuum emanet.

Et infrà audiemus consilia data Paulo & Iulio 3. Pontificibus, à Cardinalibus quibusdam, quomodo & quando sit reformanda Ecclesia, de quibus Friccius iudicat; adhibitos fuisse, nō vt dicerent, quid facere eos decebat, sed vt eorū studio & calliditate inueniretur ratio, qua illis, vt priùs, sic etiam in posterum liberet, quod licet; hoc est, facta illicita, impia & iniusta colore quopiam iustitiæ pingerent.

Liber etiam extat reformandarum Ecclesiarum, scholarum, monasteriorum, tam virorum quàm virginum, vt & Canonicorum: item de curâ animarum Hermanni Episcopi Coloniensis.

VVasseburgius Archidiaconus Verdunensis in Austrasiâ dicit: videtur mihi, sectam Lutheranam apprimè vtilem esse, & necessariam: spero, quòd per illam velit Deus reformare & emendare statum Ecclesiæ, tam capita, quàm membra; discesserunt enim multi non aliâ causâ à Christo ad infideles, quàm propter horrenda scelera Prælatorum, & multi ob eadem scelera, cùm vidissent primarios Ecclesiæ viros omnibus vitiis contaminatos, nostram religionem deseruerunt.

Eodem planè modo Paulus Langius Monachus, in Chronico Zitizensi de Luthero sic iudicat: Martinus ille Theologorum nostræ tempestatis omnium facilè sapientissimus princeps, doctrinam suam Euangelicis testimonijs roborauit inuictus: vtinam autem, quæ scribit de Romanâ doctrinâ, vera non essent.

Et de eius quoq; doctrinæ constantiâ & duratione testatur Cyprianus Leouitius Astronomus de coniunctionibus magnis: hæc oppositio planetarum, inquit, facta est in signis fixis, nullo superiorum debilitato: imò Mars domicilium suum Scorpionem cum Saturno occupant, sub quo zodiaci signo Monarchia Romana initium sumsit, & vsq; ad mundi finem durabit. Vnde consequitur, doctrinam Lutheri fore firmam & constantem, cuius incrementa vsq; ad extremum iudicium se extendant, nec in posterum labefactentur. Hæc Leouitius.

Carolus Quintus Imperator dixit: quòd si clerus piè & decenter viueret, nullo opus fuisset Luthero. De quibus etiam Staphylus: quis vnquam sanus non confessus est, varios esse in Ecclesiâ abusus, mores cleri turpes, opusq; esse magnâ quadam reformatione? ego sanè Catholicum, qui id malum non agnoscat in Ecclesiâ, sed non deploret etiam, audiui neminem.

Et Maierus in annalibus Belgicis: Si Turcas, inquit, velimus vincere, reformemus Ecclesiam, tollatur ab ea radix omnium malorum auaritia, reformentur omnium statuum mores; tunc nobiscum pugnabit Deus, omnemq; barbarorum colluuiem procul à nostris remouebit finibus. Turcas vincere est deploratissimos nostros mores priùs vincere.

Sed de reformatione paucula hæc hoc loco recitare libuit, de ea plura apud Durandum, Petrum de Alliaco, & alios multos, inprimis verò VVicelium pe-

culiari tractatu infrà. De reformatione internâ scripsit Dionysius Kickel, vt apud eum. Et de aliis pluribus, qui vates multis annis ante Lutherum natum eius reformationem prædixerunt, quoq; ex sequentibus patebit.

Cùm igitur dictis modis per multos annos affligeretur Ecclesia his errorum & vitiorum plagis; & interim pleriq: (præsertim summi) reformationem non solùm contumaciter respuerẽt, sed etiã omnes pios de his malis loqui vel scribere ampliùs prohiberent; & qui vel hiscere de emendatione audebant, ferro, flammâ, fune & anathemate persequerentur, tandem lapides clamare cœperunt, Lucæ 19. & pij exprimere veritatem monumentis, picturis, & notis mysticis; imitatione ferè Ægyptiorum, qui olim typis & locutionibus hieroglyphicis sacra sua prodebant.

Antiqui.n. prudentes, vt sapientiæ præcepta cum rerũ admiratione imbiberentur, nec ab impijs tam facilè, vt fit, profanarentur, secreta rerum sacrarũ occulta esse voluerunt. Non tamen de his hieroglyphicis hoc loco, de quibus Chæremon, Apuleius, Hortensius apud Lucanum, Philo, Herodotus, Plinius, Horus Niliacus, Diodorus, Goropius, Natalis comes, Alciatus, Claudius Minois, Iohannes Dee: sed de ijs, quibus Methodius, Abbas Ioachimus, Anshelmus Marsicanus, Regiselmus, Telesphorus de Cusentia, Rupecissa, Lubertus Hanschildt, Lichtenbergius, Iosephus Grunbeck, Theophrastus, Durischius, Adrasder, & Pierius in præfatione hieroglyphicorũ, & alij penè innumeri descriptionem totius Papatus, & fortunæ eius per imagines expresserunt; & quod verbis ac oratione tam graphicè tradere vel noluerũt, vel nõ ausi fuerunt, hisce inuolucris manifestárũt.

Ideoque & illas & alia antiquorum simulachra, monumenta, & picturas hinc inde ex antiquis codicibus & bibliothecis monasteriorum, palatiorum & templorum structuris repetita, cum omnibus communicare hoc libro volui, tum quia secundum Horatium;

Segniùs irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator: certior aure
Arbiter est oculus.

Et vt Ægidius Perrinus de Candaule in Herodoto: magis incredulæ sunt hominibus aures, quàm oculi. Et Plautus ait; fortiùs, quod videmus, credimus. Docet etiam Clemens Alexandrinus lib, 3. Pædag. c. 8. quòd imagines & exempla sint magna pars rectæ doctrinæ, quoniam non leuis impulsio ad salutem existat in eis. Et Iohannes Vitoduranus minorita in Chron. scribit: non nouum esse, figuris rem in lucem dare: hoc enim si non liceat, cur ante hæc tempora hisce ipsis mendicantibus sese mutuò impugnare & lacerare licuerit?

Accedit & hoc, quòd ipsimet pontificij, qui magni aliâs æstimant sua, frequenter solent omnia templa, porticus, ædes, choros, peristylia, suaq; etiam Biblia picturis rerum tum benè tum malè à quibuscunque in Ecclesiâ notis viris gestarum, exornare.

Si enim magni nostri patris Adami, primæq; matris Euæ lapsum, Noæ vinolenti discoopertam turpitudinem, Lothi incestum cum filiabus, Iudæ cum Thamare, Aaronis abominabilem vitulum, Mosis summi Dei viri contradictionis pœnam, Dauidis adulterium, & alios plurimos pingere, & exhibere omnibus, ipsiq; sacro etiam codici inserere non est nefas; cur piaculum sit hodie, similia pingere aut fingere, vt, quæ sic ob oculos sunt picturarum exempla, si bona sunt, adq; pietatem & virtutem tendant, imitemur; sin mala, fugiamus.

Sed cùm ne sic veritati obedire peruicax vellet mundus, etiam signa & portenta adiunxit Deus, & inde cœlorum, atq; adeò totius rerum naturæ machina

dolere,

dolere, indignari, accusare, damnare hanc obstinationis & malitiæ atrocitatem cœpit; & tot monstrorum, prodigiorum, & terribilium ostentorum (vt in opere percensebitur) omnia pepererunt elementa.

Testatur enim Franciscus Philelphus: solere Deum immortalem, cùm aliquid diri vel aduersi immineat, id portentis & prodigijs futurum ostendere, venturasque calamitates signis, minisque cœlestibus præmonstare: quod idem sentiunt Ioachimus Camerarius, Alexander ab Alexandro, Fritschius, & alij.

Et Platina ait, accidisse prodigia multa, famemq; & pestem, ob Paparum scelera, superbiam, rapacitatem, contemtumq; Dei ac hominum, grassatum fuisse. Annales rerum gestarum à Ludouico Imp. referunt, quòd Ludouicus Imperator, cometâ viso ab astronomo suo, dixerit: Dei clementiam satis laudare non possumus, qui nos peccatores talibus dignatur admonere indicijs; meliorari ergo festinemus; ne fortè, misericordiam illo prorogante, duricia autem nostrâ impediente, illâ inueniamur indigni. Similiter Iobus cap. 24. dedit ei Deus locum pœnitentiæ, sed ille abutitur.

Et vt adhuc vnum atq; alterum tantùm addam; quid putemus portendisse, quòd paulò ante hæc tempora in Pannoniâ viperæ & lacertæ in corporibus hominum, & vbique in domibus natæ fuerint, & cùm homines illas igne & fustibus interimerent, vna inter illas voce humanâ & apertissimis verbis dixerit: nihil efficietis contra vltionem diuinam pugnantes, vt Franciscus Bebeccius, & Ægidius Aquila referunt.

Sed est portentosum & illud suprà folio primo in ominosa rota Ioachimi, quòd aduersus calicem (quem rosæ, lucis gratiæ diuinæ, aquilæ, & serpentis auxilio, defendunt & asserunt sibi) infernalis, indignatus aspicere solem, draco sæuit? certè quia vim parat illis, quæ suis viribus altiora sunt, nec pedes habet; & ob hoc progressus nullos facit, tandem à tribus fulgentibus stellis, hoc est, Trinitate, quam impugnant Arriani, prosternetur.

De his igitur & similibus Andreas Angelus sic scribit: Deus curam gerens humani generis, oraculis & prodigiis mortales admonet; multa enim sunt, quæ ex industriâ humanâ sciri non possunt: quare Deus & natura non deficientes in necessarijs, quæ per causas & ingenia humana perscrutari non possunt, vel vix possunt, per signa diuersa & instrumenta homines admonent, & ea multiplicant ad maiorem certitudinem.

Tandem etiam (sumunt enim piæ actiones mentis primæ originis initium, testante Rabbi Iosepho Hispano in libro Horti nucis, ab afflatu maximi rerum omnium parentis Dei) misit Dominus fideles testes suos, & homines Prophetico spiritu insignes, qui annunciarent mundo verbum veritatis, & quàm exacerbata esset ira Domini, super hac sterili, & non nisi dumosâ & infrugiferâ vineâ. Nam sic promisit antè per Ioëlem Prophetam cap. 2. Et erit post hæc: effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt: sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum, & omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Vbi præcipuè quidem sancti Dei viri, quorum prophetiæ in sacris extant biblijs, sed tamen & illi, quos post Christum suscitauit Dominus in Ecclesiâ, tum viri, tum fœminæ possunt subintelligi.

Arbitratur enim Henricus de Hassiâ, futura prænoscendi & reuelandi munus etiam fœminis præ maribus datum esse. Idem sentit Picus de Mirandula de prænotione lib. 9. De his autem vatibus & prophetis eorumq; prædictionibus,

vt etiam de Ordinibus, aliisque rebus; quæ cùm in hac præfatione attinguntur, tum in hoc libro aliàs continentur, hîc satis: nam euitandæ prolixitatis causâ, non licet nunc dicere plura, sed de ijs abundè infrà.

Vnum duntaxat hîc incidenter monere necesse est de augurijs (quibus æqualis penè dignitas cum aliis oraculis tribuitur, & omnium primus Tages disciplinam dedit, quem multi insignes viri, Caras, Hylas, Massurius, Phauorinus, Iambelicus, Ebenragel, Petosius, Neocepsus, Auerroës, Liuius, Hesiodus, Varro, Gellius, Marcellus, Festus Pompeius, & Augustinus Niphus, secuti sunt:) ea Thomam in libro de sortibus, & Augstinum de doctrina Christianâ, vt nugatorias artes, abiicienda esse, admonere; vt quæ nullam habeant rationem, sed à sacerdotibus, quò per illa (vt & hodie) viuerent, fuisse inuenta. Plurimum enim laborat mens hominis, vt excogitet sibi artes, quibus viuat, vt Aristoteles asserit.

Cùm autem nihil proficerent vel promissa vel minæ Dei, nec possent quicquam patrum, aut quorumcunq; piorum admonitiones aut consilia; ipsa etiam diuinitus missa signa & ostenta eluderentur, & in vanum quasi fulgura ex pelui ducerentur ita, vt nec saxis cederet hæc desperata hominum contumacia & obstinatio, reiicerent & respuerent omnium suorum prophetarum & præconum conciones, sed strenuè in suorum errorum, traditionum, & sceleritatis verbi Dei conciones, sed strenuè in suorum errorum, traditionum, & scelerum sordibus militare Diabolo pergerent, nec Angelo, Mosi vel Christo, si de cœlis redirent, credituri, aut obauditur i, haud meritò quæras, vnde hæc tanta mala & mutationes (de quibus etiam in altera præfatione dicetur) in Ecclesiâ & Politiâ.

Plato, Aristoteles, Philo & præcipui philosophi quidem causam in numeros reiiciunt, & præcipuè Plato in libro 8. de Republica id docere videtur, sed ita obscurè, vt etiam Aristoteles libro quinto capite duodecimo polit. locum hunc propter obscuritatem transiliat, neq; vt alibi solet, præceptorem mordeat. Hinc etiam Proclum septem libros Platonis scholiis illustrasse; octauum verò ideò nec attingere voluisse, tradunt. Idem de Theone Smyrneo, Cicerone, Marsilio Ficino, & alijs quoq; referunt factitatum. (Habent enim Philosophi hoc familiare sibi, vt deditâ operâ non semper intelligi velint. Id quod Aristoteles in libro de natura de seipso gloriatur, & Lucillus, se non intelligi quàm reprehendi malle, dixit.)

Relictis ergo vacillantibus Philosophis, huius certissimam cynosuram habemus in sacris, Dan. 2. vbi dicitur: Deum constituere & transferre regna. Et in Syr. 12. regna de gente in gentem transferri; propter iniustitiam. Et Lactantius lib. 5. instit. c. 8, affirmat: Ideò incommoda rebus humanis quotidie ingrauescere, quia Deus mundi huius effector & gubernator derelictus sit: & huic adstipulatur illud Horatij: dij multa neglecti dederunt Hesperiæ mala luctuosæ.

Altera deinde causa est hæc, vt Adrianus Barlandus, tomi Conciliorum, & historiæ nobis monstrant, quòd olim, cùm Papæ adhuc sub Imperatoribus essent, hi sedulò & piè gubernabant Ecclesiam, ipsimet eligebant & præficiebant Episcopos, non nisi spectatæ pietatis viros, visitationes ordinabant, & alios, qui inspicerent in doctrinam & mores omnium Ecclesiarum, conscribebant concilia & synodos. Sed &, vt Carolus Magnus, & Ludouicus eius filius (de quibus etiam suprà) alijq; plures ante & post illos, referente Adone Episcopo in Chronico, ordinabant viros proprios, iustos, pios & bonos, qui nihil agerent, quàm regiones circumire, defectus, & pauperum oppressorumq; querelas inquirere, singulorum necessitates ad plenum audire; & vicissim iustitiam vbiq; administrari rectè curarent ita, vt in Ecclesia & Politiâ omnia optimè se haberent.

Verùm vbi Ecclesiastica turba & Pontifices cœperunt hac felicitate abuti, Imperatores opprimere, authoritate crescere, potentiam & pomœria sua dilatare, & authore Zonara, Petroque de Alliaco, Stephanus 2. & Gregorius 3. exarchatum Romamq; cum Italiâ ab Imperio auellere, & Theodorico à Niem & Cranzio testibus, multos preciosos lapides ex coronâ Imperiali excutere, & Imperialia iura

vsurpa-

vsurpare ita, vt Archiepiscopus aut Episcopus plus in reditibus & terris, quàm rex Romanorum haberet: sed &, vt Cornelius Cornipolitanus adstruit, simul omnis mandata à Deo reuerentia erga Imperatores à Pontificibus recederet, eisq; præstare fidelitatis iuramentum antiquitus vsitatum renuerent, imò verò etiam eò audaciæ & temeritatis procederent, vt Alexander 3. Papa Fridericum 1. pedibus conculcaret, & Cœlestinus 3. Henrico 6. coronam Imperialem manibus impositam capiti, pede (intolerabili & execrando fastu) statim iterum decuteret; & ipsi Imperatores nimis indulgenter ad hæc omnia conniuerent, iusq; suum & Imperium remissiùs tuerentur; inde, vt Hildegardis dixit, per hos lupos labascere vniuersum Christiani nominis Imperium oportuit.

Vnde etiam quidam augurantur, in iam dictâ Ioachimi rotâ Aquilæ flagellum additum esse ideò, ne insigniis Imperij Romani, quæ ori proximè admota habet, Papa nimis inhiet, profanationemq; calicis propè iuncti simul cohibeat. De quo, & aliis rotæ ominosæ appictis mysticis infrà quædam, sed plura in proprio tractatu mysteriorum & hieroglyphicorum, Deo dante.

Platina apertè refert, factum esse, vt mala in Ecclesiam ideò infusa sint, quia Pontifices (cum clero) à Petri vestigijs discesserunt, tum vel maximè ob Reipublicæ Christianæ ignauos Principes. Et alibi idem Platina adstruit, nescire se, quo fato acciderit, quòd vnâ cum industria Imperatorum, simul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit! Et idem iterum: lasciuire opibus Ecclesia cœpit, nullo principe flagitia hominum coërcente: quæ libertas peperit nobis hæc portenta & monstra, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potiùs, quàm obsessa. Et rursum: ab initio quidem, & dum virtute excolebantur Imperia, magnum habebant incrementum; verùm principum & populi ignauiâ, cumque senescerет virtus, eorum splendor interiit, & in obscuras tenebras conuersus fuit. Hæc Platina.

Tertiam causam malorum Plato in Alcib. præcipuè ignorantiam „ probrosamq; imperitiam esse dicit: cur enim, inquit, Rempublicam insilis, priusquàm de eâ eruditus sis? sunt namq;„ qui præsunt, paucis exceptis, inerudití pleriq;.

Et in libro de regno dicit: multæ Reipublicæ, velut nauigia, quæ submerguntur, pereunt, perierunt, & peribunt adhuc, propter nautarum improbitatem & ruditatem, qui circa maximas res maximâ ignorantia laborant; & qui, cùm Reipublicæ gubernandæ nullam rationem teneant, arbitrantur, se per omnia clarissimè præ omnibus scientiis hanc habere; & cùm adhuc seruilem capillum, veluti mulieres dicere solent, in animâ præ imperitiâ habeant, & nondum reiecerint, barbariemque (sub qua voce Epiphanius lib. 1. contra hæret. totum tempùs à condito mundo & Gigantibus, quos Egregores vocat Cedrenus, complectitur) redoleant, ad Rempublicam accedunt.

Quæ tamen, proh dolor, inscitia multò latiùs serpit etiam in clero hodie, & perniciosior est Ecclesiæ. Quomodo enim impertient, quod non habent? Et de hoc extant lamentationes passim in plurimorum scriptis, vt & in opere vberiùs docebitur.

Quarta causa est quorundam vtriusq; status consiliariorum improbitas, vnde scitum illud simile extat: quemadmodum, si in aliquam domum intrant vespillones, certissimum signum est funeris: sic & Reipublicæ collabentis, ad quam fulciendam mali adhibentur consiliarij.

Etsi autem Deus per Iethro sic præceperit Moysi: ordinabis iudices sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: quidam tamen illis præponunt argutos, sed sine virtute (vt Plautus loquitur) acutos, callidos, (quibus longè præfert sedatos & iustos Thucydides) vafros, qui ius non dicunt, sed mendaciis & fraudibus obnubilant, speciemque & fucum recti illinunt.

De his

De his Iustinus Tiberium sibi in Imperio substituens, digitoq; consiliarios monstrans; dixit; non oportet te horum consiliis morem gerere, nam hi me in istas, quas cernis, miserias induxerunt. Euagrius lib. 13. Tales namq; ob domini propria commoda honestum in vtile peruertunt. Vbi viderint illi, qui omnium frugalissimi Oeconomi esse volunt, ne non contenti ouo aureo quotidiano, deuoratâ gallinâ, totâ frustrentur massâ. Vt enim crescente in corporibus liene, artus reliqui tabescunt: ita turgente principis fisco, reliqua ciuitatis membra marcescunt & ægrotant. Cusp. Præcepta habes Esdræ capite 5. qualiter tondendum sit pecus. Et apud Reginonem in Chronico de Hilperico Rege, & alia infrà. Sed dura auribus hæc relinquamus.

Proponent oculis sibi consiliarij illud Vincentij in speculo, dum scribit: Carolum Magnum raptum per visionem ad inferos, inuenisse ibi consiliarios suos, & prædecessorum suorũ, qui dixerunt ad eum: heu nobis Carole, vide, quàm grauia habeamus tormenta, propter nostram malitiam & superbiam, & mala consilia, quæ regibus nostris & tibi dedimus propter cupiditatem.

Imitentur principes antiquos Ægypti reges; illis, vt historiæ perhibent, hic mos fuit, vt post cibum sumtum prælegerentur eis ex sacris exempla, quibus ad iustitiam, & piè iusteque, non ex voluntate, sed legibus esse imperandum, commonerentur; execratione simul factâ in malos consiliarios, qui Reipublicæ & principi iniqua suaderent, nam in hos omnem culpam coniiciendam.

Præterea considerent exemplum illud Regis Galliæ, Ludouici XI. qui cùm edicta quædam anno Domini 1498. iniqua in curiâ Parisiorum publicari iussisset, curia reprobauit. Et cùm Rex sua iussa ingeminans minas adiiceret, capitis etiam indictâ pœnâ, ni parêrent: Lanacrius præses Regem adijt, coronâ purpuratorum stipatus, non vt culpam deprecaretur, sed vt diceret, se suosque collegas mortem potiùs malle, quàm legis iniquæ promulgationem pati. Rex incredibili Magistratuum fortitudine & constantiâ perterritus, legem abrogari, ac rescriptum præsentibus iudicibus lacerari iussit, testatus, se nulla deinceps edicta laturum, quæ curia improbaret. Precatus est etiam à iudicibus, vt eâ fide & æquitate semper iudicarent.

Impossibile est dictu, quanti hæc res sit ponderis ac momenti, ait Bodinus, ad principes in officio retinendos, qui interdum suo arbitrio nimia imperandi licentiâ abuti consueuerunt.

Sic Philippi secundi Burgondionum principis Cancellarius quoque fecisse dicitur, cuius cùm inuictam constantiam princeps conspexisset, iussa rescindere, quàm contra æquitatem facere: vt & Papinianus I.C. cũ Caracalla Imp. eum parricidium fratris excusare iuberet, potiùs occidi maluit: Spartianus.

Sic in Ecclesiâ exemplum habemus maximè suspiciendum Ambrosij, qui Theodosium Imp. ad sacra priùs non admisit, quàm in viam rediisset.

Vt igitur breuibus hunc locum absoluamus, pro certo habendum est, Ecclesiasticos & politicos, qui principi adsunt, vnicam causam esse omnis boni & mali. Si enim Ambrosius & Papinianus vbique suo officio satisfaciant, Ruffinus cap. 18. Tripart. cap. 30. Ambrosius epist. lib. 5. Spartianus in Caracalla, vt Nathan apud Dauidem, 2. Reg. 12. & Elias 3. Reg. 18. & Ioab 2. Reg. c. 19. certè ecclesiam & Respublicas saluas habebimus.

Sæpiùs tamen γαστὴρ πολλὰ κακ᾽ ἀνθρώποισι δίδωσιν. Homerus. Multi enim, vt honores ac diuitias assequantur, accedunt Rempublicam, non probè imperaturi, sed adulaturi, vt Plato dixit.

Quæstio, num Ecclesiastici consilijs principum interesse debeant, non est huius loci: eam tractant Lipsius & Reginaldus in Caluino-Turcismo, ex dictis Synesij Cyrenæi, & Nicephori Gregoræ. Verùm non potest improbari, si non

excludantur ij (præsertim vbi de sacris est agendum rebus) qui potiùs Deum respiciant, quàm principum & sua commoda: & ad id prosunt, vt reprimant coërceantque eos, qui aliâs in Domini fauorem, & nullo pietatis respectu, pessima dicturi, & tantùm ad quæstus & vsus mundanos omnia directuri essent. Nam secundum illud Syracidæ c. 37. anima viri sancti enunciat aliquando vera plus, quàm septem circum spectores, sedentes in excelso ad speculandum.

Improbandum igitur omninò est, si de sacris iudicare, & disponere ex suo arbitratu & ratione soli volunt Politici, cùm nec ipsorum sit hoc officij, nec ea, vtpote quibus nunquam operam dederunt, sciant aut intelligant.

Cùm igitur constet, ex religione neglectâ semper maxima peccata, & mala etiam in Rempublicam simul transfundi, dici iam posset & deberet fusiùs de abusibus, vitiisque in Politiâ quoque regnantibus; verùm, quia iam non superest locus perorandi, quomodo essent tollenda, & Respublica reformanda & instituenda, remittimus eius rei cupidos ad alios, qui de hac re doctissimè scripsisse putantur.

Eximii autem sunt, & præ cæteris excellunt inter priscos Plato & Aristoteles (quanquam hic magis) & Xenophon; de nouitijs, quorum sunt plurimi, Iustus Lipsius (quod miror in homine aliàs circumspecto) profert illud Laërtij in Cleob: inscitia in plerisque, & sermonum multitudo; vnius autem Machiauelli ingenium in hoc acre, subtile, igneum commendat, etsi impiissimum & turpissimum.

Quid enim magis execrandum, quàm quod lib. 1. asserit: in religione fouenda esse multa, etsi non vsque adeò certa veraque fortè fuerint: sed & ingenti & magnificâ malitiâ instructum esse oportere dicit, et ubi hac nihil efficias, è medio tollendos esse, qui tibi obstiterint, iubet; sic & Mosen multos, qui ex inuidiâ illi obstabant, sustulisse, asserens: vim tamen solam non prodesse, solam fraudem plus posse: necessariam esse omninò artem decipiendi, si ad altum fastigium ascendere, & insignes aliquos progressus facere velis; eamq; tantò minùs turpem esse, quantò magis illam poteris occultare, & honesto aliquo prætextu tegere. Alia horrenda eius viri nequissimi prætereo.

Simili ferè modo Cominæus à malitia suum effert Ludouicum XI. Regem, & Carolum Burgundium, vt minùs argutum, deprimit, de quibus alibi. Sed & illud (cuius apud Rabinos mentio fit) Prophetam Danielem librum de officio principis conscripsisse, eum verò ab illis dilaceratum fuisse, relinquo.

Cùm igitur hic propositum non sit, disserere de libris Reipub. mundi, sed eo præcipuè, quem DEVS ipse de Republicâ suâ edidit, in quo quæ præcipiat, & qualiter ipse sui principem populi instituat, audiamus pauca tantùm.

Iosuæ cap. 1. Non recedet volumen legis ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo, tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Item: Loquutus est Dominus ad Iosuam: confortare, & esto robustus, vt custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moses, seruus meus; ne declines ab eâ ad dextram vel ad sinistram, vt intelligas cuncta quæ agis.

3. Reg. 3. Deus ad Salomonem ait: si ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta & mandata mea, &c.

3. Reg. 11. ad Ieroboam: si audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaueris in viis meis; & feceris, quod rectum est coram me, custodiens mandata mea, & præcepta mea, sicut Dauid seruus meus; ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, & tradam tibi Israël, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua.

4. Reg. 10. ad Iehu. Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo, fecisti contra domum Achab, filij tui vsq; ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.

Intelligimus

Intelligimus igitur ex his paucis, quæ sit doctrina & sententia libri, quem Deus ipse de Republicâ tradidit, vbi licet animus non erat plura dicere non potui tamen huius vnius adhuc non admonere sedentes ad summa gubernacula Ecclesiæ & Reipublicæ, præsertim eos, qui non pietate & æquitate regnum suum, sed tyrannide, auaritiâ, ac sanguine administrant, vt ante omnia respiciant finem, & semper cogitent, quanta sint pericula, vicissitudines, & discrimina, quibus sunt in mundo expositi; & quàm non impunè ferant illi, qui spartam, quam à Deo nacti sunt, non bene & probè exornent, & quàm graue & non tutum sit, iniustitiam vi tueri, id quod omnes sacræ & profanæ historiæ testimonijs, exemplisq; luculentissimè testantur & demonstrant: ait enim Seneca Tragicus:

Vbi non est pudor,
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides;
Instabile regnum est.

Et Tacitus in Ann: cuncta mortalium, inquit, sunt incerta; quantoq; plus adeptus sis, tantò te magis in lubrico censeas.

Q. Curtius lib. 7. ita monet: fortunam tuam, ô princeps, pressis manibus tene, lubrica est; impone felicitati tuæ frænos, facilè illam reges.

Seneca: tyrannorum execrabilis & breuis potestas est.

Laërtius: Thales interrogatus, quid rarò vidisset, tyrannum inquit, senem.

Philo ait: quando populum aliquem fortuna inundauit maximis felicitatibus, mox fluxu auerso, ne guttam quidem sinit reliquam: deletis etiam vestigijs pristinæ opulentiæ. Salustius, Ouidius, Spartianus: Imperia obnoxia sunt vicissitudinibus: orta enim omnia intereunt: omnium rerum quasi naturali lege mutatio est; rebus cunctis quidam veluti orbis, nulla potentia longa est.

Sic omnia verti
Cernimus, atq; alias assumere pondera gentes,
Concidere has.

Lucanus: *summisq; negatum est*
Stare diu.

Claudianus: *Magna repentè ruunt, summa cadunt subitò.*

Plato: naturales sunt Rerumpublicarum conuersiones.

Velleius Paterculus: Imperiorum fortuna nunc floret, nunc senescit, nunc interit.

Lactantius de hoc rerum statu sic est ominatus: omnibus regnis destructis, ad Romanos tandem Imperium perueniet, quod quantò magis cæteris omnibus ante-stat, tantò maiore decidet lapsu; quia plus ponderis habent ad ruinam, quæ maiora cæteris sunt & altiora: & id ita futurum, Prophetarum conciones denunciant sub ambage aliorum nominum, ne facilè quis intelligat.

Et Hidaspes Medorum rex dixit, sublatum iri ex orbe nomen Imperiumq; Romanum. Vnde sexto millenario completo, peragrabit clades orbem, subuertens omnia, & tanquam messem cuncta prosternens. Cuius vastitatis & confusionis hæc erit causa; quòd Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, sed dicam, quia futurum est) tolletur de terrâ, & in Asiam Imperium reuertetur, ac rursus Oriens dominabitur, atq; Occidens seruiet. Inde breui erit lapsus, ruina & finis mundi: sed tamen incolumi vrbe Româ, nihil istiusmodi est metuendum: at verò cum caput illud orbis occiderit, & ῥύμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet, iam non procul abesse finem rebus humanis, orbiq; terrarum? Hæc Lactantius.

Sic alicubi prædixit Sibylla: tunc erit Rex cano galero, habens vicinum nomen Ponto, mundum spectans, scelerato pede munera conferens, auri quàm plurimum possidens, omnia spolians & nudans, magica mysteria habens, omnem culturam soluens. Et quando populus dicet: Magnus, Existens, Potens; VRBS CADET, omnes væ væ plorabunt humidas ad Tybridis vndas. Quorum verborum genuinam interpretationem infrà reperies.

Chrysostomus: Quando è medio fuerit sublatum Imperium, & destructum; 410.
Antichristus vacantem Imperij principatum inuadet, vt habeat & hominum & Dei Imperium. Quemadmodum enim regnum Medorum à Babylonijs, Babyloniorum à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis, ita & regnum Romanorum ab Antichristo, & iste à Christo per finem mundi tolletur.

Orosius inter se primò confert Sodomam & Romam, & deinde quoque 421.
Babylonem cum Romà, & regnum hoc cum illo planè conuenire; illud tamen primum fuisse, hoc autem vltimum fore, scribit.

Bernhardus: Tene medium, qui locus tutus est, medium namque sedes mo-
di, nec in altò, nec in imo. Dilatio enim scissuram, altitudo ruinam, profundi- 1140.
tas absorptionem habet.

Otto Frisingensis: fiet, vt, qui, obfuscatis cæteris mundi regnis, soli rege- 1161.
re omnia volunt, tandem peccatis hoc exigentibus, iusto Dei iudicio etiam ipsis eà, qua alijs metiebantur, mensurâ remetiendum sit.

Idem: durabiliora sunt omnia ad summum, quàm in summo, iuxta philosophum.

Idem: vnum regnum alterum destruit.

Idem: regnum Romanum, iuxta maiores, Babyloniorum Imperio similem ortum & progressum habere dicitur. Sicut enim illud famosis mutationibus duabus, Medorum scilicet & Persarum, succubuisse constat: sic & istud iterum duabus tantùm, Græcorum & Francorum subiacere debet.

VVernerus Rolvvinck pastor Hofensis, in fasciculo temporum scribit: cau-
sa ruinæ Romani Imperij est Romana auaritia, quia per quod aliquid nascitur, 1494.
per eius oppositum destruitur, & sic iam omnes quatuor monarchiæ defecerunt.

Cùm igitur satis ex his paucis recensitis constare queat, quæ vitia & defectus habeat, & vnde contraxerit Ecclesia, quidque desideretur etiam in Politiâ: quàm item varii Imperiorum, eorumque qui illis præsunt, inde resultent casus, & mirabiles mutationes, audiamus restat, quia in hac contumaciâ pijs & salutaribus monitis tam pertinaciter resistere pergimus, quid sit tandem expectandum!

Dicit Mantuanus, doctus Carmelitarum frater, in sacris & profanis libris post scelera recitata; pœnarum & vltionum mox fieri mentionem ideo, vt admoneamur, à peccato ad supplicia necessarium esse transitum. Nam rarò illa scelera commemorari, quin insecutæ ruinæ & excidia subiungantur.

Et Herodotus, Polybius, & Andreas Franckenburgius aiunt: habemus hoc vaticinium certissimum, & perpetuũ in historijs, vt, quando res humanæ ad morbos & corruptelas, quæ à Græcis παρεκβάσεις appellantur, declinant & degenerant, conuersiones & mutationes certò sequantur.

Esdræ 4. capite vltimo, qui negotiantur in rapinâ, quantum diu exornant ciuitates, possessiones & personas suas, tantò magis adzelabitur eos super peccata Dominus.

Ieremiæ cap. 9. quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in eâ, & abierunt post prauitatem cordis sui: ecce, ego dispergam eos in gentibus, quas non nouerunt; & mittam post eos gladium, donec consumantur.

Ieremiae capite 16. quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? dices ad eos, quia dereliquerunt me, & legem meam non custodierunt.

1. Regum capite 15. quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex.

3. Regum cap. 14. quia non custodiuisti mandata mea, faciens, quod placitum esset in conspectu meo, ideoq; inducam mala super domum tuam, & percutiam de te mingentem ad parietem & clausum & nouissimum.

Sic ob peccatum incredulitatis & contumaciae perierunt in deserto de filijs Israël sexies centena millia virorum. Ob flagitia tota tribus Beniamin à facie terrae est deleta, vt tantùm sexcenti viri remanserint. Sic regnum Israël à domo Salomonis diuisum est, mandato Domini: Ieroboam & omnis posteritas eius percussa est à Domino, & extincta ex Israël. Sic Tarquinium regno pulsum legimus, Caesarem interfectum, Neronem, & alios similes Deo & humano generi inimicos, trucidatos; nam nil nisi mortes, ruinae & euersiones flagitijs debentur.

Chrysostomus dixit: sunt duae causae, quae Ecclesiasticos fortiter ruere co-
410. gunt, magnitudo peccati, & altitudo dignitatis.

Gregorius Magnus scribit: Terribili quippe dispositionis occultae examine,
596. priusquàm Leuiathan ille appareat in suo damnato homine, quem assumet, à sancta Ecclesia virtutum signa subtrahentur. Causae autem sunt ruinae populi sacerdotes mali; quis enim pro populi se peccatis intercessorem obiiciat, si sacerdos, qui exonerare debuerat, grauiora committit?

Beda praedixit, quòd res Christianae breui incredibili afficientur damno, si
730. non pullulanti incendio maturiùs succurratur, hoc metro concludens:

Regna ruent Romae ferro, flammaq;, fameq;.

Drogo, Luitprandus Ticinensis, & Henricus de Erdfordia scribunt; cùm tur-
840. ba Ecclesiastica & Papae erroneè delinquunt, à Caesare corrigi, atque in ordinem redigi debere, alioqui Deum totas regiones propter talia scelera eorum puniturum esse.

Iohannes Saresburiensis dicit: scire praelati debent, quòd, cùm delin-
1140. quunt, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt.

Hildegardis: multa mala tunc venient, cùm antiquus serpens varietatem
1180. morum, & vestimentorum in populos sibilabit. Ventura sunt mala guerrarum & bellorum, victoriae super populum Christianorũ, propter tyrannidẽ principum, & cupiditatem Praelatorum; cadet populus Christianus in manus hircorum & bestiarum, per quas intelliguntur feroces Turcae, alijq; Saraceni, vt, quemadmodum innocentem Christum nefariis vestris sceleribus expulistis, vos ille similiter etiam suis finibus expellat.

Abbas Ioachimus ad poenitentiam his verbis cohortatur: leuet oculos suos
1180. Ecclesia Romana ad Deum, & ingeminet preces, quia necesse est, tandem sic excocta & afflicta remaneat, vt non habeat, vnde sustentet fimbrias.

Item: magnum est hoc verbum Domini ad Petrum: cùm senueris, alius te cinget & ducet, quò tu non vis; & quòd Petrus nudus effugit, significauit, Ecclesiae praesules temporalibus spoliatum iri.

Idem: Necesse est, vt à praelatis, à quibus processit malitia, caedes afflictionis initium sumat.

Idem: Viderit Petri sedes, ne malè sub Italico praeside post aquilam surrecturo sit tuta.

Idem: ipsi praelati superbi contra Catholicamdignitatẽ tandẽ conspirabunt, quod de Iesuitis quidam praedictum nõ malẽ sentiunt. Nam quia sunt viri docti,

& verita-

& veritatem certò intelligunt: doctrinæ autem aliàs cohabitant integritas & virtus; sanè, si viri boni esse velint, vim facere veritati, eamque oppugnare, & Ecclesiæ occludere non poterunt.

Apud hunc eundem Abbatem habes horrenda, quæ postremis temporibus Ecclesiæ impendeant, significata per pontem Moguntinum, prodigiosè conflagratum, de quibus infrà.

(Quænam verè tormenta & pœnas in inferno patiantur propter mala sua dogmata, mores atq; scelera, Pontifices, & Ecclesiæ prælati, qui vixêre temporibus Caroli Magni, & maiorum eius, suprà relatum est ex speculo Vincentij. Caueamus ergo nos, vt illi monuêre, ne idem & nobis eueniat.) 1240.

Vbertinus de Casali scribit: postea præcedet Antichristus, & sequetur mox Gog, vltimum flagellum Dei, Turca scilicet. 1304.

Marsilius Patauinus seriò ominatur, curiã Romanam (vt prolixè apud eum) diu permanere non posse. 1326.

Telesphorus de Cusentiâ: clerus & Ecclesia iustè à Deo punientur, quia mouent arma, cùm orationibus insistere deberent. 1368.

Metellus Numidicus, & Aulus Gellius scribunt, Dij immortales plurimum possunt, sed non plus velle debent nobis, quàm parentes. At parentes liberos, si pergunt errare, bonis exhæredant: quid ergò nos à Diis immortalibus diutius expectemus, nisi malis rationibus finem faciamus? 1374.

Catharina Senensis: Clerus ex superbiâ cadet ab alto in profundum miseriæ, vt Diaboli; quia, qui se exaltabat, humiliabitur. 1379.

Nicolaus Buldesdorff, & Christianus Vrstisius referunt: Ecclesiam ob sua flagitia tandem à facie Domini reprobatum iri. 1433.

Sed satis de hoc; concludamus hunc locum verbis Bernhardi: parcite (obsecro) fratres animabus vestris, parcite sanguini, qui pro vobis effusus est, & horrendum cauete ignem qui paratus est. 1140.

Et Pauli VVarnefridi, qui clerum sui temporis sic adhortatur: expergiscimini, ô viri Christiani, à graui scelerum somno, atraque mortis caligine, auriumque & omnium sensuum vestrorum cordas rescindentes, verba mea intentissimè percipite; quia legem Domini Dei nostri in latrinam, & omnes eius diuinos sermones in obliuionis & contemtûs cloacas abiecistis; cœpistis in virtutum exercitatione prorsus delirare, in malitiâ sapere, & prudentissimi esse; omnem æquitatem & iustitiam subuertere, pupillorum & viduarum sudore inebriari, patrimonium Christi scortorum delicijs dissipare, ac etiam efferatam libidinem vestram stupris, adulteriis, incestu, & omni illicito concubitu; inexplebilem verò habendi voracitatem furtis & sacrilegiis explere; deniq; Dei templum per scelus & summam iniquitatem vestram constitutum est lupanar, & domus furum & latronum, in qua nec celebres hymni, sed blasphemiæ cœlestis principis resonant: propterea extant adhuc pauci dies, & vniuersa ciuitas Catholica corruet vsq; ad fundamentum.

Induite igitur vos saccis pœnitentiæ & contritionis, & à maiore vsq; ad minorem occurrite Domino lachrymis; tunc miserebitur vestri, sicut Niniuitarum; sin autem pœnitentiam reieceritis, illucescent è vestigio dies luctuum, quibus à conspectu malorum, quæ in vos grassabuntur, fugere volentes; flumina in littoribus acclamabitis, vt vitam vestram propitio fluxu excipiant; abrupta montium inuocabitis, vt lacera corpora vestra in ipsa præcipitatione molliter dilanient; arbores in syluis lachrymabilibus oculis implorabitis, vt ceruices vestras ad ramos suspendendas indulgenter ferant: tantus erit Christianorum planctus & vlulatus, quòd alter ad alterum dicet: nónne melius fuisset, si genitrices nostræ nos in aluis suffocassent? Hæc VVarnefridus.

His adde præsagam hanc Lutheri vocem, quando dolens proiectam mundi peruicaciam, & verbi diuini contemtum, non longè ante mortem dixit: se vereri, ne nobis; tametsi Euangelij luce purissimâ iam fruamur, ob contemtum & nauseam illius eueniat, quod Israelitis. Vt enim illos, cùm cœleste Manna fastidire & aspernari (saturati nimis) inciperent; & adhuc sub dentibus haberent, furor Domini concitatus percussit plagâ magnâ nimis; Num. 11. & Psal. 77. sic & nobis gentibus iterum potest verbum gratiæ subtrahere, & in digniorem, & gratiorem populum transferre, iuxta illud Apostoli dictum Rom. 11. si non permanseris in bonitate, certè excidêris. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit propter incredulitatem, quantò minùs tibi parcet; & Iudæi, si non permanserint in incredulitate, inserentur, potens enim est Deus iterum inserere eos. De quo gentium casu, & Iudæorũ in nostrum locum restitutione, & admirandis alijs mysterijs sub manibus habet librum vir doctissimus Rab. Muheleus, mox typis edendum, quem vidi. Sed de his hactenus: nunc quoq; de occasione huius operis quædam dicenda sunt.

Cùm ante hæc tempora, etiam magnæ eruditionis & sapientiæ viros in caussâ religionis vacillare, & nunc mutare, nunc verò abnegare priorem fidem suam, in qua nati, baptizati, & educati fuerant, viderem: cœpi & ego de animæ meæ salute esse solicitus, & cum doctis pijsque viris de hac re sæpius conferre.

Et hi quidem secundùm illud Christi admonebant, animaduertendum, & eò respiciendum esse, quónam animo essent præditi huiuscemodi viri? Si enim moti pio zelo, spretis mundi thesauris, in eremum, & ad solitaria concedant adyta, vt tutiores & magis quieti à strepitu huius seculi, propiùs accedere ad Deum suis precibus & mente possint, bene se habere; Aponius libro 2. in cantica cant. Mundani autem spiritûs esse certum indicium, si ad aulas magnatum se recipiant, vt ibi dilatent fimbrias, & amplior ac opimior sit ipsis dignitas & gloria; titulosque, reditus, & opes consiliariorum regiorum, Canonicorum, Episcoporum, & præsulum assequantur; nolentes viuere succo proprio cum cochleis Plautinis; aut paupere Deo, instar veterum Boiorum, qui S. Ruperto prædicanti ipsis, Christum crucifixum, passum, ac pro nobis mortuum; Regem pauperem & inopem, sequendum & adorandum; dicebant: miseriarum, crucis & inopiæ se abundè habere aliàs, opus sibi esse Deo aliquo potente ac diuite, de quibus infrà.

Veruntamen ego non acquiescendum ratus huiusmodi rationi; & precatus Deum cum Dauide, vt auertat oculos meos à vanitate, ne similis fierem descendentibus in lacum: sed vt confiteri ipsi Domino possem in Ecclesiâ magnâ, & in populo graui laudare eum: diligenter primùm ex sacris literis, deinde. S. Patribus, aliisq; historijs, quas vndiquaque comparare & reperire poteram, de rei veritate disquirere cœpi. Ad quam rem non parùm commodabant mihi peregrinationes, frequentes illustrium ac celebriorum terræ locorum visitationes, & legationes.

Nam sicubi in curijs & aulis Imperatoris, & Regum Galliæ, Nauarræ, Angliæ & Poloniæ, vt etiam principum passim; & conuentibus Imperij, ob expedienda negotia, sæpè per menses aliquot commorandum fuit, ne inane periret tempus, interea omnigenas Imperatoris, Regum, Monasteriorum, Collegiorum, Vniuersitatum, Ciuitatum, & doctorum virorum bibliothecas, librosque perlustraui. Et multos, quos habere non potui, non sine sumtibus ex longinquo & molesto itinere missis literis comparare non destiti, solusque & vnus, ac sine adminiculo cuiusquam hominis perlegi, & ex eis hoc Opus congessi.

Gustu igitur dulcedinis ex veritate percepto, tandem ad inquirendum

altiùs eam & rimandum, relictis omnibus penè negotiis politicis & aulicis, vnicè huic me dedicaui, & solicitè statum Ecclesiæ antiquæ & hodiernæ (etiam vltra illud præscriptum Horatij, *nonum prematur in annum*) non absq; magnis laboribus, & sumtibus indagaui. Quibus dum sedulò incumberem, & tot tantasq; querimonias & detestationes omnifariorum abusuum, tam in Republica, quàm præcipuè in Ecclesia, patrum, & aliorum grauissimorum authorum penè infinitorum offenderem, cœpi memoriæ causâ colligere & coaceruare huiusmodi testimonia & authoritates, soli mihi, vt instar solatij, speculi, normæ & indicis essent in hac causa.

Cùm verò postmodùm inter viros principes ac doctos, & Ecclesiasticos & Politicos, sermo fieret de hisce rebus, & explicarem nonnunquam ego, quæ huius vel alterius authoris esset mens & sententia, ita vt ex me intelligerent, non exiguam copiam ex varijs scriptoribus me domi consignatam habere: nonnulli etiam ipsi vidissent promtuarium huiusmodi lectionum; hunc quasi thesaurum apud vnum hominem delitescere, nolentes, sed vrgentes diu multumq;, & tandem importunè nonnihil, me hæc etiam alijs editione publicâ communicare voluerunt; dicentes: dubium non esse, quin, si multi, qui in Papatu viuunt, cognitum & exploratum haberent, quid esset veritas; & quòd nonnulla mera essent hominum figmenta, totq; vitiis & abusibus pleraque referta; multaque vel quæstûs causâ, vel dominandi libidine excogitata; seriò ipsimet miseram suam sortem essent deploraturi, si docerentur, quâ esset incedendum, ne veritate fidei aberrantes, seipsos salute defraudarent.

Et huius sanè fatale rei experimentum cùm in proprijs viderim ædibus, motus eo, non potui non publicæ saluti & vtilitati inseruire. Illo enim ipso tempore habui amanuensem, iuuenem ingeniosum, ex schola Iesuitarum Fuldensium, nomine Martinum: ille abundans præceptis & institutis doctrinæ pontificiæ, sæpè acertimè in contrariam religioni suæ inuectus, additis etiam blasphemijs, dixit; se non optare sibi cœlum, in quo Lutherus esset. Verùm cùm describendo magis magisque animaduerteret, quòd Papatus & religio Ecclesiæ Romanæ planè ab Apostolorum semita declinasset; quid item Lutherus docuisset; tandem concedere in aliam sententiam, blasphemiarum suarum pudere, rectiùs sentire, modestiùs loqui de illâ, & frequentare sacras conciones, & legere ipsam scripturam cœpit.

Et cùm aliquanto pòst tempore dysenteriâ, quæ vbique ferè in homines tunc grassabatur, & ipse corriperetur, & à se repetitum iri animam certò persentisceret; humiliter se ad Deum conuertit, ardenter orans, velit se propter meritum filij IESV Christi recipere, & ignoscere propitiè, quòd tam diu deceptus fuisset; meliora enim se nesciuisse: morti autem vicinior, ministrum Ecclesiæ ad se accersiuit, & editâ suâ confessione sacram ab illius manu accepit cœnam, addens; iam porrò nihil magis in votis se habere, quàm vt videre semel adhuc suos parentes, Miltenburgi habitantes, posset; & eos admonere, instituere, ac docere rectiorem salutis æternæ viam; & sic demum optimè composito ad Deum animo, in merito vnius Iesu Christi piè & placidè obdormiuit.

Ex hoc & alijs quilibet augurari potest, multos rectiùs sensuros esse, si meliora & rectiora docerentur: præsertim cùm nec centesimo cuiq; suppetat copia librorum, vel tantum temporis, aut à gerendarum siue publicarum siue domesticarum rerum curâ otium; & occasio emendi, acquirendi, perlegendi & expiscandi tot tantosq; authores. Motus ergò amicorum precibus, & inseruiendi veritati religionis studio, ad limam & regulariorem seriem reuocaui lectionum harum farraginem. & ad prælum (nam quis vetet, apposito lumen de lumine summi) adornaui.

Imperatorum & Paparum nomina sub calcem narrationum adhibita sunt, non ideò, quòd annum facti aut narrati respiciant; sed vt simul cum tempore, quo quisque Author claruit, etiam eiusdem temporis Imperatores & Papas in promtu sub oculis habeat Studiosus Lector.

Quædam scripta integra inserui, quia vel non extant, vel etiamsi extent, valdè sunt rara, necdum in omnium manus peruenerunt: tum etiam ne omninò interciderent: iuxta Poëtam enim,

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Communia ex historijs, Balæo, Nigrino, Sleidano, & similibus, vt inter alia est illud Petri Aloisij, filij Papæ Pauli, qui Episcopum Fanensem, distinentibus eum ministris, per vim stuprauit, & ne flagitium deferret, venenum dedit. Item: grauius peccatum esse sacerdoti, cum vxore, quàm cum brutis rem habere; & talia multa, vt aliunde vulgariter nota, omisi.

Si quæ verò historia aut factum semel atq; iterum posita occurrerint, partim eò commissum fuit hoc, vt autoritas constet diuersorum scriptorum, & fides minùs sit dubia, & harmonia cernatur eorum, qui vnoquoque seculo res gestas literarum monumentis tradiderunt; partim etiam ijsdem illud cum Erasmo in præfatione Chiliadum Adagiorum rationibus Lector excusabit, vt apud eum.

Quemadmodum autem Apelles Protogenis tabulas admirabatur quidem, vt magni laboris, in hoc tamen non laudabat, quòd manum de tabula vix vnquã posset tollere; quod etiam in compositione Isocratea reprehendit Fabius; Plin. l. 35. c. 10. ne igitur idem & mihi accideret, & superexcrescens hinc libri magnitudo Lectori strenuo & industrio fastidiũ pareret, cùm in reuidendo animaduerterem, opus in aliquot volumina præter opinionis spem excreuisse, nolui, plures eius esse partes, quàm duas; & ideo à plerisq; autoribus subtraxi multa (aliò differendi animo) admodum, vt plurimorum obiter & titulotenus tantùm sit in his duobus libris facta mentio: spero autem, pauca, & breuia nonnunquam ea sufficientia fore, & eò inseruitura, vt quarum rerum saltem gustus quidam datur hîc, illarum illectamento postea ad ipsos recurrendi autores, ad capiendum & hauriendum inde pleniora vberiùs, ansam industrius Lector arripiat: nam plura apponere, numerus sanè trium ferè millium autorum, ex quibus congestum est hoc Opus, admittere noluit.

Et præcipuè ne deesset Index Operis; noua methodo, quia distributum est in Centenarios annorum, Catalogum subiunxi singulis seculis omnium Imperatorum & Pontificum Romanorum; ordinum Ecclesiasticorum, & plerorumq; aliàs hominum, eruditionis & similium virtutum laude tunc clarorũ: sic enim tempus & nomen autoris cùm factorum tum historiarũ facilimè reperiri potest.

Errata, vt credere fas est, non nulla in tã amplo committi posse libro, si quæ occurrent, ea benignus Lector pro sua beneuolentia & æquitate ipse corriget, boniq; consulet.

In allegandis autem authoribus, malui ipsorum verbis, quàm meis vti eò, quòd *dulciùs ex ipso fonte bibantur aquæ.* Nam tametsi multi obscurè, quidam (veterum more) stylo non admodum concinno loquuntur; tamen habet hoc iucundi priscorum quorundam obsoleta dictio, ac suo quodam modo rudiùs comta oratio, vt ex ea plus intelligamus, quàm dicitur, plus significetur, quàm effertur.

Deinde etiam authorum verba, addito cuiuslibet nomine; & anno, quo claruit; retinui, ob viperas & morsus zoilorum, ne possent cauillari, corruptum, mutatum, in sensus alienos peruersum aliquid, aut deprauatum esse, aut me, instar corniculæ Aesopicæ, velle me exornare plumis alienis, & venditare peregrina pro meis, antiqua pro nouis. Igitur si velint, autoribus ipsis (mea enim, quod apertè dico, non sunt) dentem infigant, non mihi, ita tamen figant, non vt quidam hodierno tempore Papæ gnathones & scioli, qui opes & honores,

dignitatesq; ambientes, mirâ scribendi prurigine, & contra veritatem & conscientiam, vruntur; cùm tamen nihil præstent, nisi quòd plagium committant, & antecessorum scripta depeculentur, & aliena pro suis tradant: & nisi Staphilus, Cochlæus, Bellarminus, Posseuinus & alij quidam scripsissent docti, magis muti quàm piscis essent.

Illi, inquam, in more positum habent improbo, vt, cùm aliquam vel historiam vel authorem, quem contra se facere maximè putant, improbare vel redarguere nullo modo queunt, relictâ veritate, & diuini studii fide immota, non vt graues Theologos decet; sed quod nemo vel leuissimus scurra faceret, Arcesilæ scholam, de qua Laërtius, Lactantius & Cicero, statuant, & (vt semper petulantia & superba ingenia consueuerunt) personam sibi eligant, quam exemplo patris sui diaboli, qui ab initio calumniator fuit, falsis allegationibus, testimoniis, criminationibus & calumniis obruant, & inuisam atq; suspectam reddere conentur: aut cùm integrum quoddam scriptum refellere deberent, vnam atq; alteram sententiam saltem excerpant, & dū multis sophisticis verborùm deblaterationibus boare incipiant, adque opprimendam veritatem, & peruertendum genuinum sensum, monstrosas fraudes & strophas nectant; cætera libri argumenta explodant susurris, putantes, sic apprimè se functos suo officio, confutationi planè satisfactum esse, iamq; suam eruditionem à nemine non conspici. Nouerint igitur hi vitilitigatores, præstigiatores, & scurræ, nihil se hac friuola arte, technis & fucis suis promereri, quàm vt pro leuibus & malitiosis sycophantis ac calumniatoribus habeantur, donec vel maledicere vel conuiciari veritati desinant.

Quod ad me, tametsi horum quæ refero (vt dixi) nihil meum sit, nec quicquam, vt Ederus, Burckhardus, & alij I. C. falcem in alienam messem immittentes, in Theologia statuam; cum Ecclesiâ credam; & cuiuis sua defendenda relinquam: tamen vt absim ab omni culpâ, testor Deum, nihil in opprobrium Ecclesiæ, neque ex affectu priuato aduersus cuiusquam viri boni personam singularem in hoc Opere dici; non meas, sed piorum Catholicorum virorum (hos si reiicis, degener, quos feres?) esse, non morsus, sed fideles & Christianas admonitiones; in eum finem tantùm congestas, vt tu & ego, immortalis Dei, & multorum mortalium Catholicorum salutaribus monitis ex veterno excitati, tandem pœnitentiam defectibus nostris dignam præstemus; vitamq; beatam, à Christo dirâ morte nobis præparatam, non adeò turpiter, leuiter, pertinaciter & obstinatè (heu deplorandum facinus) excutiamus: sed apertis vlnis, quod dicitur, excipiamus & amplectamur; Amen.

Vter enim nostrùm, scribit Erasmus, veriùs perpendit cleri dignitatem? tu, qui illum terrenis opibus & dominiis oneras, sordidis ac mundanis implicas curis, bellorum & voluptatum procellis involuis? an ego, qui, Christi vicarios, & cœlestis sponsæ custodes, ab omni terræ contagio purissimos esse, cupio, & quoad licet, ei, cuius loco munereq; fungitur, quàm similimum?

Licet verò in omnibus statibus degeneres, inutiles, boni & mali reperiuntur: non dubito tamen, quin, secundum Curtium libro 8. canes pessimi, & qui tanguntur, primi sint futuri, qui latrabunt: & scabiosos equos, vt est in prouerbio, strigilem ægrè laturos.

Cæterùm de insontibus nihil hic liber, sed generalis de vitiis ést disputatio, vbi iustè nemo expostulat cum eo, qui collegit ex aliis: sed ipse se reum agat iniurarum, vt pote qui declarauit, quòd talis sit, & hoc ad se propriè pertinere. De nullo ergo dicta sunt hæc, nisi si quis volens sibi vendicet. Vult autem quis se reum facere criminis alterius, meritò ad ipsum redundat macula, & si serpentem calcet, in ipsum resilit virus. De malis loquitur liber, per quod nullus læditur bonus: tu si malus non es, hæc nihil ad te; sin agnoscis te malum, admonitum putes.

Sic

Sic enim & Socrates olim: mihi, inquit cuidam maledicenti, non maledicis, sed illi, qui talia facit; ego purus sum ab his maledictis. Igitur si reos quis coarguit, is prodesse cupit hominibus, consulit moribus eorum, non officit.

Aut corrigamus ipsi nostra vitia, vt monitore non sit opus: quotidie de virtute sit sermo, à turpibus abstineamus, & magnâ inter nos contentione ad honesta contendamus. Plato de Regno, & in Socratis Ap. Et ad Galat. cap. 6. Bonum faciendo non defatigemur.

Et ego quoq; ipse non diffiteor, errasse (vt & Socrates, atque his quidem verbis apud Platonem in Alcibiade loquitur) & adhuc errare posse me; nec de te saltem dico, quòd erudiri aut corrigi quid oporteat, de me verò non; non enim est, quo à te differam, verùm communi consilio opus est, quomodo optimi fiamus, nec in errore vel vitijs persistamus.

Æneas Syluius Sigismundum Imperatorem dixisse refert: an nobis graue videtur malè audire, cùm malè viuamus? Et Platina ait: Consueuerunt historiæ pessimorum peruersa facta, optimorum rebus gestis annumerare, vt, quantum inter se boni & mali differant, à legentibus cognosci possit, quò malorum exemplo à vitijs deterreamur, & bonorum exemplo ad virtutem impulsi, vitam ducamus in terris beatiorem.

Sed de his satis iam: concludemus ea verbis Bedæ, qui sub finem librorum Regum quæst. 30. sic inquit: Obsecro, Lector, si quid hisce laboribus gratum feci, ad laudem donantis Dei referas: sin minùs, non culpes, priusquàm tu meliora præstes; communiq; labore satagamus, quò negotiatores Dominicæ pecuniæ fideles, & propugnatores sanctæ ciuitatis strenui inueniamur, vt reuersus à nuptiis nobis dicere dignetur: quia super pauca fuistis fideles; super multa vos constituam, intrate in gaudium Domini vestri æternum; Amen.

Nunc conuerto me, Illustrissimi & Excellentissimi principes, ad Cels. VV. exponam igitur, quibus de causis hic à me Cels. VV. liber sit consecratus.

Est mos, teste Aristide, Vegetio, & alijs, à Græcis institutus, à Romanis continuatus, atq; ad alias nationes propagatus, vt potentiorum tutelâ muniantur ij, qui aliquid in publicum emittunt. Vnde Chrysippus philosophus, autore Laertio, indoctior habitus fuit, quòd, cùm scripsisset plurima, nulli tamen vnquam quid dedicasset: & Appion (de quo Plinius) gloriari solitus est, se immortalitate donare eos, ad quos aliquid commentaretur.

Præterea quia Strabo scribit, laudabile hoc esse Indis, vt nouo anno incipiente, philosophi & literis dediti omnes ad Regis fores conueniant, & quicquid quisq; composuit vel obseruauit eo anno de frugibus, de animalibus, & de Republica, in medium afferant; & is qui vtilia profert, magnam captet gratiam, immunisque ab omni tributo exemtus habeatur: certè maiori laude dignum existimârim eum, qui congessit talia, quæ non tantùm ad Politiæ, sed & Ecclesiæ salutem tendunt, illaq; benemeritis de ijs defert.

Hisce motus igitur & ego, ne laudatas has consuetudines prætergredi velle viderer, Cels. VV. hanc primam Operis huius noui Lectionum Memorabilium & Reconditarum Partem totam pro felici auspicio huius noui seculi offerre statui.

Cels. enim VV. constanter eam religionem hodie defendunt, & asserunt, quam maiores vestri anno Christi 1534. ex piis & grauissimis rationibus seu consiliis, Ecclesiæ suæ intulerunt, seu potiùs reddiderunt; eam sordibus traditionum humanarum & fanaticarum opinionum liberârunt, & puritati atq; sinceritati Euangelicæ restituerunt.

Id quod & ab aliis vicinis magistratibus & principibus tunc temporis factum est. Nam & Rex Daniæ (de quibus annales Danici) reformationem suarum Ecclesiarum instituit, cùm Episcopi eius regni eò temeritatis & præsumtionis essent

progreſſi, vt mortuo rege Friderico, nec Iohannem iam electum, nec alium quenquam regem habere vellent, ſed ipſi Reges eſſe, & ſuo arbitratu regnum adminiſtrare cuperent, edictis ſanguine ſcriptis, & proſcriptionibus vitæ, ac bonorum omnium, qui illis non obtemperarent, publicatis: Rotſchildienſis etiam Epiſcopus effigiem ſuam MariæBelgij gubernatrici miſiſſet, ac coniugium illius ambiiſſet, vt reſignato Epiſcopatu, rex Daniæ crearetur.

Propter hæc & alia plurima facinora peſſima, & machinationes, Chriſtianus Rex, remotis talibus Epiſcopis, alios ſurrogauit, & Eccleſiaſtica bona, vt & anteceſſores veſtri, in ſcholas, Xenodochia, aliosque pios vſus contulerunt, facto ſanè laudabili & bono.

Sed & hoc memorabile non prætereundum tum contigit, quòd biennio poſt dictam reformationem, Celſ. VV. pater & auus Philippus ac Maria, Ioannis Saxoniæ Electoris & Margaritæ Anhaldinæ filia, matrimonij benedictionem coram Eccleſiâ ab ipſo Martino Luthero Torgæ acceperunt (id non dubito, quin bono auſpicio factum ſit) & cùm peractis ad aram ritibus, Philippus pater & auus manum illi porrigeret; Lutherus ſtans aliquandiu tacitus, tenendo dexteram eius, clarâ voce tandem ad eum conuerſus dixit: Dominus Deus ſit tecum, & ſemen tuum non deficiat. Quod votum eum euentum poſtea habuit, vt, licet coniugium primo quadriennio prorſus ſterile eſſet adeò, vt planè interitura Ducum Pomeraniæ ſtirps maſcula videretur, tamen poſtea ex ipſis ſeptem filij nati ſint.

Gratulor igitur Celſ. VV. ex eâ proſapiâ generis eſſe natos, præter cuius maiora conſtantiæ & fidei exempla à patriarchis ad noſtra tempora vsque vix vlla extant. Hic enim Ioannes Saxoniæ Elector, auus & proauus Celſ. VV. tempore INTERIM (quæ vox non ſine myſterio in ſe habet hanc MENTIRI, vel per ſyncopem illam INTERITUM) vacillantibus multis, etiam primariis quibusdam Theologis, ſolus cum paucis aliis conſtans permanſit.

Sic cùm Carolus Quintus eum in Electoratu & cæteris Imperij feudis, niſi ad Papatum rediret, inaugurare nollet, potiùs non inaugurari, quàm Euangelio turpiter renunciare maluit. Atque vt olim Imperat. Maximiliano militans, in oppugnatione Albæ Regalis, inter principes primus in fide erga Chriſtum, & veræ doctrinæ confeſſione, omnium ſeculorum memoriâ dignum exemplum conſtantiæ edidit; dum nullis fractus minis aut terroribus, nec vllis augendæ ſuæ aut filij potentiæ, & opum promiſſis victus, doctrinam Euangelij ſe omnibus rebus humanis anteferre, & in ſolo Deo firmiter acquieſcere, animo excelſo & inuicto demonſtrauit:

Sic etiam ſimili conſtantiâ filius Ioannes Fridericus, poſtea Elector, primùm prælio victus, tametſi moriendum ſententia Cæſaris, & captiuus eſſet, & Imperator Auguſtæ eius Electoratum, eo præſente, & è feneſtrâ ſpectante, in Mauritium tranſtuliſſet (dolores ſupra humani animi captum maiores) tamen in verâ Euangelij confeſſione conſtanter perſtitit. Quod crux aurei coloris in naſcentis dorſo, & vox cuiusdam myſtæ ſenioris, qui illâ viſâ dixit, puerum hunc crucem toti orbi conſpicuam geſtaturum, longè antè portendit; Chronicon Saxoniæ, Chytræus in Chronico Arctoo, Auguſtinus Brunnius.

Indubitanter igitur in eos directa ſunt verba non ſolùm Apocalyp. 3. vbi dicitur: Et ſcient, quia ego dilexi te, quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab horâ tentationis, quæ (INTERIM) ventura eſt in orbem vniuerſum, tentare habitantes in terra: ſed etiam Ieremiæ cap. 51. vbi eas propter ſummam conſtantiam hanc in fide Reges, & ab Aſcenes (quod verum eſt) ortos expreſsè nominat. De quibus infrà plura.

Celſ.

Anno

Celſ. autem VV. patri & auo prouerbium fuit: **Es ſey gut mit aignen Ochſen pflügen.** Quid verò Illuſtriſſ: princeps hoc ſymbolo ſignificare voluerit, duobus tantùm exemplis huius libri clarum faciam. Teſtatur enim Clemens Schavv Sacellanus, ſe Erneſto Archiepiſcopo Magdeburgenſi, vnà cum duobus Franciſcanis, morienti adſtitiſſe, quorum alter Archiepiſcopo dixerit: eſto bono animo, inclyte princeps: nos omnia non tantùm noſtra, ſed etiam totius Minoritarum ordinis bona opera T. C. communicabimus; non eſt dubium, quin illis acceptis, coram Dei conſiſtas tribunali iuſtus & beatus. Reſpondiſſe verò Archiepiſcopũ, nullo modo veſtris operibus confidam, ſed mihi ipſi credendum eſt in Ieſum Chriſtum, & eius meritum.

Sic quoq; Sebaſtianus Canonicus Erphordienſis, Theologiæ Doctor, & Concionator ſummi templi B. Virginis, alienas ſatisfactiones acriter reprehendit his verbis, **wir haben die für vns zu Kirchen gehn/ betten/ ſingen/ horas vnnd Meß leſen; Aber da iſt** quæſtio, **wer würdt für vns in die Hölle fahren?**

Sic piiſſimus princeps, ſagax futurorum indagator, & bonus paterfamiliâs, cùm illo tempore papiſtica turba, excluſo Chriſto, non niſi merita ſua prædicaret: (de quo dogmate etiam ipſi philoſophi, Plato, Ariſtoteles, & Reymundus Sebundius Italus in libro de natura hominis paulò modeſtiùs ſenſiſſe videntur) ille, in Oeconomico, Politico & præcipuè Eccleſiaſtico ſtatu, in alieno aratro non confidere, ſed quemlibet ipſummet rebus ſuis & ſaluti proſpicere debere, ſtatuit. Maledictus enim, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & qui fiducia in Deum relicta, ad hominum præſidia currit. Ierem. cap. 17. & Eſaiæ cap. 30. & 31.

Habent ergò Ill. Cels. VV. quis & qualis clypeus patri & auo extiterit: & quòd ſpem ſuam, vt vulgus ſolet, non in leones, leopardos & vrſos, ſed in verbum & benedictionem Dei poſuerit; diuinum illud Poëtæ conſilium reſpectans, qui in clypeo Achillis non bruta illa horrenda animalia, ſed cœlum, aſtra, maria, terraſq;, & quæ in illis accidunt, hoc eſt, cœleſtium & terreſtrium contemplationes principem decere, pictura expreſſit. De quo Homerus, Euſtathius, & Goropius.

Eodem pietatis zelo moti Cels. VV. maiores in conuentu Naumburgico, anno 1565. habito, cùm ad concilium Tridentinum vnà cum aliis illuſtribus viris principibus, à papa per legationes citarentur, & ſingulis breuia, vt vocant, pontificis (cum hac inſcriptione: Dilecto filio, nobili viro N. duci N.) exhibita & tradita eſſent, Pontificis legatis omnia non reſignata in hoſpitium, piè, conſtanter & fortiter remiſerunt, & reſponderunt: Electores & principes nullam Papæ iuriſdictionem agnoſcere, neque opus eſſe, vt de ſuâ voluntate in adeundo concilio, cuius dirigendi aut indicendi poteſtatem ipſe non habeat, Papæ reſpondeant: ſed clementiſſimo domino ſuo Imperatori Ferdinando reuerenter ſe ſuam ſententiam expoſuiſſe: deferre autem ſe ipſis legatis, vt viris nobilibus & doctis, ſua officia; ac niſi Papæ legati eſſent, plura beneuolẽtiæ officia ipſis exhibituros fuiſſe.

Fuit certè magna & laudabilis eius temporis conſtantia, cùm nec Papa, eiuſque Phariſæi, nec mundi potentia & fauor, ſed ſolus Dei honor ſpectaretur. Faxit Deus, vt veſtigiis illorum inſiſtamus; & mentibus infigamus, Mammonæ & Deo neminem ſimul inſeruire, nec Deum vllos Polypos, Proteos, Alcibiades, Ianos, Cothurnos, vel Vertumnos, de quibus alibi Plautus, Phocylides, Athenæus, Pindarus, Euripides in Alcib. & Plutarchus, in ſuo regno ferre poſſe: ſed ſtare immotum eius verbum: qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo cœleſti; Matth. 10. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur, & quam dabit homo commutationem pro anima ſua?

Poſſent hîc, Illuſtriſsimi principes, plurimæ de maiorum Celſ. VV. heroicis &

ſtrenuè factis elegantiſs. hiſtoriæ coaceruari, ſed quia aliunde ex annalibus nota ſunt ſatis, hic prætereo. Quæ enim & quanta dici poſſent de Erico Rege, qui ex Celſ. VV. maioribus Pomeraniæ principibus natus, regnum Daniæ, Sueciæ & Norrvvegiæ amplius quadraginta annis rexit? Quæ de Barnimo, quem à virtutibus & fortitudine, & quia patriam contra cruciferos, & Ludouicum Marchionem defendit, Magnum dixerunt? Quæ prætereà de Bogeslao, qui Palæſtinam ingreſſus, inſigne heroicæ fortitudinis exemplum aduerſus pyratas Turcos, quos in mari fudit atq; oppreſſit, poſteris reliquit?

Eſtis enim verè Saxones ex ijs, de quibus Sidonius Apollinaris ait, nullos hoſtes hoſte Saxone robore, conſilio & arte fortiores; vetuſtiſſimâ Sacarum præcipuâ Perſicâ gente ortos eſſe, vt Herodotus & Xenophon tradiderunt. Deq; Saxonum eximiâ virtute & prudentiâ extant vbique multa præclara exempla, Sic enim conſilio Ottonis tertij Saxonis ſtat hodie Romanum Imperium: is namque cùm animaduertiſſet, quòd Pontifices Romani ex ambitione, quos vellent, imperatores ſub excommunicationis fulmine eligerent; & quos non vellent, repellerent, ſubiicerentq; ſibi Imperium & regna, & contra expreſſam prohibitionem diuinam, raperent & vſurparent poteſtatem politicam; vt frænum huic tyrannidi & perfidiæ iniiceret, electionis certam & firmam legem ſtatuit, & in Germanos, conſtitutis ſeptem Electoribus, tranſtulit: quod teſtantur Blondus & alij.

Hoc cùm ferre non poſſet Papa Pius 2. contrariâ lege mandauit Electori Moguntino Iſenbergio, ne ſeptemviros ad eligendum nouum Imperatorem, aut de alijs rebus in Imperio conſtituendis, ſe inſcio, & abſq; ſuâ voluntate conuocet, & cùm hoc obtinere non poſſet, Iſenbergium loco mouit, & Adolphum Naſſouienſem ſubſtituit. Iſenbergij partes defendebant Fridericus Palatinus, & Ludouicus Bauarus; contra hos excitauit Papa Principes tres primarios, qui prælio victi & capti, magnâ pecuniâ redimere ſe coacti fuerunt: ταῦτα ἐστιν ἐπὶ χεῖρα τυραννικῆς φιλίας. Polyb. Super quo excandeſcens Papa tanta rabie id tulit, vt potiùs Turcæ ſe ſubdere, quàm hoc frænum Germanorum ferre vellet. Scribit igitur ad Mahometem: noſtri, inquit, anteceſſores, Stephanus, Adrianus & Leo, aduerſus Longobardorum reges, Pipinum & Carolum Magnum accerſiuerunt, & liberati de manu tyrannica, Imperium à Græcis ad ipſos liberatores tranſtulerunt: ita & nos, ſi in Eccleſiæ neceſſitate tuo patrocinio vteremur, vicem reddéremus accepti beneficij. Sed ad propoſitum: ſtat etiam religioni hodie, Mauritij Saxonis præſtanti conſilio pax ſtructa Paſſauij, de quo infrà.

Sed & hæc dedicationis cauſa non minima eſt, quòd cùm, Illuſtriſs. princeps Barnime, Celſ. T. & Illuſtriſs. princeps Philippe Iuli, Celſ. T. laudatiſſimus pater in Galliæ regno, Aurelijs, & Andegauiæ, ad cognoſcendas & addiſcendas aliarum nationum & populorum linguas ac ſtudia, verſarentur, me præ alijs ſingulari complexi ſunt clementia atque fauore: & mihi ad aſſumendam in Iuris ſtudio laureâ conſilijs & ſumtibus clementiſſimi authores & impulſores fuerunt, & præſertim vnum ex miniſtris præcipuis eſſe voluêre tunc, cùm Andegauo concederent hinc ad luſtrandos Brittannos, Nannetes, Pictones, Rhedones, Rupelenſes, Celtas, Petragorios, Sanctones, Aquitanos, Burdegalenſes, Tarbellos, Vaſcones, cæteroſque populos; & quidem non, vt vulgus ſolet, ad inſpiciendas ſaltem terras & homines peregrinos: ſed ad cognoſcendum etiam, vt Homerus ſuum πολύτροπον Vlyſſem laudat, mentes, ingenia, & mores illorum: cuius gratia ipſum quoque Regem Galliarum acceſſiſtis, cumque eo ſermones contuliſtis: factum eſt id anno Chriſti 1 5 6 7.

Cuius iucundiſſimi itineris ego etiãnũ hodie ſæpius recordor, & inter alia nunc mentẽ ſubit illud, qđ accidit Baionæ in Eccleſia cathedrali, vbi cũ regale Mauſoleũ,

transfennis ac obicibus ferreis obfirmatum conspiceremus, & ego interrogarem duos sacrificos in templo otiosè dispatiantes, quis ibi reconditus esset? illi autem se nescire responderent, ego me non continere potui, quin hanc ignorantiam illis exprobrarem.

Præterea cùm Cels. T. Barnime Illustrissime princeps, singularem pietatem, fortitudinem, clementiam, & prudentiam (prælucentibus scilicet optimis artibus & virtutibus, à primâ vsq; adolescentiâ perceptis) in administrandâ & decenter & iustè Republicâ, nemo non summis laudibus deprædicet; sed & Philippe Iuli, Cels. T. quoque ad eandem spem omnium sapientum animos iam pridem summâ erexerit, vt ex multis virtutibus, quæ in Cels. T. clarissimo iam fulgent lumine, præsagiant; in quem heroa sis euasurus, & qualis laudatissimi patris exemplo sis in grandori ætate futurus, cùm plenis iam annis omnia adoleuerint; spero, hunc librum in nullius, quàm Cels. VV. fidem & tutelam iustiùs dedi posse, cùm Cels. VV. non tam ob allatas causas, quàm præcipuè hanc ipsam offeratur; vt nemini non perspicuum fiat, nunquam apud me neque intermorituram esse, neq; consenescere posse gratam clementiæ, fauoris, & beneficiorum, mihi à Cels. T. & Cels. T. patre quondam exhibitorum, memoriam.

Cæterùm faxit Deus, vt felicissimè longissimeq; in dulcissimâ pace & tranquillitate, sanctissimaque religione & pietate, puroq; Dei cultu, firmissimâ valetudine, omnibusq; fortunis florere possitis, donec tandem post Nestoream prosperrimè decursam exactamq; ætatem, in cœlum commigretis, ibi cum Deo perpetuum regnum & gloriam obtenturi. Calend. Februar. Anno Christi M. D. C.

Illustriss. CC. VV.

subiectissimus

Iohannes VVolfius, I.C.

LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS PRIMVS.

Natiuitas Christi.



IESVS CHRISTVS vnicus Saluator hominum, nascitur ex Virgine in Beth-
lehem Iudæ, octauo Calendas Ianuarij: imperij Augusti 42. anno, qui erat à
mundi principio secundum Telesphorum de Cusentia, Rudimentum nouitio-
rum, & 70. Interpretes, annus 5200. Secundum Iosephum, annus 3963. Hu
nibaldus, Vincentius, Trithèymius, Philippus, Funccius, Eberus, Flinsbachius,
& Massæus idem sentiunt cum Iosepho. Philo factum scribit anno 5195. Pto
lomæus anno 6420. Origenes 4759. Theoph. Ep. Antiochenus 5531. Marianus Scotus 4193.
Methodius 5000. Nicephorus & Iornandes 5500. Cuspinianus idem. R. Naasson in Cyclo
paschali ponit annos 3707. R. Leui Ben Gerson 3754. R Abraham idem. Epiphanius 5029.
Cassiodorus 4697. Hieronymus 3952 Hermannus Contractus idem. Philastrius de Hæres.
5801. Augustinus de mirab. script. 5196. Isidorus cum Augustino idem. Eusebius & Achilles
Gassarus 5199. Beda cum Eusebio. Vnde versus: Vnum tolle datis ad millia quinque ducentis:
Nascenti Domino tot Beda dat à Protoplasto. Stumpfius idem. Suidas, & Græci quidam 5600
Nauclerus & Phrygio 3962. Vrspergensis idem. Alphonsus 6984. Ioan: Parisiensis 5302. Hic Me
thodij calculum, quia illum per reuelationem à Deo accepit: & etiam astronomicis rationibus
consistit, certiorem esse affirmat. Alliacensis 5344. Orosius 6199. Iulius Scaliger 4712. Odia
ton Astrologus 4320. Balæus 3970. Panthaleon, Krentzheym, & Bucholzer idem. Clemens
Schubertus, & Mich. Beuterus idem. Mercator 3966. Picus Mirandula 3508. Alij de eodem
3958. Albumasar Astronomus 5328. Hunc plerique Neoterici in Astrorum computatione se-
quendum putant. Carion 3944. Carol. Bouillus 3989. Gilbertus 4090. Lutherus 3960. Va-
lent. Muntzer, Alexander Scultetus idem. Brentius 4121. Franck 3921. Honorius Solitarius
Augustodunensis de imagine mundi 4763. Adon Viennensis 4852. Rabbi Selomon, Galatinus
& Buntingus 3967. & hanc suam opinionem primùm ex Euangelica historia: 2. per Eclipsin
Lunæ, quæ post mortem Cæsaris facta est: 3. Mathematica demonstratione: 4. Sanctorum pa-
trum consensu, constare putat. Henricus VVolfius libro de tempore, 3951. Possem plures refer
re: sed ex his satis vides Lector, diuersitatem in supputatione authorum: ac proinde, quàm diffi-
cilè sit, certa tempora annotare. Henricus Buntingus testatur, Chronologiam Funccij esse incer-
tiorem, eò quòd calculum Astronomicum minùs obseruauit. Mercatorem autem Astronomicæ
in Chronicis suis fuisse quidem studiosiorem: non deesse tamen & illi suos errores. Matthiam Be-
roaldum, Rabinorum deliramentis deceptum, sæpius aberrasse à supputatione vera.

Pro certo igitur & rato habendum est, nec esse Theologum quenquam sine perfectâ Hebraicæ linguæ scientiâ: nec Chronologum aut Geographum seu Medicum, qui non sit disciplinis Mathesewn optimè imbutus.

Dissident ergo inter se Historici: non conueniunt Chronographi: hallucinantur sæpe Bibliothecarij. Fuit enim olim, ante artem impressoriam, magna describentium incuria, inscitia, & negligentia: fuit etiam Characterum, ipsarum literarum, & præsertim numerorum, veteris, & nostri temporis, magna varietas, quæ multos seduxit: ita vt meritò, si fortè quis sit error apud recentiores, qui antiquorum scriptis & libris niti coguntur, priorum is sit, non posteriorum.

De hora, die, mense, & anno conceptionis, & natiuitatis Christi: item de miraculosâ Eclipsi, quæ apparuit in passione Domini: & de eius resurrectione, scripsit doctè Lucas Gauricus Neapolitanus. De quo infrà.

Non sine singulari mysterio autem, circa tempus, cùm nasceretur Christus, crebrò & passim plus solito pleraque ostenta, prodigiaque in cœlo, & in terra visa sunt: & consulti Astrologi, Vates, Sacrificuli, ipsa etiam oracula, responderunt: Principem, Dominumque terrarum, naturam parturire. Constat enim, circulum ad speciem cœlestis arcus, orbem Solis ambijsse, cùm antè, tum & in ipsa natiuitate Christi: & cùm Augustus Cæsar à Sicilia rediens, receptis legionibus à Pompeio & Lepido, triginta millia seruorum dominis restituisset, & omnia superiora populi debita donanda, literarum etiam monumentis abolitis, censuisset: in diebus ipsis fontem olei largissimum de tabernâ meritoriâ per totum diem defluxisse: illum vtique manifestè adesse imperio nunciantem, qui & seruis libertatem largiri posset, & pauperum misereri vellet atque testimonium ferret nascenti Regi, qui Regnum oleo Euangelij, seu gratuitâ remissione peccatorum exuberans, erecturus esset. Eodem etiam tempore, Romæ statuam erectam in honorem Romuli, primi Regis Romæ, & templum Pacis corruisse constat: ne alibi, quàm in Mesia iam præsente, quem Esaias Principem pacis nominat, alma pax quæreretur. Viri pij in consilium adhibiti, hæc, & alia de Christo viuentium Rege, & Domino mundi interpretabantur: Romani autem ad Augustum referebant, qui Imperatorum omnium primus circa id tempus Monarchiam obtinuit mundi. Sed Imperator ipse accuratiùs rem perpendens, quia intelligebat, verum Dominum totius generis humani tunc inter homines nasciturum, cùm ludos spectaret, & pronunciatum esset in Mimo: O Dominum æquum & bonum: vniuersique hæc de ipso dicta exultanter approbauissent: statim manu, vultuque, indecoras adulationes repressit: & sequenti die, grauissimo cauit edicto: ne se posthac quisquam Dominum nominaret. Vbi profectò superbiæ nostræ obuiatur, inquit Otho Frisingensis Episcopus: qui hoc summopere Christi sacerdotes exposcimus, quod rationis intuitu etiam gentes declinarunt. De quo etiam Orosius, Eutropius, P. Diaconus, Freculphus Episcopus Carnotanus, Comestor, Stephanus Blanck, Fritschius, & alij, de quibus in sequentibus suo loco & tempore.

Prophetia.

Constat in nominibus Moysis & Christi, ex Methodij fragmentis, maxima mysteria recondita esse. Si enim numerus literarum nominis μωυσῆς computetur, deprehenditur, quot annos lex Mosaica durauerit.

Μ	40.
ώ	800.
υ	400.
σ	200.
ῆ	8.
ς	200.
	1648.

Nam si à morte Christi retrò numeres annos 1648. vsque ad id tempus, quo Pharao Aegypti Tyrannus Israëlitas maximè afflixit: & nasci debuit Moyses, qui eos ex hac miserrima seruitute liberaret: peruenies ad annum mundi 2348. circa quod tempus, quidam sacerdos diuinationibus intentus dixit Amenophi Regi: se circa pueros Hebræorum attendere, quòd nasci deberet vnus, qui populum Israël de Aegypto educeret, & regnum Aegypti humiliaret. Qua re motus Pharao iussit omnes Hebræorum filios in flumen proijcere, & interficere. Referunt Iosephus & Lyra Exod. 2.

Sic quoque nomen Christi in numeros redactum dat annos 1480.

χ	600.
ρ	100.
ι	10.
σ	200.
τ	300
ο	70.
ς	200.
	1480.

Nam circa finem illius à nato Christo temporis, omnes vates, mystæ atque Prophetæ, Lubertus Hanschilt, VVesselus. S. Vincentius, Purueus, Barath, Capistranus, Torquatus, Sauanarola: Frater Nicolaus Eremita, Albertus Leicheisen, Frater Fleck, Iacobus de Paradiso, VVesalia, Capgrauus, Herman: Rhid, Bapt. Mantuanus, Kikel, Laurentius Miniatensis, D. Ioannes Scheiring. Hilten: Horius, Bouillus Syringus, And. Proles, Mancinellus, Mellerstadius, Castrick, Salhusius, & alij plurimi, vno quasi ore clamârunt, abusibus & sordibus traditionum Papistarum miserè defœdatum, obliteratum, & penè ex Ecclesia amissum esse Euangelium: & prædixerunt, instare reformationem Ecclesiæ ac religionis: & nascendum esse (quod & factum fuit Martino Luthero nato, anno 1483.) qui doctrinam Euangelicam repurget, & ab inquinamentis istis emundet, lucemque veritatis diuinæ restituat mundo.

De partu virginis extat memorabile, summa admiratione suspiciendum quoddam præsagium.



Cvm maiestatem Vrbis principes Romani visibili specie constituissent honorandam, exquisito artificio muliebrem formam, quæ Orbem sinistrâ, dextrâ verò Lunam contineret, in æris materia fieri iusserunt. Ea verò perfecta, & forma egregia, venusta quantitate, partium apta dispositione, membris quoque condecentibus, & sibi inuicem congruentibus vniuersis, cùm non tàm populi examinationem, quàm admirationem, præuia sui commendatione deposceret Artifex, quidam solas tibias tantæ moli perferendæ inhabiles esse causati sunt: Quibus faber non sine omine respondit, eas vsquequaque sufficere, donec virgo pareret: Quod & tum Christo nato impletum est, ea corruente & fracta. Conradus Viterbiensis. Ioannes Romberg à Kyrspe. VVimpina à Fagis, & alij.



Aliud non minùs memorabile extat.





REx Persarum & Cypri, Costus nomine, cùm nullam haberet prolem, congregauit vniuersam Medicorum & Astronomorum multitudinem peritam, ad sciendum, vtrum sterilitas esset in se: an in vxore: an verò in vtroq;. Qui diligenter considerantes complexionem vtriusque, & planetarum, in quibus nati erant, diem, horam, & punctum, dixerunt, in nullo eorum esse sterilitatem naturalem: sed à Dijs petendam esse prolem. Rex autem congregauit vniuersorum sacerdotum suorum Regnorum multitudinem, vt sacrificium solenne Dijs immortalibus pro prole ipsi obtinenda facerent. Cùm autem id longo tempore inaniter agerent, Vnus eorum Astrologus, Macrobius nomine, ait: Rex, in æternum viue, ne desperes. Dij enim sunt infiniti: sed tantùm Deo Deorum ignoto offer sacrificium, & obtinebis cordis tui, spero, desiderium. Quod audiens Rex Costus, magnam auri copiam obtulit Aurifabro, vt inde Deo Deorum ignoto, imaginem componeret. Aurifaber in petra figuram ipsius Dei ignoti composuit bis ter quater, vt ex auro liquefacto & resoluto figuram solitam extraheret: veruntamen semper extraxit figuram hominis crucifixi. Rex autem iratus, alteri cuidam Aurifabro auri prænominati quantitatem dedit, qui formam, in præsentia Regis, hominis crucifixi etiam non semel tantùm extraxit, contra spem suam & ipsius. Cùm autem prænominata forma, consilio prædicti Macrobij esset in templo Deorum posita, omnes Deorum formæ ceciderunt: & sola crucifixi remansit: cui oblationes & sacrificia de cætero obtulerunt: & statim Rex & Regina prolem habuerunt. Viterbiensis & Reymundus Cardinalis Gurcensis

Aliud illustre de nascituro Christo oraculum.

AVgustus Cæsar consulens oraculum Delphicum Apollinis, quisnam post eum regnaturus esset in orbe: hoc responsum accepit: Puer Hebræus imperans beatis Dijs, jubet me hanc domum relinquere, & ad inferos iterum redire: igitur tu tacens recede à nostris aris. Templum itaque postmodum concidit: Octauianus Augustus autem in Capitolio extrui curauit aram cum inscriptione:

HÆC EST ARA PRIMOGENITI DEI. Suidas, & Irenæus.

Ex arcano quodam Iudæorum de summis Optimatibus, et Pontificibus, Prophetis, Regibus, Sacerdotibus, alijsq; suorum Mystagogis libro, qui dicitur ereptus excidio Hierosolymorum vrbis & templi, asseruari in Tyberiade.

QVo tempore Iustinianus imperium obtinebat, erat quidam inter Iudæos princeps, Theodosius nomine. Hic cùm familiariter admodum vteretur argentario Christiano, cui nomen erat Philippo, qui ipsum crebrò ad amplexandam Christianam religionem hortabatur: tandem ingenuè fassus est, se nihil dubitare, quin Iesus, quem nos Christiani colimus, is sit, quem sacri vates mundi Seruatorem prædixerunt: verùm se animum inducere non posse, vt abdicatis, quibus nunc apud suam gentem fungitur honoribus, nomen suum IESV CHRISTO det. Vt autem ita de IESV Christo crederet, se non solùm sacrorum vatum oraculis persuasum esse: sed mysterio quodam, quod apud Iudæos in arcanissimis scriptum adseruatur, compertum habere, idque huiusmodi esse. Mos erat olim apud gentem Iudaicam, quo tempore ædes sacra in Hierosolymis extabat, viginti duos perpetuò sacerdotes (quot scilicet linguæ Hebraicæ elementa, & veteris testamenti libri numerantur) habere: & quoties de eo numero vnus aliquis mortem oppeteret, mox alium in defuncti locum allegere: allectumque in codicem, qui ad eam rem in æde seruabatur, cùm illius ipsius, tum parentis vtriusque expresso nomine, referre: notatis etiam tum defuncti, tum suffecti diebus.

Cùm itaque, quo tempore IESVS Christus in Iudæâ versabatur, necdum tamen sese prodere, veramque fidem propalàm docere cœpisset, mortuus esset quidam ex dicto Sacerdotum numero: nec post multa ac varia suffragia, quispiam satis idoneus esset repertus, qui in illius locum adscriberetur: tandem propositus est IESVS, Ioseph fabri (vt aiebant) filius, tanquam homo ætate quidem iuuenis, cæterùm & vita & moribus, & doctrinâ inprimis commendatus: atque hoc suffragio ab omnibus demum approbato, visum est matrem eius in consessum arcessere (pater enim obierat) cognoscendorum nominum gratiâ, quæ in codicem vt dictum est, describenda essent. Illa igitur accita, & de filio, eiusque patre sedulò interrogata, respondit: se matrem quidem IESV esse, atque ipsum peperisse: nam eius rei testes sibi esse eas mulieres, quæ, cùm pareret, præstò fuissent: patrem verò nullum illi in terris esse: quod ex me (inquit) quibus vultis, discite argumentis. Dum enim virgo in Galilæâ agerem, angelus Dei in domum, in quâ versabar, ingressus, non quidem dormienti, sed vigilanti mihi nunciabat, futurum vt e Spiritu sancto parerem filium: jubebatque nomen illi IESVS indere. Itaque virgo cùm essem, per eam visionem concepi: peperique IESVM, permanens virgo in hunc vsque diem. His auditis, sacerdotes jubebant adesse fidas obstetrices, easque summâ curâ explorare, an etiamnum virgo esset Maria. Illæ verò cognitâ veritate ex ipsâ re, affirmabant eam virginem esse. Aduenerunt quoque & illæ mulieres, quæ fortè fortuna adfuerant parienti, conspexerantque edentem infantem, quæ & ipsæ attestabantur, filium eius esse IESVM. Quibus rebus attoniti sacerdotes, denuo rogabant Mariam, vt liberè profiteretur, quibus esset editus ille parentibus, quò ea ipsa parentum nomina possent in sacerdotum album referre. Ibi rursus Maria: Ego, inquit, reuera eum peperi: verùm nullius conscia patris in terra, audiui ab Angelo filium Dei esse. Filius est igitur meus, & Dei. Sacerdotes ergo cùm hæc intellexissent, in allato codice scripserunt hæc verba: Eo die mortuus est sacerdos ille, illis natus parentibus: cooptatusque est pro illo sacerdos communi omnium nostrûm suffragio IESVS, filius Dei viui, & Mariæ virginis. Porrò hic codex è templi & vrbis excidio, à primatibus inter Iudæos viris magno studio ereptus est: asseruaturque in Tyberiade, &c. Tandem subijcit author, se hæc ab ijs audiuisse, qui è Philippi argentarij ore intellexerant. Suidas, de quo infrà.

Alia de Natiuitate Christi memorabilia.

CHristus natus fuit in media nocte, vt medio tenebrarum tempore, lux noua adueniens mundi tenebras illuminaret. Quod & factum fuit. Nam vt Damascenus scribit, nox media tempore natiuitatis Christi in claritatem diei versa fuit. Locus natiuitatis quoque notandus venit: nam natus est in Bethlehem, quod interpretatur domus panis, dicit enim Io. 6. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.

Romani templum Pacis tempore Romuli construxerunt, & statuam posuerunt, & petentes à Dijs, quantùm durare deberet, audierunt, donec virgo pariat. Quod impossibile arbitrantes, templum æternum fore putauerunt, ideoque in foribus inscripserunt, Templum Pacis æternum. Hoc autem in nocte dominicæ Natiuitatis, cùm Idolis corruit. Legitur etiam, quòd Hiere-

mias propheta in Ægyptum descendens post mortem Godoliæ, signum Regibus Ægypti dederit, quòd eorum Idola corruitura essent, cùm virgo filium pareret. Quod & factum fuit. Et scribit frater Bartholomæus, vineas & balsamum, flores fructusque eo tempore protulisse. P. de Natalibus.

De hac natiuitate etiam prophani: Balaam Ariolus, Orietur stella ex Iacob: Item Virgilius in Bucolicis.

Magnus ab integro seculorum nascitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia Regna:
Et noua progenies, cælo demittitur alto.

Item Sibylla Eryth: quæ fuit tempore Troianorum: In nouissimis autem temporibus, ait, humiliabitur Deus, & humiliabitur proles diuina, iacebit in fœno agnus, & officio puellari educabitur Deus & homo.

Item Boëtius de disciplina Scholastica scribit, quòd in tumba Platonis reperta est lamina aurea, in qua scriptum erat: Credo in filium Dei, nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, & die tertia resurrecturum.

Item refert Timotheus historiographus, se in antiquis Romanorum Chronicis reperisse, quòd Octauianus 35. anno Imperij sui Capitolium ascenderit, & quis post se Rempub. gubernaret, à Dijs quæsiuerit: responsum autem acceperit, quòd puer Hæbræus ex Deo viuente ante secula genitus, non multùm pòst ex intacta virgine nasciturus.

Prophetia de Christo antiquiss.

Constantinopoli, vel, vt alij scribunt, in longis Thraciæ muris contra Barbarorum incursus extructis, quidam homo fodiens, inuenit arcam lapideam, quam cùm expurgasset, & reuelasset: reperit virum iacentem: & conglutinatas in area literas Græcas, continentes hæc: CHRISTVS NASCETVR EX VIRGINE MARIA: ET CREDO IN EVM. SVB CONSTANTINO, ET EIRENE IMPERATORIBVS: O SOL ITERVM ME VIDEBIS. Alij aiunt, aureæ laminæ inscriptum fuisse. Eodem autem anno quo hæc inuenta sunt, Eirene cum filio Constantino ad annos decem regnare cœpit. Quidam à Platone, qui anno M. 3620. & 343. ante Christum natum mortuus creditur, positum putant. Diac. lib. 23. Sigeb. Gigas. Palmerius. F. A. D. 782.

Vaticinium cuiusdam Eliæ Rabbi Iudæorum, quod in Rabinorum

Sanhedrin & Abodazara, atq; etiam in quarta parte Talmud. lib. 2. de duratione mundi reperitur.

Sex millibus annorum durabit mundus, & postea destruetur.

2000. Inane. 2000. Lex. 2000. Christus.

De quo Ioannes Lauterbachius Poëta:

Annorum stabit tantùm sex millia mundus:
Pòst totus misso victus ab igne ruet.
Seruabunt nullam Domini duo millia legem:
Lex duo præscriptâ conditione reget.
Messiæ solitam tribuent duo cætera laudem:
Sed cursum rumpent ob mala nostra suum.

Notandum hic, nullam aliam religionem habere ita continuatam seriem Doctorum, atque Ecclesiam Dei: & semper ab initio mundi fuisse exiguum eius cœtum. Primus Concionator fuit in Paradiso ipse Deus, reuelans & arguens peccatum per vocem legis: vocans ad pœnitentiam Adam, Euam & posteros, accedens promissionem de semine contrituro caput serpentis, promittensq; per Euangelium remissionem peccatorum, iustitiam, Spiritum sanctum, & vitam æternam gratis propter filium Dei. Adfuit enim semper Filius Dei vnà cum Spiritu sancto Ecclesiæ Dei. Esaiæ 59. Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent à te. Sic Irenæus aduersus hæreses cap. 14. Ab initio assistens Filius suo plasmati reuelat omnibus Patrem, quemadmodum vult Pater.

Primi millenarij Ecclesia.

Primi millenarij Episcopus fuit Adam cum octo viris συνέργοις filijs & nepotibus: Abel, Seth, Cainan, Malalehel, Iared, Enoch, Mathusalem & Lamech, annis quibus vixit 930.

Secundi millenarij Ecclesia.

Post hos cùm homines per contemtum verbi Dei, in securitatem & contumaciam, quæ semper Ecclesiam Dei destruxerunt, laberentur: Noha per centum annos continuos, eos ad pœnitentiam inuitauit: sed cùm nihil proficeret, & Deus commotus diceret, pœnitere se quòd hominem creasset, diluuio totum genus humanum, quod 1657. annis steterat, excepto Noha cum 8. personis, deleuit.

Sem filius Nohæ, natus anno patris Nohæ 502. Anno mundi 1558. Hunc multi putant Melchisedecum regem Salem fuisse. Quod non est: Nam Epistola ad Ebræos negat sciri ortum Melchisedeci, quod de Sem dici non potest. Hic ergo est primus ordo Doctorum Ecclesiæ Dei, Patrum nempe qui durauit prioribus millenarijs duobus, annis 2118.

Ecclesiæ tertij millenarij fuerunt
Patriarchæ.

TErtij millenarij Episcopus fuit Abraham cum posteris Isaac, Iacob, Ioseph, Leui, Mose, Iosua, Ehud, Debora, Barach, Gideon, vsque ad Prophetas. Per hoc tempus iterum homines, licet ex seruitute Aegypti liberati, & Manna cœlesti per multos annos enutriti, tamen ex nausea eius, hoc est verbi Dei contemtu, securitate, ingratitudine & contumaciâ, Deum dereliquerunt, ac proinde puniti promissam terram Canaan non intrarunt. Faxit Deus Opt. Max. ne similem fortunam nostro hodierno tempore quoque experiatur securitas. Cùm enim illi propter nauseam & contemtum Mannæ, panis angelici, meritò prohibiti sint intrare in terram Canaan: sed in deserto cum ignominia, vita cum morte permutata succubuerint: ita malè verendum est & nobis, quando Euangelium & cœlestem doctrinam, his postremis temporibus per pios Dei viros Ecclesiæ (traditionibus & dogmatis humanis, dominandi & quæstus libidine, aliorumque vitiorum & abusuum sordibus defœdatæ & penè euersæ) restitutam adeo omnes negligunt, fastidiunt & aspernantur hodie, ne ex hoc beato Canaan, cuius lacte vino & melle hactenus vberrimè sumus freti, iterum turpiter eijciamur, &, vt quondam Israelitæ in ignominiosam captiuitatem à Babylonijs sunt abrepti: sic etiam nos à Turcis, & aris & focis nostris propulsemur. Durauit Patriarcharum gubernatio annos circiter 850.

Tertius ordo Ecclesiæ, Prophetarum.

TErtius ordo Doctorum Ecclesiæ Dei fuit Prophetarum: quam seriem à Samuele orditur Petrus Act. 3. Qui cœpit anno mundi 2850. Dauid rex & propheta, Anno mundi 2890. Nathan, Gad, Sadoch, Salomon, Anno mundi 2930. Ahias, Azarias, Semeias, Hiehu, cum sacerdotibus Sadoch, Achimeles, Asaph, Haeman, Ethan, filij Chore & alij.

Ecclesia quarti millenarij.

QVarti millenarij Episcopus fuit Elias, Elisæus, Micheas, Zacharias filius Ioiadæ, Esaias, qui ex regia tribu fuit: Christum enim 5. c. patruelem vocat. Cœpit anno 3162. Contemporanei fuerunt Ionas, Amos, Michas, Ioel, Oseas, Olda, Obed & Nahum. Hoc tempore sub Esaia iterum homines ex contemtu verbi Dei, impietate, securitate & contumacia puniti sunt, & Regnum Israel destructum, & per Salmanassarum regem in Assyriam translatum, & Esaias à Manasse Rege serrâ sectus fuit. Hunc sequitur Ieremias, & post hunc Sophonias, Habacuc, Abdias, Daniel, Ezechiel, Haggeus, Zacharias, Malachias qui & Esra Prophetarum postremus. Hic tertius Prophetarum ordo durauit annos circiter 600.

Quartus ordo Doctorum Ecclesiæ.

SVnt Duces & Sacerdotes post solutam captiuitatem Babylonicam, vsque ad Christum. Mardocheus anno mundi 3445. Vt Philo refert: Iesus, Hunc Philo putat authorem esse libri Iudith: Ioachim, Huic tribuunt librum Hester: Esras, Nehemias, Simon & Eleazar fratres filij Oniæ.

Hac ætate (quod etiam hodierno tempore durat) Pontifices & Sacerdotes cœperunt officio suo abuti, & non tam templo & Deo, quàm acquirendis opibus, honoribus & Regum fauoribus inseruire. Qui tunc grauiter à Nehemia reprehensi fuerunt. Illos secutus est Simon iustus, Onias filius, Mathathias, Iudas Maccabeus, Ionathas & Simon fratres filij Matathiæ, & Ioannes Hircanus.

Hoc tempore circa annum mundi 3830. ortæ sunt sectæ Pharisæorum, Saduceorum & Essæorum, & per eos doctrina iterum adeo obscurata fuit, vt apud paucos in custodia fuerit, videlicet Mathan auum Mariæ Virginis: deinde Ioakim, qui & Eli, patrem Mariæ Virginis. Eiusdem temporis Ecclesiæ membra fuerunt Simeon, Anna Prophetissa, Zacharias, Elisabeth, Maria mater Domini.

Durauit hic ordo Ducum & Sacerdotum, à captiuitate Babylonica vsque ad Christum, annos circiter 500.

Ecclesia quinti & sexti millenarij: Christus, Apostoli
& eorum Discipuli.

HOrum summus Pontifex & Sacerdos fuit, & est in æternum Iesus Christus, filius Dei cum Apostolis, Episcopis & pastoribus pijs.

mias propheta in Ægyptum descendens post mortem Godoliæ, signum Regibus Ægypti dederit, quòd eorum Idola corruitura essent, cùm virgo filium pareret. Quod & factum fuit. Et scribit frater Bartholomæus, vineas & balsamum, flores fructusque eo tempore protulisse. P. de Natalibus.

De hac natiuitate etiam prophani: Balaam Ariolus, Orietur stella ex Iacob: Item Virgilius in Bucolicis.

Magnus ab integro seculorum nascitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia Regna:
Et noua progenies, cælo demittitur alto.

Item Sibylla Eryth: quæ fuit tempore Troianorum: In nouissimis autem temporibus, ait, humiliabitur Deus, & humiliabitur proles diuina, iacebit in fœno agnus, & officio puellari educabitur Deus & homo.

Item Boëtius de disciplina Scholastica scribit, quòd in tumba Platonis reperta est lamina aurea, in qua scriptum erat: Credo in filium Dei, nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, & die tertia resurrecturum.

Item refert Timotheus historiographus, se in antiquis Romanorum Chronicis reperisse, quòd Octauianus 35. anno Imperij sui Capitolium ascenderit, & quis post se Rempub. gubernaret, à Dijs quæsiuerit: responsum autem acceperit, quòd puer Hæbræus ex Deo viuente ante secula genitus, non multùm pòst ex intacta virgine nasciturus.

Prophetia de Christo antiquiss.

Constantinopoli, vel, vt alij scribunt, in longis Thraciæ muris contra Barbarorum incursus extructis, quidam homo fodiens, inuenit arcam lapideam, quam cùm expurgasset, & reuelasset: reperit virum iacentem: & conglutinatas in arca literas Græcas, continentes hæc: CHRISTVS NASCETVR EX VIRGINE MARIA: ET CREDO IN EVM, SVB CONSTANTINO, ET EIRENE IMPERATORIBVS: O SOL ITERVM ME VIDEBIS. Alij aiunt, aureæ laminæ inscriptum fuisse. Eodem autem anno quo hæc inuenta sunt, Eirene cum filio Constantino ad annos decem regnare cœpit. Quidam à Platone, qui anno M. 3620. & 343. ante Christum natum mortuus creditur, positum putant. Diac. lib. 23. Sigeb. Gigas. Palmerius. F. A. D. 782.

Vaticinium cuiusdam Eliæ Rabbi Iudæorum, quod in Rabinorum

Sanhedrin & Abodazara, atq; etiam in quarta parte Talmud. lib. 2. de duratione mundi reperitur.

Sex millibus annorum durabit mundus, & postea destruetur.
2000. Inane. 2000. Lex. 2000. Christus.

De quo Ioannes Lauterbachius Poëta.

Annorum stabit tantùm sex millia mundus:
Pòst totus misso victus ab igne ruet.
Seruabunt nullam Domini duo millia legem:
Lex duo præscriptâ conditione reget.
Mesiæ solitam tribuent duo cætera laudem:
Sed cursum rumpent ob mala nostra suum.

Notandum hic, nullam aliam religionem habere ita continuatam seriem Doctorum, atque Ecclesiam Dei: & semper ab initio mundi fuisse exiguum eius cœtum. Primus Concionator fuit in Paradiso ipse Deus, reuelans & arguens peccatum per vocem legis: vocans ad pœnitentiam Adam, Euam & posteros, accedens promissionem de semine contrituro caput serpentis, promittensq; per Euangelium remissionem peccatorum, iustitiam, Spiritum sanctum, & vitam æternam gratis propter filium Dei. Adfuit enim semper Filius Dei vnà cum Spiritu sancto Ecclesiæ Dei. Esaiæ 59. Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent à te. Sic Irenæus aduersus hæreses cap. 14. Ab initio assistens Filius suo plasmati reuelat omnibus Patrem, quemadmodum vult Pater.

Primi millenarij Ecclesia.

Primi millenarij Episcopus fuit Adam cum octo viris συνέργοις filijs & nepotibus: Abel, Seth, Cainan, Malalehel, Iared, Enoch, Mathusalem & Lamech, annis quibus vixit 930.

Secundi millenarij Ecclesia.

Post hos cùm homines per contemtum verbi Dei, in securitatem & contumaciam, quæ semper Ecclesiam Dei destruxerunt, laberentur: Noha per centum annos continuos, eos ad pœnitentiam inuitauit: sed cùm nihil proficeret, & Deus commotus diceret, pœnitere se quòd hominem creasset, diluuio totum genus humanum, quod 1657. annis steterat, excepto Noha cum 8. personis, deleuit.

Sem filius Nohæ, natus anno patris Nohæ 502. Anno mundi 1558. Hunc multi putant Melchisedecum regem Salem fuisse. Quod non est: Nam Epistola ad Ebræos negat sciri ortum Melchisedeci, quod de Sem dici non potest. Hic ergo est primus ordo Doctorum Ecclesiæ Dei, Patrum nempe qui durauit prioribus millenarijs duobus, annis 2118.

Ecclesiæ tertij millenarij fuerunt Patriarchæ.

TErtij millenarij Episcopus fuit Abraham cum posteris Isaac, Iacob, Ioseph, Leui, Mose, Iosua, Ehud, Debora, Barach, Gideon, vsque ad Prophetas. Per hoc tempus iterum homines, licet ex seruitute Aegypti liberati, & Manna cœlesti per multos annos enutriti, tamen ex nausea eius, hoc est verbi Dei contemtu, securitate, ingratitudine & contumaciâ, Deum dereliquerunt, ac proinde puniti promissam terram Canaan non intrarunt. Faxit Deus Opt. Max. ne similem fortunam nostro hodierno tempore quoque experiatur securitas. Cùm enim illi propter nauseam & contemtum Mannæ, panis angelici, meritò prohibiti sint intrare in terram Canaan: sed in deserto cum ignominia, vita cum morte permutata succubuerint: ita malè verendum est & nobis, quando Euangelium & cœlestem doctrinam, his postremis temporibus per pios Dei viros Ecclesiæ (traditionibus & dogmatis humanis, dominandi & quæstus libidine, aliorumque vitiorum & abusuum sordibus defœdatæ & penè euersæ) restitutam adeo omnes negligunt, fastidiunt & aspernantur hodie, ne ex hoc beato Canaan, cuius lacte vino & melle hactenus vberrimè sumus freti, iterum turpiter eijciamur, &, vt quondam Israelitæ in ignominiosam captiuitatem à Babylonijs sunt abrepti: sic etiam nos à Turcis, & aris & focis nostris propulsemur. Durauit Patriarcharum gubernatio annos circiter 850.

Tertius ordo Ecclesiæ, Prophetarum.

TErtius ordo Doctorum Ecclesiæ Dei fuit Prophetarum: quam seriem à Samuele orditur Petrus Act. 3. Qui cœpit anno mundi 2850. Dauid rex & propheta, Anno mundi 2890. Nathan, Gad, Sadoch, Salomon, Anno mundi 2930. Ahias, Azarias, Semeias, Hiehu, cum sacerdotibus Sadoch, Achimeles, Asaph, Haeman, Ethan, filij Chore & alij.

Ecclesia quarti millenarij.

QArti millenarij Episcopus fuit Elias, Elisæus, Micheas, Zacharias filius Ioiadæ, Esaias, qui ex regia tribu fuit: Christum enim 5, c. patruelem vocat. Cœpit anno 3162. Contemporanei fuerunt Ionas, Amos, Michas, Ioel, Oseas, Olda, Obed & Nahum. Hoc tempore sub Esaia iterum homines ex contemtu verbi Dei, impietate, securitate & contumacia puniti sunt, & Regnum Israel destructum, & per Salmanassarum regem in Assyriam translatum, & Esaias à Manasse Rege serrâ sectus fuit. Hunc sequitur Ieremias, & post hunc Sophonias, Habacuc, Abdias, Daniel, Ezechiel, Haggeus, Zacharias, Malachias qui & Esra Prophetarum postremus. Hic tertius Prophetarum ordo durauit annos circiter 600.

Quartus ordo Doctorum Ecclesiæ.

SVnt Duces & Sacerdotes post solutam captiuitatem Babylonicam, vsque ad Christum. Mardocheus anno mundi 3445. Vt Philo refert: Iesus, Hunc Philo putat authorem esse libri Iudith: Ioachim, Huic tribuunt librum Hester: Esras, Nehemias, Simon & Eleazar fratres filij Oniæ.

Hac ætate (quod etiam hodierno tempore durat) Pontifices & Sacerdotes cœperunt officio suo abuti, & non tam templo & Deo, quàm acquirendis opibus, honoribus & Regum fauoribus inseruire. Qui tunc grauiter à Nehemia reprehensi fuerunt. Illos secutus est Simon iustus, Onias filius, Mathathias, Iudas Maccabeus, Ionathas & Simon fratres filij Matathiæ, & Ioannes Hircanus.

Hoc tempore circa annum mundi 3830. ortæ sunt sectæ Pharisæorum, Saduceorum & Essæorum, & per eos doctrina iterum adeo obscurata fuit, vt apud paucos in custodia fuerit, videlicet Mathan auum Mariæ Virginis: deinde Ioakim, qui & Eli, patrem Mariæ Virginis. Eiusdem temporis Ecclesiæ membra fuerunt Simeon, Anna Prophetissa, Zacharias, Elisabeth, Maria mater Domini.

Durauit hic ordo Ducum & Sacerdotum, à captiuitate Babylonica vsque ad Christum, annos circiter 500.

Ecclesia quinti & sexti millenarij: Christus, Apostoli & eorum Discipuli.

HOrum summus Pontifex & Sacerdos fuit, & est in æternum Iesus Christus, filius Dei cum Apostolis, Episcopis & pastoribus pijs.

Ex libro de Origine verbi Dei.

O Omni nomine beatissimum tunc æuum, quod ipsum filium Dei oretenus prædicantem regnum Dei audiuit, ipsosmet diuos Apostolos Spiritu sancto corporaliter cooperante, salutis æternæ ministros habuit: & pòst sanctitate pietateque illustres illorum Discipulos. Peccatis autem nostris, & pro tantis beneficijs ingratitudine vrgentibus, proh dolor exiguo ab hinc temporis interuallo, Ecclesiæ vndique omnigena ingruerunt mala, & maximam cladem tulerunt ei hæretici, hypocritæ, auari falsique doctores. Post tertium enim seculum à Christi resurrectione, sordibus & lue cœpit inquinari: Veruntamen Deus pro sua immensa clementia, & erga sponsam suam ardentissimo amore, semper suscitauit pios & cordatos viros, qui falsis dogmatis reclamarunt, Idololatricos & Antichristianos cultus ex verbo Dei oppugnarunt, impios & tyrannicos lupos à grege arcere nunquam desierunt: & mercenarios eiusmodi mundi seruos seriò subinde increpare, obiurgare, contundere & pudefacere sunt soliti, reformationem auidè à Deo precantes, & cum desiderio expectantes: quod omne præter alia memorabilia in hoc libro vbertim cognoscere ex infinitis penè autoribus licebit.

Menelpus & Akima.

M Arcomirus visionem habuit, imaginem cum tribus capitibus, Aquilæ, Leonis, & Bufonis cui Aquila dixit: ô Marcomire, caput meum progenies tua subiungabit, Leonem conculcatura, simulque bufonem occisura: per quam illi tria regna, Italia, Germania, Gallia promissa fuisse, Menelpus sacerdos & Akima fatidica tradunt. Ampliorem interpretationem habes apud VVassebûrgium in Austrasia: de quo infrà. F. ante natum Christum.

De C. Iulio Cæsare mira.

H Abuit C. Iulius Cæsar equum, cuius vngulæ fissæ in parte anteriore fuerunt, nec sessorem vllum præter solum Cæsarem admisit. Quod sine dubio Imperij Romani diuulsionem significauit. De quo Xiphilinus. Plinius de eo refert, quod fuerit vir animi vigore tanto, vt eius virtus, constantia, & sublimitas, omnium penè capax extiterit, quæ cœlo continentur: vtpote qui quaternas maximarum rerum librarijs dictare epistolas potuerit: qui collatis signis quinquagies dimicauerit: ac vndecies centum & nonaginta duo millia hominum prælijs suis præter ciuiles victorias occiderit. Animum habuit humano maiorem, semper ingentia, & infinita expetentem. Sed has virtutes longè superàrunt eius horrenda & execranda vitia: dum videlicet sibi genus à Dijs esse pro rostris effutijt. Conspirationem habuit contra Senatum: Pontificatum largitione occupauit profusissimâ, prodigorum, & luxuriosorum iuuenum subsidium, & fomentum: sacrilegus, perfidus, fœdifragus: abusus est dominatione & potestate: omnia sua pro legibus coli iubens: maioribus contemtis: Senatui se conuenienti non assurgens. Suetonius. Et quod omnium maximum est nefas, patriæ suæ Romanæ Reip: cui vni & se studere, & omnes debere omnia subinde iactitabat, ærarium publicum effregit: ex quo laterum aureorum sex & viginti millia: percussæ verò monetæ pondo trecenta millia, & laserpitij pondo centum & vndecim protulisse fertur: quæ omnia per gulam turpiter effudit, & in clandestinos sicarios, Patriæque & Senatus hostes distribuit. Diligens in pecunijs faciendis. Captus amore Cleopatræ in Aegypto commoratur, ingenti inde ipsi nato periculo: libidinosis amoribus plurimarum seruiebat. Dion Nicæus. Hominum feris obiectorum sanguine satiari non potuit: & in talibus spectaculis magnam pecuniam insumsit, &c. Plura nefanda facinora ab ipso Cæsare perpetrata, inueniuntur passim apud Historicos.

De imperio Romano à consulibus ad Imperatores

deuoluto: deq; Imperiorum periodis ex Platone.

P Aulò ante hæc tempora, cùm Roma sub Consulibus, multis annis feliciter imperasset, & iam ab alijs vinci non posset: ipsam sese vincere conabatur. Res miranda, & auditu stupenda: Romani domini quasi vnius matris & vrbis filij, se ipsos cum matre interficiunt: materque & filij intestinis furoribus euiscerantur. Iulius enim victo Pompeio, imperium ad se rapit. Sed cum Senatui potestatem suam, & honorem præriperet, & Tyranno similis administraret: in Senatu occiditur: & Octauianus Augustus fit Cæsar: sub quo nascitur Christus, anno mundi 3963. vrbis verò 752. Causam mutationum in imperijs habes apud Platonem, qui libr. 8. Politicorum scribit: causam esse, cur mutentur imperia, quia sesquitertia radix iuncta quinario, duas efficiat harmonias, vltra quas, cùm natura postea sequentes deteriores fugiat, circum actam periodum finire imperia. Et sentit idem Plato, à naturâ esse quendam ordinatum finem imperiorum: sicut in Musicis, vbi post διὰ πασῶν vlteriùs natura non progrediatur. Quemadmodum enim consonantiarum finis à natura ordinatus est, cùm ad διὰ πασῶν ventum est: ita verisimile est, quasi perpetuâ harmoniâ musicâ subinde noua imperia exoriri, ruen-

tibus

tibus prioribus, cùm præstantiora deficiant: donec rursus fatali aliqua lege fiat restauratio. Hæc de Imperijs Plato. Quid autem statuat de diuinitate, de eo infrà apud Ysoum Nicolaum de Lyra agetur. Vixit Plato anno mundi 3572. Sed quia de imperijs hoc loco facta est mentio, considerandum quoque venit illud Caij Crispi Salustij: Imperium ijsdem artibus retineri, quibus ab initio partum est.

Sic cùm originem Romæ dira, & cœlestia & terrestria prodigia exhorruerint: positum cœli (vt annotauit Lucius Taruncius Astronomus) habuerit ominosissimum die, quo fundamenta eius jacta sunt, 21. Aprilis: & statim parricidio Amulij, fratricidio Remi, & multorum hominum maxima strage: nec non & proditionibus, incestibus: (Romulum enim & Remum conditores vrbis peperit Rhea vestalis, teste Othone Frisingense, à sacerdote compressa, enutriuit lupa, vnde adhuc lupanaria, autore Eutropio, nomen obtinuerunt, seu scortum publicum Accia Laurentia) tyrannide: & terribilibus ostentis ac portentis, imbribus sanguinis, pestilentia, morte subitanea, sterilitate agrorum, & frumentorum annonæ summa inopia, & geminis Solis Eclipsibus maximis, vna scilicet concepto, altera mortuo Romulo, Rege eius primo, exordia sumserit; facilè est cuique hinc conijcere, qualem finem sit acceptura.

Notandum autem est, fuisse eundem exitum Romuli Cæsaris. Nam cùm Romulus ciues cœpisset despicere, ex plenitudine potestatis solus judicium, & imperium, non regiè, sed tyrannicè exercere, ciuesque de celsa rupe præcipitare: in Senatu eum occiderunt: & diuiso corpore in frustra, ne cadauer ampliùs conspiceretur, quisque partem sub amictu clam domum detulit: raptumque in cœlum à patre Marte dixerunt. Eodem modo cum Cæsar statuam suam inter Reges locaret, in curia solus sede aurata vteretur, diuinos honores appeteret, omne quod loqueretur, pro lege haberi vellet, nemini nec Senatui quidem assurgeret à sexaginta coniuratoribus, viginti & tribus vulneribus, in Senatu confossus occubuit, annorum 56. Romulus autem 55. annorum. Circa Cæsaris interitum stella crinita apparuit septem diebus. Perijt igitur vterque arrogantiâ & crudelitate. Dion, Tranquillus, Plutarchus, Ausonius, Sueton: Xiphilinus, Plinius, Cuspin Dionys: Halicarnasseus.

Eundem cum his exitum vitæ sortitus est primus Tyrannus Nimrod. Krentzheimius.

Prodigia, ostenta, monstra & omina varia,

insignes illius temporis mutationes portendentia.

IN Capitolio multæ statuæ de cœlo tactæ, liquefactæque fluxerant, deiectæque erant, cùm alia simulachra, tum & Iouis, columnæ insistens. Præterea imago lupæ cum Remo & Romulo consecrata, ceciderat. Literæ etiam in columnis, in quibus inscribebantur, confusæ atque obliteratæ erant.



Sacellum quoddam Iunonis, ab Oriente ad Septentrionem conuersum erat: saxque à Meridie erumpens, ad Aquilonem perrexerat: lupus in vrbem intrauerat: aliquot ciues de celo tacti: tumultusque sub terra in monte Latio exauditus erat.

In ipsa vrbe, lupi, noctuæque frequentes apparuêre, terræmotus cum mugitibus editi sunt: ignis ab occidua parte cœli in Orientalem perlatus est: ignis ædificia absumsit: Sol totus deliquium pertulit: Sceptrum Iouis, galeaque Martis in Capitolio reposita, itemque columnæ, in quibus leges extabant, de cœlo tactæ sunt. Multa item animalia partus monstrosos ediderunt, oraculaque quasi Sibyllina cecinêre: multi furore diuino correpti, futura prædixerunt.



Ante

Ante pugnam Pharsalicam quæ contigerint.

FVlmina in Pompeij castra deciderant: ignis in aëre supra vallum Cæsaris visus, in castra Pompeij decubuerat: signis eius militaribus apes insederant. Adeò huius pugnæ prædictiones se ad reliquos quoque homines extulerant, vt multis in locis eo ipso die quo ea commissa fuit, exercituum conflictus, armorumque strepitus exaudiri sint.

Pergami, tympanorum, cymbalorumque sonitus à fano Bachi ortus, totam vrbem peragrauit. Trallibus in templo Victoriæ palma enata est. Syris duo iuuenes, pugnæ huius exitum annunciantes, nusquam postea comparuerunt. Sus fœtum Elephanti, præterquam pedes, similem edidit.

Cæsaris cædem præcesserunt.

EA nocte, quæ cædis eius diem præcessit, vxor eius, domum suam corruisse, virumque à quibusdam confossum, in sinum suum confugere, secundum quietem putauit. Cæsar in somnis sibi, se supra nubes sublimem fieri, ac Iouis dextram tangere visus est. Arma in eius ædibus sonitum maximum ediderunt, foresq; cubiculi sponte patuerunt.

Id quoq; post peractam cædem in omen tractum est, quòd sellam eius auream, cùm venire cunctaretur, ipse famulus curiâ extulit, existimans eâ posthac opus non futurum. Domo exeunte eo, statua quædam ipsius in vestibulo posita, sponte decidit, ac comminuta est. Oblatum libellum, in quo omnia, quæ in ipsius perniciem erant præparata, accuratè consignata erant, legere noluit, rem non necessariam eo contineri putans. Et vati quoque, qui iam antè ipsum, vt hanc diem caueret, monuerat, per iocum dicebat: Vbi ergo tuæ prædictiones. an non diem hanc, quam tu metuebas, næ nunc adesse vides? Isque aliud nihil respondit, quàm, adesse quidem eam diem, non tamen præterijsse.

Status Reipub. popularis euersionis signa.

COrui in Castoris templum inuolarunt, nominaque Consulum, Antonij & Dolobellæ, in tabella scripta, rostris exciderunt. Canes multi noctu, vrbem totam peruagati, vlulauerunt. Padus, cùm in adjacentes terras admodum exundasset, repentè retrocessit, magnamque serpentum multitudinem in sicco destituit: quæ omnia pestis vehemens consecuta est. Cella Romuli, cùm in ea Pontifices sacrum fecissent, incendio inde absumta est. Statua virtutis ante portam pacis in faciem decidit. Simius in fanum Cereris ingressus, omnia, quæ intus erant, confudit. Bubo in templum primùm Concordiæ, deinde in reliqua etiam ferè omnia, quæ sanctissima habebantur, delubra, deuolauit: ac cùm vndique exigeretur, in æde Genij populi consedit, ac neque captus est, & tardè omnino auolauit. Currus equestribus ludis Iouis fractus est, fax multos dies supra mare Græcum suspensa, in cœlum euolauit, & in positum trophæum concidit. Draco biceps, longus pedes 85. subitò apparuit, ac multis editis maleficijs fulmine ictus conflagrauit. Lupus viâ sacrâ in forum irruebat, ac homines occidebat. Cometa, cùm multos dies Vrbi imminens apparuisset, in faces abijt, & inde incendio magna pars ædificiorum, ac Romuli inter hæc tabernaculum conflagrauit, cùm in id corui carnes ignitas ab ara quadam raptas conjecissent.

Locustæ multæ in ipsam vrbem deuolantes, ab hirundinibus consumptæ fuerunt. Alpium vertices in se inuicem corruere, tresque igneas columnas emisisse visi sunt. Cœlum sæpius ardere apparuerat: multi simul cometæ exarserant: hastæ à Septentrione latæ in Romanorum castra decidere existimatæ: quædam statua Victoriæ in Germania hostem spectans ad Italiam sponte obuersa. Dion, Xiphilinus & alij.

Sibyllæ.

NEc non multa Sibyllæ (quod maximâ dignum est admiratione, cùm Ethnicæ fuerint) egregia vaticinia de Christi aduentu, & natiuitate scripserunt, & prodidêre: que quidem huc essent reponenda: verùm cùm omnia memorabilia, quæ de illis ex authoribus historiarum habemus, infrà in anno sub nomine Methodij reperiantur, hîc omittere volui, & non cum odiosâ repetitione bis apponere. Claruerunt antè natum Christum.

Midras tehilim.

HOc est, liber expositionum Psalmorum, vbi psalmo 108. legitur: Surge psalterium & cithara, surgam mane vel diluculo. Loquar de quatuor regnis. Surge in Bethel, vbi suscitasti nobis Missaël, Ananiam, & Azariam. Surge in Media, quia ibi astare fecisti nobis Mardochæum & Ester. Surge in Græcis, quia ibi astare fecisti nobis Hasmonai: id est, Machabæos, Mathathiam scil. & filios eius. Surge in Edom, id est, in Romanis, cùm futurum est, vt astare nobis facias regem Messiam, de quo scriptum est, Surgam diluculo. Hæc omnia traditio. Ex qua luculen-

tiſsimè patet, quòd tempore quarti regni, id eſt, Romanorum, cùm ſcilicet vniuerſo orbi dominarentur, Meſsias venturus erat. Hæc à Rabinis referuntur, & recitat etiam Petrus Galatinus inſignis hebræus, in opere ſuo quod de arcanis Catholicæ veritatis inſcripſit. De quo infra.

Rabbi Selomo de miraculis, & prodigijs, tempore natiuitatis Christi factis.

COelum, & terra miraculis, & prodigijs, circa Chriſti natiuitatem mota fuit: in cœlo enim tres Soles, & ſtella prænuncians aduentum eius, apparuerunt: In terra bobus loquentibus, ſerpentibus per aëra volantibus, pueris ex matrum vteris proclamantibus, fœminisque in maſculinum ſexum mutatis, atque in Iudæâ ingenti terræmotu facto.

Picturæ ad Christi præsepe mysterium.

CVr à priſcis vſque ſeculis ad nos manauerit pictura, quæ Ieſu præſepi addit bouem & aſinum: habes huius myſterij pulchram interpretationem apud Prudentium: qui vixit vt infrà.

Regnum nequam.

IN libro Sanhedrin Cap. Helec legitur: Dixit Rabbi, Non veniet filius Dauid, donec dominetur regnum nequam (Gloſſa Rabbi Selomonis: id eſt, Romanum) ſuper Iſraël nouem menſibus, ſicut dictum eſt Micheæ quinto capite, Propterea dabit eos (Gloſſa Rabbi Selomonis: eos, id eſt, Iſrael) vſque ad tempus, quo parturiens pariet: (Gloſſa Rabbi Selomonis: et hi ſunt nouem menſes.) Idem in libro etiam, qui Ioma, id eſt, dierum appellatur, eodem modo habetur, & poſt illa verba: & reſiduum fratrum ſuorum conuertetur ad domum Iſraël. Quòd autem Romani ſuper Iudæos regnârint, habetur in libro, qui Auoda Zara dicitur, in Capite Liphne edehen, id eſt, ante eorum feſta, vbi ſic ſcriptum eſt: Dixit Abba, per 180. annos ante deſtructionem domus ſanctæ, dominatum eſt regnum nequam, id eſt, Romanum, ſuper Iſrael, hoc eſt, ſuper Iudæos.

Cùm igitur Meſsias tunc venire debuerit, cùm Romani nouem menſibus ſupèr Iudæos, vniuerſumque orbem dominati fuiſſent: Romani autem cùm maximè temporibus Cæſaris Auguſti, ſub quo Chriſtus natus eſt, & Iudæis, & vniuerſo orbi imperauerint: Meſſiam tunc veniſſe, manifeſtum & certum eſt. Ex libris Iudaicis Sanhedrin: Ioma, & Auoda Zara.

Rabenus Haccados, Rabbi Iodam, Rabbi Ibba, Rabbi Simeon, Rabbi Nehumias, Rabbi Ionathas Ben Vzielis: & Rabbi Simeon Iustus.

INter hos Rabenus Haccados, tempore Romanorum Conſulum, & doctrina & Spiritu prophetiæ claruit, ac multa miranda de Chriſto, & librum Galerazeia, id eſt, Reuelator ſecretorum, ſcripſit.

Reliqui permulta quoque de Meſsia, deque eius diuinitate, ſapienter reliquerunt, & Rabbi Simeon librum de inueſtigatione ſecretorum, in quo multa de Meſsia retexit arcana. Rabbi autem Nehumias illa, quæ à Prophetis occultè de Meſsia tradita fuerunt, cùm lympidiſsimè patefecit, tum etiam ſe ab eo tantùm 50. annis abeſſe aſſeruit. Vnde Haccanæ filio ſuo, quem Meſsiam ipſum viſurum dixit, epiſtolam de Meſsiæ myſterijs prodidit. Sed & Ionathas Ben Vziel, librum, quem Targum nominant, edidit: qui non minus fidei, quàm ipſe textus, ob viri ſanctitatem habet. Vnde de hoc Ionatha dixerunt Magiſtri, quòd in hora, qua expoſitioni vacabat, ſi muſca, aut quodcunque volatile ſuper eum, vel ſuper chartam volâſſet, illico abſque vlla eius, aut chartæ læſione, cœlitùs exuſtum fuiſſe. Simeon quoque iuſtus, in quo Synagogæ ſceptrum defecit, multa de Meſsia ſcripſit: & de cœlo à Spiritu ſancto edoctus fuit, ſe mortem non viſurum, niſi oculis Dei filium videret, quod & factum fuit. Huius multa præclara dicta in libris Talmudicis repetiuntur paſsim, vt ibi.

Templum Romæ.

Romæ templum est quoddam ad Diuam Mariam Transtyberinam. Ei nomen est, ad Sanctam Matrem apud fontem olei. In eo enim loco exorti sunt duo fontes scaturientes oleo ea nocte, qua Christus ex Maria Virgine fuit natus in mundum. Oleum defluxit in Tyberim. Iuxta aram in choro duæ sunt fenestræ munitæ transennis, ibi erant illi fontes. In Choro sepulti iacent Sancti, Calixtus & Innocentius Papæ, fundatores templi: multæque aliæ ibi monstrantur sanctimoniæ: singulis enim diebus illic adipisci licet cuique Indulgentias in ducentos annos: & in die Mariæ Matris mensis Augusti omnium peccatorum remissionem. Stephanus Blanck in libro de mirabilibus Vrbis Romæ, de quo infrà.

Deficiunt oracula tempore Christi.

Fvit natus Iesus Christus ipso die mensis Ianuarij: quo, vt Plinius ait, Bruma erat: literatiores hyemale solstitium vocant. Post illud tempus omnia oracula Deorum Gentilium, quorum suo tempore supra triginta millia fuisse Varro annotauit, conticuisse, atque defecisse: testes sunt etiam ipsi cultores Strabo, Plinius, Plutarchus, & alij: de quibus postea.

Stella quæ Magis apparuit, qualis.



Stella quæ apparuit Magis, non fuit ex ijs astris, quæ in principio facta fuerunt. Quod ex eo perspicuum est: quia aliquando quidem ex Oriente in Occasum peragebat cursum: aliquando verò ex Boreâ in Austrum, & quandoq; occultabatur: quandoq; manifestabatur: quod ordinationis & naturæ astrorum proprium non est. Io. Damascenus Orthodoxæ fidei libr. 2. Vixit circa annum Domini. 390.

Chalcidius Platonicus super Timæum Platonis.

Hic vetustissimus author Græcus vixit paulò post Christum natum: & dum varia de varijs stellis portentosa recenset, subdit deinde: Est quoque inquiens, alia sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet, ortu stellæ cuiusdam insolitæ, non morbos, mortesque prænunciatas, sed descensum Dei venerabilem, ad humanæ seruationis, rerumque mortalium gratiam: quam à Chaldæis obseruatam fuisse testantur, qui Deum nuper natum muneribus venerati sunt.

Magi.

Hi ex ortu nouæ stellæ Regem, & seruatorem totius mundi natum esse, verè ex astrorum doctrinâ eruditissimè judicârunt, & agnouerunt: & ex Oriente ea de causâ versus Ierusalem profecti, ad veram Messiæ olim promissi agnitionem, beneficio huius artis, DEO sic volente, & studia ipsorum comprobante, peruenerunt: & sic Magi priùs ex cœlis, quàm Iudæi ex scripturis cognouêre Christum. Rantzouius vir vt nobilitate & virtute, sic etiam doctrina nunquam satis laudatus: de quo postea.

De ijsdem.

Anno, quo Christus Saluator natus est, die 13. (vt Vincentius lib. 7. refert C. 91.) Magi ex Persia & Chaldæa venientes ex Sabæa regione, stella duce splendidissima Hierosolymam, Regi Iudæorum, aurum, thus, & myrrham obtulerunt: cuius rei miraculo, non tantùm Herodes & incolæ Hierosolomytani, verùm etiam tota Iudæa commota est. Hæc autem stella, vt Fulgentius memoriæ prodidit, fuit à cæteris discreta, locumq; habuit neq; in firmamento cum stellis minorib. neque in æthere cùm planetis: sed in aëre vicina terræ locum suum occupauit. Fulgentius: qui vixit anno Domini 500. vt infrà.

Aliud de Magis.

Basilius & Hieronymus volunt, Magos Chaldæos fuisse, atq; ex oraculis Sibyllæ Erythreæ percepisse, quæ Christum prænunciabant. Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus, & Leo Papa volunt Magos illos fuisse Persas. vt apud eos.

Ex libris Balaam diuinatoris.

MAgi isti ex libris Balaam diuinatoris, apparituræ stellæ Christi scientiam acceperunt, cuius diuinatio posita est & in veteri Testamento: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel: & dominabitur omnium gentium.

Erat autem quædam gens sita in ipso principio Orientis iuxta Oceanum, apud quam ferebatur quædam scriptura inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella, & muneribus ei huiusmodi offerendis, quæ per generationes studiosorum hominum, patribus referentibus filijs suis, habebatur diducta. Itaque elegerunt seipsos duodecim quidam, ex ipsis studiosiores & amatores mysteriorum cœlestium, & posuerunt seipsos ad expectationem stellæ illius. Et si quis moriebatur ex eis, filius eius aut aliquis propinquorum, qui eiusdem voluntatis inueniebatur, in loco constituebatur defuncti. Dicebantur autem Magi, linguâ eorum, quia in silentio & voce tacita Deum glorificabant.

Hi ergo per singulos annos post messem trituratoriam, ascendebant in montem aliquem positum ibi, qui vocabatur linguâ eorum mons Victorialis, habens in se quandam speluncam in saxo: fontibus & electis arboribus amœnissimus: in quem ascendentes & lauantes se, offerebant & laudabant in silentio Deum tribus diebus. Et sic faciebant per singulas generationes, expectantes semper, ne fortè in generatione sua stella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis descendens super montem illum Victorialem, habens in se formam quasi pueri paruuli, & super se similitudinem crucis: & locuta est eis & docuit eos, & præcepit eis vt proficiscerentur in Iudæam. Proficiscentibus autem eis per biennium, præcedebat stella: & neque esca neque potus defecit in peris eorum. Cætera autem gesta quæ referuntur de eis, in Euangelio compendiosè posita sunt. Tamen cùm reuersi fuissent, manserunt colentes & glorificantes Deum studiosiùs magis quàm primùm, & prædicârunt omnibus in genere suo. & multos erudierunt.

Denique cùm post resurrectionem Domini, Thomas Apostolus isset in prouinciam illam: adiuncti sunt ei, & baptizati ab eo, facti sunt adiutores prædicationis illius. Chrysostomus Tomo 2. homilia in Matth. 2.

Libri in sacris Biblijs memorati, injuriâ seculorum & bellorum interlapsi.

DE libro Bellorum Domini, mentio fit apud Moysen Num. 21. de libro justorum, Iosuæ 10. Hester citat libros Memorabilium: & Machabæorum liber, citat libros sanctos de Spartiatis. Et Paralipomenon commemorat libros Lamentationum, libros Samuelis videntis, libros Prophetarum Nathan, Gad, Semeiæ Haddo, Ahiæ Silonitis, & Iehu filij Hanani. Iudas in Epistola canonica, meminit libri prophetiarum Enoch. Citatur à fide dignis liber Abrahæ Patriarchæ: qui omnes periêre, & nusquam sunt, nec apud ipsos Iudæos. Item & Helias, Hozai, ac Ionas, & consimiles, plura conscripserunt, quæ nullibi habentur. Desunt item assumtio Mosi, Eldad, & Medad, Sophoniæ Prophetæ, Salomonis, & Dauidis, Zachariæ patris Ioannis Baptistæ, & aliorum volumina.

Collationes & præsagia.

NOta, quòd Babyloniorum & Romanorum regna similem ortum, progressumque in pluribus habuerunt. Regnante enim apud illos primo rege Nino, XLII. regni eius anno, Abraham ad quem prima de Christo est facta promissio, natus est: Regnante rursum primo apud Romanos Cæsare Augusto, XLII. item regni eius anno, promissus Abrahæ, cunctisque ille desideratus gentibus nascitur Christus. Notandum præterea, quòd Augusti regnum, regni Christi, qui eius temporibus est natus, in pluribus fuit prænuntium. Ille enim VIII. Idus Ianuar. ab Oriente rediens, regibusque sibi subiugatis, ac ciuilibus sedatis motibus, cum triplici triumpho in Vrbe suscipitur, Augustusque vocatur: iste natus humiliterque in carne latens, similiter eadem die, (id est, VIII. Idus Ianuar. quam nos Epiphaniam dicimus) stella duce, ab Oriente trinis adoratur muneribus, apparensque, qui antè latuerat, Augustus ac Rex Regum declaratur. Quod quidem tunc præfigurabatur: sed iam completum esse, Christum scilicet non solùm in cœlis regnare, sed & in terris regibus omnibus imperare, meridiana luce clariùs cernitur. Vnde pulchrè eâ, quâ hoc præfiguratum esse diximus, die, in laudem eius canit ecclesia: Ecce aduenit dominator dominus, & regnum in manu eius, & potestas, & imperium. Et in Offertorio: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Per hoc enim quòd dominator dominus vocatur, Augusti ei nomen attribuitur: per hoc verò quòd imperium & regnum in manu eius dicitur, imperatoria ei dignitas ascribitur: per hoc autem, quòd reges eum adorare, omnesque gentes ei seruire asseritur, monarchiæ apex, id est, singularis super totum mundum principatus, eius esse decernitur. Illis diebus largus olei riuulus in transtyberina Vrbis regione, fluxisse inuenitur: vt nasciturus in carne, qui super omnes reges oleo lætitiæ & exultationis Spiritu sancto vngendus foret, monstraretur. Otho Frising.

Tygris Romæ.

AVgustus primus omnium Tigrim mansuefactam, tempore Christi nati, ostendit Romæ, quæ caput orbis prædicatur. Quid autem in se portenti hoc habeat, cùm in multis per hunc Imperatorem adumbretur Christus, vt dictum: multùm disputatur à sapientibus, quos consulere poterit lector: suum cuique liberum sit hac in re judicium. Plin. lib. 8. cap. 17.

Marcus Manilius Astronomus.

13. IN Cypro plurimæ ciuitates terræmotu conciderunt. Germani à Lolio superantur. Tiberius Cæsar Vindelicos, & eos, qui Thraciarum confines erant, Romanas Prouincias facit.

Anno Christi decimotertio. Quintilius Varus, à Germanis, duce Arminio cæsus est: quam cladem varia portenderunt prodigia, inter quæ etiam cometa fuit. Postquam enim Manilius libro primo ostendit cometas, tumultus & bella tum externa tum intestina portendere, subijcit exemplum, dicens: Vt fœdere rupto, cum fera ductorem rapuit Germania Varum, Infecitq; trium legionum sanguine campos, Arserunt toto passim volitantia mundo lumina, &c. F. Imperatore vt suprà.

Horribilia prodigia.

16. SExto Pompeio & L. Apulio Coss. Sol totus hominibus deficere, & cœli magna pars ardere visa est: ignitæ trabes cadere de cœlo, & sanguinolenti cometæ visi sunt. Cùm propter valetudinem Augusti publicè supplicaretur, curia clausa reperta est, buboque, qui super eam consederat, cecinit, & fulmen, quod cecidit in statuam Cæsaris positam in Capitolio, primam literam è nomine Cæsaris deleuit. Ex quo aruspices responderunt, eum postero die participem fore alicuius diuinitatis. Idque conijciebant ex eo, quod prima litera eius, C. videlicet, centum apud Latinos: reliqua pars, Hetrusco sermone, Deum significabat. Eodem igitur die, vel postero, Augustus mortuus est, non tamen absque dati veneni suspicione. Suetonius. Lycosth. Imp. V. S.

Portentum.

22. TRedecim vrbes terræmotu conciderunt: Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Megaechicro, Cæsarea, Philadelphia, Himulus, Tomis, Cumæ, Mirthina, Appollonia, Diahircana. Eusebius, & Tacitus: Imp. 3. Cl. Tib. Nerone.

Matth. 15.

OMnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.



Lucæ 3.

IAm enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non ferens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. F. Imp. Cl. Tib. Nerone.

Ioan. 15.

OMnem palmitem non ferentem fructum, tollet: & omnem, qui fert fructum, purgabit, vt fructuum plus afferat.

Si quis in me non manserit, mittetur foràs, sicut palmes, & arescet: & colligent eum, atque in ignem mittent.

Luc. 13.

ARborem fici habebat quidam, plantatam in vineâ suâ: & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum, & non inuenio: succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?

Matth. 21.

CVm ergò venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis inutilibus? Certè malos perdet malè, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

Vaticinium simile ex alijs.

O Sacerdos, non attendis, quòd securis justitiæ diuinæ, jam ad radicem arboris vitæ tuæ posita est? hoc autem ape... mè noueris, quoniam iniquitates tuæ mox tibi cum vsura compensabuntur: & grauiùs quàm cæteri, punieris: nempe pro te, & subditis tuis pœnam lues. Cathar. Senensis. cap. 119. 128. & 129. De qua postea.

Aliud vaticinium simile.

VOs, qui pastores estis positi, & officij Apostolici successores: cur tam longum, periculosumque negligentiæ somnum agitis, & non celeriùs concurritis: obmutescitis, & non clamatis? Eia, & eia! ò patres, & domini! nunquàmne ob perditionis ignominiam, gens sancta, & regale sacerdotium, voce estis prophetæ connuncupati? Saltem ad hanc vocem meam pusillam iam desides confluite. Quoniam securis est iam posita ad radicem arboris. Ex aureo speculo, de quo infrà.

Ad Timoth. 2. cap. 3.

HOc autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi: & voluptatum amatores magis quàm Dei: Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & hos deuita. Resistunt enim veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed vltrà non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.

Ad Corinth. 2. cap. 6.


ECce nunc dies salutis, nemini dantes vllam offensionem: vt non vituperetur Ministerium.

Paulus in Act. Apost. cap. 20.

EGo scio, quoniam intrabunt post discessionem meam, lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: propter quod vigilate. Argentum, aut aurum nullius concupiui: beatiùs enim est dare, quàm accipere.

Pet. 1. cap. 5.

PAscite gregem Dei voluntariè, non turpis lucri gratiâ, neque vt dominantes. Ite, prædicate Euangelium: non dixit, equitate, aut regnate super populum meum.





Actor. 10.

CVm Cornelius obuiam venisset Petro, & procidens adoraret ad pedes eius: Petrus hoc ferre noluit, sed eleuauit eum, & dixit: surge, quia & ego ipse homo sum.



QVod nec Angelus ipse ferre potuit, Apocal 22. vbi legitur: Ego Ioannes postquam audiuissem & vidissem hæc, cecidi vt adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat: & dixit mihi, vide ne feceris, conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum, & eorum qui seruant mandata Domini, Deum adora.

Lucas Euangelista. Actor. 12.

CVm in Cæsaream descendisset Herodes, & in die solenni præclarâ veste & regiâ indutus, pro tribunali consedisset, ac de sublimi concionaretur ad populum: cumque populus acclamaret ei: Voces Dei, & non hominis: statim percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dederit gloriam Deo: & scatens vermibus expirauit. Quod etiam Iosephus affirmat.

Anno

Ad Rom. 2.

SEcundum duritiem tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in diem iræ, & reuelationis justi judicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.

Ibidem. Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras.

Matth. c. 23.

VÆ vobis, qui clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Super quo loco de nostri temporis Ecclesiasticis Auentinus lib. 4. An. Boiorum inquit: Homines suaues se æditous cœli faciunt, vbi nec fuerunt, nec sunt, nec vnquam erunt, nisi tandem nugari desinant. Vt infrà.

Matth. 5.

VOs estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltrà, nisi, vt mittatur forás, & conculcetur ab hominibus. Luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Dico enim vobis: Nisi abundauerit justicia vestra plùs quàm Pharisæorum, & Scribarum, non intrabitis in regnum cœlorum. Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester perfectus est.

Marcus Euangelista cap. 7.

IEsus respondens ait illis: Benè prophetauit Esaias de vobis hypocritis dicens: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me. Et in vanum me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum. Relinquetes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum: benè irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis.

Matth. 20.

SCitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut & filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemtionem pro multis.

Actor. 8.

TVnc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Quùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum, daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Cor tuum non est rectum coram Deo, pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, &c. Conferant nunc Papistæ suas nundinationes cum Simonis Magi nequitia, & inuenient planè idem. Fuit hæc prima Simonia in nouo Testamento, & inde dicti sunt Simoniaci.

Actor. cap. 2.

ET erit in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: & juuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terrâ deorsum: sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus.

Et omnis, quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit: de quo etiam Ioël, cap. 2.

Ioan. cap. 19.

QVærebat Pilatus dimittere Iesum: Sed cùm Iudæi clamarent dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: tunc tradidit eis illum, vt crucifigeretur.

Ioan. cap. 13.

VEruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter metum Pharisæorum non confitebantur, nè è Synagogis eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Quanta mala adhuc hodie etiam propter amicitiam Magnatum, potentiam, ventrem, metumque Iudæorum, in homines deriuentur, multorum Regnorum, plurimarumque animarum irreparabilia docent exitia. Vide infrà anno 346.

Matth. 24. Lucæ 21.



ET erunt signa in sole, & luna, & stellis: & in terris pressura gentium præ confusione: sonitus maris & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione eorum quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cœlorum commouebuntur: consurget gens contra gentem, & regnum in regnum: & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus omnia per loca. Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur.

Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Cùm enim videritis hæc omnia fieri: scitote quoniam propè est regnum Dei.

Collegeram illustrium ex veteri, & nouo Testamento exemplorum, & locorum permulta, quæ tanquam percommoda ad propositum volebam adducere: cùm verò viderem opus opinione ampliùs excrescere: pleraque demi, & in aliud tempus reseruaui.

Seneca.

30. HIc Neronis Præceptor tantæ memoriæ fuit, vt duo millia nominum eo, quo dicta ordine erant, mox recitaret: & ducentos versus à ducentis scholasticis recitatos, ab vltimo incipiens ad primum vsque integerrimè recenseret.

Tandem ingratus discipulus Nero iussit eum, vt ipse mortis genus, quod vellet, eligeret. Positus igitur in aquam tepidam, venas sibi aperiri fecit, & sic animam exhalauit. Inter multa scripsit: in sapientem nec iniuriam, nec contumeliam cadere posse. Item cur viris bonis multa accidant aduersa. A. V. S.

Infrà, lector, reperies exempla de quibusdam, qui eadem vel maiori potius memoriæ felicitate, ad 36000. nomina recitare potuerunt.

Senecæ de Indiarum inuentione per Hispanos anno sal. 1493. facta, vaticinium in tragœdia, quam Medeam inscripsit, clarissimum extat.

Venient annis secula seris:
Quibus Oceanus, vincula rerum
Laxet, nouosq; Typhis detegat orbes.
Atque ingens pateat tellus.
Nec sit terris vltima Thyle.

Philo Iudæus Græcus.

HIc in libro de Monarchia refert: Pontifici tunc temporis meretricem ne aspicere quidem licitum fuisse. Quid hodie? Imp. & A. V. S.

Idem.

Idem. Scribit etiam, pietatem nimijs ceremonijs adulterari: quod verisimè hoc nostro seculo accidisse, tot traditionum monstris, affirmare possumus.

Idem. Scribit præterea de mercede meretricis non recipienda in Sacrarium. Ad hoc quid hodierni illi respondebunt, qui multis millibus in suis ciuitatibus hospitia præbent, à quibus certam pecuniam annuam exigunt?

In quo non immeritò Christianorum deplorabimus sortem. Fornicationis enim scelus, quod etiam ipsis cæcis Ethnicis execrationi habetur, & à Christo & Petro, (quorum Vicarij & successores volumus esse) sub pœna æternæ damnationis strictissimè prohibetur, ecce adeò impiè & turpiter admittitur, vt etiam, proh dolor, non pudeat, in hanc rem publica & peculiaria prostibula & fornices construere, atque in clientelam suam censu constituto, recipere: & ita facinus hoc tetrum publico suffragio approbare.

Ibidem. De ædificatione Turris Babyloniæ & confusione linguarum, mysticam apud Philonem reperies interpretationem: quæ tamen ab alijs aliter, & à quibusdam de regno Papistico intelliguntur. Imp. 3. Cl. Tib. Nerone.

Mors Christi. 34.



IEsus Christus pro peccatis nostris passus & mortuus est hoc tempore.

Miracula tempore passionis Christi.

CVm dominus Iesus Christus voluntariè quidem se tradidit passioni, sed impiè à Iudæis apprehensus, & patibulo suffixus est: maximo terræmotu per orbem facto, saxa in montibus scissa sunt, maximarumq; vrbium plurimæ partes plùs solita concussione ceciderunt. Eâdem quoque die ad horam diei sextam, Sol in totum obscuratus, tetraque nox subitò obducta terris est, & sicut dictum est, impiaque æternam timuerunt secula noctem. Vsque adeo autem neque lunam lumini solis, neque nubes obstitisse manifestum est, vt 14. luna ea die tota cœli regione interiecta longisimè à conspectu solis abfuisse, & stellas tunc diurnis horis, vel potiùs in illa horrenda nocte, toto cœlo fulsisse referatur. Quod non solùm sanctorum Euangeliorum fides, sed etiam aliquanti Græcorum libri attestantur. Iam hinc post passionem Domini, quem Iudæi quantum in ipsis fuit persecuti sunt, continuæ clades Iudæorum, donec exinaniti dispersiq; deficiant, incessabiliter perstrepunt. Paulus Orosius: de quo postea.

Alia miracula, tempore passionis Christi. 34.

DVm Christus inclinato capite patri spiritum tradidisset, vt ex Euangelistis apparet: ab horâ sextâ vsque ad nonam, Sol amisit splendorem suum: quod eo tempore contra naturam erat. Nam primùm durabat Eclypsis tres horas integras: deinde non poterat esse naturalis, quòd luna eo tempore erat 14. & id o plena, & tunc in Oriente, quando sol in occidente. Ethnicorum testimonijs factus est etiam eo tempore (vt Eusebius refert) non in Iudæâ tantùm, sed etiam in Bitiniâ terræ motus, & in vrbe Nicænâ ædes plurimæ corruerunt. Et vt Phlegon Olympiadum supputator scribit, tanta fuit Solis defectio: vt dies fit in noctem versus, & stellæ in cœlo visæ: item, petræ scissæ sunt, mortui egresi de sepulchris, velum templi, quod ante sancta sanctorum erat, scissum est à summo vsque deorsum. Et fortè etiam velùm appensum ante fores templi, quod ad tegendas fores appositum dicit Iosephus, cum interiori scissum est. Nam in Euangelio Nazaræorum, superliminare templi infinitæ magnitudinis fractum esse legitur, auditasque voces in aëre: Transeamus ab his sedibus.

Dionysius Areopagita, Eusebius, Petrus Comestor, Vincentius lib. 8. cap. 45. Phlegon Olympiadum scriptor antiquissimus: & alij: de quibus infrà. Imp. Nerone V.S.

Dionysius Areopagita.

34. Athenis Dionysius Areopagita, cùm tempore passionis Christi, plenilunio, Solem tribus horis continuis deficere videret, exclamasse fertur: Aut Deum Naturæ pati, aut mundi machinam ruituram: & cum Philosophis suis communicato consilio, aram extruxisse cum inscriptione: IGNOTO DEO: Athenis autem hanc inscriptionem, cùm Paulus Apostolus legisset, Deum patefactum esse, dixisse: & illius Eclipseos causis expositis, Act. Ap. 17. Dionysium ad veri Dei agnitionem perduxisse: qui de hac Eclipsi in Epistola ad Polycarpum aduersus Apollophanem Sophistam multa scripsit, quæ breuitatis causa à me hic sunt omissa. Comestor.

Idem. Habetur epistola, sub Dionysij Areopagitæ nomine: in qua Eclipsis in passione Christi facta ita describitur: Eramus inquit, tunc ambo (Dionysius, & Apollophanes) apud Heliopolim, amboque simul incidentem (prout in eclipsib. aliàs fit) mirabiliter soli globum lunæ notabamus. Non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus: ipsámque rursus, ab horâ nonâ ad vesperam, ad Solis diametrum, in locum illi oppositum, supra naturæ vires restitutam. In memoriam autem illius reuoca & aliud quiddam, nempè, vt ipse non ignorat: eam lunæ incidentiam ab Oriente cœpisse, & vsque ad solaris corporis finem peruenisse, ac tum demum resilijsse, notauimus. Neque enim eâdem ex parte, vt assolet, & incidentia illa, & repurgatio facta est, sed ex aduerso diametri. Pugnat verò hoc cum eo, quod ex Comestore recitatum est superiùs. Putant quidam, neque hanc Epistolam, neque hunc sermonem: aut mundi corruet machina, eius esse. Epistola namque continet multa indigna ingenio tanti viri: judicium igitur sit penes lectorem.

Nero Imp. 3.

39. Hic Tyrannus, & turpis bestia sepultus, supra sepulchrum arborem habuit, quam dæmones insederant, locum custodientes: qui multos per eam portam egredientes ex vrbe, crudelem in modum lacerârunt. Stephanus Blanck de mirabilib. vrbis Romæ.

De eodem.

Nero in omnem lasciuiam & luxuriam prolapsus, Biberius Mero dictus fuit. Suetonius. Eutropius. Orosius & alij.

De eodem.


Imperatori Neroni in expensas centies centena millia aureorum, decreto senatus singulis annis subministrabantur. Genebrardus.

Portentosum.

Neronis tempore, quod est notabile, tacta de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus statuis simul deciderunt: quo ostento præmonstratum volunt, Cæsarum progeniem vnà cum Nerone eius gentis vltimo defecturam.

Caligula Imp. 4.

40. Caligula Imperator, cùm diuinos honores ex merâ superbiâ sibi adscripsisset, deorumq; vestes induisset: templum quoque sibi in vrbe faciendum curauit, & domum in Capitolio, quò posset vna cùm Ioue habitare. Sed indignatus posteà, quòd sibi habitanti cum Ioue, secundæ partes darentur, alterum templum in Palatio sibi ædificauit: & cùm Iouis Olympij statuam in suam formam transferre vellet, non potuit, eò quòd nauis quæ ad transuectionem eius parata erat, fulmine percussa est & fracta. Præterea, quoties ibatur ad eam statuam tangendam, multus risus audiebatur. Lycost: & alij ante eum.





Titus Fullonius. 44.

HVnc centum & quinquaginta annorum Bononiæ vixisse annotant Chronographi. Imp. 5. Tib. Cl. Druso.



De Petro Apostolo.

CVm mentio hic facienda sit Petri: iudicet lector ex Euangelicis patrúmque scriptis de vtroq; antiquo illo primo piscatore Apostolico, & secundo hodierno.

Hieron: de loco & sede Petri ait: Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

Idem. Locus ille, vbi cœlorum conditor natus fuit, sanctior est Tarpeia rupe: quæ de cœlo sæpè fulminata ostendit, quòd Domino displiceat. Exite de illa, facta est enim habitatio Dæmonum, ne sitis participes delictorum eius.

Idem. Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si autoritas quæritur: Orbis maior est vrbe Vbicunque est Episcopus, siue Constantinopoli, siue Alexandriæ &c. eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit: Omnes Apostolorum successores sunt. De Hieron: plura infrà Anno 390.

Chrysostom. Cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos Cathedram. Videte quomodo sedeatis super eam: Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui benè sederit super Cathedram, honorem accipit ab ea: qui malè sederit, iniuriam facit Cathedræ. Malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. Si benè docueris, & malè vixeris: Deum instruis, quomodo punire te debeat. Quicunquè desiderat primatum in terra,

inueniet confusionem in cœlo : nec inter seruos Christi computabitur , qui de primatu tractauerit.

Claudius Taurinensis Episcopus. Statuo inquit, Apostolicum esse eum, non qui sedem Apostolorum: sed qui eorundem potius officium & doctrinam amplectitur.

Nam & pharisæi, scribæ , & pessimi quique hypocritæ , Moysis optimi prophetæ cathedram occupauerunt, cùm inde nihil minùs quam vera Moysis præcepta docerent. De Claudio plura infrà 810.

Nazianzenus. Qui eandem doctrinam profitetur, eiusdem quoque throni particeps est: qui autem contrariam profitetur , aduersarius quoque in throno censeri debet : qui aliter succedit, morbum sanitati, tenebras luci, tempestatem tranquillitati, & dementiam prudentiæ succedere dicendum est. De Nazian: plura infrà Anno 332.

Marianus Scotus. Petrus, vt in gestis pontificum habetur , Clementem Episcopum consecrauit , atque cathedram & omnem Ecclesiam disponendam commisit , dicens: Sicut mihi gubernanda tradita est, à Domino Iesu Christo, potestas ligandi soluendique, ita & ego tibi committo , vt ordinans dispensatores diuersarum causarum, tu minimè in curis seculi: sed solummodo orationi & prædicationi deditus reperiaris. De hoc Mariano infrà Anno 1086. plura.

Ioh. Sarisb. Papam hodie nulla vocat electio , sed repugnante in membris Christo, ambitio cæca & cruenta , non sine sanguine fraterno intrudit. Quod quidem est Romulo succedere in parricidijs , non Petro in commissi dispensatione ouilis. De hoc Sarisb. infrà Anno 1140.

Bernhardus. Consideres Papa ante omnia : sanctam Romanam Ecclesiam, cui Domino auctore præes , Ecclesiarum matrem esse , non dominam : te verò non dominum Episcoporum , sed vnum ex illis. Habet Bernhardus plurima talia , de quibus infrà Anno 1140.

Ioannes Ferus Franciscanus , Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ concionator : Illud ingenuè fateor, ait, si successores Petri eo modo potestate sua fuissent vsi, quo Petrus , nemo Christianus eam potestatem impugnasset : quia autem plerique hac potestate abusi sunt , quemadmodum nemo est qui nesciat , hæc causa est & seminarium huius tumultus: neque spes est , hunc tumultum cessaturum, nisi tollatur causa.

Idem. Nihil tibi coram Deo profuerit , quòd in loco sancto habitas , nisi ipse quoque sanctus sis. Immò condemnatio tua hoc grauior erit & certior , si in loco sancto flagitiosè viuas , quemadmodum ab Isaia id prædictum est. Nec proderit tibi, quod rebus te sanctis occupas, si non ita vt oporteat facias. De Fero infrà anno 1540.

VVesselus. Oportet prælatorum præcepta tamdiu obseruare , quamdiu in cathedra Moysi sedentes , secundum Moysen docent : & si quid contrà vel extrà statuunt, non ligatur : Dei enim serui sumus , non Papæ. De VVesselo infrà anno 1455.

Ex tractatu cui titulus est: Threni Hieremiæ Mysticati, siue lamentationes Germ. Nationis infra anno 1526. O Petre Apostole, si iam viueres, vix campanator fieres: Si autem papa iam esses , quàm opulentus esses ? Oporteret te rursus negare Christum pauperem, aut deponi.

Ricardus Samson Cicestrensis Episcopus. Pontifex ait se Petri successorem esse , & ab hac successione auctoritatem accepisse : si adesset Diuus Petrus , negaret planè , & in hunc mendacem haud dubiè exclamaret : O quantum mutatus ab illo ? O virum ambitiosum , auarum , superbum , arrogantem ? An non docuit Magister meus humilitatem ? Nihil minùs arrogauit sibi Petrus , quàm eiusmodi primatum , quem exercuit nunquam : & ideo non exercuit , quia nunquam accepit. De hoc authore infrà suo loco.

Magister Alofresant vates ex Insula Rhodo. Qui neque Christi, nec Apostolorum opera exercent, quis vnquam sibi tales reliquit successores & vicarios? tempus igitur putationis iam aduenit. De hoc infrà anno 1394.

Iohan. Hus lib. de Ecclesia. Et quia Vicarius debet vicem gerere superioris , à quo accepit vicariam potestatem: ergò oportet , quòd in omnibus illi, cuius vicem gerit, in operibus conformetur. Nam aliàs potestas in eo frustraretur. Tunc ex illo formatur argumentum : Illius est homo , verus Vicarius , cuius vicem gerit , & à quo procuratoriam potestatem

legitimè accipit: sed nemo verè gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus: cùm nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter, nisi sub illâ conditione à Deo recipiat procuratoriam potestatem: igitur ad id officium vicarium requiritur & morum conformitas, & instituentis authoritas. Si ergò Papa est homo humilimus, mundanos honores, & lucrum seculi parvipendens: si est pastor trahens à pastu verbi Dei nomen, (de quo pastu, Petro dixit Dominus: pasce oues meas, Ioan. 21.) si pascit oues verbo, & virtutum exemplo, factus formâ gregis ex animo: (vt docet Petrus 1. Petri 5.) si est mitis, patiens, castus, & in ministerio Ecclesiæ laborans anxiè & solicitè, arbitrans omnia mundi temporalia, vt stercora: tunc sine dubio est verus vicarius Iesu Christi, manifestus Deo, & hominibus, quantum ad judicium extremum sensuale. Si autem viuit istis virtutibus contrariè, cùm non sit Christi communicatio ad Belial, 2. Corinth. 6. Et qui non est mecum, contra me est, ait Christus, Matthæi 12. Quomodo est verus, & manifestus Christi, & Petri vicarius? & non magis Antichristi vicarius, obuians Christo in moribus, & in vita? Vnde Christus Petrum, dum fuit sibi in voluntate, & verbis contrarius, Matthæi 16. post promissionem dationis clauium, vocauit Satanam, hoc est, aduersantem, dicens: Vade post me Satana, scandalum mihi es: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Si ergò Petrus, primus Christi vicarius ab ipso electus, & Ecclesiæ spiritualiter deputatus, vocatus est à Christo Satanas, qui ex affectu dilectionis dissuadebat ei mortis subire supplicia: cur alius in vitâ Christo ampliùs contrarius, non diceretur verè Satanas? & per consequens, Antichristus, vel eius vicarius, vel minister præcipuus Antichristi? Vixit Hussus anno 1414.

Posseuinus in Moschouia. Imperatori vel Duci Moschouiæ Magno, cùm Posseuinus persuadere vellet, vt abiecta Græca fide, Pontifices Romanos coleret: Moschus in maximo procerum consessu respondit se non in Græcos, sed Christum credere. Omnes Apostolos Christum prædicasse: sed nullum ex illis fuisse maiorem: Petrum & alios Pontifices sanctos se agnoscere: at verò qui eos secuti sunt, quia improbè vixerunt, quò nam modo Petro succedere, aut eadem auctoritate in Petri sede residere potuerint, non videre: pontificem Romanum pastorem non esse, quia crucem Christi pedibus apponit: in sella se gestari, & tanquam Deum adorari sinit, & quæ sequuntur: De quibus infrà anno 1581. plura.

Caluino Turcismus. Extat liber, hoc titulo Guilhelmi Reginaldi, à Guilhelmo Gifordo nuper editus. Vbi inter alia scribitur: Certè inquit, si Ecclesia eam retinuisset puritatem, quam à Christo eiusque Apostolis traditam recepit, nunquam Mahumetes Alcoranum suum scripsisset, nunquam à Deo tam multa Regna & prouinciæ ereptæ fuissent: Illudque manifestum & indubitatum est, Mahumetem à Deo fuisse missum, vt Christianos castigaret, eò quòd fidem illis sanctissimam à Christo Jesu & Apostolis traditam, nefariè corruperunt, & vitam egerunt nullo modo tam sanctæ professioni respondentem. Liber impressus Antvverpiæ cum Priuilegio Regis. De quo infrà anno 1597.

Quia de Petro primo & secundo, similia plurima in hoc opere recitantur: finem de eis hic faciam, si vnicum Platinæ pontificiæ sedis maximi propugnatoris apposuero. Is in vita Benedicti quarti sic scribit:

Accidit nostræ ætati, inquit, vt virtus in quouis hominum statu defecerit. Nam verum est, quod Crispus ait: quæ orta sunt occidunt, quæ aucta senescunt. Vt enim Imperium virtute initiò maximum habuit incrementum, verùm postea ignauiâ, splendor ille Romani Nominis, in obscuras tenebras conuersus est: Ita etiam accidisse Pontificali dignitati dicendum est. Sanctitate enim & doctrinâ, quæ non nisi magnis laboribus consummataque virtute comparantur, Pontificium decus sine vllis opibus primò quidem auctum est, inter tot persecutores: mox vbi cum ipsis opibus lasciuire cœpit Ecclesia Dei, versis eius cultoribus à seueritate ad lasciuiam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo principe flagitia hominum tum coercente, hæc portentâ: à quibus ambitione & largitione, sanctissima Petri sedes occupata est potiùs quàm possessa. De hoc etiam Sabellicus, Cornelius Cornipolitanus & alij multi, vt infrà.

Sic ergo hodierni à primis illis planè defecerunt, & portentis similes sunt. Vbi igitur toties ingeminata Paparum successio: vbi continuata fides & series?

De Eodem.

AN autem Petrus Romæ fuerit, nec nè: habes plurimos, qui id negant, adductis rationibus: Vlricum Velenum Minhouiensem, Iohannem Lelandrum antiquarium, Lyram, Manthanum, Hieronymum, Michaelem Cesenatem, Marsilium

Patauinum, Auentinum, Molinæum, Nigrinum, Schramum, & alios. Multi tamen propter quosdam patres, quorum authoritas magna est, cum quidem Romæ, non autem Episcopum, nec diu ibi fuisse, statuunt: de quibus omnibus infrà suo loco.

Arca Noæ.

Dicitur adhuc aliquam partem nauis, quæ in Armeniâ circa montem Chordicum resedit, inueniri, & homines ea ad expiationem vti. Berosus de rebus Chaldaicis. Vixit ante natum Christum.

Hieronymus Aegyptius in Antiquitatibus Phœniciæ: & Manaseas Damascenus lib. 96.

Est super Minadam (scribunt) excelsus mons in Armenia, qui Paris appellatur: in quo multos confugientes, sermo est, diluuij tempore liberatos, & quendam simul in arca vectum in montis Ocilæ summitatem saluum delatum: lignorumque eius reliquias multo tempore ibi consecratas esse. Vixerunt ante natum Christum.

Non possumus tamen sentire contra Scripturam, aliquem hominem tempore diluuij mortem euasisse, præter eos, qui fuerunt in arca: quos Scriptura tantùm octo fuisse tradit.

Dionysius Halicarnasseus.

Non venalia Romulus, neque forte diuendenda fecit sacerdotia: sed cuiusque ipse curiæ binos creauit, supra annum quinquagesimum natos, & genere excellentes, & simul virtute præstantes. Quid hodie? Vixit ante natum Christum.

Ex Romana historia memorabile.

Romanis duo erant templa contigua, & sic constructa, vt alterum Honori, alterum Virtuti esset sacrum: Honoris autem nullæ erant fores, quibus rectà pateret introitus, verùm virtutis: vt, si voluisses ire in Honoris fanum, transeundum priùs fuisset per Virtutis adyta. Hoc sanè innuebant Romani sapientiæ patres, aditum non vsquam alibi patere ad gloriam & dignitatem, quàm per virtutum semitam.

Vtinam nostri sacerdotes hodiernis temporibus, etiam hâc viâ in templa deducerentur, ne tam immaturè illabi liceret, aut intromitterentur in sancta sanctorum: nisi priùs cum laude iter & sudorem per delubra pietatis, sapientiæ, sobrietatis, castitatis & jeiunij (quod improbitas omninò ex albo Ecclesiasticæ disciplinæ sustulit & abrasit) confecissent: maioribus sanè vniuersi Christianismi profectus, & Dei se tolleret gloria rebus.

Iuuenalis.

60. *Seruabat castas humilis fortuna Latinas*
Quondam, nec vitiis, contingi parua sinebat
Tecta labor, somniq; breues, & vellere Thusco
Vexatæ, duræq; manus, ac proximus vrbi
Hannibal, & stantes Collinâ in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: sæuior armis
Luxuria incubuit, victumq; vlciscitur orbem.
Nullum crimen abest facinusq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.

Imp. 6. Domitio Nerone. & E. R. 1. Petro.

Monstrum.

60. Mulier quædam enixa est partu serpentem hoc anno. Tacitus Imp. & E. R. V. S.

Persius satyra secunda.

60. *Dicite Pontifices, in sancto quid facit aurum?*
Nempe, id quod Veneri donatæ à Virgine puppæ.

Imp. 6. Cl. Dom. Nerone. E. R. 1. Petro.

Nero nequam.

66. Anno 66. nequam Nero Imp. Romam sex diebus igne vastat, & eius incendij Christianos insimulat. Tacitus.

Osten-

Ostentum.

IPso hoc tempore expugnata fuit Hierosolyma, & Sol aliquot gradibus retrocessit. Fucherius Hist. cap. 21. Imp. & E. R. V. S. 70.

Mors Petri & Pauli.

HOc anno martyrio sublatos dicunt Petrum & Paulum: & Ecclesiam, quæ erat Hierosolymis congregata, diuinitùs monitam, vt in oppidum Pellam trans Iordanem se transferret. Euseb. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 5. Imp. & E. P. V. S. 70.

Prodigium.

LVcio Fonteio Capitone Vipsanoque consulibus, puer quidam octo annos natus. 45000. passuum à meridie transiuit ad vesperum. Iulius Solinus cap. 6. Item eclipsis solis facta est pridie Calend. Maij. F. Imp. 6. Dom. Nerone. E. R. 2. Lino. 70.

Prodigium.

MVlta signa atque portenta Romæ, & toto orbe facta: & in suburbano Romæ bos ad arantem locutus est, frustra se vrgeri: non enim frumenta, sed homines breui defuturos. Maria. Scot. de quo infrà. A. D. circit. 98. Imp. 14. Vlp Traian. Crin. Episcop. Rom. 3. Clemente. 98.

Mirum.

THepetion Gymnosophistarum dux senior, præcepit arbori vlmo, vt Apollonium Tyaneum salutaret: illa salutauit, distincta quidem voce, sed tenui, & fœminea. Philostratus in vita Apollonij. V. S. 98.

Flauius Iosephus Iudæus.

HIc Iosephus, omnem doctrinam Iudæorum edoctus, in qua Astrologia non fuit minima: Vespasiano patri, & Tito filio, non solùm eos terrarum dominos futuros, sed etiam se à captiuitate liberaturos, constanter affirmauit: & vt tanto magis fidem sibi adhiberent, vinculis se custodiri, vsque dum prædicta euenirent, petijt. Cùm autem nonnulli ex Vespasiani intimis dicerent, illi non adhibendam fidem, qui suam propriam captiuitatem ignorâsset: ipse affirmauit, se antè prædixisse. Quare de ea re Vespasianus inquirens, ita esse inuênit. Ergo illi fidem habuit: sed tamen custodiæ, vsque dum prædicta euenirent, tradi iussit. Postea verò, cum Imperator factus est, eum libertati restituit, cũ donis & honore dimissum & ornatum. Iosephus de seipso, viuente & sciente Cæsare Vespasiano, hæc scripsit: cui mentiri capitale fuisset. Imp. 14. Traiano crinito. Ep. Rom. 3. Clemente. 99.

Refert idem Iosephus: circa tempus quo natus fuit Moyses, quendam sacerdotem Ægypti diuinationibus intentum dixisse Regi: quòd circa pueros Hebræorum attenderet, quòd vnus nasci deberet, qui populum Israel de Ægypto educeret, & regnum Ægypti humiliaret. Qua re motus Pharao, iussit omnes Hebræorum filios in flumen proijcere, & interficere. Idem refert Lyra in Exodo, cap 2. & suprà eius quoque facta est mentio.

Idem scribit, Deum illustribus & prudentibus viris prolixiorem vitam largitum esse: tum quòd Deo chari essent: tum verò propter vtilitatem inuentarum scientiarum: quarum certitudinem assequi non potuissent, si minùs 500. annis vixissent.

Idem. Lib. 1. cap. 4. de antiquitatibus scribit: Posteros Sethi syderalem cognitionem excogitasse: & cùm scirent, Adamum vniuersalem rerum interitum præuidisse: vnum diluuio, non multò pòst futuro, definitum: alterum incendio reseruatum. Ne itaque inuenta suà ex hominum noticia dilaberentur, & priùs perirent, quàm pernoscerentur, excitatis duabus columnis, vna ex lapide viuo, & altera ex lateribus coctis: Vtrique ea, quæ à genitore suo acceperant, inscripsisse, quò si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta contineret, spectanda exhiberet: & addit Iosephus, fuisse sua ætate, qui dicerent, lapideam illam columnam tot seculis antè dedicatam, adhuc in Syria extare. De Gothorum baculis idem ferè habes infrà in Olæo M.

Idem. Lib. 8. Quin & Salomon eam artem diuinitùs consecutus est, ad vtilitatem & medelam hominum, quæ aduersus dæmones est efficax. Incantationes enim composuit, quibus morbi pelluntur: & coniurationum modos scriptos reliquit. quibus cedentes dæmones ita fugantur, vt in posterum nunquam reuerti audeant: atque hoc sanationis genus nunc vsque plurimum apud nostrates pollet. Vidi enim ex popularibus meis quendam Eleazarum, in præsentia Vespasiani & filiorum, & tribunorum, reliquorumque militum, multos arreptitios percurantem.

Modus verò curationis erat hic: Admoto naribus dœmoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicatæ: ad eius olfactum per nasum extrahebatur dæmonium: & collapso mox homine adiurabat id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Volens dein Eleazarus his qui aderant ostendere suæ artis efficaciam, non longè inde ponebat poculum aut polubrum aquâ plenum, imperabatq; dæmonio

ab homine exeunti, vt his subuersis signum daret spectantibus, quòd reliquisset hominem: quo fa-
cto nemini dubium erat, quanta fuisset Solomonis scientia & sapientia: quamobrem libuit hoc
quoq; narrare, vt omnibus nota sit eximia Regis huius natura, quamq; carus Deo fuerit, & in o-
mni genere virtutum excellentissimus. De hoc Iosephi loco viri docti variè sentiunt: vt apud eos.

Idem lib. 7. cap. 8. De bello Iudaico, ait, fuisse fœminam nobilem & diuitem, quo tempore Hie-
rusalem obsessa erat, quæ, quod è magnis diuitijs reliquum habebat, & penum non mediocrem in
domum quandam intulerat, & ex eo licet tenui frugaliter vixit, sed paulò pòst milites & stipendia-
rij abripiebant totum, adeò vt quicquid mendicitate sibi parârat, vt miseram vitam extraheret, isti
deuorauerint, ita vt tandem sentiens se grauiter fame pressam, & victu consilioq; vacuam, in legem
naturæ cœperit armare se, aspiciensq; quem lactabat, & vlnis complectebatur infantulum, exclama-
bat: O infelicissimæ matris filiole multò infelicior, quidnam de te porrò faciam in rebus his tam de-
ploratis? in perpetuâ Romanorum marcesces seruitute, adesdum ergò filiole, tu matri cibus esto, in
terrorem militum, qui mihi nihil reliquum fecerunt, & venturis seculis esto commiserationis μυ-
θολογία. Simulq; cum ijs verbis, filium suum mactat, affigit veru, torret, comeditq; medium, alte-
ramq; partem asseruat. Posteaquam verò miserabilem hanc lusit tragœdiam, curriculò ecce præstò
sunt milites, qui subodorati nidorem cibi assi, mortem mulieri comminantur, nisi obsonium hoc
exhibeat. Ipsa verò ad insaniam redacta, non aliud meditans, quàm vt filiolo fieret mortis socia, ni-
hil attonita, sed præsenti animo: Ohedum, ait, tacete amici, ego æquissima vobis semper extiti, &
nunc iustam vobis partem seruaui. Et his dictis, reliquam pueri partem assam eis protulit in mensâ,
quâ visâ exhorruerunt subitò, & velut obstupuerunt; tanto dolore animi sese exercitârunt, vt ob-
mutescerent victi. Ipsa verò contrà ardentibus oculis, vultu toruo, & seuero: quid, ait, amici horre-
tis, quid veremini, hic meus est fœtus, hic meus est infans, hoc facinus meum est, ego manducaui par-
tem vnam, quare non comeditis alteram? ego iam exaturata sum prior, anne vos me superstitiosi
magis, magisq; delicatuli eritis, quàm ipsa mater, quæ genui? an vos cibum aspernamini, quo ego-
met ante vos vsa sum, & etiam nunc prægustabo? Verùm ipsi non ferentes tam miserabile spectacu-
lum, diffugerunt, relictâ mulieri illâ ipsâ dimidiâ infantis particulâ, quæ sola erat, quam ex maxi-
mis eius bonis, & omnibus esculentis & poculentis, eidem reliquerant.

Idem, lib. 18. cap. 4. Antiquit. Imp. Tiberio regnante, Romæ Paulina quædam, & generis
splendore, & morum integritate præstans & ætate integrâ, & modestiâ ornata, nupta erat Saturni-
no, viro, nulla bonorum genere ipsâ inferiori. Huius amore captus Decius Mundus, inter Equites
dignitate præstans, mulieris pudicitiam muneribus solicitabat, CC. millia drachmarum Atticarum
pro vno concubitu offerens, eâq; recusante, amore magis inflammabatur adeò, vt abstinentiâ ci-
borum necem sibi consciscere institueret. Habebat autem paternam libertam, nomine Iden, omnis
generis malorum peritam. Eâ adolescentem sic affectum verbis confirmat, & pollicitationibus re-
focillat, ac sibi duntaxat quinquagies mille drachmis opus esse dicit ad rem conficiendam: quibus
acceptis, cùm illam pecuniâ non expugnari posse cerneret, sed cultui Isidis (ea tum à Romanis pro
Diuâ colebatur) esse deditissimam: quosdam falsæ illius Deæ sacerdotes conuenit, pecuniam offert:
vt Paulinam, quibus possint dolis, circumuentam, Mundo sui copiam facere cogant. Illi pecuniâ de-
liniti, facinus aggrediuntur, eorum natu maximus Paulinam seorsim conuenit: se ab Anubide, ipsi-
us amore capto, missum esse profitetur, vt eam accerseret. Mulieri ea verba optatissima acciderunt, si
à Deo amaretur: & nuncium illud cum marito communicat: qui gnarus modestiæ coniugis, eam ad
locum à sacerdote monstratum, vt Anubidis libidini seruiret, abire sinit. Cùm in locum venisset,
sub somni tempus, mulieri in ipsâ æde lectus paratus, lucernæ exstinguuntur. Mundus iam antea ibi
abditus, per totam noctem, sub Anubidis nomine, libidine suâ expletâ, discedit. Illa reuersa Annu-
bidis apparitionem marito narrat: apud familiares de congressu Dei gloriatur. Sed tertiâ post id fa-
cinus die, Mundus ei obuiam factus: Paulina, inquit, ducenta millia habeo, & tu mihi gratis gessi-
sti morem: Tua verò erga Mundum iniuria me non attigit, qui Anubidis nomen mihi ipse fecerim.
E quibus verbis mulier, intellecto facinore, vestibus laceratis marito insidias indicat. Is apud Tibe-
rium conqueritur. Imperator facinore comperto, sacerdotes & Iden in crucem tollit: Isidis simu-
lachrum in Tyberim demergit: Mundum in exilium agit, pœnam grauiorem ob amoris vim cle-
mentiâ moderatus. Factum est hoc circa annum Domini 30. sub Imperatore Ethnico Traiano:
Si idem à Christianis nostris hactenus in more positum fuisset: haud tot Anubides in Ecclesia Dei
sub habitu sacro latentes inuenti fuissent.

Idem lib. 2 c. 11. Ionathan summus Pontifex obiurgat Felicem Prætorem, ob quædam delicta:
ideoque Felix in eum odium concipit, & conducit sicarium, qui ipsum die quodam festo celebri
interimeret in turbâ populi hærentem. Hoc cùm impunè dimitteretur: alij ipsum imitati addidice-
runt, & quilibet suos aduersarios sic necauerunt: indeque plena homicidijs, & audaciâ esse cœpit ea
regio, donec tandem penitus interijt.

De fato. Iosephus & alij.

DE fato scripserunt varij varia: Iosephus lib. 8. antiq. cap. 1. Dion in colloquio Ciceronis cum
Philisco: Lucanus, Manilius, Augustinus de ciuitate Dei lib. 5. Antonius Muretus, Ouidius,
Cicero lib. 1. de diuinatione, Posidonius, Firmicus, Gellius lib. 6. cap. 2. Pontus, Q. Curtius lib. 5.
Quæ omnia etsi instituto meo essent accommodatissima: tamen breuitati studens releuanda puta-
ui, vnico Richardi Normani contentus loco, qui in hanc sententiam de fati prouidentia diuina
& prodigijs scripsit: Cùm Pompeius inquit post aduersum in Pharsalicis campis prælium,

in Ægyptum aufugeret, in itinere ad Cratippum Philoſophum diuertit, curioſeq; ab eo quæſiuit, an aliqua eſſet prouidentia, quæ res humanas moderaretur? Vix enim perſuaſum habebat, homines Deo curæ eſſe, cùm in meliori cauſa (ſicut putabat) victus fuiſſet. Cratippus percommodè & prudenter reſpondit: fatales eſſe Imperiorum periodos, nec vlli hominum datum, eorum terminum diuinitùs ordinatum vlteriùs promouere, & quæ ſequuntur. Cauſam mutationum in Imperijs ex Platone, habes ſuprà.

Idem. De prodigijs excidium Hieroſolymæ præcedentibus & præſagijs.



DEnique miſerabilis populus, illis quidem fallacibus Deumque calumniantibus, credulus erat. Certis verò prodigijs, & futuram ſolitudinem prænunciantibus, neque attendebant animo, neque credebant: ſed velut attoniti, nec aut oculos habentes, aut animas, edicta Dei diſſimulauêre: modò cùm ſupra ciuitatem ſydus ſtetit ſimile gladio: & per annum perſeuerauit cometes: modò cùm ante defectionem primique belli motus, ad diem feſtum Azymorum populo conueniente (octauus autem dies erat Aprilis menſis) nonâ horâ nocturnâ, circum aram, itemque templum, tantum lumen effulſit, vt clariſsimus dies putaretur: & hoc vſque ad mediam permanſit horam: quod imperitis quidem bonum augurium eſſe videbatur: ſacrorum verò peritis, priùs quàm eueniret, ſtatim dijudicatum eſt. Eodemque feſto die etiam bos, cùm ad hoſtiam duceretur, agnum in medio fani peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cùm eſſet ænea atque grauiſsima, & ſub veſperam vix à viginti viris clauderetur, ſeriſque ferro vinctis obferaretur, peſſulosque altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, vno perpetuo lapide fabricatum, viſa eſt noctis hora ſexta ſponte pateſcere. His autem curriculò per cuſtodes templi magiſtratui nunciatis, aſcendit ille, vixque eam potuit claudere. Verùm & hoc iterum ignaris quidem ſignum optimum videbatur. Deum namque bonorum portam ſibi aperuiſſe dicebant.

Prudentiores verò, templi tutamen ſponte ſua diſſolutum iri cogitabant: & hoſtium donum eſſe, portas aperiri: ſolitudinemq; illo oſtento ſignari inter ſe pronunciabant.

Poſt dies autem feſtos, diebus paucis, viceſimo primo die menſis Maij, viſio quædam apparuit fidem excedens. Pro fabula autem fortaſſe quod dicturus ſum haberetur, niſi qui viderunt ſuperſtiſſent, & clades dignæ præſagijs ſecutæ fuiſſent: Namque ante Solis occaſum, viſi ſunt per inane ferrei currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & ciuitati circumfuſæ.

Feſto autem die, quam Pentecoſten vocant, nocte ſacerdotes intimum templum, more ſuo ad diuinas res celebrandas ingreſſi, primùm quidem motum, quendamq; ſtrepitum ſenſerunt: poſtea verò ſubitam vocem audiere, quæ diceret, Migremus hinc. (idem dicunt quidam accidiſſe, quando Ieſus paſſus fuit)





Quod autem his horribiliùs fuit: Iesus quidam, filius Anani, plebeius & rusticus, quadriennio priùs quàm bellum gereretur, in summa ciuitatis pace atque opulentia, cùm ad festum diem venisset, quo ategias in honorem Dei componi in templo ab hominibus mos est, repentè exclamare cœpit: Vox ab oriente: Vox ab occidente: Vox à quatuor ventis: Vox in Hierosolymam & templum: Vox in maritos nouos nouasque nuptas: Vox in omnem, omnem hunc populum. Atq; hæc interdiu noctuque clamitans, omnes ciuitatis vicos circuibat.

Nonnulli autem virorum insignium, aduersum omen indignè ferentes, corripiunt hominem, multisque verberibus afficiunt. Ille autem neque pro se, nec ad eos qui se mulctabant, secretò quicquam loquutus, eadem quæ priùs vociferans, perseuerabat.

Magistratus autem rati, quod erat verum, magis diuinum esse hominis motum, ducunt eum ad Romanorum præfectum: vbi plagis vsque ad ossa laceratus, neque supplex cuiquam fuit, neque lacrymauit: sed vt poterat inclinans maximè flebiliter vocem ad singulos ictus respondebat: Væ væ Hierosolymis. Albino autem interroganti (is namque judex erat) quis esset, vel vnde ortus, aut cur ista diceret, nihil retulit. Non priùs autem cessauit a luctu miseræ ciuitatis, donec eum Albinus furere judicatum dimisit.

Ille autem ad belli vsque tempus, neque adibat quenquam ciuium, neque loqui visus est: sed quotidiè velut orationem quandam meditatus, Væ væ Hierosolymis, querebatur. Sed nec imprecatus est cuiquam, cùm in dies singulos mulctaretur, nec victum offerentibus benedicebat. Sola verò eius responsio ad omnes erat, triste præsagium. Maximè autem diebus festis vociferabatur: idque per annos septem & quinque menses continuos faciens, neque voce raucior fuit, neque delassatus est, donec obsidionis tempore ipsa re perspectis augurijs ipse quieuit. Supra murum enim circumiens iterum, Væ væ ciuitati, ac phano, ac populo, voce maximâ clamitabat. Cùm autem ad extremum addidisset: Væ autem mihi, lapis tormento missus eum statim peremit, animamque adhuc illa omnia lugentem dimisit. Hæc si quis reputet, profectò inueniet, Deum quidem hominibus consulere, modisque omnibus præmonstrare quæ sint eorum generi salutaria: ipsos autem ob dementiam suam, malis voluntarijs interire: quandoquidem & Iudæi post Antoniam captam quadratum phanum fecerant: cùm in sacris libris scriptum haberent, capiendam ciuitatem, ac templum, si fanum quatuor angulis esset effectum. Sed quod maximè eos ad bellum excitauerat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inuentum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso, Vespasiani designabatur imperium, qui apud Iudæam creatus est imperator. Sed enim homines fatum vitare non possunt, etiam si præuiderint. At verò hi signorum quædam pro sua libidine interpretati sunt, alia contempsere: donec patriæ excidio suaque pernicie, eorum iniquitas confutata est.

Deinde Titus Hierosolymis captis, incensisq;, ac maiori ex parte euersis: præsidio ad circumiectam regionem relicto, ad Euphratem vsque processit.

Iosephus & ante hunc Manethon, Mochus, Æstius Hesiodus, Elathius, Acusilaus Ephorus, Stathius Philenus, & Hellenicus.

HI describunt terras Orientales, & inter alia memorabilia multa, in historijs suis etiam mentionem faciunt eorum qui mille annis vixerunt. Quod ideò à Deo concessum fuisse asserunt: vt Astrologiam, Astronomiam, Geometriam & alias similes artes, quæ minoribus annis comprehendi non potuissent, faciliùs edifcerent. Horum etiam meminerunt Viterbiensis, Otho Frisingensis, Francus & alij.

Rabbi Simeon & Theophrastus peripat: de vitæ breuitate.

QVia hi authores, de vitæ breuitate scribunt: placuit hîc annotare, quæ de hac re referunt. Inter eos enim ille ait: Dies breuis est, & opus multum:

hic verò naturam accusasse fertur, quòd homini tam breuem vitam concesserit, qui ad cognoscendas tam multas res multis indigeret annis.

Portentum.

ANno post Christum natum centesimo, Sol ingentem eclipsin passus est: portendens, lucem sapientiæ & veritatis diuinæ, à Philosophia tetris caliginibus inuolutum & obscuratum iri. 100.

Dion.

TErræmotus Antiochiam penè totam euertit. Cæsar vix euasit. Imp. 14. Vlp. Traiano. E. R. 3. Clemente. 100.

Idem. Somnium habuit Cæsar, quo sibi cum matre coire visus fuit.

Idem. Venerem armatam gestauit Cæsar in annulo.

Abdias Babylonicus, & Iulius Affricanus.

FIngunt scriptum vetustum de vitis Apostolorum: quod tribuunt Abdiæ Bab. & alij Iulio Affricano. Sed omnia ficta esse, oratio indicat. 100.

Finit Centenarius primus.



CENTENARII PRIMI
IMPERATORES.

Notabit hic Lector, nos in Imp. & Pontificum vitis in fine centenariorum, Onuphrij: in ipso contextu verò & marginalibus, Funccij calculum vt plurimum insecutos fuisse.

Anni ante Christum.			Anni	Menses	Dies
47	1	C. Iulius Cæsar	4	2	15
30	2	C. Iulius Cæsar Octauianus August.	43	11	18
Post Christum.					
16	3	Ti: Iulius Cæs. August. German.	22	6	26
38	4	C. Iulius Cæs. August. German.	3	10	9
42	5	Tib: Claudius Cæs. Aug. German.	13	8	20
56	6	Nero Claudius Cæs. Aug. German.	13	7	28
69	7	Ser. sulpitius Galba Cæs. Aug.	0	7	7
70	8	M. Saluius Otho Cæs. Aug.	0	3	5
70	9	A. Vitellius German. August.	0	8	5
71	10	Cæs: T. Flauius Vespasianus Aug.	9	6	0
81	11	Titus Cæs. Vespasianus Aug.	2	2	20
83	12	Cæs. T. Flauius Domitian. Aug. Germ.	15	0	6
98	13	Cocceius Nerua Cæs. Aug.	1	4	9
99	14	Cæs. Vlpius Nerua Traianus, optimus Aug. Germ. Dacicus, Parth.	19	6	15

PONTIFICES.

44	1	Simon Petrus Cephas Apostolus.	24	5	12
57	2	Linus Volaterranus Thuscus.	11	3	12
68	3	Clemens Romanus.	9	4	26
77	4	Cletus Romanus.	6	5	3
84	5	Anacletus Atheniensis Græcus.	12	2	10
96	6	Euaristus Bethlehemites Syrus Græcus.	13	3	0

CONCILIA.

			Epis.	Sess.	Can.
48	1	Hierosolymitanum.			

ORDI-

ORDINES.

REperit natus Christus in mundo sectas primarias tres, quæ ante eius natiuitatem annos circiter 330. sub Ioanne Hircano Simonis filio emerserunt, & confirmatæ sunt. Vestitum habuerunt ab alijs sacerdotibus & Leuitis alienum. PHARISAEI erant inter eos facilè præcipui: interpretabantur sacras literas. Vnde & nomen, expositor & doctor, accepisse volunt. Alij eos à Pharez, id est, separatione, quia ab alijs separati esse voluerunt, deducunt. Vt etiam Hieronymus aduersus Luciferianos, & in quæstionibus Hebraicis, eos à dissidio sic appellari dixit. Hi vestes longas gestabant: pitacia chartarum in fronte gerebant, & in sinistro brachio, quibus Decalogus inscriptus erat: quod dixerat Dominus, Habebis quasi quid appensum inter oculos tuos, & in manu tuâ. Et hæc philacteria dicebantur, quæ dilatabant, vt magis essent conspicua, quæque purpurea dicit fuisse Epiphanius. De doctrina eorum alibi dicitur: & Christus ipse eos luculenter describit Matth. 23. & 15. Mar. 3. & Ioan. 11. Horum septem erant genera, vt habes in Iudæorum Thalmud: & vide apud Andr. Osiandrum c. 15. Harmoniæ Euang. De his quoque vide Iosephum lib. Antiq. 13. c. 23. In multis alijs, præcipuè tamen in eo Pontificibus nostris similes exiterunt, quòd Regibus infesti fuerunt, adeò vt eos etiam apertè impugnare non sint veriti. Ioseph. lib. 17. c. 3. SADDVCÆI à Zaddikim iusticia denominari voluerunt. De his vide Iosephum lib. Antiq. 13. c. 9. de bello Iud. lib. 2. c. 7. Matth. 22. Marci 12. Luc. 20. ESSÆI vel ESSENI ab Hebræo Assà, quòd salutem bonis hominum operibus acceptam ferant, non autem gratiæ Dei. De eis Philo de vita contemplatiua Essæorum. Et Plinius lib. 5. cap. 17. Iosephus de bello Iud. lib. 2. cap. 7. Ibi eorum leges & instituta reperies. De quibus quoque Philo, Euseb. lib. 8. de præparatione Euangelica, & Chemnitius in Examine Trid. Concilij. NAZARÆI etiam tum fuerunt: sed iam dictis multò vetustiores. De voce hac habes Gen. c. 46. & Deut. c. 33. De eorum institutis & moribus, Numeri 6. per totum caput. Et apud Cyrillum & Procopium in lib. numerorum. Sed & RECHABITÆ, & PROPHETARVM filij multò tempore Christum antecesserunt. De illis habes in lib. 1. Paralip. c. 2. In Ieremia, c. 35. & apud Hieronymum in epist. ad Paulinum de institutione Monachi. De his verò, Sam. 10. 2. Reg. 2. & 6. 2. Reg. 4. 1. Sam. 10. 4. Regum 2. & apud Hieronymum in epist. ad Rusticum. De quibus omnibus etiam plura infrà Anno 341.

VIRI DOCTI.

EVm ordinem hîc & postea sequemur: vt quidem excellentiores, eosque solùm qui sub hoc centenario floruerunt, annotare: reliquos qui allegantur, alio autem centenario vixerunt, ad vniuersalem indicem reseruare velimus.

Liber Balaam Diuinatoris.
Chalcidius Platonicus.
Phlegon Trallianus.
Chilius Higinus: qui poeticon Astronomicum scripsit, quod extat.
Marcus Manilius Astronomus.
Quintus Curtius.

Titus Liuius. Patauinitatem eius quam nos non gustamus, gustauit tamen Asinius Pollio: de quo infrà.

20. *Lucius Fenestella.*

Ouidius.

Velleius Paterculus.

Petrus Apostolus.

Seneca.

Philo Iudæus.

40. *Dionysius Areopagita.*

Persius.

Iuuenalis.

Pomponius Mela Hispanus de situ orbis.

60. *Valerius Maximus.*

Nicodemus Magister in Israël descripsit gesta Christi. Huius libri meminit Theodosius Magnus Imp. & ex hebraica translatum Hierusalem extare dicit.

Seneca Tragicus.

Columella de re rustica.

Euax Rex Indiæ scripsit de virtutibus gemmarum ad Neronem.

Manethon.

Cornutus de ærumnis Herculis.

Cato.

Lucanus.

80. *Musonius de optimo Principe.*

Asconius Pædianus.

Solinus: cuius extat Polyhistor.

C. Val. Flaccus Poëta: cuius extant libri Argonautici.

Silius Italicus Poëta de bello Punico.

Epictetus Philosophus.

Statius.

Frontinus scripsit libros stratagematum.

Dion.

100. *Abdias Babylonicus.*

Anno

LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS SECVNDVS.

Polycarpus discipulus Ioannis.



Olycarpus vixit Ignatij tempore. & ex ipso ore Apostolorum, tanquam purissimo fonte, doctrinam Euangelij hausit. De quo Irenæus: Hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat: & Ecclesiæ tradidit, quæ sola sunt vera. Et his testimonium dant, quæ sunt in Asia, Ecclesiæ omnes: & qui vsque adhuc successerunt Polycarpo. Marcioni Hæretico aliquando sibi Romæ occurrenti, ac dicenti: Cognoce nos, respondit Polycarpus: Cognosco te primogenitum Satanæ. Iren: contra hæres. lib. 3. c. 4. Crebrò exclamare solebat perturbatissimo spiritu: ô Domine, in quæ nos reseruasti tempora? Hist. Ecclest. lib. 4. cap. 24.

Plinius secundus.

Hic naturalis historiæ scriptor: cùm mons Vesuuius vertice ruptus, tantum incendij eijceret, vt regiones vicinas, & vrbes cum hominibus exureret: & hoc curiosiùs inuestigaret, mortuus est. Imp. 14. Traiano crinito. E. R. 4. Euaristo. 110.

Idem. Scribit hic admirabile quoddam: cor scilicet in nonnullis omninò fuisse desideratum. Idem notant Auicenna, Cælius Rhodiginus, & Bernhardus Telesius rerum naturalium lib. 5. c. 28.

Idem lib. 7. Val. lib. 8. cap. 14. Pandoræ Indiæ populi, vt refert Ctesias, in conuallibus siti, ducentos viuunt annos, in juuenta candidos habentes capillos, in senectute nigros.

Idem & alij. Plinius lib. 11. cap. 37. Nat. hist. Val. Max. lib. 1. c. 6. Plutarchus in parallelis. Cæl. Rhodig. lib. 4. c. 16. A. L. Eustathius, Beniuenius c. 83. de abditis. Lusitanus cent. 6. curat. 65. Ant. Muretus lib. 12. c. 10. variarum lect: scribunt, cor hirsutum in quibusdam inuentum. Quod Beniuenius non tantùm scelesti ingenij, sed quandoque etiam raræ fortitudinis signum dicit.

Idem. Hic refert lib. 7. cap. 56. vt etiam Ioan. Annius Viterbiensis in commentarijs librorum Berosi Chaldæi fol. 101.

Epigenem quendam fide non indignum testari: tabulas lapideas de coctis lateribus, in quibus scripta fuerint nonnulla de motu cœlorum, repertas esse 700. penè ante annos Regis Assyriorum Nini, & Græcorum Pharonæi Prisci.

Idem lib. 2. cap. 23. Tres Soles visi sunt in cœlo, qui sensim in vnum orbem coierunt.

Adsunt plura Plinij memoratu digna: sed breuitatis studio aliò reseruata.

Quadratus & Aristides.

Ambo hi Apostolorum discipuli, & prophetiâ celebres, scripserunt libros Apologeticos pro Christianis: & Imperatori Adriano obtulerunt. Imp. Aelio Adriano E. R. 5. Alexandro. 119.

Plutarchus Chæroneus.

Appellat Romam ἑπτάλοφον, septicollem. Habet enim septem montes, Palatinum, Capitolinum, Auentinum, Cælium, Esquilinum, Viminalem & Quirinalem: de quo etiam Propertius: 120.

Septem vrbs alta iugis, toti quæ præsidet Orbi.

Et Virgilius Maro:

Septemq; vna sibi muro, circumdedit arces.

Vnde Danielis 11. de Româ & Antichristo dictum volunt: Et figet tabernaculum suum inter maria, super montem inclytum & sanctum. Romam autem inter Tyrrhenum & Adriaticum mare sitam esse, nemo dubitat.

Idem in quæst. Rom. Vestalis virgo in incestu deprehensa, per portam Collinam Romæ, ceu mortua efferebatur, cum propinquorum suorum luctu, sequentibus mœsto cum silentio Pontificibus, atq; sacerdotibus. Prope portam locus fuit subterraneus, in quem scalis quibusdam descendebatur: in eum locum solam virginem demittebant, & scalæ auferebantur, locusque ipse occludebatur: &, ne fame necari videretur, panis, lactis, & olei nonnihil apponebatur, vnaque ardens lucerna. Quibus peractis, sacerdotes alij discedebant, parentabantq;. Eo die tristitia erat in tota vrbe, & mœror pauorq; non exiguus. Magnum enim aliquod malum, vestalium supplicium portendere putabant. O castitatem admirandam prioris seculi! Nam si hodierno die, Moniales aberrantes cum suis Monachis, eodem pacto puniendæ essent, subterranei loci vix sufficerent. F. Imp. 15. Traiano Ep. R. 5. Alexandro.

Serenus Granius.

126. Hic vir apprimè nobilis, literas ad Imp. Adrianum misit: quibus dehortatus est eum, ne clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concederet: & Christianis parceret. Quibus motus Adrianus, Minutio Fundano Asiæ proconsuli scripsit: sine obiectu criminum, Christianos non condemnandos. Extat hæc epistola lib. 4. c. 4. Hist. Eccles. & Eutrop. lib. 10. Imp. V. S. E. R. 6. Sixto.

Vaticinia Arebaldi Vechtani, Doraci, Caradoci, & Phedij.

128. Hi Francorum vates & historici fuerunt. Et scribit Doracus, teste Hunibaldo, quòd Romani Francos & pace & bello semper habuêre suspectos, tanquam futuros Imperij subuersores, Phædij oraculo dudum præmoniti: ac propterea totis sæpè viribus in eorum interitum, licet frustrà conspirasse. Tritheymius in Annal. V. S.

Galenus & Auicenna.

140. Libros horum doctissimorum virorum, qui extant, corruptissimos esse: Sed in cœnobio quodam ciuitatis Braunavv in finibus Bohemiæ (cum thesauro optimorum authorum) vt etiam in cœnobio Polphir in Borussia, perfectissimos reperiri scribit Theophrast. Paracelsus de pestilitate. Imp. 16. Antonino Pio. E. R. 8. Higino.

Auicenna.

Hic mulierem, 72. formatos partus edidisse refert. Et Albertus Magnus de alia quadam, quæ 150. pepererit, scribit.

R. Asse, R. Iudas, Liber Misna, R. Iohanan, Rab. Samuel, Rabina, Mor, Marmena, Victor Carcumensis, Antonius Margarita: Thalmud.

150. Librum Thalmud Ioannes Picus in Apologiâ circa annum 150. conscriptum affirmat. Sed Petrus Galatinus in opere de arcanis catholicæ veritatis ait: se in hebraicis literis inuenisse, per Rabbi Asse in vnum instar decreti reductum. Alij dicunt anno 120. per Rabbi Iudam Simonis filium, omnia scripta Iudæorum ante, & post aduentum Christi in vnum collectum fuisse volumen, quod Misna, id est: iterata lectio, dictum fuit. Anno verò à templi vastatione circiter 300. Rabbi Iohanan cum collegis Rab & Samuele ipsum Misna, & alia de hac re scripta in vnum colligens Thalmud Hierosolymitanum appellauit. Alij anno 436. à Rabbi Asse, & Rabinâ, quo nunc tota regitur Iudæorum Synagoga, Babylonicum Thalmud inceptum, & à Mor eius filio vnà cum Marmenâ confectum asserunt. Clemens Papa in Clementinis Tit. de Magistris, Thalmudicos libros, approban te concilio, publicè prælegendos statuit. vt ibi. Imp. V. S. E. R. 9. Pio primo.

De Origine Thalmud vide etiam Victorem Carcumensem, & Antonium Margaritam, Iudæos conuersos, viros pios, doctissimosq́;. Alij de origine Thalmud aliter sentiunt, vt infrà anno 282. & 402.

Hermes Pastor.

150. Hoc tempore neglectis sacris literis, fictis visionibus, & somnijs (quibus hic autor plenus est) quidam crediderunt: inter quos etiam fuit Papa Pius primus. Etsi autem author hic Purgatorio, & alijs erroribus initium fecit, & propterea ab Ecclesia damnatus fuit, teste Eusebio lib. 3. & Dist. 15. tamen videmus ob quæstum has nugas, posterioribus temporibus fuisse reassumptas. Hieronymus in prologo galeato: & Tertullianus lib. de pudicitia, libros Hermæ inter apocrypha & adulterina ponunt. F. Imp. 16. Antonino pio. Episc. Rom. 10. Pio. 1.

Athenæus Naucratita.

160. Hic vixit hoc tempore, autor Græcus, cuius infrà in Cyrillo fit mentio, & quædam eius scripta recensentur. Imp. V. S. E. R. Amicto.

Iustinus Martyr.

164. Ex hoc authore ab Ecclesia recepto, & approbato, maximè notandi & obseruandi sunt ritus veteris Ecclesiæ, in peragendis sacris, ex fine maioris Apologiæ. Cæterùm, inquit, quomodo nos Deo dicauerimus renouati per Christum, iam exponemus: ne quid malitiosè dissimulare videamur. Quotquot persuasi credunt, hæc quæ docemus, vera esse, & ad eum modum viuere pollicentur: ante omnia discant, precibus, & jeiunijs petere à Deo præteritorum peccato-

rum veniam, nobis vnâ preces, ieiuniaque iungentibus. Deinde ad aquam à nobis ducuntur: & renascuntur modo renascendi, quo & nos renati sumus. Nam in nomine patris omnium, Domini que Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti, in aquâ tunc lauantur. Dixit enim Christus ipse: Nisi renati fueritis, non intrabitis in regnum cœlorum. Et paulò pòst: Nos verò sic ablutum & institutum, ad alios fratres adducimus, vbi cœtus fiunt: vt tam pro nobis, quàm pro recens illustrato precemur: quò inueniamur per veram doctrinam & bona opera, digni obseruatores mandatorum, custodesque, & vt æternam salutem assequamur. Post precationem, nos salutamus osculo mutuo: deinde affertur præcipuo fratri panis, & calix aquâ dilutus: quibus acceptis, laudem & gratiarum actionem Patri omnium agit, per nomen filij, sanctique Spiritus: atque ita gratiarum actionem diu, quò prædicta impetret agit: post preces & gratiarum actionem, totus cœtus accinit, Amen. Ea vox Hebraica significat idem, quod Fiat.

Absoluta gratiarum actione præsulis, & ominatione totius plebis, Diaconi (quos vocamus) dant singulis præsentibus partem panis, & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio: atque etiam deferre sinunt absentibus. Hoc autem alimentum, apud nos vocatur Eucharistia: ad quod nemo admittitur, nisi qui credit, veram esse nostram doctrinam, ablutus regenerationis lauacro in remissionem peccatorum, & sic viuens, vt Christus docuit. Non enim vt vulgarem panem, & vulgare poculum hæc sumimus.

Die solis vrbanorum ac rusticorum cœtus fiunt, vbi Apostolorum Prophetarumque literæ, quoad fieri potest, præleguntur. Deinde cessante Lectore, Præpositus verba facit adhortatoria, ad imitationem rerum tam honestarum inuitans. Post hæc consurgimus omnes, & preces offerimus: quibus finitis profertur, vt diximus, Panis, vinum, & aqua.

Tunc Præpositus, quantum potest, preces offert, & gratiarum actiones: plebs vero, Amen accinit, Inde consecrata distribuuntur singulis, & absentibus mittuntur per Diaconos. Ditiores, si libeat, pro sua quisque voluntate conferunt, collecta deponuntur apud præpositum. Is subuenit pupillis, viduis, & propter morbum, aliámue necessitatem egentibus, vinctis quoque, ac peregrinis, & in summa curator fit omnium inopum. Conuentus autem hos die Solis facimus: quoniam hac die primùm Deus depulsis tenebris, formataque materia, mundum creauit. Iesus Christus quoque noster Seruator, eâdem die resurrexit à mortuis. Nam eâ, quæ proxima Saturni diem præcedit, crucifixus fuit: & proximè sequenti Saturni diem, Solis die videlicet, conspiciendum se Apostolis & discipulis præbuit, eisque suam doctrinam impertijt. Ex quibus clarè apparet, quid de Missâ, Chrismate, confirmatione, inunctione, communione sub vna specie, & alijs nouis figmentis, traditionibusque sit tenendum: Item cui Ecclesiæ, Papisticæ an verò reformatæ, supra scripti ritus potius conueniant. Imp. 18. Antonino Philosopho. Episcop. Rom. 10. Aniceto.

Egesippus Iudæus ad fidem Christi conuersus.

EGesippus, vir cùm pietatis, tum eruditionis nomine valdè celebris, floruit circiter 172. annis post Natiuitatem Christi. Is scribit (vt Eusebius 4. & 5. suæ historiæ refert) Ecclesiam vsque ad mortem Ioannis Apostoli, virginem fuisse, quam nulli hæretici contaminare potuerint: sed ab eius morte, errorem in eam, tanquam in desertam domum irruisse. Cur igitur quidam post tot secula à passione Christi elapsa, adhuc vociferari audent, nihil erroris in Ecclesia esse, nec Papam vnquam errâsse, aut etiam errare posse? Imp. Antonino 18. Philosopho. Episcop. Ro. 11. Sotere. 172.

Idem de bello Iudaico.

PEr annum fermè supra templum ipsum Cometes, ignis, & gladij quandam præferens similitudinem apparuit, qui denunciabat ferro & igni, gentis & regni, vrbisque ipsius vastitatem futuram. Quid enim similitudo gladij, nisi bellum? quid ignis, nisi incendium denunciaret?

Idem lib 4. Arsère terræ, ardent aquæ, in quibus cœlestis ignis reliquiæ cognoscuntur, atque adhuc manent. Spectes illic poma specie viridantia, formatos uvarum racemos, vt edendi generent spectantibus cupiditatem: si capias, fatiscunt, & resoluuntur in cinerem, fumumque excitant, quasi adhuc ardeant. Hæc de loco vbi Sodoma & Gomorra olim sita fuit. De quo etiam Daniel Ecklin in Itinerario.

Cataphrygan.

PSeudo prophetia, quæ Cataphrygân nominatur, hoc tempore ortum sumsit: authore Montano, Priscilla, & Maximilla insanis vatibus. Hist. Eccles. c. 27. F. Imp. & E. R. V. S. 174.

Tatianus aduersus gentes, Suidas, Plinius & Martialis.

HI mentionem faciunt nebulonis cuiusdam spurcissimi, qui impudicos libellos, quibus varia concubitus genera complexus est, conscripsit. 175.

Idem hoc nostro seculo imitatus est quidam ex sacro ordine (proh nefas) primarius Episcopus, & Legatus Pontificis Romani, Ioannes de Casa: qui in suo de hac re fœdissimâ, libro, non tantùm varios coitus cum fœminis modos: sed & diabolum ipsum, qui est Sodomia, descripsit, & summis laudibus celebrauit: de quo infrà. Imp. & E. R. V. S.

Apollonius.

179. Scribit hic, quòd monachus, qui non manibus aliquid operatur, & laborat, similis sit latroni, & prædoni.

Idem sentit & Mantuanus: vt infrà. Imp. 18. Antonino Commodo. Episcopo Rom. 12. Eleutherio.

Irenæus.

179. IRenæus vaticinatur: Diabolum tùm fore rectorem Ecclesiæ, quando omnia latinè perficientur. Imp. & E. R. V. S.

Idem. lib. 2. aduersus hæreses Valentini. Adhuc autem & falsum ostendit commentum, & instabile figmentum eorum etiam hoc ipsum, quòd per numeros aliquando quidem, & per syllabas nominum: aliquando autem & per syllabarum literas: aliquando verò & per numeros, qui secundum Græcos in literis continentur, tentant inferre probationes: apertissimè consternationem, siue confusionem, & instabilitatem scientiæ eorum & extortum demonstrantes.

Idem. lib. 4. cap. 44. Qui verò crediti sunt quidem à multis esse presbyteri: seruiunt autem suis voluptatibus, & non præponunt timorem Dei in cordibus suis: sed contumelijs agunt reliquos, & principalis concessionis tumore elati sunt, & in absconsis agunt mala, & dicunt, Nemo nos videt &c. Ab omnibus igitur talibus absistere oportet: adhærere verò his, qui & Apostolorum, sicut prædiximus, doctrinam custodiunt: & cum presbyterij ordine, sermonem sanum, & conuersationem sine offensâ præstant, ad informationem & correctionem reliquorum.

De Irenæo Erasmus scribit: eum ita loqui, vt qui nullum Purgatorium sciuerit.

Ibidem. In quinto contra hæreses libro, nomen Antichristi in Apocal. 13. explicat, & ratiocinatur, id fore nomen ΛΑΤΕΙΝΟΣ, quòd & literarum quantitas correspondeat numero DCLXVI indicato, & quòd LATINI, seu Romani, Imperium orbis terrarum tunc habeant. Cùm igitur Papa velit esse Latinus, seu Romanus, & in medio Latij dominetur, Ecclesiamq; suam Latinam nominet: Latinâ linguâ suas liturgias & Missas perficiat: solâ linguâ Latinâ & ipse vtatur, & vti omnes velit: Hebraicam autem, Græcam & vulgares hæreticas appellet: haud obscurè indicatur quis sit.

Idem. Ptolemæus Lagi filius, cupiens bibliothecam, quæ à se fabricata erat in Alexandria, omnium hominum dignis conscriptionibus compleri, petijt à Hierosolymis, in Græcum sermonem interpretatas habere scripturas eorum. Illi verò qui obaudiebant tunc adhuc Macedonibus, eos quos habebant perfectiores scripturarum intellectores, & vtriusque loquelæ, 70. seniores miserunt Ptolemæo, hoc quod ipse volebat.

Ille autem experimentum eorum sumere volens, & metuens, ne fortè consentientes, eam veritatem quæ esset in scripturis, absconderent per interpretationem, separans eos ab inuicem, iussit omnes eandem interpretari scripturam, & hoc in omnibus libris fecit. Conuenientibus autem ipsis in vnum apud Ptolemæum, & comparantibus suas interpretationes, Deus glorificatus est, & scripturæ verè diuinæ sunt creditæ, omnibus eandem, & eisdem verbis, & eisdem nominibus recitantibus, ab initio vsq; ad finem: vti & præsentes gentes cognoscerent, quoniam per aspirationem Dei interpretatæ sunt scripturæ.

Igitur verè impudorati & audaces ostenduntur, qui nunc volunt aliter interpretationes facere.

Firma est autem, & non ficta, & sola vera, quæ secundùm nos est, fides, manifestam ostensionem habens ex his scripturis, quæ interpretatæ sunt illo modo quo prædiximus. Etenim Apostoli, cum sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi & interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus, & Iohannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores, prophetica omnia ita annunciauerunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet.

Hæc de septuaginta interpretum versione Irenæus: at omnes ferè reliqui Patres refragantur, de quo suo loco postea.

Idem. Et non tantùm per ea quæ dicta sunt, sed & per ea, quæ erunt sub Antichristo, ostenditur: quoniam existens apostata & latro, quasi Deus vult adorari: & cùm sit Seruus, Regem vult præconari. Ille enim omnem suscipiens Diaboli virtutem, veniet non quasi Rex iustus, nec quasi in subiectione Dei legitimus: sed impius, & iniustus, & sine lege, quasi apostata, & iniquus, & homicida, quasi latro diabolicam apostasiam in se recapitulans: & idola quidem seponens ad suadendum, quòd ipse sit Deus, se autem extollens vnum Idolum, habens in semetipso, reliquorum idolorum varium errorem: vt hi, qui per multas dominationes adorant Diabolum, hi per hoc vnum idolum seruiant ipsi. De quo Apostolus in epist. quæ est ad Thessal. 2. ait sic: Quoniam nisi venerit abscessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollit se super omne, quod dicitur Deus, aut colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens semetipsum, tanquam sit Deus. Manifestè igitur Apostolus ostendit aduentum eius, & quoniam extollitur super omne, quod dicitur Deus, vel quod colitur super omne idolum. Hi enim sunt qui dicuntur quidem ab hominibus, non sunt autem Dij. Et quoniam ipse se tyrannico more conabitur ostendere Deum,

Et pau-

Et paulò pòst: Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me. Cùm autem alius venerit in nomine suo, illum recipietis: alium dicens Antichristum, quoniam alienus est à Domino: & ipse est iniquus iudex, ille qui à Domino dictus est, quoniam Deum non timebat, neque hominem reuerebatur: ad quem fugit vidua oblita Dei, id est, terrena Hierusalem, ad vlciscendum de inimico, quod & faciet in tempore regni sui: transferet regnum in eam, & in templo Dei sedebit, seducens eos qui adorant eum, quasi ipse sit Christus. Quapropter ait Daniel iterum, Et sanctum desolabitur. Et datum est in sacrificium peccatum, & proiecta est in terra iusticia, & fecit & prosperè cessit.

Et paulò pòst: Et vastabunt Babylonem, & comburent eam igni, & dabunt regnum suum bestiæ, & effugabunt Ecclesiam. Pòst deinde ab aduentu Domini nostri destruentur. Quoniam enim oportet diuidi regnum, & sic deperire, sicut Dominus ait: Omne regnum diuisum in se, desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa in se, non stabit. Et paulò pòst: Non est mirandum, si dæmonijs & apostaticis spiritibus ministrantibus ei, per eos faciat signa, in quibus seducat habitantes super terram. Et imaginem, ait, iubebit fieri bestiæ, & spiritum dabit imagini, vti & loquatur imago, & eos qui non adorauerint eam, faciet occidi. Et characterem autem in fronte & in manu dextra faciet dari, ne posit aliquis emere vel vendere, nisi qui habet characterem nominis bestiæ, vel numerum nominis eius, & esse numerum sexcentos sexaginta sex: quod est, sexies centeni, & deni sexies, & singulares sex: in recapitulationem vniuersæ apostasiæ eius, quæ facta est in sex millibus annorum. Quotquot enim diebus hic factus est mundus, tot & millenis annis consummatur. Et propter hoc ait scriptura Geneseos: Et consummata sunt cœlum & terra, & omnis ornatus eorum. Et consummauit Deus in die sexto omnia opera sua quæ fecit, & quieuit die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit. Hoc autem est & ante factorum narratio, quemadmodum facta sunt, & futurorum prophetia. Est enim dies Domini quasi mille anni. In sex autem diebus consummata sunt quæ facta sunt: manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.

Idem & alij post eum. Veteres quoque ante Irenæum ex Græco idiomate vocem hanc. λατεῖνος: & has, ἰταλικὰ ἐκκλησία significare Antichristum contendunt, quæ hunc numerum 666. efficiunt: nempe λ, 30. α, 1. τ, 300. ε, 5. ι, 10. ν, 50. ο, 70. σ, 200. Nam hi omnes numeri simul collecti efficiunt 666. Eadem etiam summa in his duobus vocabulis ex Græcorum arithmeticorum supputatione continetur, ι, 10. τ, 300. α, 1. λ, 30. ι, 10. κ, 20. α, 1. ε, 5. κ. 20. κ, 20. λ, 30. η, 8. σ, 200. ι, 10. α, 1. qui etiam simul additi reddunt 666. Et sanè res ipsa eos in hanc sententiam confirmabat, quòd in Italica Ecclesia, cuius caput semper Roma fuit, verissimum Antichristo regnum erigi iam tum videbatur, ex huiusmodi quoque initijs quæ tunc apparebant, firmissimum illic quoque fore, Dei spiritu impulsi boni illi viri vaticinabantur.

Iudas Chrongraphus.

Scribitur ab Eusebio, Hier: Platinâ, & Nauclero, Iudam hunc affirmasse: Antichristi aduentum suis temporibus certò futurum, ideo, quòd & vitia hominum, & crudelitas eò peruenerit, vt diutius tolerari humanum genus à Deo non possit. Imp. 22. L. Sept. Sev. Afro. Episc. Rom. 13. Victore. 200.

Clemens Alexandrinus, de Coniugio.

Dicunt autem, inquit, gloriosi isti iactatores, se imitari dominum, qui neque vxorem duxit, neque in mundo aliquid possedit: se magis quam alij, Euangelium intellexisse gloriantes. Eis autem dicit scriptura: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Deinde nesciunt causam cur Dominus vxorem non duxerit. Primùm quidem, propriam sponsam habuit, Ecclesiam. Deinde verò nec homo erat communis, vt opus haberet etiam adiutore aliquo secundum carnem. Neque erat ei necesse procreare filios, qui manet in æternum, & natus est solius Dei filius. Hic ipse autem Dominus dixit: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et paulò pòst: Iam de ijs, qui matrimonium abhorrent, dicit beatus Paulus: In nouissimis diebus deficient quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, prohibentium nubere, abstinere à cibis. Et rursus dicit: Nemo vos seducat volens in humilitate, & religione, & parsimonia corporis. Idem autem illa quoque scribit: Alligatus es vxori, ne quæras solutionem: solutus es ab vxore, ne quæras vxorem. Et rursus: Vnusquisque autem suam vxorem habeat, ne tentet vos Satanas. Quid verò? non etiam iusti veteres creaturam cum gratiarum actione participabant? Aliqui autem etiam liberos susceperunt, cùm continenter versati essent in matrimonio. Iterum aliquantò pòst, quem locum etiam Eusebius recenset: An etiam reprobant Apostolos? Petrus enim & Philippus filios procrearunt. Philippus autem filias quoque suas viris tradidit. 200.

Ecclesia Rauennas, Aquilegiensis & Mediolanensis.

HÆ Ecclesiæ multis annis restiterunt primatui Papæ vsque ad annum 900. Vnde facilè appareret, cum à principio primatum nullum habuisse, sed sua id arte comparasse. Ex Epistola etiam, quam Papa ad Vrsum ducem Venetum scripsit, quæ apud Sabellicum & Bonintendium extat, clarè Papa confitetur, Rauennatum Ecclesiam esse multarum Ecclesiarum caput. V. S.

Finit Centenarius secundus.



CENTENARII SECVNDI IMPERATORES.

Christi.	*Num.*		*Anni*	*Mens*	*Dies*
119	15	Cæsar Traianus Hadrianus August.	20	6	29
139	16	Cæsar T. Aelius Hadrianus Antoninus Augustus Pius.	22	7	26
162	17	Marcus Aurelius Antoninus Augustus solus:	19	0	21
		cum sequente.	9	0	0
162	18	L. Aelius Aurelius Verus Antoninus Augustus cum illo.	9	0	0
170	19	L. Aelius Aurelius Commodus Antoninus Pius Felix Augustus cum patre.	3	3	18
182		Solus.	12	8	15
194	20	P. Heluius Pertinax Augustus.	0	2	28
194	21	M. Didius Commodus Seuerus Iulianus Augustus.	0	2	5
195	22	L. Septimius Seuerus Pius Pertinax Aug.	17	8	3
200	23	M. Aurelius Antoninus Pius Felix Augustus cum patre.	13	0	0

PONTIFICES.

109	7	Alexander Romanus.	7	5	19
117	8	Sixtus Romanus.	9	10	9

127	9	Telesphorus Græcus.	10	8	28
138	10	Hygeinus Athenienſis Græcus.	4	0	0
142	11	Pius Aquileienſis.	11	5	27
153	12	Anicetus Humilienſis Syrus.	9	8	24
163	13	Concordius Soter Fundanus.	7	11	18
171	14	Habundius Eleutherus Nicopolitanus Græcus.	15	0	13
186	15	Victor Afer.	12	1	28
198	16	Habundius Zephyrinus Romanus.	20	0	17

Christi	Num.	CONCILIA.		Epiſ.	Seſs.	Can.
144	2	Laodicenſe I.	de Paſchatis die.			
187	3	Romanum I.				
	4	Cæſareæ Palæſtinæ.				
	5	Galliarum.				
	6	Achaiæ.				
188	7	Ponti.				
	8	Aſiæ.				
	9	Oſdroenæ.				

ORDINES.

Hoc centenario nulli reperiuntur ordines, apud Historicos.

DOCTI VIRI

Ignatius.
Papias.
Plinius ſecundus.
Quadratus.
Ariſtides.
Plutarchus.
Serenus Granius. 120.
Arebaldus: Vechtanus: Doracus.
Caradocus: Phædius: vates Francici.
Galenus 140. *annis vixiſſe legitur.* 140.
Thalmud.

Thalmud Hierosolymitanum & Babylonicum.
R. Asse.
R. Iudas.
Misna liber.
R. Iohanan.
R. Samuel.
Rab.
Rabina.
Mor.
Suetonius.
160. *Lucianus.*
Arrianus Historicus.
Aulus Gellius.
C. Ptolemæus.
Pausanias.
Diogenes Laertius.
Cornelius Tacitus, eques R. habet in latino sermone duriuscula quædam non imitanda: sed est grandis, audax, multumq; in eo inest spiritus.
Marmenas.
Hermes Pastor.
Athenæus Naucratita.
180. *Iustinus Martyr.*
Egesippus.
Cataphrygūn Montani Priscillæ, & Maximillæ Vatum.
Theophilus.
Tatianus.
Apollonius.
Iulius Pollux.
Lucius Florus.
Irenæus.
Iudas Chronographus.
Clemens Alexandrinus.
200. *Serapion.*

LECTIO-

LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS TERTIVS.

Polycrates Ephesiorum Episcopus. 203.



Victorem Papam ausus fuit increpare, vt qui fratres in Asia communione priuauerat: quòd in Paschatis obseruatione, morem à Romana consuetudine diuersum sequerentur: ita vt Ecclesia magnum tunc temporis pateretur naufragium, ob eius pertinaciam. De quo etiam Irenæus. Imp. 22. Seuero. E. R. 14. Zepherino.

Qu. Sept. Florens Tertullianus. Presb. Carthag. 209.

DE Româ, quòd sub mystico nomine Babylonis intelligatur à Ioanne, non obscurè Tertullianus lib. contra Iudæos testatur his verbis: Sic & Babylon apud Ioannem nostrum, Romanæ vrbis figuram portat & magnæ, & regno superbæ, & sanctorum debellatricis. Satis est ex Tertulliani testimonio nosse, in vaticinijs Apocal. per Babylonem notari Romam. Imp. & E. R. V. S.

Idem in apolog. c. 13. Gentibus obiecit olim Tertullianus: Dij verò (inquit) qui magis tributarij, magis sancti: imò qui magis sancti, magis tributarij. Item: exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri: non licet Deos nosse gratis, venales sunt? Quid, si nunc videret Tertullianus, sacrificulorum nundinationes? & omnia ab ipsis quotidie venum exponi, ait Petrus Viretus lib. cap. 17. de adulteratâ Cœnâ Domini: de quo infrà.

Idem de resurrectione carnis. Lucifugas scripturarum vocat illos, qui sine scripturis, proprijs opinionibus, & traditionibus inhærent.

Idem. Cypriani Martyris scripta (fuerunt enim coëtanei) in tanta veneratione habuit Tertullianus: vt nullum diem præterierit, quin aliquid in eo legerit. Dicere enim ad Notarium suum consueuerat: Da Magistrum, Tertullianum putans.

Idem. Libro de resurrectione carnis: Delinquentiæ homo, id est, Antichristus, filius perditionis, aduersatur, & super extollitur omne, quod Deus dicitur, vel religio: vt sedeat in templo Dei, affirmans se Deum esse. Nonne meministis, quòd, cùm apud vos essem, hæc dicebam vobis? Et nunc, quid teneat, scitis, ad reuelandum eum in suo tempore. Iam enim arcanum iniquitatis agitatur tantùm: qui tunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis, nisi Romanus status, cuius abscessio in decem Reges est dispersâ, Antichristi regnum superinducet? & tunc reuelabitur iniquus, quem Dominus IESVS interficiet Spiritu oris sui, & euacuabit apparentiâ aduentus sui. Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, atque portentis mendacij, & in omni seductione iniustitiæ, eis qui pereunt.

Idem lib. de præscript. hæret. Sed etsi confinxerint (hæretici) successionem: nihil promouebunt. ipsa enim doctrina eorum, cum Apostolicâ comparata, ex diuersitate & contrarietate suâ pronunciabit, neque Apostoli alicuius authoris esse, neque Apostolici viri. Quia, sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent: ita & Apostolici viri, non contraria Apostolis edidissent: nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt. Ad hanc igitur formam prouocabunt illæ Ecclesiæ: quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis viris, authorem suum proferant: vt multò posteriores, & quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eâdem fide conspirantes, non minùs Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ.

Origenes. 220.

HIc amore castitatis se castrauit: Nouum & Vetus Testamentum memoriter nouit: Iam senex Hebraicam didicit linguam: sex millia, quod impossibile videtur, Tractatuum scripsisse fertur: septem notarios, totidemque in scribendo puellas: præter alios iuuenes, omnes simul ex eius ore diuersa scribentes, incredibili agilitate fatigasse legitur. Trith. Imp. 23. Aur. Ant. Bas. Caracalla. E. R. 14. Zepherino.

Idem Origenes, in Homilia tertia in psalmum trigesimum sextum: Antichristum sagittam Diaboli dixit. Et habet quædam de eodem homiliâ octauâ in Ezechielem: vbi eum peiorem Diabolo facere videtur.

Tam ex hoc, quàm alijs patribus, plura habebam, quæ volebam adferre: sed cùm vrgentibus multorum incitationibus, maturarem opus ad prælum, & in relegendo tantam copiam ex illis offenderem, ita vt illustribus materijs, & autoribus multis locum præripuissent, si omnia apponenda fuissent: igitur ne in plures excresceret tomos liber, malui multa ex patribus in aliud tempus reijcere, quàm alios prorsus excludere.

Hildegastus Vates.

CLaruit his temporibus apud Hildericum regem, proceres quoque, & vniuersam multitudinem Francorum gentis, magno in precio Hildegast Philosophus, Consiliarius, Vates, & parens regum, senior, omnium doctissimus, qui sua tempestate miranda dixit, fecit & scripsit. Tantæque apud suos æstimationis & auctoritatis fuit: vt eius imperio cuncti semper obedirent. Imp. 25. Aurelio Vario Heliogab. E. R. 15. Calixto.

Hic die natalis Hilderici filij Sunnonis Francorum, stans in templo Iouis, apud Neopagum coram ipsius Dei simulacro, post preces pro impetratione vaticinij fusas, & absolutum sacrificandi officium, repentè furere cœpit (vt moris est dementatis) carmine alirunarum agitatoque capite ac manibus recuruatis, ita de victorijs Francorum (quibus olim sub regibus post Interregnum electis, à Romanis & Gallogermanis essent potituri) vaticinabatur, non versibus lege metrorum compositis vtens, sed rythmis absque mensurâ, furore satis confusè prolatis, quorum interpretationem sic fecit Hunibaldus:

Veniet ab occiduo Francis victoria Deo,
Dardanijq́ veteret quem coluere maiores.
Quicquid habet Gallus, quicquid Germania tota,
Iuri cedet omne tuo bellicose Sicamber.
Hunc tibi cum dederit primum de nomine regem,
Quem statuent Principes iam sine rege Duces,
Tunc illo vincente, Francus sine fine regnabit.

(Intellexit, post electionem Pharamundi, quæ sit euentura tempore Interregni, Reges ab illo ordine deinceps successuros, subiugaturos & subiecturos esse sibi Germanos, Gallos & Romanos, ac ita perpetuum dehinc regnaturos. Et hoc effectus verum probauit in Carolo Magno.)

De Romanorum quoque Imperio ita subintulit.

M*Agnus ecce Deus dabit Franco lupanaria castra,*
Et franget aquilam leo serpente collisam.

Hunc sensum Hunibaldus de Francorum signis, quibus vtebantur in prælijs, quæ nos Principum intersignia vocamus, exponit. Reges, inquiens, Francorum ex eo tempore, quo bellum habere cum Romanis cœperunt, de consilio Pontificum & Vatum gentis suæ, arma siue intersignia hæc noua sumserunt, ranis tribus abiectis, quas olim ex Scythia in albo vellere adduxerunt, Leonem cum anteriore corporis parte in vellere blauij coloris depinxerunt, pedibus ad capturam extensis, & ore frementis more, aperto, cuius inferior pars corporis in caudam serpentis desinebat, cum qua collum aquilæ desubtùs in vellere aureo expansisque alis depictæ, fortiter alligatum videbatur comprimere & suffocare. Aquilam Romani habuerunt pro signo dimicantes: quorum superbam & arrogantem potentiam supprimere & annihilare, per fortitudinem simul & prudentiam cupientes, pro altera sumpserunt Leonem: pro altera verò, serpentem. Per Leonem namq; fortitudinem suam Franci: per serpentem verò, sapientiam & prudentiam mysticè designare volebant, quibus indubitanter se Romanos tandem superaturos sperabant. Quibus insignijs, siue armis (quanquam impropriè dicantur) omnes deinceps Francorum Reges vsi fuerunt, vsque ad Clodoueum Christianum, qui pro Leone, tria legitur lilia demissa cœlitùs assumsisse, quod suo loco dicetur. Regno tandem Francorum, per filios Ludouici primi, in duo diuiso, liliorum intersigne cum Francis remansit Gallis, siue occidentalibus: propria verò Leonis, atque caudæ serpentis arma, regnum Francorum orientale, siue Germanicum retinuit: quod cùm imperium sibi Romanum habeat annexum, intersignijs prioribus in obliuionem deductis, aquilà Imperij notà duntaxat vti consueuit, ab illo tempore diuisionis vsque in præsentem diem.

Hildegast etiam sapiens Francorum memoratus, nobilium filios docuit in citharis, & in diuersis alijs instrumentis musicis, gesta maiorum carminibus linguâ decantare maternâ, moribus gentem viuere ciuilibus, ædificare domos, & habitu incedere cultiores monuit, & ferocitatem deponere iussit.

Enimuerò Franci parùm eatenus cultum siue ornatum curabant, tàm in structuris, quàm indumentis. Quæ omnia Hildegast instituit cultiora, & Romanorum superbiam non armis modò, verùm etiam rebus & moribus contundere ac domare sapientissimè præcepit. Ex eo tempore Franci domos & ampliores & pulchriores ædificare cœperunt, varijsque distinctas mansionibus. Quicquid enim prioribus construxêre temporibus, nimiâ simplicitate sui contemptibile fuit & rusticum: quippe cùm propter crebras mutationes sedium, habitare in campis assueti magis fuerint, quàm in ciuitatibus. Hinc Germani sumentes prouerbium, quoties viderunt aliquid

vetusta

vetusta simplicitate fabrefactum, siue depictum, sic laudantes antiquitatem dicere consueuerunt: Das ist ein gut altfränckisch Werck.

Reliqua Hildegasti mirabiliter dicta, scripta, seu facta, Hunibaldus commemorat.

Anno Hilderici regis Francorum vicesimo quarto, Alexander Mammeæ filius, Cæsar Augustus Romanorum, apud Moguntiam Germaniæ vrbem, militari tumultu perimitur, anno regni sui decimo tertio, Tritheymius.

Ammonius Philosophus.

229. AMmonius Alexandrinus Philosophus, & Christianus, Asinum animalium omnium stupidissimum, sapientiæ auditorem (rem prodigiosam) habuisse dicitur, teste Suida apud Volaterran: libro decimo tertio, cap. 3. Anthrop. Imp. 26. Aur. Alex. Seuero. E. R. 16. Vrbano 1.

Tryphon.

230 FVit hic auditor Origenis: & scripsit de vacca rufa, in Deuteronomio: & de Dichotomatibus, quæ cum columbâ & turture Abraham ponuntur in Genesi. Huius etiam mentionem faciunt D. Hieron. & Tritheymius. Sub Imp. 26. Aur. Alex. Seuero. Episcopo Rom. 16. Vrbano 1.

Methodius Græcus.

250. MEthodius Olympi Lyciæ primùm, & postea Tyri ciuitatum Episcopus: nitido, compositoq; sermone, multa egregia edidit documenta: & præsertim de mundi creatione: quæ ei in carcere existenti, ab Angelo fuerunt reuelata. In Chalcide Græciæ ciuitate, quæ Nigropontum appellatur, XIIII. Kalend. Octobris, nouissimæ persecutionis tempore: siue, vt alij affirmant, sub Decio, & Valeriano Tyrannis, martyrio coronatus est. Editus est liber eius cum additionibus VVolffgangi Aytinger Clerici Augustani: & Sebastiani Brant, circa anno Dom. 1498. cum imaginibus sequentibus. Et cùm prædictæ additiones Methodio ita sint coniunctæ, vt commodè auelli nequeant: etsi quidem posterioribus ab illo seculis multa facta, & scripta esse ibi legantur: eas tamen hic recensere coacti fuimus: ne sensus, atque ordo prophetiæ, importunâ annotationum præcisione fatisceret. Imp. 29. Philippo. E. R. 19. Fabiano.

Quomodo Turci, & Saraceni sortem mittunt super captiuos Christianos.




ET propter quod sapientissimus Paulus ante temporum seriem exclamans ait: Propter hoc enim tradidit illos Deus in passionem ignominiæ. Nam fœminæ eorum commutant naturalem vsum, in eum, qui est contra naturam: similiter autem & masculi dimittentes naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam. Viri contra naturam exarserunt in desiderijs suis in inuicem. Et masculi in masculos turpiter operantes. Et fœminæ in fœminabus: similiter & retributionem, & mercedē erroris sui in semetipsis recipientes. Propter hoc igitur tradentur à Deo in manibus barbarorum, à quibus cadent in omni immundicia & fœtore pollutionis: & contaminabuntur mulieres eorū à pollutis barbaris: & mittent sortes filij Ismael super filios & filias eorum: & tradetur terra Persarum in corruptione, & perditione: & habitatores eius in captiuitatem & occisionem adducentur. Armenia quoq; & illi qui habitant in ea, in captiuitatem, & gladio corruunt. Cappadocia in corruptione & desolatione erit: & eius habitatores in captiuitate, & iugulatione absorbentur Cilicia in tribulatione erit. Terra Syriæ erit in solitudine, & eius habitatores captiui ducentur. Ægyptus quoque, Oriens, & Asia, sub graui tributo auri & argenti erit. Hispania gladio peribit, captiui ducentur habitatores eius. Græcia tota in occisione gladij, & perditione, & corruptione ducetur. Gallia, Germania, & Agathonia varijs prælijs erunt

deuoratæ: & multi ex eis ducentur captiui. Sicilia similiter, & habitatores eius in gladio peribunt. Romani corrumpuntur: in occisioneque gladij erunt, & conuertuntur in fugam, in illa Romania. Insulæ maris erunt in desolatione, & qui in eis habitant, in gladio, & captiuitate ducentur. Hominesque in tribulationes immensas coarctabuntur, eritque tribulatio super Christianos, qualis antea non fuit. Angariabuntur enim sine mensura, & misericordia, & appetuntur super vires animarum suarum pondus auri & argenti: & erunt habitatores AEgypti & Syriæ, in afflictione temporum maxima: Et replebitur Hierusalem à gentibus, & terra promissionis à facie hominum, qui captiui ducentur à quatuor ventis, qui sub cœlo sunt. Et erunt tanquam locustæ in multitudine, quæ congregabantur à vento: & erit in eis pestilentia, & fames: & exaltabitur cor exterminatorum: & in superbiam elabitur, & loquentur excelsa vsque ad tempus constitutum eis, & obtinebunt introitum & exitum Aquilonis, & Etham, vsque ad occasum & meridiem: & erit Christianorum tribulatio maxima, & erunt omnia sub iugo eorum.

Ibidem. Quomodo mulieres Christianæ, habentes partus in vtero, perfodientur cum infantibus suis, gladio ab infidelibus, & Turcis: & corpora proiecta in plateis erunt volatilibus in escam, & canibus.

ET in principio exitus eorum incipientes ab eremo: mulieres habentes partus in vteris, gladio perforabunt, & fœtum pungent simul cum maritibus: & infantes ab humeris nutricum rapiunt, & necant: & multa corpora proijciuntur in plateis, eò quòd non sit qui sepeliat. Sapientes interficientur, eruntque bestijs in escam. Sacerdotes autem intrinsecùs sanctorum locorum occiduntur: & concumbent in eisdem cum mulieribus in fornicationibus pessimis: virgines stuprant, atque mulieres Deo datas turpant: & violant etiam in Ecclesijs, in quibus perficitur mysticum sacramentum: & contaminant sacrificium celebrandum. Et ex sacris vasis & calicibus, comedent & bibent: sacras stolas induuntur: & ex ornamentis Ecclesiarum, & lapidibus pretiosis, adornabunt se & vxores, & mulieres eorum: & super filios suos imponunt, & super filias suas: & in equis suis, & super lectos suos expandunt ea. Et iumenta sua ad sepulchra Sanctorum alligabunt, tanquam ad præsepia: & reliquias eorum dispergunt: & erunt homicidæ & corruptores, & ignis probationis generi Christianorum. Etenim sacratissimus Apostolus inquit: Non enim omnes, qui ex Israele sunt, & hi Israelitæ. Ita non omnes qui dicuntur Christiani, hi sunt Christiani. Septem enim millia, sicut scriptum est, saluati sunt filiorum Israël, qui non curuauerunt genua sua ante Baal: & omnis populus per eos saluus factus est. Et in ipso tempore dissensionis, & persecutione filiorum Ismäel, pauci inuenientur Christiani veri: quemadmodum ipse Saluator noster in sanctis Euangelijs dicit: vtique veniens filius hominis putas inueniet fidem in terrâ?

Ibidem. Quomodo Christiani abnegabunt fidem: & clerici, & monachi res diuinas prophanabunt.



MInuetur tempore illo spiritus perfectorum: & multi abnegabunt veram fidem, & viuificatoriam crucem Christi, & sancta mysteria, etiam sine aliqua vi, vel tormento, aut flagellis abnegant Christum, & assistunt transgressoribus. Præuidens autem Sanctus Apostolus prædicauit dicens: Quia in temporibus illis recedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & dæmoniorum doctrinis, in infidelitate, & dolo, mendacibus sermonibus attendentes, & cautheriatantium suam conscientiam: & continuò adijciens idem dicit: In nouissimis diebus insurgent tempora periculosa: & erunt homines semetipsos amantes: amatores pecuniæ: elati: superbi: blasphemi: parentibus non obedientes: inutiles: immundi: sine affectione: incontinentes: immoderati: malorum amatores: proditores: susurrones: inflati: luxuriosi: amatores mundi magis, quàm amatores Dei: ingrati: scelesti: sine pace: criminatores: adulteri: immites: sine benignitate: proditores: proterui: timidi: voluptatum amatores omnes: imbecilles, & infideles sacrilegi: excommunicati: nullâ correctione meliorati: & semetipsos segregabunt ab Ecclesijs Sanctorum, etiam propriâ voluntate. Idem enim tempus aduocat eos in errorem. Humiliter verò sentientes, & quieti, suauesq;, & verissimi cultores Dei: sapientes etiam, & conscientiosi, scientificiq; &

iusti: boni, morigerati, & electi non quæruntur in tempore illo. Sed pro his inquiruntur, quicunq; tales sunt: semetipsos amantes: cupidi pecuniæ: elati: superbi: blasphematores: raptores: plurium possessores: circumuentores: ebriosi: immisericordes: transgressores: sine affectione: sine vinculo charitatis: insuaues: immundi (vt dixi) damnatores: incontinentes: immansueti: inuerecundi: proditores: susurrones: adulatores: proterui: inflati: luxuriosi: fornicatores: adulteri: lenones: amatores seculi: fures: periuriosi: falsarij: mendaces & plagiarij, vt prædiximus: habentes quidem pietatis speciem, virtutem eius abnegantes.

Ibidem. Quomodo ex transgressione cleri: vulgus in eos præter modum sæuiet.



Tales ministri, contra præcepta Dei erunt dierum illorum: & omnia, quæ ab ipsis imperantur, facilè perficiuntur. Timentes verò Dominum in nullo: sed & omnia mala reputabuntur in conspectu oculorum ipsorum pro nihilo. Sed in vituperatione illorum sunt, quemadmodum stercora sub vestigio conculcata. Erunt enim homines in illa correctione filiorum Ismael, & venient in necessitatibus, vsque dùm desperent de vita sua, in captiuitatibus & calamitatibus suis. Et tolletur honor à sacerdotibus, & supprimetur mysterium Dei, & quiescet omne sacrificium ab ecclesijs: & erunt sacerdotes sicut populus in eodem tempore, seu in septimo hebdomatico tempore, in quo iam sumus.

Ibidem. Quomodo Turci post victoriam læti existentes, & continuantes, à Romano Rege inter epulas opprimuntur.

ET post tribulationem, quæ fit à filijs Ismael: cumque periclitati fuerint homines à tribulationis pressurâ: non habentes spem salutis, aut redemtionis alicuius de manibus eorum: persecuti, & tribulati ab eis afflictique fuerint in fame, siti, & nuditate: Barbarorum verò nationes erunt hæc comedentes, bibentes, & iocunditantes in victorijs eorum, gloriantes in desolationibus, quibus desolauerunt Persidem quoque, & Syriam: Cappadociam, & Hysauriam: Africam quoque, & Siciliam: & eos, qui habitant proximè Romam, & insulis, circumamicti quemadmodum sponsi: & blasphemantes dicunt: ecce vicimus terram in fortitudine nostra, & omnes, qui habitant in ea: & nequaquam habebunt Christiani ereptionem de manibus nostris. Tunc subitò insurget super eos Rex Græcorum, siue Romanorum, in furore magno, & expergiscetur tanquam homo à somno vini: quem æstimabant homines tanquam mortuum esse: & in nihilo vtilem profecisse. Hic exiet super eos à mari Æthyopum, & mittet gladium & desolationem in tribu, quæ est in eorum patria: & captiuabit mulieres eorum, & filios illorum.

Ibidem. Quomodo Christiani nimium gaudentes de victoriâ, & obliti beneficiorum Dei, à repentè superuenientibus Gog & Magog opprimentur.

ET hæc est pax, quam beatus Apostolus exposuit dicens: Cùm autem dixerint pax & securitas: tunc eis superueniet interitus. Et continuò Dominus in Euangelio sic inquiens: sicut enim in diebus Noe, erant homines manducantes, & bibentes, & nubentes, & nuptias contrahentes: ita erit in nouissimo die. In hac igitur pace sedebunt homines super terrã cum gaudio, & lætitiâ comedentes, & sese potantes, nubentes, & dantes ad nuptias, exultantes, & gaudentes, & ædificantes, construentes, & non erit timor eorũ, vel solicitudo, Tunc reserabũtur portæ aquilonis: & ingrediẽtur virtutes gentium illarũ, quas conclusit intus Alexander Magnus: & concutietur omnis terra à conspectu eorum, & expauescent homines, & fugientes abscondent se in montibus, & speluncis, & monumẽtis: & mortificabuntur à timore, & corripientur præ pauore quàm plurimi: & non erit, qui corpora sepeliat.

Ibidem. Cumq multiplicata fuerit tribulatio dierum illorum, à Filio perditionis: non sinet Diuinitas aspicere perditionẽ generis humani, quod redemit proprio sanguine. Continuò mittet suos famulos sincerissimos atq; charissimos (suppleEnoch & Eliã) ad redarguendũ eum. Et palàm omnibus gentibus corripient eius seductionẽ, & ostendent eũ mendacẽ coram omni homine, & nihil esse. Et quia propter interitũ, & perditionẽ multorum exijt de templo: gentes ergò videntes eũ cõfusum, seductionemq; eius obiurgationibus multis increpatam à famulis Dei: dimittent eum, & fugient ab illo, & adhærebunt iustis illis. Videns ergò seductor sese durissimè increpatum, & ab vniuersis contemtum, furore & iracundiâ calescens, interficiet illos sanctos Dei.

Ibidem. Romanæ ciuitatis destructio, propter sua enormia peccata: sanctæ Brigitæ in quadam visione ostensa est. Maria virgo ad filium suum loquitur dicens: Roma est ager fructiferus. Ad quam Christus respondit: Verum dicis: sed super illum agrum Zizania excreuit. Ideo priùs debet mundari cum acuto ferro: Indè debet igne purgari: Postea arari iugo boum. Ideò faciam vobiscum, sicut qui transfert plantas in alium locum. Illi enim vrbi comparatur talis pœna: quasi iudex diceret: Excoria, inquit, totam pellem: extrahe totum sanguinem de carne: excide omnem carnem in frusta: & contringe ossa, ita vt defluat omnis medulla, lib. 4. cap. 57. Item in eodem quarto libro dicit: Væ & iterum Væ: quando puer sedebit in sede Lilij: tunc orietur tribulatio in Ecclesia sancti Petri. Quid per sedem Lilij intelligitur, nisi regnum Franciæ?

Ibidem. Quarta destructio Romæ fienda expectatur: quæ reuelata est sanctæ Brigitæ in reuelatione visionis cuiusdam. De istâ destructione Romanæ ciuitatis superiùs habetur. Sancta ergò Brigita Regina Suetiæ, deuotissima mulierum, cui reuelauit Christus multa secreta: non de primis tribus deuastationibus præteritis ante tempus vitæ commemorat: sed de quarta deuastatione,& destructione Romanæ vrbis in posterum post eius mortem, verè considerauit nostris temporibus futura, vt suprà. Mortua autem est hæc sancta mulier anno domini. M. CCC. 82. Et à tempore Friderici secundi, vsque ad præsentem annum. M. C C C C. X C V I. sunt anni 244. & posteà expectatur punitio Romanæ vrbis fienda, prout dictum est. Continetur enim in libro Beati Cyrilli Episcopi, quòd, antequam Ecclesia renouetur, permittet Deus vacante Papatu oriri maxima schismata inter Imperatorem Allemannum, qui de suâ confisus potentiâ intendet ordinare, ac constituere Papam, & Romanos, & Italos, qui resistere conabuntur Aquilæ grandi: quæ Aquila furore incensa non solùm Allemannos, sed de omni genere gentes pessimas, quas poterit associabit ad suum exercitum, & armatâ manu intrabit Romam: omnes Ecclesiæ Prælatos, seu religiosos, & ciues trucidabit: & multos interimet varijs supplicijs. Vnde facient cleri abradi coronas suas,& alij dabunt fugam ad syluas, & montes.

Idem. Tunc peccata cleri erunt: primum, irreuerentia Sacramenti Eucharistiæ: quod peccatum est super omnia peccata. Nam per eam aliquis fit reus corporis & sanguinis Domini: & qui indignè sumserit, ita reus erit, ac si Christum occidisset. Secundum: Fornicatio. Timeo enim, sicut apertè videtur, quòd quidam sacerdotes celebrent, qui non tantum publici fornicarij sunt &c. Tertium, Simonia. Et tales sunt illi, qui emunt, aut vendunt, aut in permutationibus super beneficio, pensionem instituunt: quam cum certa pecunia redimunt, in spacio aut termino, quantumcunque prolixo. Homines isti sunt excommunicati, & anathematisati, per statuta sacrorum conciliorum. Et in tali excommunicatione sunt quoque, qui obtinent beneficia magna, vel exilia, aut quascunque dignitates, per falsas literas, aut bullas ratas vel abrasas, à falsis & periuris tabellionibus, vel notarijs conscriptas, in quibus falsi testes continentur. Vtinam autem illi falsarij in profundis fluuijs submergerentur, aut in carbones ignitos viui collocarentur. Dilatabit enim infernus os suum, & deglutiet eos in tempore suo. De Simoniacis Presbyteris magnum verbum loquitur beatus Ambrosius, in hæc verba: Mallem potiùs pati pœnam Iudæ & Caiphæ, quàm in peccato Simoniaco celebrare. Et denotatur grauitas huius excessus, etiam in reuelationibus diuinis sanctarum Brigitæ & Hildegardis: in quibus deplangitur, & futura eius punitio describitur: quòd Deus pater non patietur vltrà, quòd talis & tanta irreuerentia exhibeatur suo vnigenito filio in Sacramento: & etiam per Gregorium in suis Moralibus habetur, quòd per nullum genus hominum, Deus ampliùs offenditur, quàm per malos sacerdotes, quales sunt Simoniaci. Quartum, Tyrannis Principum, ob quorum peccata populus sæpè flagellatur à Deo.

Quintum peccatum est cupiditas Prælatorum. Vnde beata Hildegardis in suis diuinis reuelationibus de istis duobus peccatis, scilicet de tyrannide Principum, & cupiditate Ecclesiasticorum loquitur in hæc verba: Propter tyrannidem principum & cupiditatem Prælatorum, Ecclesia percussa est, vt vidua. Cupiditas autem Prælatorum, & Ecclesiasticorum est insatiabilis. Primò autem de cupiditate Prælatorum dixit Sigismundus in concilio Basiliensi: quòd Simoniaca prauitas fouetur & nutritur in curia Romana: quòd non plùs deberent sumere de literis: & primò Papa gratis, causâ Dei: & scriptores bullarum duplum, in solutionem birgameni & scripturæ: ô si acciperent ipsi, & qui taxant, decuplum salarium scripturæ & birgameni: non pono os meum in cœlum. Sed ita statuit beatus ille vir omni laude famosus, qui paria merita habet Caroli Magni, Constantini primi, Othonis primi, secundi, & tertij, & aliorum beatorum, qui dignus esset (vt viri perdocti scribunt de eo) canonizationis.

Ibidem. Voluit etiam idem, quòd Papa & Ecclesia non admitteret pluralitatem beneficiorum: & alia multa bona persuasit concilio. Et iam totum Ecclesiasticum statum, atque secularem, toto conatu suo aliter propter salutem credentium reformare fecit, in tantum, quòd Eugenius quartus per concilium suprà dictum fuit citatus, & in contumaciâ ab eodem concilio depositus, quod non curauit, quare inceptum opus Sigismundi ad finem non peragebatur. O si viueret Sigismundus modò: quid faceret pro reformatione Ecclesiæ Romanæ! quæ tribulis, vepribus, & spinis plena est vltra modum. Credo eum dicere: Indigens es eradicationis, & exstirpationis tribulorum ac veprium. Roma enim pro nunc est vorago inferni: & Mammon Diabolus capitaneus omnis auaritiæ residet ibi: vendens pro denarijs & nummis, patrimonium Christi Iesu Nazareni, quod ipse Saluator noster cum amarissimâ passione, & dirissimâ morte promeruit, & secreta Apo-

Anno

stolo suo Paulo in cœlo reuelauit. Quod gratis accepistis, gratis date. Non autem aduertunt præsidentes curiæ illud dictum Apostolicum, sed in commune prouerbium proferunt dicentes: Curia Romana non petit ouem sine lanâ. Nam dantes exaudit: non dantibus ostia claudit. Pessimè sonant hæc in auribus, & in conspectu Dei omnipotentis. Indignis Asinis, & Idiotis prælaturas, canonicatus, pastorias, & præbendas pro florenis certis, secundum qualitatem beneficiorum ascribunt. Super incompactabilia beneficia curata dispensant, qui vix vni Capellæ, vel vni altari præesse possent. Nil respondeo ego, ne æmuli mei dicant, me indignationem superioris incurrere, ac demereri. Quoniam secundum Gregorium: Sententia pastoris iusta, vel iniusta timenda est. Vellem tamen, quòd illa iam dicta non essent admissa à summo Papâ, qui caput totius Ecclesiæ existit: Benè enim ait Illustrissimus, deuotus, & beatus Imperator Sigismundus in concilio Basiliensi, vbi tractabatur de dispensatione Papæ: Legimus Christum solùm dedisse Petro potestatem relaxandi peccata: & non admittendi. Cùm autem his admittitur pluralitas beneficiorum, qui saluti animarum nihil proficiunt: quoniam ignari: aut si sint docti, non resident, sed absente recipiunt: labores pauperum deuorant: salutem animarum non curant: nec subditorum suorum notitiam habent: sed valorem prouentuum, ac redituum subtiliter ponderant, diu noctuque pro maioribus beneficijs Romæ aut in curijs principū & dominorum plùs solicitant, non contenti suis stipendijs, quòd multò plùs habent, quàm scientia eorum se extendat. In vinea domini nihil boni operantes: nec prædicant, neque sacramenta ministrant: sed magnū absente aut reseruatū ex præbendis extorquēt. Ignaros, & Idiotas sacerdotes in vicarios & mercenarios locant in suis pastorijs: qui populum Dei nesciunt docere: quia parùm in his sapiunt, de quibus dominus in Euangelio dixit: Si cæcus cæco ducatum præbet: nonne ambo in foueam cadunt? Veri pastores, onus pastoralis regiminis susceperunt in perceptione beneficiorum: aratrum in manibus eorum recipientes, & statim post tergum pro magno absenti aut reseruato respicientes, non pro saluatione parochialium, & subditorum. De quibus malis pastoribus, quomodo maledictionem Dei incurrant, atque gehennalibus cruciatibus æternaliter post decessum animarum suarum crucientur: Diuus Augustinus, columna Ecclesiæ, beatus doctor, in libro de testamento, lamentabiliter multa scripsit. Hæc parent intuenti, quia nimis longum esset nobis hic talia adducere. Et de his pastoribus Dominus per Prophetam Ezechielem eius 34. cap. loquitur, æternam damnationem comminans eis in hæc verba: Fili hominis, propheta de Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Væ Pastoribus! id est, Rectoribus Ecclesiarum, vt sunt Episcopi, Abbates, Præpositi, & Plebani, quibus salus animarum subditorum suorum commissa est. Et prosequitur Propheta dicens: Nonne greges, id est, subditi à pastoribus pascuntur? Lac comędebatis, id est, dulcia recipiunt pro absenti: & lanis operiebamini, id est, vestiuntur mollibus vestitis, vt comtè in ciuitatibus populosis incedant. Et vltrà dicit Propheta: Et quod crassum erat, occidebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum erat, non sanastis, id est, peccatoribus sauciatis in peccatis, medicinam animæ, scil. cum bonâ informatione non dedistis: & quod confractum est, non alligastis: & quod abiectum est, non reduxistis, scil. errantes peccatores, & abscissos: & quod perierat, non quæsiuistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentiâ, vt modò faciunt Episcopi, & Prælati, atque Rectores Ecclesiæ, per se, & per suos officiales, & vices gerentes. Et dispersæ sunt oues meæ, quòd non esset Pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, id est, bestialium Turcorum, & Saracenorum, & malorum hominum Christianitatis. Ergò impletur hoc dictum, vt suprà, Beatæ Hildegardis: Propter Tyrannidem Principum, & cupiditatem Prælatorum, Ecclesia percussa est, vt vidua.



Ibidem.

Ibidem. Quomodo in telâ araneæ paruus culex cohæret, quam antè magna musca perfregit, & quomodo Episcopi deuorant camelos.



NVnc de Episcopis, & malis Prælatis, quos debuissemus antè posuisse, scil. ad secundam caussam, sed propter prolixitatem omisimus, & iam ponimus.

Apostolus prima ad Timoth. cap. 3. dicit de Episcopis: Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse: sobrium: ornatum: prudentem: pudicum: hospitalem: doctorem: non vinolentum: non percussorem: sed modestum: non litigiosum: non cupidum: Et vltrà dicit: Non neophytum, nè in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli, &c. Vide iam vtrum radicetur in eis hoc dictum Apostoli. Quamuis aliqui de Episcopis nostris sint viri famosi: etiam extra laudabilem nobilem prosapiam; de quâ generosè processerunt, siue multis virtutibus ornati: quos decet vocari sanctos Dei: tamen adhuc non sunt irreprehensibiles in certis.

Primò in corrigendo suos, propter magnos excessus. Corriguntur enim vt frequenter ab eis, & ab vice gerentibus: qui minùs vel omninò non sunt corrigendi: in quibus excoriatur pulex. Et alij, qui magis corrigendi sunt: propter diuitias, aut potestates eorum non corriguntur: nonnè ibi deglutitur camelus? etsi deuenit ad aures ipsorum, quòd quidam sunt mercatores beneficiorum, quales sunt symoniaci. Et quid dicam de illis, quos vulgus Cortisanos appellat: quorum aliqui per falsas literas, in quibus falsi testes continentur, attemptant beneficia obtinere, & non verentur incompatibilia contra commune ius scriptum falsè possidere: quare illos permittunt viuere in suis diœcesibus. Ecce iustitia requirit: illos potius corrigendos, non verbo, sed factis, & diris captiuitatibus, & exclusionibus, cum proscriptionibus de eorum diocœsibus. Tales habent vtique adulatores: qui in officijs diocesani existunt, qui eos defendunt in suis excesibus; quoniam in eâdem damnatione sunt. Vtinam istis rectoribus, qui non corrigunt cum asperâ virgâ, non contingeret sicut Phinees & Ophni, de quibus habetur. 1. Regum 2.

Secundò Episcopi multùm reprehensibiles sunt, contra dictum Apostoli facientes: quoniam per suos officiales, & vicem gerentes, ac etiam ministros suos, clero & subditis imperant, qui plerunque dispergunt oues, & exactionant in absentiâ dominorum pauperes: & clerum, qui minima beneficia possidet, aggrauant: & alios habentes crassa, transgrediuntur: gabellas imponunt, parua beneficia pro magnis annatibus taxant.

Tertiò, sunt reprehensibiles multùm Episcopi, quòd personaliter in ciuitatibus populosis, sicut iura consonant, circa suas ecclesias cathedrales non resident: cùm præsentia eorum, respectum ad subditos & oues suas commissas habeat, exemplum Christi & doctrinam imitantes, vt habetur Ioan. 10. cap. Ego sum pastor bonus, qui ponit animam suam pro ouibus suis: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & ad eum non spectat cura de ouibus. Voluit autem pius ac iustissimus Imperator Sigismundus, in concilio Basiliensi: vt Ecclesia mandaret per sanctos canones, vt omnes, & singuli episcopi & pastores Ecclesiarum, personaliter circa suas ecclesias residerent, vt haberent respectum ad gregem sibi commissum: imitantes doctrinam Christi Euangelicam iam præfatam: & qui etiam informarent populum eis commissum, in vitâ & bonâ doctrinâ. Quare Apostolus 1. ad Timoth. 3. cap. Episcopum vocat doctorem. Et si Episcopi nostri non prædicarent, & docerent populum Christianum, veluti ipsi fecerunt in primitiuâ Ecclesia, saltem quod suos veros proprios pastores ecclesiarum parrochialium ad personales residentias compellerent: per apostolica rescripta nullum qualitercunque priuilegiatum formidarent. Nisi aliquis ex certo & magno negotio alicuius prouinciæ, vel principis, seu Regis, propter maius bonum ad tempus se absentaret. Meliùs esset enim saluti ipsorum, vt maximam partem annatuum redituum in Curiâ Romanâ, & apud Regem, aut principes, qui protectores eiusdem dominij existunt, pro priuilegijs & rescriptis largiter exponerent, ad compellendos omnes & singulos pastores ad veras personales residentias, quàm quòd alijs mercenarijs ecclesias locarent. Nunc autem aliqui eorum per suos vice gerentes, personalem residentiam relaxant: ac quòd suos annales reditus augmentant pro certâ pecuniâ, de anno ad annum, per singulos annos non posse residere permittunt, cum eorum consensu, non dico quod admittant, nisi abusiuè, vt benè latinicè exponunt hoc vocabulum: quoniam admissio est in bo-

Anno

in bonis duntaxat. Etiam dant eis licentiam pro certa pecunia. Certè licentia secundùm Platinam sumitur in malo, & nunquam in bono. Non possunt ipsis dare veniam, quoniam solus Deus dat. Tales enim in acceptionibus beneficiorum, præsertim curatorum, aratrum in manibus receperunt, & pro absentia beneficij pecunias recipiunt. Tales nunquam sunt apti regno Dei. Pessima enim, & maledicta pecunia: dico illam, quæ permittit eis de ouibus veris absentiam. Si lupi rapaces, id est, dæmones infernales, aut hæreses rapiunt animas: Dominus de eisdem pastoribus requiret eas. Et hoc permittunt diœcesiani, & eorum vices gerentes, propter meram insatiabilem auaritiam. Ergò contra dictum Apostoli, vt suprà: Non cupidum, &c.


Ibidem. Quomodo tunc vnum corpus simul & semel potest esse in diuersis locis, repugnat. Ergò videant, quales dispensationes habeant, quia decipiunt primos fundatores, quorum eleemosynas deuorant: & in eisdem beneficijs nec horas canonicas nec missas dicunt. Quomodo rediment illas animas, à quibus, dum erant in vita, reditus fundationis receperunt? quomodo redimi valebunt, cùm sunt in purgatorio, qui exspectant in pœnis, per illas fundationes beneficiorum, ac celebrationem missarum, eis fieri releuamen?

Nota: quòd tempore Henrici 4. Imp. contra pluralitatem beneficiorum facta est illa solemnis dispu atio Parisijs, anno Domini M.CC.XXXVIII. in qua determinatum est per sanctos doctores: quòd nemo sine peccato mortali tenere potest duo beneficia, quorum alterum sufficeret ad sustentationem suam. Et quidam opinati fuerunt contrarium: quos diuina iustitia horribiliter damnauit. De hoc sunt plura scripta, & exempla in diuersis locis.

Dicit quidam Sanctus Doctor, quòd medietas ministrorum Dei, est quasi resecata per hoc genus auaritiæ, quòd vni plura beneficia permittitur habere.

Ibidem. Dabo in supinis montium flumina: & in medio camporum fontes: datur intelligi; quomodo? Abbatiæ, monasteria, & prælaturæ subijcientur temporalibus: & metent seculares, vbi non seminauerunt: colligent, vbi non sparserunt. Vnde scribitur: Tulerunt inde aurum meum in iram, & doctrinam à monasterijs: & fecerunt inde Baal locum. Demerebunt autem Abbates, prælati, ac religiosi in hoc depauperationes cœnobiorum suorum: quia parochias, ac pastorias ecclesiarū sibi vendicant, atque incorporant: decimas maiores per falsitates, & mendaciosè sibi asscribunt: in literis & supplicationibus, apud Sedem Apostolicam malè, & minùs verè narrant, magnos thesauros eorum cœnobijs acquirentes: pauperibus & egenis minima erogantes: cùm austeritate imperantes.

Nunc superbi, pomposi, Symoniaci, rarò eliguntur canonicè: sed quòd fiant abbates, & præpositi religiosi, & præcellores, multa symoniacè pollicentur, luxuriosi, auari: qui fidem in mensura terrenarum rerum possederunt: sed tantum fidei habent, quantus est reditus in pondere. Curam Ecclesiæ, aut monasterij curant modicùm. Sunt enim sine charitate erga subditos: luxuriosi, gulosi, pigri, & nec celebrant, nec prædicant, sed scandalizant. Et primo ad vltimum, propter mala capita purgabitur Ecclesia, & ex consequenti, propter omnes malos ecclesiasticos. Purgabuntur enim filij Leui ab iniquitatibus suis, à quibus gratis se nolunt purgare.



Quomodo quidam Rex eliget quendam falsum Papam, portans pro armis suis serpentem, figuram mundi in ore habentem.

ET notandum: quòd ab Vrbano VI. de quo mentio iam paulò antè facta est, oriebatur schisma vicesimum secundum, quod & pessimū præ alijs præcedentibus fuit: vsque ad Martinum quintum durans: & tempore medio nescitur, quis fuerit verus Papa, per quadraginta annos. Sanctus autem Vincentius de Valentia, Ordinis Prædicatorum (ob cuius prædicationem multi Iudæi & infideles conuersi sunt ad fidem Christi: propter cuius petitiones Deus à mortuis quosdam resuscitauit, per diuersas ciuitates Italiæ & Hispaniæ discurrentis: per quem Deus multa miracula ostendit: qui ab incarnatione Domini 1316, multis virtutibus coruscabat) isto tempore, quadam vice, facta sua oratione, vidit, futurum quendam magnum Principem, præfiguratum in Nabuchodonosor, qui interpretatur angustians mundum, vel sedens in angustia agnita: facientem vltimis temporibus vnum magnum idolum, maius, quàm vnquam fuit à principio Ecclesiæ vsque

nunc, in dignitate papali, falsum scilicet Papam: quo mortuo, aliud non fiet in Ecclesia vsque in finem mundi in dignitate Papali.

Et iste Princeps (in signum, quòd vltimum sit idolum, quod faciet: & quòd tale idolum erit Antichristus mixtus bastardando, id est, à latere progenitus) portabit pro armis suis serpentem, mundi figuram in ore habentem: & tamen realiter non erunt arma illius Principis: quia per se alia arma ducet, immò dico: quòd bastardabit, & prophetabit signum huius mundi, & ruinam Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum: sicut serpens in Paradiso fuit causa ruinæ humani generis, & expulsionis Adæ & Euæ.

Præuaricatio autem primorum parentum, & expulsio eorum, ruinam Ecclesiæ verè & rectè præfigurabant. Rectè enim Adam summum Pontificem præfigurauit: & Eua Ecclesiam. Sicut enim Diabolus in specie serpentis humanum genus decepit: sic illud idolum, id est, falsus Papa, erectus per magnum Principem, qui serpentem portabit bastardando Christianitatem, & decipiet, &c.

Item beatus Vincentius dicit: quòd falsè dicunt, quòd illud impletum sit in idolo, quod fuit electum in Pisa ciuitate, scilicet Alexander 5. & ante eum Gregorius 12. & tempore Alexandri 5. Ioannes 23. Hi tres fuerunt simul depositi: vt iam dictum est. Loquuntur enim aliqui, quòd omnes gentes Alexandrum acceptauerunt: præter homines in regno Angliæ, regno Castellæ, & regno Scotiæ: qui præfigurati sunt in idolo Nabuchodonosor in veteri testamento, Dan. 4. quod noluerunt adorare Sidrach, Misach, & Abednego: per quos designantur homines his tribus regnis designati: sicut aliqui volunt. Vide in libello Vincentij illius, qui intitulatur de fine mundi.

Et dicit in eodem libello, quòd opinantur, qui existimant: quoniam tunc non fuit fulminata sententia pœnæ mortis volentibus obedire: & qui non adorauerunt illud; sicut fiet per illum Nabuchodonosor magnum Principem, qui serpentem ducit. Vide iam, cuius domini dominus sit opinandus: taceo omninò, sed Deus scit: quoniam veritas odium parit.

Recuperatio Terræ Sanctæ.

Causæ sunt apud hunc eundem Methodium, & in glossa eius, quare terra Sancta à Christianis hactenus nec potuerit subigi, nec in futurum vnquam possit occupari: quò breuitatis studio remitto Lectorem.

Hic idem Methodius quoque scribit, Noham genuisse quartum filium, quem vocauerit Ionichum, tertio anno post diluuium. Hunc fuisse ingenij eminentissimi, & Astrologiæ peritissimum, qui syderum cursus, & stellarum habitudines sit contemplatus. Qua quidem ex disciplina, ortum pariter & occasum quatuor regnorum principalium præuiderit atque docuerit, & quòd filij Cham in Assyria primùm, & post illos filij Sem in Persia & Græcia, postremò filij Iapheth regnaturi essent in Europa. Naucletus, de quo plura infrà.

Idem Turcarum exitum super Christianos his prædixit verbis: Futuri sunt, scil. Turcæ, vt exeat semen Ismaël, & deuastet terram, & obtineat orbem terræ, & regiones in introitu pacis, sc. mundanæ (quam Turcæ iam habent) à terra Ægypti vsque ad Æthiopiam, & à flumine Euphrate vsque ad Indiam, & à Tygri vsque ad introitum Naoth, regni Ionichi filij Noæ, & ab Aquilone vsque ad Romam & Illyricum, & Ægyptum, & Thessalonicam, & Albaniam, & vsq; ad mare Ponticum, quod diuidit eadem regna à Germania, & Gallia. Græcia tota in occisione gladij, & perditione, & corruptione ducetur.

Ecce ista Methodij prophetia in ecclesia Græca & Orientali nunc est adimpleta. Ergo sequitur futurum malum in ecclesia Latina, & occidentali; de qua item Methodius suprà.

Idem. Foris vastabit eos (Christianos in Europa) gladius, & intus pauor. De ea gladij plaga propheta conqueritur exclamando: O mucro Domini, quandónam quiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile! cui respondetur: Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei contra Ascalonem? Turca itaque mucro Domini, id est, exsecutor Diuinæ iusticiæ, permittitur aduersus Christianitatem, ceu Ascalonem, id est, ignem infamem, vel ignobilem, quia caret charitate Dei, & proximi.

Sibylla Cumana apud Methodium.

Sibylla Cumana in suis vaticinijs scripsit: Postquàm I octauum, & F tertium deleta fuerint, & A sextum nascetur, mouebitur Lilium ab Occidente in Orientem, & venient dies tribulationum matrum. Claret quidem, quantas calamitates Romana Ecclesia passa est post Innocentium Octauũ, & Fridericum tertium, à tempore Alexandri sexti: Regibus Romanorum & Francorum, atque alijs potentatibus in Italiam insultantibus.

Deinde Sibylla prosequitur dicens: Post hæc, id est, post modicum temporis, egredietur Aquila de Alemaniæ rupibus, multis sociata griphonibus. Per hanc Aquilam intelligitur sæpe dictus Tyrannus: qui irruens in hortum Chrismatis, sedentem in sede pastoris: de quinto climate (al. Chrismate) id est, de Roma fugabit in septimum, & irruet in antipatrem (al. irruent in accipitrem) vorabitque ipsum, & nidum sibi ablatum vendicabit, & per decem lustra tenebit, & non erit pax in

terra

Anno

terra virginali, id est, in Italia, vel in Ecclesia, & Gens sine capite regnabit annis illis: & pòst adhærebit Aquilæ grandi.

Huius Sibyllæ (vt Theodoricus à Niem lib. 2. c. 19. ait) hospitium cernitur, vt fama est, adhuc in Tripergulis balneis, prope ciuitatē Puteolanam, quæ tredecim milliaria Italica distant à Neapoli, & sunt prope mare, vbi Cumanæ Sibyllæ hospitium est, nec non aliqua pars antiquissimarum Cumarum & Baiarum ciuitatum, quas olim mare absorpsit.

De Sibyllis plura.



QVoniam illorum, qui post Christum natum scripserunt, autorum in hoc opere primus est Methodius, qui de Sibyllis aliquid retulit; quarumque etiam opus hoc nostrum sæpius meminit: placuit, in gratiam Lectoris, & plenioris intellectus causa, omnia principaliora, quæ hinc inde in approbatis authoribus extant de illis, coacervata vnum huc in locum apponere.

Et scribit Eusebius: claram habitam esse Sibyllam Erythræam anno mundi 3220.

Inter primos verò, qui de illis scripserunt, puto esse Platonem, qui vixit anno mundi 3572. & post eum Aristotelem, qui claruit anno mundi 3600.

Reperiuntur autem hoc nostro seculo, qui arbitrantur (vt VVierus, Gœdelmannus I. C. in dæmonolatria, & alij) nullius esse pensi, quæcunque de Sibyllis afferuntur; quia illæ neque sacrarum literarum commendatione, neque etiam conciliorum approbatione sint illustres: ideoque parùm existimationis obtinere, esseque omninò Sagas, ac Dæmoniacas. Verùm exigui ponderis sunt hæc allata argumenta. Nam non opus habent sacra, aliunde autoritatem & dignitatem sibi emendicare. Deinde et iamsi concilia, non pari ratione, qua sacras literas, Sibyllarum libros approbaverunt, tamen nec apertè vnquam reprobaverunt.

Vincat igitur potiùs authoritas tot clarissimorum virorum, S. Patrum & Martyrum, Methodij, Iustini, Lactantij, Eusebij, Platonis, Augustini, Dionysij Halicarnassæi, Phlegonis Tralliani, Dionis, Alexandri, Cyrilli, Pausaniæ, Sozomeni, Agathiæ, Bernhardi, Alemanni Episcopi, Othonis Frisingensis, Hugolini, Godofridi Viterbiensis, Nicolai de Lyra, VVerneri Rollevvinck, Theophrasti, Sebastiani Castalionis, Ludouici Viuis, Petri Alis, Iacobi Pomeri, Augustini Steuchi, Petri Appiani, Onuphrij, Bullingeri, & aliorum plurium, de quibus in sequentibus: quàm saltem quorundam, in scholis disputandi gratia propositæ & agitatæ, controuersiæ.

Oracula, siue vaticinia Sibyllarum.

De ruina Romæ, & Romani Imperij; & de Antichristo.

Ex manuscripto.

SIbyllæ veteribus dictæ sunt à denunciandis Dei consilijs, & vt quidam aiunt, Prophetissæ. Æoles enim Σιοὺς, id est, Θεοὺς Deos, & βυλλὼ, id est, βουλὼ Consilium nuncupârunt: vt iam veteribus Sibyllæ fuerint denunciatrices consilij, & voluntatis diuinæ, Sibyllam enim dixerunt, quasi dicas Θεοβυλλώ.

Iustinus Martyr in admonitorio ad Gentes, in fine libri: vt ex parte, inquit, rectè cultum Dei condiscatis, facilè præstabitur ex antiqua Sibylla, inspiratione quapiam per oracula nos edocente, quæ nimirum prophetarum doctrinæ proxima videntur. Hanc autem (videtur loqui de Erythræa, omnium nobilissima inter Sibyllas) ex Babylone profectam, & Berosi illius, qui Chaldaicam scripsit Historiam, filiam fuisse asseuerant: quæ dum in quandam Campaniæ partem concessisset, ibi in vrbe, cui nomen Cumis, oracula cecinit, &c.

Et mox: Assentimini, ait, vt dixi, antiquissimæ Sibyllæ, cuius volumina toto terrarum orbe asseruari contigit: quæ supernè afflata oraculis vos erudiet, quòd, qui dicuntur, Dij non sint. De Saluatoris autem nostri Iesu Christi aduentu futuro, & de his omnibus, quæ is facturus est, manifestè

prænunciat. Quorum notitia vobis necessaria quædam præexercitatio futura est, ad Sanctorum prophetias virorum.

Eusebius de vita Constantini libro 5. fol. 226. Sibylla Erythræa, ait, quæ ipsamet, se sexta post diluuium generatione vixisse, & Sacerdotem Apollinis fuisse, dicit, &c. Hæc diuina inspiratione referta, carminibus futura de Deo vaticinata est, perspicuè in serie primarum litterarum, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, historias aduentus Ihesu declarans. Est autem acrostichis ista: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ, ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, ΣΩΤΗΡ, ΣΤΑΥΡΟΣ. Carmina verò illius (Latinè reddita) hæc sunt sequentia, Græca extant in Eusebio, & descripta leguntur in Comment. Ludou. Viuis in lib. 18. B. Augustini de Ciuitate Dei, cap. 23.

I Iudicij aduentu, tellus sudore madescet;
H E cælo veniet Princeps per secla futurus,
Σ Scilicet vt carnem præsens & iudicet orbem:
O Omnis homo, fidusq; Deum infidusq; videbit,
Y Vnâ cum sanctis, excelsum, fine sub æui.
Σ Sede sedens animas censebit, corpora & ipsa.
X Chersos erit mundus, spinas feret vndique tellus.
P Reijcient simulachra homines & munera Ditis.
I Inquirens portas infringet carceris atri.
Σ Sic etenim veniet lux, cunctæ libera carni,
T Tunc Sanctis: Ignis fontes æternus aduret:
O Occultos actus omnes tunc quisque loquetur:
Σ Sed tenebrosa Deus collustrans pectora pandet,
Θ Threnus erit cunctis, & stridor dentis adesi,
E Effugiet solis iubar, astrorumq; choreæ;
O Omne poli lumen soluetur & aurea luna.
Y Valles extollet, collesq; à vertice perdet.
Y Vsquam nec celsum mortalibus, aut graue quicquam:
I Inde æqui montes campis, hinc cærula Ponti
O Omne ratis spernent onus, hiscet flumine tellus,
Σ Sic fontes simul arescent, & fluminis aluei.
Σ Stridula tum querulum sonitum tuba fundet olympo,
Ω Orbis grande malum rugiens, & damna futura.
T Tartareumq; chaos monstrabit terra dehiscens.
H Et venient omnes reges Domini ante tribunal.
P Refluet & cælo tunc sulphuris amnis & ignis.
Σ Sic cunctorum hominum fient manifesta sepulcra.
T Tunc Lignum fidis erit exoptabile cornu,
A Atque piorum vita hominum; nocumentaq; mundi
Y Vndis lustrabit bisseno fonte vocatis.
P Rex is Pastor erit nobis, & ferrea virga.
Ω Omnipotens Deus est præscriptus versibus istis,
Σ Seruator, nostro Rex passus amore perennis.

Hanc ego beatam quidem iudico, quam Seruator prouidentiæ suæ erga nos vatem elegit. Verùm multi sunt, qui, hæc istam vaticinatam esse, non credunt: quamuis, Sibyllam Erytræam fuisse Vatem, confiteantur: sed suspicantur, aliquem nostræ religionis, poëticæ musæ non expertem, hæc condidisse carmina, esseque illa adulterina, & falsò Sibyllæ vaticinia dici, &c. Est autem in confesso, Tullium Ciceronem poëma hoc legisse, illudque in Romanam dialectum transtulisse, & commentarijs suis inseruisse: denique hunc (imperante Antonio) interemtum, Antonium verò postea ab Augusto superatum, qui 56. annos imperauit, & huic Tiberium successisse: cuius tempore Christi aduentus illuxit, & sanctissimæ religionis mysterium obtinuit.

Cicero de Diuinat. lib. 2. Sibyllæ versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur. Non autem esse illud carmen furentis, cùm ipsum Poëma declarat (est enim magis artis & diligentiæ, quàm incitationis & motus) tum verò ea, quæ ἀκροστιχὶς dicitur: cùm deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur, vt in quibusdam Ennianis, quæ Ennius fecit. Id certè magis est attenti animi, quàm furentis. Atqui in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiæ, primis litteris illius sententiæ, carmen omne contexitur. Hoc Scriptoris est, non furentis: adhibentis diligentiam, non insani, &c.

Augustinus de Ciuit. Dei, lib. 18. cap. 23. Vir clarissimus, inquit, Flaccianus, homo multæ doctrinæ, cùm de Christo colloqueremur, Græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ, vbi ostendit quodam in loco, in capitibus versuum ordinem literatum ita se habere, vt hæc in eo verba legerentur. Ἰησοῦς χριστὸς, θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ; Ihesus Christus, Dei filius, Saluator.

Theophilus Instit. libro ad Autolycum 2. plurima citat Sibyllæ carmina, cum his prorsus congruentia.

De Sibyllis disserit etiam Suidas, Augustinus Steuchus in libro de perenni Philosophia, 1. 21. & 22. capitibus, &c. copiosè, & doctè. Ioannes Ludouicus Viues in Commentarijs suis ad librum 18. S. Augustini de ciuitate Dei; nec non & Aulus Gellius Noctium Atticarum libro 1. cap. 19. item Hartmannus Schedel in Chronico Noribergico Magno.

Illustria quædam Sibyllina carmina de Deo, & Ihesu Christo, Seruatore nostro.

Vnus tantùm Creator æternus, Solus est colendus.

Erythræa.

Lactant. lib. 1. cap. 6.

Εἷς μόνος εἰμὶ θεὸς, καὶ οὐκ ἐστι θεὸς ἄλλος.
Εἷς θεὸς, ὃς μόνος ἐστὶν, ὑπὲρ μεγέθους, ἀγένητος,
Ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν
Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε, καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου;
Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθε; ἡγήτορα κόσμου,
Ὃς μόνος εἰς αἰῶνα, καὶ ἐξ αἰῶνος ἔτυχεν.

Vnus solus sum Deus, & non est Deus alius,
Vnus Deus, qui solus est, omnem magnitudinem excellens, ingenitus,
Sed Deus solus vnus supereminentißimus, qui fecit
Cælum, solemq́, & astra, atque Lunam,
Frugiferamq́ terram, & aquæ fluctus Ponti,
Ipsum solum, existentem, colite, principem mundi,
Qui solus est in seclum, & à seclo existit.

Contra Idololatriam.

Lactantius lib. 1. cap. 15.

Ἑλλὰς, δή τι πέποιθας ἐπ' ἀνδράσιν ἡγεμόνεσσι;
Πρὸς τί δὲ δῶρα μάταια καταφθιμένοις ἀνατίθης;
Θύεις εἰδώλοις; τίς τοι πλάνην βάλεν ἐν νῷ,
Ὡς τέ σέ τάδε ποιεῖν, μεγάλοιο θεοῖο προσώπου
λειπομένου;

Græcia, quid confidis in viros Principes?
Ad quid verò dona inania mortuis dedicas?
Sacrificas idolis? Quis tibi errorem misit in mentem,
Vt hæc faceres, magna Dei facie
Relicta?

Creatio & lapsus Hominis.

Lactant. lib. 2. cap. 11. & 13.

Εἰκὼν ἐστ᾽ ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.
Ἄνθρωπον πεπλᾶσθαι θεοῦ παλάμαις ἐνὶ αὐταῖς.
Ὄντε πλάνησεν ὄφις δολίως, ἐπὶ μοῖραν ἀνέλθειν
Τοῦ θανάτου, γνῶσίν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε κακοῦ τε.
Imago est Homo mea, rationem rectam habens,
Hominem formatum esse in Dei manibus,
Quem etiam decepit serpens dolosè, vt ad fatum veniret
Mortis, cognitionemq́; acciperet & boni, & mali.

Leges vitæ honestæ, præmia virtutum, & pœnæ vitiorum.

Lact. lib. de Ira Dei, c. 22.

Φεῦγε δὲ λατρείας ἀνόμους, θεῷ ὄντι λάτρευε.
Μοιχείας τε φύλασσε, καὶ ἄρσενος ἄκριτον εὐνήν.
Ἰδίαν γενεὰν παίδων τρέφε, μηδὲ φόνευε.
Καὶ γὰρ ὁ ἀθάνατος κεχολώσεται, ὅσκεν ἁμάρτῃ.
Ἄφθαρτος, κτίστης, αἰώνιος, αἰθέρα ναίων.
Τοῖς τε ἀκάκοις ἄκακον προφέρων πολὺ μείζονα μισθόν:
Τοῖς τε κακοῖς ἀδίκοις τε χόλον καὶ θυμὸν ἀγείρων.
Fuge autem cultus illegitimos: Deo viuenti seruito:
Adulteria caue, & masculi insanum cubile.
Propriam generationem liberorum nutri: néue occideris.
Etenim immortalis irascetur cuilibet peccanti.
Incorruptibilis, conditor, æternus, æthera inhabitans,
Bonis bonam proferens multò vberrimam mercedem:
Malis autem iniustisq́; iram & furorem colligens.

Filium Dei esse Deum verum.

Lactantius lib. 4. cap. 6.

Αὐτὸν σὸν γίνωσκε θεὸν, θεοῦ υἱὸν ἐόντα.
Αὐτὸν ἔδωκε θεὸς πιστοῖς ἀνδράσι γεραίρειν.
Ipse tuum cognosce Deum, qui Dei filius est;
Ipsum dedit Deus credentibus viris honorare.

Christum esse hominem verum, & Quare?

Lactantius lib. 4. cap. 16.

Οἰκτρὸς, ἄτιμος, ἄμορφος, ἵν᾽ οἰκτροῖς ἐλπίδα δώσῃ.
Miserabilis, infamis, deformis, vt miserabilibus spem daret.

Tyburtina Albunea.

Incarnatio Domini & Natiuitas ex Virgine.

VErax ipse Deus dedit hæc mihi numina fandi
Carmine, quòd sanctam potui monstrare puellam,
Concipiet Nasaræ quæ tunc in finibus illum,
Quem sub carne Deum Bethlemica rura videbunt.
O nimium felix cælo dignissima mater,
Quæ tantùm sacro lactabit ab vbere natum.

Erythræa Sibylla.

Christi Domini miracula.

Lact. lib. 4. cap. 15.

Πάντα λόγῳ πράττων, πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων.
νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσαι.
Καὶ χωλῶν δρόμος ἔσ' ὠκὺς, καὶ κωφὸς ἀκούσει,
Καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσους' ὀυ λαλεοῦντες,
Τοὺς ἀνέμους παύσει τε λόγῳ, στρώσει δὲ θάλασσαν
Μαινομένην, πόσιν εἰρήνης πίστει τε πατήσας.
Omnia verbo agens, omnemq; morbum curans,
mortuorum autem resurrectio erit.
Et claudorum cursus erit velox, & surdus audiet,
Et cæci videbunt, & muti loquentur.
Ventos compescet verbo, sternet autem mare
Insanum, pedibus pacis fideq; calcans.

Persica Sibylla.

Christus asina vectus, Afflictio fidelium, & Virgo mater.

Virgine matre satus pando residebit asello,
Iucundus Princeps, vnus qui ferre salutem
Ritè queat lapsis. Tamen illis fortè diebus
Multi multa ferent immensi fata laboris;
Solo sed satis est oracula prodere verbo.
Ille Deus casta nascetur virgine magnus.

Erythræa.

Paßio Domini nostri Ihesu Christi.

Lactant. lib. 4. cap. 18. & 19.

Εἰς ἀνόμων χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει,
Δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
Καὶ στόμασιν μιαροῖσι τὰ πτύσματα φαρμακόεντα.
Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.
Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει.
Αυτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας,
Παίζοντ' ἐν θνητοῖσι νοήμασιν, ἀλλά γ' ἀκάνθαις
Ἔστεψας στεφάνῳ, φοβερὴν τε χολὴν ἐκέρασσας.
Ναοῦ δὲ σχισθῆται πέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ
Νὺξ ἔσαι σκοτόεσσα πελώριος, ἐν τρισὶν ὥραις.
In iniquorum manus, & infidelium postea veniet:
Dabunt autem Deo alapas manibus impuris,
Et labijs immundis salinas virulentas.
Dabit autem in flagella simpliciter innocens tergum,
Et colaphizatus tacebit.
Ipsa enim Tu (Iudæa) stulta Deum tuum non cognouisti,
Ludentem mortalibus cogitationibus: sed & spinis
Coronasti corona, horridumq; fel miscuisti.
Templi verò scindetur velum, & die medio
Nox erit tenebrosa ingens tribus horis.

Resurrectio Domini nostri Ihesu Christi.

Lactantius lib. 4. cap. 19.

Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας.
Καὶ τότ' ἀπὸ φθιμένων ἀνακύψας, εἰς φάος ἥξει,
Πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.
Et mortis fatum finiet triduum sopitus,
Et tunc à mortuis egressus, in lucem veniet,
Primus resurrectionis vocatis initium ostendens.

Ascensio Christi ad cœlos: & vocatio gentium per Euangelium.

Ex fine 1. lib. Orac. Sibyllinorum.

Αὐτὰρ ἐπὴν ἔλθῃ τρισὶν ἥμασιν ἐς φάος αὖθις,
Καὶ δείξει θνητοῖσιν ὕπνον, καὶ πάντα διδάξει;
Ἐν νεφέλαις ἐπιβὰς εἰς οὐρανοῦ οἶκον ὁδεύσει,
Καλλύψας κόσμῳ εὐαγγελίης διάσημα.
Τοῦ καὶ ἐπωνυμίην βλαστὸς νέος ἀνθήσειεν
Ἐξ ἐθνῶν.
Sed postquàm triduo lucem repetiuerit, atque
Monstrârit somnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illustrârit, cœlestia tecta subibit
Nubibus inuectus; cùm lætum panditur orbi
Pactum Euangelij, cuius de nomine surget
Flore nouo germen de gentibus.

Legis impletio & abrogatio, Libertas Christiana, & traditionum humanarum dißipatio.

Lact. lib. 4. cap. 17. lib. 7. cap. 18.

Ἀλλ' ὅτι ταῦτ' ἂν ἅπαντα τελειωθῇ, ἅπερ εἶπον,
Εἰς αὐτὸν πᾶς λύσεται νόμος
ἡμετέρας δουλείας.
Ζυγὸν δυσβάστακτον ἐπ' αὐχένι κείμενον ἀρεῖ,
Καὶ δεσμοὺς ἀθέους λύσει, δεσμούς τε βιαίους.
Τρίψουσι δ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα,
Ἔργα δὲ χειροποίητα θεῶν συνεκκαύσονται.
Sed quando hæc omnia perfecta fuerint, quæ dixi,
In ipsum omnis soluetur Lex
Nostræ seruitutis.
Iugum intolerabile super collum positum tollet,
Et leges impias soluet, vinculaq́ violenta.
Conterent autem idola mortales, & opes vniuersas;
Opera verò manufacta Deorum comburentur.

Destructio templi, & dispersio Iudaicæ gentis.

Ex lib. 1. Oracul. Sibyllinorum.

Ἀλλ' ὁπόταν ναὸς σολομώνειος ἐν χθονὶ θείᾳ
Καππεσσεῖ βληθεὶς ὑπ' ἀνδρῶν βαρβαροφώνων
Χαλκεοθωρήκων, ἑβραῖοι δ' ἀπὸ γῆς ἐλάσονται
Πλαζόμενοι, κεραιζόμενοι, &c.
Cùm dederint autem Solomonia templa ruinam,
A Loricatis, quorum vox barbara linguæ,
Diruta, tum patria terra pellentur Ebræi,
Errantes, miserè vexati.

Sibyllina oracula nec vana esse, nec confictа.

LActantius libro 4. cap. 15. His testimonijs quidam, inquit, reuicti, solent eò confugere, vt dicant, illa non esse carmina Sibyllina, sed à nostris conficta atque composita. Quod profectò non putabit, qui Ciceronem Varronemque legerit, aliosque veteres, qui Erythraeam, caeterasque commemorant, ex quorum libris ista exempla proferimus, qui auctores obierunt, antequàm Christus secundum carnem nasceretur. Denique Erythraea fore ait, vt diceretur insana & mendax. Dicit enim:

Φήσουσι Σιβύλλην
Μαινομένην ψεύστριαν: ἐπὰν δὲ γένηται ἅπαντα,
Τηνίκα μοῦ μνήμην ποιήσετε, κ' οὐκέτι μ' οὐδεὶς
Μαινομένην φήσει, μὲ θεοῦ μεγάλοιο προφῆτιν.

Dicent Sibyllam
Insanam mentitricem: cùm autem facta fuerint omnia,
Tunc mei mentionem feceritis, neque me iam quisquam
Insanam dixerit, me Dei magni prophetissam.

Ruina Romae, & Monarchiae Romanae.

EXtant libri Sibyllini Graeci, Oracula Sibyllina inscripti, emti dudùm à Graeco quodam Venetijs, per amplissimum senatum Reipub. Augustanae, collatique cum quibusdam alijs Graecis exemplaribus. Traditi sunt autem industrio & praeclaro Typographo Basiliensi, D. Ioanni Oporino, per clarissimum virum D. Xystum Betuleium Augustanum. Impressi sunt Basileae.

In 8. lib. leguntur sequentia; sicuti ferè ad litteram in Latinum sunt translata: Graeca extant, cum quibus haec possunt conferri:

Venturae magnae irae super mundum incredulum,
Nouissimo in seculo, Dei admonitiones ostendo,
Omnibus prophetans oppidatim hominibus.

Praefatur hic vates ijs, quae mox subiungit, ostendens breuibus, de qua re sit dictura, siue haec Erythraea, quod crediderim, siue alia fuerit Sibylla, nempè de ventura magna ira super incredulum mundum. Item, quando haec sit ventura? in nouissimo seculo. Temperat tamen propositionem hanc duram, per id, quòd annunciationem vel prophetiam hanc nuncupat admonitionem. Per haec itaque homines postremi seculi admonentur, vt resipiscant, oculos recipiant, & praeparantes se iudici & iudicio extremo, salui fiant. Praeterea indicat, ad quos pertineat haec admonitio; Ad omnes homines, adeoque Oppidatim, id est, ad singulos nostrûm.

Commemorat autem, sicuti & Daniel propheta in 7. cap. praecipuas, ab extructa turri Babylonica, monarchias. Ac quintam appellat Italicam, nimirum Romanam, cuius interitus causas recenset, scelera immania, caedes, libidines, superbiam, auaritiam, tyrannidem, & alia id genus facinora, idololatriam imprimis. Ac ipsum Romae interitum sic delineat:

Veniet tibi olim desuper par, ô iactabunda Roma,
Coelestis plaga, & flectes ceruicem prima,
Et ad solum deiicieris, & ignis te totam absumet,
Inclinatam pauimentis nouis; & opes peribunt;
Et tua fundamenta lupi, & vulpes inhabitabunt.
Et tunc eris tota deserta omninò, ceu non fueris.
Vbi tunc Palladium? quis te Deus seruabit?
Aureus, vel lapideus, aut aereus? aut tunc vbi tibi
Decreta Senatusconsulti? vbi Rheae, aut Saturni?
Aut Iouis genus, & omnium, quos coluisti,
Daemones inanimatos, mortuorum idola defunctorum?
Quorum Creta sepulchri gloriationem infelix habet,
Superstitiosè colens thronis sensu carentes mortuos.

Anno

Sicut Prophetæ, ita & Sibylla futurum dicit, vt par pari sit rependendum Romæ. Diripuit e-
mnes orbis regiones, vniuersas compleuit humano cruore, vastauit crudeliter omnia. Futurum er-
gò ait Sibylla, vt gentes cum ea acturæ sint ita, vt ipsa priùs cum alijs omnibus gentibus egit: iuxta
illud: væ tibi, qui prædaris; nonnè & tu prædaberis? certè cùm vastare desieris, vastaberis & tu,
Isaiæ 33.

Dicit autem, vnde hæc sint profectura, & ventura super Romam; Desuper. Ideoque & va-
stationem Romæ nuncupat plagam cœlestem; non fortuitam, aut hominum vi & insidijs paratam,
sed à Dei æquissimo iudicio immissam. Nec caussas tacet, ob quas Deus Romæ iratus, funditus
ipsam excindet.

Postea multis Idololatriam, cultumque gentilitium, & superstitiosum à Romanis continue v
su exercitatum, exagitat; nunc verò intolerandam superbiam, arrogantiam, vanamque gloriatio
nem profert in medium, appellans Romam iactabundam. Et rectè iactabundam, quia omnibus s
gentibus prætulit, omnia sibi præclara tribuit, eademque alijs omnibus ademit, & plus sibi arroga
uit, quàm reuera vel habuerit, vel fecerit.

Videre hoc licet in historijs Romanis, nihil nisi Romanum fastum crepantibus, omnia aliarum
gentium etiam præclara facinora vel tacentibus, vel dissimulantibus, aut deprauantibus. Vnde
haud dubiè maiores nostri Germani mutuò acceperunt suum illud vocabulum Rümen vel Römen.
id est, magnificè gloriari, vel iactare, &c. Cæterùm, quæ elata ceruice omnes despexit, & omnibus
ambitiosè se prætulit, eadem prima, ait Sibylla, Ceruicem flectet, id est, humiliabitur, & deijcietur,
secundum vulgarem Domini nostri sententiam: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.

Sed & pleniùs & perspicaciùs exponit in sequentibus, quomodo superba Roma ceruicem si
flexura: Ad solum deijcieris, Igni conflagrabis. Addit: tametsi nouis sis impolita pauimentis, ve
fundamentis: id est, non tuebitur te, quòd pulcherrima & inuictissima sis vrbs, veluti de nouo, &
quàm optimè, elegantissimeque exstructa. Deijcieris, laceraberis, conculcaberis, peribis.

Immensæ quoque illæ facultates tuæ, quas, vniuerso orbe direpto, congessisti, tibique & tuis
recondidisti, rapinæ omnium gentium erunt futuræ, & euacuaberis tota: interibis tota: quod si-
gnificat per locutionem, multis in locis, & maximè apud Isaiam 13. c. vsurpatam: & tua funda-
menta lupi & vulpes inhabitabunt, id est, prorsus eris deserta. Lupi & Vulpes vastis gaudent locis:

Significatur ergò vastatio Romæ horrenda: qua sanè constat Romam, testibus historijs, seme
euersam esse, & euacuatam, licet postea iterum legatur instaurata esse & inhabitata. Nisi fortè malis
Sibyllam intellexisse per lupos & vulpes, homines truculentos, vafros & versipelles: inprimis verò
vulpinis præditos ingenijs, nimirùm Papas, Cardinales, Episcopos, Prælatos, Pfaffos & Mo
nachos.

Hi enim Romam à Gotthis euersam propè restaurârunt, nouis ædificijs super vetera fundamen-
ta positis. Vnde Sibylla cecinisse videtur: Et tua fundamenta (en; fundamenta dicit) Lupi & Vul-
pes inhabitabunt.

Quemadmodum verò Prophetæ grauiter in descriptione excidiorum, vrbium, regnorumque,
& gentium, inuecti sunt in Idololatriam, & cultum Dei peregrinum, clamâruntque: (Et cùm ita
dissip eris, quis te Deus seruabit? Age, voca Deos tuos, vt te à malis illis liberent) ita Sibylla quoque
non sine sarcasmo, vbi tunc, inquit, Palladium? Quis te Deus seruabit? &c.

Non puto autem, mihi hîc esse immorandum explicandis illis Romanorum peregrinis culti-
bus, Dijs, & superstitionibus. Quæ enim hic à Sibylla commemorantur, omnia in ipsorum Poë
tis, & poëtarum interpretibus plenissimè exponuntur, & intelliguntur.

Videor autem mihi operæ pretium facturus, si compendio colligam, ex receptis authoribus,
historiam Romæ oppugnatæ, captæ, direptæ, tandem & inflammatæ, & vastatæ, atque desolatæ.
Alioqui varia, diffusa, & intricatissima est hæc apud Scriptores historia.

Videtur autem Constantinus ille magnus, & reuera quidem magnus, pius, prudens, & opti-
mus, prævidisse vrbis interitum miserandum, vt qui prophetias, vel apocalypticas saltem non ig
norabat, ideoque in Thracia Byzantij locum sibi delegisse, in quo vrbem suo de nomine conde-
ret. Quod & feliciter successit, ac exstructam magnificè Constantinopolim appellauit.

Abhorruit procul dubio bonus princeps à Roma sanguinaria, sanguine sanctorum madente,
adeoque exundante, præterea & à Daniele Bestia proprijssimo vocabulo nuncupata. Ergò aliam
regni sui sedem delegit: quæ &, dilapsa discerptaque monarchia Romana, vnà cum vrbe infausta,
salua perstitit.

Etenim vt paucos post annos à morte Constantini, 73. circiter, Roma à Gotthis capta est: ita
Constantinopolis perstitit, & subinde vires accepit maiores. Certè cùm longè lateq; per vniuersum
orbem omnia tumultuarentur & concuterentur regna, Constantinopolitanum permansit incolu-
me per annos 1119. ab anno videlicet Domini 334. vsque ad annum 1453. quo à Turcis est op-
pugnatum & captum, Imperatore Constantinopolitano vltimo Constantino VII. Is fortasse non-
dum esset sublatus è medio, nisi ante annos 14. sese Constantinopolitani cum Pont. Max. in reli-
gione coniunxissent.

Et quidem filij Constantini, alius in Oriente Constantinopoli imperabat, alius in Occidente,
& pauci quidem Romæ, nec sine cæde & sanguine, à Constante vsq; ad Theodosium regnârunt. Mor-
tuo autem Theodosio, qui & ipse ex rebus præclarè gestis nomen Magni est adeptus: ambo filij, Arca-
dius & Honorius, iuuenes adhuc erant, qua occasione ipsorum militiæ duces regno inhiare cœperunt.

Per

Per auaritiam certè & imprudentiam, auxiliarijs Cæsarum Gotthis stipendia primùm imminuta, deinde & prorsus sunt negata: id quod Gotthis vehemens commouit fastidium.

Conglobati ergò, in Romanos duce Rhadagiso, bellum mouent. Sed cùm transissent Apenninum, ad Fesulam à Stilicone Cos. sunt repressi. Rhadagisus fugiens captus, & strangulatus est. Reliquiæ creârunt sibi regem Alarychum (Der sie all Reich machen solt) qui Dux fuerat exercitus apud Theodosium magnum contra Eugenium.

Cum his (qui erant VVestgotthi) Stilico paciscitur, ac in Gallijs sedem eis commonstrat. Quò cùm proficisceretur illa turba, iussu Stiliconis: dux quidam, dolo ac perfidia copias aggressus Gotthicas, in die Paschatis, plurimos ex ijs trucidauit. Noluerunt, religione quadam retenti, in illa die pugnare, & vim hostium à se repellere, in qua Dominus noster Iesus Christus ex mortuis resurrexisset, & mundo vitam donasset. Nefas enim putabant eo die quemquã interficere. Postera verò luce Romanas adorti cohortes fuderunt, atque fugârunt. Mox vrbem Romam contendunt, & circumsessam biennio, fameque fatigatam, Calendis April s irrumpunt & capiunt, anno à condita vrbe 1164. anno autem Domini 412. sunt, qui numerant annum 414.

Vrbe capta, & paucis ædificijs succensis, spolijs tamen pluribus ereptis, præcipiente rege Alarycho, à cædibus abstinuêre. In quo manifestè perspicitur insignis Dei clementia parcentis peccatoribus. & concedentis pœnitendi spacium. Quod cùm Romani non agnouêre, subuersi sunt postea penitus, & vrbs ipsa combusta.

S. Hieronymus in Epitaphio Marcellæ ad Principiam, deplorat hunc miserabilem Romæ casum, fortassis propter fidelium Ecclesiam, quæ Romæ tunc erat. Alioqui non dissimulat Paulus Orosius, in Historia sua ad S. Augustinum scripta, vrbem in Idololatria incurabiliter pertinacem, & fœdis sceleribus exundantem, commeritas Deo dedisse pœnas: Legatur libro histor. 7. cap. 29.

Et certè constat, his ipsis temporibus Symmachum, vrbis Romæ præfectum, virum alioqui clarissimum, ausum fuisse relationem facere ad Valentinianum, Theodosium, & Arcadium Augustos, pro veteri Deorum cultu restituendo, contra Christianos, quæ hodie adhuc extat in libris Ambrosij & Prudentij, qui ad ipsam responderunt. Vnde & Sibylla, inter præcipuas caussas captæ & afflictæ vrbis, commemorat fœdam illam Idololatriam.

Neque vanum omninò putandum est, quod legitur in historiis; venerandum quendam virum dehortatum esse Alarychum ab oppugnatione vrbis. hunc verò respondisse: Non ego volens proficiscor Romam, sed quidam admodum molestus mihi dicit: Perge, & destrue Romam. Certum itaq; est, hunc Alarychum cum suis copijs Gotthicis, excitatum à Deo, seruum, in hoc ministerio, Dei fuisse, perinde vt quondam Nabuchodonosorem Chaldæum contra Hierosolymam, & gentem Iudaicam.

Fortassis nec per aliam gentem Deus Romam voluit euerti, quàm per Gotthicam, id est, Diuinam (Germanis enim Gott significat Deum) vt vel solo hoc nomine omnis mundus intelligeret, Deum ipsum de impia & sanguinaria Roma per Gotthos, per Dei inquam milites, sumere dincommeritum supplicium.

Nam sub imperio Romano capite truncatus est Ioannes Baptista; crucifixus est item sub Pontio Pilato, Romanorum præside in Iudæa, Iesus Christus Dei filius: trucidati sunt sub eodem omnes Sancti Apostoli, ac per persecutiones, quas numerat Orosius decem, innumeræ martyrum myriadibus mo Deo vindicaretur.

Gotthi tertia autem die, quàm vrbem ingressi fuerant, vrbem rursus reliquêre, profecti in Lucaniam & Campaniam. Mox tamen, Alarycho mortuo, Attaulpho (Germanicè Attihilff) creato Rege Gotthorum, Romam reuertuntur, eamq; auariùs, quàm antea, deprædantur.

Aiunt, tunc Regem Gotthicum deliberasse de euertenda Roma, & noua vrbe exstruenda, quam à Gente victrice nuncuparet Gothiam: verùm retractum ab vxore Placidia, mentem mutasse. Erat autem Galla Placidia Theodosij filia, soror Honorij & Arcadij, quæ prima Alarychi irruptione capta, coniugio copulata fuit Attaulpho, Alarychi cognato.

Post hæc parsum est animabus aliquot Romæ à Deo clementissimo, qui mortem peccatoris non vult, sed magis vt conuertatur & viuat. Docuerunt eo tempore Romæ Zozimus, Bonifacius, Celestinus, Sixtus, & Leo ejus nominis primus, pastores, & episcopi Romani. Cùm verò pauci emendarentur ad prædicationem pœnitentiæ, iterum Deus ostendit potiùs, quàm incussit flagellum.

Etenim post pugnam Catalaunicam, in qua anno Domini 454. occubuerant hominum centena octoginta millia; Attila Hunnus, verissimum Dei flagellum, reparatis militiæ viribus, Italiam ingressus, Aquilegiam obsidet, oppugnat, capit, & delet: mox vicinas vrbes diripit, & vastat: perueniteque ad eum eum vsque locum, vbi Mincius Pado infunditur, vbi castris positis, consilium de Roma inuadenda capit. At Leo Romanæ Ecclesiæ fidelis Episcopus, ad Attilam progressus, & supplex effectus, precibus suis effecit, vt pace confecta, ex Italia rediret in Pannoniam: vbi crapulæ ebrietatique indulgens, sanguine suo derepentè defluxo, miserè est extinctus, an. Dom. 455. Didicissent tunc Rom. Idololatræ saltem ex eo, quòd Christus, & Eccles. eius minister, saluté Romæ impetrârat

ab eo,

Anno

ab eo, qui alioqui nullum, quantumuis potentem, audiuisset principem; quanta esset Christi virtus, & conuertissent se, si sapuissent, ad Christum Dominum.

Cæterùm cùm Romani nulla mouerentur Christi Domini beneficentia, & longanimitate, immisit eis nouos hostes, & eos quidem acerrimos, Vandalos videlicet, per hanc occasionem.

Valentinianus Cæs. per Constantium Cæs. & Gallam Placidiam, Honorij sororem, dudum à Gotthis restitutam, natus, cùm regnasset in Occidente circiter annos 30. à Thrasilia in Campo Martio Romæ est interfectus. Maximus verò Imperium inuasit, anno Domini 456. aut circiter: & vt sibi pararet auctoritatem, Eudoxiam Iunioris Theodosij Arcadij filij filiam, Valentiniani relictam vxorem, matrimonio violento sibi copulauit.

Mulier ergò iniuriæ impatiens, euocat ex Affrica Vandalorum Principem Genserychum (Gantz Reich) qui, conscriptis CCC. hominum millibus, mare traiecit cupidè, ac vrbem inuasit. Obuiam ei ibat Leo Episcopus, qui paulò antè Attilam ab vrbe mouerat: sed vrbis impœnitentia vrgebat pœnam: vnde nihil apud principem effecit Episcopus, nisi quòd Paulus Diaconus in sua commemorat historia, illum Leonis delinitum precibus, abstinuisse à cæde, & incendio.

Occupata est ergò à Vandalis, & ab immensa illa militum multitudine, Roma. Quid factum sit à gente barbara, facilius sanè est cogitare, quàm scribere. Diripiuntur simul sacra atque profana, omnia templa euacuantur, omnia Imperij ornamenta tolluntur, nihil fit reliquum: exhauritur nunc demum vrbs, orbis vniuersi spolijs ditata, & referta. Durauit direptio per integros dies 14 id quod futurum prædixit Sibylla, canens:

Et opes peribunt.

Cumque nihil superesset, quod hostilis efferret auaritia, captiuos magna copia, adeoque ipsammet Eudoxiam, cum duabus filiabus, secum abstrahunt in Africam. Incidit hæc calamitas in annum Domini 456. Alij numerant annum 459.

Nec pigebit, in præsentia ordine commemorare, sed breuibus, principes, qui in Romano Imperio sibi successerunt, ad regnum vsq; Odacris; quòd plurimum habeant hæc similitudinis cum regno Israëlis 10. tribuum, quod & ipsum propter peccata, seditionibus, latrocinijsq; mutuis & horrendis, sub finem suum diuexatum & eneruatum, tandem concidit: sicut videre est 4. Reg. c. 15.

Et quidem à cæde Valentiniani Cæs. vsq; ad dominatum Odacris Germani, numerantur anni circiter 22. Et tamen in his paucis annis 10. imperârunt Principes, Quorum alij quidem ab Imperatoribus Constantinopolitanis constituti sunt, alij verò à Senatoribus Romanis, alij à militibus intrusi, & alij artibus, & vi propria emerserunt.

Maximus, qui inualerat, vt antè dictum est, Imperium, ad Genserychi ex Africâ aduentum, discerptus est à Romanis, & proiectus in Tyberim.

Post discessum Genserychi, & interitum Maximi, in Gallia imperium sibi sumit Auitus patricius, & à Senatu Romano recipitur. Sed Placentiæ captus à Rychemere Gotho opulento, & præpotente, coactus est deponere purpuram.

Succedit Maioranus: verùm apud Rauennam Rychemeris factione circumuentus interficitur.

Ibidem mox Rychemeris auxilijs, Seueros Imperator substituitur; idem tamen fraude illius dicitur veneno extinctus.

Porrò Leo Orientis Imperator mittit Anthemium in Italiam: sed à genero suo Rychemere confoditur, & Rychemer post 40. dies etiam morbo est consumtus.

Leo itaque Olybrium Romam mittit: verum is septimo mox Imperij sui mense decessit.

Deinde apud Rauennam exercitus Glycerium salutat Imperatorem; at vix emenso in Imperio spacio annuo, eiectus est regno à Iulio nepote, & apud Salones coactus est Episcopatum accipere in Dalmatia.

Nepos autem Orestem cum exercitu in Galliæ partes misit contra VVestgotthos, ipse verò, exercitu Rauennam adducto, filium suum Augustulum facit Imperatorem: quod cùm Nepos audiuisset, fugit in Dalmatiam, & Salonis est trucidatus.

Porrò Odacer (Ödcher / Vastator) superueniens cum Germanis, Rugis, Thuringis, Herulis & alijs, cum Oreste ad Rauennam congressus, magnis prælijs Romanos vicit, Orestemque occidit, & Romanorum legiones deleuit, inde Regis nomen assumsit. Augustulus verò præ metu purpuram abiecit in Tusculano. Ita Imperium Romanum tunc deuolutum est ad Germanos.

Naucleros Gen. 16. Ita Romanum Imperium, inquit, toto orbe venerandum; & Augustalis dignitas, quæ ab Augusto quondam Octauiano incepit, in hoc Augustulo (addit Otho Frising. lib. 4. cap. 30. peccatis sic exigentibus, iusto Dei iudicio, ea, qua alijs Roma mensa erat gentibus, mensura remetiendum ei fuit) desijt, atque perijt.

Odacer Germanus verò vrbem ingressus Romam, à Romanis exceptus est summis honoribus, deductusq; in Capitolium, Rex Romæ & Italiæ est salutatus. Contra hunc Zenon Imperator Constantinopolitanus (pro veteri exotericarum gentium arte, qua semper, etiam hodie, Germanos contra Germanos duxêre, & suas res ipsorum vulneribus confecêre, quibus tamen ex animo numquam fauerunt: scilicet Das seind der Welschen liste mit den vnbedachten Teudschen) armauit Theodorychum Veronem (quem vulgus appellitat Dieterich von Bern) magnum illum tunc temporis

Ostgottho-

Ostgotthorum Regem. Obsedit hic Odacrem Rauennæ, triennio, tandemque vrbe deditione accepta, interfecit Odacrem, Ipseque pro eo regnauit Romæ, & per Italiam.

Regnante verò Theodorychi filio Athalarycho, & Theodato: Iustinus Imperator Bellisarium virum insignem, & in militiâ exercitatissimum misit in Italiam contra Ostgotthos, vt eos Italiâ pelleret. Hic sub Vitige Ostgotthorum Rege, Romam recuperauit, eamque muris instruxit, atque muniuit: sic, vt annuâ obsidione, quâ Romam oppugnabant, Ostgotthi nihil efficerent. Interea Bellisarius Rauennâ quoque potitus (quam Theodorychus regni sedem constituerat: Romam verò Senatus curæ, & gubernationi permiserat) captum Vitigem Ostgotthorum Regem ducit Constantinopolim.

Succeduntalij apud Ostgotthos Reges: Ildonadus, quem Auentinus Hildebrandum nuncupat, & Araricus, postquam & Totilas Baldiulla (Bald auff) fatalis Romæ princeps erat. Hic vicit Græcos & Romanos ingenti prælio ad Placentiam, fugauitque & cecidit, omnia denique imperialia signa cepit. Totam tandem Italiam fame domuit, vi atque armis recepit. Ipsamque vrbem Romam obsedit, cepit, diripuit, incendit, ac funditùs vastauit. Priusquam verò vrbem incenderet, missâ ad Iustinianum Legatione, pacem obtulit, atque expetijt. At Iustinianus à se Legatos, licet vterentur supplici, & miserabili oratione, orantes vt Romam dignaretur seruare, initâ cum Ostgotthis pace, reiecit ad Bellisarium, qui in Italiâ esset, & totum belli negotium sibi concreditum sustineret. Vnde tristes rediêre, visuri horrendum patriæ incendium.

Commemorabo nunc verbis Antonij Sabellici ex Enneadis 8. lib. 4. Conflagrationem, & interitum Romæ. Totilas vbi, quæ à Iustiniano responsa haberent, audiuit, pacemque sibi negari intellexit, paululum addubitauit, quid à se fieri oporteret. Inde furenti similis (nimirum iræ, & vindictæ Dei instinctu excitatus, impulsusque) vrbem excindere adortus: primò eam munitionibus nudat, mœnibus plus tertiâ parte solo æquatis. Capitolium inde incendit: mox passim ædificia publica & priuata, subiecto igni deflagrarunt. Ardere vnâ hæc, simulque Auentinus, Quirinalis, Cœlicus, cæterique colles eodem tempore incendio teneri. Exaudiri fragor ruentium tectorum, multarumque ætatum opera, clarissimaque virorum monumenta miserabiliter extingui. Incensâ, excisâq; vrbe, omnis ciuium multitudo, ne quis extremis patriæ cineribus dare possit lachrymas, per Latij & Campaniæ oppida dispersa est à Totilâ. Et quidem captâ vrbe præter Iↄ. ciues Totila non inuenit, reliquis omnibus aut in alia loca dispersis, aut lue consumtis: ex quibus pauci à militibus interfecti, cæteri interuentu Pelagij Pastoris Romanæ Ecclesiæ, in vitâ sunt conseruati. Inde Româ egressus, ne vnum quidem viuentium, marem fœminamué, in eâ remanere passus est, vt omni humano cultu deserta vrbs, quondam rerum Domina, iaceret, & feris habitanda relinqueretur. Hæc ille. Iam verò redeas ad Carmina Sybillæ licet, vtq; perspicatiùs singula intelligas, repete iam tecum, quæ illa cecinit: Et ad solum deijcieris, & ignis te totam absumet, & opes peribunt, & fundamenta tua Lupi & Vulpes inhabitabunt. Vides autem perspicuè omnia hæc, singulaque plenissimè adimpleta. Quid? quòd Scriptores plerique istam Romæ expugnationem, & vastum incendium vocârunt DESOLATIONEM.

Forte non Pelagij, sed Vigilij legendum.

Quamuis ergò Procopius dissimulet hanc Romæ vastitatem: cæteri tamen Scriptores eandem concorditer describentes asserunt. Inter quos commemorandus etiam venit Doctiss. & Opt. historiæ de Bello Italico contra Gotthos Scriptor, Leonhardus Aretinus, qui eodem modo excidium Romæ in fine 3. lib. describit, quo iam commemoraui. Incidit Romæ conflagratio in annum Domini 545.

Colligam nunc breuissimo compendio omnes, & singulas Romæ veteris calamitates, quas continuè intra annus 133. nimirùm ab anno Domini 412. vsque ad annum 545. perpessa est: vt in eo, ceu tabulâ, spectetur graue, & iustum Dei contra sanguinariam Romam judicium: Colligam autem verbis Scriptorum.

Roma omnium gentium victrix, diuque rerum potita, à VVestgotthis Alarychi ductu capta est, ac direpta, atque ex parte accensa. 1.

Nec multò pòst ab Athaulpho, qui Alarycho successit, ad prædam repetitâ, ac funditùs excisa fuisset, nisi vnius mulierculæ precibus, in suo esset retenta fastigio. 2.

Sequuti inde Vandali, qui Genserychi ductu, eam (tertiùm iam) diripuerunt. 3.

Mox Odacer & ipse (vt Scriptores vocant) barbarus, eandem vi occupauit. 4.

Quo sublato, Theodorychus, Ostgotthorum Rex, plures annos eandem cum totâ Italiâ tenuit. 5.

Recepta inde à Bellisario est, bisque obsidione fatigatâ, inediâ, & fame propemodum enecta. 6.

Demum sub Totilâ miserabile est sortita excidium, atque incendium. Quod præuidisse, & prædixisse dicitur Scipio. Qui dum cerneret aliquot diebus, incensam à Romanis, ardere Carthaginem, fleuisse fertur, ac dixisse: Simili casu ardebit aliquando, ac conflagrabit etiam Roma. Instinctu enim naturæ, imò Dei creatoris, & ducis, vel gubernatoris naturæ, intelligebat vulgatissimam illam sententiam: quâ mensurâ metimini alijs, eâdem alij remetientur vobis. 7.

His adijciemus adhuc paucula, quò melius intelligatur sequens versus Sibyllæ:

Et tunc eris tota deserta omninò, ceu non fueris.

Post combustam Romam, Iustinianus Imp. in Italiam misit ducem militiæ Narsen, vel Narseten, qui & Gotthos Italiâ pepulit, ac successorem habuit Longinum. De hoc Nauclerus Gene. 20. hæc scripta reliquit: Cœperunt tunc vrbs Roma, & italia nouam habere gubernationis formam: ex quâ dignitatem, gloriam, & apud orbem terrarum timorem magis amiserunt, quàm omnibus ex illis calamitatibus, quæ eos 160. annos attriuêre, atque aliquando Romam fecerant relinqui feris habitandam. Longinus namque nouum dignitatis nomen induxit Exarchatus Italiæ, is est summus magistratus. Et Rauennæ se continens, nunquam iuit ad vrbem Romam. In administratione autem Italiæ, & vrbium, hunc primus seruauit morem, vt non prouinciæ, aut regioni præesset Præses, sed singulæ vrbes, à singulis regerentur magistratibus, quos appellauit Duces. Parem itaque faciens vrbem Romam alijs vrbibus, vel oppidis, hac vnâ in re illam honorauit, quòd impositum tunc Magistratum Præsidem appellauit. Sed qui successerunt, sunt appellati Duces: vt posteà per multos annos sic Romanus appellaretur Ducatus, sicut Naruiensis, Spoletanusque est dictus. Neque post Narseten & Basilium, vel Consules Roma habuit, vel Senatum legitimè coactum: sed Duce homine Græculo, quem Exarchus ex Rauennâ mittebat, res Romana per multa tempora administrata est &c. Hactenus Nauclerus.

Quid verò vilius, aut contemtius potuisset vel cogitari, de Romanæ potentiæ (quæ quondam videbatur, & appellabatur immensa) conuulsâ, conculcatâ, adeoque in nihilum prorsus redactâ maiestate? quàm quòd audimus ex orbis Dominâ oppidanam factam esse præfecturam, paululum à pago, vel villâ distantem (Heist das nicht degradirt?) Quæ præterea neque Coss. habuit, neque legitimè conuocatum Senatum, minimisque quibuslibet vicinis oppidulis par in omnibus facta, atque iudicata est. Quis hoc vnquam iudicasset posibile, aut futurum? Sed hæc sunt iusta, & tremenda Dei iudicia contra omnes qui sese extollunt. Hos enim semper deiecit, ac in luto quasi abundè diuexatos, prouoluit, atque defœdauit. Rectissimè ergò Sibylla dixit, futuram Romam ita desolatam, ac si nunquam fuerit: Ad cuius reliqua carmina reuertemur: si priùs dixerimus, quinàm repararint Romam desolatam, ac nidum in eâ, nescij quid facerent, construxerint Antichristo Romano, bestiæ deterrimæ.

Ac primus inter Romæ reparatores Bellisarius, dum abesset Totilas, nemine, vel suorum, vel hostium, suspicante, Romam occupauit, eamque incredibili celeritate restaurare, & munire cœpit. Nam summâ cum militum voluntate 26. diebus incredibilia opera perfecit. Adest igitur Totilas, & iterum exstructam vrbis partem oppugnat: Sed in fugam vertitur. Et Constantinopolim reuocatur Bellisarius, & ab Imp. exoculatur, omnibusq; suis exuitur facultatibus.

Quis verò nouit, an vir tantus ob reparatam hanc abyssum Sathanicam, diuinitùs fuerit punitus, & ad tantam redactus inopiam, vt tandem coactus fuerit stipem à populo emendicare?

Bellisario in summam miseriam coniecto: Totilas Romam redit, eamque oppugnaturus obsedit, & cepit: nec iam iterum, vt antea, diruit, sed ciues per Italiam dispersos studiosissimè reuocauit, euersaque ædificia plurima restaurari iussit, tantumque studium Romæ reparandæ adhibuit, quantum priùs ostenderat desolandi. Mox tamen & ipse felicitate priore destitutus, in pugnâ contra Narseten interijt, nihilo felicior, quàm illi olim, qui Hierichuntinam vrbem, quam Dominus desolatam voluerat, reparàrunt. 1. Reg. 16. Sed & Narses in Româ reparandâ diligentissimam nauauit operam: mox tamen & ipse, amissâ apud Imp. gratiâ, dignitate, & officio est deiectus. Vt autem Bellisarius, Totilas, & Narses primi fuerunt Romæ, Antichristi nidi, reparatores: ita eadem posteà Ciuibus, præcipuè autem à Pontificibus Romanis, suisque Cardinalibus, & Episcopis, ad eam est reparata formam, quâ hodiè visitur.

DE ANTICHRISTO.

VErum vbi tibi Reges delicati ter quinq; fuerint,
Qui mundum seruitute presserunt, ab Ortu vsque ad Occasum,
Erit Rex cano galero, habens vicinum nomen Ponto,
Mundum spectans, scelerato pede munera conferens.
Auri quidem quàm plurimum habens, & argentum inimicum.
Plura postquam collegerit, & nudauerit (homines spoliando) absumet.
Et magicorum adytorum mysteria omnia tenebit.
Seruum (vel famulum, aut Puerum) Deum ostendet, omnes culturas soluet.
Et ab initio erroris mysteria omnibus aperiet.
Miserum inde tempus (erit) quia Linum ipsum perdet.

Et quon-

Anno

Et quando Populus dicet Magnus, Existens,
Robustus, Vrbs cadet.
Sciens statim superuenturum diem malum,
Et tunc lugebunt simul tuum illud præuidentes
Tristissimum fatum patres, & paruuli pueri,
Væ Væplorabunt humidas ad Tyberis vndas.

Hisce versibus describit Sibylla Antichristum, demonstrans tempus, quando videlicet sit exoriturus, & venturus. Deinde exponit, qualis sit futurus, quidué facturus. Denique quòd sit perdendus, & quomodo, quantoque suorum luctu prosequendus.

Et quantum quidem pertinet ad aduentum, vel exortum Antichristi: iubet ab exustâ Româ numerare Reges 15. post quos dicit exoriturum nouum illum regem, quem Antichristum vocamus. Certò autem constat, Romam exustam esse, quod & superiùs dixi, regnante Iustiniano Imp. quem sequuti sunt Græculi Impp. vel reges 15. vsque ad Leonem Isauricum, Constantinopoli residentes. Nam Roma desolata, non ampliùs vllum habuit Regem: sed despecta, vt antea quoque dictum est, præfectura erat, sub Exarcho Rauennate, nullum ampliùs habens vel auctoritatem, vel potestatem: sed & vexabatur miserè à Longobardis, qui à Narsete vocati in Italiam, grauiter eam atterebant, ac sibi subigebant, donec eijcerentur à Carolo Magno. Reges verò illi 15. quos commemorat Sibylla, Orientem, & Occidentem, id est, aliquot vtriusque partes, vel tenuerunt subditas sibi, vel rebellantes presserunt armis. Delicatos hos appellat, quòd omnes penè parùm strenui fuerint. Eorum nunc Catalogum, & quædam de ipsis breuiter, quantum instituto nostro satis est, subijciam.

IVSTINVS admodum fuit auarus, & cupiditatibus addictus. Ipsius imperio Longobardi bonam Italiæ partem, Alboino Duce, occuparunt. Auctor est Eutropius lib. rer. Rom. 16. & Nauclerus Gen. 20. Eum autem puto Eutropium, qui auctus, & Basileæ est impressus. 1.

TIBERIVS satis fuit liberalis & munificus in pauperes, & victoriosus contra Persas, sed infelix contra Longobardos. 2.

MAVRITIVM alij prædicant ex virtutibus, & alij ex multis sceleribus vituperant. Quid sit, facilè non dixero. Auarissimum fuisse certum est, & parricidio à Phocâ peremtum. 3.

PHOCAS latro iussit Romanam Ecclesiam, & eius Pontificem, caput esse omnium aliarum Ecclesiarum. Quis verò hanc ei potestatem dedit? Sed dignum patellâ operculum. Fuit enim ignauus & pessimus. Sub eo potior Imperij pars defecit, defectioque ea est facta, quam futuram prædixit Apostolus 2. Thess. 2. De hoc Eutrop. lib. 17. & Otho lib. 5. cap. 8. Imperatoris desidiâ hostes Romani Imp. potentiores sunt facti. Etenim in parte Occidentali Germaniam cum Insulis, Gallias, Hispaniamque, & bonam Italiæ partem: sed & Pannonias, & Mysiam abstulêre, cum bonâ Africæ parte. In Oriente verò Iberos, Armenos, Arabes, Dardanos, & mediterranea Macedoniæ, & Græciæ, Cacanus Thrax, Hunnorum Rex peruagabatur. Assyriam verò totam ferè Persæ occuparunt. Ægyptum Saraceni vastarunt. Proh dedecus! Nostræ vires adeò defecerant per luxum, & auaritiam, libidinemque, vt Imp. Romanum solo tantum nomine constaret. Quæ omnia Historici Naucleri verba sunt. Intelligis autem ex his, cur reges hos Sibylla nuncuparit Delicatos. 4.

Sub HERACLIO pleniùs absoluitur, quod erat inceptum sub Phocâ. Saraceni enim omnia longè lateque occupant, ab Ægypto, vsque ad Euphratem. Eutrop. lib. 18. 5.

CONSTANTINVS breui tempore imperauit: Nec quicquam memoriâ dignum egit, Veneno est exstinctus 6.

HERACLEONAS propter Ignauiam repudiatur à Senatu, ipsis etiam naribus ei turpiter detruncatis. 7.

Sub CONSTANTE quod Armeniorum fuerat reliquum, defecit ab Imperio. Eutrop. lib. 19. 8.

Sub CONSTANTINO pleniùs, seruiliusque à Bulgaris subiguntur Prouinciæ, ad vsque Danubium. 9.

IVSTINIANVS & LEONTIVS abdicantur, & truncantur naribus. Sed & TIBERIVS regno eijcitur. PHILIPPICVS obtruncatur. ANASTASIVS & THEODOSIVS desperantes de felici gubernatione Imperij, monachi sunt facti. Rectissimè ergo Sibylla dixit Reges illos Delicatos. 10. 11 12. 13 14. 15

Illos sequutus est Princeps fortis, & valdè strenuus Leo Isauricus, eius nominis 3. Is contra instructissimam Saracenorum vim, Constantinopolim asseruit: & Idola ex templo Dei eiecit, atque comminuit, ac vt idem facerent Romani Pontifices, mandauit. Verùm hi insidiosè, & malignè contra ipsum egerunt, effecerùntque fauore principum Francicorum, & superstitione populi Italici, vt Leo exarchatu, omnique Italiæ dominatu exutus, Papam videret regnantem in Italiâ. Id circa hæc tempora accidit, quibus completur Numerus bestiæ, 666. Hîc hic autem, sub Leone 3. Imp. exoritur Rex ille nouus, cano galero insignis, quem nobis graphicè Sibylla depingit, & ob oculos statuit contuendum.

Qui Oracula Sibyllina carmine latino vertit, non vsque quaque videtur vatis expreßisse sententiam. Sic enim vertit:

Rex erit albenti galeâ, qui nomen habebit
Vicini Ponti, mundum pede vifet iniquo.

Nam vates Græcè fic cecinit:

Ἐσσετ' ἄναξ πολίκρανος, ἔχων πέλας ὄνομα πόντω,
Κόσμον ἐποπτεύων μιαρῷ ποδὶ δῶρα πορίζων.

Quæ fuperiùs ad verbum tranftuli. Principio quidem Regem appellat: Regem autem
πολίκρανον, fingulari quâdam notâ, eum videlicet, qui fingulare quippiam & diuerfum ab alijs
regibus habeat, nempe qui infignis fit candido galero, vel infulâ albâ. Vnde fignificat hunc
Regem fore Epifcopum. Quondam enim Epifcopi albas in capite geftabant infulas. Et quidem
notius eft, quam admoneri oporteat, πολιὸς fignificare canus, & κράνος galea.
Deinde indit ei nomen, quod & ipfum congruit cum notâ priore, Infulâ albâ. Nam apertè
nuncupat eum Pontificem, id eft, Epifcopum. Dicit enim manifeftè, nomen eius Ponto effe
affine. Adde enim Ponto Fex (& reuera nihil aliud, quàm fex & fordes) & habebis Pontifex.
Proinde erit Rex hic ille nofter, de quo dicitur Pontifex, & nuncupabitur Pontifex Epifcopus
Romanus.
Hinc ftudia eius denotat: Mundum, inquit, fpectans. Non enim Cœlum, non Chrifti
gloriam, aut Ecclefiæ, fideliumque falutem, fed mundana, id eft, mundi vanitatem, omneque
quod miratur mundus, gloriam propriam, commodum fuum priuatum, quæret, & curabit. Im-
mò immerfus erit planè rebus fæcularibus, alienifsimus verò à fpiritualibus. Sicut hodie cernere
licet in Pontifice, & omnibus eius membris, & coniuratis, Cardinalibus, Epifcopis &c. Addit
aliud, per quod cognofcatur, & cognitus vitetur, ac fugiatur, dicens: Scelerato pede munera
πορίζων, id eft, conferens, vel comparans, aut etiam excogitans. Etenim πορίζω, & πορίζομαι
fignificat confero, comparo, & excogito. Et nullis quidem Scripturis, aut fanctorum hominum
exemplis traditum eft: Pontificem pede debere benedictionem, aut munera conferre. Peruerfitas
hæc extrema, & abominanda eft: fed interim conficta, & nequiter conficta ab Antichrifto. Vnde
rectifsimè dixit, fcelerato pede conferens munera: qui fcilicet ipfum Scelus, & vt Apoftolus inquit:
Homo peccati eft. Dum Cornelius centurio, miles religiofus, ad pedes Petri procumberet, Petrus
illicò ipfum erexit, & dixit, Surge: Nam & ipfe homo fum. At Pontifex ipfis etiam Principibus
viris pedem, fandalio crucis imagine fignato (vt vel fic quoque fignificet illum fe effe, qui Crucem
Chrifti calcibus conculcet) exporrigit ad ofcula. Ex Romanis Impp. duo funt inuenti, monftra,
& fuperbiæ diabolicæ, & crudelitatis belluinæ: qui poftulârunt fibi pedes ofculari accedentes, Do-
mitianus, & Diocletianus. Horum reuera imitatores, vel fucceffores funt fuperbifsimi & cru-
entifsimi Pontifices Romani Ac mirum fanè eft, homines huc poffe adduci, vt exiftiment, fibi do-
na cœleftia conferri per ofcula fœtidifsimorum pedum. Et tamen hoc multis eft perfuafum, adeò,
vt fi admittantur ad huius Beftiæ pedum ofcula, putent, fe accepiffe argento, auro, gemmifque
preciofiora dona, benedictionem nimirum & falutem. O infaniam multis expurgandam anti-
cyris! & ô execrandam, & abominandam huius Beftiæ audaciam, & impietatem! Fortafsis
fummâ hac ftultitiâ illudit miferis, & feductis à fe mortalibus: quos ita nafo circumducit, & po-
dicem (fit honor auribus) obiecturus ad ofcula, nifi alijs fuis metueret artibus. Certè in corpore
humano, poft podicem, nihil eft vilius vfquam.
Præterea dicit hunc regem, Sacerdotem fore opulentifsimum. Maiores noftri femper di-
xerunt: Antichriftum, cùm venerit, omnes terræ thefauros, & etiam abftrufifsimos inuenturum.
Ac reuera verifsimus, & maximus eft Papa ærufcator thefaurorum. Certè omnes totius orbis Chri-
ftiani Ecclefias Papa fibi, ceu proprias, vendicauit, vnâ cum omnibus earum facultatibus. Et fi-
cut olim Romani, florente adhuc Imperio, libros habuerunt Præfecturarum: ita Roma, regnante
Antichrifto, regefta, vel regiftra (de quibus infrà) habet hodie, in quibus confignati funt omnes
Epifcopatus, Epifcopatuum Ecclefiæ, ecclefiarum Sacerdotia feu Præbendæ. Quarum quidem
collationes, cùm vifum eft, ipfe fibi vfurpat. Omnia collegia, & monafteria funt in adminiftra-
tione & manibus Papæ: Ibi verò inuenias opes regias, adeoque immenfas. Vbicumque vifitur
fplendidum aliquod, & regium ædificium: vbicumque eft locus amœnus, & vber: certò ad homi-
nes huius regni pertinet. Si Principes huius aliquid appetere videantur, percutiuntur anathema-
tis horrendo fulmine. Quid? quòd homines ifti nemini quicquam pendunt, immunitatem iactan-
tes: ab omnibus tamen, vel nolentibus accipiunt. In templis verò fuis pofsident cumulos gemma-
rum, auri, & argenti, purpuræ, & ferici, aliarumque rerum pretiofarum. Ibi cernuntur Calices,
Monftrantiæ, capita, brachia, crines, & tumbæ, partim ex argento, partim ex auro folido. Vifun-
tur & anathemata ex omnibus mundi partibus, per fuperftitiofos allata, ac fufpenfa. Sunt præter
hæc tributa, & vectigalia, quæ huic Beftiæ penduntur, maxima. Sunt enim Primitiæ, vel primi
fructus, Subfidia varia, & dolofa, Contributiones item infinitæ, Commendæ, Incorporationes,
Confolationes, Bannales, Petitiones ad farta tecta, Cafus referuati, Difpenfationes, Spontanea, &
Concepta vota, Annata, Pallia, Indulgentiæ, & quas quotidie nouas inueniunt exactiones, vel à
mortuis tributa colligentes vberrima. Præterea omni abfterfo pudore, clamitant palàm in templis,
furta, rapinas, & occultos thefauros ad fe pertinere omnes. geftolen Gůt / geraubet Gůt / gefunden
Gůt / alle gůt / gůt / &c. Sed & fraudatis iuftis heredibus, femetipfos apud morientes fuperftitiofos, &
feductos, fubftituunt heredes, manifeftè contra Chrifti doctrinam Matth. 15.

Sed quis breui expositione opes Antichristiani Regni enarrauerit? Vnum, & alterum modò his adijciam. Narrauit Episcopus Lugdunensis in Concilio Basiliensi, anno Domini 1436. quòd tempore Martini Papæ, in curiam Romanam venerint nouem milliones, 90. Donnæ auri (contingit autem millio decies centena millia) computati ab Episcopis, & prælaturis. Et Archiepiscopus Turonensis in eodem concilio anno 1439. affirmauit, tres auri milliones venisse ex Francia suo tempore, intra spatium plus minùs annorum 14. idque tantùm à Prælatis, non supputatis ijs, quæ Clerici minores persoluerunt.

His omnibus si adieceris, quæ Romæ colliguntur, & cedunt ex reliquis regnis: dices vatem nostram verissimè cecinisse, Antichristum habiturum auri quàm plurimùm. Extat adhuc hodie libellus, exhibitus in publicis comitijs Noribergensibus, inscriptus Grauamina Germaniæ, (de quibus postea) vnde huius generis complurima collegerit, qui voluerit. Proprijssimè verò has opes appellat Sibylla inimicas.

Partim enim abutitur ijs Antichristus ad corrumpendos homines, inque suas partes attrahendos: Sicuti & Dan. 11. scriptum est: denique & bellis sustinendis contra fideles susceptis: Partim verò prodigit (Sibylla dicit absumet) opes illas luxu, lusibus, libidinibus, & nequitijs infandis, in suum ipsius dedecus, & interitum: & proinde verissimè dictum est argentum inimicum.

Verbo autem colligendi & nudandi innuit, illum facultates illas collecturum malis artibus, & cum insigni iniuriâ eorum, quos nudare dicitur: rapinas Antichristi significans, quas ille absque pudore, & vllâ commiseratione pauperum, quos excoriat, atque exossat, exercet, Fur & raptor omnium auarissimus, atque atrocissimus.

Addit his, & aliam præclaram Antichristi notam, fore ipsum magicarum artium peritissimum. Vt autem ex vitis Paparum ipse nihil afferam: nónne Cardinalis Beno, vel Bruno: qui vixit, & scripsit istorum Pontificum seculo, quos notat: auctor est, magos absque dubio fuisse Siluestrum 2. Benedictum 9. Gregorium 6. Gregorium 7. &c. Infames autem hoc nefario scelere fuerunt alij Papæ quàm plurimi, vt iam de Monachis taceam.

Quòd autem versum sequentem latinus interpres sic vertit: Puerum demonstrat & ipsum esse Deum, tollat sanctè quæcunque coluntur: Sibylla ipsa sic canit:

παῖδα θεὸν δ' ἀκνυσειν, ἅπαντα σεβάσματα λύσει.

Id est, Seruum, vel famulum, aut puerum Deum ostendet, & omnes culturas soluet. Quod vel de ipso Antichristo exponere poteris: qui cùm sese scribat Seruum Seruorum Dei esse: nihilominus se collocat in templum Dei, & Ecclesiam, & in eâ, sicuti & Paulus futurum prædixit, ostentat se esse Deum: clamitans, se habere claues regni cœlorum, dominum se esse vniuersorum, omnia sibi esse subiecta, ipsum conferre remissionem peccatorum, & vitam æternam.

Quid autem est esse Deum, si hoc non est? Scriptura clamat: Deus saluans non est, præter me. Solus Dominus vniuersorum est Dominus. Quis potest peccata remittere, nisi solus Deus? Verissimè ergò Papa est Antichristus, adeoque æmulus Christi, qui omnia illa sibi vsurpat, quæ solius sunt Christi, neque illa cum quoquam hominum communicat, nedum cum Seruo seruorum. Vel expone hanc Sibyllæ sententiam de eo, quòd Papa prædicat de præsentiâ Christi in Monstrantijs (Christus in Euangelio dicit ἐν τοῖς ταμιείοις) transsubstantialiter. Si enim Sacerdotes Papæ, quoties lubet in Missâ, recitatis verbis consecrationis, quam acceperunt à Papæ suffraganeis, panem in carnem Christi mutare possunt: Dominus certè Seruus est seruorum. Denique si Dominus illis delectatur cultibus, qui, quibus ipsum se venerari aiunt, & Daniel cap. 11. Veneraturos prædixit, auro, argento, gemmis, picturis, ornamentisque muliebribus, qualia certè sunt, quæ adhibentur, & exercentur in festo corporis Christi, certè Puerum ostendit Deum. Pueri enim delectantur eiusmodi ludicris, quæ Germani nuncupamus Dockenwerck. Huc ferè pertinere videtur, quod sequitur in Sibyllâ: Omnes culturas soluet. Lucas in actis cap. 17. σεβάσματα appellat, omne quod veneramur. Comprehendit ergò Sibylla hoc vocabulo totum Dei cultum. Eum nobis Christus spiritualem tradidit, dicens: Veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & Veritate: Papa verò Antichristus, est adorator in metallis, & ligno, fabulis, & traditionibus, vt iam dictum est, & palam visitur in templis Papistarum.

Præterea non prorsus abrogauit omnem cultum, sed soluit, disturbauit, & corrupit omne id, quod nobis traditum est à Christo, addendo, detrahendo, mutando, sicut manifestè cernitur in cœtibus sacris, in prædicatione verbi Dei, in oratione, & inuocatione, in celebratione Sacramentorum, & alijs id genus sacris Christianorum. Prædixit hoc futurum etiam Daniel cap. 7. de hoc nostro Antichristo loquens: Et sibi arrogabit mutare temporum statum, & leges, quæ tradentur in eius potestatem. Et Paulus 2. Thess. 2. Effertur, inquit, aduersus omnem, qui dicitur Deus, aut numen, aut cultus.

Sequitur in Sibyllæ carminibus: Et ab initio erroris mysteria omnibus aperiet. Nam sicut Apostolus legitur dixisse in Synodo Miletanâ Actor. 20. Ego noui hoc, quòd ingressuri sint post discessum meum lupi graues in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis (vt non aliunde expectemus, & extra Ecclesiam quæramus Antichristum, prodeuntem ex Babylone Chaldaicâ, aut Turcicâ, sicut quidam nobis Turcam, non in Ecclesiâ, sed extra Ecclesiam regnantem, libenter pro Antichristo obtruderent, ne verum in Ecclesiâ sedentem agnoscamus, & execremur) exorientur

viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Et apertiùs idem ad Thess. In templo, inquit, Dei sedebit: Et iam nunc mysterium agit iniquitatis. Ita Sibylla in præsenti dicit, maturè, adeoque nimis maturè, & ab initio mox doctrinæ Apostolicæ, mysteria erroris fore apertum est enim, quid Victor Pontifex Romanus conatus sit contra Orientales, Quartadecimanos appellatos. Quem tamen tunc B. Patres, Polycrates, & Irenæus, coërcuerunt, & in viam reduxerunt. Postea verò præ alijs doctrinæ sinceritatem cœperunt corrumpere Papæ, tandem & alijs suam obtrudere corruptelam: vt verè nuncupare possimus Papam errorum magistrum, & Pseudoprophetam omnium maximum.

Postquam verò manifestissimis signis manifestauit Sibylla Antichristum, per apertissimam eius descriptionem: consequenter & de eius interitu vaticinatur. Ita enim canit:

Δειλαιος ἔστοτε καιρός, ὅτι λίνος αὐτὸν ὀλέσσαι. id est, Miserum inde tempus, quia linum ipsum perdet. Et quoniam ideò miserandum tempus affore dicit, quia linum ipsum perdet Antichristum: hoc, quid sit, priùs excutiendum, vt deinde intelligatur, cur illud tempus appellârit miserandum, vel miserum. Sensum autem non reddidit certè, qui vertit,

———— quia reste peribit.

Nam nulla oracula dicunt, Antichristum esse reste perimendum, aut suspendio. Sed & σχοῖνος restim significat, λίνον verò linum: etsi non diffitear & filum, & chordam significare. Id quod minimè congruit vaticinio. Cæterùm ex lino vetere & detrito conficitur Papyrus. In papyrum verò scribitur.

Linum ergò per tropum intelligimus significare scripturam. Sed & Apostolus dixit: Spiritu oris sui (id quod Verbum Dei est, vel prædicatio libera verbi diuini) occidet impium, haud dubiè in cordibus, qui agnitum Antichristum ampliùs non venerantur, sed execrantur: vt quamuis ille viuus adhuc in sede suâ sedeat, & se pro Deo ostentet: fideles tamen verbo, & spiritu Dei illuminati, illum habeant pro Diabolo incarnato, & refugiant ab illo, totos sese Christo consecrantes seruatori, & Domino vnico.

Non possum me hîc continere, quin vaticinium boni cuiusdam Germani, vel Christiani, non omninò absurdum, commemorem. Dum enim de Papatu acriter inter quosdam contenderetur: alijs quidem impossibile putantibus, Papatum, ita firmiter in mundo fundatum, posse euerti, dicebat ille: Was sagend jhr aber dauon? Der ód Hudler in seinem Stůl / wirdt noch mit alten lumpen / vnd hudlen vmbkehrt werden. Vnd all sein Pracht vnnd Macht wirdt jhm mit dem Truck zertruckt / vnnd sein Hertz abtruckt werden. Dann alle die da lesen das Göttliche Wort / vnnd was wider den Bapst im Truck außgeht / die werden den Bapst für ein öden faulen Hudler halten / vnd das gantz Bapstumb nicht höher schätzen / dann alt lumpen vnd fätzen ꝛc.

Mirum profectò est, Regem tantum, tantarumque facultatum, re omnium vilissimâ, lino perire. Verùm vt semper, ita nunc quoq; Deus robur in infirmitate operatur, ne quid tribuatur humanis artibus, & viribus: sed omnis virtus, laus, & gloria in solidum sit Dei. Et quidem perdit Antichristum Papyrus, res alioqui vilis, sed non per se: sed verbum Dei, quod est virtus Dei, superbum illum deijcit, atque in nihilum redigit.

Præterea Romanenses nuncupant Linum etiam suum illud Pallium. At super pallio Episcopi Moguntini, cœpit Lutherus altercari cum Papistis. Inde exortum est grauissimum illud Bellum Pfafficum (Der Pfaffen Krieg) quod durauit ab anno Domini 1517. vsque ad annum 1570. & vltrà, annos 53. Quo quidem bello etsi Pontifex, secundum carnem vincere, & triumphare videatur in hoc seculo: interit tamen, & prorsus concidit in cordibus fidelium, qui ipsum habent pro Deo sterculeo & cloacino, pro Homine peccati, & Filio perditionis. Ita verè perdidit ipsum Linum.

Iam non erit difficilè intelligere, quare Sibylla hoc tempus, quo per prædicationem verbi diuini oppugnatur, & perditur Antichristus, miserum, vel miserandum vocet. Pontifex enim, qui à suis partibus Reges, eosque sibi obstrictos habet, graui persecutione premet omnes, qui ipsum prædicabunt esse Antichristum. Carceribus enim, proscriptionibus, deprædatione omnium bonorum, ferro & igni, adeoque exquisitissimis tormentis, aduersarios suos, ceu hæreticos, & Dei iuratos hostes affliget. Bella item grauia mouebit in fideles. Res ipsa iam loquitur, vt non opus sit vlteriore declaratione, quid præteritis annis factum sit, & nuncadhuc fiat in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, Angliâ, Hispaniâ, per inquisitionem Hispanicam, per persequutiones, & bella diuturna, & atrocissima. Verissimè ergò vocat hoc tempus, miserum tempus. Idem annunciârunt nobis cum Christo Domino Prophetæ, & Apostoli. Vt ut verò Bestia insaniat, & furiat, innoxiumque sanguinem fundat: nihilominus perdet ipsum vile Linum, Sermo crucis, qui impio mundo semper visus est esse stultitia.

Consequentibus versibus describit repentinam huius Regis, regnique eius euersionem. Principiò quidem interficitur Antichristus, quod modò dictum est, Spiritu oris Domini, prædicatione nempe Euangelij, in cordibus fidelium, vt nihilominus sedeat in sede, & colatur à reprobis. Deinde verò, vbi visum fuerit Domino, & impletus fuerit electorum numerus, sicut & Apocalyp. 6.

dicitur,

dicitur, Antichristum totum, cum vniuerso suo regno abolebit aduentu suo in Iudicium Chri-
stus Iesus, cui soli hæc gloria reseruata est, vt Antichristus quidem insaniat vsque ad iudicium
contra Christianos: tunc verò Christus vindicet se de hoste illo suo, & suorum, & coniiciat e-
um, cum vniuerso corpore eius, & coniuratis, in incendium sempiternum: sicut copiosissimè,
& planissimè exponitur Apocal. 19.

Abolitio autem illa erit repentina, & ab Antichristianis minimè expectata. Dum enim di-
xerint, Pax & Securitas: repentinus superueniet interitus: id quod Sibylla sic exponit:

ἡνίκα πότε δῆμος ἐρεῖ μέγας, ὤν, κράτος, ἄστυ πεσεῖται. Id est:

Quando populus dixerit: Magnus, Existens, Potens: Vrbs ceciderit.

Etenim asseclæ Romanæ religionis, & superstitionis potiùs, clamabunt, vt hodie illos voci-
ferari audimus: Maior & Potentior est Pontifex, altiùsque in terrà radices egit, quàm à mendicis,
& miseris illis prædicatoribus eradicetur. Cæterùm derepentè corruet vrbs, nec tantùm vrbs,
sed vniuersa Ecclesia Romana. Pulchrè enim vno verbo superbum illud clausit imperium: Insta-
bitque ei protinus dies illa mala, merita iustaque condemnatio.

Porrò describit post hæc Luctum tristem Romanensium. Et ne quis posset dicere: quomo-
do, qui iam perierunt, suum possunt deplorare casum luctuosum? dicit expressè: præuidentes tri-
stissimum illud suum fatum. Dum ergò viuunt, & regnant adhuc, intelligunt res suas non posse
saluas perpetuò fore: ideoque sortis suæ impatientissimi plorabunt. Nihilominus tamen securi,
pro cæcitate, & induratione suâ, pergent in suâ Idololatriâ, & sceleribus, donec, instar Noæ, &
Lothi temporibus, derepentè intereant. Luxerunt olim quoque veteris Romæ ruinam Itali-
ci scriptores: Verum hac de re longè rectiùs iudicare docet angelus Domini, in Apocal.
cap. 18.

Quod autem verbis significantissimis canit: Væ, Væ plorabunt humidas ad Tyberis vndas:
significare vult, Romam huius Regis esse sedem: non ergò est, vt alibi, quàm Romæ Antichristum,
ad Tyberim denique, & in ROMANA ECCLESIA quæramus. Qui ergò oculos habet ad
videndum, videat, & sibi caueat. Sequitur in Sibyllæ oraculo.

Post hunc tres imperitabunt, vltimum diem habentes,
Nomen complentes supercœlestis Dei,
Cuius potentiæ nunc, & in secula omnia.
Vnus quidem senex existens, sceptrum diu obtinebit,
Miserabilis Rex, qui opes mundi vniuersas
Domibus includet seruando, vt cum reuersus fuerit
A finibus terræ fugitiuus matricida veniens
Illas omnibus dans, diuitias magnas Asiæ immolet.

Singulariter perstringit Sibylla tres, in ordine Paparum, Pontifices præcellentissimos, hoc
est, omnium nequissimos. Nemo autem sentiat, hos tres post excidium Antichristi regnaturos.
Redit enim per epanaphoram ad superiùs cœptam Antichristi descriptionem. Atque vel hinc in-
telligimus, vnius Regis vocabulo plures, adeoque omnes intelligi Pontifices. Hoc autem est, quod
Sibylla dicit: post initium regni Pontificij, & ab adulto iam sub Francorum regibus Antichristo,
tres venturi sunt Pontifices, eximiè impudentes, audaces, atque potentes: idque circa finem se-
culi, cùm iam post mille annos fatalis illis finis imminuerit.

His præcipuè adscribit: quòd vsuri sint nomine diuino. Nam appellârunt se verissimos in
terrâ Christi vicarios. Et quidem Nicolaus 2. Papa, in Epistola ad Michaëlem Imp. Constanti
nop. manifestè Papam nuncupat Deum. At eo tempore vtebatur Nicolaus Papa Paracleto Hil-
debrando monacho, sicuti & alij eius temporis Romani Pontifices. Extat hodie liber Augustini
Steuchi, nostro seculo contra Laurentium Vallam scriptus, in quo sine ænigmate Papam vocat
Deum. Tales semper habuit illa sedes Pestilentiæ adulatores, quos Deus perdidit, & per-
det.

Confutatur autem ille in terris Dei vicariatus à Sibylla obiter, breuiter, & fortiter: dum illa
affirmat, Dei regnum in omne æuum permansurum. Quis enim hinc non colligat, Deum in ter-
ris nullo indigere vicario: cùm vicarius absentis, & non præsenter regnantis sit vicarius? Imò, vbi
vicarius ille Romanus est, & regnat, ibi Deus non habet locum. Quis ergò ibidem est, nisi Diabo-
lus? Hic enim ibi regnat, vbi Deus non regnat.

Atqui inter tres illos eximios, vnum præcellentissimum describit, nimirum Gregorium, eius
nominis VII. olim Hildebrandum appellatum, & Cluniacensem monachum, In omni malitiæ, &
nequitiæ genere longè exercitatissimum. Multis hic annis vixit, vnde à Sibyllâ vocatur Senex, &
diu sedem pro suo arbitrio rexit. Nam priusquam inuaderet sedem, & vi sibi papatum vsurparet:
Pontifices aliquot pro suâ gubernauit libidine, & cùm diutiùs, quàm vellet, viuerent, veneno su-
stulit, per suum illum Brasutum veneficum, cuius Beno Cardinalis in historiâ meminit. Vixerunt
sub administratione & dictaturâ eius, hi per successionem Pontifices: Leo 9. Victor 2. Stephanus 9.
Benedictus 10. Nicolaus 2. Alexander 2. post quem ipse successit Gregorius 7. pecunijs, & armatâ
manu se exaltans, & collocans in sedem illam abominationis. Gubernauit ergò Romanam Eccle-
siam annos circiter 38.

Verissimè autem dicitur hic Rex miserabilis. Status enim Ecclesiæ & Reipublicæ, ipso domi-
nante, nedum corruptissimus, sed & afflictissimus fuit.

Nam celebrata sunt concilia non pauca, in quibus concinnata sunt decreta impijssima, & benè Antichristiana. Sed & bella excitata sunt funestissima, & plus quàm cruenta: Consulantur historiæ. Nauclerus plurima huius infortunij, malique exponit, per Generat. 36. & 37.

Idem opes mundi vniuersas domibus inclusit seruando. Etenim collationem Episcopatuum rapuit ex manibus Regum, magistratus, & Ecclesiarum, eamque Romanæ sedi vendicauit. Inde inæstimabiles opes huic auarissimo regno accesserunt. Vbi tamen non dissimulamus, hoc negotium cœptum quidem esse sub Gregorio, sed pleniùs perfectum sub Henrico 5. & Calixto Pontifice. Breuiter: huius vnius Gregorij 7. consilijs, audaciâ, improbitate, imprudentiâ, & tyrannide consequentes Papæ confirmati, ipsos Imp. & Reges despexerunt, excommunicârunt, & quod voluerunt, rapuerunt, neminem metuentes, neque Ecclesiæ, aut vlli mortalium, quantumuis bono & excellenti, parcentes, tygrides & hyænæ.

Postremò fugiens hic Gregorius 7. à sede Salernum, mortuus est, vti dignus erat in Exilio. Matricidam hunc dictum puto, propter Ecclesiam, in quâ tantas edidit strages, quantas Latronum nemo. Consulantur historiæ.

Idem ille à finibus terræ reuersus, maximas Asiæ immolauit opes. Videtur enim mortuus hic Hildebrandus, in suo reuixisse pedissequo Vrbano 2. quem Beno solet nuncupare Turbanum. Sub hoc enim Vrbano, nimirum consilijs olim datis, atque conceptis à Gregorio, cœpit omnium maximum, quale nunquam in Orbe extitit, vllo seculo, cruentissimum & infelicissimum bellum Saracenicum, quod vulgò Sacrum (execrandum potiùs) vocant: quo bello inæstimabiles opes perlatæ sunt in Asiam, relatæ nullæ, cæsis etiam quàm plurimis centenis millibus hominum. Sed & Pontifices impenderunt in hoc bellum facultates non modicas. Copiosiùs exponuntur hæc in historijs. Et hæc quidem singulariter videntur dicta esse de Gregorio.

Post Gregorium verò vixerunt non modò duo, sed plures, audaciâ, malis artibus, potentiâ, opulentia, & tyrannide insignes. Exquisitiores fuêre inter alios quoque exercitatos in omni malitiâ, Alexander 3. Honorius 3. Innocentius 3. Gregorius 9. Innocentius 4. Bonifacius 8. Ioannes 22. qui Crœsus inter hos fuit, & vixit annos 90. Loquuta est fortè Sibylla maximè de Innocentio 3. & Bonifacio 8. Nam Innocentius ille Decretales pontificias sanciuit, easque obseruari mandauit. Synodum generalem Lateranensem anno Domini 1215. celebrauit, in quâ multa, abominandâ impietate, propriâ auctoritate statuit. Sub eodem sunt exorti Dominicus & Franciscus mendicantium monachorum patres. Ac monachi quidem isti Ecclesiam perdiderunt penè totam, vsque ad reliquias oppidò paucas. Grauis hoc tempore persecutio commota est in Ecclesiam Christi veram, & qui sinceriùs & docuêre, & credidêre, damnati sunt pro hæreticis, & trucidati. Præuidit hoc mater Dominici, quæ cùm hoc fœtu esset grauida, videbatur sibi lupum suis se gerere visceribus, qui facem ore præferens, totum inflammaret mundum. Vitam huius Innocentij adumbrauit Ioann. Cochleus, eamque præfixit 6. libris Innocentij huius, scriptis De Sacro altaris mysterio.

Bonifacius verò 8. Iubilæum, impietate inauditâ, reduxit in Ecclesiam ex Iudaismo, & instituit. Palam etiam sibi rapuit (duo Antichristi cornua) vtrumque gladium. Nemini tamen in his duobus Pontificibus præiudico. Ergo si quis alios duos priores Gregorio 7. adiunxerit, meâ quidem pace fecerit. Sequitur in Sibyllæ carminibus:

Et tunc lugebis latè purpureum fulgorem fundens Imperatorum,
Lumen vbi exueris, & lugubrem vestem gerens.
O Rex iactabunde, Latinæ proles Romæ:
Non ampliùs tibi tuæ iactantiæ gloria erit,
Neque rem geres feliciter, & rectè, aliquando infelix, sed inclinaberis.
Etenim aquilam ferentium legionum gloria cadet.
Vbi tunc tibi potentia? Quænam terra auxiliaris erit?
Seruitute oppressa nefariè, per tuam vanam prudentiam.
Omnis enim terræ mortalium tum confusio erit:
Quando ipse Omnipotens veniens in tribunali iudicabit
Viuentium & mortuorum animas, & mundum vniuersum.

Pleniùs nunc de interitu Antichristi pergit vaticinari, de quo iam antea cœperat dicere. Fine mundi appropinquante lugebis tu Roma, & tu Rex Romæ, id est, tu Romana Ecclesia, cum tuo Pontifice. Christus enim per ministerium Enoch, & Eliæ, & Ioannis, id est, per sinceriorum prædicatorum istos imitantium, doctrinam: Spiritus, inquam, Domini, & æternæ veritatis virtute lethaliter te vulnerabit, deinde aduentu suo penitus abolebit.

Fundit modò Pontifex de se latissimè per regna purpureum fulgorem, id est, dignitatem, imò maiestatem Imperatoriam, quam sibi mordicùs vendicat. Idem indutus est lumine, vtpote qui salutari gaudeat, tanquam lumen Ecclesiæ Catholicæ. At pij exuent ipsum hac veste splendidâ, induentes istum regem veste, qua dignus est, lugubri, commonstrantes ipsum esse errorum tenebrarumque abyssum, & perditionis filium.

Rursus, ne quid obscurum, anceps aut dubium sit, absq; inuolucro, & ambagibus, nomen, & locum Antichristi edit, & veluti digito monstrat. Nam dicit fore illum Regem iactabundum, & quidem Romæ adeoq; prolem Romæ. Nam & Daniel & Ioan. in Apocalypsi testatur, Bestiam hanc magnifica, & mirabilia loquuturam contra Deum. Idem Daniel collocat Sedem Antichristi inter

duo

duo maria, superum, & inferum, Adriaticum, & Tyrrhenum. Vnde & Sibylla nuncupat ipsum prolem Romæ, veluti vnigenitum, & primatem Romanæ Ecclesiæ. Irenæus interpretatur numerum nominis Bestiæ per vocabulum Latinus: quasi dicat, Latinus erit Antichristus, & in Latinâ Ecclesiâ sedem habebit. Certè, vt omnes mysterium hoc rectiùs, si sapere vellent, intelligerent: diuinâ prouidentiâ factum est, quòd Rom. Pont. in omnibus actionibus Ecclesiasticis obtruserit omnibus Occidentis Ecclesijs vsum Latinæ linguæ: quæ nullo cum fructu populi auscultantis exercetur, contra doctrinam Apostoli 1. Cor. 14. in Ecclesiam Romanam agnoscentibus Ecclesijs.

Porrò copiosiùs differit Sibylla de infortunio Romanæ Ecclesiæ, quod sentiet ex prædicatione Helicanâ, vel Euangelij. De quâ & Dominus in Euangelio dixisse legitur: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso Orbe, & in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio seculi. Pugnat Antichristus vi manifestâ, practicis quoque occultis, largitione munerum, promissionibus amplis, & minis terribilibus contra prædicatores Euangelij, etiam persecutiones tristissimas, & bella atrocissima commouendo. Sed his omnibus, inquit, nihil efficiet. Ex enim legiones, quæ aliquando aquilas Romanas gessêre, amiserunt vires, & exoletæ iam sunt dudum. Sed & reliquæ prouinciæ, quæ militârunt aliquando Papæ, tandem nolent ei militare: agnoscentes, per Dei gratiam, & prædicationem Euangelij, quòd seducti fuerint per doctrinam Antichristi, & nefariè oppressi ab eo seruitute fœdâ, quam rectè vocat prudentiam vanam. Neque etiam, qui alioqui libenter vellent suppetias ferre Antichristo, poterunt: quòd magna sit confusio in toto terrarum orbe, inter omnes gentes futura: vt singulæ sibiipsis metuentes à vicinis hostibus, aut ab ijs, quibus parùm fidunt, vires suas non volent distrahere. Eadem prædicta sunt etiam ab ipso Domino Matth. 24. Luc. 21.

Postremò adiungit his: tandem affuturum iudicem vniuersorum, qui iudicaturus sit viuos, & mortuos. Subiungit istis ea rursus: quæ & à Domino prædicta sunt in Euangelio, de dissidijs infelicibus inter parentes, & liberos, & alia huius generis non pauca. Addit præterea igneum afforе draconem: qui omnes absorbeat impios, & oraculum concludens, canit:

Tunc finis mundi, tum lux extrema propinquat,
Iudiciumq́, Dei æterni lectiq́, malisq́.

Rursus autem redeundo ad Romæ veteris, nouæque excidium, pleniùs de eo differit. Etenim oportuit id, tantâ diligentiâ, etiam vsque ad fastidium inculcari: quòd multos vana dementauerat opinio, Romam nunquam ruituram. Notissimum enim est, Romanos Cæss. suam monetam consignasse, & insculpsisse, Romæ æternæ. Qua re nihil potuisset fingi stultius, atque ineptius. Ac plurimi acquiescentes vanis his suis somnijs, in securitate illâ impiâ perierunt. Diligentissimè ergò admonentur omnes, ne pereant. Nostrum certè erit vigilare, & oculos mentis nostræ aperire: ne repentinâ illâ die adobruamur. Cùm enim absque omni dubio teneamus omnes prophetias, iudicium Domini præcedentes, esse adimpletas plenissimè: quid restat? nisi, vt vigilantibus, & fidelibus animis Iudicem, propediem venturum, expectemus: & toto corde ab Antichristo Romano abhorreamus: vt tandem in mortuorum resurrectione, cum omnibus Sanctis ad Christum colligamur, integri animâ & corpore: videamusque Deum, & fruamur illo cum omni iucunditate in sempiterna secula, AMEN.

Oraculum Sibyllinum.

At ter tercentum reuolutis protinus annis
Româ intestinâ perdetur seditione:
Et furor exitium Sybariticus afferet vrbi.

Aliud ex Sibyllis.

Cognoscent te, quòd quidem Deum non celebrarunt. Et aliquis dicet Sacerdotium gerens vir, age Dei templum bonum constituemus, & verum: age maiorum nostrorum exemplo bonas leges constituemus. Quocircà nulla deinceps gratia sit lapideis, aut testaceis Dijs relicta: qui pompas & laudes reddere non intellexerunt. Mutemus animum, Deum immortalem celebrantes, iudicem omnium, verum Regem, qui nutrit animam Deus, & qui est semper Deus Magnus.

Vides hic Lector, nos ad solum Deum viuum, non Papisticum, non ad sanctos, aut purgatorium esse missos &c.

Sibylla Erythræa in suo Nozilographo, quod habetur Venetijs in Bibliothecâ S. Georgij, inter alia ait:

Postquam Taurus pacificus sub leui mugitu, mundi climata sub tributo concludet: illis diebus agnus cœlestis veniet. Per Taurum significatur Cæsar Augustus: cui etiam Christus tributum dedit. Is Cæsar censetur esse ille primogenitus Taurus, habens cornu Rhinocerotis: in quo ventilauit gentes vsque ad terminos terræ. Sequitur in Sibyllâ: Venient autem dies, quibus virtus mundationis, id est, Baptismus illustretur in aquis, & Leo Monarcha conuertetur ad agnum, qui omnibus illustretur, & regna subuertet. Et paulò pòst. In vltimâ autem ætate, vtpote in primæ Ecclesiæ statu, qui in principio septimæ, seu vltimæ ætatis,

incepit, humiliabitur Deus, & humiliabitur proles diuina: iungetur humanitati Deitas, iacebit
in fœno agnus, & puellari officio educabitur Deus & homo. Signa præcedent apud Apellas, id est,
apud Hebræos, qui sunt sine pelle, id est, circumcisi. Rursus Sibylla: Mulier vetultissima, scili-
cet Elizabetha puerum præscium, scilicet Ioannem præcursorem, concipiet. Boëtem, scilicet stel-
lam nouam, Orbis mirabitur, & ductum præstabit ad Ortum, tribus Magis: hic habens pedes
2 3. sexq; pollices, eliget sibi ex piscatoribus, & deiectis, numerum duodenarium, vnumque diabo-
lum, non in gladio bellouè. Hoc de statu Ecclesiæ primo.

Secundum subinde statum Sibylla prænotat, dicens: Salus agni accubans, modicis leonis
spolijs vestietur, vtpote paucis rebus temporalibus fulcietur: nigrum conuertetur in rubrum,
quasi dicat, fides Catholica, quæ in priori statu Apostolorum adhuc fuit obscura & ignota, in se-
cundo statu per rubrum Martyrum sanguinem elucidiùs apparebit. Vel rubrum id est, status Mar-
tyrum conuertetur in nigrum, id est, in sectam hæresis designatá in Apocalypsi per equum nigrum.
Sibylla vlterius ait: Æneadem vrbem, regesque subijciet, sed in hamo piscantis in deiectione &
pauperie superabit diuitias, superbiam conculcabit morte propriâ, nocturna suscitabit, & com-
mutabitur, viuet & regnabit: & consummabuntur hæc omnia, fietque regeneratio: vltimò bo-
nos iudicabit & malos. Istud compendium Sibyllæ, de Christi gestis vsque ad extremum iudi-
cium exponi valet.

Postea Sibylla sequitur, tertium Ecclesiæ describens statum, sub his verbis: Hinc quatuor alata
animalia surgent in testimonium, hoc est. quatuor Euangelia prædicabuntur, nomen agni tu-
bis concinent, ferentes iustitiam, legemque irreprehensibilem. Cui contradicet bestia,
vtpote hæresis Arrij ac aliorum, & abominatio spumaque draconis, id est, diaboli: Sed sur-
get stella mirabilis, id est, doctrina quatuor do-
ctorum, quatuor animalium, id est, Euange-
listarum habens imaginem, eritq; in turbâ mi-
rabili: Danaos illuminabit, Orbem illustrabit.



Præterea quomodo Romana monarchia,
spretis idolis subitura esset fidem Christi: &
quomodo Constantinus Imperium in Con-
stantinopolin translaturus, Sibylla prænouit
dicens: Euanescent Æneadæ simulachra, vir-
tus & superstitio: alterius cultus aduenict, al-
terius cultor. Sed de simulachris duo, de vitijs
totidem vsque in æternum in vrbe, & ad pri-
mam originem conuertentur. Hinc Ænea-
dæ gloria, id est, Romanum imperium, in Bi-
zantium deducetur. Quippe Sibylla iam di-
ctam sententiam fortaſsis de quarto Ecclesiæ
statu pronunciasse videtur: quia subiunxit:
Eritque scil. in Bizantio, nidus delicatiſsimus,
qualis non fuit, scil. propter solitudinem, ac
robustum decus, scil. Romanorum, in mulie-
bre, scilicet Græcorum, conuertetur, donec
catulos eius vrsus, id est, Mahumetica secta
deuoret, optimates Bizantinos obtenebret,
decus deucalium effœminet: Bizantium pro-
fanabūt dogmata falsa: ædificia, id est, Ecclesias
denigrabunt: aurum eius per orbem & spo
lia dispergentur, virgines humiliabuntur:
gallus, id est, clerus non cantabit. Hæc præmissa
possunt statui hypocrytarum adaptari: tamen
principaliter, & manifestè significabant excidium Bizantij proximè præteritum. Vlteriùs de quin-
to sextoue statu, ac de Turcarum incursu præsumitur Sibylla dicere, Ascendent in conspectu altiſ-
simi Bizantij scelera: & reliqua in superioribus conscripta, quæ de tempestate calamitatis nostro
iam æuo imminentis vaticinata est Sibylla. Post quam quidem calamitatem, venturum Euange-
licum Doctorem præsensit his verbis: surget stella mirabilis, vtpote Doctor Euangelicus vnus post
alium vsque ad quartum: ideo subiungit, quatuor animalium, id est, Euangelistarum habens ima-
ginem, eritque in turbâ mirabili, Danaos illuminabit, orbem illustrabit, in Æneadem lacus pisca-
toris nomen agni, vsque ad fines seculi, virtute perducet. Nam doctrina Euangelicorum pasto-
rum durabit, vsque ad fines secundi seculi, hoc est, vsque ad finem sexti status Ecclesiæ, vel secundi
generalis status mundi.

Sequitur in Sibyllâ. Inde in Æneade iuncta stella Apostolica vinctos à diabolo liberabit, q.
d. Diabolus tunc iterum ligabitur. Hinc gloriabitur: moriens illustrabit, porrò gloriosus exi-
tus eius.

Hæc præmissa Sibyllæ vaticinia partim sunt adimpleta: quo magis timendum, reliquas calamitates per eam præconizatas procul dubio esse euenturas: quas Omnipotens nobis in pœnitentiam dignam commutare velit. Tandem Sibylla futuri septimi Ecclesiæ status meminit apertè, de Antichristo mox post angelicos pastores insurrecturo, immediatè scribens: Erit autem bestia horribilis ab Oriente veniens: cuius rugitus vsque ad Gentes Punicas, audietur: cuius capita septem, sceptraque innumera, pedes 663. Hic erit contradicens agno, id est, Christo, vt blasphemet testamentum eius, augens draconis, id est, diaboli aquas. Reges autem & optimates seculi exuret in sudore terribili, & non diminuent pedes eius: stellæque dux, scilicet Enoch & Helias, consimiles primæ stellæ, scilicet angelico Doctori, consurgent contra ipsam bestiam, & non, vsque dum veniat abominatio & voluntas Domini, consumetur. Nota: iniquitatis completionem Sibylla hîc nuncupat abominationem. Rursus Sibylla paulò pòst inquit: Venient in postremis diebus duæ stellæ lucidissimæ, scil. Enoch & Helias, de quibus prædiximus, in peccatis mortuos suscitantes, similes stellæ priori, quatuor animalium, id est, Euangelistarum, habentes faciem, resistentes bestiæ, id est, Antichristo, de quâ diximus, aquisque draconis, annunciantes nomen, legemque agni, abominationis excidium & examen, minorabunt aquas, sed debilitabuntur in panis afflictione. Sequitur: Exsurgent in robore fortiori, nempe Enoch & Helia resurgentibus, plures quàm antea, in fide Christi homines roborabuntur.

Post Antichristi interitum, vtpote infra septimum Ecclesiæ statum, futuram esse communem concordiam, per Gog tamen interrumpendam, Sibylla refert inquiens: post abominationem reuelabitur veritas, & cognoscetur agnus, cui regiones & regna colla submittent, & erunt vniuersi terrigenæ conuenientes in vnum, vt ouile subeant, & virgâ regantur in vnâ, & modicum tempus erit. Deinde facit mentionem de Gog & Magog, suorumque satellitum, dicens: Post hæc fiet multarum gentium bestialiter viuentium congregatio: Orbis in decem sceptra diuidetur, præcedent turpissimi concubitus, conceptus abominabiles: tunc caput ipsorum, scilicet Gog, reges multos mente afficiet: quosdam sub iugo submittet: sponsa, id est, ecclesia, silebit: gallus, id est, clerus, raucescet, scilicet negligentiâ prædicandi: fiet agni, id est, Christi, contumelia: & apponet abominatio os in contumeliam, vt nomen altissimi deleatur: sibi primæuam, id est, Antichristi, vel Luciferi, superbiam applicabit: dicens verba blasphemiæ, donec très pedes seniq; abbreuiati discurrant.

Sequitur in Sibyllâ, de pace mundi post Gog recuperandâ & duraturâ vsque ad extremi iudicij tempora. Et apparebit veritas & iustitia, omnesque scil. homines, abominationes abijcient, & conuertentur ad agnum. Aquam, scilicet baptismi, profitebuntur Apellæ, id est, Iudæi: & non erit diuersa professio, sed vna concordia, grex vnus, idem ouile.

Postremò Sibylla nunciat futurum iudicium, inter alia inquiens: Porrò in proximo erit examen, audient terrigenæ minas examinis: ineffabilia concinentur in tubâ: venient in conspectu agni abominationes peccatorum, & vltionis appetitus: descendet ignis terribilis, qui vniuersa creata vsque ad æthera concremabit: veniet de cœlo vox terribilis, aduocans vniuersos, vt veniant ad examen. Item de carnis resurrectione dicit: Fiet autem ineffabiliter corporis & animæ redintegratio, vt recipiat vnusquisque pro merito retributionem gloriæ, vel pœnæ. Tunc apparebunt vincti Reges, ac principes: & videbunt agnum in throno terribili, vt retribuat vniuersis: à dextris eius benedictio, maledictio procedet ad læuam. Iudicabit autem bonos, & malos: vt illos sensim eleuet, hos verò in sortem dæmonum vorabit auernus. Hæc nostræ (illius puta, qui scripsit, Dominus Ecclesiæ cuius: & est explicatio & glossa huius vaticinij Sibyllini) materiæ accommodatissima Sibyllæ vaticinia, sunt extracta ex bibliothecâ sancti Georgij Maioris Venetiarum.

Vlterius Sibylla in Nosilographo.

Cladem Constantinopolitanam, in typo ruinæ Orientalis Ecclesiæ, Sibylla Erythræa prænouit dicens: Ascendent in conspectu altissimi, Bizantij scelera, & trinodum numerum, effusum sanguinem & φύσεως, id est, naturæ offendiculum, sc. Deus abominabitur: corruent sc. Turci in Bizantium: decus & gloriam subuertent ipsius, denigrabitur aurum: sanctum prophanabitur: flammis tradentur ædificia: decus fœmineum decaluabitur: & væ resonabit vndique: excipietque columna vindictam: non erit hircis dux, aut gallus in Bizantio: non erit pax, non decus: sed derisus & subsannatio, vsque dum 44. pedes, octo pollices, semisque pertranseant. Quorsum illa comminatoria & horrenda verba Sibyllina in perniciem nostri tendant, vnusquisque penes se acutiùs trutinet: ego quidem futurorum ignarus totus tremo, atque timeo: ne huiusmodi prænunciata mala aliquando, & in breui Ecclesiæ Occidentali eueniant, quæ in Ecclesiæ Orientalis vice modò sunt adimpleta.

Vaticinium Epiroticæ Phaellonis de Byzantio.

Alij hoc Sibyllæ Erythreæ tribuunt, quòd Turcarum vim per lupos notare videtur: Est autem huiusmodi:

Accipies Thracum Rex, in balantibus vrbem,
Vnguibus atque vncis magnum horribilemq; leonem
Augebis, patriæ quondam, cimelia terræ
Qui rapiet, terra potietur & absque labore.
Sed non aio diu te sceptris perfruiturum,
(Quippè canes vrgent vtrinque) sed bis spoliandum
Sopitumq; lupum vncungem, dirumq; ciebis.
Namque vel inuiti ceruices sub iuga mittet.
Tunc quoque Bithynos vexabit turba luporum,
Consilio Iouis: & mox regia sceptra tenebunt.
Magnâ qui veteris habitant Byzantis in vrbe.
Felix Hellesponte, & mœnia condita diuis.
Imperio superum --------
Quam lupus ille grauis, tamen inuitus trepidabit.
Nörunt me, nostris habitant qui sedibus, haud iam
Amplius ipse animum cælabo parentis, apertè
Mortali generi diuina oracula pandent.
Thressa malum tellus ingens parit & prope partus.
V, nempe malam sobolem pariter feret illi.
Ad latera adiunctæ ponto telluris & hulcus.
Prætumidum crescet, citò ruptum sanguine manant.

Hoc oraculum omnia, propè dixerim, reuera designat, obscurisque vocibus indicat euentura Bithynis mala, propter graue tributorum onus: quæ secutis temporibus eis imposita fuerunt: & quòd imperium cito venturum esset ad eos.

Magnâ qui veteris habitant Bizantis in vrbe.

Quòd autem seculis non paucis interiectis ea, quæ prædicta fuerant, euenerint: non eo quis torqueat, ac si de re quadam alia vaticinium hoc loquatur. Nam omne tempus Deo breue est, qui semper & existit, & erit: atque hæc tum de rerum ipsarum euentis ratiocinando collegi. Quòd si cui videtur esse alia verborum oraculi sententia, per me sanè sic illud accipiat licet. Zosimus.

Dionysius Halicarnassæus antiquitatum Rom. lib. 4.

De Sybillis.

DIcitur, quoddam alterum sacellum in Tarquinij principatu valdè mirabile fortunatumque affuisse Romanæ vrbi, siue Deorum alicuius, siue Larium beneuolentiâ donatum: quod non in paruum tempus, sed per omnem vitam sæpe ex magnis eam malis conseruauit. Mulier ad tyrannum venit quædam non indigena, libros vendere volens nouem, plenos Sibyllinis oraculis, ac non censente æquum Tarquinio libros ipsos pretio petito emere, abiens mulier tres ex eis combusit: ac non multo pòst redijt reliquos afferens, volensque tantidem vendere. Visa autem sine sensu quædam esse, & ex eo irrisa, quòd idem peteret de paucioribus pretium, quod nec de pluribus accipere potuisset: abiens ipsa iterum dimidium relictorum combusit, & tres afferens reliquos tantundem auri petijt. Admiratus autem consilia mulieris Tarquinius, Augures accersiuit, remq; eis enarrans, quid agendum esset petebat: illique ex quibusdam signis intelligentes, quòd à Deo missum bonum auertisset: magnamque iacturam esse factam declarantes, quòd non omnes emisset libros: numerari iussêre aurum mulieri quantum peteret, & oracula, quæ superessent, capere. Mulier igitur dans ei libros, & seruandos esse dicens diligenter, è conspectu hominum ablata est. Tarquinius autem ciues duos eligens illustres, famulosque eis statuens de publico, custodiam eis librorum tradidit. Quorum alterum Marcum Attilium visum iniustè agere, nec fidelem, & à quodam populari indicatum, tanquam parricidam in vtrem insuens bubulum, proiecit in mare. Post eiectionem autem Regum, assumens ciuitas oraculorum patrocinium, viros etiam illustrissimos custodes eis designauit, qui per omnem vitam habent eam curam à militia ipsi liberi, & ab alijs vrbanis muneribus, publiceque apud eos deposuit: sine quibus non permittit inspectiones oraculorum fieri. Et (vt breuiter dicam) Romani nihil ita custodiunt neque sanctum neque sacrum, quemadmodum Sibyllina diuinitus missa oracula. Vtuntur autem eis, quando senatus decernit, seditione occupante ciuitatem, aut infeliciter magno aliquo bello incidente, aut prodigijs aliquibus & laruis magnis, & inexplicabilibus ipsis apparentibus, qualia sæpe eueniunt: hæcque permansêre oracula vsque ad bellum Marsicum, sub terra posita in templo Capitolini Iouis in arca lapidea ab hominibus decem custodita. Post centesimam autem, & septuagesimam tertiam Olympiadem incenso templo, siue ex insidijs (vt putant aliqui,) siue casu: simul cum alijs Deo repositis, ista quoque corrupta sunt igni. Nam quæ nunc sunt, ex multis collata sunt locis: alia ex vrbibus Italiæ, alia ex Erythris in Asia ex S. C. missis legatis tribus ad eorum descriptionem: alia verò ex

alijs vrbibus, ab hominibus quoque rudibus transscripta: In quibus aliqua reperiuntur inserta Sibyllinis: redarguuntur autem ijs, quæ vocantur versuum * apices. Dico autem, quæ Terentius Varro narrat in theologico tractatu. Vixit anno M. 3936.

Folium Sibyllæ.

EAndem vim obtinet, quam & adagium illud: Ex tripode dicta: quòd tantùm de ijs, quæ vehementer vera esse putantur, dicta sint, vnde Iuuenalis:

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Nam secundum Varronem, eius oracula scribebantur in folijs. De quibus etiam Vergilius 3. Æneid.

Fata canit, folijsq; notas & nomina mandat.

Et Aristophanes:

Haud equidem agnosco, neque enim cànit ista Sibylla.

Libri Sibyllini.

IN Vaticanâ Bibliothecâ Romæ dicuntur extare libri Sib: quatuordecim. Et in Imperatoris Viennæ aliquot manu scripti.

Plato in Phædro de Sibyllis.

NVnc verò maxima bona nobis per insaniam contingunt: quæ quidem diuino dono datur. Nam & quæ in Delphis est Prophetis, & quæ in Dodonâ sunt sacerdotes, furentes quidem multa bona & priuatim, & publicè in Græciam contulêre. Et si SIBYLLAM & alios recenseremus, qui diuinâ vaticinatione vsi, multis multa in futurum rectè prædixerunt: in longum sermonem extenderemus: quum tamen omnibus nota diceremus. F. A. M. 3572.

Phlegon Trallianus de Sibylla Erythræa.

FVit hic Trallianus libertus Augusti Cæsaris, vel, vt alij volunt, Adriani: scripsit inter alia libellum de Mirabilibus, ac Longæuis, græcè: vbi etiam mentionem facit Sibyllæ Erythrææ: eamq; annos vixisse non multò pauciores clɔ, adductis rationibus ex illius oraculis attestatur. Vixit tempore nati Christi.

Dion lib. 54.

CÆsar, quia Sibyllini libri iam vetustate exolescebant, Pontificibus negocium dedit: vt suâ manu eos describerent: ne quis alius eos legeret. Vixit, vt suprà, anno 100.

De eadem Augustinus de ciuitate Dei
lib. 18. cap. 23.

HÆc autem Sibylla siue Erythræa, siue, vt quidam magis credunt, Cumana, ita nihil habet in toto carmine suo, quod ad Deorum fictorum cultum pertineat: quinimò ita etiam contra eos, & cultores eorum loquitur, vt deputanda videatur ad ciuitatem Dei. Temerè ergò faciunt hodierni quidam, qui (vt nouum quiddam adducant) Sibyllas pro Dæmoniacis habent. Vixit vt infrà anno 599.

De Sibyllâ aliâ Illyricus.

ALiâ quadam Prophetiâ carmine comprehensâ, cui Sibyllæ nomen adscriptum, disertè prædicuntur tum alia, tum etiam exilium & reditus Potentum ob veram pietatem. Prædicitur quoque ruina phantasticæ Ecclesiæ, & successus veræ. Haud dubiè indicantur præsentia religionis certamina. Nam non constat, inde vsque à Christo, Principes aliquos ob veram pietatem exulasse, & postea redijsse: sicut hoc tempore Elector Saxonicus & Coloniensis: qui tamen pro reditu ad terrenum principatum eiusque longiore fruitione maluit ad cœleste regnum commigrare. Exulauit & pientissimus Princeps, Otho Henricus: Comes Albertus, Casparus Pflug, Baro Boemicus, alijque insignes ac illustres viri.

Nullo autem sanè commodiore vocabulo Ecclesiæ Papisticæ ratio formaque exprimi posset: quàm quòd sit phantastica: quod apud Italos significat, rem tantùm speciem habentem, vel tantùm phantasiâ comprehensam: cuiusmodi solent melancholici sibi imaginari. Nam totus Papatus, ac

præsertim spirituales, habent quidem speciem quandam pietatis & populi Dei: sed vim, efficaciamque eius (sicut B. Paulus prædixit) abnegârunt. Omnia enim in externis cerimonijs, ritibus & gestibus collocant: & prædicationem puri verbi Dei, quo sola vera puritas & Ecclesia generatur, iam olim neglexerunt, & nunc crudelissimè persequuntur. Quo porrò tempore carmina hæc composita sint, dubitatur.

Recitatur etiam alia Sibyllæ Prophetia de postremis temporibus, cuius sunt hæc verba. Ter trecentos, & quadraginta, & octo implebis annos: quando tibi infaustum veniet fatum: vbi vi subacta nomen tuum impleueris, Hei mihi miseræ, quando videbo diem istum tuum olim Roma. Imò Latinos omnes procaciter ambit, aut insultat, consilijs occulto furtiuoque concubitu, ex Asia terra in Troiano curru vectari, animum habens fului (scilicet leonis) quando verò Isthmum perruperit spectans omnes, dum pelagus eundo peruenit. Et tunc bestiam magnam perfundet niger sanguis. Hunc autem leonem edidit canis, perdentem Pastores. Sceptra quidem auferet tibi, & ad inferos perueniet. Hæc illa involucris quidem quibusdam agit: sed tamen satis indicat, quendam canem mutum, & rapacem Leonem eò loci exoriturum, vbi Troiani consederunt, nempe in Latio & Romæ: qui bonos pastores, id est, pios principes ac doctores perdat, Romam in seruitutem redigat, & ad inferos cum sua impietate perueniat ac pertingat.

Alexander Historicus & Cyrillus.

SIbylla ait: cum omnes eadem voce vterentur, quidam ex eis turrim maximam ædificare conati sunt, vt in cœlum ascenderent: Deus autem illam ventis immissis subuertit, & propriam vnicuique linguam dedit: vnde & Babylon ciuitas dicta est. Cyrillus refert.

Nona Olympiade fuit Sibylla Erythræa: decima & septima Olymp. Sibylla, quam & Herophilam nominârunt. Idem Cyrillus. Vixit Anno 410.

Pausanias.

APud Pausaniam extat vaticinium Sibyllæ de Rhodo terræmotu quassanda: oraculum de duobus Macedoniæ Philippis: oraculum de Ægospotamica Atheniensium clade: & de eorum differentia. Post natum Christum anno 128.

Lactantius.

PRophetis & Salomoni sapientissimo similes fuerunt Sibyllæ, & Trismegistus. Vixit anno 317.

Idem lib. 1. de falsa religione cap. 8.

M. Varro, quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, vixit, in libris rerum diuinarum quos ad C. Cæsarem Pontificem maximum scripsit: cùm de quindecimviris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse vnius Sibyllæ, sed appellari vno nomine Sibyllinos, quòd omnes fœminæ vates, Sibyllæ sunt à veteribus nuncupatæ, vel ab vnius Delphidis nomine, vel à consilijs Deorum denunciandis: σιὸς enim Deos, non θεὸς, & consilium non βελὴν, sed βυλὴν appellabant Æolico sermonis genere. Itaque Sibyllam dictam esse quasi θιοβόλην. Cæterùm Sibyllas decem numero fuisse: easque omnes enumerauit sub autoribus, qui de singulis scriptitarunt. Primam fuisse de Persis, cuius mentionem fecit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secundam Lybissam, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo. Tertiam Delphicam, de qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de diuinatione composuit. Quartam Cumæam in Italia, quam Næuius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat. Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse ciuem: eamque Graijs petentibus Ilium vaticinatam, & perituram esse Troiam, & Homerum mendacia scripturum. Sextam Samiam, de qua scribit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septimam Cumanam nomine Amaltheam: quæ ab alijs, Demophile, vel Herophile nominatur: eamque nouem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecentos Philippos postulasse, Regemque aspernatum pretij magnitudinem derisisse mulieris insaniam: illam in conspectu regis tres combusisse, ac pro reliquis idem pretium poposcisse. Tarquinium multò magis insanire mulierem putasse. Quæ denuò tribus alijs exustis, cùm in eodem pretio perseueraret, motum esse Regem, ac residuos trecentis aureis emisse: quorum postea numerus sit auctus, Capitolio refecto, quòd ex omnibus ciuitatibus & Italicis & Græcis, & præcipuè Erythræis coacti, allatique sunt Romam, cuiuscunque Sibyllæ nomine fuerunt. Octauam Hellesponticam in agro Troiano natam, vico Marpesso, circa oppidum Gergithium: quam scribit Heraclides Ponticus Solonis & Cyri temporibus fuisse. Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ. Decimam Tiburtem, nomine Albuneam qui Tyburi colitur, vt Dea, iuxta ripas Anienis: cuius in gurgite simulachrum eius inuentum esse dicitur, tenens in manu librum, cuius sacra senatus in-

Capito-

Anno

Capitolium transtulerit. Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur, & habentur præterquam Cumææ: cuius libri à Romanis occuluntur, nec eos ab vllo, nisi à quindecimviris inspici fas habent. Et sunt singularum singuli libri: qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur, vnius esse creduntur: suntque confusi, nec discerni, ac suum cuique assignari potest, nisi Erythrææ, quæ & nomen suum verum carmini inseruit, & Erythræam se nominat, vbi prælocuta est, cum esset orta Babyloniæ. Sed & nos confusè Sibyllam dicemus, sicubi testimonijs earum fuerit abutendum. Omnes igitur hæ Sibyllæ vnum Deum prædicant, maximè tamen Erythræa: quæ celebrior inter cæteras ac nobilior habetur. Siquidem Fenestella diligentissimus scriptor de XVviris dicens, ait restituto Capitolio retulisse ad Senatum C. Curionem Cos. vt legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita, Romam deportarent: itaque missos esse P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium: qui descriptos à priuatis versus circa mille Romam deportarunt.

Idem lib. 7. De diuino præmio cap. 15.

Nihil est humanis viribus laboratum, quod non ab humanis æquè viribus destrui possit Quoniam mortalia sunt opera mortalium. Sic & alia prius regna, cum diutius floruissent, nihilominus tamen occiderunt. Nam Ægyptios, & Persas, & Græcos, & Assyrios, proditum est, regimen habuisse terrarum: quibus omnibus destructis, ad Romanos quoqne rerum summa peruenit. Qui quantò cæteris omnibus regnis magnitudine antestant: tantò maiore decident lapsu: quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ sunt cæteris altiora &c. & ibidem: Et id futurum breui, conciones Prophetarum denunciant sub ambage aliorum nominum, ne facilè quis intelligat. Sibyllæ tamen apertè, interituram esse Romam loquuntur, & quidem iudicio Dei, quod nomen eius habuerit inuisum, & inimica iustitiæ, alumnum veritatis populum trucidarit Hydaspes quoque, qui fuit Medorum rex antiquissimus, à quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hydaspes dicitur, admirabilis omnium, sub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam posteris tradidit, sublatum iri ex orbe nomen imperiumque Romanum. Multo antè præfatus, quàm vlla Troiana gens conderetur.

Sozomenus in Eccl. hist. lib. 1.

Neque profectò omnes Gentiles, quamuis quædam de Christo futura, à Sibylla, & à quibusdam oraculis præsignificata sint, propterea in crimen, quod fidem ægrius & difficilius admiserint, vocandi sunt: quippe pauci admodum, iique doctrinâ præstantes, eiusmodi prophetias numeris ex maxima parte conscriptas, & verbis obscurioribus quàm quæ à plebe percipi possent, editas, intelligere potuerunt. Vixit, An. 429.

Agathias.

Habes apud hunc authorem, de antro quodam, quod ferunt, Sibyllam Italicensem illam & magnam incoluisse, quæ Phœbo capta, & Spiritu diuino instincta, petentibus futura prædixit. Siquidem Æneæ Anchisæ filio tradunt illam omnia prædixisse, quæ illi essent inposterum occursura. Claruit anno 530.



Bernhardus de septem gradibus Confessionis.

Ait Sibylla: quando tuba sonitum tristem dimittet ab alto orbe, quando & Dominus cœlum auocabit desursum, & terram discernere volens, populum suum ante se, & prudentes Virgines ab infatuatis separare: aduocabit cœlum desursum, vt virtutes illæ cœlorum de suis sedibus moueantur, & omnes Angeli cum eo ad iudicandum congregentur. Hæc Bernhardus de Sibylla. Vixit vt infrà An. 1140.

Ex vita Altmanni Episcopi Pataviensis de Sibyllis.

Constat Sibyllam pulchrè vaticinatam esse de templo habituro columnas primum aureas, postea argenteas, tertio æreas, pauloq; pòst ferreas, tandem marmoreas, mox ligneas & po-

ſtremo arundineas. Has columnas ſcriptor vitæ Altmanni pulchrè de Eccleſiæ Dei doctoribus & gubernatoribus Epiſcopis interpretatur. Aureas enim templi Dei columnas dicit fuiſſe Apoſtolos: argenteas Apoſtolorum ſucceſſores iam tum inferiores & imbecilliores Apoſtolis. Æreos templi gubernatores dicit fuiſſe ſanctos Eccleſiæ doctores, qui tanquam æs ſonorum in vniuerſa latiſsimè iam patente Eccleſiâ docendo ſimul & ſcribendo claruerint. Ferreos appellat pios Martyres, qui etiam ſanguine ſuo doctrinam de Chriſto, veram ſalutis æternæ viam eſſe comprobârunt & teſtificati ſunt: nec vllis vel præmiorum pollicitationibus vel pœnarum ac ſuppliciorum minis à vero abduci ſe paſsi ſunt. Marmoreos itidem interpretatur eos Epiſcopos, qui firmiter veræ doctrinæ inhæſerunt, & ab ea diſcedere ne latum quidem digitum voluerunt. Ligneos & arundineos interpretatur Epiſcopos & Prælatos carnales vetitis libidinibus immerſos, Simoniacos, auaros, omnibus vitiorum generibus occupatos, inſtar ligni vermibus ab omni parte exeſi: arundineos, id eſt molles, effœminatos, voluptuarios, quouis vento Antichriſtianico nunc huc, nunc illuc facilimè verſos.

Quod Sibyllæ vaticinium Bruſchius in manuſcripto interpretatur.

MArmoreos, Ligneos & Arundineos illos, verè eſſe, Doctores, ſcriptores animarum, paſtores illos Pontificios, Papiſticos & Monaſticos, qui prorſus à priſtina & genuina metallorum natura diſceſſerunt: & ſalutari Chriſti doctrinâ poſthabitâ, omiſſaque omni, tantùm ligneis, arundineis & vitioſis, carioſiſque ſimul & verminoſis traditionibus humanis cognoſcendis, & populo proponendis, & marmoreâ planeque ſaxea temeritate & audacia impudentiſsimè defendendis vnicè ſtuduerunt: & in hunc vſque diem contra conſcientiam ſuam etiam tenaciſsimè inhærent.

Otho Friſingenſis.

HIc cum Hugolino Lactantio & Auguſtino Sibyllam Erythræam, ſicut & Iob & plures alios ex gentibus ad ciuitatem Dei pertinuiſſe affirmat, & vixiſſe tempore Oſeæ & Eſaiæ. Samiam autem Sibyllam regnante apud Hebræos Rege Manaſſe fuiſſe teſtatur. Clar. Anno Dom. 1167.

Godefridus Viterbienſis presbyter de omnibus Sibyllis, deq́ nominibus, patria, Origine, & actibus ipſarum, à diebus Alexandri Magni.

SIbyllæ generaliter omnes fœminæ dicuntur prophetantes, quæ diuinam voluntatem omnibus interpretari, & ventura pronunciare ſolebant. Tradunt autem doctiſsimi authores, decem fuiſſe Sibyllas, quarum prima, Perſis: ſecunda Libyca: tertia Delphica eſt ante Troiana bella vaticinata: quarta Cumæa in Italia: quinta Erictæa in Babylonia orta, dicta Erythræa, ab Inſula, in qua eius dicta ſunt carmina: ſexta Samia à Samo flumine Beneuentano vocata: ſeptima Amalthæa, vel Cumana: octaua Helleſpontica: nona Phrygia: decima Tiburtina Græcè, Albunea latinè vocatur: ex huius carminibus multa de Deo, & Chriſto ſcripta continentur.

Fuit igitur hæc Sibylla Priami Regis filia & ex matre Hecuba procreata. Vocata eſt autem in græco Tiburtina: latinè verò Albunea nomine, vel Caſſandra: & illa circumiens diuerſas prouincias ac partes orbis, prædicauit per Aſiam, Macedoniam, Eroſtachiam, Agagusdeam, Ciliciam, Pamphiliam & Galatiam. Cumque mundi partes vaticinijs ſuis repleſſet, inde venit Ægyptum, Æthiopiam, Bragadam, Babyloniam, Aphricam, Libyam, Pontapolim, Mauritaniam & Palarinum. In omnes has prouincias prædicauit, & Spiritu prophetiæ repleta prophetauit bonis bona, malis mala. Scimus namque quæ in præconijs ſuis annunciauit: & quæ in nouiſsimis eſſent futura, prædixit. Audientes igitur famam eius Romani, ſtatim nunciauerunt in conſpectu Senatorum. Mittentes ergò Senatores Legatos ad eam, fecerunt ipſam cum magno honore deduci Romam. Centum igitur viri ex ſenatu Romano ſomnium in vna nocte viderunt ſinguli. Videbant ſinguli, quaſi nouem Soles eſſe in cœlo, qui ſigillatim diuiſi diuiſas in ſe figuras habebant. Primus Sol erat ſplendidus & fulgens ſuper omnem terram. Secundus ſol ſplendidior, & magnus, æthercam habens claritatem. Tertius ſol ſanguineo colore flammiger, igneus & terribilis, ac demum ſplendidus ſatis. Quartus ſol, quarta generatio eſt tempore Chriſti. Quintus ſol erat ſanguineus, tenebroſus, & lampas, ſicut in tonitruo tenebroſo. Sextus ſol tenebroſus nimis habebat aculeatum ſtimulum Scorpionis. Septimus verò ſol terribilis erat, & ſanguineum habens in medio gladium. Octauus autem ſol erat effuſus, ſanguineum habens colorem in medio. Nonus autem ſol erat nimis tenebroſus, vnum tamen habens radium fulgentem.

Cumque Romam ingreſſa eſſet Sibylla, videntes eam ciues Romani admirabantur nimiam pulchritudinem eius: erat enim venuſto aſpectu, decora vultu, eloquens in verbis: Dei pulchritu-

dine

Anno

dine satis benè compositâ suis auditoribus dulce præbebat eloquium. Venientes autem viri, qui somnia viderant, dicunt ad eam, Magistra & Domina, quam ad magnum decorem est corpus tuum, qualem nunquam in fœminis præter te vidimus: precamur, vt somnium, quod omnes nos in vna nocte vidimus, quid futurum præmonstret, aperias. Respondens Sibylla dixit ad eos: Non est æquum, in hoc loco stercoribus pleno, & diuersis certaminationibus polluto, Sacramentum huius visionis detegere. Sed venite, ascendamus ad Appenninum montem, & ibi adnuntiabo vobis, quæ euentura sunt ciuibus Romanis: & fecerunt, vt dixit. Quos interrogauit: & illi visionem, quam viderant, narrauerunt ei. At illa dixit ad eos: Nouem soles, quos vidistis, omnes futuras generationes præsignant. Quod verò dissimiles eos vidistis, dissimilis erit vita in filijs hominum.

Primus autem sol prima generatio est: erunt homines simplices & clari, amantes libertatem, veraces, mansueti, benignissimi, amantes consolationes pauperum, & satis sapientes. Secundus autem sol secunda generatio est: erunt homines splendidè viuentes, crescentes multùm, Deum colentes, sine malitia conuersantes in terra. Tertius verò sol tertia generatio est: exurget gens contra gentem, & erunt pugnæ multæ in Roma. Quartus autem sol quarta generatio est: erunt homines verum abnegantes: & in diebus illis exurget mulier de stirpe Hebræorum, nomine Maria, habens sponsum nomine Ioseph, & procreabitur ex ea sine commixtione viri, de Spiritu sancto, nomine Iesus: & ipsa erit virgo ante partum, & post partum: qui ergò ex eâ nascetur, erit verus homo, sicut omnes Prophetæ prædicauerunt: adimplebitque legem Hebræorum, & adiunget sua propria insimul, & permanebit regnum eius in sæcula sæculorum. Nascente autem eo, exercitus Angelorum à dextris & à sinistris erunt dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis. Veniet namque vox super eum dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.

Erant ibi ex sacerdotibus Hebræorum, qui audientes hæc verba, indignati dixerunt ad eam: ista verba terribilia sunt: sileat hæc Regina. Respondens Sibylla dixit eis: O Iudæi, necesse est ita fieri: sed vos non credetis in eum. Dixeruntque: Nos non credemus: quia verbum & Testamentum dedit Deus patribus nostris: & non auferet manum suam à nobis.

Respondit eis iterum: Deus cœli sibi generauit filium, vt scriptum est, qui similis erit patri suo: & postea, vt infans, per ætates crescet, & insurgent Reges in eum, & principes terræ. In diebus illis erit Cæsari Augusto celebre nomen: & regnabit in Roma, & subijciet omnem terram sibi. Non multi, non pauci: non tres, neque duo, sunt dij: sed vnus Deus, solus & immensus, qui fecit cœlum, solem, stellas & lunam, frugiferamque terram & mare. Qui autem illum honorant, æternam vitam hæreditabunt, & eius perpetuum hæreditabunt paradisum. Mortuorum verò simul resurrectio erit: & claudorum cursus velocissimus erit: surdi audient, & cæci videbunt: non loquentes loquentur: ex quinque panibus quinque millia hominum saturabit: & colligent reliquias fragminum duodecim cophinos, Ventos compescens verbo, mare calcans, ambulans super vndas, infirmitates omnibus soluet: surgere faciet mortuos, repellens multos dolores: & de pane vno saturatio erit viuorum. Sed cùm omnia fuerint perfecta, quæ dixi, in ipso omnis resoluetur lex, & impias manus infidelium postea inueniet.

Post hæc conuenient sacerdotes Hebræorum contra Iesum, quia multa signa faciet, comprehendentque eum, dabunt Deo alapas manibus incestis, & in vultu sacro exspuent venenata sputa. Dabit verò ad verbera sanctum dorsum simpliciter, & colaphos accipiet: tacebit, ne quis agnoscat, vnde verbum venit: coronâ spineâ coronabitur: ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dabunt, & suspendent eum in lingno, & occident. Templi verò velum scindetur in medium, & dies erit tenebrosus per horas tres, & sortem mortis finiet tribus diebus somno suscepto, & tunc ab inferis regressus ad lucem veniet. Et nihil valebit eis: quia die tertia resurget, & ostendet se discipulis suis, & ipsis videntibus in cœlum ascendet: & Regni eius non erit finis.

Dicunt me Iudæi insanam, & mendacem Sibyllam: cùm autem facta fuerint omnia, tunc demum reminiscentur mei, & nullus postea me dicet insanam: sed Dei magnam Sibyllam. Dixitque principibus Romanorum: Quintus autem sol quinta generatio est: eliget sibi Iesus duos piscatores de Galilæa, & leges suas docebit eos, dicens: Ite, & doctrinam, quam accepistis à me, docete omnes gentes, & per septuaginta & duas linguas subijcientes omnes nationes. Sextus autem sol sexta generatio est: & expugnabunt istam ciuitatem annos tres, & menses sex. Septimus verò sol septima generatio est: & exsurgent duo Reges, & multas facient persecutiones in terra Hebræorum, propter Dominum. Octauus autem sol octaua erit generatio, & in desertione erit Roma: & propugnantes vlulabunt in tribulationibus & doloribus, dicentes: Putásne peribimus? Nonus autem sol, nona generatio est: & exurgent Principes Romani in perditione multorum. Tunc exurgent Reges duo de Syria, & exercitus eorum innumerabilis, sicut arena maris: & obtinebunt ciuitates, & Regiones Romanorum vsque ad Chalcedoniam. Et tunc multa erit sanguinis effusio.

Omnia hæc cùm reminiscuntur, ciuitas & gens contremiscunt in eis, & disperdent Orientes. Et post hæc surgent duo Reges de Ægypto, & expugnabunt quatuor Reges, & occident eos, & omnem exercitum eorum, & regnabunt annos tres & menses sex. Et post eos alius Rex, per C literam

nomine, potens in prælio, regnabit annis triginta, & ædificabit templum Deo, & implebit legem & faciet iudicium propter Deum in terra. Et post eum surget alius Rex, qui regnabit paucis temporibus: & expugnabunt, ac occident eum. Post hæc verò erit Rex per B nomine, & de B procedet Rex Audon, & de Audon egredietur A, & de A procedet A, & de hoc generabitur A: & ipse secundus A erit bellicosus nimis & præliator. Et de ipso A nascetur Rex per R nomine: & de R nascetur L, & potestatem habebit super decem & nouem Reges. Et post hæc surget Rex Salicus de Francia, per K nomine: ipse erit magnus, & pijssimus, potens & misericors, & faciens iustitiam pauperibus. Tanta enim in eo erit virtutis gratia, vt contra gradientem per viam arborum inclinentur cacumina. Aqua enim occurrens minimè cursum eius tardabit. Similis autem in Imperio Romanorum Rex ante non fuit, nec post eum futurus est. Et veniet Rex post eum per L nomine: & post hoc regnabit L, & post L triginta, & de L egredietur A, & ipse A erit nimis bellicosus & fortis in prælio, & multus erit per terram, siue per aquas: & non dabitur in manibus inimicorum, & morietur exul extra regnum, & in manu Dei anima eius erit. Tunc exurget Rex per V nomine, & ex vna parte Salicus, & aliâ Longobardus: & ipse habebit in terra potestatem contra pugnantes, & contra omnes inimicos. Et in diebus illis procedet Rex per O nomine, & erit potentissimus, & fortis, et bonus, & faciet iustitiam pauperibus, & rectè iudicabit: & de ipso procedet alius O potentissimus, & erunt sub eo pugnæ inter paganos & Christianos, & sanguis Græcorum eorum effundetur: & cor eius in manu Dei, & regnabit annis septem: & de ipsâ muliere nascetur Rex per O nomine: hic erit sanguinarius & facinorosus, & sine fide & veritate: & per ipsum multa erit malitia in terra, & multa sanguinis effusio, & destructæ erunt Ecclesiæ in ipsius potestate. In alijs namque regionibus tribulationes erunt multæ & prælia. Tunc surget gens contra gentem: & Cappadociam, ac Pamphiliam captiuabunt in illo tempore, eò, quòd non intrauit per ostium in Ouile. Hic namque Rex regnabit per annos quatuor. Et post eum surget Rex per H nomine, & in diebus eius pugnæ multæ erunt, Syriam expugnabunt, & Pentapolim captiuabunt: ipse enim Rex erit ex genere Longobardorum. Tunc exurget alius Rex Salicus per C nomine, & expugnabit Longobardos: & erunt prælia & pugnæ. Ipse autem Salicus erit fortis & potens, & paucis temporibus erit regnum eius. Tunc exurgent Agareni, & tyranni, & captiuabunt Tarentum & Barro: & multæ ciuitates deprædabuntur, & etiam volentes venire Romam: & non est, qui resistat eis, nisi Deus Deorum, & Dominus Dominorum.

Tunc venientes Armeni Persidem disperdent, ita, vt non recuperentur ciuitates, quas deprædabunt: & accurrentes ipsi ponent fossas iuxta Orientem, & expugnabunt Romanos, & obtinebunt pacem aliquantisper.

Et intrabit Rex Græcorum, vir Belligerator in Æpolim, & destruet templa Idolorum: & veniet locusta et bruchus, et comedent omnes fructus Cappadociæ, et Ciliciæ, ac fame cruciabuntur: & postea non erit ampliùs.

Et consurget Rex Salicus alius, scilicet H, vir fortis & belligerator: & indignabuntur contra eum multi vicini & parentes. In diebus illis tradet frater fratrem, & cum sorore commiscebitur: & multa nefanda hominum erunt in terra: Senes cum virginibus cubabunt, et sacerdotes mali cum deceptis puellis: Episcopi malefactorum sectatores erunt: et fiet effusio sanguinis in terra, & templa sanctorum polluent. Et erunt in populo fornicationes, immunditiæ, et Sodomiticum scelus, ita, vt visio ipsorum in contumelia eius appareat. Et erunt homines raptores, contumeliosi, odientes iustitiam, et amantes falsitatem, et Iudices Romani immutabuntur: si hodie ad iudicandum admittuntur, alio die mutabuntur, propter pecuniam accipiendam, et non iudicabunt rectum sed falsum.

Et erunt in illis diebus homines rapaces, cupidi et periuri, et amantes falsitatem, et destruetur lex et veritas: et fiet terræmotus per loca diuersa et insulares ciuitates: et regiones demergentur. Et erunt per loca pestilentiæ hominum, et terra ab inimicis desolabitur: et non præualebit consolari eos vanitas Deorum. Postea exsurget Rex per L nomine: et erunt sub illo bella: et duodecim annis regnabit. Et post hunc surget Rex per F nomine, et veniens obtinebit, et regnabit aliquanto tempore: et veniet Romam, et captiuabit eam, et non mortificabitur anima eius in manu inimicorum vllis diebus vitæ suæ: sed erit bonus et magnus, et faciet iustitiam pauperibus: et ipse viuet multo tempore. Post hæc verò surget alius Rex per H, nomine: et de ipso H, procedent duodecim H, et erit de genere Longobardorum et Teuthonicorum: et regnabit per annos centum. Tunc post eum exsurget Rex H nomine, Salicus de Francia: tunc initium dolorum erit, qualis non fuit ab initio seculi: et erunt in diebus ipsis multæ pugnæ et tribulationes multorum, et sanguinis effusio, et terræmotus per ciuitates et regiones, et terræ multæ captiuabuntur, et non erit, qui inimicis resistat, quia Dominus iratus erit in terra. Roma in persecutione et gladio expugnabitur, et erit deprehensa in manu ipsius Regis. Et erunt homines rapaces, cupidi, tyranni, odientes pauperes, opprimentes insontes, et saluantes noxios. Eruntque iniusti, et nequissimi, et dominatores exterminij captiuabuntur: et non est in terra, qui pro eis resistat, et eruat eos, propter malitias eorum et cupiditates.

Et tunc exurget Rex nomine H animo constans: Hille idem, constans erit Rex Romanorum & Græcorum: statura grandis, aspectu decorus, vultu splendidus, atque per singula membrorum lineamenta decenter compositus: & ipsius Regnum 122. annis terminabitur. In illis ergò diebus erunt diuitiæ magnæ, & terra abundanter dabit fructum suum, ita vt tritici modius denario vno venundetur, modius vini denario vno, modius olei denario vno. Et ipse Rex scripturam habebit ante oculos, dicentem: Rex Romanorum omne sibi vendicat Christianorum: Omnes ergò insulas & ciuitates paganorum deuastabit, & vniuersa Idolorum templa destruet, et omnes paganos ad baptismum conuocabit, et per omnia templa crux Christi Iesu erigetur. Tunc namque perueniet Ægyptus Æthiopiam munus dare Deo. Qui verò crucem Iesu Christi non adorauerint, gladio punientur.

Et cùm completi fuerint 122. anni, Iudæi conuertentur ad dominum, et erit ab omnibus sepulchrum eius gloriosum. In diebus illis saluabitur Israel, et habitabit confidenter.

In illo tempore surget princeps iniquitatis de tribu Dan: qui vocabitur Antichristus. Hic erit filius perditionis, caput superbiæ, magister erroris, plenitudo malitiæ: qui subuertet orbem, & faciet prodigia & signa magna per fallas simulationes; deludet autem per artem magicam multos, ita vt ignis de cœlo descendere videatur Et minuentur anni sicut menses, & menses sicut septimana, & septimana sicut dies, & dies sicut hora. Et exurgent ab Aquilone spurcissimæ gentes, quas Alexander Rex inclusit, Goth videlicet & Magoth. Hæc duodecim regna, quorum numerus est sicut arena maris.

Cùm autem audierit hæc Rex Romanorum, conuocato exercitu debellabit eos, atque prosternet vsque ad internecionem. Et postea Rex veniet Hierusalem, & ibi deposito capitis diademate, & omni habitu regali, regnum Christianorum Deo Patri relinquet, & Filio eius Iesu Christo. Et cùm cessauerit Imperium Romanum, tunc reuelabitur manifestè Antichristus, & sedebit in domo domini in Hierusalem. Regnante autem eo, egredientur duo, clarissimi viri, Helias & Enoch, ad annunciandum aduentum Domini: & Antichristus occidet eos, & post dies tres à Domino resuscitabuntur. Tunc erit persecutio magna, qualis non fuit antea, nec postea subsequetur. Abbreuiabit autem Dominus dies illos, propter electos, & occidetur virtute Domini Antichristus à Michaële Archangelo in monte Oliueti.

Cumq; hæc Sibylla & alia multa Romanis prædixisset futura, quibus etiam signis ad iudicandum Dominus venturus sit, hos vaticinando versus intonuit dicens.

Versus Sibyllini de Christo.

IVdicij signum: tellus sudore madescet:
E cœlo Rex adueniet per secla futurus:
Scilicet in carne præsens vt iudicet orbem:
Vnde Deum cernent incredulus atq; fidelis
Celsum, cum sanctis iam terminus extat in ipso,
Sic animæ cum carne aderunt, quas iudicat ipse,
Cùm iacet incultus densis in vepribus orbis,
Reijcient simulacbra viri, cunctam quoque gazam,
Exuret terras ignis pontumq; polumq;:
Inquirens tetri portas effringet Auerni,
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni,
Tradentur sontes, æternaq; flamma cremabit.
Occultos actus manifestans quisque loquetur,
Secreta atque Deus reserabit pectora lucis:
Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis iubar, & chorus interit astris,
Voluetur cœlum, lunaris splendor obibit,
Deijciet colles, valles extollet ab imo:
Non erit in rebus hominum sublime vel altum,
Iam æquantur campis montes & cærula ponti,
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit:
Sic pariter fontes torrentur fluminaq; igni.
Sed tuba personitum tristem dimittet ab alto
Orbe genus, facinus miserum variosq; labores,
Tartareumq; chaos monstrabit terra debiscens,
Et coram hoc Domino Reges sistentur ad vnum,
Decidet è cœlis ignisq; & sulphuris amnis.

Tunc iudicabit Dominus secundum vniuscuiusque opus: & ibunt impij in gehennam ignis æterni: iusti verò, vitæ æternæ præmium recipient, & cœlum nouum, & terram nouam: & mare iam non erit. Et regnabit Dominus cum sanctis in secula seculorum Amen. Vixit anno 1192.

Nicolaus de Lyra.

HIc in glossa proœmij sic scribit: Samos Insula est in mari Ægeo, vbi nata est Iuno, ex qua fuit Sibylla Samia, & Pythagoras Samius, à quo prophetiæ nomen inuentum est. Vixit Anno 1326,

Guilhelmus Castellus seu Castalius Gallus.

Scripsit carmen Sibyllinum de extremo iudicio. Anno 1480.

Fasciculus temporum VVerneri Roleuuinck.

SIbylla Tiburtina clara habetur: quæ de Christo prophetauit, & Augusto respondit, ne se Deum, iuxta stultitiam paganorum, putaret: & ostendit illi Virginem pulcherrimam in cœlo tenentem puerum in brachijs, & ait: Hic puer maior est te: ipsum adora. Cl. Anno 1494.

Theophrastus de arte præsaga.

PRophetas, Sibyllas, & Apostolos Christi æquiparat, & ex vno ore Christi procedere affirmat. Vixit Anno 1541.

Gassarus in Chronico.

SIbylla Tiburtina, quæ & Albunea Ægyptia dicta est, Vixit tempore Octauiani Augusti Imperatoris.

Idem, Sibylla Phrygia vixit tempore Demosthenis, Chrysippi, & Aristotelis. De Gassaro infrà.

Bullingerus con. 61. in Apocalypsim.

NOn possum hic omittere, quin paucis annotem & Sibyllinam de Antichristi origine supputationem admodum, meo iudicio, congruentem cum supputatione, quam adduximus. Vaticinatur autem Sibylla Erythræa, siue quæcunque illa fuerit, Romam ruituram, & igni concremandam. Verba Sibyllæ ex Græco ferè ita verbotenus habent.

Veniet tibi olim desuper par è iactabunda Roma
Cœlestis plaga, & flectes ceruicem prima,
Et ad solum deijcieris, & ignis te totam absumet.

Id verò factum completumque constat, cùm Totilas Rex Gothorum vrbem inflammauit, sicuti superiùs commemorauimus. Mox verò in oraculis illa subijciuntur.

Verùm vbi tibi Reges delicati ter quinq; fuerint,
Qui mundum seruitute presserunt, ab ortu vsq; ad occasum,
Erit Rex cano galero, habens vicinum nomen ponto,
Mundum spectans, scelerato pede munera conferens.
Et reliqua, quæ ibi leguntur.

Iubet ab exusta Roma Reges numerare 15. post quos venturus sit nouus Rex, quem describit. Constat autem, sub Iustiniano Romam esse vastatam & exustam. Inde numerantur à Iustino Iuniore ad Theodosium vsque Imper. 15. Theodosio succedit Leo 3. Isauricus. Istos appellauit delicatos, quòd plerique parùm fuerint strenui. Cæterùm Leone 3. imperante, deficit Italia ab Imperatore: mox item Exarchatus donatur à Pipino Rege, inuito Imperatore, Ponsifici. Vides ergò supputationes congruere. Deduximus enim nos quoque ad Papinum vsque anno 666.

Ita verò rex nouus exoritur, quem Sibylla nuncupat πολιόκρανον, insignem candido galero, vel infula alba. Ita enim notat episcopum (qui quondam albas portabat in capite infulas) futurum regem. Nomen quoque ipsi indit. Nam dicit nomen illum habere vicinum ponto: Adde enim vocabulo Ponti, fex, habes Pontifex. Notas quoque aliquot adiungit: Illum mundana spectaturum, non cœlestia: sed & munera comparaturum (πορίζων) vel excogitaturum atq; daturum scelerato pede. Et rectè scelerato pede: cùm post Domitianum & Diocletianum nemo Regum nisi Papa, pedes ad osculao biecerit: qua re existimant stulti, magna sibi munera conferri. Sed omissis istis, redimus in viam.

B. Martyr Irenæus de hoc rege loquens, in eod. libro 5. In bestia veniente, inquit, recapitulatio fit vniuersæ iniquitatis & omnis doli: vt in eo confluens & conclusa omnis virtus Apostolica, in caminum mittatur ignis. Hoc autem prophetico spiritu ipsum dixisse confitebitur, quisquis legerit vitas Pontificum Romanorum: præsertim autem Syluestri 2. Benedicti 9. Gregorij 6. & 7. Vrbani 2. Paschalis 2. Alexandri 3. Innocentij 3. Gregorij 9. Bonifacij 8. Clementis 5. Ioannis 22. vt alios multos non commemorem. Quid nostrâ memoriâ fecerint Iulij, Leones, Clementes & Pauli, loquuntur Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Pannonia & Germania, ac Regna reliqua, bellis inter se commissa truculentissimis. Loquitur sanguis martyrum effusus clamans ad Dominum. Ergò

nobis

Anno

nobis caueamus ab hoc homine peccati: & adhæreamus redemptori nostro Christo Domino, obsecrantes, vt veniat citò, & liberet nos ab omni malo. Amen. Vixit hic anno D. 1541. vt infrà.

Sebastianus Castalio in Annotationibus suis in Sibyllas, ex libro 3.

AVgustinus vocat ciuitatem, quæ paruit Augustis, & in Apocalypsi (vt & alibi à Sibylla) Septicollis appellatur. Ex hac venturus est Belial, qui à Sibyllâ Belias vocatur: sicut à Græcis Annioas dicitur, qui est Annibal: quanquam Belier paulò pòst appellatur. Sed nihil refert. Is est, qui in sacris literis vocatur Antichristus, & homo perditus. Nam hoc significat Hebraico sermone Belial. Est autem diligenter animaduertendum: quemadmodum Christus, cùm iam adesset, tamen exspectabatur: idem etiam in Antichristo accidere: ne quem fortè illud fallat, quòd dicitur Antichristus miracula facturus. Non enim vera erunt miracula: quæ res eos fallit, qui tales sunt in Iesum Deum, quales fuêre Iudæi in Iesum hominem. Vixit An. D. 1546.

Ioannes Ludouicus Viues.

HIc in commentarijs super Augustinum de ciuitate Dei, libro 18. cap. 23. prolixè scribit quot & quales fuerint Sibyllæ. Vide ibi. Vixit, vt infrà, anno 1550.

Petrus Alis Carnutensis.

SCripsit librum de Prophetarum, & Sibyllarum præconijs. Clar. Anno Dom. 1546.

Ant. Posseuinus de Sibyllis.

ET hic Sibyllas diuinitùs afflatas affirmat. De quo infrà suo loco. Claruit anno 1560.

Iacobus Pomerus.

HIc in oratione de antiquitate citat Sibyllæ carmina, in quibus prædictum dicit à Sibylla: Antichristum lino periturum. Adiuncta est hæc oratio antiquitatibus Romanis Ioannis Rosini in fine libri. Clar. A. D. 1579.

Augustinus Steuchus libro 1. de perenni Philosophia, de Sibyllis.

SIbylla Sambethe in Perside seu Chaldæa nata fertur, & de genere Noæ fuisse. Huius extabant 24. libri, vbi plurima de Christo, plurima item de Origine suæ gentis: deq; creatione scripsit. Idem in 21. cap. Plura de Sibyllis recitat: quæ breuitatis causa omitto. Floruit, vt infrà, an. 1551.

Petrus Appianus de antiquitatibus Orbis.

P.P.P.E. S.S.S.E. V.V.V. V.V.V.V.
F.F.F.F.

SIbylla sculpi fecit has literas Romæ in Ianiculo monte: et ob vetustatem deletæ ferè sunt, quarum sensus est:

Pater Patriæ Profectus Est, Secum Salus Sublata Est, Veniet Victor Validus, Vincet Vires Vrbis Vestræ, Ferro, Flammâ, Fame, Frigore: aliâs Fulgure. Claruit Anno D. 1551. Idem prædixit Beda Anno 730. infrà.

ONV-

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS, FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI DE SIBYLLIS ET CARMINIBVS SIBYLLINIS.

Ad Achillem Maffeum Ciuem Romanum.

LIBER.



Vum in tractatione ludorum secularium, Achilles vir optime, tam Sibyllæ quàm carminum Sibyllinorum sæpe mentionem fecerim, atq; de ijs disputare in priore præfatione constituerim: res ipsa nunc postulare videtur: vt absoluta de ludis secularibus disputatione, nunc ea, de quibus verba facere pollicitus sum, persequar. Atq; de ijs quæ apud veteres scriptores extare vidi, ad hoc potissimum argumentum pertinentia disseram, præsertim quum res, quamquam à plerisq; tractata sit, non admodum tamen accuratè ab vllo, quod sciam, fuerit explicata. Sibyllæ igitur, à quibus Sibyllina oracula tradita sunt, Varrone in libris rerum diuinarum, Diodoro Siculo libro 5. & Lactantio libro 1. diuinarum institutionum auctoribus, mulieres dicebantur Deo plenæ, quarum pectora quum diuinum numen recepissent, vaticinabantur, appellatæ, vt idem Lactantius, ex Varrone, & Seruius super 4. Æneidos tradunt, à consilijs Deorum nunciandis. Aeoles enim σιους βουλὰ Deos dicunt, & consilium, siue sententiam. Ergò Sibyllæ, quasi Sibullæ dictæ, id est, quæ Dei consilia mortalibus enunciant. Hieronymus contra Iouinianum: Quod si Æolici (inquit) sermonis genere Sibyllæ Θιοβουλαὶ appellantur, rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas. Sunt, qui Sibyllas omnes ab vnius Delphidis nomine vocatas dicunt, ea verò à Deorum consilijs nominata est. Suidas Romana voce eam prophetissam, hoc est, vatem interpretari posse scribit.

Quæ autem, aut quot, quibúsue temporibus, aut locis Sibyllæ fuerint, magna inter veteres scriptores dissensio est. Alij enim tantùm vnam, alij duas, alij tres, alij quatuor, alij decem, aut etiam plures Sibyllas fuisse dixêre. Quidam etiam Græcorum conati sunt, ex Sibyllis facere, quod de Iouibus, Herculibus, Mineruisque, & alijs Deis fecerunt. Qui quum multi fuissent, vnum tantùm prodidêre, vt autor est M. Varro. Atque de ea variè scribunt, multumque inter se, tum de patre, tum de patriâ discrepant, Alij enim Apollinis & Lamiæ filiam existimant: alij Aristocratis & Idoli: alij Crinagoræ: alij Theodori. De patria quoque non minùs inter se dissident. Nonnulli eam Erythræam fuisse tradunt, quidam Siculam, alij Sardinicam, alij Gergethicam, alij Rhodiam, alij Libycam, alij Leucanam, alij postremò Samiam, Quæ omnia magna ex parte de Erythræa opinati sunt. Quidam etiam eam ante Troiana tempora fuisse, quidam ipsius Troiæ excidio, Græcisq; vaticinatam, Ilium periturum, alij verò longè post vixisse, scribunt, ita, vt cui potissimum credendum, ambiguum sit. Hanc opinionem reijcit M. Varro in libris, quos rerum diuinarum scriptos reliquit, qui quum de XVviris ad sacra facienda destinatis loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse vnius Sibyllæ: sed appellari vno nomine Sibyllinos, quod omnes fœminæ vates Sibyllæ sint à veteribus nuncupatæ.

Martianus Capella duas tantum Sibyllas fuisse refert, & non plures, Erophilem Troianam Marmesi filiam, quam eandem putat esse cum Phrygiâ, & Cumæâ: alteram Symmachiam Hiporensis filiam, quæ Erythræ nata, etiam Cumis vaticinata est.

Plinius libro 34. cap. 5. auctor est, Romæ in foro iuxta rostra, trium Sibyllarum fuisse statuas cæteris minores: ex his vnam Pacuuius Taurus ædilis plebis instituit, duas verò reliquas M. Valerius Messalla augur, quarum nomina Solinus cap. 7. Polyhistor: refert.

Vna enim ex his Cumana erat, quæ Cumis, Olympiade quinquagesima vaticinata est, vbi eius sacellum vsque ad nostra tempora fuit. Quod incendio Puteolano, anno salutis, DXXXIX. terra obrutum est. Hæc libros L. Tarquinio superbo Romanorum Regi attulit, cuius sepulchrum in Siciliâ diu mansit. Altera Delphica, quæ ante Troiana tempora vixit, atq; vt Boëthius perhibet, eius plurimos versus Homerus operi suo inseruit. Tertia porrò Heriphilis Erythræa, quæ post Troiana bella vixit, atque inter alia Lesbijs vaticinata est, eos maris imperium amissuros, multò antequàm id accideret.

Ælianus autem libro 12. variæ historiæ, quatuor Sibyllas asserit, Erythræam, Samiam, Ægyptiam, & Sardianam. His alij duas Iudæam, & Cumæam adiungunt, vt sint sex: quibus quidam alias præterea quatuor addunt, eorum verò nomina non referunt. M. Varro (vt est apud Lactantium libro primo) quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, nec apud Latinos vixit, in libris rerum diuinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem maximum scripsit, Sibyllas decem numero fuisse refert: easque omnes enumerat cum auctoribus, qui earundem gesta monumentis literarum consignârunt: quas non eo ordine, quo à Lactantio digeruntur, enumerabo: qui nec temporis, nec Sibyllarum rationem habet: sed quum ab antiquissimis ad recentiores deuenero, eis præterea

addam,

addam, quæ à veteribus Græcis, & Latinis scriptoribus de iisdem Sibyllis, & carminibus earundem notata sunt.

De Sibyllâ Delphicâ.

PRima igitur, ex his Sibyllis, quas Varro inter decem enumerat, omniumque vetustissima Sibylla DELPHICA fuit: de qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de diuinatione composuit. quam quidam Athenim vocatam scribunt, Delphisque ortam. Hæc, vt Boëthus perhibet, longè ante Troiana tempora vaticinata est, cuius plurimos versus Homerum operi suo inseruisse plerique tradiderunt. Eam Diodorus Siculus libro 5. Daphnem Tyresiæ filiam fuisse refert, quam Argiui, quum Thebas vicissent, Delphos misêre votum reddituri. Quæ prius quàm diuinandi artem à patre Tyresia edocta fuisset, Delphis manens vaticinandi peritior Apollinis vi facta est, Deique responsa consulentibus edebat: & idcircò ante omnes Sibylla est ab omnibus vocitata, vt auctor est Varro. Hinc omnes mulieres diuinandi peritæ, vt quidam tradiderunt, Sibyllæ dici cœptæ sunt. De hac Solinus cap. 7. Polyhistoris, & Plinius libro 34. cap. V. mentionem faciunt. Fertur & Daphne, altera Ladonis Arcadis filia ab Apolline adamata, quæ in laurum est versa: quum Deum auersaretur, & fugeret. Fabulam narrat primo metamorphoseωv Ouidius. Porrò autem ante hanc nullam mulierem vaticinatam fuisse, legitur.

De Sibylla Erythræa.

ALtera Sibylla fuit Erythræa dicta, quam Appollodorus Erythræus affirmat suam fuisse ciuem, eamque Graijs Ilium petentibus vaticinatam, & perituram esse Troiam, & Homerum mendacia scripturum. Hoc autem vaticinium integrum extat in libro, qui vulgò circunfertur, oracula que Sibyllina octo libris digesta continet, in lib. tertio. Hanc, vulgatior opinio est, fuisse ante bellum Iliacum. Eusebius verò in Chronicis eam in primam ætatem vrbis Romæ, & regnum Romuli refert. Strabo autem duas ponit Erythræas Sibyllas: hanc priscam, & aliam recentiorem nomine Athenaim, quam Alexandri temporibus fuisse scribit. Lactantius verò Sibyllam Erythræam Babylone natam esse ait, & sese Erythræam appellari maluisse. Hanc Solinus cap. 7. Polyhistoris Heriphilem appellatam, pauloque post Troiana tempora floruisse scribit, de qua suprà dixi. Huius etiam Ælianus libro variæ historiæ XII. & Marcianus Capella mentionem faciunt.

De Sibyllâ Cumæâ.

TErtiam autem Sibyllam CVMÆAM fuisse existimo, de quâ Næuius in libris, quos de primo bello Punico scriptos reliquit, & L. Piso Censorius in annalibus mentionem faciunt. Hæc in Italia vaticinata est paulò pòst excidium Iliacum, vt quidam tradunt, quam Italicam multi vocant, & ex Cimmerio Campaniæ vicino Cumis oppido oriundam. Sunt, qui scribant, hanc esse ad quam Æneam Ilio profugum diuertisse Virgilius fingit libro 6. Deiphobem appellatam. De hac Martianus scribit

De Sibyllâ Samiâ.

QVarta porrò Sibylla SAMIA fuit, de qua in antiquis Samiorum annalibus mentionem fieri Eratosthenes, vetustus auctor scripsit, Phyto vocata. Huius meminit Ælianus libro 12. variæ historiæ. Hanc Numæ Pompilij temporibus fuisse circa XVI. Olympiadem Eusebius scribit in Chronicis, Hippomene Athenarum principe, Heriphilemque appellatam.

De Sibyllâ Cumanâ

QVinta Sibylla Cumanâ fuit, nomine Amalthæa, quæ ab alijs Demophile, vel Herophile nominatur: Suidas Hierophilem dicit. Fuit autem hæc, quæ nouem, vel, vt alijs placet, tres libros Sibyllinorum oraculorum ad Tarquinium Superbum detulit, de qua re latiùs paulò pòst dicam. Hanc Solinus cap. 7. Polyhistoris quinquagesima Olympiade floruisse scribit, atq; eam post Delphicam, & Erythræam vaticinatam fuisse tradit: Cuius sepulchrum suâ ætate in Sicilia mansisse refert. Eam verò non Eriphilem vocat: hac enim appellatione Erythræam afficit, quam hac Cumanâ antiquiorem fuisse opinatur. Eusebius verò nec Erythræam, nec Cumanam: sed Samiam Herophilem vocatam scribit: quam Numâ Romanorum rege viuente, floruisse refert. Cumanam autem Sibyllam, si modò verum est, eam fuisse, quæ Superbo libros obtulit, & vixit Olympiade quinquagesimâ quintâ, testatur.

De Sibyllâ Hellespontica.

SExta Sibylla HELLESPONTICA fuit, in agro Troiano, Vico Marmisso nata circa Oppidum Gergithium, quam scribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuisse temporibus: Vixit autem Olympiade LX.

De Sibylla Libyca.

Septima Sibylla LIBYCA fuit, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo. Hanc autem ante Olympiadem octogesimam vaticinatam fuisse ex hoc satis liquet: quòd Euripides, qui ea ætate vixit, eam commemorat.

De Sibylla Persica.

Octaua post suprà dictas Sibylla PERSICA fuit: cuius mentionem fecit Nicanor: qui res gestas Alexandri Magni, Macedonum regis, conscripsit. Hanc ipsam Chaldæam vocat Iustinus Martyr in admonitorio ad gentes libro: atque eam ex Babylone profectam, ait Berosus qui tribus libris Chaldaicam scripsit historiam: & Erimanthæ nobilis mulieris filiam fuisse tradit. Berosus autem Babylonius fuit, Belique in Babylone sacerdos, vt refert Assyrius Tatianus in oratione contra Græcos: qui eundem Alexandri Magni ætate vixisse: & Antiocho post Alexandrum tertio, Chaldaicam historiam, Regumque gesta, tribus libris digesta, obtulisse scribit. Sunt qui hanc Sibyllam Hebræam, eiusque proprium nomen Sambethem, & vxorem Noæ fuisse tradunt, ex quadam vrbe prope rubrum mare ortam. Huius libri fuerunt quatuor ac viginti: in quibus de Christo Deo, & eius aduentu innumera cecinit. Huius versus (vt tradit Iustinus) passim legebantur imperfecti & interdum parùm cohærentes, non quidem vatis, sed exscribentium festinanter vitio: ita vt multâ coniecturâ opus esset. Quod non sine manifesto Dei consilio accidit: ne egregia vaticinia ab indignis intelligerentur. Vixit autem Olympiade CXX. Iustinus in libro admonitorio hanc ipsam Cumanam etiam appellat: eamque ex Babylone Cumas Italicas profectam tradit: vbi consulentibus Dei iussu oracula reddebat: ita vt Erythræa, Persica, & Phrygia Sibyllæ, Cumææ & Cumanæ, aliquando dictæ sint.

De Sibylla Phrygia.

Nona vero Sibylla fuit PHRYGIA, quæ vaticinata est Ancyræ. Quam idcirco nono loco posui: cùm quòd tempus, quo vixerit, reperire non potui: tum etiam, quòd Lactantius, & eo longè prior Varro, eam nono loco numerauerunt. De hac Martianus Capella scribit: & eam eandem cum Cumæa esse arbitratur in agro Troiano natam.

De Sibylla Tiburtina.

Eadem ratio est de loco decimæ Sibyllæ: quam TIBVRTINAM vocant nomine Albuneam quæ Tiburi vt Dea ad Anienis ripas colebatur: cuius in gurgite simulachrum eius inuentum esse dicitur, tenens in manu librum, cuius sacra senatus in capitolium transtulit. Has decem Sibyllas tradit ex Varrone Lactantius libro primo contra gentes cap. 6.

De reliquis Sibyllis.

Fuerunt & aliæ plæræque extra decem numerum Sibyllæ, vt COLOPHONIA, quæ dicta est Lampusia Calchantis sacerdotis, peritissimique auguris filia: cuius vaticinia & responsa carmine olim legebantur. Fuit & alia Sibylla nomine ELISSA, quæ & ipsa carminibus vaticinabatur. Referri quoque potest in numerum Sibyllarum CASSANDRA Priami filia: quæ patriæ excidium præcinuisse fertur, consulentibusque responsa dedisse. De qua Vergilius libro 2. Æneidos sic scribit:

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, Dei iussu non vnquam credita Teucris.

Fuit etiam Sibylla EPIROTICA Thespiotiæ nata, quæ oracula scripsit. Item THESSALICA, MANTO Tiresiæ vatis Thebani filia, quæ fatidica à Virgilio appellatur. Potest etiam Sibylla dici CARMENTA mater Euandri Arcadis. Multa enim vaticinatam fuisse ferunt. Et FAVNA vel FATVA Fauni Italiæ Regis soror & coniux: quæ bona Dea postea dicta est. Dubitauit Didius Grammaticus: an SAPPHO Sibylla dici possit: vt est apud Senecam in studijs liberalibus: etsi alij eo loco non Sibyllam, sed Publicam legant. Omnium etiam Sibyllarum antiquissima dici potest DELBORA vxor Lapidoth mulier Hebræa: de qua legitur Iudicum libro capite 4. Cui addi potest MARIAMME soror Mosis & Aaron, vt legitur in Exodo capite 15. & postremò OLDA Sellemi vxor: de qua Paralipom. 2. cap. 34. multa leguntur sub rege Iudæorum Iosia.

Harum ferè omnium Sibyllarum carmina circumferri & legi ætate sua refert Lactantius, præter Cumanæ: cuius libri à Romanis occulebantur: nec eos ab vllo nisi à XVviris inspici fas erat. Erantq; singu-

singularum singuli libri, qui quia Sibyllæ nomine inscribebantur, vnius esse semper crediti sunt, etantque confusi simul, nec discerni, aut suus cuique Sibyllæ assignari poterat liber, præter Erythrææ, quæ & nomen suum carmini verum inseruit, & Erythræam se nominatum iri præloquuta est.

Nunc quidam liber Græcus Sibyllinorum oraculorum circumfertur octo libris digestus, quem eum esse existimo, de quo plura Lactantius excepit, quum præsertim omnes ferè eos versus, quos de Christo citat, Sibyllinos in eo reperiri constet.

Extant quoque Sibyllæ Erythrææ eius generis versus quidam, qui acrostichis vocantur. Hi sunt apud Eusebium Græci in libro, 5 de vita Constantini Imperatoris. Iidemque Latini facti apud Diuum Augustinum libro 18. de ciuitate Dei cap. 23. in quorum singulis capitibus ordo literarum ita est dispositus, vt in eis hæc verba legantur: IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR CRVX. Hique ab Eusebio eo loco Sibyllæ Erythrææ fuisse traduntur. Sic autem scribit: Sibylla igitur Erythræa, quæ seipsam sextâ post diluuium generatione vixisse, & Apollinis sacerdotum fuisse dicit, diadema ex æquo vnâ cum Deo, cui seruiebat gestans, & tripoda circa quem serpens gyrabat, colens, appropinquantesq; ad se repellens propter dementiam parentum, qui eam tali cultui deuouerant, intus in ipsis adytis, importunâ superstitione occupata, diuinâ tamen inspiratione referta, Carminibus de Christo Iesu vaticinata est, quorum primarum literarum serie surgit hæc sententia, quæ & acrostichis dicitur.

ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ ΣΤΑΥΡΟΣ. id est:

IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR CRVX.

Carmina autem sunt hæc Latinè, seruatâ quantum fieri potuit, acrostichi, reddita.

I Iudicio telluris erit sudoribus omen,
E Erumpetq; alto, carnem qui iudicet, atque
S Suspensum (tanti est regis præsentia) mundum
V Viderit inde omnis, vel si perspecta fides est,
S Sine hæc nulla Deum Sanctosq; in finibus æui
C Carnis amissius, & pulpâ vestitus amicâ.
H Hic animis alba è sella ius dicet, eritq;
R Rerum campus inops, tribuli nascentur, opesq;
I Inuisæ fient homini, atque iacebit Imago:
S Soluentur portæ stygij Plutonis ab illo.
T Tunc quoduis istâ gaudebit luce cadauer:
V Vir sacer atque exlex flammâ dignoscitur, atque
S Scitur in integrum, quicquid tamen vsque latebat:
D Ducet enim lampas, reseratis frontibus intro;
E Et multi plangent, multi ringentur, & astra
I Inducent finem, facies tum Solis opaca,
F Flexum erit & cœlum, nullâ quoque luce Diana
I Implebit valles, & cassa cacumina reddet.
L Labentur colles hominum fastidia, toti
I Incipient æquor fieri montes: mare demum
V Veliuolum nulli, quum tellus fulmine arescet,
S Subsident fontes, & nusquam flumina current:
S Suspectum cælo sonitum dabit ære recuruo,
E Exitium tuba deplorans mundiq; labores.
R Recludetq; chaos immensum terra dehiscens.
V Vndiq; conuenient reges, sedemq; videbunt.
A A cælo erumpent flammarum, & sulphuris vnda.
T Tum benè iactandum indicium mortalibus atque
O Optatum cornu signum, cum gente fideli
R Res æquè vna pijs vita, orbiq; infitus error.

C Clara duodenis illustrans fontibus vnda
R Roboreumq́, pedum toto dominabitur æuo.
V Versibus exscriptus Deus bis primore litura est,
X Xeinophilus nostra causa Rex vltima passus.

Hæc autem sunt carmina, quæ Sibylla Erythræa de Christo cecinit. Multi verò fuerunt qui, quam quam omnia de Sibylla Erythræâ tradita vera esse credant, hos tamen versus propter rei clarissimum argumentum confictos esse suspicati sunt ab aliquo religionis Christianæ viro, poëticesque non ignaro. Quod nulla ratione fieri potuisse, vel ex hoc maxime liquet, quod diu ante Christi natalem edita fuisse comperiuntur. Constat enim M. Tullium versus hos legisse commentarijsque suis inseruisse, quos Eusebius Cæsariensis se vidisse profitetur. Hanc opinionem confirmat: Sibyllas multa per versuum initia significare consueuisse, vt secundo de diuinatione docet Cicero, qui de Sibyllis loquens sic scribit: Non esse autem illud carmen furentis, ipsum poëma declarat. Est enim magis artis & diligentiæ quàm concitationis motus, tum verò ea, quæ ἀκροςοιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis versuum literis aliquid connectitur, vt in quibusdam Ennianis, quæ Ennius fecit, id certè magis est attenti animi, quàm furentis, atque in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiæ primis literis illius sententiæ carmen omne prætexitur, hoc scriptoris est non furentis, adhibentis diligentiam, non insani. Ita Cicero. Hoc etiam subsignificare videtur Virgilius 4. Ecloga quum scribit: Vltima Cumæi venit iam carmins ætas. Quod intelligunt quidam de Christo: quidam de Romanis: & de illo tempore quod præfiniuit in suis carminibus Sibylla Cumana, fatorum Romanorum prophetissa, vt quidam putant. Nam tempus, quò vaticinium tendebat certis erat literis incertum. Atque hactenus de Sibyllis.

Et dum libro 6. Æneidos, eam Deiphoben Glauci filiam vocat, de Cumæâ ipsa loquitur. Glaucus autem vates fuit diuinandi scientissimus, qui eam artem Apollinem ipsum docuit. Eam Heriphilem appellat Suidas, ab alijs Amalthea vocitata. Varroni autem, quem hanc rem etiam diligenter quæsisse ferunt, non videtur verisimile, vatem illam, quam Æneas con suluerit, potuisse pertingere Romana regna, quum sexcentis annis ante Tarquinium vixerit: ideo Erythræam potius fuisse putat, quæ etiam de Romanis cecinerit, hoc nimirum argumento ductus: quòd post incensum Capitolinum templum, in quo oracula Sibyllina seruabantur, apud Erythras ipsamet carmina inuenta sunt. Hanc autem esse non potuisse Erythræam Sibyllam, eodem Varronis argumento ductus opinor: quippe quæ, Appollodoro Erythræo auctore, tempore belli Troiani vixerit.

Et quamquam Eusebius eam primis annis Romuli referat, ad Tarquiniorum tamen tempora eam peruenire non potuisse facilè credi potest: quorum Priscus centesimo anno post Romuli obitum, regnare Romæ cepit. Nec Varronis argumentum obstat, libros Sibyllinos incendio consumptos ex Erythris Romam iterum relatos fuisse: quum satis constet, eos ab antiquis diuersos fuisse. Ego verò eiusdem Varronis auctoritate fretus duas Sibyllas eodem ferè cognomine fuisse existimo, Cumæam & Cumanam. Cumæa ea est, quæ Cumis vaticinata est tempore belli Iliaci, ex Cimmerio Campaniæ oppido orta, ad quam Æneam diuertisse Maro refert. Cuius & Dionysius libro 4. meminit. Cumana autem est, quæ Cumis oriunda longo tempore pòst vixit, librosque Tarquinio obtulit, de qua Solinus plura scribit. Cumis enim plures mulieres longo & perpetuo tempore, vaticinatas fuisse reor, quæ omnes Sibyllæ vocitatæ sunt: quæ illuc proficiscebantur, vel vt peritores diuinandi fierent, Apollinis oraculis, quem illic maximum templum cum specu habuisse constat: vel vt eius sacris præessent, quæ non nisi à mulieribus perfici consueuerant, quæ omnes postea ab vrbe proxima, siue Cumææ siue Cumanæ vocatæ sunt. Aristoteles namque, & Martianus Erythræam ipsam etiam Cumis diuinasse scribunt, eamque aliquando Erythræam, aliquando Cumanam vocant. Aristoteles quidem in libro de naturæ miraculis (si modo eius est: nam hoc in dubium vocatur) speluncam narrat esse Cumis Vrbe Italica, vbi Sibyllæ domicilium fuisse tradit, quàm multi Erythræam esse putant, & incolæ Cumæam nominant, haud dubiè patriæ fauore, aut certè de alia sentientes. Marcianus verò Capella Erythræam Cumis vaticinatam esse scribit, Italicis credo, vt auctor est Aristoteles: quippe sunt etiam Cumæ Ionicæ, vbi & Erythræ. Hæc forte esse potuit ea quam Virgilius libro 6. Cumæam vocat ab Æneâ consultam.

Cumana enim quæ libros Tarquinio vendidit, non eam esse existimo, de qua Virgilius scribit, quod neque etiam ipse affirmat. Idem Martianus Sibyllam Phrygiam, aliquando etiam Cumæam ap ellat. Ita igitur cùm variæ, incertæ, & inconstantes sint veterum scriptorum de Sibyllis sententiæ: fit, vt neque ego quicquam affirmare ausim. Quamquam autem incertum sit, quónam nomine appellata fuerit, quæ libros Tarquinio attulerit, eam tamen omnium scriptorum, concordi testimonio satis inter omnes conuenit, Sibyllam vnam fuisse: cuius libros Tarquinio oblatos Romani summa religione, ac obseruantia custodiebant Qui qua ratione Romanis allati fuerint, nunc ex Varrone, Dionysio, Solino, Plinio, Gellio, Lactantio, Seruio, & Suida exponam.

Anus hospita atque incognita, quæ postea constanti omnium opinione Sibylla Cumana credita fuit, nomine Amalthea, Tarquinium Superbum, regem Romanum adijt nouem libros ferens, quos Sibyllinis oraculis plenos esse affirmabat, eosque velle se venundare dixit. Tarquinius precium

percun-

percunctatus, mulier trecentos Philippeos poposcit, rex autem quasi anus ætate desiperet, irrisit, aspernatusque libros est ob precij magnitudinem. Tum illa foculo coram eo accenso, tres libros ex nouem combussit, siue vt Dionysius tradit, à regis conspectu discedens, eos igni tradidit, reuersaque numquid reliquos sex libros eodem precio emere vellet, regem interrogauit. Tarquinius autem multò magis irrisit aniculæ dementiam, eamque delirare respondit: quòd idem peteret de paucioribus precium, quod nec de pluribus accipere potuisset: tum mulier statim coram rege, vel, vt ait Dionysius discedens, tres alios combussit. Reuersaque illum denuò placidè interrogauit, an tres reliquos eodem illo precio emere vellet: rex mulieris constantiâ commotus, eam mulieris confidentiam non omnino aspernandam esse existimauit, quare auguribus accersitis rem per ordinem enarrauit, atque quid agendum esset poposcit. Illi autem ex quibusdam signis intelligentes, rem illam necessariam à Dijsque in Vrbis salutem missam, regi, reiectione illa librorum magnam iacturam factam esse, demonstrantes, quòd non omnes emisset, eum reliquos emere hortati sunt, dato precio quod deposceret anus. Quare Rex libros tres reliquos Sibyllinorum oraculorum plenos mercatus est nihilò minore precio, quàm quod erat petitum pro omnibus. Mulier igitur dans ei libros, diligenter seruandos esse præmonuit: quæ quum à Tarquinio discessisset, postea nusquam ampliùs visa est. Quapropter, iam tum credi cœptum, eam Sibyllam fuisse Cumanam, cui quemadmodum poëta ait:

Magnam mentem animumq; Delius inspirasset deus.

Sunt quidam auctores: qui libros non Superbo, Sed Prisco Tarquinio oblatos scribunt: inter quos est Varro apud Lactantium libro 1. & ex recentioribus Suidas. Solinus verò quamquam libros Superbo venditos fuisse affirmet: Sibyllam tamen, quæ eos vendidit, Olympiade quinquagesima vixisse scribit. Quod si ita est, Prisco Regi libros vendidit, non Superbo. Nam in quinquagesimam Olympiadem mors Prisci Tarquinij incidit. Quare Varroni potius credendum existimo quàm alijs. Plinius verò libro 13. cap. 13. tres libros, non nouem fuisse scribit, quos oraculorum plenos Sibylla Tarquinio attulerit, ac combustis duobus tertium superfuisse. Suidas nouem libros tradit, eosque oraculorum peculiarium vocat, hoc est ad certum aliquem populum spectantium: sed combustos tantùm duos, reliquos omnes superfuisse. Cæterùm hi libri, quos siue Priscus, siue Superbus Tarquinius emit, ab ipso in Capitolio, Iouisque templi sacrario, in arâ lapidea sub terra postea reconditi, Sibyllini deinceps appellati sunt, religiosissimeque ibidem seruati. Horum librorum custodia IIviris primum, deinde Xviris, postremo XVviris ad sacra facienda destinatis commissa fuit: eosque ab alijs præter istos aspici, aut legi nefas erat, vt Lactantius tradit. Atque vt paucis verbis multa comprehendam, nihil Romani neque sanctum, neque sacrum, ita custodiebant, quemadmodum hæc Sibyllina diuinitus (vt existimabant) missa oracula. Et quum Dij immortales de rebus aduersis consulendi essent, remediumque aliquod malis quærendum, vti de aliqua intestinâ, ciuilique seditione, vel bello externo, aut pestilentia Vrbem vexante tollenda, de funestorum, exitiabiliumque casuum remedijs; vt Cannensis cladis, pacis Candinæ, de prodigijs expiandis, cæterisque rebus aduersis, hos libros quasi ad oraculum præsentaneumque remedium XVviri hi adire solebant, in eis omnium malorum remedia inueniri posse existimantes. Cæterùm is Tarquinius, qui eos emit, dum eos in manibus habuit: statim duos viros creauit ex illustrioribus patricijs, quibus horum librorum custodiam tradidit, appellatique sunt IIviri sacris faciundis: Ex quibus alterum nomine M. Atilium, quòd is libros secreta ciuilium sacrorum continentes custodiæ suæ commissos, muneribus corruptus Petronio Sabino describendos dedisset, culeo insutum in mare abijci iussit. Horum IIvirorum munus erat, hos sacros libros custodire, & quoties opus esset, adire, legere, interpretari, & quæ iubebantur, vt perficerentur curare, Apollinis sacrarumque cerimoniarum antistites esse: & quoties famem, pestilentiam, bella ciuilia & externa mala vrbem vexare contigisset, vel prodigia aliqua nunciata essent apparuisse, eorum omnium malorum ex oraculis Sibyllinis remedia inuenirent: lectisternijs ad Deorum puluinaria factis, Deûm iram placare: prospera omnia precari, aduersa vt tollerentur rogare: & postremò Deos omnes iratos sacrificijs factis mitigare.

Vide quæso Lector, quantam sibi malus dæmon in orbe terrarum vendicauerit potestatem. Ex qua per Iesu Christi gratiam depulsâ liberati, beati nos & felices sumus, quibus tot tenebris & errorum inuolucris liberatis veritatem agnoscere concessum est. Porrò de his sacerdotibus ita libro 4. scribit Dionysius: Post eiectionem autem regum, assumens ciuitas oraculorum patrocinium, virosque etiam illustrissimos custodes eis designauit, qui per omnem vitam eam curam haberent, à militia & alijs vrbanis muneribus immunes: publiceque libros illos apud eos deposuit, & sine eis non permisit vnquam vlli oracula aspici Sibyllina. Hi seruos de publico sumtu habebant. Eos libros autem adeunt ex S. C. seditione ciuitatem tenente, aut calamitate aliqua magna, bellóue incidente, aut prodigijs aliquibus apparentibus, qualia sæpe euenire solent. De IIviris sacrorum frequens apud Liuium mentio est ante primum consulem de plebe creatum. Libro III. Libri Sibyllini per duûm viros sacrorum aditi. Libro IIII. Obsecratio itaque à populo IIviris præeuntibus est facta. Et paulò pòst: Multa IIviri ex libris placandæ Deûm iræ auertendæque à populo pestis caussa fecere. Et libro V. libri Sibyllini, ex S C. aditi sunt: IIviri sacris faciundis lectisternio tum primum in vrbe facto, &c. Cæterùm quum multo tempore, duo ad hoc ipsum

Anno

sacerdotium viri tantùm creari soliti essent, ac plebs de suo quoque corpore consules creari ambi-
ret, neque ad hoc ipsum satis virium esset, obtinuit tandem, vt qui IIviri in eam diem vsque
creati fuissent, decem viri deinceps sacris faciundis eo iure, quo IIviri fieri solebant, crearen-
tur. Quare anno vrbis CCCXXCVIII. lege latâ à tribunis plebis C. Licinio & L. Sextio,
ex IIviris Xviri facti sunt, simulque lege cautum, vt pars ex plebe, pars ex patribus fieret,
quam legem decimo sui tribunatus anno pertulerunt: quinque igitur è patribus totidemque
fuêre è plebe electi, qui Xviri sacris faciundis deinceps vocati sunt. Post quod tempus vsque
ad L. Syllæ Felicis Dictaturam fuerunt Xviri sacris faciundis, de quibus toties mentio est apud
Liuium. A Sylla verò Dictatore XVviri facti sunt, quod hac ratione ostendi potest. Cice-
ronis ætate erant XVviri sacris faciundis, qui adhuc erant decemviri eo anno, quo Capitolium ar-
sit: paulò ante Syllæ Dictatoris tempus, L. Scipione & L. Norbano Coss. anno vrbis DCLXXI.
Atque post eum annum in sacerdotum collegijs nusquam legitur quicquam esse mutatum, nisi in
Dictatura Syllæ: relinquitur ergò, vt hæc XVvirorum institutio a Sylla facta esse credatur, præ-
sertim, quum & alijs sacerdotum collegijs legatur adiecisse aliquot sacerdotes, vt auguribus &
Pontificibus. Fuisse verò Ciceronis ætate XVviros ex IV. Cœlij ad Ciceronem epistola intelligi
potest, in qua ipse ad Ciceronem scribit, P. Dolabellam populi suffragijs factum XVvirum.
Tranquillus quoque in Cæsare: proximo autem Senatu percrebuit fama, L. Cottam XVvirum sen-
tentiam dicturum: vt, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a Rege non posse vinci,
Cæsar rex appellaretur. Quod verò decemuiri sacrorum adhuc fuerint eo anno, quo Capitolium
crematum est, ex verbis Dionysij libro 4. intelligitur, qui ait: libros Sibyllinos, qui ad huc à
Xviris seruabantur, incendio capitolij fuisse crematos, quod anno ante Syllæ dictaturam confla-
grauit. De XVviris ita scribit libro 11. Com: Tacitus: Ludis secularibus Domitiani intentius
affui, sacerdotio XVvirali præditus: ac tunc prætor, quòd non iactantia refero, sed quia collegio
XVvirûm antiquitus ea cura: & magistratus potissimum exequebantur officia cerimoniarum.
Et Seruius interpretans illud Virgilij:

----- Lectosq; sacrabo.

Alma viros. ----- ----- ait sic: Primò fuerunt duo librorum Sibyllinorum custodes, inde
X. inde XV. vsque ad tempora Syllana, pòst creuit numerus vsque ad LX. Sed remansit XVvi-
rûm vocabulum. Post Syllam idem sacerdotium mansit vsque ad Theodosij tempora, quibus
cum cæteris veteris superstitionis sacris abrogatum est. Porrò autem ex eo epistolæ Cœlij loco,
quem citaui colligi potest, populi suffragijs sacerdotes huius collegij aliquando creatos, idque per
legem Domitiam. Nam quòd à collegijs ante legem cooptati fuerint, passim in Liuij historia legi-
tur, vbi de suffectis in de mortuorum locum sacerdotibus loquitur. Horum munus erat, libros
Sibyllinos custodire, & quum ex S. C. adeundi essent, adire, & quæ legissent, senatui renunciare:
ludos seculares celebrare, & postremò omnia peragere, quæ Sibyllinorum carminum iussu facien-
da essent. De his frequens mentio est in vetustis monumentis.

Porrò autem, vt ad libros Sibyllinos redeamus, perdurârunt hi libri vsque ad belli Marsici, si-
ue socialis tempora. Quibus Olympiade CLXXIII. C. Norbano, & P. Scipione Coss. incen-
so capitolio siue ex insidijs (vt quidam existimant) siue casu, simul cum alijs sacris Sibyllina etiam
carmina incendio consumta sunt. Restituto verò à L. Cornelio Sulla Felice Dictatore Capitolio,
& a Q. Catulo templo Iouis Capitolini dedicato (vt Fenestella diligentissimus scriptor, in libro
quem de XVviris edidit, refert,) C. Scribonius Curio & Cn. Octauius coss. ad senatum retulerunt,
vt legati Erythras, & ad cætera Italiæ, Græciæ, & Asiæ oppida mitterentur, qui carmina Sibyllarum,
& præsertim Erythrææ conquisita Romam deportarent. Itaque missos esse scribit P. Gabinium,
M. Otacilium crassum, & L. Valerium Flaccum. Hi ex omnibus ciuitatibus quum Italicis, tum
Græcis, & præcipuè ex Erythris, circa mille versus à priuatis descriptos collegerunt: Romamque
cum cuiusque Sibyllæ nomine deportârunt. Hæc eadem Varro refert. Quibus carminibus ab
hominibus rudibus transscriptis, multa superflua inserta inuenta sunt, in alijs verò mutila quæ-
dam, aut deprauata: quare vt ipsorum carminum sincerior lectio esset, datum est negocium XVvi-
ris S. F. quorum iudicio ac censurâ hi versus corrigerentur, eaque mendis omnibus, sententijsque
superfluis ademtis, componerent: quod ab ijs accuratissimè factum est. Hi autem posteriores li-
bri non vnius Sibyllæ carmina putanda sunt, vt priores, sed plurium: quamquam vnius semper
Cumanæ vel Cumææ nomine appellati sunt. Quod etiam Dionysius libro 2. Lactantius libro 1.
& alij plerique docent. Tacitus quoque idem significat: quum eo tempore multa vana carmina
nomine Sibyllarum circumferrentur. Tiberius iussit conquisita Samo, Erythris, Ilio, Africa, & per
Italicas Colonias carmina intra certum diem ad præfectum vrbis L. Pisonem adferri, & iudicium
censuramque XVvirorum adhiberi, ne haberi priuatim liceret, quod iam à maioribus erat cautum.
Libros autem Sibyllinos vsque ad Honorij & Theodosij Iunioris Impp. tempora, Romæ perdurasse
se constat: quibus Fl. Stilico Imperatoris Honorij socer, quum ab eo defectionem moliretur, filioq;
suo Eucherio imperium comparare studeret, concitaturus in generum Imperatorem seditionem,
verius omnes Sibyllinos cremauit. Cuius rei meminit ita Rutilius Claudius Numatianus itinerario
secundo.

Nec tantum Geticis grassatur proditor armis,
Antè Sibyllinæ fata cremauit opis.

Vel vt

Vel vt alibi legitur:

Ne tantum patrijs sæuiret proditor armis,
Sancta Sibyllinæ fata cremauit opis.

Quare cum Sibyllinorum oraculorum interitu, XVvirorum quoque sacerdotium sublatum est. Atque hæc sunt, quæ tam de Sibyllis, quàm oraculis Sibyllinis & XVviris sacris faciundis, apud veteres auctores extare didicerim. Sed antequam operi extremam manum imponam, non alienum erit, hoc loco referre, quæ Iustinus de antro Sibyllæ Cumanæ, vel Cumææ tradit, quod Puteolis se vidisse scribit. Ipse enim in libro ad gentes admonitorio narrat: quum Cumas Campaniæ animi gratia aliquando petijsset, non longe à Baijs Sibyllæ domicilium se vidisse, id erat maxima Basilica tota in lapidem incisa, opus equidem eximium, & omni admiratione dignum. Vbi Sibyllam olim oracula edere solitam fuisse incolæ referebant, idque se à maioribus suis accepisse testificabantur. Ostendebanturque (vt ille ait) adhuc, vasa tria in templi medio in eodem lapide incisa, ex quibus aqua repletis lauabatur, acceptaque stola in abditissimam eius templi partem, in eodem lapide fabrefactam sese includens, thronoque, siue alta sede in eodem lapide excauata considens, oracula reddebat. Templum hoc vsq; ad nostram ætatem perdurauit. Anno enim salutis MDXXXIX. terræmotu ingenti Campaniæ terra, conquassata, Puteolis minutissimo puluere, cinereque è mari surgente tota cooperta est, collisque satis editus ibi enatus est, vbi olim celeberrimum Sibyllæ phanum fuerat. Mihi autem Puteolos, Baiasque anno Domini DXLIIX. profecto, accolæ quos regionis peritos mercede conduxeram, & templi locum, & formam, & ea omnia fuisse sic narrabant, quæ Iustinus mille trecentis annis antè se vidisse scriptum reliquit, quàm arcanum id, templumque ingens terræmotus vi terra obrutum fuit. Cl. vt infra An. D. 1557.

Finis de Sibyllis.



Septem dormitores. 250.

HOc vel subsecuto anno (vt refert Historia Lombardica) 7. iuuenes Ephesij propter horribiles & crudeles Christianorum persecutiones ex vrbe dicta in montem excelsum concesserunt propinquum vrbi: in eodem obdormierunt, & ex mandato Decij muris circundati & inclusi sunt, & modò post 196. annos temporibus Cæsaris Theodosij Iunioris iterum sunt experrecti. Vide Historiam Lombardicam, Iordanem, Cedrenum, Nicephorum lib. 14. cap. 45. & alios plures. Imp. 29. Philippo E. R. 19. Fabiano.

Nouatianus. 250.

HIc Rom. Eccl. presbyter cum cathedram Episcopalem Rom. ambiret, sed obtinere non posset, ex inuidia primum in Eccl. Romanâ Schisma concitauit, & hæresin Nouatianorum constituit.

Cyprianus in sermone de Ieiunio, & tentatione Domini. 244.

MEndax est Diabolus (inquit) & his qui sibi obtemperant, multa se daturum promittit. Malum hoc in vniuersâ ecclesiâ vagatur, & communis pestilentia, innumerabiles occupat: vt pro gloria huius mundi, qui liberi erant, se vendant in seruos, & per vitia ad seruitia deputentur, & obligati pacto chirographum subiectionis conscribant Diabolo. Per omne nefas voluptates emuntur, & per omne scelus copiosæ libidines exquiruntur. Iudas ille proditor venditurus magistrum, prætaxatum pretium à principibus exegit sacerdotum Quid mihi, inquit, vultis dare, & ego eum vobis tradam? Vsque ad mortem Domini amor lucri se ingerit: nec vitæ Saluatoris quæstus desiderium parcit. Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit, ibi sub vmbrâ recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat. Simon Magus Romæ Apostolorum temporibus venalem putans Spiritum Sanctum, Petrum donis aggreditur, & tentat emere potestatem, per quam plura lucretur. Hæc sacrilegij forma per omnia officia gradusq; discurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quisquam Diaboli hæc esse negotia, & nundinatores eius, quicunque hæc exercent commercia: nec quicquam huiusmodi ab eo, nisi præmissâ apostasiâ, donari. Inuerecundè tentator ambitiosos aggreditur: & conditione perniciosâ præmissâ talia pollicetur: vltra quæ extendi

non posit cupiditas, regnorum scilicet omnium monarchiam, & vniuersitatis dominatum, vt in omnibus mundanis, vnus homo, quasi Deus, habeat potestatem, & cui omnia subiecta sint, & generale vectigal excellentiæ principali cuncta persoluat. Quid vltrà cupide quæris? quid amplius auare desideras? numquid & sic potest impleri ambitio tua, aut satiari potest fames tua, ossa huius mundi iniectâ dentibus tuis, & faucibus tuis vniuersâ rerum massâ intrusâ? Mundum habes, Deum non habes: mundus transibit, tu cum eo: qui non stas, cades, transibis & rues. Imp. 31. Gallo Hostiliano. Episc. Rom. 22. Stephano 1.

Idem ibidem Si Moysen,& Aaron,& Samuelem hodie haberet Ecclesia, cum inuocarent, exaudirentur. Et orantibus Iob, & Noë, & Daniele, populo parceretur. Rarus hodie Phinees, qui perfodiat impudicos: rarus Moyses, qui occidat sacrilegos: rarus Samuel, qui inobedientes lugeat: rarus Iob, qui pro filiorum negligentia sacrificium offerat: rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes diuinas edicat: rarus Noë, qui his, quibus submersio imminet, arcam bitumine litam prouideat. Flens cum Apostolo, dico: inimicos crucis, qui terrena sapiunt: magistratus, quorum Deus venter est, qui in his, quæ dicere nefas est, impudentes lætantur, & gloriantur. Venerunt periculosa tempora, quæ prædixit Apostolus, in quibus voluptatum amatores magis, quàm Dei, speciem pietatis habentes, virtutem verò abnegantes, inueniuntur præpositi innumerabiles, qui ieiunia, & orationes, nec digito mouent: in quorum manibus iniquitates sunt, & muneribus eorum dextera oneratur: frustra ab his quærantur miracula, frustra exilia implorentur, non sunt idonei intercessores, Domini contemtores, nec conuenienter ad placandum eum accedunt, nec conciliant quem offendunt.

Idem. Cyprianus, seu quisquis auctor est expositionis symboli, ait: Antichristum ante aduentum Domini in nomine Christi appariturum. Idem suo tempore appropinquare aduentum Antichristi, dixit: in libello ad Fortunatum: Antichristi tempus infestum appropinquare iam cœpit. Item libro quarto, epistolâ sextâ: scire debetis, & pro certo credere, ac tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum seculi atque Antichristi tempus appropinquasse. Ibidem, venit Antichristus.

Idem. Singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes.

Neque enim quisquam nostrûm Episcopum se esse episcoporum constituit: aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit: quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum iudicare.

Idem tractatu primo contra Demetrianum.

PAssim discurritur, rapitur, occupatur: prædandi dissimulatio nulla, nulla cunctatio est. Quasi liceat, quasi oporteat, quasi ille qui non rapit, damnum & dispendium proprium non sentiat, sic vnusquisque rapere festinat. In latronibus est vtcunque scelerum aliqua verecundia: auias fauces, & desertas solitudines diligunt: & sic delinquitur, vt tamen delinquentium facinus tenebris, & nocte veletur. Auaritia palàm sæuit, & ipsa audacia in fori luce abruptæ cupiditatis arma prostituit.

Idem. His temporibus pestilens morbus multas prouincias occupauit: maximeque Alexandriam & Ægyptum afflixit: durauit autem ferè decennium: quidam plures annos ponunt: adeò autem sæuijt, vt aliqua loca habitatores nullos retinuerint. Qua occasione Cyprianus scriptum de mortalitate composuit. Fuit autem hæc pestis pœna persecutionum, quas Ecclesia sub Decio passa fuerat: Et pij quidem peste absumpti in cœlestem patriam commigrârunt: persecutores verò ad infernum descenderunt.

Antonius Eremita.

271. DE hoc viro scribitur: eum quibusdam monachis petentibus regulam seu normam piæ vitæ, Euangeliorum codicem obtulisse. Petrus Cant. Parisiensis. Imp. 33. Claudio. E.R. 24. Dionysio.

Valer. Aurelianus Imperator.

276. HIc Ecclesiam vehementer afflixit, & propterea fulmen ante oculos eius cecidit, omnibus perterrefactis: & ipse imperij anno 6. in Tiberi submergitur. Viterbiensis, Orosius, & Euseb. Imp. 35. Val. Aurelino E.R. 24. Dionysio.

Porphyrius in libro de sacrificijs.

279. HVius doctrina est, eum qui paucis contentus viuit & innocens est, Deum esse. Ex quo viderint illi, quo iure sese appellent Deos, qui nec Regijs opibus volunt esse contenti: nec inno-

centes esse possunt: quia sanguinem insontium Christianorum cum Diabolo, ab initio homicida. Ioan. 8. & meretrice ebriâ de sanguine sanctorum, quotidie plurimum effundunt. Imp. 36. Annio Tacito E. R 25. Felice.

Trebellius Pollio, Vopiscus, & Eusebius. 280.

DEus alijs grauissimis calamitatibus priores persecutiones Christianorum à Valeriano excitatas, & a filio Gallieno approbatas, atrociter puniuit. Plures enim dies velut tenebris iacuit terra obuoluta: auditumque tonitruum, terra mugiente, & cœlo tonante: secutusque motus terræ ingens. Quo multa ædificia vna cum habitatoribus subitò terræ hiatu absorpta sunt, multique nimio terrore exanimati. Id malum Asiam præcipuè afflixit: sed & Roma mota est, & Lybia. Maritimas vrbes multas mare obruit. Pestis adeò sæuijt Romæ, & in Achaicis vrbibus, vt vno die quinque hominum millia perirent.

Sic vltus est Dominus sanguinem seruorum suorum, qui propter Christi confessionem ab impijs Imperatoribus, Præsidibus crudelibus & auarissimis, & plebe furente Ethnica effusus fuerat. Imp. 38. Aurelio probo. E. R. 25. Felice.

Idem. Iulius Cæsar primùm Sphingis, deinde Alexandri Magni imagine vtebatur, quibus tabellas signaret: erat enim eius superstitionis id seculũ, vt si quis Alexandri imaginem vel auro vel argento gestaret, fortunatiorem se esse existimaret: id quod Diuus Chrysostomus grauiter reprehendit.

Ælius Lampridius. 280.

HIc narrat prima Christianorum templa omnibus simulachris caruisse: sicut Lactantius, ac multi alij testantur. In quibus postea Papæ maximam diuini cultus partem constituerunt. Verba eius sunt hæc in vita Imperatoris Alexandri Seueri. Capitolium, inquit, septimò die, cùm in vrbe esset, ascendit, templa frequentauit, Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere: quòd & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulachris iusserat fieri: quæ hodiè idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur, sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros, si id optatò euenisset. & omnia templa deserenda. Hactenus ille. V. S.

Idem. L. Aurelius Antoninus Commodus, Balneatorem, qui non statim dicto audierat, in fornacem ignis conijci iussit. 300. concubinas, & totidem puberes in delicijs habuit.

Thalmud & Ribbi Iehudah. 282.

HOc tempore Thalmud à Iudæis contra Christianos componitur. Picus. Sed alij aliter sentiunt, vide suprà anno 150. & infrà anno 402. Imperat 38. Aurelio probo. E. R. 26. Eutychiano. De Professoribus dogmatum Thalmudicorum inquit Ribbi Iehudah: Esto cautus in Talmud, nam error qui in Talmud committitur, reputatur pro temeritate seu præsumptione.

Thalmud Babylonicum, de miraculis templi Hierosolymitani,

TRadiderunt Rabbanan, id est, magistri, quòd decem signa facta sunt in domo sanctuarij. Non enim abortiuit mulier propter nidorem carnium sanctuarij. Neque carnes sanctuarij fœtebant vnquam. Neque visa fuit musca in macello templi. Neque contigit accidens sacerdoti magno in die propitiationis. Neque inuenta est corruptio in manipulo, aut in duobus panibus, aut in panibus facierum. Stantes angusti erant, procidentes verò, vt adorarent, spaciosi erant, licet à domo propitiatorij per vndecim vlnas retracti essent. Nunquam nocuit serpens, neque scorpius in Ierusalem. Nec vnquam dixit homo proximo suo, angustus est mihi locus manendi in Ierusalem. Nunquam pluuiæ extinxerunt ignem lignorum præparationis. Neque ventus vnquam vicit columnam fumi. Quamuis enim omnes venti qui sunt in mundo in eam flarent, non tamen poterant eam deuiare, ne rectè sursum ascenderet. Hæc miracula omnia tempore Christi nati cessauerunt.

Tria templa.

EX Thalmudistis constat: in terris tantum constructa fore duo templa: primum à Salomone, quod Nabuchodonosor subuertit: Secundum, quod sub Zorobabel conditum, & à Tito destructum fuit. Tertium autem non in terrâ, sed in cœlo construendum restare.

Diocletianus Imp. 40.

290. Diocletianus, anno Imperij sui nono mandat, vt postmodùm, si quisquam Cæsarem compellare cupiat, accedat, ad pedes eius se supplicem conijciat, eosque osculetur, idque faciant & summi, & infimi ordinis homines, tam nobiles quàm ignobiles. Huiusque ipse gratia postea calceos suos preciosis gemmis auroque (papa hunc imitatus signo crucis) decorauit. Sic scribit Eusebius in Chronologia, & Eutropius, ac Pomp. Lœtus. F. A. V. S. E. R. 27. Gaio.

Ælius Spartianus.

290. CVm Cæsar Aurelius Antonius Bassianus Caracalla nouercâ suam Iuliam, quæ erat pulcra valdè, aliquando nudam conspexisset & dixisset ei, quàm cuperem si liceret: ipsa respondit: modò libeat, licebit tibi. Memineris enim te esse Cæsarem, qui alijs regulam & modum viuendi præscribat, in agendis & prætermittendis: tibi autem nemo quicquam interdicere audet.

Hoc sermone motus publico eam sibi matrimonio iungit: Imperat. V. S. E. R. 27. Gaio.

Idem in Caracalla scribit: Papinianum I. C. anno 215. à Bassiano occisum, eò quòd parricidium, quod Imperator in Getam fratrem perpetrauerat, excusare nollet. Vnus ex pijs Iureconsultis.

Finit Centenarius tertius.



CEN-

CENTENARII TERTII IMPERATORES.

Christi	Vum.		Ann.	Men.	Dies.
213	23	M. Aurelius Antonius, Felix Augustus solus.	6	2	5
219	24	M. Opelius Aurelianus Seuerus Macrinus Felix Aug.	1	1	28
220	25	M. Aurelius Antonius Pius Felix Aug.	3	9	4
224	26	M. Aurelius Seuerus Alexander Pius Felix Aug.	13	0	9
236	27	C. Iulius Maximinus Germanicus Pius Felix Aug.	2	0	0
238	28	Cælius Balbinus & vnâ			
	29	M. Clodius Pupienus Maximus.	1	0	0
239	30	M. Antonius Gordianus P. F. A.	6	0	0
246	31	M. Iulius Philippus, & filius			
	32	Philippus Cæsar Aug.	5	0	0
251	33	Gn. Messius Quinctus Traianus Decius, & filius.			
	34	Decius Cæsar.	2	0	0
252	55	C. Vibius Trebonianus Gallus & C. Vibius Volusianus.	1	6	0
255	36	P. Aurelius Licinius Valerius Valerianus &			
	37	P. Aurelins Licinius Gallienus cum illo.	7	0	0
		Solus.	8		
270	38	M. Aurelius Fl. Claudius.	1	10	15
271	39	M. Aurelius Quinctillus.	0	0	17
271	40	L. Domitius Aurelius Valerius Aurelianus.	4	11	7
276	41	M. Claudius Tacitus.	0	6	20
277	42	M. Aurelius Valerius Probus.	5	4	

283	43	M. Aurelius Carus Manlius Aurelianus.
Christi	Vum.	IMPERATORES.
284	44	M. Aurelius Carinus &
	45	M. Aurelianus Numerianus.
285	46	C. Aurelius Valerius Diocletianus Iouius.
287	47	M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius.
		PONTIFICES.
218	17	Domitius Calliſtus Romanus.
223	18	Vrbanus Romanus.
231	19	Calphurnius Pontianus Romanus.
236	20	Anterus Græcus.
237	21	Fabius Fabianus Romanus.
251	22	Cornelius Caſtinus Romanus.
252		I. Nouatianus Romanus ſchiſmaticus.
253	23	Lucius Romanus.
255	24	Iulius Stephanus Romanus.
257	25	Xyſtus 2. Iunior Athenienſis Græcus.
260	26	Dionyſius Monachus.
271	27	Felix Romanus.
275	28	Eutychianus Lunenſis Thuſcus.
283	29	Caius Salonitanus Dalmata.
296	30	Marcellinus Romanus.
		CONCILIA.
244	10	Philadelphicum.
246	11	Alberanum.

Anno

Christi.	Num.	CONCIL.	Epis.	Sess.	Can.
	12	Africanum 1. & 2.			
	13				
	14	Romanum. 2. & 3.			
252	15				
	16	Antiochenum 1.			
253	17	Romanum 4.			
	18	Chartaginense 1. & 2.			
	19	Iconiense Lycaoniæ.			
254	20	Synnadanum Phrygiæ.			
	21				
255	22	Africanum 3.			
264	23	Antiochenum 2.			
269	24	Romanum 5.			
270	25	Antiochenum 3.			

ORDINES.

Nec hoc Centenario Ordines vlli sunt: sed vt dictum est, in anno post Christum natum 341. modò sese offerent.

DOCTI VIRI.

Polycrates.
Alexander Aphrod.
Tertullianus.
Cyprianus.
L. Apuleius.
Herodianus.
Origenes. 220.
Hildegastus Vates.
Ammonius Philosophus.
Dion Cassius.
Vlpianus I. C.


Mode-

240. *Modestinus I. C.*
Methodius Græcus.
Ælianus.
Triphon Orig. auditor.
Minutius.
260. *Berillus.*
Antonius Eremita.
Plotinus.
Porphyrius.
Iulius Africanus.
Nouatianus.
Anatholius.
280. *Pierius.*
Trebellius Pollio.
Lampridius.
Ael. Spartianus.
Dionysius Halicarnassæus.
Stobæus.
Iulius Capitolinus.
300.



LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS QVARTVS.

Iulius Capitolinus.



Ntoninus Imp. suis ministris, qui ociosi viuebant, salaria subtraxit, dicens: nihil esse sordidius, immò crudelius, quàm si Rempublicam ij arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. Hunc si nostri magistratus imitarentur: non tot haberemus ociosos in aulis heluones: & ij etiam, qui fidelem nauant operam, iustiorem pro suo labore mercedem caperent. 301.

O si hodierno tempore idem in Ecclesijs à magistratibus fieret: Vt fuci à præsepibus arcerentur, vel gulæ ipsorum victualia subtraherentur: magnum inde redundaret in egenos, aliosque bene meritos de Ecclesia, emolumentum. Imp. 40. Diocletiano. E. R. 28. Marcellino.

Idem. Die illo, quo Imperator electus est Gordianus, tam horrenda & tetra Ecclipsis Solis extitit, vt interdiu æquè ac noctu accensis lychnis opus fuerit. Memorabile dictum fuit eius Imperatoris: miserum esse imperatorem, apud quem vera reticentur. Agnouit optimus Princeps Consiliariorum defectus: qui si omnes verum dicerent, meliùs se res haberet.

Arnobius Afer super tex. 304.

Matth. cap. 11.

OMnis, qui audit verba mea, & facit ea, simulabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram.

Petra scilicet Christus est, autor Apostolorum. In hoc igitur Christo domum nostram ædificemus.

Viderint illi: quàm firma sit illorum petra: qui petram Petrum, & non Christum interpretantur &c. V. S.

Idem. Vt olim inter gentiles existimabant: se ab aliis saluos fieri, etiamsi propriæ salutis curam abijcerent: sic hodie quoque hoc aucupio, maxima pars diuitiarum comparatur in Ecclesia. Idem scribit Theod. lib. 6. de prouidentia.

Idem Arnob. lib. 6. Vbi magis (inquit) à sacerdotibus, quàm inter aras, & delubra conducuntur stupra, tractantur Lenocinia, adulteria meditantur? Denique in æditorum cellulis magis quàm in ipsis Lupanaribus flagrans libido exercetur.

Miltiades Episcopus Romanus.

HIc fuit Papa 33. in ordine Pontificum, qui omnes sanguinem fuderunt pro testamento sancto: quique soli Deo vixerunt: posteriorum verò maior pars sibi & mundo: de quibus Theodoricus à Niem infrà scribens ait: illos 33. esse maiorem numerum, qui vitam æternam sint consecuti. Fasc. temp. Imp. 41. Maximino. 308.

Imperium à Romanis transfertur ad Græcos. 310.

CVm Maximianus & Diocletianus Ecclesiam Dei mirabiliter afflixissent, Ambo iudicio Dei in dementiam versi, imperij dignitas illis fuit erepta. Post hos Galerius Imp. dum & ille Christianos toto decennio crudeliter exerceret, à Deo castigatus, dissolutis introrsus visceribus, vermes superiùs eructabat, & sic morbo illo periit. Maxentius in eodem furore erga Christianos consistens, causam præbuit Romanis, vt se Græcorum imperio subijcerent.

Vocatus igitur Constantinus, Maxentium vicit. Qui quasi spiritu dæmoniaco incitatus, in Tiberi submersus fuit. Constantinus à Syluestro baptizatus, Ecclesiæ pacem dedit.

Quòd autem de lepra eius affingitur, falsum est. Galerius Maximus, qui tùm Orientem tenebat, edicto perpetuo tabulis æneis mandauerat, vt Christiani vbique interimerentur. Sed cùm à Constantino dimoueretur à proposito: contrario edicto mandauit, ne aliquis ampliùs pro Christiana fide puniretur, causam dicens: Quia Christiani, quantò magis puniuntur, tantò plùs crescunt. Sicque Imperium Roma Bysantium est translatum. Viterbiensis. Imp. 42. Constan-

tino. E. R. 30. Melciade. Sic Lector habes à Iulio primo Cæsare Romano Imperatores occidentis 42.

Lactantius Firmianus.

317. ARnobij discipulum Lactantium fuisse, historiæ tradunt. Firmianus is dictus fuit à patria Firmio, quod erat oppidum in Piceno Italiæ. Lactantium autem appellatum sentiunt, à lacteo eloquentiæ flumine, solidiorique orationis genere. Vixit sub Diocletiano & Constantino, Romanis Imperatoribus, Vocatus à Diocletiano Nicomediam, Rhetoricam ibi (Rethor enim & Philosophus exercitatissimus erat) aliquandiu professus est. At in Græca illa ciuitate, doctor ipse latinus, ac proinde auditorum frequentiâ destitutus, omisso docendi munere, ad scribendum se contulit. In suis autem lucubrationibus, multa salutaria ac sacris literis consentanea docuit. Inprimis verò de vi ac efficacia verbi Dei, de qua in hunc scribit modum: Dei præcepta, quia simplicia & vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum, quàm ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem: iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam proprijs manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: iam cruces, & ignes, & pericula contemnet. Da crudelem & sanguinis appetentem: iam in veram clementiam furor ille mutabitur. De Baptismo inquit: Vno enim lauacro, malitia omnis abolebitur &c. Imp. 42. Const. Mag. E. R. 31. Syluestro 1.

Idem vehementer inuehitur in imagines, & candelas de die in templis accensas, aliaque similia, quæ postea ab Ethnicis ad Christianos translata sunt. Dicit, imagines esse superfluas & noxias, & (quod & Epiphanius ait) ipsorum cacodæmonum inuentum. De cultu ac sacrificijs disputat pulchrè: disserit, Deum non corporeis rebus, sed piâ mente, ac iustitiâ esse colendum: non delectari eum structurâ templorum, non preciosis donarijs.

In extrema senectute docuit in Gallia: vbi & magister Crispi Cæsaris, filij Constantini fuisse scribitur: at de obitu ipsius authores probati nil certi habent.

Idem de Christi æterno sacerdotio eruditè disputat, eumque solum perpetuum sacerdotem facit: & apparet illum de hodierna Missa planè nihil scripsisse. Verba eius sunt.

Quæ igitur amentia est: aut ea fingere, quæ ipsi postmodum timeant: aut timere, quæ finxerint? Non ipsa, inquiunt, timemus: sed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideo timetis, quòd eos esse in cœlis arbitramini: neque enim si Dij sunt, aliter fieri potest. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? & aduocatis Deorum nominibus, in aperto sacrificia celebratis? cur ad parietes, & ligna, & lapides potissimùm, quàm illo spectatis, vbi illos esse creditis? Quid sibi templa? quid aræ volunt? quid denique ipsa simulachra, quæ aut mortuorum, aut absentium monumenta sunt? Nam omnium fingendarum similitudinum ratio, idcirco ab hominibus inuenta est, vt posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentiâ fuerunt separati. Deos igitur in quorum numero reponemus? si in mortuorum: quis tam stultus, vt colat? Si in absentium: colendi ergò non sunt: si nec vident, quæ facimus, nec audiunt, quæ precamur.

Idem. Nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem. DEVS autem maior est homine, supra ergò, non infrà est, nec in ima positus, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium, quin religio nulla sit, vbicunque simulachrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est: diuini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus. Carent ergò religione simulachra: quia nihil potest esse cœleste in ea re, quæ fit ex terra. Ex libro 2. cap. 19. eiusdem. Vel si cœleste lumen, quod dicimus Solem, contemplari velint: iam sentiant, quòd non indigeat lucernis eorum DEVS: qui ipse in vsum hominis, tam claram, tam candidam lucem dedit: & tamen eum in tam paruo circulo, qui propter longinquitatem, non amplius, quàm humani capitis videtur habere mensuram, tantum sit fulgoris, vt eum mortalium luminum acies non queat contueri: & si paulisper intenderis, habetatos oculos caligo & tenebræ consequantur: quid tandem luminis, quid claritatis apud Deum, penes quem nulla est nox, esse arbitremur? qui hanc ipsam lucem sic moderatus est, vt neque nimio fulgore, neque calore vehementi noceret animantibus: tantumque istarum rerum dedit ei, quantum, aut mortalia corpora pati possent, aut frugum maturitas postularet. Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui Authori, & Datori hominis, candelarum ac cerarum lumen offert, pro munere? Aliud verò ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, sed (vt ait Poëta) liquidum atq; clarum, mentis scilicet, propter quod à poëtis φῶς nuncupatur, quod exhibere non poterit, nisi qui DEVM cognouerit.

Idem de diuino præmio. Sciant Philosophi, qui ab exordio mundi seculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum: quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statū in melius reformari. Cuius rei argumentum prius enarrandum est, quò ratio elucescat. Mundū Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus (sicut arca-

nis

nis sacræ scripturæ continetur) sex dierum spacio consummauit, diemque septimum, quo ab operibus suis requieverat, sanxit. Hic est autem dies sabbathi, qui lingua Hebræorum à numero nomen accepit: vnde septenarius numerus legitimus, ac plenus est. Nam & dies septem sunt quibus per vicem reuolutis, orbes conficiuntur annorum: & septem stellæ, quæ non occidunt, & septem sidera, quæ vocantur errantia: quorum dispares cursus, & inæquales motus, rerum, ac temporum varietates efficere creduntur. Ergò quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt: per secula sex, id est, annorum sex millia manere in hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat propheta, qui dicit: Ante oculos tuos Domine mille anni, tanquam dies vnus. Et in sequenti capite eiusdem libri: Tunc peragrabit clades (gladius) orbem, metens omnia, & tamquam messem cuncta prosternens. Cuius vastitatis, & confusionis hæc erit caussa, quod Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere: sed dicam, quia futurum est) tolletur de terrâ, & in Asiam Imperium reuertetur, ac rursus Oriens dominabitur, atque Occidens seruiet.

Id etsi nondum accidit, periculum est, ne in posterum accidat. Occidentem enim videmus quotidie ruere, & in deterius labi.

Idem de diuino præmio. Hic est autem qui appellatur Antichristus: sed se ipse Christum mentietur, & contra verum dimicabit, & victus effugiet, & bellum sæpe renouabit, & sæpe vincetur, donec quarto prælio confectis omnibus impijs debellatus, & captus, tandem scelerum suorum luat pœnas. Et ibidem: Extincta sic malitia, & impietate compressa, requiescet orbis, qui per tot secula subiectus errori, ac sceleri, nefandam pertulit seruitutem. Non colentur vlterius Dij manufacti: sed à templis, & puluinaribus suis deturbata simulachra igni dabuntur, & cum donis suis mirabilibus ardebunt. Quod etiam Sibylla cum Prophetis congruens futurum esse prædixit.

τρίψουσι δ' εἴδωλα βροτοί, καὶ πλοῦτον ἅπαντα.

Erythræa quoque idem spospondit:

Ἔργα δὲ χειροποίητα θεῶν συννηκαύσεται.

Et cap. 25. Fortassis quispiam nunc requiret, quando ista, quæ diximus, sint futura? Iam superiùs ostendi, completis annorum sex millibus mutationem istam fieri oportere, & iam propinquare summum illum conclusionis extremæ diem. De signis quæ prædicta sunt à Prophetis, licet noscere: prædixerunt enim signa, quibus consummatio temporum expectanda sit nobis in singulos dies, & timenda. Quando tamen compleatur hæc summa, docent ij, qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex literis sanctis, & ex varijs historijs, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi. Etenim res ipsa declarat lapsum, ruinamque rerum breui fore: nisi quòd incolumi vrbe Roma nihil istiusmodi videtur esse metuendum. At verò cùm caput illud orbis occidet & ῥύμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet venisse iam finem rebus humanis, orbiq; terrarum.

Idem. Hi quorum fides lubrica fuit, cùm Deum nosse se, & colere simularent, augendis opibus, & honori studentes, affectabant maximum sacerdotium, & à potioribus victi, cadere se cum suffragatoribus suis maluerunt, quàm eos facere præpositos, quibus concupierant ipsi antè præponi. Sed vbi dignitates, & opes in ecclesiâ auctæ sunt: inuasit pseudosacerdotes etiam regnandi, dominandique libido, & adeò quidem, vt Romani ad æmulationem veterum tyrannorum, non solùm omnibus hominibus & potestatibus præferri se cupierint, sed & Dijs se contulerint, voluerintq; odorari.

Idem de diuino præmio. Quid ergò sæuiunt, vt stultitiam suam, dùm minuere volunt, augeant? Longè diuersa sunt, carnificina, & pietas: nec potest aut veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate coniungi. Nam forte vulgus, cui simplex, incorruptumque iudicium est, si mysteria illa cognoscat in memoriam mortuorum constituta, damnabit, aliudque verius, quod colat, quæret. Et paullò pòst: Defendenda enim religio est non occidendo, sed monendo: non sæuitia, sed patientiâ: non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse est, bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur, atque violabitur. Nihil enim est tam voluntarium, quàm religio: in quâ si animus sacrificantis auersus est, iam sublata, iam nulla est.

Portentum.

Circa hæc tempora in Laterano visa manus inuisi authoris, qua ad parietem scribebatur cunctis videntibus simul ac legentibus: HODIE VENENVM ECCLESIÆ INFVSVM EST. Et hoc illa die, dum Constantinus Magnus Imperator Syluestro pontifici dedit Ecclesiæ Romanæ palatium Lateranum, vrbem Romam ac Italiæ prouincias. Malleolus de nobilitate. Imp. 42. Constantino Magno. E.R. 31. Syluestro 1. 320.

Eusebius Pamphilus Cæsariensis.

Cùm iam admirabilis Seruatoris nostri resurrectio, inque cœlos assumptio quàm plurimis innotuisset, & mos antiquus apud gentium principes obtinuisset, vt si quid noui à quibusdam tentaretur, id ei significarent qui regio principatu potiretur, ne quid eorum ignoraret, quæ fierent: 320.

factum est, vt & ea, quæ de resurrectione Seruatoris nostri Iesu per totam fuerant vulgata Palæstinam, Tiberio, sub quo Christianorum nomen in mundum venit, regi communicauerit Pilatus, adiectis etiam portentis, quæ de eo audierat, & quomodo, posteaquam ex mortuis resurrexisset, à multis iam Deus esse credatur. Tiberium verò hæc ad Senatum retulisse, simulque illi declarasse, sibi placere hoc dogma, & hunc Christum in Deorum esse referendum numerum fertur. Senatum autem causam hanc respuisse & (quod non carere mysterio putant, Christus enim tum exclusus vix hodie illis redijt) ob id impediuisse, quòd ipse eam non primus approbasset, eo quòd vetus consuetudo obtinebat, neminem apud Romanos diuinum debere sortiri honorem, nisi ex sententia & decreto Senatus. Factum est autem illud verè ex hac causa, quòd salutaris illa diuinæ prædicationis doctrina nulla opus habeat humana approbatione, & commendatione. Causa verò hac de seruatore nostro à Romano senatu, postquam ad illum delata esset, reprobata, Tiberium priore sua sententia seruata, nihil absurdi contra Christi cogitâsse doctrinam, sed mortem insuper minitatum illis qui Christianos accusarent. Cœlestis equidem hoc ei prouidentia indidit, quò doctrina Euangelij nullis initio remoris impedita felicius vniuersum terrarum Orbem percurrere posset. Hæc Tertullianus vir in Romanis legibus exercitatus, & præterea celebris, etiam inter eos qui Romæ illustres fuerunt, Romana quidem lingua, qua scripsit, ac in Græcam conuersa, in Apologia sua pro Christianis hoc pacto ad verbum scribit. Imp. & E. R. V. S.

Idem. Quanta verò fidei vis diuino quodam instinctu in eius (Constantini) animo defixa fuerit, vel ex eo intelligi poterit: quòd in aureis nummis imaginem ita insculpi curauit: vt pansis manibus instar precantis cœlum contueri videretur: quod genus nummi hac effigie sculpti per omnes Romani Imperij gentes volitabat. Iam in ipsis regijs, per quasdam ianuas in tabellis, quæ summis vestibulorum partibus affixæ erant, erecto statu pingebatur, sursum in cœlum contemplans, & precantis forma manus sursum tollens.

Idem in vita Constantini.

DEus per visiones Constantino aduersa, & insidias patefecit, & quid esset faciendum, indicauit.

De Eusebio.

EXtat epistola Constantini scripta ad Antiochenos, in qua inter alia hæc ponit verba: Fateor equidem me literas quasdam perlegisse, in quibus ex illustri laudum ac testimoniorum præconio, quo tantoperè extulistis Eusebium, Episcopum Cæsareæ, (quem etiam ipse eruditionis & modestiæ causa plurimi faciendum iam dudum existimaui) planè animaduertebam, vos magno studio erga illum incendi, & velle libenter, vestræ vrbis Episcopum ipsum constituere. Hæc ille.

Fuit Eusebius ante Synodum Nicænam Arrianus. Postquam verò concilium Nicænum congregatum, ac in eo dogma impium impij Arrij damnatum esset, ipse ad meliorem mentem rediens, ac pœnitentiam agens, sententiam suam de Arrianismo recantauit, ac piæ sinceræque formulæ synodi Nicænæ promtissimo animo subscripsit. Ac quò longiùs deinceps omnem Arrianismi suspicionem à se remoueret: satis perspicuè de Diuinitate Christi scribere est solitus. Ex libro enim ipsius de præparatione Euangelica, hæc illius citantur verba: Solum autem Deum, & verbum, ac spiritum eius, qui cœlum & terram, & omnia quæ in ipsis sunt, creauit, &c. colimus atque adoramus. Possent salutaria plurima alia ex eius scriptis hic ascribi, sed hæc sufficiant. Memorabile tamen est Eusebium in errore persistere noluisse, (vt hodie obstinatissimè fit) sed ad concilium Synodum vel colloquium accessit, vt doceretur, non vt contra omnem veritatem obstinatè agere & vincere, & in suo etiam errore triumphum ducere vellet. Vt adeò huius causa quidam Imperatores, ante hæc tempora eiusmodi conatus & disputationes tanquam periculosas, omninò intermittendas & supprimendas statuerint, de quo infrà in Gregorio Nazianzeno & alibi.

De Eusebij scriptis plura infrà per totum opus.

Iambelichus de mysterijs Ægyptiorum, Chaldæorum & Assyriorum.

320. OPera miraculorum, & Prophetias, ait, non fieri aliquâ virtute stellarum corporis, vel animæ, sed mera, & libera potestate Dei: hoc enim si aliter se haberet, nobis non esset, inquit ad hæc religio necessaria, sed absque Deorum cultu compotes essemus operum diuinorum. Philosophica vtilia & mystica alia plura in eodem libro, & alijs adiunctis (Proclo de anima, Dæmone, sacrificio & Magia, Synesio de somnijs, Psello de Dæmonibus, Alcinoo & Theophrasto de anima, Phantasia & intellectu, Speusippo, Pythagora, Xenocrate & Prisciano) vno volumine editis, reperiuntur, quæ breuitatis studio omittimus. Imp. 42. Constantino Magno. E. R. 31. Syluestro. V. S.

Arrius Hæreticus.

323. CIrca annum Domini trecentesimum vigesimum tertium, Arrius Presbyter de Ecclesia eiectus, pestilentem hæresin excitauit: & longè lateque sparsit. Hanc hæresin comētas præcessisse, Peucerus scribit in libro de Diuinatione. Imp. & E. R. V. S.

Spiri-

Spiridon.

DE hoc Sozemenus narrat, quòd tempore quadragesimæ hospiti porcinas carnes apposuit. 324.
Quo recusante, quòd Christianus esset: respondit, ob hoc ipsum, quòd Christianus es, debes iam carnes comedere. Omnia enim esse munda mundis, sermo diuinus testatur. Ac ipse quoq: cum eo comedit. Imp. & E. R. V. S.

Synodus Nicæna ex libris conciliorum.

ARticulo octauo statuitur, vt Episcopo Hierosolymorum antiquitus tradita prærogatiua seruetur, manente nihilominus & Metropolitani ipsius prouinciæ dignitate. Fuit autem Metropolitanus Antiochenus Episcopus, qui in concilio illo Romano præferebatur. Vbi ergò Romanæ Eccl. primatus? Vbi Petrus primas hîc respicitur? Imp. Constant. E. R. Syluestro. V. S. 328.

De eadem Synodo.

CVm in Concilio Nicæno Episcopi inter se hostiliter dissiderent, litibusque & odio se mutuo exagitarent, Constantinus Magnus Imp, eos monuit, vt argumenta controuersiarum conscriberent literis, sibique traderent. Quo facto consuluit, vt redirent ad pacem: & precationem Dominicam melius orare discerent: scripta autem polemica ipse addixit Vulcano. Euseb. de vita Constan. lib. 3. Sozom. lib. 1. cap. 25.

Ibidem. Nicæna synodus ex 318. Episcopis congregata, statuit, vt liceat Episcopis & sacerdotibus habere coniuges, ac liberos procreare: Obtinente id contra omnium fermè patrum sententiam solo Dei viro Paphnutio cœlibe & martyre. Nam cùm plerique omnes patres eò inclinarent, quòd sacerdotibus esset suarum coniugum vsus interdicendus: solus ille rem rectius perpendens, sese eis opposuit, commemorans, sacras literas (Paulum) testari, honorabile esse matrimonium, & cubile inmaculatum: indicans etiam tali cœlibatu dari maximam occasionem turpissimarum libidinum. Quibus rationibus (Deo ita procul dubio animos eorum inclinante) moti patres laudauerunt Paphnutij sententiam. Testantur id Nicephorus & Sozomenus.

Athanasius in vita Antonij.

IBi de præcursoribus Antichristi scribit, quem vide. Alia huius authoris vtilissima breuitatis studio reseruamus. Imp. Constantino Magno, 42. Episc. Rom. 31. Syluestro 1. 329.

Constantinus Imp.

COnstantinus Idola, & templa destrui iubet, eorumque reditus in vsum conuertit Christianorum templorum. Cedrenus & Hieronymus. V. S. 332.

Concilium Gangrense.

NOtandum hîc est, Barthol. Garranzam Monachum conscripsisse epitomen Conciliorum: 333.
& quæ contra Romanos pro veritate faciunt, omisisse. At omissa illa lector mox restituta, volente Deo, videbit.

Concilium autem Gangrense, quod celebratum est post Nicænum nempe ad 333. Christi annum, tractat de coniugio, esu carnium, communi vestitu, & alijs. De coniugio Sacerdotum clarè sic scribit: Quòd si quem pudet sacerdotali functione fungi, aut ab eo abhorreat propter coniugium, ille sit, anathema. Anathematizat quoque eos, qui aliam vestem aliâ sanctiorem, aut plus facere ad pietatem iudicant, vt iam monachi & monachæ. Anathematizat & eos, qui ob cultum Dei à parentibus discedunt, vt itidem monachi.

De hoc extat locus Socratis in lib. 2. cap. 43. Eustathius verò Sebastiæ Armeniæ Episcopus, ne ad satisfactionem quidem admissus est: propterea quòd iam antè à patre suo, Episcopo Cæsareæ Cappadociæ ob eam causam depositus fuerat, quòd stolam indecentem gestasset. Sciendum autem quòd in locum Eustathij Meletius constitutus est Episcopus. Eustathius postea in synodo Gangrensi Paphlagoniæ condemnatus est, propterea quòd, posteaquam in synodo Cæsariensi depositus esset, multa præter Ecclesiasticam formulam gesserat. Nubere siquidem prohibuerat: & à dogmatibus abstinendum decreuerat: atque ita multos, qui nupserant, à connubio separauerat: & illis, qui Ecclesias auersabantur, domi communicare persuaserat: ac seruos sub prætextu pietatis heris suis abstulerat: & cùm ipse habitum Philosophi gestaret, etiam sectatores peregrina stola vti fecerat: mulieresque tondi curauerat, & determinata ieiunia auersari: dominicis verò diebus ieiunare docuerat. Denique & preces in domibus coniugatorum fieri prohibuerat, & presbyteri vxorem, quam adhuc legitimè duxisset, habentis benedictionem declinare iusserat: & alia plurima istis similia fecerat & docuerat. Quorum gratia synodus Gangrensis, sicut dixi, & ipsum de-

posuit, & ipsius dogmata anathemate damnauit, Hæc ille, Imp. Constantino 42. E. R. 31. Syluestro 1.

333. ## *Syluester 31. Papa.*

SYluester Papa, vt Vrbis Romæ & Italiæ Imperio solus potiretur (quod diu parturiebat) sic circumvenit subdolè, & captiosè persuasit Constantino quòd, si sedes Imperialis transferretur Byzantium, magna inde redundatura essent emolumenta: inprimis autem maiorem futuram commoditatem retundendi & depellendi Saracenos: se verò adhæc benedictiones illi suppeditaturum, & fideles ipsi suas per preces laturum suppetias. Constantinus igitur Imperator bonus, in omnibus ei morem gessit. Animus verò Paparum Imperatoribus tum demum patefactus fuit, cùm per omnem Italiam vetarent censum dare Cæsareo Magistratui: & Exarchatum cum reliqua Italia suo Imperio subderent. Constantinum enim Syluestro Romam & Italiam eo tempore dono dedisse & tradidisse, vel ex hoc vnico liquidissimè constare potest, esse falsum: cum in Testamento suo Constantinus asseruerit filiorum suorum alteri Orientis, alteri Occidentis Imperium: quod sanè fieri aut ratum esse nullo potuisset modo, si Papæ mancipio dedita fuisset Italia. Nunquam enim, quod prius Ecclesiæ attribuisset, deinceps testamento filijs adscripsisset. Commentitia igitur est Constantini donatio & fabulosa, cùm post Constantinum Italia etiam alios, qui Imperij gubernacula tenebant, habuerit, aut per administratores, præsides, & Exarchos administrârit. Adde & hoc, quòd multo demum pòst tempore Bonifacius quartus Templum illud Pantheon Romæ precariò emendicauit à Phoca: quod sanè non fuisset factum, imò pro sua superbia nullus Papa quenquam Cæsarem eo honore dignatus esset, si sua fuisset Roma. Præterea, si à Constantino tota Italia fuit tradita, & in peculium dicata, cur Pipinum maiorem eius partem longè pòst donasse gloriantur? Imp. & E. R. V S.

Donationes Constantini, Ludouici, & aliorum Cæsarum.

CÆterùm de Constantini donatione sic inquit Carolus Molinæus, his quæ suprà dixi num. 72. non obstat, quod Plat. in Bened. II. & post eum Sabell. Ennead. 8. libro 6. Anton. tit. 13. c. 1. §. 5 scripserunt, Constantinum IIII. Imperatorem Constantinopolitanum, dicti Benedicti sanctione permotum, statuisse, vt quem deinceps clerus, populus exercitusque Romanus in Pontificem delegisset, ordinaretur, nulla Constantinopolitani Principis, vel Italiæ Exarchi expectata authoritate, vt antea fieri consueuerat (id enim ratum erat in creando Pontifice, quod Princeps confirmasset, vel qui eius vices in Italia gerebat) tùm quia sanctitas Pontificis solito more instituti (præter id quod vix nota esse potuit vltra mare, cùm dictus Benedictus vix decem menses superstes fuerit) potius mouere debuit ad obseruandum tam vtilem & receptum morem, quàm ad illum infringendum: tùm quià illud mutuati sunt à bibliothecario, authore suspecto, quippè qui scripta sua contarcinauit, ex quibusuis apocryphis vel fictis scripturis in scrinijs vel bibliothecis Papæ, quibus præerat, repertis, modò essent in domini sui fauorem: tùm quia prætensa illa constitutio Constantini (quam falsam puto) nunquam effectum sortita fuit, vt expresè testatur Volaterranus Anthropolog. lib. 21. Ex cuius verbis potest deprehendi, vel modico tempore seruatam non fuisse: de quo satis constitit, paulò post Benedictum, in Canone apud Plat.

Et per prædicta minus etiam obstat cap. ego Ludouicus. 63. distinct. vbi dicitur, Ludouicum I. Paschali ius eligendi & instituendi Romani Pontificis remisisse. Hoc enim à suspecto authore processit, videlicet à præfato bibliothecario, vt Platin. in Paschal. 1. Sab. Enne 8. libro 9. Volaterranus Anthropolog. libro 22. testantur. Vt autem non est in fauorem Paparum credendum bibliothecario, potentatus eorum fautori, famuloque domestico: ita non est credendum Gratiano monacho, qui & ipse affectibus & ambitioni nouorum sui temporis Paparum, quantum potuit, fauit: nec aliunde, quàm à Bibliothecario dictum cap. ego Ludouicus, transsumsit: & sic nec alijs, qui tantum dicta eiusdem Bibliothecarij recitant, nec aliundè sciunt, nec examinant. Sed examinando Veritas elucescit in contrarium: quia vt suprà numer. 77. idem Paschalis à populo vi coactus, Pontificium munus obire ante habitam authoritatem Imperatoris, legatos excusatum & ad culpam non inficiandam, sed in populum transferendam, misit ad Ludouicum Pium: qui vt mansuetus erat, satisfactionem quidem accepit, sed cum increpatione cleri & populi, & abiecto præcepto maiorum instituta pactaque seruandi, vtque cauerent, ne deinceps simili exemplo maiestatem læderent, vt expresè Platin. & Sabellicus testantur. Quid autem magis contrarium aut repugnans est præfatæ & suspectæ Bibliothecarii scripturæ? Certè vel ex hoc falsitatis conuincitur: nec tamen etiam per se sufficienti exemplo tantum, sed etiam ex eo, quòd tempore Eugen. II. immediatè dicti Paschalis successoris, Ludouico Pio adhuc viuo, Lotharius I. filius eius in imperij consortium assumptus, Romæ politiam ordinauit, & magistratus instituit, vt suprà nume-

ro 78. & 112. Hoc autem fieri non potuisset, si Ludouicus Pius Romam ipsam, caput Imperij, Papæ dedisset. Quid quòd Volaterranus Geograph. libro 3. prætensam illam Ludouici donationem longè aliter & difformiter, quàm Gratianus in d. c. Ego, refert? sed ex scriptura quadam apocrypha, quam in Bibliotheca Papæ sese inuenisse dicit.

Et sic illius Bibliothecæ scripturæ, vnde tam Bibliothecarius quàm Gratianus & Volaterranus sumpserunt, sibi ipsis non constant: & non solùm quòd domesticæ, & è loco suspecto, sed vt variæ reijciendæ sunt: & multò magis ex eo, quòd fides historiæ repugnat per prædicta, tum ex eò, quòd Volaterranus ibi Calabriam inferiorem & superiorem, & ducatum Neapolitanum includit, & alia, quæ constat ex fœdere diuisionis inter Carolum Magnum & Imperatorem Constantinopolitanum factæ, Græcorum Imperio cessisse, & diu pluribusque seculis etiam post Francorum imperium in Germanos translatum vsque ad Gulielmum Ferrebach Normannum, Tancredi Galli Normanni filium (qui è Neustria in Italiam traijcientes, regnum Apuliæ anno millesimo septimo, deinde Siciliæ, sacerdotibus tamen Græcis relictis, occupauerunt) remansisse: vt etiam ex historijs eorum, qui tempore Caroli Magni, & deinceps vixerunt & scripserunt, liquet.

Porrò, nec verum, nec verisimile est, quòd Ludouicus Pius ea donasset, quæ non poterat, & nullo modo possidebat: & quæ pater eius ex dicto fœdere, Græcorum imperio reliquerat. Quin sicut regnum Francorum alienare non poterat, ita nec imperium & regiones imperij Occidentalis (quæ ex dicta diuisione Carolo Magno & successoribus suis cesserant) & multò minus Roma n caput Imperij. Albe. in cap. 1. de su. tri. & L. benè à Zenone. C. de quadr. præscript.

Et sic donatio Ludouici, si qua fuit, eisdem causis nulla esset, ex quibus prætensa donatio Constantini Magni, quam glos. & Doctores communiter, qui eam factam fuisse putant, tamen non valuisse concludunt, vt glo. Accurs. in authen. quomodo oporteat Episc. verb. conferens generi. Coll. 1. Petr. Perti: in proœm. Institut. numer. 11. cum seq. Signorol. de homodeis consil. 26. sentit Bart. in proœm. & Bal. de nouo cod. in prin. tenet, quòd valere non potuit sine consensu populi. Atqui prætensæ donationi Ludouici populus Romanus nunquam, sicut nec prætensæ donationi Constantini Magni consensit. Nec solum non apparet de consensu, sed de dissensu constat, etiam per continuam populi Rom. resistentiam tempore Eug. III. Adr. 4. Alex. 3. Lucij 3. Vrba. 4. vt satis suprà.

Tum nullus vnquam Papa inuentus est, qui se fundarit in prætensa donatione Ludouic. de qua in d. c. Ego Ludouicus: nec qui eam vnquam allegauerit. Et licet Nic. 3. in cap. fundamenta, de elect. in 6. fabulam illam Constantini Magni allegauerit: tamen non facit fundamentum in ea, sed in verb. sacræ scripturæ, Pharisaico & Iudaico more ad terrenum regnum detortis: vt ibi patet, & suprà numero 36. Pariter Gregor. 7. qui tanto molimine imperium Germanorum aggressus est, & attriuit, nullo modo donationis cuiusuis ab hominibus siue à Constantino Magno, siue à Ludouico Pio, meminit (quæ tamen maximè in rem suam fecissent, si quid veri aut verisimilis habuissent) & omnino non omisisset. Sed tantum nititur verbis Christi, ad regnum & imperium totius orbis malè detortis. Sic & Benedictus XII. contra Ludouicum Bauarum Imperatorem, non alio titulo Mediolani & alijs vrbibus Imperij Vicarios nomine suo instituit (quibusdam etiam vectigal imposuit) quàm vel vnicus Christi Vicarius in terris, hoc est, etiam in terreno totius orbis Imperio. Et ante eum Benedictus II. eodem modo nouos magistratus Florentiæ constituit, vt apud Plat.

Præterea, adhuc viuo Ludouico Pio, & biennio ante eius obitum Gregor. IIII. electus nunquam voluit inire Pontificatum, nisi prius sua electione ab Imperatore legatisué suis ad hoc destinatis diligenter examinata, & confirmata, vt omnes testantur. & addit Platina quòd præfatus Ludouicus hoc non faciebat ex superbia, sed ne Iura imperij amitteret. Ergò falsum est, illum prius ea remisisse Paschali. vt ex bibliothecario refert, Grat. & alij. Quia Greg. IIII. posterior est, & tertius à Paschali I. & idem Ludouicus Pius adhuc viuebat: & recens adhuc fuisset memoria dicti prætensi pacti inter Ludouicum & Paschalem, si quod tale fuisset. Nullus autem Paschalis Papa fuit ante illum primum, Ludouici I. authoritate confirmatum, nec alius secutus est, nisi ferè post trecentos annos. Iam ergò non minus manifesta est Vanitas & impostura dictæ prætensæ donationis, de qua in d. c. Ego Ludouicus: quàm famosæ illius fabulæ Constantini Magni, nec non prædictæ donationis vel remissionis Constantini IIII. prout etiam nunquam habuerunt effectum: nec leguntur Papæ acceptasse vel vsi fuisse, sed alijs sibi efficatioribus præstigijs, terrificisque & pertinacibus censuris & seditionibus ad contemnendum imperia & regna concitatis. Hæc Molinæus.

De his rebus vide etiam Theodoricum de Niemio, & Henricum Tocken in Rapulario. Imp. 42. Constantino M. E. R. 33. Iulio.

De Donatione Constantini Illyricus & alij.

DOnationem Constantini, quam vocant: in qua Constantinus (si fas est credere) donauit Papæ primum dominium spirituale super omnes Ecclesias orbis terrarum: deinde Regia insignia: postremò & temporale dominium supra totum Occidentem: multi improbarunt: vt primum Dantes in sua Monarchia, Marsilius Patauinus in suo Defensore pacis, circa an. 1324. Laurentius Valla proprio scripto, circa 1440. Antonius Archiepiscopus Florentinus in sua historia, qui negat in vetustis codicibus decretorum illam donationem inueniri.

Circa idem tempus Cusanus Cardinalis lib. 3. cap. 2. eandem oppugnauit, quam quidem suam sententiam etiam ad Basiliense concilium mittere non est veritus, circa annum 1460. Vterq; sanè, Valla & Cusanus, diligenter causam tractarunt: tamen Valla longè prolixius, ac veluti ex professo, cùm alter tantum breuiter de re dicat. Oppugnauit eam & Hieronymus Paulus Cattalanus, cubicularius Alexandri VI. in sua Practica, circa annum 1496. qui & Papæ Pij dialogum contra eandem donationem citat. Reprehendit Vanitatem huius donationis & Otho Frisingensis. Item Raphael Volater. in vita Constantini, circa annum 1500. Omnium tamen firmissima est Cusani refutatio. Sed illud creditur inter cætera argumentum non postremum esse, quod tamen ab alijs præteritur: Quòd si Constantinus primatum Papæ Syluestro statim post baptismum donasset, nunquam profectò in concilio Niceno (cui interfuit) passus fuisset decerni, vt Episcopus Romanus tantum suburbanis Ecclesijs præesset. nihil enim id aliud fuisset, quàm irritam facere suam donationem, paulò antè tam solenniter tamque grandibus verb. factam, ac tam sanctè confirmatam. Parum memoris verò mendacis poëtæ & illud iudicium est: quòd cum alioquin clamitent Papæ, se diuino iure primatum habere: tamen ibi fingit, eum ipsis Constantinum donasse. Commentarijs Æneæ Syluij de concilio Basiliensi, Coloniæ anno 35. impressis, adiunctæ sunt istæ refutationes Donationis Constantini: & præterea adiecta multorum historicorum, qui de rebus Constantini Magni scripserunt, testimonia. Ex quibus liquidò cuiuis apparet, totam illam donationem fuisse eis ignotissimam, atque ideò haud dubiè postea à Papis imprudenter confictam. Sed dubio procul contra istud commentum est validum & illud argumentum, quo & Antonius Florentinus vtitur, quòd adhuc hodierna die inueniuntur exemplaria, quæ istam donationem non habent. Apparet enim, postea demùm confictam & insertam, sicut in Iouis Panormiam, Illyricus & alij.

Galladius Monachus Euagrij disc.

340. SCripsit hic de Monachorum vita, Et si quis studio ducitur accuratè cognoscendi, quas res olim gesserint, quo pacto se in vita exercuerint, quæque ad audientium vtilitatem locuti fuerint, legat Palladij eius librum de hac re editum. Huius etiam mentionem facit Eusebius. V. S.

Idem. Fuit hic discipulus Euagrij: Vixit tempore Hieronymi, scripsit miraculosa multa, & inter alia librum quoque, cuius titulus est, Lausiaca: siue historiam ad Lausum.



De Origine Monachorum Eremitanorum, & aliorum ordinum apud Iudæos, Christianos, & Turcos.

DE illis scripserunt præ alijs Cassianus, Seb. Franccus, Franciscus Modius, Ioan. Adamus Lonicerus, Hadrianus Damman Gandauus, & Rodolphus Hospinianus: quem præcipuè, & propter viri doctrinam, & diligentiam, interdum etiam ad verbum ferè imitatus sum. De Turcis dicam infrà anno 623.

Ante natum Christum autem tres sectas fuisse referunt PHARISÆORVM, quorum septem genera extitisse reperitur in Thalmud Iudæorum. SADDVCÆORVM, & ESSÆORVM. Illorum instituta habes apud Hospinianum: Horum autem apud Iosephum. Essæi à nuptijs non abhorrebant: per triennium tamen explorarunt fœminas, & si idoneæ apparuerunt, duxerunt. Nemo autem cum prægnante concubuisse fertur.

Hic notatur error Hieronymi, qui contra Iosephum scribit, Esſæos à nuptijs, vino, & carnibus abstinuisse. Esſænorum etiam Plinius meminit lib. 5. cap. 17. Philo & Eusebius. Fuerunt quoque alij plures Monachorum ordines: NAZARÆI, Rechabitæ, Deæ Syriæ Sacerdotes, Curetes, Corybantes, Dactyli Idæi, Ambaruales, & Vestales. De quibus vide Apuleium, Lucianum, Polydorum Vergilium, Festum, Actium, Strabonem, Iacobum Middendorpium de Academijs, Lucium Florum, & Gellium, Seruium, Tullium, & Hospinianum.

Ab Laurentio Humfredo Theologo editus est nuper libellus, sub titulo, Pharisaismi veteris & noui, siue de fermento Pharisæorum, & Iesuitarum. In eo Pharisæorum cum Iesuitarum ortu & progressu confert: & finem quoque illis eundem futurum pulchrè, & luculenter describit. Vt apud eum.

Isidorus lib. de officijs sex ordines Monachorum facit, quos Hieronymus de Virg. ad Eustoch. Vincent. lib. 17. cap. 54. Cassianus lib. 5. cap. 6. & 36. de spiritu Gastrim. Durandus, Anton. Otho Fris. & Euagrius de palest. Monach. in tres tantùm contrahunt.



Anachoretas siue Eremitas: Hos Rabanus pro ijsdem ponit, à secedendo ita dictos. Durandus tamen inter eos distinguit.

Cœnobitas: de quibus vide Euagrium: Et eos, qui Remboth dicuntur. De his scribunt Hieronymus, Vincentius, & Anton. quòd apud eos affectata sint omnia, se à cæteris separarint, nemini subiecti esse, nec sub vlla regula viuere, sed liberè vagari velint. Hos Cassianus Sarabaitas: Isidorus Renuitas nominat. Ab alijs Gyrouagi, & circumcelliones dicuntur. Fuit & aliud genus Circulatorum prioribus in quibusdam non absimile: damnatum Synodo Chalcedonensi Anno 453.

Eremitæ subdiuiduntur in Solitarios, Mandritas à mandris, hoc est specubus, seu cauernis, quas inhabitant. Troglodytas Hospinianus his similes facit: vt apud eum. De quibus Plinius libro 5. cap. 8. & Pabulatores: de quibus apud Nicephorum libro 14. cap. 50.

Stylitæ etiam Eremitæ fuerunt, qui postero tempore sub Theodosio iuniore circa annum 413. cœperunt: authore quodam Simeone Habitarunt illi vel in, vel sub columnis in deserto: ideoque columnellam, vel Stylitem talem dixerunt, Euagrius lib. 1. cap. 13. Theodod. Lector. lib. 1. collect. Niceph. lib. 14. cap. 51. Vincent. libro 21. cap. 51. & 52.

Origo Eremiticæ vitæ.

DE his Hospinianus prolixè: sufficit ea his breuibus attigisse. Quòd enim à primâ suâ origine ex necessitate persecutionum, cœperit eremitica vita, & ab omni superstitione procul amota: progressu temporum in meritum, & quasi in his solitarijs locis vita æterna promereri posset, conuersa fuerit: nemini sanò dubium est. Euangelium namque præcipit, audiendum esse verbum Dei: & fidem ex auditu eius proficisci. Quomodo autem inuocabunt eum, in quem non crediderunt: quomodo credent ei, quem non audiuerunt: quomodo verò audient sine prædicante? Rom. 10. Actor. 10. Ioh. 12. Nihil ergo de hac re in Prophetis, Apostolis, & primâ Ecclesia vsque ad annum 300. Neque talis vita ab vniuersa Ecclesia comprobata fuit: sed potiùs reiecta, & damnata: vt clarè Epiphanius libro 3. tom. 2. hæres. 80. & Hosp.

Nisi Paphnutij exemplo Ecclesiam in vicinia & promtu habeant: vbi verbum Dei audiant, & communicent: Teste Cassiano libro 5. cap. 26. de Gastrimargia: & cap. 15. Coll. 18. cap. 5. Coll. 2. cap. 2. Coll. 10. cap. 1. Coll. 3. Quod etiam de Monachis Sceti habitantibus Nicephorus indicat libro 11. cap. 37. Et constat Eremitas suos Presbyteros habuisse, qui illis verbum Dei prædicarunt Cassianus cap. 15. Coll. 18. libro 5. cap. 40. cap. 9. Coll. 21. cap. 2. Coll. 9. Vadianus in Epitome trium terræ partium. Ex his ergo liquet, absque auditione verbi Dei, & fide in Christum vitæ Eremiticæ nullum esse meritum apud Deum: Omnes enim peccauerunt: non est iustus, aut qui faciat bonum, ne vnus quidem. Et iustitiæ nostræ sunt in conspectu Dei instar sordidorum centonum. Sanguis autem Iesu Christi nos emundat ab omni peccato. Quælibet enim occulta loca sine gratia, animam saluare non possunt. Gregorius. Christianorum (Teste Thomâ & Bonauenturâ) Monachi, etiam Regulares, & Religiosi dicuntur. Regulares, quòd Regulâ certâ quadam viuendi obligentur. Religiosi, quasi soli seruitio Dei mancipati. Monachi nuncupantur à solitudine. Vnde D. Hieronymus ad Paulum Monachum

in vrbibus commorantem nequaquam suo se nomini sic respondere scribit: Si cupis, inquiens, esse quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Antonius Eremita dixit: Lethalem esse piscibus extra vndas conuersationem. Germanico nomine appellantur Münch: quòd vt equi cantherij, quibus testes amputati sunt, suam castitatem colere, & seipsos castrare debeant propter regnum Cœlorum. Sed Hospinianus ait, eos per Antiphrasin sic dici: Vix enim salacius, & ad omnes libidines magis procliue genus hominum reperiri. Plura de hoc nomine & genere Monachorum, habes apud Augustinum, Dionysium Areopagitam, Cassianum, Basilium, & alios.

Nonnæ vocabulum habes apud Hieronymum in epistolâ ad Eustoch. Sed & Monachi Nonni dicuntur apud eundem. Suidas quoque Nonni cuiusdam meminit, vt etiam Athanasius, Greg. Nyssenus, Benedictus Nursinus Abbas in sua regulâ c.63. Moniales dicuntur à Monios, quod solitarium, & soliuagum significat. Suidas, & Hesychius.

Erasmus scribit super Hieronymi locum, de quo suprà. Nomen Monachi, inquit, inde sumptum est, quòd olim pij homines partim non ferentes gentilium in Christum blasphemias, partim afflicti ab inimicis Christiani nominis, profugissent in vastas solitudines, vt ibi viuerent securi: alij gregatim, qui Cœnobitæ dicti sunt: alij seorsim, quos Anachoretas dixerunt. Tepescente autem feruore, quod circa annum 360. factum primò aiunt, in vrbes contra nominis sui professionem commigrasse.

Primi authores Eremiticæ vitæ.

SOzomenus libro 1. cap. 12. Nicephorus lib. 8. cap. 39. Isidorus libro de offic. Anton. lib. 15. cap. 1. §. 1. Hieronymus de Eustoch. Chrysost. Homiliâ 1. in Marcum. Metaphrastes & Euthymius monachus Zygadensis, Heliam & Ioannem Baptistam, quòd in Eremo versati sunt, authores faciunt. Sed Hospinianus opinionem illorum reiicit: Displicuisse enim secessum Heliæ, Domino: ac propterea delitescenti in antro dixisse. Quid tibi hîc Helia? quasi dixerit: Non eo fine ac voluntate te constitui Prophetam, vt in desertis locis belluas, sed homines institueres. Ideoque monuit illum, vt ad munus suum rediret. Quocirca non valere consequentiam: Helias & Ioannes, vt etiam Christus ipse manserunt in deserto, Ergò fuerunt Eremitæ. Nam & Iohannes non perpetuò mansit in deserto: sed, vt ex Euangelio constat, in aula Herodis & alibi pœnitentiam & Christum prædicauit. Sit igitur authoritas Hieronymi huius controuersiæ iudex, qui in prologo ad Pauli Eremitæ vitam sic scribit. Inter multos, inquit, sæpe dubitatum est, à quo potissimum Monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repentes Heliam & Ioannem authores faciunt: Alij autem, in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium huius propositi fuisse caput. Amathas & Macarius enim discipuli Antonij, quorum primus corpus Magistri sepeliuit, affirmant Paulum quendam Thebæum principem istius rei fuisse: quod nos quoque, ait Hospinianus, approbamus.

Dubium igitur non est, Monachos suam originem ideo ad Heliam & Ioannem, viros sanctitate, pietate & perfectione præstantes retulisse, quò sic nouo huic vitæ generi, & sibi authoritatem & gratiam maiorem conciliarent, & non absimiles suis authoribus se esse persuaderent.



Primus Eremita.

PAulus Thebæus anno 260. annos natus circiter 15. in persecutione sub Decio, orbus vtroque parente, in eremum secessit. Vbi annos natus 113. ibidem moritur. Antonius tit. 16. cap. 1. & 2. Marullus lib. cap. 9. Sabell. lib. 2. cap. 2. Hieronymus in eius vitâ. Panuinius in Chronico. Hi omnes ergò, quia vnanimes conueniunt in eo, quòd Paulus ille primus sit, qui persecutionum tempore sub Decio, & Valeriano (qui vixerunt circa annum Domini 252.) singulari exemplo eremiticam vitam elegerit, persecutiones originem vitæ Eremitæ dedisse, dubium non est. Quod idem etiam Nicephorus lib. 8. c. 39. & Sozomenus lib. 1. cap. 12. nimirum persecutiones principium solitariæ vitæ præbuisse, approbant. Et Baptista Mantuanus quoque cùm ait:

Tum plerique patres sancti, tum more ferarum
Per deserta vagi, cæcis latuêre cauernis.

Anno

Ista ego crediderim per noxia tempora, Paulum
Niligenam, sole ardentem, qui primus eremum
Incoluit, liquisse vrbes, patriosq́; penates:
Et didicisse togas textis componere palmis.

Vestes enim Paulo fuerunt palmarum folia contexta, quibus nuditatem cooperuit. Hieronymus. Marull. Aluares Guerrerus in Thesauro Christ. rel. cap. 57. Labore manuum victum quæsiuit: autorib. iam dictis. Secundo genere Eremitarum deinde illi fuerunt, non qui ob persecutiones solùm, sed etiam tædium rerum mundanarum bono Zelo, & ne immundo mundi consortio polluerentur, vtque pijs studijs, sacris literis; contemplationibus rerum diuinarum, & precibus inhærere, & felicius incumbere possent, eremiticam vitam elegerunt.

Hi authores habuerunt Basilium, Nazianzenum, Augustinum, Hieronymum, & alios: de quibus insequentibus.

Tertium genus eorum est apud Cuspin. in Austria sua, qui propter enormia delicta, parricidia, homicidia, & similia, non statim supremo supplicio mulctabantur: sed ne in desperationem inciderent claustris includebantur: in quibus pro suo reatu pœnitentiam agerent, Deumque sibi reconciliarent.

Quartum fuit qui ob hæreticorum contentiones, iurgia, turbas, insidias, & Ecclesiarum concussiones, factiones Episcoporum, detestandaque schismata, quò in tuto, & quieto precibus, & Deo inseruire quirent, eam vitam quæsiuerunt. Quod genus idem ferè est cum secundo.

Quintum eorum, qui dixerunt, alia quidem opera esse indebita: solius verò Monachatus singularia: esse iusticias, esse perfectiones, satisfactiones, opera supererogationis: hinc se & sibi, & alijs vitam æternam promereri, & vitam suam habere vim baptismi. Bernardinus in Rosario vitæ patrum: Canisius, & alij.

Sextum hodiernorum, de quibus VVilhelmus Bidenbach scribit, qui ocium, & ventrem habent pro Regulâ: & corpus magis quàm animam & Ecclesiarum salutem respiciunt. Non enim solitudines, sed populosas vrbes: non tuguriola, sed Regia palatia: non labores, sed in ocio salutem: non abstinentiam, sobrietatem & ieiunia, sed gulam (plus enim amphoras, quàm homines referunt) non sanctitatem, sed superstitionem quærunt. Imò ignorantiæ, impietatis, ebrietatis, fœdissimorum libidinum officinæ, & ganeorum lustra sunt: qui quasi alteri quidam Κρῆτες κὰι ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γασέρες ἀργαί. Hoc Milesinum pro lege habent: Nemo nostrum frugi esto. Hæc Bidenbachius.

Secundus Eremita.

ANtonius post Paulum Thebæum alter fuit in Ægypto, qui hoc Eremiticæ vitæ genus instituit. Qui tamen in Eremo non permansit: sed ex eâ quoque progressus Christum fideliter docuit. Mortuus senex annorum 105. Anno 361. Hieronymus in Chron. Sozomenus cap. 11. Trip. hist. Suidas. Hic Antonius per visionem conspexit, multos sacram mensam subuertere, & cætera, quæ in templo erant, fœdissimè commaculare, ac disijcere. Ex qua secuturam Ecclesiæ vastationem per homines iumentis impuris similes: Arianos scilicet fratribus prædixit: quæ & biennio post euênit.

Sed & eluctationem ab his malis Ecclesiæ prænunciauit, inquiens: Dominum breui iterum Ecclesiæ suæ adfuturum. Literas Antonius ignorauit: sed omnia tamen ex sacris memoriter recitare potuit. Sozomenus & Augustinus. Et Socrates lib. 4. cap. 25. refert de illo, quòd Philosopho cuidam admiranti, quod absq; libris esset, dixerit: Liber meus, ô Philosophe, natura est rerum conditarum, quæ mihi pro illo est, quotiescunque verbum Dei tractare volo. Cumque nonnulli piæ vitæ Regulam ab eo petijssent, Euangeliorum codicem ipsis obtulisse, dicentem: illum omnia ad salutem necessaria continere: de quo suprà.

Moribus qualis fuerit, scribit Efrem in serm. de moderatione risus. Victum labore manuum inquit, quæsiuit. Qualiter mortuus fuerit, vide Athanasium in eius vitâ. Caruit ergò mundus ad tempora illa Monachis: cùm nullis fide dignus illorum ante hæc mentionem fecerit. Hospinianus.

Hilarion primus Eremita in Syriâ, & Palæstinâ, Antonij fama excitus, in eremum concessit. De eo Hieronymus in eius vita: & Sozomenus lib. 5. cap. 10. Sacras scripturas & psalmos tantâ confidentiâ recitauit, quasi Deum habuisset præsentem.

Vestitus ei fuit saccus: eum semel indutum nunquam lauit: superfluum esse dicens, mundicias in cilicio quærere. Cibus, quem ante solis occasum nunquam sumsit, carices erant, & herbarum succi, vt Hieronymus narrat. Sub Iuliano cùm in periculo maximo esset, in Siciliam fugit: ibi ligna ex deserto in vrbes gestando victum comparauit. Ex Sicilia ad Dalmatas venit, & tandem in Cypri vrbe natus annos 80. mortuus est.

De Cœnobitarum, & Eremitarum differentiâ.

DIuersitas inter hos in eo consistit: quòd Eremitæ semper ferè soli in solitudinibus, Cœnobitæ autem vnà cum alijs & in solitudine, & in ciuitatibus degant.

Anno

De Eremitarum origine dictum est. Sed qualiter Cœnobitæ cœperint, deinceps quoque sub Basilij, Hieronymi, Augustini, & aliorum similium Ordinibus dicetur. Habent hi certè longè aliam originem, nempe Samuelem. Legitur enim in eius historiâ, ipsum præfuisse Naioth, quod Bursam, siue collegium hodie appellamus: quod tum erat extructum in monte sancto in ipsa Ramâ. Cuius gymnasij mentio quoque fit, 1. Samuelis cap. 10. Collegio Hierechuntino, & Ramoth Galaad Helias aliquamdiu præfuit: deinde Helisæus, vt constat ex 4. Reg. 2. & cap. 6. Vocabantur discipuli eorum filij Prophetarum. Erudiebantur autem pietate, literis, disciplinaque.

Ad imitationem horum, sequentes deinde viri pij mundana detestantes, suos ordines cœpisse, verisimile est. Hosp.

Aliud De Monachatus Origine ex Cusp.



OMnes abusus mali à bonis olim orti sunt exemplis. Dicam igitur liberè, quid in verissimis, ac certissimis, dum hanc rem inquiro paulò diligentius, historijs, ac diplomatibus inuenerim: quod fortè alij surdâ aure, vel cæcutientes præterierunt. Constat apud omnes sub Decio, Diocletiano, Gallo, ac Volusiano Imperatoribus, Christianorum fæuam factam esse persecutionem: licet & antea sub Nerone, ac cæteris, Christi discipuli, & imitatores trucidarentur. Sed sub posterioribus multa sanctorum millia sævissimè trucidata sunt. Et tum heremitæ latibula in syluis, & nemoribus quærentes primùm visi sunt, qui multis post seculis claruerunt, atque hi monachi sunt dicti. Monasterium inde appellatum, in quo Deus religiosè colebatur, & adorabatur. Nam sub Constantino Magno Christiani respirantes, propter sanctissimam eius matrem Helenam, nobile illud edictum Imperatoris læti susceperunt, quo cauit, omnium gentilium templa subrui, subuertique, & tum fides Christi securius amplexa à multis, creuit indies: quamuis iterum pòst Iulianus Apostata Imperator Christianos persecutus est. Et Valens Cæsar lege latâ coëgit monáchos militare, recusantes fustibus ad interitum cædere: quo tempore multi monachorum, vt Annales attestantur, ab eius tribunis, ac militibus sunt cæsi. At multis annis pòst, sub Iustino maiore diuus Benedictus in monte Casino continentiâ vitæ mirabilis cœnobium instituit, anno à nato Iesu 534. circiter: virosque collegit, qui sub quadam regulâ honestam viuerent vitam. Hi piè simul degebant, & è communi victu, communique penu viuentes, gloriam altissimo concinebant in primis: reliquum diei in bonis sacrisque literis insumserunt. Sic fratres suos Benedictus instituit: & hinc cœnobium nomen sortitum est, quasi dicas communis vita. Talis monachus fuit Cassiodorus Rauennas, humanis, ac diuinis literis satis eruditus, Romanus Consul. In cœnobijs itaque optimæ artes docebantur, erudiebantur fratres in virtutibus ac disciplinis: vitam viuebant honestam, & sanctam: omnis conatus erat in adipiscendâ simul eruditione, ac tranquillitate vitæ. Sic diuus Bernhardus dehinc cœnobium Cisterciense, sub anno humanæ reconciliationis 1098. primum fundauit. Sed diuus Bernhardus cum socijs cognatis, & affinibus triginta ferè, Cistercium ingressus dicitur, anno 1113. & Cisterciensis tunc religio cœpta est, quæ viros habuit eruditione insignes, qui in talibus cœnobijs alebantur: quemadmodum nostrâ ætate viri docti in publicis gymnasijs ac scholis enutriuntur. Primum enim gymnasium Parisiense Carolus Magnus, præceptoris sui Alcuini viri doctissimi cohortatione, sub annum Christi 791. circiter instituit: à quo cæteræ scholæ dehinc sunt deriuatæ. Licet & in abusum scholæ illæ quoque publicæ nostro seculo abierint, vt pleraque alia. Quemadmodum & hodie psallitur in cœnobijs, psallitur & cantatur sine intellectu, sine eruditione, sine, quod peius est, mente: ita in gymnasijs discitur sine virtute, sine moribus, sine honestate. Cùm tamen penè eadem res esse deberet gymnasium, & cœnobium, ac in vtroque simul humanæ diuinæque addisci disciplinæ, in tranquillitate honestæ vitæ: cùm vtrobique summa licentia hi diem partiantur in horas septem: prandetur, pomeridianus somnus exercetur, bibitur, cœnatur, in hortis deambulatur, nusquam literis opera datur.

Piaculum enim est apud illos, si quispiam horâ bibitionis (ita enim appellant) vel legat, vel studeat, & ideò apud illos nulli, vel instar phænicis rarissimi sunt, qui verbum Dei populo enarrare sciant, qui Euangelium prædicent. Conducunt quippe seculares sacerdotes, qui id præstent: quasi non illos verbum diuinum, ad quod maximè omnium creati sunt, palàm prædicare deceat. Sic illis, qui in gymnasijs degunt, licentia summa in inutilibus plerumq; doctrinis sine vsu,

& commodo versantur, sine virtutum exemplo. At ideo tam raros hodie inuenimus, qui rectè instituti, possent, quod debent, religionem Christi augere, suâ eruditione locupletare, bona semina diuini verbi iacere: qui cùm in gymnasijs hodie dignitates, vt vocamus doctoratus assecuti, Theologiæ suggestum ascendere, vt literas sacras ritè interpretarentur, debeant, plebi non audeant colloqui: in scholis autem potiùs veluti sophistæ digladiantur pro sophismate quodam, ac ita certant, quasi his contentionibus sola fides Christi consistat: apud plebem verò elingues, ac muti apparent. Ita iam aberrauimus δὶς διὰ πασῶν longè à priscorum institutione. Cæterùm aliud genus Monachorum apud primos Christianos inuehio, qui in claustris degebant: quæ hanc appellationem sortita sunt, quasi in carceribus clauderentur illi, qui & enormiter & grauissimè delinquebant, vel parricidia, vel homicidia, vel incestus, vel grauissima scelera committentes. Pij enim Christiani olim indignum censebant, hominem parricidam culeo insui, aut extremo supplicio aut perpetuo exilio, ne in desperationem incideret, multare: domus quasdam extruentes, in quibus miseri illi homines pœnitentiam agerent pro suo reatu, Deumque sibi reconciliarent, à cœtu hominum seorsim degerent sequestrati. Atque hi eleemosynâ, quæ à pijs largiebatur, victitabant: quemadmodum Cœnobitæ ex certis reditibus, ac annuis censibus victum sibi quærebant: vt liberè possent Deo, & bonis disciplinis vacare. Qui verò sub Friderico Imperatore Barbarossâ cognominato, & deinceps fratres mendicantes dicti, primùm in lucem prodierunt, perpetuum cœlibatum, obedientiam extremam, ac inopiam perpetuam iureiurando in ingressu promittentes, cùm prædia, vineas, agros, ruraque possideant, ac honores quoscunque ambiant, Episcopatus, ac cæteras ambitione quærentes dignitates, ipsi viderint. Aliam certè fuisse longè originis suæ causam arbitror. Sed alijs id relinquo discutiendum. Satis mihi sit veluti digito indicasse, qualem cœnobia habuerint originem primam: & quid mouerit pientissimos principes, vt tot sumtibus, tantisque expensis ea tam magnificè extruerent, ac reditibus locupletarent, ne egestate oppressi scilicet, non possent id, ad quod erant addicti, exsequi: nempe Deum Opt. Max. cum deuotione adorare, illi supplicare, eius laudes cum intellectu psallere, literas sacras publicè plebi interpretari, cum commodo vitam æternam docere: & quod Apostolis Christus iniunxit, Euangelium vniuersæ creaturæ prædicare diligenter: non, quod nunc fit, somno & ocio indulgere, ventri seruire, nunquam esurire, nunquam sitire, nihil addiscere. Quotusquisque enim cœnobium hodie ingreditur alio studio, nisi quòd ocium præponat negotio, & quòd liber ab omni molestiâ certus vult esse de suo victu? Et hinc veluti saginati quidam, & rubicundi, ac ventricosi prodeunt: in populo adorari cupientes, & salutari Rabbi, tanquam religionis Antistites: cùm nihil minus quàm veram sectentur religionem: quæ non in habitu illo, ac vitâ à moribus Christianis longè alienâ consistit. Et iccirco hanc puto causam, quare seculo nostro illis quidam principes census eripiunt, suos reditus imminuunt, ac odio multis passim exponuntur ac ludibrio. Quod si institutionem suam primæuam recordarentur, eamque religiosè tractarent: non dubitò, quin principes summâ cum veneratione è contrariò viros religiosos, doctos, eminentes vitæ integritate, amplecterentur, fouerent, nouis censibus augerent. Sed in abusum omnia sunt versa, pace omnium dixerim. In vniuerso quippe orbe nullus status, nulla conditio, nullus sexus pene, quæ sua sunt, agit. Cuspinianus in Austria sua.

Ordo Thabenesiotarum. 341.



SIc eos appellat Vincentius lib. 18. cap. 83. Nicephorus Thabennesios. Auctor eorum fuit Pachomius quidam Antonij discipulus, Amon verò Illustrator: nam 3000. huius Ordinis Monachis præfuisse fertur.

Nomen habuerunt à loco, in quo habitarunt. In Thebaide enim prouincia, Thabenna siue Thabennensis insula fuit, in qua Pachomius ille Eremita, circà Constantij Constantini Magni filij tempora vixit. Hac autem occasione ordinem instituisse referunt. Venisse ad eum in speluncâ sedentem, Angelum (vide quàm maturè irrepserint somnia, & superstitiones in Monachatum) dixisseque illi: Veni, & omnes iuniores Monachos collige, eosque iuxta Regulam vitæ, quam à me disces, institue: & tabulas æreas illi dedisse, in quibus regula conscripta fuit: quam habes apud Hospinianum integram. Numerum horum ad 1300. excreuisse, author est Nicephorus libro 9. cap. 14. Vestitus eorum fuit Melota, siue pellis ouilla: capitis tegmen cuculla seu mitra, & tiara lanea, quæ purpureis distincta quibusdam filis

puncta sua haberet crucis formam referentia. Sozomenus & Nicephorus. Imp. 43. Constant. Iuniore, E. R. 33. Iulio.

Cometa Ominosus.

341. CIrca annum Domini 341. denunciata est mors Constantini Imperatoris per stellam crinitam, quæ inusitatæ magnitudinis aliquot mensib. refulsit. Orosius libro 7. cap. 10. Eutrop. 11. Niphus Imperatorem anno Domini 324. scribit mortuum esse. Luctuosum bellum & motum ac diuturna mala, quæ sequuta sunt principis obitum hic ominosus portendit. Macrobius presb. Augustinus Niphus Astrologus: Imp. & E R. vt sup.

Concilium Elibertinum & Constantinopol.

341. DE imaginibus & reliquijs sanctorum, earumque cultu & luminibus, multæ fuerunt iam olim contentiones in Ecclesia. Ac damnauerunt eas plurimi: inter quos primum concilium Elibertinum. Deinde verò Epiphanius. Postea aliquot Constantinopolitani Imperatores ordine: quin & vna Synodus quoque Constantinopoli celebrata, cui 300. partim Episcopi, partim alioqui docti viri interfuerunt. Gregorius quoque Papa, de quo postea Epist. 9. cap. 9. laudat Serenum Præsulem Massiliæ, qui circa 600 annum Dom. vixit, quòd prohibuerit imagines adorari. Hisce adijce Synodum Francofurtensem. Imp. 43. Const. Iuniore, E. R. 33. Iulio.

Prodigiosum.

343. HOc anno magnus terræmotus factus est in insula Ponto, in quo tota vrbs Neocæsaria deperijt adeò, vt de ea reliquum nihil fieret præter templum & ædes Episcopi, cum quibusdam, quæ his erant vicinæ. Hieronymus in Chronol. & Cedrenus. Imp. & E. R. vt sup.

Iulius E. R. 33.

344. NOtandum hic, Iulium Episcopum Romæ arrogasse sibi summum imperium in omnes Ecclesias totius orbis. Verùm Ecclesiæ Orientis acriter contranitebantur. Vide Socratem lib. 2. cap. 17. Tripartit. lib. 4. cap. 19. Imp. & E. R. vt sup.

Constantinus 43. Imp.

346. ESt hoc memoria dignum in historia Constantij: quòd exploraturus aulicorum suorum in fide Christiana constantiam, simulauit se illis potestatem facere, Idolis impunè sacrificandi, atque adeò, ni id faciant, aula sua ipsos exulaturos, minatus sit. Cùm verò multi inter illos metu amittendæ dignitatis & honorum, Deum potius deserturi, quàm Imperatorem offensuri viderentur: Constantinus patefacto commento, quod celauerat, illos Dei desertores, grauiter obiurgatos, tanquam seruitio indignos & infideles (secundum communem hanc vocem: Quomodo fidem Imperatori præstabunt inuiolatam, qui Deo sunt perfidi?) eiecit: Cæteros, quorum constantiam in fide Christiana perspexerat, honoribus, præmijs ac beneficijs collatis sibi deuinxit, pluris se eos æstimare dicens, quàm ætaria thesauris ingentibus referta. Quòd si eodem artificio nostri quoque principes suos etiam aulicos explorarent, certè inter multos, hypocritas, quos non putant, deprehenderent. Vide suprà post annum 22. Ioan. 13. E. R. 33. Iulio 1.

Portentum.

352. HOc tempore cùm Cæsar Antiochiam proficisceretur, Ierosolymis visum fuit signum sanctæ crucis in Cœlo circundatum Iride pulcherrima, clarissima & super solem ipsum splendidiori. Hoc factum est in diebus Pentecostes tertia diei hora, vt refert Socrates libro 2. cap. 31. & Nicephorus libro 9. cap. 32. Cedrenus hoc prodigium refert in annum. 19. Constant. F. E. R. 34. Liberio 1.

Liberius primus 34.

352. HIc cum Hæreticis in omnibus sensit, errare cùm non possint Papæ. Platina.

Hilarius Pictauiensis.

360. CAuete vobis ab Antichristo: malè Ecclesiam Dei in tectis. ædificijsque veneramini: malè erga parietes insanitis: malè sub his pacis nomen ingeritis: ánne ambiguum est, in his esse sessurum Antichristum? Imperatore Constantio, Episcop. R. Liberio. vt sup.

Idem. Hieronymum tubam Latini sermonis vocare non dubitauit. In fidei verò professione, ea fuit constantia, vt in Synodo Seleuciana, in qua plurimi orientales Episcopi eò adduci se patiebantur: vt Arrianæ prauitati subscriberent, ipse in exilium potius abire voluerit, quàm de fidei

fidei incolumitate, vel parum etiam concedere, vt histor. Magd. habet ex Sulpitio. De iustificatione ait: mercedem non operis, sed misericordiæ, vndecimæ horæ operarij consequuntur. De gratuita peccatorum remissione inquit: Ex copia bonitatis suæ misericordiam & peccatorum remissionem largitur: & peccatorum remissio non probitatis est meritum, sed spontaneæ indulgentiæ voluntas, ex bonitatis diuitijs ad misericordiæ munus exuberans. Per fidem salus expectanda est. Et rursus Dominum Iesum confiteri, & a mortuis suscitatum credere, salus est. In commentario in Matth. canone 8. monet scribas: remissum ab homine peccatum: hominem enim tantum in Iesu Christo contuebantur, & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim sola iustificat. De Baptismo ait: exhiberi nobis in eo initia spiritus S. Et alibi: Crimina, quæ iniquè extra legem Dei geruntur, nouæ generationis Sacramento abluuntur. Vbi fatetur ingenuè in Baptismo fieri & regenerationem & peccatorum ablutionem. De Cœna Domini: De veritate carnis & sanguinis (Christi) non est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra caro verè est, & verè sanguis est, & hæc accepta atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Hic Hilarius veram præsentiam sanguinis & corporis Christi dilucidè fatetur, & corpus iubens accipere, & sanguinem haurire: vtramque, vt loquuntur, speciem stabilit contra pontificiorum mancam communicationem. Scripsit plurima, in quibus non pauca præsentium Papatus errorum semina taxat, &c.

Item contra Auxentium, Affirmat se in Antichristi tempora incidisse. Episcopos enim auaritiâ laborare, mutuis contentionibus se mordere, ac Anathematum fulmina vsurpare, Tyrannidemque exercere: Vbi Damasum notasse, non est dubium: quia is tum erat pontifex.

Idem cont. Auxent. Nonnulli pace suâ, id est, impietatis suæ vnitate se iactant: agentes se non vt Christi Episcopos, sed vt Antichristi sacerdotes. Antichristos autem plures esse, etiam Apostolo Ioanne prædicante, cognouimus. Quisquis enim Christum, qualis est ab Apostolis prædicatus, negauerit, Antichristus est. Nominis Antichristi proprietas est, Christo esse contrarium. Hoc nunc sub opinione falsæ pietatis efficitur: hoc sub specie prædicationis Euangelicæ laboratur, vt dominus Iesus Christus, dum prædicari creditur, denegetur.

Idem, In libro contra Auxentium queritur: rationem formamque veræ Ecclesiæ adeo mutatam, vel potius deperditam esse, vt sicut olim fuerit pauper, humilis, afflicta, & ab omnibus persecutionem patiens: ita nunc contra sit superba, diues, persecutrix aliorum &c.

In legenda beati Hilarij legitur, cùm Leo Papa factus esset Arrianus, conciliumque celebraret, venisse Hilarium in concilium durissimeque concertare cœpisse cum Leone: & cùm hic gloriaretur, se esse Episcopum sedis Apostolicæ: ille verò diceret, se quoque esse Episcopum: & nulla in re Papæ cedere velle: tandem miraculo subitæ mortis Leonis, certamen esse finitum.

Vigilantius.

Verba eius aliquot ab Hieronymo citantur. Quid necesse est, inquit, te tanto honore, non tantùm honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis. Quid puluerem linteamine circundatum adorando osculatis? Propè ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum: in Ecclesia Sole adhuc fulgente, moles errorum accendi, & vbicunque puluisculum, nescio quod in modico vasculo precioso linteamine circumdatum osculantes adorant. Item, quòd, dum viuimus, mutuò pro nobis orare possumus: postquàm autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Quid de eo scribant Hieronymus, Erasmus, & Bullingerus in libro de origine erroris, vide apud illos. V. S. 360.

Portentosa.

Concilium Nicænum secundum, ab Arrianis contra Christianos congregatum, hoc anno terræmotu dissipatum est. Nam Eudoxius (vt refert Funccius) olim Germanicæ vrbis in Cilicia præsul, post mortem Leoncij Antiochenæ Ecclesiæ Episcopi, sedem illam inuasit, palamque Arrianam hæresin oppressis Orthodoxis, in Ecclesiam reduxit: absente quoque Constantino Imperatore, atque in occidentis partibus bella gerente, ipse Eudoxius clàm agit apud Potentes Palatij: vt in Nicæa synodus Episcoporum congregaretur, sperans fore, vt congregati Arriani, eam, quæ antea in eâdem vrbe ædita erat confessio, hoc conuentu vnanimi consensu damnaretur: vt deinceps successu temporis sub nomine Nicænæ fidei priore conclusione ereptâ, posterior hæc in precio esset. Sed Deus qui Ecclesiæ suæ curam gerit, hoc malum citò auertit. Congretatis enim Episcopis, ac ad tractandum de proposito paratis, terræmotus tantus totam vndique concussit vrbem Nicæam: vt magna pars ædificiorum rueret, multosque mortales in eâ commorantes opprimeret: quo infortunio vrbis, aduenæ perterriti, quisque ad sua recessêre. Trip. ca. 34. Imp. 44. Iuliano. E. R. 34. Liberio. 362.

Lucifer Calaritanus, Sardiniæ Archiepiscopus.

Scripsit libros sub titulo, de non parcendo in Deum delinquentibus, & non conueniendo cum hæreticis. Ex quibus videre licet, an in causâ religionis licitum sit conniuere, dissimulare, &, vt indicam, temporisare, nec ne. Vide ibi Imp. & E. R. V. S. 364.

Anno

366.

Martinus Episcopus Turonensis.

BEatum Martinum Episcopum Turonensem Diabolus plurimis infestauit tentationibus, ipsum fraudare cupiens. Tempore autem quodam preciosâ purpurâ, & ornatu insignis regio apparuit Episcopo mentitus personam Christi. Martinus laruam spectri conspicatus cùm tacuisset, audijt à Diabolo: Agnosce Martine, quem colis, Christus ego sum descensurus ad terras, priùs me volui tibi manifestare. Cùm vero & ad hunc sermonem nihil responderet Martinus, denuo inquit ad illum Sathanas: Martine, cur dubitas credere, dum me vides? Christus ego sum: Inquit ergo S. Martinus: Christus non dixit, se in gloria mundana, purpura, & decore regio aduenturum: hac in forma & amictu non recipio neque credo in te: quo responso pessimus Cacodæmon disparuit. Cùm autem D. Martinus esset iam 81 plenus annorum, imbecillitate laborare virium, & deficere occipiebat: & in difficilem incidit febrim. Cumque exiguam reliquæ vitæ spem præberet, conuocatos discipulos seriò cohortatus est, velint veram religionem studiosè defendere & curæ habere, & cauere hæreses. At illi obortis digredientem affabantur lachrymis. Ah pater Martine, quare nos derelinquis: aut cui nos commendas orphanos: iam enim rapaces deseuient in Ecclesiam truculenter lupi. Quorum fletu & mœrore ipse perculsus dixit: Domine, si adhuc populo tuo sum vtilis, non recuso laborem. Inter hæc dum voluit vultum, iuxta se videt stantem Sathanam: illum ergò alloquitur: quid stas hic nequam, Sanguinarie, nihil in me reperies, vel iuris habebis, Sinus Abrahæ me in beatam recipiet sedem. Naturæ ergò debitum soluit placidè in Domino, multa multorum Sacerdotum præsente corona, anno reparatæ salutis 410. 11. die Nouembris, tricesimo sexto sui Episcopatus anno. Secundum Bergomensem Martini Monachi, & Turonensium postea Episcopi, vita, & res eius gestæ, prolixè à Seuero Sulpitio descriptæ extant. Imperat. & E. R. vt sup.

366.

Publia Abbatissa religiosissima.



PVblia erat nobilissima fœmina, & celeberrima propter egregiam virtutem suam, Antiochena, venerandæ senectæ matrona, hæc modico tempore nuptiarum iugo subdita, amisso per lethum marito, deinde Antiochiæ Abbatissa facta est Cœnobij Sanctimonialium: & habebat secum cœtum virginum castitatem vitæ, & religionis perpetuam deuotionem, & studium protessarum: semperque celebrabat Deum creatorem ac saluatorem: prætereunte verò Imperatore altiùs carmen commune modulabantur, contemtui nimirum & risui habentes furias Iuliani instituentis & colentis Idolomanias. Accinebant autem potissimum ea, quibus simulachrorum infirmitas & vanitas incesitur, cumque Dauide insonabant: simulachra gentium argentum & aurum: opera manuum hominum, & narratione, quàm nihil de illis sentirent, absoluta, addebant: similes ijs fiant qui, faciunt ea & vniuersi illis freti. His Iulianus cum summo dolore auditis, imperat illis, vt se porrò prætereunte sileant. At illa paruipendens verba eius maiore cum cura choros instituit, iussitque, vt priùs, veniente illo canere: Exurgat Deus & dissipentur inimici eius. At Iulianus grauiter tulit, & adduci ad se imperauit Magistram chori: & conspecta anu reuerendæ senectæ neque misericordia aut dignitate canorum motus, neque honore habito virtuti animi ipsius, iubet vnam de satellitibus vtramq; ei genam alapis adfligere & manibus reddere rubentem: Ea verò maximi in honoris loco posita hac contumelia reuertitur domunculam suam, & vt antè piè consueuerat, impetebat Apostatam spiritualibus carminibus: & mirabiliter à Deo conseruabatur. Theodoretus libro 3. cap. 19. Imper. 44. vt sup. E. R. 34. Liberio 1.

367.

Iulianus Apostata Imp.

IVlianus Apostata cum sacrificaturus solennem hostiam mactaret, in eâ crucis signum coronâ circumdatum apparuisse ei dicitur: quod eis qui illi operam dabant, non paruum incussit timorem, CHRISTI potentiam doctrinamque

nostram perpetuò duraturam, suspectam habentibus: quòd corona victoriæ signum esset, & circularis forma omni ex parte initium capiens, atque in se ipsam desinens, finem nullum portenderet. Imp. vt sup. E.R. Liberio.

Iudæi diuinitus prohibentur ædificare templum.

HOc anno Christi Iudæi templum suum volebant restaurare, & ædificare ex mandato Iuliani Imp. ad offendendum & vexandum Christianos: at Deus ipsos impedijt omnibus modis, & destruxit cuncta, quæ cœptabant, vindicta diuina, cadente desuper & exiliente ex fundamentis igne, terræmotibus & alijs signis. Ruffinus Eccle. histor. libro 10. cap. 38. 39. Imperat. & E.R. vt sup. 367.

Eunomius Monachus.

EVnomius monachus discipulus & notarius Aëti, negat Virginitatem maioris esse meriti, quàm coniugium: Relicto monachatu, seduxit Virgines, vt nuberent. Fidem sine operibus docuit sufficere, nec opera esse ad salutem necessaria. Aug. lib. de hæres. cap. 54. Hier. in 4. Osee. Templa martyrum non ingrediebatur, ne cogeretur Sanctos, (vt dicebat) adorare. Hiero. Imp. 46. Valente. E. R. Liberio. 368.

Damasus E. R. 35. de vitis Paparum,

EVtychianus Papa, plures quàm trecentos & vltra hinc inde Martyres mandauit sepulturæ proprijs ipsemet manibus. Quod haud obscurum est argumentum, qualis fuerit Pontifex, eiusmodi scilicet, qui non solebat circumgestari in lecticis: aut oscula suis pedibus libare sinebat, vt consueuerunt Antichristiani posteri eius: non enim illud, quod diximus, fecisset. De hoc etiam Sabellicus. Imp. & E. R. vt sup. 369.

Idem, Huius ad Hieronymum primo Volumini conciliorum inserta est epistola sequens: Peto etiam tuam charitatem, vt sicut à rectore suo Alexandro Episcopo nostro didicisti, Græcorum Psalterium ad nos dirigere tua fraternitas delectetur. Quia tantæ apud nos simplicitatis imago est: vt tantùm in die dominica Apostoli Epistola recitetur vna, & Euangelij capitulum vnum dicatur: & nec psallentium mos tenetur: nec hymni decus in ore nostro cognoscitur. Peto ergo per fratrem & compresbyterum nostrum Bonifacium, vt lubeat fraternitati tuæ rei huius nobis aperire vestigia. Missa 5. Calend. Nouemb. per Bonifacium presbyterum Hierosolymam.

Ex vitis Pontificum eiusdem in sup.

SErgius Papa cùm Lothario Cæsari nollet iuramentum præstare, velut antè quoque fiebat: Romam misit Cæsar Drogonem Episcopum Metensem, vnà cum alijs Episcopis & magnatibus: & vi eum eo adegit, vt non ipse solùm Papa, sed vna cæteri omnes Episcopi, ei Cæsari iuramentum exhibere cogerentur: ita planè in Cæsares Papis nullum ius & potestas concedebatur tùm temporis: sed successu temporis, vi sibi omnem iurisdictionem arripuerunt.

Huius Sergij 2. vitam, qui ante arreptum Papale fastigium Os porci dictus erat, descripsêre Henricus de Erfurdiâ, Drogo, & Luitprandus Ticiensis: in quibus inter alia legitur: quòd, cùm Papæ enormius delinquant, à Cæsare corrigi atque in ordinem redigi debeant. Alioqui Deum totas regiones propter talia scelera puniturum esse.

Conflictus de Papatu primus.

HOc anno tumultus excitatur à binis duorum Episcoporum Romanensium Electorum partibus tantus, vt 137. homines fuerint occisi, ibi Damasus victoria potitur, at Vrsicino cedendum est. 369.

Hoc scilicet tempore iam gliscebat Antichristianus Romæ, cùm Episcopi vi & largitionibus se officijs ingererent: in eisque regiam ostentarent superbiam: & se ipsi super omnes Episcopos extollerent: vt refert Ammianus Marcellinus. Imp. & E. R. vt sup.

Basilius Magnus.

DEplorat is in epistolis dissidia Episcoporum hisce verbis: Cùm in virum (inquit) euasissem: & peregrinationibus sæpenumero vsus, in molestias, vt par erat, incidissem: in alijs quidem artibus, & scientijs multum concordiæ inter eos deprehendi, qui singulas artes exactè exercent. In solâ verò Ecclesiâ Dei, pro quâ Christus est mortuus, & in quam Spiritum sanctum abundè & opulenter effudit, maximum dissidium, & vehementem multorum, tùm inter ipsos, tùm contra diuinam scripturam, dissensionem obseruaui. Et, quod horrendissimum est, ipsos Ecclesiæ præsides, in 369.

tanto & animi, & opinionum inter se dissidio constitutos, tantaque contrarietate mandatis Domini nostri Iesu Christi repugnantes, Ecclesiam Dei crudeliter dissipare, & gregem ipsius absque vllâ commiseratione perturbare, vt & in ipsis nunc, si vnquam, prodeuntibus, & florentibus iniquis, impleatur illud Apostoli: Ex vobis ipsis exurgent viri peruersa loquentes, vt abstrahant post se discipulos.

Queritur porrò admodùm lugubriter Basilius de sui temporis Episcopis, ad occidentales Episcopos scribens: Dicit enim, veram ac piam doctrinam ex Ecclesiâ tolli: ac præfici Ecclesijs sceleratos, & falsos doctores. In libro de Spiritu sancto dicit: Episcopos falsa dogmata seditionibus, & cædibus defendere. Imp. Valente vt sup. E. R. Damaso 1.

Idem libro Hexameron homilia 6. Et sint in signa & tempora, & dies & annos. Necessariæ sunt profectò luminarium in hominum vita significationes. Nam si non vltra modum signa quispiam, quæ ab ipsis proficiscuntur, exploret, vtiles ipsorum obseruationes, eas inuenerit, quas experientia longa probauit. Quanto autem emolumento sint vitæ humanæ, quantamque vtilitatem eidem præstent, tales ex hisce luminibus obseruationes, quis ignorat?

S. Ambrosius.

370. Ambrosius in cap. 2. Thess. 2. dicit: Priusquam Antichristus venerit, Romanum regnum debilitandum esse: sed Antichristum Romanis sub suo nomine libertatem restiturum. Vbi tempus aduentus Antichristi, & personæ eius clarè ostendit. Tempus est illud, inquit, post defectionem Romani Imperij, & ante instaurationem. Persona porrò est illa ipsa, quæ Romanum Imperium collapsum vtcunque eriget. Quod in Papam ideò dici potest: quòd ipse cùm iam Romanum regnum propemodum extinctum esset, illud aliquatenus instaurauit, translato Cæsareo titulo ad Gallos, & Germanos, idque suo nomine, id est, tanquam Papa. Eatenus enim, quatenus Papa est, vult habere ius supra Romanam monarchiam. Fortassis pius iste vir interpretationem hanc ex Apocal. 13. accepit, vbi bestia, imperium significans, vulnerata, & nonnihil sanata à bestiâ, Antichristum significante, honoratur. In quodam sermone inquit: ex inordinatâ, & indisciplinatâ sacerdotum multitudine hodie datur contemtui nostræ redemtionis venerabile sacramentum. Nam qui debuerant esse vicarij Apostolorum facti sunt socij Iudæ, & præambuli Antichristi. Imp. Valente vt sup. E R. Damaso. 1.

Idem in Epistolam ad Hebræos cap. 7. Solent (inquit) miserâ vti excusatione dicentes, per iustos posse iri ad Deum, sicut per comites peruenitur ad Regem. Age: numquid tam demens est aliquis, & salutis suæ immemor, vt honorificentiam Regis vindicet comiti: cùm hac de re si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis. Et isti an non putabunt reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto domino conseruos adorant: quasi sit aliquid plus quòd seruitur Deo? Nam & ideò ad Regem per tribunos & comites itur, quia homo vtique rex: & nescit quibus debeat Remp. committere. Ad Deum autem, quem vtique nihil latet (omnium enim merita nouit) promerendum, suffragatore non est opus: sed mente deuotâ. Vbicunque enim talis locutus fuerit, nihil respondebit.

Idem, Olim Eucharistia laicis in manus, & poculum etiam pretiosi sanguinis dabatur, quod apparet ex verbis Beati Ambrosij ad Theodosium Tyrannum Imperatorem, cùm ait: Conqualium hominum Princeps es, ô Imperator, & conseruorum. Vnus enim est Dominus omnium, rex & creator cunctorum, Quibus igitur oculis aspicies communis Domini templum? quibus calcabis pedibus illius pauimentum? quid extendes manus, de quibus adhuc stillat sanguis innoxius? quid huiusmodi manibus suscipies sanctum domini corpus? qua præsumptione poculum pretiosi sanguinis percipies ore tuo?

Idem, Sola nos fide iustificari super Romanos, & sæpè aliâs grauiter & constanter asserit: de quo nunc controuersia est cum Antichristo, eiusque Sophistis.

Gregorius Nyssenus.

380. De peregrinationibus versus Hierosolymam eius sententiæ sunt. Cùm itaque sint, qui solitariam, & priuatam vitam sibi delegerint, quibus vice pietatis habeatur, Hierosolymitana loca vidisse: in quibus iudicia Domini, & Aduentus per carnem conspiciuntur: Præclarè se res habet, si ad regulam ipsam respiciamus: idque si velit præceptorum ductus, vt opus faciamus, quasi mandatum Domini: Sin præter Domini præcepta id appareat introductum, haud scio, quid sit, quod præcipiat, velle quid aliquem facere, qui se sibi legem boni fecerit ipsum. Nam cum ad regni cœlorum hæreditatem consequendam appellat Dominus benedictos, profectionem in Hierosolyma, inter rectè facta, quæ eò dirigant, non enumerauit: vbi beatitudinem enunciat, tale studium, talemque operam non est complexus. Quod autem neque beatum efficit, neque ad regnum conducibile est, quod in eo studium & opera ponatur, qui mentem habet, consideret. Item, Vnde vos, qui timetis Dominum, in quibus locis estis, eum laudate.

Localis enim mutatio, vt Deus propior sit, non efficit: sed vbi fueris, ad te Deus veniet: siquidem animæ tuæ diuersorium tale inueniatur: vt in te Dominus inhabitet inambuletque. Sin hominem interiorem peruersis cogitationibus plenum habeas, etiam si in Golgatha fueris, etiamsi in monte Oliuarum, etiamsi sub monumento resurrectionis: tantundem abest, vt Christum in te ipso suspicias, quantum qui ne initio quidem religionem professi sunt. Consule ergo dilecte fratribus, vt à corpore peregrinentur ad Dominum, non è Cappadocia in Palæstinam. Imp. Valente, E. R. Damaso. vt sup.

Idem, Habet descriptio vitæ Moysis arcana & planè mystica multa, horum explicationem habes apud Nyssenum, & Gregorium Trapezuntium interpretem. Vide ibi.

Ephrem Syrus.

Conscripsit varios libros, inter alios de monachi armaturâ: quòd nimirum eum oporteat, ceu militem, semper in acie stare. Inter virtutes eius peculiares etiam hoc recitatur, quòd oblatos episcopatus honores fugerit simulatione insaniæ. Quod nunc paucis datur. Scripsit etiam librum de Antichristo. vbi inter alia dicit: Accipiet enim potestatem fallendi præstigijs mundum. item: Draco iste futurus est scelestus, atrox, impurus, subdolus, humani generis deterrima pestis: Sanctis tamen maximis viris atrocior, infestiorque imminebit, qui illius artes vincere poterunt, præstigias nudare, figmenta detegere. Item: In hoc habitu veniet impurus latro. Vt enim omnes fallere possit, falsus, atque falsiloquus, humilem se simulabit, (Seruus seruorum) & blandum, præferentem pietatem, benignum, pauperem, studiosum, speciosum vltra omnem admirationem, placidum, hilarem ad omnes, honorabitque præcipuè supra modum Iudæorum gentem: ipsi quippe illius præstolantur aduentum. Inter hæc omnia signa faciet, portenta, atque territores, summâ cum potestate. Placere omnibus nitetur astutus, vt citò à populis ambiatur, ameturq;. Qualiter autem Iudæi à pontificibus honerentur, vide apud. Rabbi Beniamin in itinerario, & Papirium Massonum infrà Anno 1550. Imp. Valente, E. R. Damaso. vt sup. 380.

Idem, Cæterùm priusquàm cuncta ista fient, mittet misericors Deus Eliam Thesbiten, & Enoch, qui palam populo prædicent, ne illi credant, audacter clamantes atque dicentes: Antichristus hic est, atque seductor, & filius perditionis, ô homines, nullus illi prorsus credat impio: nullus vestrûm autem tyranno præbeat Deo repugnanti: nullus vestrûm terreatur: citissimè enim destruetur, dissolueturque potestas illius. Dominus sanctus cum gloria formidabili, iam ecce de cælo veniet, iudicaturus omnes illos, qui signis Antichristi crediderint, obedierintue. Quanquam pauci tunc reperientur, qui duorum illorum sanctorum Prophetarum dictis sint obtemperaturi, ac credituri.

Idem, Et cunctis quidem diuina cognitione atque intelligentia illustratis, continuò innotescet tyranni aduentus: Qui verò mentem semper in secularibus rebus, terrenisque commodis appetendis defixam habuerint, nequaquam eius aduentum cognoscere poterunt. Nam qui perpetuò secularibus ac temporalibus rebus animum implicitum retinent, etsi veritatem audierint, non tamen credent: siquidem dicentem aspernabuntur.

Idem, Habitu monachi sumus, sed moribus crudeles quidem & inhumani: habitu humiles, & moribus pestiferi, ac scelerati: habitu religiosi, & moribus exitiosi: habitu amici, & moribus inimici: habitu gratiosi, moribus odiosi: habitu exercitatores seduli, moribus ignaui athletæ: habitu sobrij, moribus prædones: habitu pudici, animo autem adulteri: habitu modesti, moribus & pectore vagabundi: habitu mites, moribus arrogantes: habitu consolatores, moribus contumeliosi: habitu consiliarij, moribus obtrectatores: habitu simplices, moribus difficiles & pernitiosi: habitu ab inuidia alieni, moribus inuidi & homicidæ: habitu defensores ac susceptores, moribus autem proditores. Et vnde quæso accidit nos tales esse?, nisi inde, quòd mutuam inter nos dilectionem perfectam non habeamus? nisi quia pura inter nos non sit concordia? nisi quia vera in nobis humilitas non est? nisi quòd præ oculis, timorem Dei non constituamus? Quodque salutaria Dei præcepta despiciamus, ac pro nostro ea arbitrio detorqueamus, & pro nugis existimemus?

Idem, Reliquimus mundum: & quæ mundi sunt sapimus. Professiones reiecimus, & à contentionibus non cessamus. Reliquimus domos, & earum cura atque solicitudine quotidie absumimur. Non adsunt opes, sed non abest superbia, Nuptias spreuimus, & ab inani cupiditate non recedimus. Exterius humilitatem simulamus, & animo honores appetimus. Videmur quidem paupertatis amatores, & habendi cupiditate detinemur atque absorbemur. Ore quidem ac verbo paupertatem colimus: mente autem, auaritiæ morbo laboramus. Quis igitur nostram conditionem, institutum non doleat?

Idem, Cum angelicum feramus habitum, vnà cum diabolo militiam gerimus: habitus quidem est angelicus, at vita mundana. Numquid inter angelos in cælis contentiones vigent, & æmulationes, sicut nunc inter monachos videmus? Radices quippe egit eos æmulatio, & inuidia, atq; obtrectatio.

380. ## *Aurel. Prudentius Clemens lib. 1. contra Symmachum.*

Et Petrus de Bruis.

OMnibus ante pedes posita est cuique vetusta Arula. Multitudo enim altarium ortum habuit ab Ethnicis. Et Petrus de Bruis posteriori tempore propterea rectè dixit & reprehendit, quòd tot sumptuosa altaria ædificentur, pauperes autem negligantur. Imp. Valente. E. R. Damaso. vt sup.

Euagrius Monachus.

380. SCripsit aduersus octo principalium vitiorum suggestiones. Huius mentio etiam fit apud Gennadium de Illust. Eccle. scriptorib. Imp. Valente. E. R. Damaso. vt sup.

Ammianus Marcellinus.

382. ROmæ in foro pacis ex terra vlulatus maximus auditus fuit per 7. dies.

Idem. Gruum imitatus exemplum Alexander Macedo, si quando peruigilandum esset, vas aheneum prope thorum assistebat: supra quod brachium exporrigebat, pilam argenteam complexus manu: quæ, si quando ipse somno vinceretur, elapsa, sonoro strepitu somnum abrumperet. Sed & idem author Iulianum Cæsarem absque pila vel instrumento alio, quotiens & quantum voluisset, euigilasse profitetur.

Annotandum quia gruum hoc loco mentio facta est: quia illæ semper concordes & congregatæ simul reperiuntur: per id hieroglyphicè significari, non nisi cum pluribus esse consultandum, si quid rectè fecisse volueris & felicem rebus tuis successum optaueris. Vnde Æsymnio Megarensi honestissimo loco nato, dum super hoc consulta posceret, respondisse Apollinem Delphicum aiunt, referret ad multos, si gerere quid feliciter vellet: plurimorum enim sententijs auditis, facilius esse optimum eligere, Hincque à gruibus congruere pro conuenire dictum putant, Pausanias. Causam autem cur grues lapillum gerant, vide apud Maximum Tyrium philosophum: qui vixit sub Commodo Romæ. Et quædam etiam de hac aue habes apud Plotinum, Philostratum Appionem polyhistorem, Horum Niliacum & Pierium. Imp. & E. R. vt sup.

Gregorius Nazianzenus.

382. EX vrbe Constantinopoli discedens, ac in locum solitarium se recipiens, scribit inde ad Procopium principem: constituisse prorsus secum, in nullam deinceps Episcoporum Synodum se venturum, propterea, quòd adhuc nullum Synodi alicuius finem vtilem vidisset: & in qua propter contentiones & ambitionem consultantium res Ecclesiæ afflictæ & laborantes, non plus exacerbatæ, quàm sanatæ fuerint. Videri igitur sibi in sola precum securitate, & communicatione tranquillum & quietum se futurum. Hoc si illis iam temporibus accidit; quid mirum, si postea, crescente hominum, præsertim spiritualium ac Romanistarum in regenda Ecclesia, non tantùm negligentia & inscitia, verùm & scelerata malitia, infinita falsa ac impia in consilijs decreta sint?

Arrige autem Pontifex, Gregorius dicit, in synodis Ecclesiam non sanari sed exacerbari, non fuisse vllos fines synodorum suo tempore vtiles, sed tu quid ad hæc dicis? Concilia non errant, & qui ea errare arbitratur, à te & tuis rasis pro Hæretico comburitur. In quadam oratione negat opera pro mortuis facta, eis esse profutura: & omninò ita loquitur de altera vita, tanquam qui purgatorium penitus ignoret. Taxat etiam istam cerimoniarum pietatem, quæ externo vestitu, eiusque colore simulatur. Sic enim inquit in versibus suis: Flagitium est fidem habere in coloribus, & non in corde. Ea enim, quæ in coloribus existit, faciliter eluitur: Quæ vero in profundo mentis, illa mihi amica. Obijsse autem dicitur Gregorius admodum senex anno Dom. 384. post mortem Basilij anno altero, & sic mox in vitam æternam secutus est illum: cum quo in hoc seculo familiarissimè vixerat. Ex tomo conciliorum, Illyr. & alijs. Imp. & E. R. vt sup.

Idem. Præsulatum nobis ext orquebunt? Fuit quidem tempus: cum eum nonnulli CORDATI ET PRVDENTES VIRI suspiciebant & expetebant: at nunc EVM FVGERE, primariæ cuiusdam & singularis est prudentiæ. PROPTER HVNC enim res omnes nostræ iactantur ac perturbantur: PROPTER HVNC fines orbis terræ suspicione, & bello flagrant, EOQVE SVRDO AC NE NOMEN QVIDEM HABENTE. Propter hunc PERICVLVM EST: NE QVI A DEO CREATI SVMVS, HVMANITVS CONSTITVTI CENSEAMVR: AC MAGNVM ILLVD AC NOVVM NOMEN AMITTAMVS. VTINAM VERO NVLLA ESSET THRONI PRÆROGATIVA: nec prælatio, & VIOLENTA AVTORITAS, ac præeminentia: VT EX SOLA VIRTVTE COGNOSCEREMVR. Nunc autem dextrum hoc latus, & sinistrum, & medium, sublimior item & inferior sedes, ac rursus illa præeundi vel eodem gradu incedendi inuecta consuetud o nos in multas partes confregerunt: multosq; in foueam impulerunt, atq; ad hircorum locum adduxerunt, non plebeiorũ tantùm, sed etiam pastorũ, qui cùm Magistri Israëlis essent: HÆC IGNORARVNT.

Idem, Sic ait de optimo Athanasio. Sic igitur atque ob eas caussas totius populi suffragijs, non autem secundum peruersum exemplum, quod postea inoleuit, neque per vim, ac cædem, sed Apostolicè & Spiritualiter ad Marci thronum euehitur, NON MINVS PIETATIS, QVAM PRÆSVLATVS SVCCESSOR. Vt enim, si hanc spectes, multi inter illum, & hunc numerantur: Ita, si illius rationem habeas, STATIM ILLI PROXIMVS COMPERITVR: QVÆ QVIDEM PROPRIE SVCCESSIO APPELLANDA EST. NAM QVI EANDEM DOCTRINAM PROFITETVR: EIVSDEM QVOQVE THRONI PARTICEPS EST. Qui autem CONTRARIAM SENTENTIAM profitetur, ADVERSARIVS QVOQVE IN THRONO censeri debet. Neque enim QVI PER VIM IRRVPIT, SVCCESSOR habendus est, sed qui vim perpessus est: nec qui CONTRARIAM SENTENTIAM tuetur, sed qui est eiusdem sententiæ. Nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati, & tenebras luci, & tempestatem tranquillitati, & dementiam prudentiæ succedere dicimus.

Idem, Nazianzenus etiam Basilij cum Præfecto colloquium describit, dicens: Cum Præfectus minatus esset Basilio, bonorum proscriptionem, exilium, cruciatus, mortem: tùm verò Basilium respondisse: si quid aliud habes, id nobis minitare Horum enim, quæ adhuc commemorasti, nihil nos attingit. Primum enim bonorum proscriptioni obnoxius non sum: qui nihil habeam, nisi fortè laceris hisce pannis indiges ac paucis libellis, in quibus omnis mihi facultas sita est Nec verò exilium vllum agnosco, qui nullo loco circumscriptus sum: ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam profectus fuero, pro mea duco: imò vt rectius loquar, vniuersam terram Domini esse scio, cuius aduena & peregrinus ego sum. Iam quid accipere queant tormenta, cum corpore penè caream: nisi forte primam plagam dixeris: huius enim solius inferendæ potestatem habes. Mors porrò beneficij mihi loco erit. Citiùs enim me ad Deum transmittet, cui viuo, & munere meo fungor, maximaque ex parte obij, & ad quem iam dudum propero. Hæc de Basilio.

Theodosius Cæsar 47.

THeodosius Cæsar conuocat omnium hæresium Religionis Episcopos Constantinopolim hoc anno, mense Iunio, vt controuersiæ religionis discuterentur, & Episcopis inter se conueniret. 383.
Consulit ideoque Nectarium Episcopum Constantinopoleos quomodo gerendum sit hoc negocium: qui ex suggestu Sisinij sacerdotis cuiusdam Nouatiani suadet: Cæsarem non debere Episcopis disputandi locum dare, sed libros & confessiones Religionis scriptas & constitutas à doctoribus antiquis ante has controuersias & certamina, quæque nulla ex parte reprehendi possint, Episcopisque omnes sectas proponere, & ex eis quærere, quid de scriptis his, symbolis & confessionibus existiment. Quòd si igitur reijcerent, cum eisdem disputandum non esse vlterius: sed statim reijciendos & ipsos. Si verò dicerent approbari sibi tanquam sincera, ex illis ipsis eos errorum suorum conuinci, & indicari debere, & admonendos, vt sequantur veritatem. Exequitur hoc consilium Cæsar, & sic deprehendit lubricam constantiam Episcoporum & certitudinem symboli Niceni. Vide Socratem lib. 5. cap. 10. & Sozomen. lib. 7. cap. 12. E. R. Damaso.

Ordo S. Basilij.



TAnto odio & inuidiâ prosecutus est Eusebius Episcopus Cæsariensis Basilium Presbyterum, vt eum planè ab Ecclesia repellere voluerit. Qui tamen Ecclesiæ tranquillitati consulens, Eusebio se non opposuit, sed sponte cessit, & in Monasterium Ponti se recepit: ibique Monachos in religione, & verbo Dei instituit: ac errata in veteribus monasterijs correxit. Fuerunt enim eius monasteria non latibula ignauorum fucorum, sed scholæ, in quibus artes liberales, vnà cum Theologiâ verâ, & religione, pietateque tradebantur: eam ob causam, vt semper docti viri essent in promptu, quos, postquâ in monasterijs eruditi fuissent, Ecclesijs præficerent. Libros etiam, qui ad hoc erant idonei, conscribebant, quibus sua studia & preces ad Deum prouocabant. Cæteri fratres illos, quia tum ars impressoria nulla erat, describebant. In quo sanè generi humano beneficium maximum præstiterunt: per eos enim authores optimi ad nos peruenerunt, qui sine illis interiissent. In Græciâ ordinem suum instituisse primò circa annum D. 384. & vestitũ album attribuisse, author est Lonicerus. Regulam nullã habuit, quàm verbũ Dei: illam.n. quę circumfertur, 384.

Hospin:

Hospinianus vt adulteratam planè reijcit, ex causis per eum enumeratis. Primaria est, quòd Nazianzenus, qui eius vitam descripsit, de eâ nullam omnino mentionem faciat. Notandum etiam hoc loco est: quòd Polydorus scribit, Basilium primò vota monastica introduxisse: cùm tamen in tota illa Regula, quam Basilio attribuunt, votorum nulla fiat mentio.

Laboribus manuum vixerunt. Oportet enim eum, inquit Basilius, qui viribus præditus est, operari, ac impertiri his, qui opus habent. Qui namque operari non vult, ne manducare quidem dignus iudicabitur. Habuisse ergo officinas in cœnobijs, in quibus suum quisque artificium exercuit, credibile est. Vnde opera Ascetica, & libros, quos ad Monachos scripsit, Asceticos nominant. Budæus tamen hæc ad exercitationem mentis in rebus diuinis, & Sozomenus cum Nicephoro Eustathium quendam illorum authorem fuisse refert.

Cilicium gestauit Basilius, propter humilitatem animæ, & corporis castigationem. Quam humilitatem autem portendant holoserici illi pileoli, quos etiam ex illis, qui reformati hodie esse volunt, in publicis concionibus gestare non pudet, illi viderint. Sicut quoque illaudabile, impium, suspectumque apud eosdem habetur, quòd pecuniam pro absolutione capiunt. Ita semper familiare mortalibus est, omnia sibi ignoscere, nihil alijs remittere. Auent. Cogitent igitur, ne, vnde & ex quo loco reformatio nobis venit, turpis deformatio insequatur. Imp. 47. Theod. E.R.V.S.

384.

Haymo Fuldensis Monachus Anglosaxo,

super 11. cap. Zach.

VOcatur Antichristus Pastor. Pastor stultus & imperitus Antichristus est, qui in consummatione seculi venturus dicitur.

Idem lib. 3. sup. 11. cap. Apocalyp. Tanta sæuitia tunc (Antichristi temporibus) erit, & erit immanis illa persecutio: vt non satientur reprobi, postquàm interfecerint omnes: sed etiam ad augendam suam malitiam, neque post mortem permittent eos poni in monumento.

Idem sup. 117. Psal. De fine & machinationibus Antichristi inquit: Antichristum venturum ad acquirendam gloriam suam.

Idem sup. 79. Psal. Diabolus totam ferè consumet Ecclesiam tempore Antichristi. Imp. 47. Theod. Magno. E. R. 35. Damaso.

Hieronymus.

390.



MEmorabilis Hieronymi sententia est: veteres, inquit, scrutans historias, inuenire non possum: scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos, qui sacerdotes positi fuerant. Isti verò vertuntur in laqueum tortuosum, in omnibus locis ponentes scandalum. Impp. Theod. & Gratiano. Episcop. Rom 36. Syricio.

Idem super Ezechielem. Grandis dignita[s] Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant.

Idem in Ezech. 44. Nec caluitium nouacu[la] faciendum, nec ita tondendum caput, vt rasc[...] rum similes esse videamur.

Idem. Transtulit ex Hebræo Biblia in Lat[i]num per conducticios Rabinos iam senex: [...] quia caruit Chaldaica translatione & Hebræor[um] Abben Ezræ, Mosis Gerundensis, Ben Gersoni[s] Dauid Kimhi codicibus, exemplari item punc[tis] Hebraicis (quæ magni sunt momenti, vt Racan[...] ti ait) distincto, sine quo nunquam felix fit inte[r]pretatio, teste Rabi Mose de Cozi. Quidam p[u]tant, de Hieronymi translatione nihil ampli[us] superesse præter Ecclesiasten & Psalterium. Mu[n]sterus.

Idem de vitâ Malchi Tom. 3. Singuli qu[i] pro potentiâ Coëpiscopalis nominis, quam [...] ipsi illicitè, absque ecclesia vendicârunt, tot[um] quod Leuitarum est, in suos vsus redigunt: nec hoc sibi, quod scriptum est, vendicant, sed cun[cta] auferunt vniuersa: Et quæ ibidem sequuntur. Atque in præfat. lib. Dydimi de Spirit. Sanct. T[o]mo 3. Romanos Presbyteros, scribas, Pharisæos, Pharisæorumque senatum vocat. Et a[...]

in loco: Scribere, ait, dispofui ab aduentu Saluatoris vsque ad nostram ætatem, id est, ab Apostolis, vsque ad nostri temporis fecem: quomodo, & per quos ecclesia Christi nata sit, & adulta persecutionibus creuerit, & martyrijs coronata sit: & postquam ad Christianos principes venit: potentiâ quidem, & diuitijs maior, sed virtutibus minor facta sit. Vbi addit Erasmus: Quid diceres Hieronyme, si nunc videres Ecclesiam, tot regnis, tot opibus, tot bellis, tot fœderibus penè obrutam?

Idem, In libro de Normâ viuendi, inquit, Nulla tam crudelis in mundo Bestia est, quemadmodum clericus, vel Sacerdos malus. Nam corrigi non patitur, nec veritatem audire potest.

Idem in Danielem cap. 11. Antichristus simulabit castitatem, vt plurimos decipiat.

Idem, Scribit se Origenis libros, quorum 5000 fuerunt, legisse.

Idem, In hypocrisi loquuntur, qui, cùm non contineant, tam casti volunt videri: vt etiam nuptias damnent: tam abstinentes, vt creaturâ Dei parcè vtentes iudicent: cùm ipsi comessationibus vacent.

Idem, Ad Nepotianum de vitâ Clericorum: Nonnulli, ait, sunt ditiores monachi, quàm fuerant seculares & clerici, qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallaci diabolo non habuerant: vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus antè mendicos. Natus in paupere domo & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem saturare ventrem poterat, nunc similam & mella fastidit.

Item hoc Hieronymi est. Multorum cadauera & ossa veneramur, quorum animæ sunt in inferno. Epistolâ 84.

Et ad Eustochiam virginem: Sunt de hominibus mei ordinis, qui ideò presbyteratum ambiunt, vt licentiùs mulieres videant. Et his est omnis cura de vestibus, si benè oleant, si pes laxa pelle non vacillet: crines calamistri vestigio rotantur; digiti annulis radiant. Tales igitur cùm videris, sponsos magis æstimato, quàm clericos. Alij ad sacerdotium anhelant, vt inopiæ cedant, & miseriæ: Quia in statu seruili, & abiectionis esse abhorrent; laborare recusant, præ pigritia mendicare erubescunt validi, quia nihil daretur eis: facti autem sacerdotes prouisi beneficijs aut alijs titulis, ab illis omnibus redimentur. Alij vt Rabbi vocentur, aut domini. Nam in simplici statu nullius reputationis cum essent, nec respectus fiebat ab eis, facti sacerdotes ceruices erigunt, vestes longas deferunt, honores ab hominibus exigunt, tanquam debitum eis reseruatum. Nec putant se tunc plus debere humiliare, & pœnitentiam agere: sed imò primos accubitus ambiunt. Votiua vt debitum exquirunt, eleemosynas à fidelibus expetunt, hypocrisi, dolo, vi & fraude, modis quibuscunque. Alij vt præemineant dignitatibus, diuitijs, vt suos consanguineos exaltare valeant: qui prius ignobiles, aut degeneres, posteà inter alios ingenui videantur. Et isti sunt sacerdotes Baal.

Ad Rusticum Narbonensem scribit, quòd nunc, ex qua creuit in Ecclesiâ auaritia, perijt lex de sacerdotibus, & visio à Propheta.

Super illis Matthæi verbis, sal infatuatum nihil prodest, nisi vt projiciatur foràs & conculcetur à porcis, inquit: Infantuatum sal, id est, stultus prælatus, insipidus in prædicando, & fatuus in delinquendo, ad nihilum prodest, nisi vt mittatur foràs, id est, deponatur: & conculcetur à porcis, id est, à dæmoniacis, qui dominantur malo Prælato, tanquam pecori suo.

Ad Nepotianum dicit. Clericum ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum factum, quasi pestem quandam fuge.

Ob hæc & alia talia scripta tandem ex Roma aufugere coactus fuit.

Idem, ad sacram virginem Eustochiam scribens, Tria, inquit, sunt genera monachorum, ex quibus tertium est, deterrimum, ac neglectum, & quod in nostrâ prouinciâ aut solùm est, aut primum, apud quos, inquit, affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis grossior, crebra suspiria, detractio clericorum, & si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum. Sed quia sciunt, monachorum nomen gloriosum, sub ouium pellibus lupos tegunt. Christum mentitur Antichristus: & turpitudinem, inquit, vitæ falso nominis honore conuestiunt, qui etiam dum erubescunt pro Christo gloriosam suscipere cum Apostolo nuditatẽ, incidunt in tentationem, & laqueũ Diaboli, & desideria multa, & inutilia, & noxia, quæ mergunt homines in interitũ, & perditionem.

Idem, In commentarijs in Danielis caput vndecimum: Antichristus multa deceptis munera largietur, & terram suo exercitui diuidet: quosque terrere non quiuerit, subiugabit auaritiâ. Et ibidem: Multæ ei vel vrbes, vel prouinciæ daturæ sunt manus. Romam vocat Babylonem, & purpuratam Meretricem, in præfatione in Didymi librum de Spiritu Sancto. In epistolâ ad Princip. vocat eam maledicàm ciuitatem, & vitiorum palmam. Et libro quinto commentariorum in Esaiam, capite vigesimo tertio, Antichristum appellat organum Diaboli.

Idem in Epistolâ ad Paulam & Eustochiam. Verùm vt ad villulam Christi, & Mariæ diuersorium veniamus: (plus enim laudat vnusquisque, quod possidet) quo sermone, quâ voce, speluncam tibi possumus saluatoris exponere? Et illud præsepe in quo infantulus vagijt, silentio magis, quàm infimo sermone honorandum est. Vbi sunt latæ porticus? vbi aurata laquearia? vbi domus miserorum pœnis, & damnatorum labore vestitæ? vbi instar Palatij, opibus priuatorum exstructæ basilicæ, vt vile corpusculum hominis pretiosius inambulet, & quasi mundo quicquam possit esse ornatius, tecta magis sua velint aspicere, quàm cœlum? Ecce in hoc paruo terræ foramine cœlorum Conditor natus est: hic inuolutus pannis: hic visus à pastoribus: hic demonstratus à Stellâ: hic adoratus à Magis: Et hic, puto, locus sanctior est Tarpeiâ rupe, quæ de Cœlo sæpius fulminata ostendit, quòd Domino displiceret.

Lege

Lege Apocalypsin Ioannis: &, quid de Muliere purpuratâ & scriptâ eius in fronte blasphemiâ, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, inquit Dominus, de illâ populus meus: & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & saluate vnusquisque animam suam. Cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Dæmonum, & custodia omnis Spiritus immundi. Est quidem ibi Sancta Ecclesia; sunt trophæa Apostolorum, & Martyrum: est Christi vera confessio: est ab Apostolo prædicata fides, & gentilitate calcatâ in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum: sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo vrbis: videri & videre: salutare & salutari: laudare & detrahere: vel audire vel proloqui: & tantam frequentiam hominum saltem inuitum videre: à propo-
Rom. 1. sito monachorum, & quiete aliena sunt. Aut enim videmus venientes ad nos, & silentium perdimus: aut non videmus, & superbiæ arguimur. Interdumque vt visitantibus reddamus vicem, ad superbas fores pergimus, & inter linguas rodentium ministrorum postes ingredimur auratos. In Christi verò, vt suprà diximus, villulâ tota rusticitas, & extra psalmos silentium est. Quocumq; verteris: arator stiuam tenens, Alleluia decantat: Sudans messor psalmis se auocat: et curuâ attondens vitem falce vinitor, aliquid Dauidicum canit. Hæc sunt in hac prouinciâ carmina: hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones: hic pastorum sibilus: hæc arma culturæ.

Idem. In templo Dei, vel Hierosolymis, vt quidam putant, vel in Ecclesiâ, vt verius arbitramur, Antichristus sedebit.

Idem in epist: ad Euagrium. Quid enim (inquit) facit, exceptâ ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat? nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes, vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur: Orbis maior est Vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanais: eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.

Idem In Catal. Scriptorum Ecclesiasticorum ait, Petrum in Epist. 1. cap. 5. sub nomine Babylonis figuraliter Romam significare.

Idem. In Proph. Nahum caput. 2. Audistis (inquit Ioannes) quia Antichristus veniet: nunc autem Antichristi multi sunt: tot enim Antichristi sunt, quot dogmata falsa.

Idem. In vitis Patrum narrat, Monachum quendam à dæmone in mulieris venustissimæ forma, ad obscœnos inuitatum fuisse amplexus, qui sua inclinans membra, effectus est, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Atque vbi iam carnalem conaretur inire amplexum, illa teterrimæ vocis vlulatum emittens, vmbra, vt erat tenuis, & phantasma, inter manus amplectentis elabitur ipsumque miserum cum fœdissima irrisione deserit. Vierus libro 2. cap. 46. de præstigijs Dæmonum.

Tichonius Afer.

390. SCripsit de mille annis in Apocalypsi, & de Ecclesiæ incremento: Vbi dicit, quòd iustificati per fidem à morticinijs peccatorum per Baptismum ad vitæ æternæ stipendium suscitamur Imp. 47. Theodos. & Gratiano, Episcopo 36. Syricio.

Pachumius Monachus.

390. HIc fuit fundator Cœnobiorum Ægypti: scripsit regulam vtrique generi monachorum aptam, quam Angelo dictante (vt fertur) perceperat. Scripsit etiam ad collegas suos epistolas, in quibus Alphabetum mysticis tectum sacramentis, veluti humanæ consuetudinis excedens intelligentiam clausit. Mentionem eius facit & Gennadius de Illust. Eccles. Scriptoribus. Sub Imp. Theodos. & Gratiano, Episcopo Syricio. V. S.

Confessio Auricularis.

391. ORis confessio seu, vt vocant, Indicatura, hoc tempore abrogatur eorum qui communicare Cœnam Domini vellent Constantinopoli: & aliquandiu omittitur, hac de causa, quòd isthac occasione quidam Diaconus cum matrona quadam concubuerat. Socrates libro 5. cap. 19. Tripart. lib. 9. cap. 35. Imp. & E. R. V. S.

De Eadem.

HÆc magnum operæ precium præstitit & valdè commodauit culinæ Pontificiæ: quàm primum enim quisquam Princeps vel magni nominis aut rei dominus in confessione prodidit

mali perpetratum à se aliquid, illicò perterrefactus & persuasus fuit, quòd de salute eius actum sit, nec posit saluari, nisi conferat Ecclesiæ bonam partem fortunarum suarum, aut omnibus mundanis valedicat, eaque clericis tradat: ipse autem Monachus fiat: tunc se suis precibus ipsi opem laturos, & ex inferno liberaturos, & sine dubio certißimam illi sempiternæ vitæ spem & copiam facturos. En aucupium.

Prodigium.

HOc anno signum in cœlo quasi columbæ ardentis per triginta dies pendens apparuit. Eo tempore incipiebant traditiones humanæ, Monachatus, & hæresis Pelagiana. Vincentius. Imp. 47. Theodosio. E. R. 36. Syricio. 393.

Amphilochius Episcopus Iconij.

395. CVm Imperator Theodosius ob temporalem in Imperio tranquillitatem sectarijs hominibus, inprimis autem Arrianis, qui Diuinitatem Christi negabant, conniueret: nec Episcopi huius precibus & monitis, de illis toto regno pellendis, acquiesceret: Amphilochius valdè vrbaniter & concinnè huic malo obuiam iuit. Cùm enim Theodosius filium suum Arcadium nuper in Romanorum regem vnxisset, eumque ad latus consistentem habuisset: venit Amphilochius, & Imperatori quidem debitam reuerentiam exhibuit: filium verò nullo planè honore affecit: sed tanquam non videret eum, auerso vultu præterijt. Tum Theodosius digito monstrans Arcadium, monuit Episcopum, vt & filium suum reuerentiâ aliquâ prosequeretur. Sed Amphilochius inquit, satis esse, si patrem honoret. Vnde Imperator existimans, hoc ex contemtu, & pertinaciâ factum esse, nonnihil cœpit commoueri. Hic verò Amphilochius ad Theodosium, Si tu, inquit, ô Cæsar, ob contemtum filij tui tantopere commoueris: quonám animo laturum esse putas Deum, si is videat vnigenitum suum filium tanto ab Arrianis haberi despectui: quos tu tamen Imperator, ac si minimè cerneres, in Imperio tuo sustentas? Vide simile infrà Anno 1595. Imp. Theodosio. E. R. Syricio. vt sup.

Idem. Non enim nobis sanctorum corporales vultus in tabulis coloribus effigiare curæ est, quoniam his opus non habemus, sed illorum virtutum memores esse debemus. Clarè hoc dicto imaginum cultum damnauit.

Epiphanius ex lib. 3. contra hæreses.

VNde est, inquit, simulachrificum hoc studium, & diabolicus conatus? Prætextu enim iustitiæ semper subiens hominum mentem Diabolus, mortalem naturam in hominum oculis deificans, statuas humanas, imagines præ se ferentes, per artium varietatem expreßit. Et mortui quidem sunt, qui adorantur, Ipsorum verò imagines, quæ nunquam vixerunt, (neque enim mortuæ esse possunt, quæ nunquam vixerunt) adorandas introducunt, adulterante mente ab vno & solo Deo: velut commune scortum, ad multam multiplicis coitus absurditatem, irritatum: & quod temperantiam legitimi coniugij vnius viri detriuit. Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus: Reuera virgo erat ipsa virgo & honorata: sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsius carne genitus est, de cœlis verò ex finibus paternis accesit. Et propterea Euangelium munit nos, dicens: quòd ipse Dominus dixerit: Quid mihi & tibi curæ est mulier? nondum venit hora mea: quò non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam virginem, mulierem eam appellauit: velut prophetans, quæ futura essent in terra, sectarum ac hæreseωn gratiâ: vt ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hæresin, eiusque deliramenta dilabantur. Est enim ludibrium tota res & anicularum fabula, vt ita dicam, tota hæresis tractatio. Quæ verò scriptura de hoc narrauit? Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium quidem est vas, sed mulier: & nihil à natura immutata: verùm & intellectu & sensu in honore honorata, velut corpora sanctorum, & si quid amplius ad glorificationem dixerim: sicut Helias ex matre virgo, & sic manens in perpetuum, & translatus, & mortem non conspicatus. Sicut Ioannes, qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat Iesus, sicut Thecla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterij, quâ digna facta est. Sed neque Helias adorandus est, etiamsi in viuis sit: neque Ioannes adorandus, quanquam per preces suas proprias, dormitionem suam admirandam effecerit: imò potiùs ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quisquam sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viuentem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt. 396.

Et in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum Patriarcham sic scribit: Præterea quod audiui quosdam murmurare contra me, qui quando simul pergebamus ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, vt ibi collectam tecum ex more Ecclesiastico facerem, & venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem quis locus esset, didi-

cissemque esse Ecclesiam, & intrassem, vt orarem, inueni ibi velum, pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel sancti cuiusdam: non enim satis memini, cuius imago fuerit.

Cùm ergò hoc vidissem in Ecclesia Christi, contra authoritatem scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent, & efferrent: illique contrà murmurantes dixerunt: si scindere voluerat, iustum erat, vt aliud daret velum, atque mutaret. Quod cùm audissem: me daturum esse pollicitus sum, & illicò me missurum.

Paululum autem morarum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere, arbitrabar enim de Cypro mihi mittendum esse. Nunc autem misi, quod reperire potui, & precor, vt iubeas presbyteros eiusdem loci suscipere velum à latore, quod à nobis missum est: & deinceps præcipere in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi. Decet enim honestatem tuam, hanc magis habere solicitudinem, vt scrupulositatem tollat, quæ indigna est Ecclesia Christi, & populis, qui tibi crediti sunt.

Scripsit quoque contra Encratitas. Attendite vobis, inquit, vt seruetis traditiones, quas accepistis: ne declinetis, neque ad dextram, neque ad sinistram. Quibus infert hæc: Estote memores, dilecti filij, ne in Ecclesiam imagines inferatis, neque in sanctorum cœmeterijs eas statuatis, sed perpetuò circumferte Deum in cordibus vestris. Quin etiam neque in domo communi tolerentur. Non enim fas est, Christianum per oculos suspensum teneri, sed per occupationem mentis. Idem in alijs quoque sermonibus suis, de imaginum subuersione multa dixit: quæ studiosi quærentes facilè inueniunt. Imp. Theodosio & Gratiano. Episcopo Romano Syricio.

Idem. Hic de iustificatione legis sic inquit: Non peruenerunt (Iudæi) ad perfectionem per legem & Prophetas: ita vt amplius seruari non possint, nisi ad Euangelij gratiam reflexerint. De Iustificatione fidei in Anchorato (ideo sic vocatur, quòd instar anchoræ ducat mentem de vita & salute perscrutantem) in hanc loquitur sententiam: In Christo inquiens, omne complementum habitare voluit Deus, & per ipsum reconciliare omnia, pace facta, per sanguinem in cruce. Et alibi. Christus extra passionem, salutem nostram non perficit: sed in eo quòd pro nobis est mortuus, & seipsum obtulit Patri sacrificium pro nostris animis, in sanguine suo mundatione nostra facta, & Chirographo contra nos fisso, & in crucem affixo. Baptismum non esse nudum duntaxat signum, absque vera regeneratione: Sed ablutionem peccatorum nostrorum, asseuerat his verbis: Magna circumcisio: Baptismus circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei. Orationem seu adorationem, non ad sanctos demortuos, sed ad viuum Deum vnum esse dirigendam, hac probat sententia: Non adoramus omne, quod intra ipsius Dei essentiam est, eò quòd soli patri decet adorationem tribuere ingenito, & Filio qui est ex ipso, & sancto spiritui, qui est ab ipso, & per vnigenitum. In cap. contra Collyridianos, &c.

Idem. Sit in honore Maria: Pater, filius, & Spiritus Sanctus adoretur: Mariam nemo adoret.

Idem. Ptolemæus Philadelphus instructissimam suam Bibliothecam omnium gentium & hominum libris cupiens exornatam, resciscens Hierosolymis in Iudæa esse libros diuinos Prophetarum, docentes de Deo, & alia omni vtili doctrina: per Epistolam petit à proceribus Iudææ illos libros. Hi igitur gauisi clementiâ, Regi protinus hos libros aureis literis Hebraicis transcriptos promtè demiserunt: 22. genuinos: 72. verò apocryphos. Rex verò Hebræa ignorans, secundis literis ab eisdem etiam interpretes impetrat 72. iuxta formam, quam fecit Moyses, quando ascendit montem ex præcepto Domini: sex è singulis æqualiter tribubus eligendo viros, vt omnes facerent 72: quanquam Dominus iusserat tantùm 70. eligere: at ille sic cauit inuidiam populi, ne altera tribus alteri exprobraret. Eodem modo & hi 72. electi, & ad Regem missi fuerunt, qui in Pharia insula (superna terra dicta) Alexandriæ in 36. domunculis, par & par in domunculas à matutino vsque ad vesperum conclusi, & vesperi in 36. nauiculis in Regis palatium transeuntes, & cum ipso cibum capientes, & par ac par in cubiculis 36. dormientes, vt ne quid inter se conferrent, sed incorruptè interpretarentur, sic vitam degebant. Pueros autem binos ministros, simul cum binis illis inclusit, ministrandi gratiâ, vnà cum velociter scribendi peritis. Ædiculas autem illas in vlteriore parte in Insulam collocatas, sic extruxit: vt duplices essent singulæ, & neque fenestras ex parietibus haberent, sed supernè ex domibus lux eis introduceretur. Illi verò sic degentes, à matutino vsque ad vesperum claustris conclusi, hoc modo libros sacros interpretati sunt. Singulis autem paribus, vnus tantùm liber vertendus tradebatur: vt bini habuerint Genesin, bini alij in domunculis suis, distinctis quidem, sed contiguis, Exodum, & sic de reliquis.

Omnes igitur sacri libri, eo quo diximus modo, conuersi sunt ex Hebræa in Græcam linguam, per circuitum singulis paribus interpretum traditi, & à primo pari secundo, rursus à secundo tertio, atque sic peruenerunt ad nos singuli sexies ac trigesies conuersi. Postquam verò absoluti fuerunt, consedit Rex in throno alto, itemque

36. lectores, habentes vnusquisque libri 36. conuersa exemplaria: ita vt vnus haberet libri Hebraici exemplar, & vnus ex lectoribus legeret, & alij se continerent, & attenderent, an inueniretur dissensio. At omnes illi viri (mirabile) consenserunt in deserto: & vbi apposita erat dictio vel verbum, idipsum ab omnibus appositum repertum est: vbi verò detraxerant, omnes æqualiter detraxisse comperti sunt. Et quæ quidem detraxerunt, his non est opus: quæ verò non sustulerunt, his opus est. Verùm non immeritò hoc loco quis miretur, quòd Hieronymus, Chrysostomus, & alij cum Epiphanio vno eodemque vixerunt tempore, & tanti ingenij & iudicij viri, tùm in alijs, tùm in hac re, adeò contrarijs sibi inuicem sententijs de his 72. interpretibus scribant: & absurditatem hanc figmenti de illis 72. cellulis singulorum non animaduertant. Constat enim, ipsos non fideliter & sincerè ex omni parte reddidisse omnia secundum veritatem: sed multa omisisse & peruertisse. Testibus Lyrâ, Galatino de arcanis catholicæ veritatis, Thalmudicis, & alijs. De quo plura apud Massæum infrà.

Idola. 398.

ANno 365. à missione Spiritus sancti super Apostolos, facta Hierosolymis, die sanctæ Pentecostes: Coss. Honorio Aug. 4. & Eutychiano, duo Comites isti Gaudentius & Iouius, ex mandato Honorij, omnia Idola, simulachra, & delubra Ægypti diruerunt & desolauerunt. 19. die Martij. D. Hedio in sua Eccle. historiæ parte tertia, libro primo cap. 12. cui annuit & Sigebertus. Imp. Theod. E. R. Syricio.

Augustinus in Euang. Iohan. Tract. 29. cap. 7. 399.

QVi à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Hoc erit, qui vocatur Antichristus, extollens se, sicut Apostolus ait, supra omne, quod dicitur Deus, & quod colitur. Ipsum quippe annuncians Dominus, gloriam suam quæsiturum, non gloriam patris, ait ad Iudæos: Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, & hunc suscipietis. Significauit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflatus, non solidus: & ideò non stabilis, sed vtique ruinosus. Imp. 48. Arcad. & Honor. Episc. Rom. 36. Syricio.

Idem de verbis Domini, super locum Matth. 16. differens, sic ait: Tu es Petrus, & super hanc Petram, quam confessus es: Super hanc Petram, quam cognouisti, dicens: Tu es Christus Filius Dei viuentis: ædificabo Ecclesiam meam: id est: super me ipsum, filium Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines, dicebant: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, Ego vero Cephæ, ipse est Petrus. Et alij, qui nolebant ædificari super Petrum, sed super Petram (dicebant) ego autem sum Christi.

Idem lib. 5. Hypognost. Primum, inquit, locũ fides Catholicorũ diuinâ auctoritate regnum esse credit cœlorum: secundum Gehennam, vbi omnis Apostata, vel à Christi fide alienus, supplicia experitur. Tertium penitus ignoramus: nec esse in scripturis sanctis reperimus. Hæc Augustinus. At Papatus locum fingit esse tertium, vbi quorundam animæ leuiusculis & (vt loquuntur) venialibus peccatis obnoxiæ, priusquam in cœlum ascendant, purgantur: quem idcircò purgatorium ignem appellant: quasi præter Christi sanguinem, qui nostri purgandi causâ effusus est, aut illis agnorum imagunculis, aut hoc imaginario igne sit opus: cùm tamen dilucidè nos scriptura doceat: animos nostros solo Christi sanguine purgari, eorumque labes hoc solo medicamento dilui, 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi Domini nostri purgat nos ab omni peccato. Matth. 26. Sanguis meus pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Cat.

Idem de ciuitate Dei lib. 20. c. 19. In quo templo Dei, vt Deus sit sessurus, incertum est. Vtrum in illâ ruinâ templi, quod à Salomone Rege constructum est: an verò in Ecclesiâ. Non enim templum alicuius Idoli, aut Dæmonis, templum Dei Apostolus diceret. Vnde nonnulli, non ipsum principem, sed vniuersum quodammodo corpus eius, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem, simul cum ipso suo principe, hoc loco intelligi Antichristum volunt. Rectiusque putant etiam latinè dici, sicut in græco est, non in templo Dei, sed in templum Dei sedeat, tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia. Sicut dicimus, sedet in amicum, id est, velut amicus, vel si quid aliud isto genere locutionis dici solet. Ibidem: Quidam putant hoc de imperio fuisse dictum Romano: & proptereà Paulum Apostolum non id apertè scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quasi Romano Imperio malè optauerit, cùm speraretur æternum. Ibidem: Tantùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat: non absurdè de ipso Romano Imperio creditur dictum, tanquam dictum sit: Tantùm qui modò imperat, imperet, donec de medio fiat: id est, de medio tollatur. Et tunc reuelabitur iniquus, quem significari Antichristum, nullus ambigit.

Idem lib. de opere Monachorum. cap. 28. O serui Dei, milites Christi, itáne dissimulatis callidissimi hostis insidias? qui bonam famam vestram, tam bonum Christi odorem, ne dicant animæ bonæ: post odorem vnguentorum tuorum curremus, & sic laqueos eius euadant, omni modo cupiens obscurare putoribus suis, tam multos hypocritas sub habitu Monachorum vsque quaque dispersit circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij membra martyrum, si tamen martyrum, venditant: alij fimbrias, & phylacteria sua magnificant: alij parentes, vel consanguineos suos in illâ, vel illâ regione se audisse viuere, & ad eos pergere mentiuntur: & omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis: cùm intereà vbicunque in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, sub generali nomine monachorum vestrum propositum blasphematur, tàm bonum, tàm sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per Africam pullulare.

Idem. Horum quinque verborum ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, hoc est, Iesus Christus Dei filius Saluator: si primas literas iungas: erit ἰχθὺς id est piscis: in quo nomine, mysticè intelligitur Christus, eò quòd in huius mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate viuus, hoc est, sine peccato esse potuerit.

Idem in Tract. de Antichristo. De Antichristo scire volentes, primò notabitis, quare sic vocatus sit. Ideo scilicet, quia Christo contraria faciet. Christus venit humilis, ille veniet superbus: Christus venit humiles erigere: peccatores iustificare: ille contrà humiles deijciet, peccatores magnificabit, impios exaltabit, semperque vitia, quæ sunt contraria virtutibus, docebit. Legem Euangelicam dissipabit, Dæmonum culturam in mundo renouabit. Gloriam vanam quærens, omnipotentem Deum se nominabit. Hic itaque Antichristus, multos habet suæ malignitatis ministros, ex quibus multi in mundo præcesserunt: qualis fuit Antiochus, Nero, Domitianus. Nos quoq; nostro tempore Antichristos multos nouimus esse. Quicunque enim siue laicus, siue Canonicus, siue monachus, contra iustitiam viuit, & ordinis sui gloriam impugnat, & quod bonum est, blasphemat, Antichristus est, & minister Satanæ. Habebit autem Antichristus magos, maleficos, diuinos, incantatores, qui cum Diabolo inspirante nutrient & docebunt in omni iniquitate, falsitate & nefariâ arte: & maligni spiritus erunt duces eius, & socij semper & comites indiuisi.

Idem de fide & operibus cap. 14. Bona opera, inquit, non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum. Idem & Epistola 120. dicit, Quo nihil clarius dici potest pro gratuita iustificatione. Inquit quoque ibi inter alia: Fratres, Iesum Christum iustum, ipsum habemus aduocatum patrem, ipse est propitiatio peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresin non fecit: hoc qui tenuit, schisma non fecit. Vnde enim facta sunt schismata? cùm dicunt homines, nos iusti sumus: cum dicunt homines, nos sanctificámus immundos, nos iustificamus impios, nos petimus, nos impetramus, &c. De ciborum delectu ita inquit, in libro de Christianis dogmatibus: Bonum est, cibum cum gratiarum actione sumere, & quicquid Deus præcepit, edendum est. Abstinere autem ab aliquibus non quasi à malis, sed quasi non necessarijs, non est malum. Moderari verò eorum vsum pro necessitate & tempore, propriè Christianorum est.

Libro de vera religione cap. 50. inquit: Non sit nobis religio, cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerunt, non sic habentur, vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergò sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Et paulò pòst: Hoc etiam ipsos optimos Angelos velle credamus, vt vnum cum ipsis colamus Deum, &c. Sequitur: Quare honoramus eos charitate, non seruitute, &c. Nec eis templa constituimus, nolunt enim sic se à nobis honorari: quia nos ipsos, cum boni sumus, templa esse Dei nouerunt. Rectè igitur scribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne se adoraret: sed vnum Deum, sub quo esset & ille conseruus, Apocal. 19. & 22. Sic & libro 10. de ciuitate Dei inquit: Sancti nolunt nos sibi sacrificare, sed ei, cuius & ipsi nobiscum sacrificium esse nouerunt. Alibi contendit, mortuos ignorare, quid nos in hac vita agamus. Si ignorant, ergò frustrà adorantur. Purgatorium negat Hypognosticorum quinto.

Primo Retractationum inquit: Non à Petro petra dicitur. Petra enim est Christus. Quare addit, super Petram, non super Petrum esse ædificatam Dei Ecclesiam. Item in fine de Agone Christiano, contendit, toti Ecclesiæ, non vni Petro claues traditas esse. Addit post pauca: Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam habere potestatem remittendi omnia peccata. Itaque miseri, dum in petra non intelligunt Petrum, & nolunt credere datas claues regni cœlorum ipsi, eas de manibus amiserunt.

Inquit in libro de bono coniugali, quod dictum & dist. 27. repetitur: Quidam, nubentes post votum asserunt, adulteros esse. Ego autem dico vobis, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt. At hodie Papistis id non graue peccatum, sed sanctißimum, Deoq; gratißimum opus est.

Affirmat: Ioannem ideò digito monstrasse Christum, & affirmâsse, quod ipse tollat peccata mundi, quò præueniret sequuturos hæreticos, qui erant docturi, quòd ipsi tollant peccata mundi.

De moribus Sacerdotum inquit: Solas tantùm libidines iam plerique in Sacerdotibus reprehendunt, cùm sint & alia plurima & maxima eorum peccata.

Augustino & illud dictum quidam tribuunt: Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem: Quo verè status, ac ruina Ecclesiæ depicta est.

Idem. Remotis ergo omnibus talibus, Ecclesiam suam demonstrent, si possunt, non in sermonibus & rumoribus Aphrorum: non in concilijs Episcoporum suorum: non in literis quorumlibet disputatorum: non in signis & prodigijs fallacibus: sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus canonicis sanctorum librorum authoritatibus.

Idem. Contra Donatistas lib. 6. ait: Lupos lupis characterem imprimere.

Idem in libro de verbis Domini. Reprehendens arrogantiam paparum, qui se Deos appellari patiuntur, inquit: Qui vult videri Deus, cùm sit homo: non imitatur illum, qui cùm Deus esset, pro illo factus est homo.

Idem ad Psalmum Dauidis, Antichristum describens ait: Multum irascitur Dominus, dum non exquirit, dum quasi obliuiscitur, & non attendit peccata: & per fraudes, & scelera, ad diuitias, honoresque peruenitur, quod maximè in illo Antichristo euenturum est, qui vsque adeò beatus videbitur hominibus, vt etiam Deus putetur.

Idem. Cùm Augustinus iuxta Dorocæstriam prædicaret, gentes illius loci caudas Rariarum vestibus illius appendebant: Hinc puniti ipsi & eorum posteri, caudas sicut pecudes referuntur habuisse. Guill. Nangias.

Idem. lib. Epist. Epist. 118. ad Ianuarium. Ego verò de hac sententiâ, etiam, atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cœlesti oraculo susceperim. Sensi enim sæpè dolens, & gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentiosam obstinationem, & superstitiosam timiditatem: qui in rebus huiusmodi, quæ neque Scripturæ sanctæ autoritate, neque vniuersalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ vtilitate, ad certum possunt terminum peruenire, tantùm quia subest qualiscunque ratio cogitantis, aut quia in suâ patriâ sic ipse consueuit, aut quia ibi vidit, vbi peregrinationem suam quò remotiorem à suis, eò doctiorem factam putat: tàm litigiosas excitant quæstiones, vt nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.

Idem. Nos ergo qui sumus, vocamurque Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus.

Idem Augustinus, in Epistola ad Ianuarium, tradidit Christianam religionem ita traditionibus humanis ac ritibus onerari, vt Iudæorum conditio facilior fuerit, sub lege: quàm Christianorum sub ipso Euangelio.

Idem lib. de vnit. Eccles. cap. 10. Quia nec Catholicis Episcopis consentiendum est: sicubi fortè falluntur, vt contra canonicas scripturas aliquid sentiant.

Idem. Non apparet, inquit, vtrum ex proposito seruitutis Dei venerint, an vitam inopem & laboriosam fugientes, vacui pasci ac vestiri voluerint, & insuper honorari ab ijs (serui à Dominis) à quibus contemni conterique consueuerant.

Idem in Psal. 9. Quia ille ad tantum culmen inanis venturus creditur: tanta ei licebit facere, & in omnes homines, & in sanctos Dei, vt tunc verè nonnulli infirmi arbitrentur, Deum res humanas negligere. Item, quòd Reges omnes superaturus sit, & solus regnum obtenturus, quandoetiam secundum Apostolum, qui de illo prædicat, in templo Dei sedebit, extollens se super omne quod colitur, & quod dicitur Deus. Et quoniam traditus in concupiscentiam cordis sui, & damnationi vltimæ destinatus, per nefarias artes ad illud vanum, & inane culmen dominationemque venturus est, vim habebit in imperio, dolum in miraculis.

Idem in 4. de Trinitate. Notandum est, eodem die hominem primum de terra formatum, & ipso die lapsum, & post 930. annos quoque defunctum fuisse.

Lud. Viues in scholijs ad Augustinum 27. lib. 8.

MVlti Christiani in re bona plerunque peccant, quòd diuas diuasque non aliter quàm Deum colunt: Nec video in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & id quod gentiles putabant de suis Dijs.



399.

Ordo S. Augustini.



DE ordine hoc authores diuersa tradunt, Polyd. Ambrosius, Posidon. in vita Augustini, Vestes, inquit, Augustini & calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, & nitida non nimium, nec abiecta plurimum: sed medium tenebat.

VVimpfelingus, qui vixit anno 1490. scribit, Augustinum non fuisse Monachum, nec fratrem Mendicantium. Posidon. tradit, habitasse quidem Augustinum in monasterio à se extructo, sed cum doctis, & Theologiæ Studiosis: vixisseque secundum Regulam Apostolorum: & dedisse ex suâ scholâ Ecclesijs Episcopos & Clericos, viros doctos. Felix illud tempus & vita Cœnobitarum, quamdiu in hoc proposito permansit. Felicius, si ad eundem statum reformaretur hodie. Pugnant Canonici Regulares, & Eremitæ Augustinenses, non solùm de origine, sed & de habitu: videlicet nigramné ille stolam super albâ tunicâ, an candidam super nigrâ induisset? Sed cùm veritas huius rei esset in occulto, Romanenses iudicium reiecerunt ad pictores & statuarios. Seb. Brand scribit aliam non habuisse quàm nigram: Regulam nullam, quàm Euangelium, & Apostolorum vitam. De Regula Augustini, quæ ab ipso scripta dicitur, magnus ille Erasmus ita iudicat, nihil eos habere frontis, ac mentis, qui tales nænias ascribant tali, tantoque viro, vt apud eum. Ipse Augustinus negat, se vsurum pileo rubro. Decet inquit, Episcopum, at non decet Augustinum: nec vsquam se vocat Monachum, nec suos Clericos. Polydorus, & alij docti multum de Regulis illis, quæ Augustino, Hieronymo & alijs ascribuntur, dubitant, imò negant, illorum esse. Vt apud illos. Hospinianus refert 28. ordines, qui sub Augustini Regula militant: & tamen vestitu, exercitijs, & vitæ præceptis inter se differunt: De quo etiam Alphonsus Aluares Guerrera. Imp. 48. Arcadio, E.R. 36. Vrsino Syricio.

Ruffinus lib. 1. hist. Eccl. cap. 9.

Theodor. lib. 1. cap. 22.

400. TYrius quidam fuit Philosophus, Meropius nomine: Is lustrandæ terræ causâ Indiam adijt, secum ducens duos pueros, fratris filios, quos in disciplinam sibi traditos habebat: Ædesius iunior, Frumentius maior natu dicebatur. Lustratis ergo quas animo conceperat terris, naui redire parat, ac cùm vel aquæ, vel cæterorum necessariorum causâ, ad portum quendam nauem appulissent, à Barbaris inuaduntur: cæditur Philosophus cum nautis & alijs: duobus pueris, ob ætatem, ac quam præ se ferebant faciei pulchritudinem, parsum est. Capti tamen, ad Regem eius loci adducti sunt. Paruo tempore Rex cognitâ eorum indole, Ædesium à poculis, Frumentium verò, quia & ingenio ac arte superabat, ab arcanis & rationibus esse fecit. Atque cùm in his fideles sese maximè comprobassent, magno in honore apud Regem ac omnes prouinciales habiti sunt. Rex moriens, vxorem cum filio paruulo, Regni hæredem reliquit, adolescentibus autem liberam quæ vellent agendi facultatem concessit. Quos domum redire parantes, Regina multis precibus exoratos, vt manerent retinuit, Frumentioque in curâ Regni maximè vsa, donec puer adoleuit. Itaq; cùm Frumentio Regni gubernacula concredita essent, Deo mentem eius & animos instigante, solicitus, de mercatoribus Christianis requisiuit, quibus honoratis potestatem dedit, per singula loca conuenticula faciendi, Christianoq; ritu orationes & cætera pietatis officia celebrandi. Ipse quoque non minùs in hoc sedulus esse, cæterosque cohortari, fauore & beneficijs inuitare, ac quicquid opportunum fuisset præstare, loca ædificijs, aliaque necessaria præbere, & omni modo gestire, vt Christianorum semen verusque Dei cultus illic exurgeret. Sed cùm puer Regius adoleuisset, cui procurationem Regni gerebant, expletis omnibus & ex fide traditis, multum licet detinentibus & rogantibus, vt manerent, Regina cum filio, ad patriam tamen illi redeunt. Aedesius Tyrum festinat, vbi postmodùm presbyter factus mansit. Frumentius Alexandriam pergit, Athanasioque, qui tum ibi Episcopalem dignitatem obtinebat, rem omnem, vt sese circa religionem Christi apud Indos haberet, ordine pandit. Vtque miserorum hominum & ipse misertus, quo ad plenam Christi agnitionem peruenire possent, Episcopum eis mittat, obnixè rogat. Quo audito, Athanasius concilio sacerdotum congregato, reque omni diligentiùs considerata, Frumentio dicit: Et quem alium inuenimus virum talem, in quo sit Spiritus Dei, sicuti in te est, qui hæc ita possit implere? Et tradito ei sacerdotio, redire eum cum Domini gratiâ, vnde venerat, iubet. Qui in Indiam veniens, tantâ miraculorum virtute claruit, vt infinitus Barbarorum numerus, paruo momento ad Christi fidem conuersus fuerit. Hæc Ruffinus se ex Aedesio illius socio audiuisse testatur. Imp. 48. Arcadio E. R. 37. Anastasio.

Idem libro 2. cap. 25. Sacerdos erat apud eos Saturni, Tyrannus nomine: hic quasi ex responso numinis, adorantibus in templo nobilibus quibusque & primarijs viris, quorum sibi matronæ ad libidinem placuissent, dicebat, Saturnum præcepisse, vt vxor sua pernoctaret in templo. Tum is qui audierat, gaudens, quòd vxor sua dignatione numinis vocaretur, exornatam insuper & donarijs onustam, ne vacua scilicet repudiaretur, coniugem mittebat ad templum. In conspectu omnium conclusa intrinsecus matrona. Tyrannus clausis ianuis, & traditis clauibus discedebat. Deinde facto silentio, per occultos & subterraneos aditus, intra ipsum Saturni simulachrum patulis erepebat cauernis. Erat autem simulachrum illud à tergo exesum, & parieti diligenter annexum. Ardentibusque intra ædem luminibus, intentæ supplicantique mulieri vocem subitò per simulachrum æris concaui proferebat: ita vt pauore & gaudio infelix mulier trepidaret: quòd dignam se tanti numinis putaret colloquio. Posteaquam verò quæ libitum fuerat, vel ad consternationem maiorem, vel ad libidinis incitamentum disseruisset numen impurum, arte quadam linteolis obductis, repentè lumina extinguebantur vniuersa. Tum descendens, obstupefactæ & consternatæ mulierculæ adulterij fucum, prophanis commentationibus inferebat. Hæc cùm per omnes miserorum matronas multo iam tempore gererentur, accidit, quandam pudicæ mentis fœminam horruisse facinus, & attentiùs designantem, cognouisse vocem Tyranni, ac domum regressam, viro de fraude sceleris indicasse. Ille de iniuria coniugis, imò potiùs suâ ardentiùs inflammatus, inscriptum Tyrannum ad tormenta deducit. Quo conuicto atque confesso, cæcisque fraudibus reuelatis, pudor omnis & decus Paganorum peruaserat domos, adulteris matribus, incestis patribus, liberis spurijs deprehensis. Quibus diuulgatis & proditis, raptim cum simulachris & ædibus excitabantur & crimina.

Idem. Inter varia scripsit etiam super benedictione Iacob, triplicem sensum: historicum, moralem, & mysticum.

Sisinnius, Colloquia causam esse dissidiorum in Ecclesia. 440.

SIsinnius Nouatianus contra Nectarium, hist. Trip. lib. 9. cap. 8. affirmat, disputationes non tantùm non tollere controuersias & discordiam: sed potius augere, & dissidijs causam præbere.

De quo etiam Gregorius Nazianzenus, Hieronymi præceptor rectè dicit: Si veritas dicenda est, existimo, fugienda esse concilia omnium Episcoporum: finem namque bonum vllius concilij nunquam vidi: neque abrogationem vllius mali, sed tantùm ambitionem, contentionem & rixas de prærogatiuis & dignitate. Imp. & P. P. vt sup.

Finit Centenarius quartus.



CENTENARII QVARTI
IMPERATORES.

Christi.	Vum.	
305	48	Fl. Valerius Constantius &
	49	C. Galerius Valerius Maximianus.
307	50	Flauius Valerius Constantinus Maximus.
	51	Aurelius Maxentius.
	52	C. Galerius Maximinus.
	53	Licinius.
337	54	Fl. Valerius Constantinus Iunior, &
	55	Fl. Iulius Constantinus Iunior, &
	56	Fl. Valerius Constans. vnâ
362	57	Fl. Claudius Iulianus.
363	58	Fl. Iouianus.
365	59	Fl. Valentinianus.
365	60	Fl. Valens.
367	61	Fl. Gratianus.
376	62	Fl. Valentinianus Iunior cum illo. Solus.
379	63	Fl. Theodosius Magnus.
383	64	Fl. Arcadius.
394	65	Fl. Honorius.

PONTIFICES.

304	31	Marcellus Romanus.
310	32	Eusebius Medicus Græcus.
311	33	Miltiades Afer.
314	34	Siluester Romanus.
336	35	Marcus Romanus.
336	36	Iulius Romanus.

Anno

Christi.	Num.	PONTIFICES.	Anni	Mes.	Dies.
353	37	Liberius Romanus.	13	4	17
355		2. Felix 2. Iunior Romanus.	10	3	11
366	38	Damasus Vinarensis Lusitanus Hispanus.	18	2	11
366		3. Vrsicinus Romanus.	1	1	23
384	39	Siricius Romanus.	13	1	25
398	40	Anastasius Romanus.	3	0	21

		CONCILIA.	Sess.	Epis.	Can.
303	26	Sinuessanum.			
	27	Eliberinum in Hispania.			81
	28	Romanum 6.			
313	29	Arelatense 1.			
	30	Carthaginense 3.			23
314	31	Arelatense 2.			
316	32	Ancyranum.			37
316	33	Neocæsariense.			24
325	34	Nicænum.			14
	35		318		84
325		Romanum 7. & 8.			
	36				
328	37	Romanum 9.			
	38	Tyrium.			
335	39	Hierosolymitanum.			
342	40	Romanum 10.			
345	41	Antiochenum 4.			
346	42	Coloniense.			
347	43	Sardicense.			21
348	44	Hierosolymitanum 3.			
348	45	Alexandrinum.			
350	46	Syrmiense.			12

CON-

CONCILIA.

Christi.	Nũ.		Episc.	Sess.	Can.
354	47	Mediolanense.			
359	48	Ariminense.			
359	49	Seleucianum.			
360	50	Constantinopolitanum.			
	51	Cæsariense 2.			
	52	Ponticum 2.			
361	53	Gangiense.			
	54	Melitinense.			
	55	Antiochenum. 5. & 6. & 7.			
	56	Alexandrinum 2.			
362	57	Nicænum 2.			
	58	Macedonianorum.			
	59	Maiumenum.			
363	60	Antiochenum 8.			
	61	Alexandrinum 3.			
364	62	Laodicenum 2.			59
364	63	Illyricianum.			
	64	Lampsacenum.			
	65	Sicilianum.			
	66	Tarsense.			
365	67	Antiochenum 9.			
	68	Cariæ.			
	69	Tyanesis.			
367	70	Pazense Phrygiæ.			
368	71	Romanum 11.			
373	72	Valentinum.			
	73	Constantinop. 2.	150		7
381	74	Aquileiense.			
	75	Romanum 12.			
382	76	Constantinop. 3.			
383	77	Constantinop. 4.			

Christi.	Num.	CONCILIA.	Epis.	Sess.	Can.
386	78	Angari Bithyniæ.			
394	79	Carthaginense 4.			12
	80	Carthaginense 5.			
	81	Taurinas.			
	82	Capuanum.			
397	83	Carthaginense 6. & 7.			
398	84	Carthaginense 8.			
	85				
400	86	Cyprium.			
	87	Alexandrinum 4.			
	88	Toletanum.			20

ORDINES.

Ordines quorum apud Historicos fit mentio post Christum natum sunt:

341. *Ord. Thabenesiotarum.*
366. *Ord. Publiæ Religiosæ fœminæ.*
384. *Ord. S. Basilij.*
399. *Ord. S. Augustini.*

DOCTI VIRI.

Arnobius Afer.
Miltiades Episc. Romanus.
Lactantius.
Eusebius Cæs.
Iambilychus.
Arrius. 320.
Spiridon.
Iuuencus.
Athanasius.
Palladius Monachus.
Iulius Firmicus Astronomus. 340.
Liberius Papa.
Ammianus Marcellinus.
Hilarius Pictauiensis.

Vigilantius.
360. *Martinus Turonensis.*
Iulianus Apostata.
Eunomius Monachus.
Damasus.
Ambrosius.
Vegetius de re militari.
Ephrem Syrus.
Aurelius Prudentius.
380. *Euagrius Monachus.*
Gregorius Nazianzenus.
Haymo.
Hieronymus.
Tichonius Afer.
Pachumius Monachus.
Amphilochius.
Epiphanius.
Ruffinus.
Sisinnius.
400. *Sex. Aurelius Victor.*



LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS QVINTVS.

Rabina & Rabasse. 402.


QVidam Thalmud à Rabina & Rabasse, hoc tempore collectum asserunt. Naucle-rus & alii. Imp. & E. R. vt sup.

Vigilius. 409.

VIgilius præsul Tridentinus vxoratus, ob impugnatam idololatriam, lapidibus obruebatur, circa annum Domini 410. ætatis suæ anno 40. Imp. 48. Arcadio. E. R. 38. Innocentio.

Terribile. 410.

VTicæ terra septem diebus mugitum dedit. Sigebertus. Imp. 48. Arcadio. Epis. Rom. 38. Innocentio.

Io. Chrysostomus tomo primo, Homilia 87.

ex Cap. Matthæi 26.

PRopterea os aperire non possumus: quia non melius ecclesia, quàm secularia gubernantur. Non audistis, quia nec quidem has pecunias, quæ absque labore fuerunt collectæ, distribuendas putauerunt Apostoli? Modò autem in procuratores, dispensatores, caupones redacti sunt Episcopi, imò verò istos, etiam curæ, & solicitudines secularium rerum superârunt. Cumque oporteat ipsos animarum habere curam nostrarum, hoc prætermisso, illud solicitè curant, quæ publicanis, quæstoribus, atque villicis curanda sunt, de his quotidie cogitant, & peruigilant. Hoc non frustra deploro, sed vt harum rerum mutatio quædam in melius fiat, vt & nos qui grauem hanc seruitutem patimur, misericordiam consequamur: & vos fructus, & thesauros Ecclesiæ præparetis. Si autem ita facere non vultis, ecce ante oculos vestros pauperes sunt, ex quibus quotquot potuerimus alere, non negligemus: quos verò non possumus, vobis dimittemus, quos alite oro diligenter, ne in terribili die iudicii illa verba quæ aduersus immisericordes dicentur, audiatis. Famescentem me vidistis, & non aluistis. Hæc certè inhumanitas nos quoque vobiscum derisibiles facit. Orationibus enim, atque prædicatione, cæteroque cultu Ecclesiæ prætermisso, alii frumentorum venditoribus, alii cauponibus per totam vitam colluctantur: vnde iurgia, contentiones, conuitia, opprobria quotidiè oriuntur, & vnicuique sacerdotum secularibus idonea negotijs imposita nomina sunt: oportet igitur in talia hæc mutari, & inde presbyteros nominari. Vnde Apostoli leges sanciebant, à nutritione videlicet inopum, ab eorum qui lædebantur, protectione, à diligenti erga peregrinos cura, à patrocinio eorum qui opprimuntur, in orbos parentibus cura, à protegendis viduis, à defendendis virginibus. Hæc officia loco villarum, & domorum curæ, presbyteris distribuere decet. Hæc ornamenta ecclesiæ sunt, isti conuenientes thesauri, qui & vobis faciliorem vitam, & nobis fructuosiorem præbere possunt, imò verò nobis non paruam quoque afferent vtilitatem. Gratia enim Dei, centum millia hominum huc conuenire opinor, quorum singuli si vnum panem quotidie paupertati offerrent: omnes certè pauperes abundarent: si vnusquisque obulum solummodò, nemo penitus indigeret, & non adeò villis, & agris attenti essemus, nec tot iurgia & conuitia quotidie pateremur. Illud enim Euangelium: Vade & vende vniuersa quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me, oportunè nunc ad Ecclesiæ præsides, propter latas ecclesiarum possessiones, & meritò dici potest. Non enim sequi Christum aliter possumus, quàm si omnis secularis curæ simus expertes. Nunc verò proh dolor vindemiæ, ac messi sacerdotes Dei, & venditioni, ac emptioni fructuum assistunt: & illi quidem, qui figuræ, ac vmbræ cultum habebant, quamuis corporalior eis administratio esset commissa: omnium tamen harum rerum erant immunes: nos verò qui ad penetralia cœli vocamur, quique ad vera sancta sanctorum ingredimur, mercatorum rursus, & cauponum curas suscipimus. Vnde & magna scripturarum oritur negligentia, ingens in orando segnities, & cæterorum omnium contemptus. Non enim possibile homini est, sufficienter studio, atque operâ in vtramque distendi. Imper. 48. Arcadio. Episcop. Rom. 38. Innocentio. 1.

Idem in tomo 3. sermone de Pentecoste. Dixit Christus: cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt: faciliùs est cœlum præterire, & terram deuocari, quàm verba mea ex-

cidere. Quæ autem sunt verba eius? Adducamus in medium: videamus ne fortè interciderint, non dubitans dico, sed hæreticos obcludo. Quæ ergò sunt verba? cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Qui sermones, quæ verba? Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Super hanc Petram, non dixit, Super Petrum: non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides, ? Tu es Christus filius Dei viui. Petram vocauit Ecclesiam, fluctus suscipientem, & non titubantem. Etenim Ecclesia tot suscipit tentationes: non tamen vincitur. Quid est super Petram? hoc est, super confessionem, super sermones pietatis. Si forsitan interrogabis: vtrum hæc ædificatio suscipiat lapides, aut ligna, aut ferrum, non inquit, nec enim est sensibilis ædificatio: quòd si talis esset, solueretur tempore: Confessionem autem pietatis neque dæmones, neque vlla creatura vincere potest. Testantur martyres, quorum latera radebantur, sed fides non frangebatur.

Idem Homil. 11. in Matth. super illud: Cauete à Pseudoprophetis, inquit, Et vndè tibi frustrà Christianum nomen imponis, qui Christum in eius seruis persequeris? Affectas vocari, quod operum simulatione mentiris. Nomen tuum Christianum sonat: sed facta Antichristum monstrant. Sub nomine nomen impugnas, sub lege legem debellas, persequeris fidem, quàm te profiteri simulas: nec te iam in aliquo occultas vt lateas, qui proditus es, quod latebas.

Idem. Non autem ita veniet genua flectens: sed elatus super omnem qui Deus dicitur, aut numen, adeò vt in templo Dei velut Deus sedeat, ostentans seipsum esse Deum. In 1. Cap. 2. ad Thessalonicenses, homiliâ 1. Item Homiliâ 4. Atqui de Antichristo multa prædicta sunt, nempè quòd sit iniquus: quòd sit filius perditionis; quòd aduentus illius sit futurus secundum operationem Satanæ.

Idem in Matthæum cap. 23. Homilia 43. Quid ergò dicit de sacerdotibus? super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, id est, multi sacerdotes, & pauci sacerdotes. Multi nomine, pauci opere. Videte ergò quomodo sedetis super eam: quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos est: qui benè sederit super cathedram, honorem accipit ab illâ: qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ. Ideoque malus sacerdos, de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim sedens, siquidem benè vixeris, & benè docueris, & omnium Iudex es. Si autem benè docueris, & malè vixeris: Deum instruis, quomodo te punire debeat. Item. Quicunque desiderauerit primatum in terrâ, inueniet confusionem in cœlo: nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit. Nec quisquam eorum studeat, quomodo maior: sed quomodo omnibus inferior appareat: quoniam non qui maior fuerit in honore inter homines, ille est iustior: sed qui fuerit iustior, ille maior.

Idem. Chrysostomus ait. Non gaudent martyres, quoniam honorantur cum pecuniis, quas quidem fraude vel violentiâ à pauperibus plorantibus exactionantur. Qualis est illa iustitia, munerare mortuos, & exspoliare viuos? quomodo sunt iusti qui spoliant, & ædificia sanctorum faciunt, habitationem hominum componunt, & habitationes Dei destruunt? Vis domum Dei ædificare, da fidelibus pauperibus vnde viuant, & ædificasti rationalem domum Dei: In edificiis enim homines habitant, Deus autem in hominibus sanctis.

Idem in Matth. cap. 20. homil. 66. Ita gentium moris esse ostendit, prima quæque appetere. Tyrannica enim hæc passio est, & nonnunquam eximios etiam viros perturbat: quapropter, cùm vehementiore castigatione indigent, acriùs etiam ipse insurgit, comparatione gentium ægrotantem ipsorum animum retinens. Ita horum quidem inuidiam, illorum verò arrogantiam succidit: quasi magna voce dicens: Nolite tanquam contempti commoueri. Nam qui primatum quærunt, sibi ipsis dedecori sunt, ignorantes, hoc se pacto in infima se detrudere. Non enim externis similia nostra sunt: nam apud gentes, qui principes sunt, ipsi dominantur: apud me autem, qui vltimus est, is summa tenet. Hæc, ne sine causa dicta putetis, ex factis dictisque meis facilè comprobantur.

Idem Chrysostomus ait: Si videris hominem Christianum: statim considera: si confessio eius conueniat cum scriptura: verus est Christianus: si non est, quemadmodum Christus mandauit, falsus est. Vnde hoc? Ipsa doctrina cum Apostolicâ comparata, ex diuersitate & contrarietate pronunciabit, non esse Apostoli alicuius auctoris, neq; Apostolici: vt quidem loquitur Tertullianus.

Idem in tomo 2. homilia 4. in cap. Matth. 2. Sub principe Iuliano, qui omnes impietate superauit, multa ac suprà quàm credi fas sit acciderunt.

Iudæis enim templum Hierosolymis reædificare conantibus: de fundamentis, ignis exiliens, à cœpta illos ædificatione deterruit.

Et cùm idem prophanus, sacrata Deo vasa temerando, ebrietatem suæ mentis ostendit: quæstor regalis ærarij, per medium repentè diruptus est.

Tunc etiam eiusdem regis auunculus, nominis quoq; illi communione coniunctus, vermibus exesus interijt, quando & fontes quoque sacrificijs ibi peractis aruerunt.

Tunc etiam fames, quæ vnâ cum rege ingruit in vrbes, signum maximum fuit. Vide suprà plura sub titulo Iulian. Ap. Imp.

Idem. Super epistolam ad Titum contendit, Euangelium omnia ad salutem necessaria continere, nihilque ei esse addendum.

Idem in canone. Homo (inquit) Christianus fortiter cadit in peccatum, propter duas causas: aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis. Hæ igitur duæ periclitandi causæ, ecclesiasticos viros fortiter ruere cogunt.

Idem. Sanctorum etiam inuocationem detestabatur: nam in Homelia 12. laudat mulierem Cananæam, quòd non quæsiuerit Petrum, Ioannem aut Iacobum mediatorem: sed ad summum bonitatis fontem, nempe Christum, rectà perexerit. Super Matthæum, reprehendit duriter sacerdotes: quòd ægrotantibus de collo Euangelia suspendebant, sicut in Papatu Euangelium Ioannis: ac dicit esse impietatem. Hom. 4. inquit, Sacerdotis tantùm est, arguere, liberamque præstare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec iacula mittere. Quid hodiernus Papa? Illud quoque de sacerdotum peruicacia apud eum obseruatu est dignissimum: Clerici peccantes difficilè pœnitentiam agunt. Alibi affirmat, sacerdotum culpa potissimum fieri, vt vulgi mores sint corrupti. Idem dicit: Sicut omne bonum à sacerdotio, ita & omne malum egreditur.

De statuis porrò aut imaginibus Sanctorum inquit: Nos per scripta, sanctorum vtimur præsentiâ: non sanè corporum ipsorum, sed animarum imagines habentes. Nam quæ ab ipsis dicta sunt, animarum illorum imagines sunt.

Idem. Sicut Sacerdotes, vel propter vanam gloriam, vel propter auariciam condemnârunt Christum ad mortem, cogitantes, quia si retineant Christum, ipsi sacerdotes esse non possent, secundum legem, nec solennia illa lucra percipere: Ita nunc impij Sacerdotes & Scribæ, verbum veritatis dignum iudicant interitu, cogitantes, quia si illud retinerent, ipsi sacerdotes esse non possent, nec sacerdotalia lucra percipere.

Idem de sanctimonialibus sui seculi tomo 4. homilia Epi. 1. Tim. 2. nona, circa finem. Nempe idcirco irrident vos seculares mulieres, quòd honestissimum virginitatis nomen & insigne pulcherrimum perdidistis. Nemo iam virginem diuino honore prosequitur, quippe se ipsas huiusmodi honore priuarunt. Nonne eas oportuit ita in Ecclesia esse venerandas atque mirabiles, ac si de cœlo descenderent? At nunc despectæ penitus sunt, sui vitij causa.

Ex eodem. Habes apud Chrysostomum, qui duo ex discipulis Christi ad adducendam asinam fuerint missi: Nempe Petrus & Philippus: & quare asina fuerit, & non asinus: Item quare ex alijs hi duo missi fuerint: mysterium. Homilia 4. in Matth. vide.

Idem. Nunc quando vides, quòd Sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum, qui montes & colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa: quomodo dubitetur, quòd finis sit mundi? Et alibi inter notas Antichristi recenset, quando Episcopatus super Episcopatum insurgit.

In Epistolam ad Thess. 2. Homilia 4. Verba Chrysostomi de futuro Antichristo: Quid ergò est inquit, quod detinet ad reuelandum ipsum (Antichristum) hoc est, quod prohibet, ne reueletur. Alij quidem dicunt. spiritus esse gratiam: Alij verò, Romanum Imperium, quibus ego potissimùm astipulor &c. Ita sanè & hic dicit, tantùm qui tenet in præsentia teneat, donec è medio fiat. Hoc est, quando è medio sublatum fuerit Romanum Imperium: tunc veniet ille, & non absre, donec enim Imperij illius timor fuerit, nemo Antichristo statim subdetur: nec habebit Antichristus eum aditum, vt faciat quæ velit. Quando verò istud destructum fuerit Imperium, vacantem Imperij principatum inuadet, & tentabit ad se rapere & hominum, & Dei Imperium. Quemadmodum enim regna illa destructa sunt, quæ ante Romanum fuerunt Imperium, scil. Regnum Medorum à Babylonijs: Babyloniorum à Persis: Persarum à Macedonibus: Macedonum à Romanis: Ita & Regnum Romanorum ab Antichristo, & iste à Christo, & postea non ampliùs obtinebit. Et ita nobis Daniel cum magna claritate tradit: Et tunc inquit, reuelabitur ille iniquus. Et quid post ista? Propè tum aderit consolatio.

Rixa Epiphanij & Chrysostomi.

FVit rixa inter Epiphanium & Chrysostomum: adeò vt ille huic diceret: spero, quod non morieris Episcopus: Ad quod hic respondisse fertur: Spero te ad tuam patriam non redire. Vtrumque impletum fuisse dicunt. Nam & Epiphanium in via mortuum: & Chrysostomum, quia Eudoxiæ Imperatrici, & Clericis suis, quorum mores corrigere nitebatur, odiosus factus fuerit, in exilio obijsse tradunt. Otto Frис.

Mirabile.

IVdæus quidam, cùm quæstus causa sæpè in multis hæreticorum ecclesijs baptizatus fuisset, venit etiam ad Ecclesiam orthodoxorum, sub eadem intentione baptizandus: & cum baptizari deberet, aqua fontis subitò disparuit, & iterum allata aqua & fonte repleto, iterum atque iterum aqua disparens, virtutem Dei, & Iudæi perfidiam ostendit. Sigebertus, Imp. 49. Theodos. iuniore. E. R. vt sup. 416.

Christus visus in nube.



419. HOc anno Dominus noster Iesus Christus in nube, supra montem oliueti Ierosolymis manifestè conspectus est: quo viso sane multi hominum ad religionem Christianam sunt conuersi, & hominibus illabebantur cruces in vestimenta: item terræmotus fiebat ingens in Palestina, qui multas vrbes & pagos diiecit. Marcellinus Imp. 49. Theod iuniore Ep. Rom. 38. Innocentio 1.

Paulinus Nolanus Presbyter.

419. IN vita D. Ambrosij scribit: Examen apium inquit, eius ora lustrauit: in eaque ingressum it: dein exiens, altissimumque volans, seque inter nubila condens, paternos aspectus aliorumq;, qui aderant, visus elusit. Quod præsagium, tauos nobis indicâsse disserunt: qui cœlestia dona annunciarent, & mentes hominum de terris ad cœlum erigerent. Imp. & E. R. vt sup.

Eudoxia.

420. HÆc vxor Theodosij Iunioris Imp. supra modum docta & literis imbuta scripsit poemata: extant eius Homerocentrona, id est, cento confectus ex Homero, de Christo Domino.

Proba Falconia.

420. HÆc matrona Romana, viri proconsularis vxor, scripsit Vergilio centonem, quem Eudoxiæ misit. Qui miro est artificio concinnatus, Ex Virgilianis enim versibus, omnem Christi Seruatoris vitam explicauit, quæ extat Francofurti edita.

Idem. Paulinus Nolæ Episcopus, multos captiuos bonis Ecclesiasticis redemit: deficiente demum auro argentoque, semetipsum pro viduæ filio in seruitutem dedit: qua pietate moti Barbari, cum magna captiuorum multitudine, liberum in Patriam redire permiserunt. Diac.

Eusebius Emisenus.

420. DE Antichristo, homiliâ Dominicæ secundæ aduentus: Illud vnum cornu, in cuius ortu tria cornua euulsa sunt, quod habebat oculos, & os loquens ingentia, Antichristus erit, alijs Regibus fortior, & potentior. Qui postquam tres illos Reges superabit, in tantam superbiam eleuabitur, vt contra altissimum loqui, & ore nefario Deum se dicere non timeat. Plenus namque spiritu Satanæ, virtutes multas & miracula arte diabolicâ operabitur: & alios quidem signis, alios verò gladijs ad suam voluptatem conuertet. Præliabitur autem contra sanctos: quia venient tunc Enoch, & Elias: quos, quia ratione superare non poterit, gladijs interimi faciet. Item homiliâ feriæ tertiæ post Lætare: Qui à se ipso loquitur, gloriam propriam quærit. Quibus verbis Antichristum notat, thesaurum malitiæ, & perditionis filium. Qui, vt Apostolus ait, aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Hic ergò cum venerit, à se ipso loquetur, sua se auctoritate venisse, non à Deo missum dicens: nec Dei, sed suam quæsiturus gloriam. Et paulò pòst: Christus Dominus noster, gloriam patris quærebat: & idcirco verax est, & cete. Sub Imp. 49. Theodosio iuniore, Episcop. Romæ 39. Zosimo.

Idem. In Homilia, quam habuit in festo Petri & Pauli, cum exponit illud Matth. 16. Tu es Petrus, etc. non super Petrum, nec super Ecclesiam Romanam, sed super Christum, & fidem

in Christum, quem Petrus confitebatur esse filium Dei viui, Ecclesiam ædificatam: & potestatem ligandi & soluendi non soli Petro, sed etiam cæteris Apostolis: & non tantùm Apostolis, sed etiam Episcopis & sacerdotibus concessam esse docet.

Concilium Mileuitanum.

Concilium Mileuitanum, cui Augustinus interfuit, decreuit: ne quisquam sacerdos aut Episcopus, vltra mare, id est, ad Papam Romanum appellet. Quique id fecisset, eum pro excommunicato habendum. 420.

Quod sanè valdè notatu dignum est. Manifestè enim tollit istam tyrannidem Papæ, quam nunc crudeliter exercet.

Decernit item eadem synodus: vt Metropolitani synodos conuocent.

Anathematizat quoque eos, qui negant, sanctos ac iustos viros peccata habere, propter quæ quotidie remissionem peccatorum petere à Deo suppliciter debeant. Imp. 49. Theod. E. R. 39. Zosimo.

Maximus in homilia 1. hyemali.

Priusquam dominus Christus veniat, Antichristus regnaturus est: qui ita tenebras suæ prauitatis, humano generi infundet, vt lucem veritatis nemo penè respiciat: & caligine propriâ operiens mentes hominum, cæcitatem quandam spiritualibus oculis exhibebit. Imp. 49. Theodosio. Episcop. Rom. 39. Zosimo. 420.

Paulus Orosius lib. 1. Cap. 6.

In hoc capite inuitat Romanos, ad collationem pœnarum & commissorum Romæ & Sodomæ. Itaque nunc si placet ait, hi, qui in Christum, quem nos iudicem seculorum ostendimus, quantum in ipsis est sputa conijciunt, inter Sodomam & Romam discernant causas, & conferant pœnas: quæ à me vel maximè ob hoc retractandæ nō sunt, quia omnibus notæ sunt: Et tamē quàm libenter eorum sententias acciperem, si illi fideliter, ita vt sentiunt, faterentur: quanquam quid de temporibus Christianis rari & hoc in angulis murmurent, non vsque adeò molestè accipiendum putem, cum totius populi Romani consona voce parique iudicio sensus ac sermo sit cognitus. Adeo autem paruo quodam & leui motu, hæsitasse erga se parumper consuetudinem voluptatum, indubitatissimè contestatus est, vt liberè conclamaret, si reciperet circum, nihil esse sibi factum: hoc est, nihil egisse Romæ Gothorum enses, si concedatur Romanis spectare Circenses. Nisi fortè (vt se habet apud plerosque consuetudo hoc præcipuè tempore) qui ex longa requie, vel paruam obortam solicitudinem, intollerabilem laborem putant: has clementissimas admonitiones, quibus omnes aliquando perstringimur, aliorum punitionibus auditis lectisque præponunt: quos saltem de hoc ipso exitu Sodomorum & Gomorræorum moneo vt discere atque intelligere queant, qualiter Deus peccatores puniuerit, qualiter punire possit, qualiter puniturus sit. Imp. Theodos. Iuniore. E. R. Zosimo. 421.

Idem. Abundantia rerum, causa malorum est. Ex abundantia enim luxuria, & ex luxuria fœdæ libidines proueniunt, adeò vt masculi in masculos operantes turpitudinem, nec consideratis quidem locis, conditionibus, ætatibusque proruant. Propter hoc enim quod quidam bonis malè vtuntur, & in nutrimenta libidinum conuertunt: æternam damnationem merentur.



Idem. Confert quoq; Orosius Babylonem cum Româ: regnumque illud cum hoc planè conuenire scribit: fuisse illud primum, hoc vltimum: & de alijs pluribus, vt ibi.

Ordo Paulæ Romanæ.

In Bethlehem, vbi natus fuit Dominus Iesus Christus, condidit Paula nobilissima matrona Romana Eustochij mater, quatuor monasteria: tria mulierum, quibus ipsa præfuit, quartum virorum: in quo Hieronymus cum pijs & doctis, multis vixit annis: sicut ipse testatur Epitaphio Paulæ. Hic omne tempus dabatur psalmis, vertendis & describendis voluminibus, & ediscendis diuinis literis, quas fratribus ac mulieribus prælegebat. Pueros etiam instituit in bonis literis, & linguis: & scholas ad studia, & pietatem direxit. Paulæ autem vita, 422.

nullius sanctæ Claræ, Annæ, aut Mariæ fuit ordo: sed exercitium pietatis, orationis, & precum. Pro Regulâ habuit verbum Dei, & Euangelium, & iuuenculas in his rebus instruxit.

Successu temporis postea hæc pia matronarum vita, Paparum traditionibus quoque corrupta fuit. Nam Bonifacius Germanorum Apostolus, circa annum D. 720. contra doctrinam Pauli, Monialibus concionari permisit. Vt Thecla Kizingi & Lyeba In Bischoffsheim/ & aliæ alibi concionatæ sunt. Hedio, Bal. & alij. Sed correxerunt hunc errorem Carolus Magnus & Ludouicus cum Lothario in Synodis. Nam non solùm concionandi, sed etiam manus imponendi & Sacerdotes ordinandi munus sibi sumserant fœminæ Imp. vt sup. E. R. 40. Bonifacio 1.

423. *Eunapius in Chrysanthio.*

ÆDESIO Chrysanthij Philosophi Sardiani F. corpus in motu ita fuit agile, vt fidem omnem superaret, planéque iuxta poetas in sublime raptum efferretur. Tanta eidem cum numine erat affinitas, vt capiti laurea imposita opus non esset, sed oracula vera, & ad genuinam afflati numine spiritus speciem conformata, solem tantùm aspectans funderet, quanquam nec versuum legem sciret, nec dum Grammatices præcepta calleret. Imp. & P.P. vt sup.

423. *Portentum.*

PRinceps Persicus rebus, quemadmodum sanè poterat, dispositis: Antiochiâ cursu digressus, Constantinopolim ibat: atque inde pergebat in Thraciam, bellum aduersus Scythas illos transfugas gesturus. Egressus autem exercitus, & ipse Princeps, huiusmodi portentum conspexêre: Corpus quoddam hominis in via iacens visum fuit, cætera quidem prorsus immobile, verberibusque cæso à capite ad pedes vsque consimile: verùm oculos tantùm apertos habens, qui propiùs accedentes intuerentur. Cùm autem interrogantibus quis esset, & vndè, tùm à quo isthæc perpessus fuisset, nihil omninò responderet: prodigiosum quiddam rati, etiam prætereunti Principi commonstrabant.

Cùm is de rebus ijsdem interrogasset, nihilominus mutus erat: nec existimatus viuere, quòd vniuersum corpus expers motus foret: nec integrè mortuus, quando incolumes oculi esse viderentur. Tandem subitò portentum hoc euanuit. Itaque cùm ij, qui circumstabant, quid agendum esset, ambigerent homines in explicandis talibus ingeniosi, statum reipublicæ futurum portendi dicebant: quodque duratura foret rerum Cæsarum & flagris confectarum facies, animam exhalantibus similis, donec magistratuum & administrantium improbitate prorsus interijssent. Atque hoc nobis singula perlustrantibus verè prædictum apparebit. Zosimus. Imperat. & Ep. Rom. vt sup.

423. *Zosimus E. R. 39.*

HIc post Eunapium, Romanam descripsit historiam 414. annorum, scelerata fide, Et tamen reperit præconem quendam Io. Leuenclaum, qui pro eo Apologiam ita scripsit, vt se meliùs canem cane illo rabidiorem, contra sanctos & Religionem pingere non posset, Genebrard. qui non solùm doctiss. hunc Levvenclaum, sed & Erasmum tanquam indoctum falsò commentatum super epistolas Bonifacij ad Augustinum, ausus est carpere. Imp. Theodosio Iuniore. Ep. Rom. vt suprà.

424. *Theodoretus.*

GEnnadius cùm noctu ad altare orandi pro mundo gratiâ descendisset, spectrum quoddam dæmoniacum vidit: quod cùm increpasset, huiusmodi clamorem emittere audiuit, quo se, ipso viuente, quiescere, tandem verò post mortem ipsius ecclesiam vastaturum dicebat. Metu huius Gennadius Domino plurimùm supplicauit, ac paulò pòst vitam hanc finiuit. vt sup.

Idem. Cùm Valens Imp. Arianus ad bellum Gothicum proficisceretur, aiunt ISAACEM, religiosum monachum, in vicina solitudine habitantem, aduentasse: & Imperatoris equum apprehendisse, ac clara voce proclamasse: Quò vadis Imperator, aduersum Deum pugnaturus, & Deum inimicum habens? Qui & Barbaros contra te nunc incitauit: quia multorum tu linguas ad blasphemiam contra ipsum exacuisti, & ab ecclesijs repulisti laudatores eius. Define igitur tu, si sapis pugnare: & bellum Deus sopiet. Redde gregibus pastores suos, continget &c; absq; labore tibi victoria. Sed si his neglectis, ad pugnam perrexeris, ipsa te res docebit, quàm sit durum contra stimulum recalcitrare. Neq; enim ipse reuertêre, neq; exercitum retinebis. Ibi iratus Imperator: Et reuertar, inquit, & reuersus supplicium exigam mendacis vaticinij tui. Itaque in custodiam vsque ad reditum Cæsaris est traditus. Quo die autem Valens exustus est, Isaacius custodibus dixit: Valens igne extinctus iacet. Obseruatus est dies & hora, qua hæc verba dixerat vir ille beatus, & res ipsa veritate comprobata est.

Idem

Idem libro 4. cap. 19. Cùm præfectus Valentis, Modestus nomine, Cæsaream venisset, accersitum ad se magnum Basilium honorificè tractauit: placideque adhortatus est eum, vt tempori cedere, neque tot Ecclesias adducere in discrimen vellet, tenui exquisitione dogmatis: promittebat quoque & ab Imperatore amicitiam, & à se, occasione illius multa beneficia. At diuinus ille vir, adolescentulis congruere tales sermones respondit. Nam & hos, & his similes inhiare huiusmodi rebus: qui verò innutriti essent diuinis literis, eos nullam Syllabam illarum in discrimen venire pati posse: solereque, si res poscat, nullum genus mortis pro illis subeundum recusare: Imperatoris quidem amicitiam magni se pendere cum pietate: qua remota, perniciosam esse dicebat. Ferebat hoc ægrè præfectus, aiebatque ipsum desipere: tùm Magnus Basilius: Vtinam sempiterna inquit, hæc mea sit desipientia.

Idem. De Antichristo hoc loco quidem cum vulgo sentit: sed Epitome eius aliud habet: Vbi templum Dei locum eius fore affirmat. Vide ibi. Imp. 49. Theodos. Episcop. Rom. 40. Bonifac 1.

Idem. Constituerat Valens ipsum quoque in exilium repellere: sed cùm vxor eius pauoribus insuetatis statim correpta esset, postquam id consilij maritus cepisset, & filius vnicus in ardentissimam febrim incidisset: à persequendo illo vel inuitus destitit. Accesserat & illud, vt ipse Imperator, cùm vsitatam exilij notam, in chartam manu sua scripturus esset, literam nullam, tremente brachio, & calamo atramentum non reddente, scribere valuerit. Galata autem, (hoc enim filio Valentis nomen fuit) cùm accersitus ad eum fuisset Basilius, meliùs continuò habuit: sed cùm Ariani etiam aduocarentur, & Basilij consilium, ac promissio sperneretur, baptizatus ab Ariano sacerdote, paulò pòst mortuus est.

VVisigastaldus & Salagastus.

Hi leges Francis ab initio dederunt, & à Salagasto Lex Salica initium cepit. Imp. 49. Theod. iuniore. E. R. 40. Bonifacio 1. 424.

Lex Salica.

Hanc valde noxiam & exitiosam hactenus Regno Galliæ fuisse, scribit Meyerus in Annal: Flandriæ: addita causa, quam vide.

Socrates & Sozomenus.

Ammonius monachus cùm ad Episcopatum traheretur: vt propter deformitatem corporis (quia Ecclesia corpore mutilatos non admittit) non eligeretur, auriculam sibi abscidit: sic Gregorius Magnus in Papam electus aufugit, & à Ioanne Rauennate Episcopo acriter obiurgatus difficulter consensit. Rarum hoc est hodie. Imp. vt sup. E. R. 41. Celestino. 429.

Idem. Erat illo tempore Ioannes Monachus quidam Ægyptius, postmodum Episcopus factus: hic propheticum habuit spiritum, & futura multa prædixit, morbosque curauit, & alia præstitit miraculosa.

Idem. Hic libro 5. cap. 22. valde prolixè disputat: ritus Ecclesiasticos, vt festa, ieiunia, abstinentiam ciborum, cantiones & similes, item & sacerdotum coniugium, esse res prorsus naturâ suâ liberas: consuetudines esse ait temerè obortas, paulatim vsu confirmatas, ideoque diuersarum Ecclesiarum diuersissimos ritus commemorat prolixè admodum, sed Apostolos talia omnia libera reliquisse, quin & libera esse docuisse, tandemque huic disputationi perpulchrum epiphonema apponit: Mens, inquit, & animus Apostolorum fuit, non delectis diebus sancire traditiunculas, sed verum Dei cultum & piam vitam prædicare: Legem & Euangelium prædicàrunt, veramque cordis erga Deum pietatem, non externas & hypocriticas gesticulationes in hominibus excitare, sua prædicatione sunt conati. Vide Tripar. 9. cap. 38.

Sozomenus.

Cvm Iulianus bellum esset contra Persas facturus: & minatus fuisset, se post bellum Ecclesias grauiter afflicturum, & petulanter insultaret, filium fabri nihil illis afferre posse subsidij: vir quem dixi modò: hanc de eo pronunciauit sententiam: Ille fabri filius arcam ei ligneam ad mortem parat. Porrò autem ille ipse Iulianus, post plagam acceptam ex aliqua parte intellexit, à quo læsus fuisset, neque calamitatis suæ causam omninò ignorauit. Dicitur enim, cùm erat sauciatus, sanguinem è vulnere expressum, in aërem proiecisse, & velut in Christum sibi apparentem intuitus, eum suæ necis insimulasse. Alij autem memorant, eum, cùm sanguinem manu ostendisset, illum in aërem iecisse, perinde atque Soli iratum, quòd Persis venisset subsidio, & se non seruasset incolumem: præsertim cùm suæ natiuitatis, sicut Astronomorum scientia indicabat, velut dominus esset & moderator. At cum esset reuera moriturus, vtrùm Christum viderit, nec ne (vti solet accidere, quando anima è corporis custodia egreditur, & res diuiniores, quàm quæ ab homine conspici possint, videt) haud equidem habeo dicere. Neque

enim illud ab adeò multis dicitur: veruntamen vt planè falsum reijcere non audeo: quippe cùm credibile sit, alia etiam his multò admirabiliora contigisse: non alia de causa, quàm vt constare possit, religionem Christianam non hominum studio & industria constitutam, stabilitamque esse.

Idem. Theodosius Imperator, iniustè multis millibus hominum interemtis: cùm Mediolani templum ingressurus esset, occurrit ei Ambrosius, eius ciuitatis Episcopus: & apprehensa illius purpura in præsentia populi, siste gradum, inquit: homini enim propter peccata prophano, & manus innoxio sanguine commaculatas habenti, fas non est, antequam pœnitentiam egerit, vel sanctum ingredi solium, vel ad diuinorum mysteriorum communionem admitti. Imperator libertatem sacerdotis admiratus, cogitationibus conscientiam accusantibus, regressus est, pœnitentia compunctus, lamentisque ostendens pœnitentiam, octo mensibus ab Ecclesiæ mysterijs abstinuit, peccatum suum in palatio deplorans. Cùm autem instaret festus dies, mense Decembri, quo publicè celebratur recordatio natiuitatis Christi, accessit ad templum, & reuerenter petiuit absolutionem, quam etiam ei Ambrosius pronunciauit. Addidit autem commonefactionem, vt ferret legem: vt post rescripta Imperatoris differantur supplicia capitalia dies triginta, ne rei iniusta ira, rebus non satis inquisitis, interficerentur.

Eiusdem Theodosij tempore quoque accidit memorabile. Quòd Mercator pro filijs duobus captis seipsum offerens, orabat vt filijs seruatis, ipse interficeretur, & in eius facti mercedem, auri quicquid habebat, militibus pollicebatur. Illi calamitatem hominis miserati, pro vno ex filijs, quemcunque vellet, supplicationem admittunt, duos enim dimittere tutum sibi non esse dicunt, ob id quod numerus deficeret. Pater itaque vtrumque lamentabundus ac plorans intuitus, neutrius electionem facere sustinuit, sed in continua hæsitatione, donec interficerentur ambo, suspensus mansit, æquali vtriusque amore victus. Quin etiam frugi quendam seruum pro domino suo, qui ad lanienam raptabatur, alacriter tunc oppetijsse mortem ferunt.

Idem. Arrius impij dogmatis vesanus autor, Christi æternam gloriam impugnauit, negans eum patri consubstantialem, & ante secula genitum esse: multosque sophisticis vsus præstigijs, in suam pellexit sententiam. Quem cùm Imperator Constantinus ad vrbem vocasset, vt eius doctrina ab Episcopis, & sacerdotibus orthodoxis examinaretur, ortum est ingens certamen, inter Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, rectè sentientem, & Eusebium Nicomediensem qui astutissimè subleuabat Arium. Cùm autem instaret magnum certamen, factioque Eusebiana, per vim in Ecclesiam introducere vellet Arium: Alexander Episcopus noctu manens in templo, precatur Deum, vt ipse veritatem tueatur. Manè cùm longa esset expectatio, tandem factio Ariana ad publicum consessum accedit. In eo itinere Arius deflectit de via, subita consternatione oppressus, ac confidens in latrinam ibi effudit intestina, & extinctus mortem blasphema & fœtida mente dignam obijt. Multitudo cognita eius interitu dilapsa est, & rursus cœpit autoritas maior esse rectè sentientium.

Posidonius Afer, Episc. Calamensis.

430. POsidonius de vita Augustini, capite vigesimo septimo, memorabilem narrat historiam Indicauerat nobis Augustinus, se beatæ memoriæ Ambrosij in vltimo fine constituti, audisse sapientissimum & pijssimum responsum, quod multùm laudabat ac prædicabat: Nam cùm ille venerabilis vltimâ iaceret ægritudine, & à fidelibus lecto eius astantibus cum lachrymis rogaretur, vt sibi à Domino vitæ posceret commeatum, eum illis dixisse: Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Et in his noster Augustinus senex, elimata ac librata admirabatur & laudabat verba. Imp. & E. R. vt sup.

Celestinus primus E. R. 41.

430. DIscernendi sumus, inquit, à plebe, vel à cæteris, doctrinâ, non veste: conuersatione, non habitu: mentis puritate, non cultu. Nam si studere inciperimus nouitati, traditum nobis a patribus ordinem calcabimus, vt locum vacuum superstitionibus faciamus. Rudes ergò fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potius sunt, quam illudendi. Nec imponendum est illorum oculis: sed mentibus præcepta infundenda sunt. vt sup.

Idem edixit, ne deinceps Romani Pontifices & Cardinales ferrentur mulis, sed tantùm asinis, Christi, cuius haberi vellent vicarij, exemplo. Mater historiarum: super quo Genebrardus in Chronograph. exclamat, ô legem prodigiosè nunc euersam. Imp. Theod.

Iulianus Toleti Hisp. vrbis Episcopus.

430. HIc scripsit ad Idalium Episcopum Barcinonæ librum, quem prætitulauit Prognosticon, id est, præscientiam futuri seculi. Huius mentio fit apud Sigebertum de Illust. Eccle. scriptoribus, Imp. Theodos. 49. Episc. Rom. 41. Celestino 1.

Theodorus.

THeodorus Ancyræ Episcopus inquit, Sanctorum formas & species, ex materialibus coloribus formari, minimè decorum putamus: horum autem virtutes, quæ per scripta traditæ sunt, veluti viuas quasdam imagines reficere subindè oportet. Ex his enim ad similium imitationem & Zelum peruenire possumus. Dicant enim nobis, qui illas erigunt statuas, quænám vtilitas ex illis ad se redit? an quòd qualiscunque recordatio eos habet ex tali speciali contemplatione? Sed manifestum est, quòd vana sit eiuscemodi cogitatio, & DIABOLICÆ deceptionis inuentum. Imp. 49. Theod. iuniore, E. R. 41. Celestino 1. 430.

Serenus.

HIc scripsit sermones: vnum de spiritualibus nequitijs, alterum de potestatibus. Extant cum Io. Casiani collationibus. Imp. Theodos. E. R. Celestino. vt sup. 430.

Joann. Casianus Scytha.

HIc apud Masiliam presbyter, Chrysostomi discipulus, scriptis de institutis Cœnobiorum, origine, causis & remedijs curationibusque octo principalium vitiorum. Inter alia singulariter perstingit immodicum studium habendi Ecclesiasticorum. Lib. 4. de instit: cap. 15. Imp. Theodos. & Valentin. E. R. Celestino. 430.

Impp. Theodos. & Valentin. A. A.

in Codice.

CVm sit nobis cura diligens per omnia, superni numinis religionem tueri: signum Saluatoris nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere: sed quodcunque reperitur, tolli, grauissimâ pœnâ mulctando eo, qui contrarium statutis nostris tentauerit, specialiter imperamus. Dat. XII. Kalend. Iunij, Hierio. & Ardaburio Coss. 431. Episcop. Rom. Celestino 1. De hoc vide Cod. lib. 1. tit. 8. Sic proh dolor fit, vt dum politicus magistratus prophanationem rerum sacrarum prohibet, Ecclesiasticus & cum primis vicarius Christi econtrà illas calceis affigat & pedibus conculcet. Vt infrà apud Iosephum Stephanum plura de his. 431.

Palladius Græcus Episcopus Helenopolitanus, & Theodorus Eccl. Rom. Diaconus. 431.

HI in vita D. Ioannis Chrysostomi, eum Antiochenum Græcum, & Archiepiscopum Constantinopolitanum fuisse, & ante mortem visionem habuisse scribunt: Martyrem quendam, qui dixerit sibi: Confide frater Ioannes: cras enim simul erimus. Et eundem quoque Martyrem, eius templi Presbytero apparuisse, ac dixisse: præpara Ioanni fratri locum, venturus est enim, quod & factum fuit.

Cyrillus Alexandriæ E.

NIsi quis, inquit, peccati sordes per gratiam meam lauerit, atque absterserit, regni cœlorum non erit particeps: non enim intrabunt impuri in beatas illas mansiones, sed qui propter charitatem Christi conscientiam suam mundârunt, sanctificatique Sancto spiritu per baptismum, vnà cum cum Christo viuent in æternum. 432.

Idem Cyrillus libro sexto contra Iulianum, ita docet: Sanctos Martyres, neque Deos esse dicimus, neque adorare consueuimus: laudamus autem summis potius honoribus, quòd pro veritate strenuè certârunt, & fidei sinceritatem seruârunt, ita vt & suam animam contempserint, & mortis terroribus valedicentes præualuerint in summis periculis, tantæque fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suæ vitæ excitaturi. Proinde non est indignum, imò etiam necessarium eos, qui tam claris operibus generosi sunt, perpetuis honorari laudibus. Imp. 49. Theod. iun. E. R. 41. Celestino.

Idem in Ioannem lib. 8. Quia enim cæteros dignitate pontificali præstabat, & authoritate: debuisset maiori pietate & religione in Deum effulgere, quò cæteris exemplo esset virtutem colendi, & diuina mandata seruandi. Ipse verò reliquis immanior, præcipitatior ad scelus, & ad cædem paratior, alios quasi tardiùs agentes hortatur ad facinus.

Idem in libris contra Iulianum. Platonem refert, in Ægypto versatum fuisse, &, sicut etiam Hermetem Ægyptium, Trismegistum Sacerdotem, Moysen non ignorâsse. Quid autem hi cum Aristotele, Homero, Orpheo, Porphyrio, Thalete, Democrito, Anaximandro, Sophocle, Socrate, & Xenophonte, de Deo, verbo, Filio Dei, & S.S. senserint: in quo tamen Porphyriū, Orpheū, Hermetem

& Pla-

& Platonem plus lucis quàm cæteros habuisse affirmat, pulchrè describit idem Cyrillus in libris contra Iulianum.

De Platone sic ait: Non omnia ignorauit, sed sicut Arriani, personas constituit, subsistentiasque illis infert, & tres opinatur esse Deos distinctè. Dixisset veritatem forsan rectiùs, inquit, nisi Aniti, Meliti, & Socratis timuisset accusationem. Inter se etiam confert Moysen, & Platonem, & illius multiplicem virtutem, huius verò adulationem, & qualiter Dionysio propter eam pœnas luerit, refert. Socratem autem obscœnissimis voluptatibus deditum fuisse, & cum mercenarijs mulierculis rem habuisse: canitieq; albentem, in fœdis facinoribus, quæ referre pudet, deprehensum.

Aristotelem ait sensisse, amantibus impunè peierare licere.

Græcos pro vera religione, nugas plerunque tractasse, ac proinde Strabos rectè dici. Super quibus tandem exclamat Cyrillus, Ecce igitur tibi pulchros philosophos?

Vbi notabit etiam Lector, ab Aeliano libro 4. Platonem & Socratem, Pædicones dictos: Guarinum Veronensem scribere Platonem ter in militiam profectum, & phthiriasi tandem perijsse.

Sed & Petrus Boiasteau ac Claudius de Tesserant in historijs prodigiosis, & alij ante eos referunt: Aristotelem tanta libidine correptum, tantoque incensum amore erga meretricem quandam, nomine Hermiam fuisse, vt non solùm ex frequenti cum ipsa coitu, visum amiserit: sed etiam quod longè indignissimum est Philosopho (præsertim tali, qui pro miraculo mundi habebatur, quemq; peculiari libro de hoc edito diuum statuit schola Coloniensis, de quo infrà Anno 1520. eam adorârit, & illi sacrificarit, accusatusque ideò à Demophilo, turpiter fugerit, & Athenas, vbi vltra triginta annos docuerat, reliquerit.

Et quid peregrinis opus est testimonijs, cùm ipse Aristoteles in Politicis Sodomiam, tanquam Reipublicæ salutarem & necessariam, approbet: de quo Agrippa intrà.

De Platone ijdem illi recitant, quòd Archenassam turpem, & quæ in iuuentute infinitis suam prostituit pudicitiam, & ab omnibus tandem repudiata fuit: vetulam adeò deperierit, vt in versibus quibusdam ipsemet suam deplorârit miseriam, se captum teneri amore emarcidæ cuiusdam meretricis. Quod etiam testatur Athenæus lib. 13. Dipnosophist.

Socratem, cuius maiestas & grauitas tantopere celebratur ab antiquis, vt de eo scribatur prodigij loco, quòd nunquam vultum ad vllam fortunæ vel secundæ, vel aduersæ vicissitudinem mutârit: Aspasiam scortum extremè amâsse, coluisse, totumque se ad ipsius nutum composuisse, memorat Clearchus primo libro amorum.

Solonem in gratiam adolescentiæ, statuisse mulierculas in domicilijs emtis, narrat Nicander Colophonius libro rerum Colophoniarum tertio: vbi dicit, eum publicè, Veneris templum, primum erexisse, in quibus prostitutæ lucrum faciebant: De quo etiam Philemon.

Solon in omnes repperisti tu viros,
Nam te ferunt vidisse primum hoc commodum
O Iuppiter rem, quæ salus est maxima
Mihi quod est dixisse certè aptum Solon
Vrbem iunioribus videnti plenam, vbi
Necesse naturæ peragi sit munera,
Peccare rebus, in quibus non conuenit.
Tu fœminas emtas locis in pluribus
Viris locauisti paratas omnibus,
Stetêre nudæ.

Athanæus quoque (qui vixit Anno Christi 160. de quo suprà) de Platonis vitijs & erroribus nonnulla scribit, & inter alia lib. 12. inquit At quo pacto non absurdus existimandus est Plato? Nam cùm tres fuerint Athenienses legum latores, Plato, Dracon, Solon: horum tantùm leges ciues obseruarunt, Platonis verò subsannantes deriserunt. Oratio præterea illius de Republica, etsi omnium pulcherrima sit, nobisque nihil non persuadeat, visus tamen est ipse Plato non existentibus viris leges scripsisse, sed hominibus à se fictis, ita, vt qui his vtantur, non reperiantur.

Reprehenditur Plato grauissimè etiam ab vna Sibyllarum: quòd non solùm plures Deos inuocauit, illisq; immolauit, sed & semetipsum diuinum dici voluit. Verba Sibyllæ hæc sunt:

Græcia quid confidis in viros principes?
Ad quid dona inania mortuis dedicas?
Immolas Idolis, quæ tibi in mentem
Errorem imposuit? vt hæc perficias magni
Dei arâ relictâ.

Demosthenes fertur Cnesionem adolescentem quendam ad se in domum recepisse, & quamvis haberet mulierem hoc grauiter ferentem, tamen cum eo rem habuisse.

Sed & Menander. Euripides & alij clari viri, amoribus dediti fuerunt: & Romani Sophistas eò quòd pueros corrupissent, ex vrbe eiecerunt: Vnde Anaxippum Comicum non abs re dixisse videtur, Philosophos solo sermone esse sapientes, cæteris verò rebus stultissimos.

Sophoclem quoq; fuisse voluptatum introductorem, indicant eius versus in Antigone vbi inquit

Voluptates

Vbi

Vbi viri spernunt, puto non viuere.

Hæc Athenæus lib. 12.

Hi sunt ergò illi, quos Diuos faciunt multi, & longè præferunt ipsi Moysi, & sanctis Dei oraculis: Quorum tamen fundamenta doctrinæ & vitæ, sunt planè impia & athea, nihilque aliud, quàm Arrianam & alias hæreses spirantia.

Vnde non immeritò quis admirari potest, cur quidam tàm dementes sint & excæcati, vt absq; omni reuerentia Dei, & eius verbi, asserant palàm, quòd multi ex illis, meriti sint æternam salutem: & licet nulli extarent sacri codices, vitam beatam tamen ex illorum libris se haurire posse. Quos tamen sacras literas nunquam vidisse ideo creditur: quia Græciam illas tunc temporis non habuisse certissimum est, nec Ægyptum, quia anno demum mundi 3695. (cùm Plato iam esset mortuus Anno 3620. & Aristoteles Anno 3646.) illi libri eò missi sunt à Iudæis Regi Ptolemæo Philadelpho: de quibus suprà Anno 396. & 410.

Refert Otto Frisingensis, esse qui scribant, Platonem in Ægypto Hieremiam audiuisse, & ab eo de fide nostra imbutum fuisse. Quod ideo falsum est, quia diuerso tempore, Hieremias anno mundi 3337. & Plato Anno mundi 3572. vixerunt: quod obiter hic monendum fuit.

Prodig:

ANno 30. Imperij Theodosij factus est terræmotus Constantinopoli in Chersoneso, Alexandriæ & Antiochiæ ingens, & durauit quatuor menses, & magna dedit hominibus damna. 438.
Cùm verò Constantinopoli propter hæc mala, publicæ fierent deprecationes, & omnes ad Deum clamarent, κύριε ἐλέησον, Domine miserere nostri: extra vrbem ex populo in conspectu omnium, puer quidam in aërem surripitur, qui iterum demissus inde retulit: se in altis hunc audisse cantum: Deus sancte, sancte Fortis, sancte immortalis Miserere nostri: & ex diuina quadam voce accepisse mandatum, vt Episcopo Proclo indicaret, hanc formam canendi in precibus suis tempore difficili vsurpandam, & tunc eis suppetias latum iri.

Hoc facto, quàm primùm terræmotus desijt. Cedrenus & Diaconus lib. 14. E.R. 42. Sixto 1.

Iunilius Episcopus Africanus in Genesin.

SExtæ diei (inquit) vesperam iam nunc appropinquare cernimus: &, cùm abundante per omnia iniquitate, refrigescet charitas multorum: aduenìet autem multò tenebrosior cæteris, cùm apparente homine peccati, filio iniquitatis, (qui extollitur, atque eleuatur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur,) tanta fuerit tribulatio, vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Et subsequente statim horâ vniuersalis iudicij, de quâ scriptum: Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? perseuerabit inde sabbatismus animarum sanctarum, vsque ad finem seculi: Et cùm vltima ætas seculi post vesperam suam, de quâ præfati sumus, finem interfecto per Dominum nostrum Iesum Antichristo perceperit. Imp. 49. Theodosio. Episc. Rom 42. Sixto 1. 440.

Pallium vnde?

CVspinianus in Valentiniano tertio ait: Imperator Valentinianus frequenter versabatur Rauennæ: & vrbem iterum extruens, adornabat egregiè: ipsamque principem constituebat quatuordecim ciuitatum, & potestatem faciebat Episcopo illius vtendi tunica linea (quam pallium nominant) quæ tunc temporis tantummodò Cæsaribus gestari consueuerat. Et ex hoc surrexit lis illa inter Episcopos Rauennates & Romanos: hi enim illis pares esse volebant. 440.

Hinc constare potest, vnde Pallia sint orta, & quis primus illis fuerit vsus, eorundem concesserit vsum: & quòd papa multo pòst tempore demum Pallii gestandi licentiam impetrauerit. Cùm enim Pont. Romani alia Regalia, & quæ tantùm Maiestate Cæsarea digna sunt, sibi adsciscant, sic & istud Pallium sibi vendicarunt. vt sup.

Eugenius Carthaginensis Episcopus.

EVgenius meminit Antichristi: quòd sub eo talis ciuitatis Dei afflictio futura metuatur, qualis antea nunquam fuit, lib. 2. cap. 20. Item: Antichristi erit officium, vt contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armatus etiam veniat cum cornu potestatis. Sub Imp. Theodosio. Episcop. Rom. Sixto 1. 440.

Primasius in Apocal. lib. 4. ait:

AMaritudo Antichristi, contraria est dulcedini verbi Dei. Idem: Vnum ex capitibus eius, dicit, Antichristum, quæ septem non numero sunt, sed significatione vniuersitatis regni terreni, agno contrarij. Sub Imp. Theodos. Episcop. Rom. Sixto 1. 440.

Eucherius Episcopus Lugdunensis.

440. ANte fores templi veteres lauacrum ad abluendas manus aheneum ponebant, quod sustinebant boues duodecim: qui quidem frontibus tantùm extabant, posteriora verò occulta erant. Per hoc hieroglyphicè pastores Ecclesiasticos intellexerunt: quòd tantùm aperta & in propatulo opera Ecclesiasticorum cernamus, sed cætera quæ clàm mala faciunt ignoremus: eorum vero Deum iudicem fore, De quo etiam Gregorius.

Polychronius Hierosolymæ Archiepiscopus.

440. IS asserit, Hierosolymam esse supremam seu primam sedem: quia illa esset ciuitas sancta, quam DEVS olim elegisset: & quòd ibi Christus docuisset, ibi passus esset, ibi resurrexisset, ibi Spiritum sanctum dedisset, ibi Ecclesia Christi primùm orta esset: ibi Iacobus, Petrus & Ioannes, qui fuerunt columnæ Ecclesiæ, docuissent. Adhæc quoque iam olim prædictum per Prophetas esse, quòd de Sion ac Ierusalem, Dei mandatum ac doctrina proficisci in vniuersum orbem deberet. Quare contendebat, se supremum Episcopum in Ecclesia Dei esse, sibique alios subiectos & dicto audientes esse oportere.

Ea re commotus Sixtus tertius Papa, cogitans id sibi non expedire (namque Papæ asserebant sibi prærogatiuã ante alias Ecclesias) congregat synodum Romæ, & Polychronium non de affectata tyrannide super Ecclesias, sed de violatis per Simoniam canonibus reum agit: subordinato etiam quodam nebulone, Euphemio Hierosolymitano sacerdote, qui Polychronium de tali scelere accusaret.

Efficit ergò Papa, vt tota synodus ex suo numero mittat tres Episcopos, tres sacerdotes, & duos diaconos Hierosolymam, cum literis Cæsaris Valentiniani, qui ibi authoritate Cæsaris, congregata aliqua prouinciali synodo, eum accusarent. Quid factum est? depositus est Polychronius. Verùm aliquanto pòst cognita boni illius senis mirifica innocentia, & in pauperes beneficentia, animaduersoq; quòd mores eius longissimè ab omni specie auaritiæ ac Simoniæ abessent, denuò in suum locum à Cæsare Valentiniano restituitur, & Euphemius accusator in perpetuum damnatur. Hæc Historiola paulò aliter à quodam Papæ adulatore, in libro conciliorum recitatur: sed si diligenter circumstantias inspicias, & veritatem inuestiges, facilè animaduertas: hanc narrationem longè veriorem esse.

Hæc non eò recito, vt Polychronij aut ambitionem aut errorem laudem: sed vt ostendam, Ecclesiam Dei tunc nondum sciuisse, Christum solum Papam Vniuersæ Ecclesiæ suæ, tanquam vnicum suum vicarium, & populi Dei caput præfecisse. Tom: concil. Illyricus, & alij. Imp. Theod. Iuniore. E. R. Sixto.

Sulpitius Seuerus.

450. HIc in Chronico hodiernos Sacerdotes in eo taxat: quòd ait, terram Imperio Hebræorum subiectam, olim per duodecim tribus viritim distributam, Leuitis autem in sacerdotium assumtis, nullam portionem datam fuisse, quò liberiùs Deo seruirent: vnde mirum non videtur, si hodie tam opulenti, minùs sacris sunt dediti. Imp. 49. Theodosio Episcop. 43. Leone primo.

Leo Epis. Rom. 43.

451. SCripsit epistolas: in quibus affirmat, Cæsaris esse indicere concilium: Papam ad concilium mittere debere viros pios, vt intersint, non præsint. Epist. 14. & 16. & 18. Et in Epist. 40 Papa Imperatorem rogat, vt concilium indicat. Imperat. 49. Theod. E. R. vt sup.

De eodem.

TEmporibus huius Papæ Leonis 1. Chalcedoni, Imperatore Martiano præsente & subscribente, fuit concilium celebratum à 630. Episcopis, vbi Hæreticus Manes, Dioscorus Alexandrinus, & Eutyches condemnatus fuit. In eo concilio Anatolius Archiepiscopus Constantinopolitanus, Alexandrinam, Antiochenam, & alias orientales Ecclesias sibi subijcere moliebatur, hoc est, super omnes alias Ecclesias orientales, vti nunc Papa, se exaltare volebat. Hoc ad obtinendum allegabat Decretum quoddam Synodi Constantinopolitanæ, in qua annis octoginta an-

Macedonius condemnatus, & illa etiam primatus dignitas Metropolitano Constantinopoleos concessa fuerat. Igitur ad hoc ista Synodus Chalcedonensis hanc ei præeminentiam seu primum regimen post Synodos beneuolè largita est, vt videre licet ex actione 16. eiusdem concilij.

Decretis autem huius Synodi primùm legati Papæ Leonis 1. in consilio existentes, sese opposuerunt, clamitantes, synodum inuitam in id decretum consensisse. Sed Episcopi nominatim, ac ordine à præsidentibus judicibus rogati, responderunt, se volentes, spontè ac liberè consensisse. Ibi denuò planè Curtisanensi stratagemate vsi sunt, & falsi crimen commiserunt. Nam cùm decerneretur, quòd Metropolitani vniuscuiusque prouinciæ (Alexandriæ, Antiochiæ, Italiæ &c.) pares esse, nec alter alteri anteponi debeat (semper enim sancti patres, & præsertim Augustinus & Aurelius, qui his rebus interfuerunt, ab execrando, & horribili primatu illo, qualis nunc est, timebant Ecclesiæ) tùnc Romanenses Legati, contra primatum Constantinopolitani Episcopi citant decretum Synodi Nicænæ, de iure Metropolitanorum, & cùm autographum concilio relegendum offerri deberet: ipsi illud deprauârunt, & loco istorum verborum Canonis, quæ vnicuique Episcopo in sua tantùm ipsius prouincia, & sic Leoni quoque in sua, hoc est, Italia, propriè primatum concedunt, ipsi substituere conabantur: quia Romanus Episcopus semper primatum & prærogatiuam habuerit: & sic volebant, quòd omnia quæ de Italia modo accepta, & intellecta tùnc fuerant, de omnibus aliis in genere prouinciis, & Ecclesiis accipienda & intelligenda sint: & sic Ecclesiæ Romanæ primatus omnes alias Ecclesias in se claudat, & eius potestas super omnes cæteras extendatur. Sed, vt dictum, non præualuerunt aduersus decretum de primatu Archiepiscopi Constantinopolitani. Igitur super hoc facto Anatolii & concilii ringebatur, voceque & scriptis tumultuabatur admodum, & opponebat se acriter, magnasque ciebat turbas Leo primus, & clamitabat hoc ex diametro repugnare sacro sancto concilio Nicæno: in illo conclusum & decretum esse, quod in vnaquaque prouincia vnus Metropolitanus, cui clerici reliqui pareant, esse deberet, cæterùm neminem existere debere, qui super omnes alias Ecclesias vniuersalem sibi (vt hîc Constantinopolitanus, alios sua libertate cupiens priuare) jurisdictionem & potestatem arrogaret, præterquam conciliorum hoc juris esse. Imitari potiùs Constantinopolitanum Episcopum debere, ipsum Christum, qui venerit, vt ministret aliis, non vt sibi ministretur: quique dixerit, vt qui vult esse omnium maximus, sit omnium minimus. Modestiâ esse crescendum Episcopis, & non ambitione. Significabat etiam, haudquaquam decere Nicæna decreta transgredi, vel quicquam immutare, potiùs se vitam suam, quàm tale quid pateretur, prostituturum esse.

Sic itaque, quicquid huius Leonis antecessores, Sozimus, Bonifacius & Celestinus antea temerario ausu, putà primatum super omnes alias Ecclesias veracitèr (quod tamen falsissimum fuit) perhibentes, expressissima concilij Nicæni verba hoc statuere, venati sunt: illud ipsum Leo hic primus ijsdem Nicæni concilij verbis rursus destruxit & condemnauit.

Ex quibus notandum, quomodo extremâ nequitiâ, Papæ concilia, decreta, & jura tàm veteratoriè citauerint, & suo sibi compendio cum æterno Ecclesiæ Christi dispendio adhibuerint, tàm etiam furtim corruperint, & ijs nequiter abusi sint. At iste idem Leo intereà dum aliis modestiam prædicabat, nihilominus ampliandæ tyrannidis suæ summam curam habebat, vt itidem ex eius epistolis apparet. Cur autem non considerabat iste Leo rugiens, eadem omnia contra suam ambitionem dici posse, quæ ipse contra Anatolium Constantinopolitanum patriarcham declamitabat? cur etiam ille tantoperè pugnabat contra idipsum decretum Nicænæ synodi, de libertate seu priuilegiis Metropolitanorum non opprimendis, cùm sciret, antecessores suos Zozimum, Bonifacium & Celestinum, idem decretum antea falsâsse, & missa ad sextam Carthaginensem synodum legatione, integro quinquennio contendisse, Nicænam synodum Papæ Romano omnes Ecclesias, & metropolitanos subiecisse? Sic & Gelasius, Leonis successor disputat, non omnes canones Chalcedonensis synodi pios esse, Nam id certè non recipiendum, quod Constantinopolitano Archiepiscopo primatum dedit. Hinc disce primùm, Romanorum Pontificum perpetuam fidem seu regulam: omnia scilicet iura, sacras literas, canones, concilia & Patres, tantùm tùnc, & eatenus valere debere, cùm & quatenus pro ipsis, non contra ipsos, eorum tyrannidem, vel opes, loquuntur, & pronunciant.

Obserua etiam ex hoc Chalcedonensis tàm frequentis synodi decreto, nondum tunc illos sanctissimos patres, aut Ecclesiam Dei sciuisse, Christum soli Papæ Romano omnes suas Ecclesias, tanquam vnico capiti Ecclesiæ, & vicario suo subiecisse: Alioqui quomodo ausi fuissent aliud aliquod caput instituere? Atque hanc synodum Papæ in suis decretis dicunt, se tanquam vnum ex quatuor Euangelijs venerari. Sed intellige, quatenus ipsorum ambitioni non aduersatur. Nam omnia tùnc esse bona desinunt, cùm Papis obsunt, aut displicent.

Denique obserua & hanc fraudem, quòd in subscriptionibus huius synodi aliquoties additur, quod Paschasius legatus præsederit synodo nomine Papæ. Quod ab aliquo scelerato falsatore additum esse, indè apparet, quòd cùm legis actiones seu disputationes, semper regunt eas, & inter loquuntur nescio qui, quos textus semper vocat gloriosissimos judices. Credo fuisse aliquos consiliarios Cæsaris, viros virtute, sapientia & autoritate præstantes. Sic vides, Papistas nobis synodorum & sanctorum patrum scripta subindè falsâsse, quò suam impiam tyrannidem super piorum ceruices exædificarent, & constabilirent.

Vltra centum annos Ecclesia Africana sese à tyrannide & jugo Papæ tutata est: dum autem Papæ animaduertunt, sanctos illos Patres Augustinum, Aurelium & alios, qui salutaria Ecclesiæ con-

tra primatum decreta promulgauerant, è viuis excessisse: illi statim rem de nouo aggrediuntur, & principaliter Bonifacius secundus, is Eulalium tùnc temporis Metropolitanum, dolis circumvenit, & contra latam ante centum annos, concilij sexti Carthaginensis sententiam eò adigit, vt omnia Papæ dedat, eidemque se subijciat, veniam & absolutionem expetat.

Papa insuper omnia scripta, decreta, & concilia, quæ contra Romanam sedem erant, damnavit, & reprobauit. Hanc Metropolitæ Africani deditionem Alexandriæ Metropolitano Papa ideò per literas significauit, vt etiam alios ad simile exemplū deditionis commouere, & impellere queat.

Tu lector Christiane vtram in partem te vertes? dices primatum huncà Christo esse? Caue dixeris, immaniori namque blasphemia Saluatorem tuum nequaquam afficere poteris. An à dæmonibus? apud Pontificios haud impunè dixeris, quoniā verū, nam quid veri Papæ ferre possunt? concilia violant, deprauant, corrumpunt: Patres mendacii arguunt, Canones pro suo arbitratu invertunt: nihilominus concilia crepant, patres occinunt, canones iactitant. Quid tandem dices? Affirmabisne non in orcum Papas, sed orcum in ipsos demigrâsse? nam tot mendacia cudere, tot dolos struere, tot fallacias, fraudes, technas, machinamenta, & artes scelestissimas exercere, donec ex ijs primatum conflent, imperium & tyrannidem omni Phalarismo longè longè crudeliorem in animas & corpora diuino reclamante verbo, sacrosancta id abominante Trinitate, mundo reluctante vniuerso, præter omnem Ecclesiarum, & conciliorum consensum, constituant, constitutam exerceant, exercitatam insuper sanctimonia scelesta (cælesti dicendum esset) pallient, adeò non sunt humana scelera, vt num Spiritus tenebrarum, & furiæ omnes infernales ijs perpetrandis sufficere possint, ambigatur. Illyricus Imp. 50. Martiano E.R. vt sup.

458 *Papæ primatum suum fraude & fallaciis parare machinantur.*

Idem de eodem. In Concilio Carthaginensi, quod 217. fuit Episcoporum, & annos durauit três successiuè, Papæ strenuè de præeminentia, & superioritate (vt sic dicam) super Ecclesias Africanas, & alias contenderunt, & in primis Sozimus suos legatos eò ablegauit, cum Apographo Niceni, annis ante hoc sextum Carthaginense octoginta celebrati concilij, mirum in modum deprauato, velut ac in eo conclusum esset, quòd Romana Ecclesia super omnes alias constituta esset, & ideò ab omnibus pro capite & suprema agnosci deberet, cum petitione, vt Niceni Concilij decreta in effectum producerentur. Patres Concilij non minimum mouebantur, vt ne quid contra synodum Nicenam à nemine non approbatam decernerent, dicebantque se in decretis Nicenis nil tale legisse, sibi nouum videri, nec insomnia quidem ipsis veniebant, Papam tàm sanctum Ecclesiæ caput eiusmodi fabricam facturum, dolum structurum, technis vsurum, & postulatis eius adstipulabantur, donec authenticum Actorum Niceni Concilij exemplar comparabant.

Ex his liquidò apparet, quòd Papæ non semper eum primatum & prærogatiuam omnium Ecclesiarum, quam tamen sibi sumunt, habuerint, sed fraude & malis artibus eam sibi vendicare machinati sint. Secundò intolerabilis eorum ambitio, & dominandi libido deprehenditur. Tertiò manifestum fit, quomodo propterea sanctum concilium Nicenum, quod in suis decretis quatuor Euangelistis æquiparant, tàm temerè & nequiter corruperint.

Rebus sic se habentibus, Sozimus Papa morte præuenitur, cui Bonifacius, qui in contentione Eulalio à potiori parte electo pontificatum præripuit, succedit, is ipse non minus strenuè & gnauiter idem vrgebat, inhiabat, affectabat. Cæterum Patres Concilij masculè ei resistebant, negabant, vllum ea de re iota, verùm in sexto canone multò magis contrarium reperiri, vbi videlicet è Niceno concilio statutum sit, quòd quilibet Metropolitanus in sua diœcesi supremus esse debeat, vt etiam à Gratiano in decretis constituitur dist. 99. his verbis: Primæ sedis Episcopus non appelletur princeps Sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi: sed tantùm primæ sedis Episcopus, vniuersalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur, & super his multa hinc inde scripta à Concilio & Papa publicata sunt, quæ tamen non extant.

Tandem id sententiæ latum est, vt à Constantinopoli & Alexandria, authentica exemplaria peti & adferri deberent, & Papa interim primatum (quo consuetis dolis potitus) obtineret: Concilium nuncios intereà proprios Constantinopolim & Alexandriam mittit, & exemplaria integra & incorrupta nanciscuntur simul & verissima testimonia: ea Papæ cum petitione, vt à suo proposito tùm iniusto, tùm in Niceno concilio nequaquam fundato desistat, remittunt. Intereà rerum etiam hic Papa lucis vsura priuatur.

Celestinus in pontificatu succedit: ille, vt antecessores, legatos amandat, & multò maiori intentione & peruicacia instat: patres præcisè & rotundè illi omnem jurisdictionem denegant, fallaciam & fraudem Paparum Legatis acriter exprobrant, & firmiter sanciunt, quòd posthac in perpetuum non secus obseruari debeat, quàm quòd vnusquisque Metropolitanus, quæ in sua diœcesi eueniunt, ipse audiat & diiudicet: sin verò causæ grauiores & ponderosiores incidant, tùm eas prouinciali, vbi nec ab hoc decidi queant, vniuersali concilio componendas remittat. Sic igitur hac vice patres illi jugum & primatum Papæ omninò excutiebant, & per literas ei subindicabant, vt illum suorum mendaciorum meritò pudere, & nullum vlterius in Africa legatum mittere deberet, & vt posthac non imperium more tyrannorum affectaret, gloriam & honorem aucuparetur, pompam mundanam sectaretur, sed tanquam Christi imitator ad humilitatem, veritatem, & Christianam charitatem animum appelleret, adhortabantur. Ex tom. conciliorum, Illyr. & aliis Imp. 50. Martiano E.R. vt sup.

Imp. Leonis & Anthemii sancta constitutio super ambitionem & simoniam. l. si quenquam C. Ep. & Clericis.

SIquenquam vel in hac vrbe regiâ, vel in cæteris prouinciis, quæ toto orbe diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum prouehi, Deo authore contigerit: puris hominum mentibus nuda electionis conscientia, syncero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum sacerdotii venalitate precij mercetur: quantum quisque meretur, non quantum dare sufficit, æstimetur. Profectò enim quis locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata: si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis, aut vallum fidei prouidebimus: si auri sacra fames, penetralia proserpet veneranda? denique quid cautum esse poterit aut securum? si sanctitas incorrupta, corrumpatur, cesset altaribus imminuere profanus ardor auaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Ita castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocunque locorum peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet: non precio, sed precibus ordinetur antistes: tantùm ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. Cùm sanè, si quis hanc sanctam & venerandam antistitis sedem pecuniæ interuentu subijsse: aut si quis, vt alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur: instar publici criminis, & læsæ maiestatis accusatione propositâ, à gradu sacerdotij retrahitur. Nec hoc solùm deinceps honore priuari, sed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus: vt eos quos par facinus inquinat & æquat, vtrosque similis pœna comitetur. E.R. 45. Simplicio. 474

Romanum imperium occidentis.

DEfecit Anno 475. vrbis 122. Mundi Anno 4573. Peregrinis Italiam occupantibus, Annis 325. vsq; ad Carolum Magnum. Nicep. 15. c. 11. Palm. Blond. lib. 2. dec. 1. Diac. lib. 16. Imp. 51. Leone. E. R. 45. Simplicio. 475

Prosper Aquitanicus.

PRosper citat dictum Apocalypseos, qui acceperunt scriptionem bestiæ in fronte, & in manu suâ, & addit: Inscriptio in fronte, & in manu hæc est, non tantùm Diaboli facta imitari, quantùm & gloriari in eius malis operibus, vt sub figura Christi, Antichristi facta exerceant. vt sup. 476

Alachis Regulus Longobardorum.

LEpida historia de Alachi Longobardorum Regulo narratur, ad quem cùm prope Ticinum ab Episcopo Diaconus esset missus, cuperetque is, se ad Regem intromitti, respondit Alachis, patere ei accessum, si modò femoralia haberet munda. Affirmantique Diacono, se munda habere, quippe qui nuper lota induerit: declarauit, se non de subligari loqui, sed de eo, quod intus esset, & contineretur. Idem, cùm contra eum spirituales bellum excitassent, ac insuper sacrificulus quidam armis Ducis suæ partis ab Alachi prouocati, indutus ab eo occisus, agnitusque esset, vehementiùs indignatus vovit, si vicerit, se integrum puteum clericorum testiculis impleturum. Ita longissimo tempore exosus fuit spiritualium cœlibatus. Quippè cùm illi, jam olim se non tantùm non à masculorum, & cognatarum, sed etiam neà pecorum quidem commixtione abstinuerint. Recitatur etiam in historiis Longobardorum, quòd quidam sacrificulus Reginam contaminauerit, cui Rex pudenda præcidi imperauerit. De quibus in sequentibus plura. Imp. 52. Zenone Episc. R. 45. Simplicio. 480

Diaconus miles.

CHunibertus & Alahis, Longobardi, certabant de regno: ob quod cùm Chunibertus peteret duello rem dirimi, Alahim id facere propter periculum, amici prohibuerunt. Sed eius Diaconus clàm arreptis armis, quasi ipse Alahis esset, congreditur cum Chuniberto, vincitur & occiditur. Cumque sublatâ casside caput eius amputari iussisset, cognouit Clericum se occidisse. Iratus valde, altâ voce exclamauit: Tale itaque nunc votum facio: Si Deus mihi iterum victoriam dederit: vnum me puteum de testiculis clericorum impleturum. Ex Paulo Diacono.

Saluianus Episcopus Massiliensis.

IN V. de prouidentiâ Dei libro scribit. Cogimus ad vlciscendas criminum nostrorum immanitates, nolentem Deum. Propè est, vt eum non permittamus, vt parcat. Nam cùm in eum nullum vnquam iniustitiæ signum cadere, aut apparere posit, sic agimus, vt si enormitates nostrorum scelerum non vlciscitur, iniustus esse videretur. Sed videlicet peccator fuit aliquis aliquando, for- 480

talſe iam non eſt: aut eſt vllus criminum modus, & non prius eſt, vt de vita homines, quàm de iniquitate prius diſcedunt? Quis enim non cum ſuis iniquitatibus moritur, & cum ipſis admodum, atque in ipſis ſceleribus ſepelitur? vt verè Propheticum illud de his rectiſsimè dici poſsit: ſepultura eorum domus eorum in æternum, & comparati ſunt iumentis inſipientibus, & ſimiles ſunt illis, atque vtinam iumentis. Meliùs quippe fuerat beluina imprudentia deuiaſſe. Illud peius & criminoſius, quia non ignorantiâ Dei, ſed deſpectione peccàrunt. Atque hoc vide, licet laici tantummodò, non quidam etiam religioſi? imò ſub ſpecie religionis, vitijs ſecularibus mancipati, qui ſcilicet poſt veterum flagitiorum probroſa crimina, titulo ſanctitatis ſibi inſcripto, non conuerſatione ſed profeſsione nomen tantùm demutauêre, non vitam: & ſummum diuini cultus, habitum magis, quàm actum exiſtimantes, veſtem tantummodò exuêre, non mentem. Vnde illi ſe minore inuidia, criminoſos putant, qui cùm pœnitentiam quaſi egiſſe dicantur, ſicut mores priſtinos, ita etiam habitum non relinquunt.

Nam taliter fermè omnia agunt, vt eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egiſſe, quàm poſtea ipſius pœnitentiæ pœnitere: nec tá prius pœnituiſſe, quòd modò vixerit, quàm poſtea, quòd ſe promiſerint bene victuros. Sciunt me verum loqui, & teſtimonium mihi etiam conſcientiâ ſuâ dicunt, cùm multi alij, tum præcipuè nouorum honorum religioſi ambitores, & poſt acceptum pœnitentiæ nomen ampliſsimæ, ac prius non habitæ poteſtatis emptores, adeò non ſeculares tantùm, ſed plus etiam, quàm ſeculares eſſe voluerunt, vt non ſufficeret eis, quod antè fuerant, niſi plus eſſent, quàm fuiſſent.

Quomodo igitur tales iſtos pœnitentiam ſe egiſſe non pœnitet: Sicut etiam de conuerſione à Deo, aliquid cogitaſſe, qui à coniugibus proprijs abſtinentes à rerum alienarum perſuaſione, ſe non abſtinuerunt: Et cum profiteantur continentiam corporum, in incontinentiam debachantur animorum. Nouum prorſus eſt conuerſionis genus: licita non faciunt, ILLICITA committunt. Temperant à concubitu, & non temperant à rapina. Quid agis ſtulta perſuaſio? peccata interdixit DEVS, non matrimonia. Non conueniunt veſtris ſtudijs facta veſtra: non debetis eſſe, amici criminum, qui dicitis, vos affectatores eſſe virtutum. Præpoſterum eſt, quod agitis, non eſt conuerſio, ſed auerſio: qui iam pridem, vt fama eſt, opus etiam honeſti matrimonij reliquiſtis, tandem à ſcelere ceſſate. Et quidem iuſtum eſt, vt ab omni ſcelere: ſed tamen ſi non ab omni (quia hoc fortaſſè durum & impoſsibile eſſe creditis) certè vel maximo, & prodigioſo. Imp. 52. Zenone. E.R 45. Simplicio.

Sydonius Apollinaris.

480 HIc ex præfecto Auernorum antiſtes in Galliis factus, in quodam ſcripto queritur, in ingentes calamitates induci Chriſtianitatem, ambitione, & auaritia Epiſcoporum. Imp. Zenone & Odoacro Ital. Reg. Epiſcop. Simplicio. vt ſup.

Miracula.

488 AB Humerico Vandalorum rege, in Theodorici ac Venantij conſulatu, Chriſtiani acerrimè infeſtantur, in qua perſecutione multis linguæ ſunt mutilatæ, quibuſdam quoque penitus abſciſſæ, qui diuinitùs tamen curati, etiam ſine linguis optimè loquuti ſunt. Sigisbertus, Marcellinus & Æneas Gazæus Platonicus Philoſophus Chriſtianus. vt ſup.

Mirum.

490 HOc anno in Hiſpania in flumine Mineo capti ſunt piſces, in quorum tergoribus huius anni numerus ab Epocha natiuitatis Chriſti ſcriptus erat &c. Hæc Sigebertus Imp. 52. Zenone E.R 46. Felice.

Fauſtus Abbas.

490 ABbas Cœnobij Lirinenſis in Gallijs, ſcripſit librum de gratia Dei, & merita noſtra nulla eſſe Imp. Zenone 52. E.R. 46. Felice 1.

Heſychius Presbyter.

490 SCripſit Epiſtolam ad Auguſtinum de fine ſeculi & aduentu Domini: quæ inter Epiſtolas Auguſtini extat. Imp. Zenone E.R. Felice. vt ſup.

Idem Heſychius in Commentario ſuper Leuiticum teſtatur, euchariſtiæ reliquias ex con-ſuetudine comburi, non adorari: moſque ille ſeruabatur à tempore Origenis. Parùm antea, i[n] locis non ſacris conſecrabatur, laicis dabatur in manus, & in caniſtris vimineis ad ægrotos depo[r]tabatur panis ille myſticus: vt eſt apud Euſebium, Caſsiodorum, Petrum Equilium & ali[os] authores.

Quatuor nouissima.

HOc tempore prodiit liber Coloniæ impressus sub titulo, Quatuor Nouissima, In quo inter alia reperitur: quòd, dùm viuens quispiam defunctum precibus, jeiunijs, & eleemosynis redimere niteretur, defunctus responderit: sine pœnitentiâ esse indicia Dei in inferno: etsi totius mundi remedia exquirerentur: & quæ sequuntur. Imp. Zenone Episc. Felice. 1. 492.

Ordo Canonicorum. 495.



A viris religiosis, & pijs, ad monasticæ vitæ imitationem, etiam presbyterorum, & Canonicorum collegia instituta sunt, in quibus Clerici & Presbyteri ad certam & præscriptam regulam viuerent: & quia certis legibus & canonibus astringebantur, Canonici, ipsorumque collegia, monasteria appellata fuerunt.

De eorum origine, Apostolorum esse inuentum, scribit Thomas secunda secundæ, q. 88. quam opinionem falsam dicit Hospinianus. Habuisse enim ordinem suum præscriptum Apostolos Matth. 28. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. docentes eos seruare omnia, quæ ego mandaui vobis. Quam Regulam secutos esse testatur Marcus c. 16. dum dicit: Illi egressi prædicarunt vbique. Alij originem illorum referunt ad Vrbanum 1. qui circa annum Christi 230. simile quippiam instituit. De quibus in Decretal. 1. Posidonius in Augustini vitâ quoque hoc attingit: sed Augustini institutum Clericorum, prorsus fuit absimile hodierno: nullis enim votis, nec certis vestibus erant adstricti, sed quamprimùm sacris literis imbuti fuissent, ad Ecclesiastica munia trahebantur: docebant, prædicabant: non tantùm in choro (vnde Chorherren) cantabant.

Onuphrius, Gelasium Papam: Sabellicus En. 9. lib. 9. Philippum Eremitanum, apud Frisonariam Lucensis agri oppidum, Canonicorum authores fuisse ferunt. Crantzius Iuoni Carnotensi Episcopo tribuit: Balæus Berino: Gilbertus verò Cognatus in doctorum hominum locum, quorum Collegia Basilius & Augustinus instituerunt, Canonicos Regulares successisse, affirmat.

Hadrianus Damman Gandavus scribit, Canonicorum varia esse genera: Inter quos Hierosolymitanos Arnolpho pio Abbati: alios D. Augustino Hippone institutos: alios S. Iuoni in Galliâ: alios D. Ruffo: alios Iacobo S. Domini fratri, qui in Italiâ prope Lucam in Templo S. Mariæ de Frisonaria habitabant, ascribit. Sed fuit etiam Canonicorum parua societas, S. Spiritus prope Venetias. Item S. Georgij, & aliorum.

Sub Carolo magno deinceps anno 813. in Concilio Moguntiæ habito, Canonicorum vita fuit reformata: vt ibi. Et postea quoque sub Ludouico primo Imperatore liber de ea re conscriptus & diuulgatus est. De illis quoque constitutio facta fuit in Concilio Educensi Anno D. 1083. Progressu verò temporis affluentibus diuitijs, vetus disciplina penitus collapsa est: peperit enim religio diuitias, & filia deuorauit matrem.

Vestitus est tunica candida, cum lineâ togâ, sub nigro pallio: tegumentum à scapulis impositum, ceruicem totumque contegit caput, præterquàm à fronte, vt testantur Sabellicus Enne. 7. libro 9. & Polydorus Vergilius l. 7. c. 3. Et in Senonensi synodo cap. 22. sancitur, vt Canonici regulares tam intra quàm extra monasteria super veste exteriori togam lineam ferant. Volateranus libro 21. Antrop. de vestitu eorum ita scribit: Amictus est, inquit, linea tunica tantùm, veste cujuscunque superaddita, quam Iacobus Apostolus Præsul Hierosolymitanus primus ex more Leuitico veterumque Sacerdotum sibi assumsit: post eum Marcus Alexandriæ. Posteri verò diuersis inter se factis conciliabulis, alij alia simul cum lineis indumenta corripuêre, statutaque condidêre. Imp. & E.R. vt sup.



Ordo Canonissarum Regularium.



FVerunt etiam in hoc ordine Canonissæ Regulares, vt ex Bruschio de Monasterijs patet. Quod commune omnibus Ordinibus est, vt non solùm è viris, sed etiam mulieribus, hoc est, è Monachis & Monachabus simul constent, quo iucundior sit societas, & iugum Monasticum suauius. Hosp. Imperatore 53. Anastasio. E.R.47. Gelasio.

Gelasius E. R. in decretis de Consecratione dist. 2.

495 CIrca annum Domini 496. Gelasius Rom. Pon. in concilio Rauennæ duriter increpat sumentes communionem sub vna tantùm specie. Comperimus, inquit, quòd quidam, sumta tantùm corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur astringi) aut integrum sacrum percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diuisio vnius eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire &c. Ecce, quod hic Pontifex hoc loco grande sacrilegium, ac superstitionem esse dicit: nostri hodie catholicum, atque orthodoxum esse vociferantur. Imp. 53. Anastasio. E. R. vt suprà.

Ex eiusdem Epistolà ad Episcopos Dardaniæ. Acacius Constantinopoleos Episcopus expetità Romani Episcopi authoritate, Petrum Moggum excommunicauit, sed posteà eundem pœnitentiam agentem, non consulto illo recepit. Ac cùm propterea ipse à Felice P. P. esset excommunicatus, non modò id contempsit, sed etiam vicißim Felicem excommunicauit, & nomen eius ex catalogo Episcoporum erasit, vt constat ex Epistola Gelasij ad Episcopos Dardaniæ.

Annales VVirtembergici.

498 HIsce temporibus, cùm Francis Germani nollent amplius tributarij & subditi esse: Clodonæus eos magna vi armorum impetijt, & valde dubio dimicauit aduersus eos Marte: Cumque admodum de salute & victoria periclitaretur, ad Deum se supplicem conuertit, obnixè orans: O Domine Iesu Christe, quem coniunx mea Filium Dei nominat (erat enim Christiana dicta Clotildis, nata ex Burgundia, ipse verò adhuc dum Ethnicus) rogo & obsecro te ardentißimis votis, velis mihi victoriam concedere: tùm ego porrò in te credam, & baptimum promptißimo accipiam animo.

Nactus ergò victoriam, votum suum confirmat opere, & baptizatur cum tribus millibus suorum aulicorum, ab Episcopo Remarum Remigio. Cumque sic ex vxoris suæ consilio per baptismum ad religionem Christianam peruenisset, in eius memoriam, tanquam eines Weibs/ VVeiblingam, quam vulgus hodie VVaiblingam vocitat, loco, quo commissa fuerat pugna, vrbem extruxit.

Vrspergensis Abbas memorat, monumentum huius dominæ Clotildis spectari in pago vicino Beimstain, hodie Bonstein, cum hac inscriptione: Clodonæus hoc fecit vxori suæ. Meminit & huius monumenti Nauclerus, quem videre poteris.

Carolus Magnus Hildegardam oriundam ex hac VVeiblinga, Hildenbrandi Ducis Sueuiæ & Kedargæ cuiusdam Ducissæ Bauarorum filiam, habuit vxorem, & ex ea suscepit filios tres, Carolum, Pipinum, Ludouicum, totidemque filias.

Anno 783. Hildegardis vitam cum morte commutauit, & Campiduni mandata est humi. VVeiblingæ Carolus Magnus augusta celebrauit aliquando comitia.

Prodig.

498 TOlosæ in Gallia tota die torrens quidam fluxit mero sanguine: quod Gothi pro signo intertus agnouerunt &c. Sigebertus. Imp. 53. Anastasio E. R. 47. Gelasio.

Johannes Maxentius.

500 MAxentius ait, Liberum autem naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantùm & desideranda carnalia siue secularia, quæ non apud Deum, sed apud homines possunt fortaßis videri gloriosa.

Ad ea verò, quæ ad vitam æternam pertinent, nec COGITARE, NEC VELLE, NEC DESIDERARE, NEC PERFICERE POSSE, nisi per infusionem & inoperationem intrinsecus Spiritus sancti, qui est etiam Spiritus Christi. Spiritum enim Christi, qui non habet, hic non est eius. Quòd si quis credit in Christo, iam Christi est, Sicut & verum est, non vtique per donum naturæ, sed per Spiritum Sanctum est, qui Christi est. Qui iam credit in eum, qui iustificat impium, vt confitentur. Quia Dominus est IESVS, quod nemo potest dicere, nisi in Spiritu Sancto. Quapropter anathematizamus eos, quicunque naturale aut substantiam aliquam dicunt esse peccatum. Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apostoli audent dicere, Nostrum enim velle, sed Dei esse perficere, cùm idem Doctor & VELLE & perficere donum testetur esse diuinum, ipso dicente: DEVS enim est, qui operatur in vobis & VELLE & perficere pro bona voluntate. Credentes etiam omnes ab Abel vsque ad Christum, si qui saluati sunt ea gratia, qua & nos esse saluatos, secundum vocem beati Apostoli Petri, dicentis: Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum. Imp. 53, Anastasio. E.R. 48. Anastasio.

ENNODIVS.

Hic in suis poematibus, declamationibus, ac Epistolis hosce versus de leuitate ac vanitate cleri habet. 500

Qui ponti facies numerum qui nouit harenæ,
Fœmina quem iurans fallere nulla potest.
Astrorum plebem, qui & calles spectat amantum,
Cynthia cui certis cornibus innotuit.
Non valet hic vultus retinere per omnia mores,
Quos mutat clerus tempus in exiguum.

Pulchrè autem hæc conueniunt cum Symmachi testimonio, qui dicit, tetram ambitionem inuasisse clerum. Queritur alioqui aliquoties in suis Epistolis, de auaritia Papæ, qui sibi nescio quod debitum soluere noluerit. Recitat quoque prolixum decretum cuiusdam synodi, de adiungendis Episcopo testibus vitæ, in eo disertè ea synodus dicit Romanum Episcopum penè omnium Ecclesiarum gubernacula tenere, vt tamen tunc nondum fuerit vniuersalis Episcopus. Imp. 53. Anastasio, E.R. 48, Anastasio.

Finit Centenarius Quintus.



Christi	Num.	CENTENARII QVINTI IMPERATORES.	Anni	Mens.	Dies
402	66	Fl. Theodos. Iunior cum patre	6	2	15
		solus	42	3	0
451	67	Fl. Marcianus	6	6	0
457	68	Fl. Leo.	17	0	0
474	69	Leo Iunior, &			
474	70	Fl. Zeno Isauricus.	1		
		hic solus	15	0	0
475	71	Fl. Basiliscus.	1	6	0
492	72	Fl. Anastasius Dicorus	27	3	3
		PONTIFICES.			
401	41	Innocentius Albanus.	15	2	21
416	42	Zosimus Cæsariens: Cappadox Græcus.	3	4	7
419	43	Bonifacius Romanus.	3	9	20
420		4. Eulalius Romanus.	0	3	7
423	44	Celestinus Romanus.	8	5	3
432	45	Sixtus 3. Romanus.	7	11	0
440	46	Leo Magnus Romanus.	20	11	0
461	47	Hilarus Sardus	6	3	10
467	48	Simplicius Tiburtinus Latinus.	15	6	23
483	49	Felix 2. dictus 3. Iunior Romanus.	8	11	17
492	50	Gelasius Afer.	4	8	19
496	51	Anastassius 2. Iunior Romanus.	1	11	24
498	52	Cælius Symmachus Sardus.	15	7	28
498		5. Laurentius Romanus.	1	0	0

		CONCILIA.	Epiſ.	Seſs.	Can.
	89				
	90				
402	91	Conſtantinop. 5.			
	92	Chalcedonenſe 1.			
	93	Mileuitanum.			
403	94	Palæſtinum.			30
	95	Conſtantinop. 6. & 7.			
	96	Conſtantinop. 8.			
408	97	Epheſinum.			
	98	Alexandrinum 5. & 6.			

Chriſti	Num.	CONCILIA.	Epiſ.	Seſs.	Can.
413	99	Carthaginenſe 9.			15
	100	Carthaginenſe 10.			
414	101	Cebarſuſsenſe.			
415	102	Cirthenſe.			
417	103	Telenſe.			
418	104	Carthaginenſe 11.			20
422	105	Hipponenſe.			
430	106	Epheſinum 2.	200		
	107	Pamphiliacum.			
431	108	Romanum 13.			
	109	Antiochenum 10.			
433	110	Armeniacum.			
	111	Regienſe.			
	112	Hieroſolymitanum 4.			
439	113	Romanum 14. & 15.			
	114				
441	115	Arauſicum 1.			
442	116	Vaſenſe.			
443	117	Arauſicum 2.			
444	118	Carpenctoratenſe.			
446	119	Aquilienſe 2.			

CON-

448	120	Constantinop. 9.			
	121	Constantinop. 10.			
	122	Ephesinum 3.			
449	123	Berytium			
	124	Romanum 16.			
450	125	Ephesinum 4.			
	126	Constantinop. 11.			
451	127	Chalcedonense 2.	630		
452	128	Alexandrinum 7.			
453	129	Arelatense 3.			
460	130	Veneticum			
461	131	Thuronense			
478	132	Carthaginense. 12.			
	133	Romanum 17. & 18.			
484	134	Epaunense			
	135	Romanum 19.			
	136	Constantinop. 12.			
494	137				
495	138	Romanum 20.			

Christi	Num.	CONCILIA.	Anni	Mens.	Dies
498	139	Rauennas			
	140				
	141				
	142	Romanum 21. 22.			
	143	23. 24. 25. 26.			
	144				
	143				

ORDI-

ORDINES.

422. *Ord. Paulæ Romanæ.*
495. *Ord. Canonissarum Regularium.*
495. *Ord. Canonicorum.*

VIRI DOCTI.

Claudianus Poëta.
Rabina & Rabasse.
Vigilius.
Chrysostomus.
Innocentius Episcopus Roman.
Isidorus.
Orosius.
Paulinus presbyter.
Eusebius Emisenus. 420
Zosimus.
Theodoretus.
VVisigastaldus & Salagastus.
Socrates & Sozomenus.
Posidonius Afer.
Iulianus Toleti Episcopus.
Theodorus Episcopus.
Serenus.
Io. Cassianus Scytha.
Cyrillus.
Euodius Episcopus.
Palladius Episcopus.
Leporius.
Proba Falconia Romana mulier docta.
Eudoxia Theod. Iunioris Imp. vxor literata.
Iunilius. 440
Eugenius Chartag. Episcopus.
Polychronius.

Polychronius.
Sulpitius Seuerus.
460. *Victorianus.*
Theodorus Lector.
Prosper Aquitanus.
Sabinianus Episcopus Massiliensis.
408. *Sydonius Apollinaris.*
Faustus Abbas.
Hesychius Presbyter.
Gelasius.
Io. Maxentius.
Ennodius.
Gennadius Episc. Constantinop.
Simplicius Papa.
Gennadius Massiliensis Eccl. Presbyter.
Fulgentius Episcopus Ruspensis in Africa.
500. *Pascasius R. Ecclesiæ Diaconus.*



LECTI-

Anno

LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS SEXTVS.

Arrianorum Blasphemia.

510.



CVm hoc anno Deuterius Episcopus Arrianus, Constantinopoli quendam vellet baptizare, nomine Barbas, & hac forma vteretur: Barbas baptizatur in nomine Patris per filium in spiritu sancto: statim euanuit lympha baptismi: vt refert Cedrenus & Sigebertus Imp. 53. Anastasio. E.R. 49. Symmacho.

Symmachus Episcopus Romæ.

510.

HIc coram Theodorico Longobardorum rege, de grauissimis sceleribus accusatus, per adulatores Romanos indictâ caussâ fuit absolutus. Et ne videretur talis: scripsit librum de excessibus Clericorum. Imp. 53. Anastas. Episc. Rom. vt sup. 49.

Alamundarus Rex Sarracenorum.

515.

HIsce temporibus, cùm Alamandarus Princeps Sarracenorum baptizaretur, duo eum accesserunt Episcopi Arriani: hi consulebant ei, vt illorum amplecteretur sectam: Cùm verò esset ab orthodoxis baptizatus, & probè edoctus sinceram veritatem, acriter eos reprehendit huiusmodi fabula: dixitque: accepi hodie literas, Archangelum Michaëlem esse mortuum: illis verò dicentibus, esse hoc impossibile, respondit is, quomodo ergo Christus Dei filius secundum vestram opinionem, viuus crucifigi potuit, si non duas habuit naturas, cùm perhibeatis vos, nec Angelum posse mori? Confusi ergo cum ignominia Episcopi abierunt. Imp. 53. Anastasio Ep. Rom. 49. Symmacho.

Eutychianæ blasphemiæ.

515.

HOc anno Satanas multos homines, mares, fœminas & infantes tantoperè vexauit Alexandriæ: vt instar canum latrauerint: putaturque hanc pœnam fuisse Eutychianarum blasphemiarum Cedrenus, Sigebertus, & Nicephorus in fragmento. Imp. 53. Anastasio. E.R. 49. Symmacho.

Gildas Albanius Britto.

515.

HIc prophetico spiritu præditus, clerum & populum præmonuit superuenturæ in illos cladis. Et scripsit versus vaticiniorum. Huius Gildæ vitam scripsit Caradocus Lancaruanensis ex Cambria hoc addito carmine:

Historiæ veteris Gildas luculentus arator
Hæc retulit paruo carmine plura notans.

Imp. 53. Anastas. E.R. 49. Symmacho primo.

VVastaldus & Hunibaldus.

515.

VVAstaldi historiam continuauit Hunibaldus Francus, de Regibus Francorum 18. libris per annos 926. Hunibaldum Genebrardus lib. 3. Chron. fabulosum putat, quia Francos non à Troianis ortos facit. Imp. 53. Anastasio E.R. 49. Symmacho.

Hormisda E. R. 50.

516.

MAturè cœpit monastica hypocrisis, vt Hormisdam Rom. Pontificem in Epistola ad Possessorem Episcopum, opus fuerit acriter illam perstringere. vt ibi Imp. 53. Anastasio.

Iustinus Pius, Imp. 54.

521.

HOc tempore excitauit DEVS Imperatorem, qui hæreses blasphemas, Eutychianam, Nestorianam, & Arrianam summo studio extirpauit, & hæreticorum Episcopos, templa & conuentus habentes publicos, eiecit & exterminauit.

Atq; hic finiti sunt anni 150. id est 5. menses quibus Arriani potentes esse debebant, vt prædictũ est Apoc. 9. Diac. lib. 17. Aemil. lib. 1. Blond. lib. 3. dec. 1. Imp. Iustino Pio 54. E.R. 50. Hormisda.

Iustinianus Imperator 55.

525. CVm deprehendisset, etiam Episcopos masculorum corruptores: eorum aliis virgam virilem amputari iussit: alijs calamos acutos in meatus genitalium inseri, eosque in forum quasi in triumpho produci. Quid hodie? Vide Cedrenum. E. R. 52. Felice 2.

Ius Ciuile.

530. IVstinianus Imperator id in Nouellis, constitutione 124. & 126. disertè præcipit, vt in templis vulgaribus linguis, quæ in singulis locis notæ sunt, omnia agantur & tractentur. Præcipit item ius, vt clara exaudibilique voce, verba Sacramentorum & Cœnæ Domini & Baptismi recitentur: quo astantium deuotio seu pietas excitetur.

De primatu ita statuit Nouella 123. vt vniuscuiusque prouinciæ clericos suo Patriarchæ, sine vlla vlteriori prouocatione subiecerit. Constitutione 100. porrò, Constantinopolitanum patriarcham Romano æquat. Notabit autem lector in numero 30. fatalem quandam excellentiam & dignitatem. Anno enim 30. Christus cœpit concionari, & synagogas Iudæorum reformare. Iterum 30. anno supra 500. Iustinianus leges confusas & inordinatas restaurauit, & lege lata paganos & hæreticos extirpauit. Deinceps rursus anno 30. supra mille, Lutherus per Augustanam Confessionem, Ecclesiam Christi traditionibus miserè defœdatam reparauit. Imp. 55. vt sup. E.R. 52. Felice 2.

Lenones & Fœneratores.

IN l. palam ff. de ritu nup. dicitur, qui habet mancipia plura, & ea prostituit, particepsque est quæstus, lenocinium facit. Ille igitur qui quæstum ex tot meretricibus, & concubinarijs sacrificulis accipit, & tales quoque in terris suis fert, ex quibus ad minimum vigesimam partem fœnoris capit, quid est? Conuenit hic Psalmus: si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem captabas.

Procopius Cæsariensis.

530. VAndali Arrianâ labe infecti, cùm per nonaginta quinque annos in Africâ catholicos miserè diuexassent, & eorum bona passim in prædam vertissent, ecclesiasque donarijs & thesauris spoliassent: Græcis prædæ fuêre, qui numero pauci ductante Bellisario ingentes illorum copias, toti Europæ antea formidabiles, deuicêre: & Gilimerum regem cum malè partis opibus in triumphum Constantinopolim deduxêre. Imp. & E. R. vt sup.

Bellisarij Triumphus.

POstquam Bellisarius insignem statuit Constantinopoli triumphum victoriæ partæ de Vandalis: protinus à Cæsare tanto ornatur honore, vt etiam numismata cuderit, in quorum alterâ parte imago erat Cæsaris: in altera Bellisarius cum hac inscriptione: Bellisarius Romanorum decus. Cedrenus.

Fortuna aulica eiusdem.

BEllisario & Ioanni fortissimis & benemeritis Ducibus, dignitatem & opes eripuit Iustinianus Imperator. Constat enim post multas victorias & peractos triumphos Bellisarium exitum tandem habuisse magnis plerunque viris, & optimè de Republica meritis communem. Nam Iustiniani iussu, siue Triboniani eius Cancellarij, cuius prima apud ipsum principem erat authoritas, odio, quin potius inuidia excæcatus est, oculis crudeliter exemtis: qui tam graui, tamque iniquâ oppressus fortunâ tuguriolum sibi prope viam constitui fecit, in quo reliquum vitæ transigeret, victum quæritans: & hoc subinde prætereuntibus dictitans: Date stipem Bellisario, quem rerum prosperè gestarum magnitudo extulit, inimicorum inuidia excæcauit. Hæc Procopius, Crinitus, Ægidius Perrinus & Ammonius monachus.

Idem Procopius. Cùm Bellisarius deuictis Vandalis Byzantium res multas, quas olim ex Hierosolyma Titus Vespasianus ceperat, inueheret: Iudæus quidam astans, & hæc videns, ad proximum suum aulicum dixit: has opes Byzantium inferri palatium minimè oportere: Romanum enim Imperium exinde prius fuisse direptum, & nunc etiam Vandalorum. Quibus ad se delatis, Imperator obstupuit, & cuncta iterum Hierosolymam transmisit. Imp. & E. R. vt sup.

Idem lib. primo, de bello Gothorum. In Piceno agro tradunt non minùs, quàm quinquaginta millia hominum præ inediâ interijsse, & longè plures extra Ionicum sinum. Inualescente autem hoc malo, tandem eò deuentum est, vt homines cogerentur humanis carnibus vesci. Duas fuisse tunc fœminas tradunt, quæ viros septendecim interfectos assumserant. Sed eò iam alibi quoq; creuerat famis necessitas, vt quicquid vbiq; herbarum esset, celerius nonnulli adirent: & genu in terram nixi, cùm auellere has niterentur, deficientibus viribus (nam è corporibus vigor omnis abscesserat) porrectas ad herbas solo moribundi procumberent, insepultiq; passim manerent, cùm nemo hos humo contegeret. Non enim erat, qui sepulturæ rationem haberet.

Maurorum Vates.

HOrum vates sunt tantùm fœminæ: nam in hac gente viros vaticinari nefas est. Procopius.

Cabades Rex Persarum. 530.

CAbades Rex Persarum, finitimum suo regno oppidulum Tzudader refertissimum magnis diuitijs libenter occupasset: Diabolum autem inde, qui prohibebat eum, & occupauerat locum illum, repellere non poterat, nec magorum nec Iudæorum ope & arte. Vocato igitur quodam Episcopo Christiano ditionis suæ, rogat, vt hoc Regi elaboret. Ille igitur conuocata concione, & habita litania & precibus, imperterrito animo aggreditur oppidulum, suisque precibus inde Satanam arcet, sicque illud Regi occupandum nullo negotio tradit, &c. Hoc miraculo mitior factus in Christianos Rex, Episcopo primum dono dat locum in oppido præ omnibus reliquis religionibus: & Christianam religionem & Baptismum amplectendi facit copiam quibuslibet. Cedrenus, & Nicephorus in fragmento. Imp. 53. Anastasio. E. R. 50. Hormisda.

Arrianis patrocinatur Papa. 530.

HOc anno Rex Theodoricus in Italia seriò Arrianorum, quorum & ipse amplectebatur sectam, curam capessit, & mittit Ioannem Papam Romanum cum alijs nonnullis Constantinopolin ad Cæsarem, vt ei referret, si Arrianos non suis aris & focis restitueret, & tranquillitatem ac pacem redderet, ipsum Romam & totam Italiam igni & ferro funditùs vastaturum. Venit igitur Constantinopolin Papa: excipitur magnis applausibus & honorificentia, mandata expedit, & petita consequitur. Penes Lectorem sit, hoc factum Papæ pro Arrianis, interpretari, & considerare quòd idem ipse Ioannes Papa ab eodem Theodorico in carcere postea necatus fuit. Imp. 54. Iustino Pio E. R. 51. Ioanne 1.

Iordanus Episcopus Gothorum in Chronico. 530.

PApa Romanus Legatos mittit Constantinopolin ad Cæsarem, vt conuerteretur. Cæsar autem à se Legatos prohibet, & ad Papam scribit: Nobis placet imperare & præcipere alijs, non ab alijs iussa in nos capessere. Imp. & E. R. vt sup.

Ordo Apostolicorum. 530.



COngellus illustri genere natus in Britannia, Bannocorente Cœnobium in Anglia instituit, sub Apostolici Ordinis titulo Anno 530. Fuerat cœnobium illud à Lucij Regis tempore annos circiter 350. Christianorum Philosophorum Collegium: & tùm demum à Congello, vt dictum est, permutatum in cœnobium monachorum. Hic Ordo, qui in Britannia primùm cœpit, in alias quoq; Europæ partes plantaria deinde transmisit: & incrementa largissima nactus est. De hoc ordine Bernardus in vita Malachiæ Hiberniensis Episcopi verba facit. Vestitus eorum erat melote ex caprinis pellibus, cuculla stricta, & candida stola. Apostolico more pedibus ad prædicandum perrexerunt: baptizarunt, simulachra euerterunt: Ecclesias condiderunt: ægrotis ministrarunt, languores curarunt, in magnâ abstinentiâ vixerunt. Balæus refert hoc cœnobium plerunque bis mille & centum eodem tempore inhabitatores habuisse, qui non ad Regulam Basilij, aut Augustini, sed Christi vixerunt. Discipulos habuit Brendanum, Columbanum, & Gallum. De illis vide Petrum de Natal. lib. 9. cap. 72. & Stumpfium in Chronico, Hermannum Contractum & Vrspergensem, Surium VValafredum Abbatem Augiensem in vita S. Galli. Imp. & E. R. vt sup.

530.

De Ordine Benedictinorum.



BEnedictus Nursinus Italus, Casſinenſe cœnobium condidit: quod ad tantas diuitias excreuit, vt 40000 aureorum in annuis reditibus habuiſſe dicatur. Scripſit Leo Hoſtienſis hiſtoriam eius monaſterij. Duodecim cœnobia extruxiſſe dicitur. De Casſinenſi ſcribit Volateranus lib. 21. Anthrop. Polyd. Vergil. lib. 7. cap. 2. Greg. Papa in dial. libro 2. cap. 1. Panthal. in Chron. Primum fuiſſe aſſerunt, qui regularem vitam certis legibus, & ordinibus admotis inchoauerit: priùs enim Monachi liberè Chriſto vixerant. Seb. Franck. Natus fuit Benedictus anno 480. Mortuus anno Domini 542. ætatis 62. Tritheymius. Veſtitus erat atricolor, cum baculo in manibus.

Regna potiùs, inquit Volateranus, quàm cœnobia vir ſanctus poſteris reliquit, ignorans nimirum, non ſe tam pauperibus hoſpitium, aut Chriſti ſeruis ad diuina myſteria ſubſidium (vti ſperabat) quàm Clericis ac Sacerdotibus ocium atque luxuriam pariturum. Verba ſunt Volaterani. Hoccine autem eſt mundum relinquere & bonis ſecularibus renunciare? Hoſp.

In veſtitu veteres vſi fuerunt cuculla, tunica, & ſcapula.i. Cuculla eſt cappa ſupra tunicam inferiorem, quam Meloten quidam appellant: ſolebat enim antiquitas de illius animalis pelle fingere cappas, quæ Melos nominatur: à nonnullis Tax dicitur. Iſidorus lib. 19 cap. 24. Theodomarus Abbas 12. Casſinenſis Mon. ad Carol. Magnum. Gregorius in dial. Melo. Scapulare dicitur à ſcapulis, quòd ſcapulas tegit. Benedictum de veſtitu non fuiſſe ſolicitum, apparet ex eius Regulâ, cùm dicit: De colore non cauſentur Monachi. Hodie tamen proprij Benedictini vtuntur nigro colore tunica laxiore, ac diſtincta, ad pedes vſque demiſſa, cucullo capitis in humeros & ſcapulas breuiùs reiecto. De quo Sab. En. 8. lib. 2. Anton. tit. 15. cap. 14. §. 8. & Polyd.

Monachos in Martini Turonenſis monaſterio ſericis indutos fuiſſe veſtibus, & deauratis calceis affirmant Chron. Æditui, & Erfordienſis. cap. 69.

S. Benedictus in Claro monte.

CVm de ſancto Benedicto Abbate, fatidicum habente ſpiritum, celebris fama perueniſſet ad aures Regis Oſtrogotthorum Totilæ: is ſeruili aſſumta toga ac amictu, & miniſtro ſuo regijs veſtimentis induto, ad Benedictum, in monaſterium eius, Casſinum ſe recepit: Benedictus autem Regem ex ſapientia ſua illicò agnouit, & doli eum huius coarguit, & annunciauit, quid ipſi in reliquum euenturum eſſet, dicens: Nouem regnabis annos: decimoque vitam cum morte commutabis. Fratres eius illi aliquando in vino (de quo mox plura) venenum propinauerant: at ille bibiturus ei prius benedixit ſigno ſanctæ crucis: tunc vas e veſtigio diſsiluit, & diſruptum fuit. Schedel. & Hedio lib. 3. cap. 2. Imp. 55. Iuſtiniano. E. R. 57. Vigilio.

De eodem & eius Regula.

REgulam conſcripſit Benedictus, in qua ſuis Monachis normam viuendi in monaſterijs, tradidit. Edidit & Gregorius Magnus Regulam, quam quidam Benedicto adſcribunt, ab Eugenio Papa confirmatam deinceps anno Domini 825. Cuius etiam Tomus 1. Conciliorum mentionem facit: vt & Bergomenſis lib. 10.





Cùm autem Monachi tum temporis, vt & hodie, potiùs ocio, voluptatibus, & libidinibus, quàm duræ regulæ assuefacti essent, Benedictum è medio tollere, quàm Regulæ se subijcere maluerunt: ac proinde ei venenum poculo mixtum præbuerunt: quo accepto poculum fractum & effusum fuit. Hunc Benedictum pingunt in manu gestantem vitreum poculum fractum cum cadente serpente. De his vide epist. Theodmari Abbatis 12. Casinensis Cœnobij ad Carolum Magnum. Ioh. Andr. in Clem. de statu Monachorum. Alphonsum, Aluarem Guerreum in Thesau. Trith. & Polyd.

De eodem.

S. Benedictus Monachis secularia negotia planè interdicta esse voluit. Sed qualiter huic mandato satisfaciant hodierni, indicant eorum actiones: qui plus terrenis, quàm diuinis se implicant rebus: legationibus funguntur: iudicijs, bellis, & prælijs intersunt bellicosi. Sic, vt Regino scribit, Ebulo Abbas castrum quoddam in Aquitaniâ expugnans, ictu lapidis perijt. Sic Hugonem, & Ganfredũ Abbates cum Normannis conflixisse, multosq; interfecisse, scribit Auentinus. Sic passim hodie reperiuntur Abbatiæ, propugnaculis, fossis, mœnibus, & tormentis bellicis adeo munitæ: vt dicere possis, precibus nihil amplius opus esse. Sic more Regum & Principum mundanorum, apud Abbates hodie inuenias equestris ordinis Tetrarchas, Officiarios, Præfectos aulæ, Mareschallos, Pincernas proprios, & hæreditarios constitutos: non attendentes illud Christi: Reges gentium dominantur eis: Vos autem non sic.

Et habent quoque (vt Campidonensis) potestatem cudendi monetas. Bruschius de Monasterijs. Vnde non iniuriâ Petrus de Alliaco de reformatione Ecclesiæ inquit: Diligenti emendatione opus esset, quòd religiosi, & Monachi plus sunt Officiales fisci, quam Christi.

Scholasticanæ Benedictinæ. 530.



SOrori Scholasticæ Benedictus hunc quoque ordinem constituit, & Cœnobij Abbatissam fecit. Vestitus earum erat cucullus niger. Eas Regulæ Benedicti subiecit Synodus quædam Francica: quæ habetur Tomo 2. Conciliorum. vt sup.

Bonifacius 2. 53. 531.

BOnifacius 2. Pontifex Rom. conuocata synodo decreuit, quòd liceat Pontifici viuo successorem ordinare. Et statim Vigilium suum Diaconum elegit successorem, si moreretur. Paulò pòst cùm eum pœnituisset facti, quòd alteri habenas commisisset, iterùm conuocata synodo, fassus est, se contra dignitatem sedis Apostolicæ, & contra canones egisse. Itaque ab adulatoribus facilè impetrauit, vt Chirographos igni traderent, & electionem irritam facerent. Ex lib. Pontif. Imp. 55. Iustiniano. E. R. vt sup.

Ex Chronico Marcellini Comitis.

ECclesiam Constantinopolitanam flammа ignis, quæ de Beati Ioannis throno quondam Episcopi nata fuit, subitò conflagrauit, vicinamque Ecclesiæ vrbis faciem serpens seu draco simul exussit. Vixit hic author tempore Iustiniani Cæsaris. Et eius mentionem faciunt quoque, Casiodorus, Cuspinianus & Schonhouius. Imp. Iustiniano. E. R. vt sup. 531.

Syluerius E. R. 56.

SYluerius Campanus, Hormisdæ Rom. Pontificis filius, post Agapeti in itinere mortem, iubente Gothorum Rege Theodato, in eius locum sine Imperatoris consensu assumebatur. Instigante igitur Vigilio Diacono, eumque fortiter accusante, quòd Romam Gotthis prodere voluisset, in exilium à Theodora Augusta, & Antonina Belisarij Ducis uxore, in Pontum Insulam relegatus fuit. Res parui, vt apparet, momenti Papatus Romanus tunc erat: cùm inferiorum Principum iussu ac mandato Pontifices crearetur: & à fœminis exautorari, & loco amoueri possent. Imp. Iustin. E. R. V. S.

Dionysius Exiguus Abbas Romanus.

531. HIc author scripsit latino sermone, cyclum paschalem magnum, annorum 532. & de ratione Paschatis festi librum vnum: renouauit numerum aureum seu decennoualem: atque primus cœpit in annotatione temporum numerare annos ab Epocha natiuitatis Christi.

Notabit autem hîc lector, diuersas historicorum consuetudines, in assignationibus annorum. Numerant enim aliqui ab initio conditi mundi: alij à prima Dynastia Ægyptiorum, quæ cœpit secundũ Krentzheimiũ anno mundi 1793. & durauit annos 996. Quidam ab exitu filiorũ Israël de Ægypto, anno mundi 2454. Plurimi à destructione Troiæ anno mundi 2788. Non pauci ab initio Olympiadum. Celebratus est autem ludus Olympicus primus, ab ipso autore Hercule, anno mundi 2766. Pòst intermissa sunt certamina illa, per annos 430. sed denuò instaurata anno mundi 3196. & ab inde singulis quadrienniis celebrata sunt: Vnde Græci omnia tẽpora ad hoc quatuor annorum spacium reuocârunt: & Olympiades dici & numerari cœperunt vsque ad annum mundi 4408. vbi desierunt. Nonnulli ab vrbe Roma condita, anno mundi 3220. ab initio septimæ Olympiadis: post destructionem Troiæ, anno 433. vt sentiunt quoque Clemens Alexandrinus lib. 1. strom. Cedrenus fol. 88. & de eodem Censorinus, Dion, Plutarchus & Appianus. Quidam à Nabonassaro (quem vocat Scriptura Salmanassarum) Rege Assyriorum, anno mundi 3225. Quidam ab anno 3258. quando Numa Pompilius 2. Rex Romanorum, cùm sub Romulo priùs decem tantùm fuissent menses, addidit duos alios Calendario, Ianuarium scilicet & Februarium: anno ab vrbe condita 29. Durauit deinde hæc correctorum mensium obseruatio, annis 669. vsque ad Caium Iulium Cæsarem Imperatorem primum: qui opera doctissimi Astronomi Sosigenis, secunda vice annum correxit: vnde postmodum anni Iuliani vocati & vsurpati sunt: vt de his scribunt Dion, Suetonius, Macrobius, Censorinus, Varro, Dionysius Halicarnassæus, Nicol. Copernicus, Erasmus Reinholdus, Ioannes Stadius, & alij plures.

Quod igitur vides Regum tantùm fuisse olim, hoc arrogauit sibi nostro seculo Pontifex Romanus: vt adimpleatur Scriptura: mutabit Antichristus leges & tempora.

Nonnulli numerant ab initio Hebdomadum 70 Danielis, anno mundi 3514.

Multi obseruant Periodos Calippi, quæ cœperunt anno 3643. & durat quælibet annos 76. Earum sæpè meminit Ptolemæus in Almagesto.

Aliqui à morte Alexandri Magni, anno 3648.

Quidam vtuntur calculo Ærarum Dionysij, quem cœpit quoque Ptolemæus anno mundi 3687. vrbis 468.

Antiochienses suum quoque habent modum numerandi, cuius meminerunt Nicephorus, Eusebius, Marianus Scotus, & Euagrius: cœpitque anno Mundi 3923. Romæ 704.

Posteriorum seculorum historici, numerant annos à natiuitate Christi: de cuius tamen certo anno plurimum discrepant, vt suprà.

Post Christum natum præcipua Epocha est Indictio Romana, tempus annorum 15. quæ hac occasione obseruari cœpit vbique terrarum, teste Iacobo Köbelio Mathematico. Romani, domini totius orbis, omnibus Prouincijs, & regnis suis mandârunt, vt singulis lustris, seu quinquennijs peculiare tributum conferrent ad Rempublicam, seu Imperium Romanum. Primo quidem quinquennio ferrum, vt ex illo conficerentur arma & scuta pro militibus: altero quinquennio argentum, vt ex illo cuderentur numismata, & persoluerentur stipendia militibus: tertio quinquennio aurum, & hoc referebatur in ærarium publicum, vt esset thesaurus Reipublicæ, ad quem confugeretur tempore necessitatis.

Numerari autem & obseruari ab historicis, Indictiones cœperunt, vt essent certus terminus à quo, & ad quem fierent assignationes temporum, (nam Epocha natiuitatis Christi erat adhuc inconsueta & ignota) anno mundi 4279: & adhuc hodie vbiq; in Imperio sunt in maximo vsu. Alhigera est modus numerandi Arabum & Turcarum, & cœpit anno Christi 622. de quo Fasciculus temporum, D. Beuther, & Erasmus Reinholdus. Persæ quoque peculiarem numerandi habent modum, quem Iesdagert vocant, & cœpit anno post Christum 632. decem annis post Alhigera. Illius meminit Robertus Rotensis in fine Alcorani, Alphonsus, & Reinholdus in tabulis reuolutionum Astronomicis.

Sed & Tomi Conciliorum peculiarem habent modum, qui tamen alibi non est in vsu, propter varietatem & perplexitatem.

Græci & Moscouitæ numerant non à Christo nato, sed condito mundo: quod videre licet e Cedreno, Zonara, Nicephoro & alijs.

Cen-

Censorini, Antonini Pij, Socratis, & authorum historiæ cùm Ecclesiasticæ, tum Tripartitæ quoque sunt diuersi numerandi modi: vt eos apud Historicos Lector reperiet.

Theliesinus Helius Bardus Britto. 540.

FVit hic Philosophus & Mathematicus summus, ad quem confluxerunt studiosi, tanquam ad oraculum quoddam. Discipulum habuit Merlinum illum Vatem ex patre incubo natum, Astrologum, & qui Cometarum & Planetarum motus monstrabat, item de Regni Anglici & Religionis mutatione sub finem mundi futura vaticinabatur: Nauclerus Vol. 2. gener. 17. Guilhelmus Nembrigensis in procem. hist. Angl. Imp. & E. R. vt sup.

Pelagius E. R. 58. 555.

PElagij Papæ sententia 99. dist. citatur, ne quisquam vniuersalis Episcopus nominetur. Pelagius omnibus Episcopis: Nullus Patriarcharum Vniuersalitatis vocabulo vnquam vtatur. Quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit à fidelibus, hoc sibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vnquam, etiam suis in epistolis, vniuersalem nominet: ne sibi debitum subtrahat, cùm alteri honorem affert indebitum. Dicit hic idem in eadem decretali, eum fore præcursorem Antichristi, qui sibi id nomen vniuersalis Episcopi vsurpauerit. Idem duo senserunt huius successores Ioannes 3. & Gregorius 1.

Distinctione vigesima octaua dicit hic Papa, cœlibatum sacerdotum, & Episcoporum præcipuè, esse ideo institutum, ne Ecclesiastica bona in vxores & liberos eorum dissiparentur. Veruntamen an hæc sufficiens sit causa tot adulteriorum, fornicationum, infanticidiorum, & horrendorum scelerum, viderint Papæ. Vnde Æneas Syluius Papa postea dixit: Ob maximas causas matrimonia fuisse prohibita: sed restituenda ob maiores, vt infrà. Obseruetur hic diligenter causa, cur coniugium sacerdotum à Romana Ecclesia prohibitum sit, non quòd per se res sit illicita, sed ob periculum bonorum Ecclesiasticorum. Imp. 55. Iustiniano. E. R. vt sup.

Brendanus Canocius. 560.

BRendanus Canocius Abbas scripsit librum de legibus, & obseruationibus monachorum: & Iudam proditorem Christi, in insulis Fortunatis repertum prope mare sedentem, qui nec monachorum cœtum hucusque deseruerit. Imp. Iustiniano. Episcop. Rom. Pelagio 1.

Rentigernus Eluius Britto. 560.

PRophericè prædixit de inclinatione imperij Brittannici: tradens (inquit) tradet Dominus Brittanniam exteris nationibus Deum ignorantibus. Indigenis euacuabitur à paganis Insula. Christianæ legis religio vsque ad præfinitum tempus dissipabitur: sed in pristinum statum, miserante Deo, in fine reparabitur. Imp. & E. R. vt sup.

Horrendum. 562.

IN Gallia mons super Rhodanum fluuium multis diebus dans mugitum, tandem ab alio monte sibi vicino discissus, cum Ecclesijs & domibus, hominibus & bestijs in Rhodanum præcipitatus est. Sigebertus. Imp. 55. Iustiniano. E. R. 58 Pelagio.

Portentum. 567.

HOc anno sanguis ex terrâ & parietibus profluxit. Admodum etiam exundauit Tiberis, & Romæ, alijsque in locis magna damna dedit: eaque omnia subsecuti impetus, & occupationis terræ factæ à Longobardis prænuncia & signa fuerunt. Vide Tritheimium, Sigebertum, & Palmerium. Imp. 56. Iustino. E. R. 59. Ioanne 3.

Exarchatus Rauennæ. 567.

EXarchi ab Imp. Romanorum constituebantur, quorũ authoritate Pontifices eligebantur & confirmabantur. Initium eorum fuit circa annos 567: durauit annis 175. Blondus dec. 1. lib. 8. Genebrar. Cùm autẽ Pontifex deinde Italiam sibi subijcere cogitaret, sumta occasione, ob imagines: Leonem Imp. anathemate ferijt, cum mandato, ne quis ei pareat, aut vectigalia in posterum tribuat. Sic Paparum rapacitate diminutum Imperium orientis, à Saracenis postmodùm occupatum fuit. De quo plura in libro meo patrimoniorum Imperij & Papæ.

Merlinus Caledonius seu Syluestris, Britto. 570.

FVit discipulus Theliesini Vatis de quo suprà. Eius extant Mirabilia, de quibus inter alios scripsit Galfridus Monachus, de quo infrà. Balæus. Imp. 56. Iustino iuniore. E. R. 59. Ioanne 3.

Idem in reuelatione de summis Pontificibus. Hic inter alia dicit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, post longinquam enim Christicolarum tribulationem, & post nimiam innoxij sanguinis effusionem, prosperitas domini veniet ad desolatam gentem scil. Christianam: Pastor egregius in solio sedebit, qui cuncta rectificabit: orientali & occidentali Ecclesiæ dominabitur, & fides vna vigebit: tunc pastor vnus, lex vna, Iesus Christus, cuncta ordinabit, & post vulnera mellifluam applicabit medicinam.

Tiberius Const. Imp. 57.

580. HIc cùm quotidiè magnas pauperibus largiter daret eleemosynas, Deus illum multo auro donauit. Quodam enim die, cùm per palatium suum deambularet, conspexit quendam lapidem in solo, cui erat insculptum signum sanctæ crucis: tunc ait: sanctâ cruce (quam hodie, scelus, Papa calceis infigit) signanda est frons & pectus nostrum, & ecce eandem hic conculcamus & terimus pedibus: mandat igitur lapidem amoueri.

Sublato autem eo, alius suberat eodem modo signatus: exemto & isto, tertium itidem talem inuenerunt: cùm verò & hunc amoueri iuberet, illi dictis obsecuti plus quàm centum repererunt auri talenta. Hoc Tiberius recepit, & multa de eodem pauperibus munifica liberalitate dedit. Gregorius Turonensis, Eutropius, Tilmannus Breitenbachius, Valentinus Leichthius speculo miraculorum, Cardinalis Cæsar Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, Tom. 7. & Hedio: Imp. vt sup. E. R. 60. Benedicto.

Gildæ Badonici monachi sapientis Castigatio in Ecclesiasticum Ordinem.

580. GIldas Badonicus cognomento Sapiens, Bannochorensis Cœnobij monachus, Sacerdotes Britanniæ flagitiosè viuentes, tum ore, cùm calamo, acriter perstrinxit. Montes malitiæ Episcopos, monachos, & clericos vocabat: mox vt eos vidit aduersus Deum erigi, scriptis eos à vitijs auocare studuit: Liber eius, qui dicitur, Acris correptio in Ecclesiasticum ordinem, hic est: Britannia habet sacerdotes, sed nonnullos insipientes: quàm plurimos ministros, sed multos impudẽtes: clericos, sed quosdam raptores, subdolos: pastores, vt dicuntur, sed occisioni animarum lupos paratos. Quippe non commoda plebi prouidentes, sed proprij plenitudinem ventris quærentes: ecclesiæ domus habentes, sed turpis lucri gratia, eas adeuntes: populos docentes, sed præbendo interdum pessima exempla, vitia, malosq; mores: rarò sacrificantes: ac rarò puro corde inter altaria stantes: plebem ob peccata non corripientes: nimirum eadem agentes: præcepta Christi spernentes: & suas libidines votis omnibus implere curantes: sedem Petri Apostoli immundis pedibus aliquos vsurpantes, sed meritò cupiditatis, in Iudæ traditoris pestilentem cathedram desidentes: sæpius detrahentes, & rarò vera dicentes: veritatem pro inimico odientes, & mendacijs ac si charissimis fratribus fauentes: iustos, inopes, inanes, quasi angues toruis vultibus conspicantes: & scelcratos diuites, absq; vllo verecundiæ respectu, sicut cœlestes angelos venerantes: egenis eleemosynam esse dandam, summis labijs prædicantes, sed ipsi vel obolum non dantes: nefanda populi scelera tacentes, & suas iniurias, quasi Christo irrogatas amplificantes, religiosam fortè matrem seu sorores domo pellentes, & externas, vel vt secretiori ministerio familiares indecenter accipientes, vel potius, vt vera dicam, licet inepta, non tàm mihi, quàm talia agentibus, humiliantes ecclesiasticos posthæc, gradus propensiùs quàm regna cœlorum ambientes, & tyrannico ritu, acceptos defendentes. Nec tamen legitimis moribus illustrantes, ad præcepta sanctorum si aliquando duntaxat audierint, quæ ab illis sæpissimè audienda erant, oscitantes, ac stupidos, & ad ludicra & ineptas secularium hominum fabulas, ac si iter vitæ mortisq; pandant, strenuos, & intentos pinguedinis gratia, taurorum more, raucos & ad illicita infeliciter promptos, vultus arroganter in altum habentes, & sensus conscientia remordente, ad ima vel tartarum demersos, vno sanè perdito denario, mœstos, & ad vnum inquisitum lætos in Apostolicis sanctionibus ob inscitiam, vel peccatorum pondus, ora etiam scientium obturantes, hebetes, ac mutos, & inflexibus mundialium negotiorum mendacibus doctissimos, quorum de scelerata conuersatione, multos sacerdotio irruẽtes, potius vel illud penè omni pecunia redimẽtes, quàm tractos, & in eodem veteri in faustoq; intolerabiliũ cœno piaculorum, post sacerdotalem, episcopatus, vel presbyterij sedem, qui nec ibidem sæpe sederunt, vtpote indigni, porcorum more, volutantes, rapto tantum sacerdotali nomine, nec tamen tenore, vel Apostolicâ dignitate accepta, sed qui nondum ad integam fidem, sunt malorum pœnitentiam idonei, quomodo ad quemlibet ecclesiasticum, vt non dicam summum conuenientes, & apti gradum, quem non nisi sancti, atq; perfecti & Apostolorum imitatores, & vt magistri gentium verbis loquar irreprehensibiles, legitimè. & absq; magno sacrilegij crimine suscipiunt. Quid enim tàm impium tamq; scelestum est, quàm ad similitudinem Simonis magi, non intervenientibus licet interea promiscuis criminibus, episcopatus officium, vel presbyterij, terreno pretio, quod sanctitate, rectisq; moribus decentiùs acquiritur, quempiam velle mercari? Sed in eo isti propensiùs vel desperatiùs sunt. quod non ab Apostolis vel Apostolorum successoribus, sed à tyrannis & à patre eorum diabolo fucata, & nunquam profutura emũt sacerdotia: quin potius velut culmen tectumq; malorũ omnium quoddá, quò non facilè eis improperentur, à quoquã admissa prisca vel noua, & cupiditatis gulæq; desideria, scelestæ vitæ structuram supponunt. vt præpositi malorum faciliùs rapiant. Nam si talis profectò coëmptionis conditio ab impudentibus istis, non dicam Apostolo Petro, sed cuilibet sancto sacerdoti pioq; regi ingesta fuis-

set.

set, eadem responsa accepissent, quæ ab Apostolo autor eorundem magnus Simon accepit, dicente: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Sed fortè heu, qui ambitores istos ordinant, imo potius humiliant, atq; pro benedictione maledicunt, dùm ex peccatoribus, non pœnitentes, quod rectius fuisset, sed sacrilegos & desperatos faciunt, & Iudam quodammodo in Petri cathedra Domini traditorem, ac Nicolaum immundæ hæreseos autorem in loco Stephani martyris statuunt: eodē modo sacerdotio adiciti sunt, & ideo non magnopere detestantur in filijs, quinimò venerantur, quod similiter patribus sibi euenisse certissimum est. Etenim eos si in parochia, nonnullis resistentibus sibi & tam pretiosum quæstum seuerè denegantibus comessoribus, huiuscemodi margaritam inuenire non possint, præmissis antè sollicitè nuncijs, transnauigare maria, terrasq; spatiosas transmeare, non tā piget quàm delectat, vt omninò talis species inæquiparabilisq; pulchritudo, & vt dicam, verius diabolica illusio venditis omnibus copijs, comparetur. Dein cum magno apparatu, magnaq; phantasia, vel potiùs insaniā repedantes ad patriam, ex erecto erectiorem incessum pingunt, & dudum summitates montium conspicantes, nunc rectā ad æthera, vel ad summa nubium vellera, luminum semidormitantes acies librant, ac se noua quædam plasmata, imò diabolica organa, vt quondam Nouatus Romæ dominicæ conculcator margaritæ, porcus niger, patriæ ingerunt, violenter manus nō tam dignas venerabilibus aris, quàm flammis inferni vltricibus, in tali schema positi sacrosanctis Christi sacrificijs extensuri. Quid tu infelix popule à talibus, vt dixit Apostolus, bestijs ventris præstolaris? hisne corrigeris? qui seipsos non modò ad bona non inuitant, sed secundum prophetæ exprobrationem laborant, vt iniquè agant: talibúsue oculis illustraberis? qui hæc tantùm auidè speculantur, quæ procliue ad vitia, id est, ad tartari portas ducunt: Vel certè secundum Saluatoris dictum, si non istos rapacissimos, vt Arabiæ lupos, ac igneum Sodomorum imbrem ad montem vt Loth præpropere fugeritis, cæci educti, à cæcis pariter in inferni foueam cadetis. Sed forsitan aliquis dicat: Non ita omnes episcopi, vel presbyteri, vt superius excepisti, qui non schismatis, non superbiæ, non immundiciæ infamiā maculantur, mali sunt? Quòd nec vehementer & nos diffitemur: sed licet sciamus eos castos esse, & bonos: breuiter tamen respondebimus. Quid profuit Heli sacerdoti, quòd solus non violauerit præcepta domini, rapiendo in fuscinulis, antequam adeps Domino offerretur, ex ollis carnes, dum eadem mortis ira qua filij multatur? quis rogo, eorum, de quorū moribus satis multa superius diximus, ob inuidiam melioris hostiæ, cœlestiq; igne in cœlum euectæ, vt Abel occisus est? qui etiam mediocris verbi aspernantur conuitium. Quis perosus est consilium malignantium, & cū impijs non sedit, ita vt de eo veridicè, quasi de Enoch diceretur: Ambulauit Enoch cum Deo, & non inueniebatur in mundi scil. vanitatibus, post idola, procliue id temporis claudicare, relicto Deo, incipientis. Quis eorum in arcā salutari, hæc est nunc Ecclesia, vllum Deo aduersantem, vt Noë, diluuij tempore, non admisit: vt perspicuè monstraretur, non nisi innoxios vel pœnitentes egregios in Dominica domo esse debere. Quis victoribus solùm & in tricentenario numero, hoc est Trinitatis sacramento, liberato iusto, regū quinq;, victriciumq; turmarum exercitus ferales vincentibus, & nequaquam aliena cupientibus sacrificium offerens, vt Melchisedech, bene dixit? Quis sponte proprium in altari, capite cædendum vt Abraham, Deo iubente, obtulit filium, vt simile quoddam huic impleret Christi mandatum dicentis: oculum dextrum scandalizantem euelli debere. Et Prophetæ, maledictum esse gladium à sanguine prohibentem. Quis memoriam malefacti de corde radicitus, vt Ioseph euellit? Quis in monte cum Domino locutus, & nequaquam concrepantibus tubis, exinde perterritus, duas tabulas, cornutamq; faciem aspectu incredulis inhabilem & horrendam tropico sensu, vt Moyses aduexit? Quis eorum pro peccatis populi, exorans imo de pectore clamauit, vt ipse: Domine, inquiens, peccauit populus iste peccatum grande, quòd si dimittis eis, dimitte: alioquin dele me de libro tuo. Quis vestrûm qui torpetis potius, quàm sedetis legitimè in sacerdotali sede, eiectus de consilio impiorum, post diuersarum plagas virgarum, vt sancti Apostoli, dignus habitus est, pro Christo vero Deo contumeliam pati? Quis ex vobis, gladij ictu pro confessione Christi, post vincula carceris, naufragia maris, virgarum cædem, post fluminum, latronum, gentium, Iudæorum, Pseudoapostolorum continua pericula, post famis, ieiunij, vigiliarum labores, post perpetē sollicitudinem omnium ecclesiarum, post æstum pro scandalizantibus, post infirmitatem pro infirmis, post admirabilē prædicando Christi Euangelium orbis penè circuitum, vt vas electionis, magisterq; gentiū electus, capite plexus est? Quis vestrûm, vt sanctus martyr Ignatius Antiochiæ Vrbis episcopus, post admirabiles in Christo actus, ob testimoniū eius, leonum molis Romæ confractus est? cuius verba cū ad passionē duceretur, audientes, si aliquando vultus vestri rubore suffusi essent, non solùm in cōparatione eius, vos non putabitis sacerdotes, sed ne mediocres quidē Christianos esse, ait enim in Epistola, quam ad Romanam ecclesiam misit: A Syria vsq; Romā, cum bestijs terra mariq; depugno die ac nocte, connexus & colligatus, decem Leopardis militibus ad custodiam datis, qui ex beneficijs nostris sæuiores fiunt, sed ego eorū nequitijs magis erudior, nec tamen in hoc iustificatus sum. O salutares bestias, quæ præparantur mihi, quādo venient? quādo mittentur? quando eis frui licebit carnibus meis? quas ego exopto acriores parari, & inuitabo ad deuorationē mei, & deprecabor, ne fortè vt in nonnullis fecerunt, timeant attingere corpus meū, quinimò si cunctabuntur, ego vim faciā, ego me ingeram. Date quæso veniam, ego noui quid expediat mihi, nunc incipio esse discipulus Christi. Facessat inuidia vel humani affectus, vel nequitiæ spiritualis, vt Iesū Christū adipisci merear. Quid adhæc dormitanti bus animę oculis aspicitis? Quid talia surdis sensuū auribus auscultatis? Discutite, quæso, tenebrosā atq; cordis vestri caliginē tempori, vt veritatis, & humilitatis pręfulgidū lumē videre possitis. Christianus non mediocris, sed perfectus sacerdos, non vilis sed summus, martyr nō segnis sed præcipuus dicit: Nunc incipio esse Christi discipulus. Et vos ac si Lucifer ille de cœlo proiectus, verbis nō potestate

erigi-

erigimini, & quemadmodum sub dente ruminatis, & gestibus prætenditis, quæ antea autor vester depinxerat, In cœlũ, inquiens, conscendã, & ero similis altissimo. Et iterùm: Ego fodi & bibi aquam, & exiccavi vestigio pedum meorum omnes riuos aggerum. Multò rectius oportebat vos imitari illum, & audire, qui totius bonitatis & humilitatis verè inuictum exemplar est, dicentem per Prophetam: Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. O mirabile quoddam, dixisse, eum opprobrium se hominum, cùm omnis mundi opprobria deleuerit. Sed vt ad propositum reuertar. Quis (inquam) ex vobis vt Smirnensis Ecclesiæ pastor egregius Polycarpus Christi testis, mensam humanè hospitibus ad ignem eum auidè trahentibus apposuit, & obiectus flammis pro Christi charitate dixit: qui dedit mihi ignis ferre supplicium, dabit, vt sine clauorum confixione, flammas immobiliter perferam. Vnum adhuc præter magnã verbis volans sanctorum syluam, exempli gratia, ponam Basilium scil. Cæsariensem, qui cum ab iniquo principe ruinæ huiusmodi intentarentur, quod nisi in crastinum Arriano cœno, vt cæteri macularetur, esset omninò moriturus, dixisse fertur: Ego sanè ero cras, qui hodie sum, tu te vtinam mutares! Et iterùm: Vtinam haberem aliquid digni muneris, quod offerrem huic, qui maturius Basilium de nodo follis huius absolueret. Quis ex vobis Apostolici sermonis regulam, quæ ab omnibus semper sanctis sacerdotibus, omni tempore humanam suggestionem præcipitanter ad nequitiam festinantem recutientibus, seruata est, in concussione tyrannorum, indisruptè custodiuit? quæ eiusmodi est. Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. Igitur confugientes solito more, ad Domini nostri sanctorumq; prophetarum eius voces, vt illi pro nobis, oraculorum suorum iacula imperfectis pastoribus, vt antea tyrannis, quis compuncti sanentur, librent. Videamus quid Dominus per Prophetas, ad desides, & inhonestos sacerdotes, & non benè populum tam exemplo, quàm verbo docentes, minarum loquatur. Nam & Heli ille sacerdos in Silo, pro eo quod non digno Deo Zelo, seuerè in filios contemnentes Deũ vltus fuerat, sed molliter & clementer, vtpote paterno affectu monuerat, tali animaduersione damnatur, dicente ad eum Propheta: Hæc dicit Dominus: Manifestè ostendi me, ad domum patris tui, cùm essent in Ægypto seruientes Pharaoni, & elegi domum patris tui ex omnibus tribubus Israel, mihi in sacerdotio. Et post pauca: Quare respexisti in incensum meum, & in sacrificium meum improbo oculo? & honorificasti filios tuos, plus quàm me? vt benediceres eos à primordio in omnibus sacrificijs coram me, & sic dicit Dominus: Quoniam qui honorificant me, honorabo eos, & qui pro nihilo habent me, ad nihilum redigentur: Ecce dies venient, & disperdam nomen tuum, & semen domus patris tui, & hoc tibi signum sit, quod veniet super duos filios tuos Ophni & Phinees, in vno die morientur ambo in gladio virorum. Si hæc itaque patiuntur, qui verbis tantùm subiectos, & non condigna vltione emendant, quid ipsis fiet, qui ad mala hortantur, peccando & trahunt? Esaiam quoq; sanctum Prophetam de sacerdotibus hoc modo loquentem audite: Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei. Populum meum exactores sui spoliarunt, & mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos, Dominus ad iudicium veniet, cum senibus populi sui, & principibus eius: Vos depasti estis vineam meam, rapina pauperis in domo vestrâ. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus exercituum? Et iterum: Væ, qui condunt leges iniquas, & scribentes iniusticiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? & infra: Verùm hi quoq; præ vino nesciuerunt, & præ ebrietate errauerunt, sacerdotes nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntẽ, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordium, ita vt non esset vltra locus. Propterea audite verbũ Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Hierusalem, dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Et post aliquanta: Et subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt, & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactũ vestrum cum inferno non stabit, flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem, quandocunq; pertransierit, tollet vos, & iterum: Et dixit Dominus: Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, & labijs glorificant me, cor autem eorum longè est à me, idcò ecce ego addam, vt admirationẽ faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo, peribit enim sapientia, à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur &c. Hieremias quoq; virgo, prophetaq; quid insipientibus loquatur pastoribus, attendite hæc inquiens Dominus: Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis? quia se elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem & vani facti sunt. Et paulò pòst: Et ingressi contaminastis terram meam, & hæreditatem meam posuistis in abominationem, sacerdotes non dixerunt. Vbi est Dominus? & tenentes legem nesciuerunt me, & pastores præuaricati sunt in me. Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, ait Dominus, & cum filijs vestris disceptabo. Item post aliquanta: Stupor, & mirabilia facta sunt in terrâ, Prophetæ prædicabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouissimo eius? Cui loquar, & contestabor, vt audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt. Ecce verbum Domini factum est illis in opprobrium, & non suscipiunt illud, quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus: A minore quippe, vsque ad maiorem, omnes auaritiæ student, & à Prophetâ vsque ad sacerdotem, cuncti faciunt dolum &c. Sanctus quoque Ioël monens inertes sacerdotes, & de-

flens detrimentum populi, pro iniquitatibus eorum dixit: Expergiscimini, qui estis ebrij, à vino vestro plorate, & lamentamini omnes, qui bibistis vinum in ebrietatem: quia ablata est ab ore vestro iucunditas, & gaudium. Lugete sacerdotes, qui deseruitis altari, quia miseri facti sunt campi. Lugeat terra: quia miserum factum est frumentum, & siccatum est vinum, diminutum est oleum, aruere agricolæ. Et iterùm: Flete sacerdotes! qui deseruitis Domino dicentes: Parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, & dominentur eorum gentes, vti ne dicant gentes: Vbi est Deus eorum? Sed hæc vos nequaquam auditis, sed omnia quibus propensius diuini furoris indignatio inardescat, admittitis. Quid enim sanctus Oseas propheta sacerdotib' vestri moduli dixerit, signanter attendite. Audite hæc sacerdotes, & intendat domus Israël, & domus regis, infigite auribus vestris, quoniam ad vos est iudicium, quia laqueus facti estis speculationi, & velut rete extensum. Vobis etiam à Domino alienatio huiuscemodi intenditur per Prophetam Amos dicentem: Odio habui, & repuli dies festos vestros, & non accipiam odorem, in solennibus conuentionibus vestris, quia etsi obtuleritis holocaustomata, & hostias vestras, non accipiam ea, &c. Auribus quoq; percipite sanctum Micheam, ac si cœlestem quandam tubam aduersus subdolos populi principes concisius personantem. Audite nunc (inquiens) principes domus Iacob. Nonne vobis est, vt cognoscatis iudicium odientibus bona, & quærentibus maligna, rapientibus pelles eorum ab eis, & carnes eorū ab ossibus eorum, quemadmodū comederunt carnes plebis meæ, & pelles eorū ab eis excoriauerunt, ossa eorum confregerunt, & laniauerunt quasi carnes in olla? succlamabunt ad Deum, & non exaudiet eos, & auertet faciem suam ab eis, in illo tempore, propter quod malitiosè gesserunt in adinuentionibus suis, super eos &c. Quid Sophonias egregius etiam Propheta de vestris olim commessoribus disceptauerit, attendite: de Hierusalem namque loquebatur, quæ Spiritualiter Ecclesia, vel anima intelligitur, O inquiens, quæ erat splendida & libera ciuitas, confidens columba, non obaudiuit vocem, nec percepit disciplinam, in Domino non confisa est, & ad Deum suum non accessit. Et id quare, ostendit. Principes eius in ea, sicut leones rugientes, iudices sicut lupi Arabiæ, non relinquebant in mane. Prophetæ eius spiritum portantes viri contemptoris, sacerdotes eius profanabant sancta & impiè agebant in lege. Dominus autem iustus in medio eius non faciet iniquitatem. Mane, mane dabit iudicium suum. Sed & beatum Zachariam Prophetam monentem vos in verbo Dei audite. Hæc enim dicit Dominus omnipotens. Iudicium iustum iudicate, & misericordiam & miserationem facite vnusquisq; ad fratrem suum, & viduam, & orphanum, & aduenam, & puerperam nolite calumniari, & malitiam vnusquisq; fratris sui non reminiscatur in corde suo. Et contumaces fuerunt ne obseruarent, & dederunt dorsum stultitiæ, & aures suas degrauarunt, vt non audirent, & cor suum statuerunt insuadibile, ne audirent legem meam, & verba quæ misit Dominus omnipotens super Pastores, exacerbata est iracundia mea, & super agnos visitabo, &c. Quid preterea sanctus Malachias Propheta vobis denunciauerit, audite: Vos, inquiens, sacerdotes qui spernitis nomen meum, & dixistis: In quo spernimus nomen tuum? offerendo ad altare meum panes pollutos, & dixistis: In quo polluimus eos? in eo quòd dixistis: Mensa Domini pro nihilo est, & quæ superposita sunt spreuistis: quoniam si adducatis cæcum ad victimam, nonne malum? Si admoueatis claudum aut languidum, nonne malū? Offer itaq; illud præposito tuo, si susceperit illud, si acceperit personam tuam, dicit Dominus omnipotens. Et nunc exorate faciem Domini vestri, & deprecamini eum, in manibus vestris facta sunt hæc, si accipiam ex vobis personas vestras, & iterum. Et intulistis de rapina claudum & languidum, & intulistis munus. Nunquid suscipiam illud de manu vestrâ dicit Dominus? Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino, quia rex magnus ego sum, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus, &c. Quid verò Ezechiel Propheta dixerit, attendite, Væ, inquiens, superueniet, & nuncius super nuncium erit, & quæretur visio à Prophetis, & lex peribit à sacerdote, & consilium de senioribus? Et iterùm: Hæc dicit Dominus Eò, quòd sermones vestri sunt mendaces, & diuinationes vestræ vanæ, propter hoc, ecce ego ad vos dicit Dominus. Extendam manū meam super Prophetas, qui vident mendacia, & eos qui loquuntur vana, in disciplina populi mei non erunt, neq; in scriptura domus Israel scribentur, & in terrâ Israel non intrabunt, & scietis, quia ego Dominus. Proptereà populum meum seduxerūt dicentes: Pax, Pax Domini, & non est pax. Hi struunt parietem, & ipsi vngunt eum, & cadet. Et post aliquanta: Væ his, qui concinnant ceruicalia, subtus omnem cubitum manus, & faciunt velamina, super omne caput vniuersæ ætatis, ad subuertendas animas. Sed sufficiant hæc pauca, de pluribus, prophetarum testimonia, quis retunditur superbia vel ignauia sacerdotum contumacium, ne putent nos propria potius adinuentione quàm legis sanctorumue autoritate sibi talia denunciare. Videamus igitur quid Euangelica tuba mundo personans inordinatis sacerdotibus eloquatur non enim de illis, vt iam diximus, qui Apostolicam sedem legitimè obtinent, quiq; benè norunt largiri spiritalia conseruis suis in tempore cibaria, si qui tamen multi in præsentiarum sunt, sed de pastoribus imperitis, qui derelinquunt oues, & pascunt vana: nam non habent vana pastores periti, nobis sermo est. Euidens ergo iudicium est, non esse eum legitimum pastorem, sed mediocrem quidem Christianum, qui hæc non tam nostra, qui valde exigui sumus, quàm veteris nouiq; testamenti decreta recusarit, vel inficiatus fuerit, sicut benè quidam nostrorum ait; Optabiliter cupimus, vt hostes Ecclesiæ nostri quoq; absq; vllo fœdere, hostes & amici, ac defensores nostri: non solùm fœderati, sed etiā patres ac domini habeantur. Conueniant namq; singuli vero examine conscientiam suā, & ita deprehendent, an secundum rectam rationē, sacerdo-

tali cathedræ insideant. Videamus (inquam) quid Saluator mundi, factorq; dicat: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur, ad nihilum valet, nisi vt proiiciatur foràs, vt conculcetur ab hominibus. Hoc vnum testimoniũ ad confutandos impudentissimos quosq; abundè sufficere posset: sed vt euidentius adhuc quantis semetipsos intolerabilibus scelerũ fascibus falsi hi sacerdotes opprimant, verbis Christi comprobetur, aliqua annectenda sunt. Sequitur enim: Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neq; accendunt lucernam, & ponũt eam sub modio, sed supra candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Quis ergo sacerdotum huius temporis, ita ignorantiæ cæcitatem depellit, vt ceu lux clarissimæ lucernæ, in aliqua domo cunctis noctu residentibus scientiæ simul & bonorum operum lampade luceat? Quis ita vniuersis Ecclesiæ filijs tutum, publicum, conspicuumque refugium est, vt ciuibus firma forte in æditi montis ciuitas vertice constituta habeatur? sed & quod sequitur. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & magnificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Quis eorum istud vno saltem die potest implere? quin potius densissima quædam eorum nebula, atraq; peccaminum omni insulæ incumbit nox ita, vt omnes penè à via recta auertat, ac per inuios impeditosq; scelerum calles errare faciat, quorum non modò pater cœlestis non laudatur, sed etiam intolerabiliter blasphematur. Vellem quidem hæc scripturæ sacræ testimonia huic epistolæ inserta, vel inserenda, sicut nostra mediocritas posset, omnia vtcunq; historico vel morali sensu interpretari: sed ne in immensum modum opusculum hoc, his qui non tam nostra, quàm Dei despiciunt, fastidiunt, auertunt, protollatur, simpliciter & absq; vlla verborum circuitione, congesta vel congerenda sunt, & post pauca: Qui enim soluerit vnum, de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: Et iterum: Nolite iudicare, & non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. Quis ergo vestrûm respicit id, quod sequitur? Quid autem festucam vides in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non consideras? aut quomodo dicis fratri tuo: Frater, sine, eijciam festucam de oculo tuo? Et ecce trabem in oculo tuo non animaduertis. Vel quod sequitur: Nolite dare sanctum canibus, neq; miseritis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos. Quod sæpissimè vobis euenit. Et populum monens, nè dolosis doctoribus, vt estis vos, seduceretur, dixit: Attendite vos à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona bonos fructus facit, & mala malos, & infrà: Non omnis qui mihi dicit: Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Quid sanè vobis fiet, qui vt propheta dixit, labijs tantùm, & non corde, Deo adhæretis? Qualiter autem impletis, quod sequitur: Ecce, inquiens, ego mitto vos, sicut oues in medio luporum, qui versa vice, vt lupi in gregem ouium proceditis? vel quod ait: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Prudentes quidem estis, vt aliquem ore exitiabili mordeatis. Nam vt caput vestrum quod est Christus, obiectu quodammodo corporis, defendatis, quem totis operum malorum conatibus conculcatis? Nec enim simplicitatem columbarum habetis, quin potiùs coruino assimilati nigrori, ac semel de arca, id est, ecclesia euolantes, inuentis carnalium voluptatum fœtoribus, nusquam ad eam puro corde reuolatis. Sed videamus &c. Nolite, ait, timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Quidnam horum feceritis recogitate. Cuius verò vestrum non profundi cordis arcana vulneret sequens testimonium, quod de prauis antistitibus Saluator ad Apostolos loquitur: finite illos, cæci sunt, duces cæcorũ. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent. Egent sanè populi quibus præestis, vel potius quos decipitis, audire. Attendite verba Domini ad Apostolos & turbas loquentis, quæ & vos, vt audio, in medium crebrò proferre non pudet. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergò quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum verò opera illorum nolite facere, dicunt enim & ipsi non faciunt. Periculosa certè ac superuacua sacerdotibus doctrina est, quæ prauis operibus obfuscatur. Væ vobis Hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante omnes, vos autem non intratis, nec introeuntes sinitis intrare: non solùm enim pro tantis malorum criminibus, quæ geritis in futurum, sed etiam pro his, qui vestro quotidiè exemplo pereunt, ferali pœna plectemini, quorũ sanguis in die iudicij de vestris manibus requiretur. Sed quid mali quod serui parabola prætenderit, inspicite, dicentis in corde suo: moram facit Dominus meus venire. Qui ob hoc forsitan cœperat percutere conseruos suos manducantes & bibentes cum ebrijs. Veniet ergò (inquit) Dominus serui illius, in die, in qua non sperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, à sanctis scil. sacerdotibus, partemq; eius ponet cum hypocritis, cum eis certè qui sub sacerdotali tegmine multũ obumbrant, illic (inquiens) erit fletus, & stridor dentium. Quibus in hac vita crebrò euenit, ob quotidianas ecclesiæ matris ruinas filiorum, vel desideria regni cœlorum. Sed videamus quid Christi verus discipulus magister gentium Paulus, qui omni ecclesiastico doctori imitandus est, sicut & ego sum discipulus Christi, in tali negotio, præloquatur, in prima epistola dicens: Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum magnificauêre, aut gratiam egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obcæcatũ est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Licet hoc gentibus dici videatur, intuemini tamen, quia competenter istius æui sacerdotibus cum populis coaptabitur, & post pauca: Qui commutauerunt (inquit) veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula, propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Et iterum: Et sicut non probauerunt Deum habere in noticia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt, repletos omni ini-

quitate,

quitate, malitia, impudicitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus inobedientes, insensatos, incompositos, sine misericordia, sine affectione. Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quomodo qui talia agunt, digni sunt morte. Quisnam supradictorum his omnibus in veritate caruit? si enim esset, forte caperetur subiecto sensu, in quo ait: Non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. Vt nullus scilicet eorum sit huius mali expers, & infrà: Tu autem secundum duritiam tuam & cor impoenitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. qui reddet vnicuique secundum opera sua, & iterum: Non est enim acceptio Personarum apud Deum, quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt. Quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Quid ergo seueritatis ingessit his, qui non solùm implenda non faciunt, & prohibita non declinant, sed etiam, qui ipsam verborum Dei lectionem vel tenuiter auribus instillatam pro sæuissimo angue refugiunt? Sed transeamus ad sequentia. Quid ergo, inquit, dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo iterum viuemus in illo? Et post aliquanta: Quis nos ait, separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Quem vestrûm quæso talis intimo corde occupabit affectus, qui non modò pro pietate non laboratis, sed etiam vt iniquè agatis, & Christum offendatis, multa patimini? vel quid sequitur? Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis, sic vt in die honeste ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubiculis & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in concupiscentijs. Et iterum ad Corinth. Epist. 1. Vt sapiens, inquit, architectus fundamentum posui: alius super illud ædificat. Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet, fundamentũ enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positũ est, quod est Iesus Christus: si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum & argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, cuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit illud, qui in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit, si cuius opus manserit, omnia per ignem iudicabuntur. Item in Epistola ad Corinth 2. Ideò inquit, habentes hanc administrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficiamus, sed abiiciamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, per malum exemplum scilicet, & per adulationem. In subsequentibus autem itá de malis doctoribus dicit: Nam huiusmodi Pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi, & non mirum, ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est magnum, si ministri eius transfigurarentur, vt angeli iustitiæ, quorum finis erit secundum opera eorum. Attendite quoque quid ad Ephesios dicat: An nescitis vos pro hoc, in aliquo reo teneri? Hoc inquiens, dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à via Dei, per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ & auaritiæ. Et quis vestrum sponte expleuerit, id quod sequitur? Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei: & nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed replemini Spiritu Sancto. Sed & quod ad Thes. dicit: Neque enim fuimus apud vos aliquando in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, cum possimus in honore esse, vt cæteri Apostoli Christi. Sed facti sumus sicut parvuli in medio vestrûm, vel tanquam si nutrix foueat parvulos suos, ita desiderantes vos cupidè, volebamus vobis tradere non solùm Euangelium, sed etiam animas nostras. Si hunc vos Apostoli retinetis in omnibus affectum, eius quoque cathedræ legitimè insidere noscatis, vel etiam quod sequitur. Scitis (inquit) quæ præcepta dederim vobis. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, & sciat vnusquisq; suum vas possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderij, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Audite item, quid de vobis prophetico Spiritu, Sanctus idem Apostolus vestrique consimilibus prædixerit, ad Timotheum apertè scribens: Hoc enim scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt enim homines semetipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos devita. Idem & Propheta dicit: Odiui congregationem malignorum, & cum impiis non sedebo. Cæterùm idem Apostolus euidenter ostendit, qualiter se exhibeant in suo officio sacerdotes, ita ad Titum scribens: Teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum habens irreprehensibile, vt his qui ex auerso sunt, vereantur, nullum malum habentes dicere de nobis. Et iterum ad Timotheum: Labora inquit, sicut bonus miles Iesu Christi. Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus, vt placeat ei, cui se probauit. Nam & qui contendit in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit. Hæc quidem bonorum adhortatio, sed quid sparsim positis amplius vtentes testimoniis sensuum diuersorum vndis in despecta ingenij nostri cymbala fluctuamus? Igitur necessarium duximus recurrere tandem aliquando vsque ad lectiones illas, quæ ad hoc ex omni penè san-

ctarum scripturarum textu meritò excerptæ sunt, vt non solùm recitentur, sed etiam adstipulentur benedictioni, qua initiantur sacerdotum vel ministrorum manus, eosque perpetuò doceant, vti ne à mandatis, quæ fideliter in eis lectionibus continentur, sacerdotali dignitate degenerantes recedant, vt apertius cunctis pateat, & æterna supplicia eos esse mansura, & non esse sacerdotes, vel Dei ministros, qui earum doctrinas atque mandata opere secundum vires suas, non impleuerint. Audiamus ergò quid Princeps Apostolorum Beatus Petrus de tali negotio signauerit: Benedictus (inquiens) Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui per magnam misericordiam suam regenerauerit vos in spem vitæ æternæ, per resurrectionem à mortuis Domini nostri Iesu Christi, in hæreditatem incorruptibilem, immarcessibilem, incontaminatam, conseruatam in cælis, in vobis, qui in virtute Dei custodimini. Quare enim tàm insipienter violatur talis hæreditas à vobis? quæ non sicut terrena decidua, sed immarcessibilis atque æterna est? Et post aliquanta: Propter quod succincti estote lumbis mentis vestræ, sobrij, perfectè sperantes in eam quæ offertur vobis gratiam in reuelatione Iesu Christi. Rimamini namque pectoris vestri profunda, an sobrij sitis, & perfectè sacerdotalem gratiam examinandam in Domini reuelatione conseruetis. Et iterùm dicit: Quasi filij benedictionis, non configurantes vos illis prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs, sed secundum eum, qui vos vocauit sanctos, & vos sancti in omni conuersatione estote. Propter quod scriptum est: Sancti estote, quia & ego sanctus sum. Quis interrogo, vestràm ita sanctitatem toto animi ardore sectatus est, vt hoc quantum in se est, auidè festinaret implere? Sed videamus, quid in eiusdem secundâ lectione contineatur. Charissimi (inquit) animas vestras sanctificate ad obediendum fidei per Spiritum in charitate, in fraternitate, ex corde vero inuicem diligentes perseueranter quasi renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum. Hæc quidem ab Apostolo mandata, & in die vestræ ordinationis lecta, vt ea indisruptè custodiretis, sed nequaquam à vobis iudicio impleta, sed ne multum cogitata, vel intellecta sunt. Et infrà: Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationem, & inuidiam, & detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabiles, & sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, quoniam dulcis est Dominus. Recogitate an & hæc quoque surdis auribus à vobis audita crebrius conculcentur. Et iterum: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit, in illud tam admirabile lumen suum. Non solum enim per vos, virtutes Dei non annunciantur, sed etiam prauissimis vestris apud incredulos quosque despiciuntur exemplis. Audistis fortè in eodem die, quod in lectione Actuum Apostolorum lectum est, Petro in medio discipulorum surgente, qui dixit: Viri fratres, oportet scripturam impleri, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid de Iuda. Et paulò post: Hic itaque acquisiuit agrum de mercede iniquitatis? Hoc securo vel potius hebeti corde, quasi non de vobis dictum fuisset, audistis. Quis quæso vestrûm non quærit agrum de mercede iniquitatis? Iudas quoque loculos compilabat, vos Ecclesiæ donaria filiorumque animas eius vastatis. Ille adiit Iudæos, vt Deum venderet: vos tyrannos & patrem vestrum Diabolum, vt Christum despiciatis. Ille triginta argenteis venalem habuit omnium saluatorem: vos vel vno obolo. Quid plura? Fertur vobis in medium Matthiæ in confusionem vestram exemplum, sanctorum quoque Apostolorum electione, vel iudicio Christi, non propria voluntate sortiti, ad quod tracci effecti non videtis, quia longè à meritis eius distatis, dum in morem & affectum Iudæ traditoris sponte corruitis. Apparet ergo qui vos sacerdotes sciens ex corde dicit non esse eximium Christianum. Sanè quod sentio proferam, posset quidem lenior fieri increpatio, sed quid prodest vulnus manu tantùm palpare, vngentóue vngere, quod tumore iam fœtosóve sibi horrescens cauterio & publico ignis medicamine eget? si tamen vllo modo sanari possit, ægro nequaquam medelam quærente, & ab hoc medico longiùs recedente. O inimici Dei, & non sacerdotes: ô licitatores malorum, & non Pontifices: traditores, & non sanctorum Apostolorum successores: impugnatores, & non Christi ministri: Auscultastis quidem secundæ lectionis Apostoli Pauli verborum sonum, sed nullo modo monita virtutemque seruastis, & simulacrorum more, quæ non vident, neque audiunt, eodem die altari astitistis, licet illic tunc & quotidiè vobis intonaret: Fratres fidelis sermo est, & omni acceptione dignus. Ille dixit: Fidelem & dignum, vos vt infidelem & indignum spreuistis. Si quis episcopatum cupit, bonum opus cupit. Vos episcopatum magnopere auaritiæ gratia, non spiritalis profectus obtentu cupitis, & bonum opus illi condignum nequaquam habetis. Oportet ergo huiusmodi irreprehensibilem esse. In hoc namque sermone lachrymis magis, quàm verbis opus est, ac si dixisset Apostolus, eum esse omnibus irreprehensibilem debere. Vnius vxoris virum. Quid ita apud nos contemnitur quoque, quasi non audiretur, vel idem dicere: Et virum vxoris, sobrium, prudentem. Quis etiam ex vobis, hoc aliquando inesse sibi saltem optauit, Hospitalem? Id fortè casu eueniret, popularis auræ potius, quàm præcepti gratia factum. Non prodest. Domino saluatore ita dicente, Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Ornatum, non vinolentum, non percussorem: sed modestum, non litigiosum, non cupidum. O feralis immutatio: O horrenda præceptorum cælestium conculcatio: nônne infatigabiliter ad hæc expugnanda, vel potius obruenda actuum, verborumque arma corripitis

pro quęis conseruandis, atque firmandis, si necesse fuisset, & pœna vltrò subeunda, & vita ponenda erat: sed videamus & sequentia. Domum suam (inquit) benè regentem, filios habentem subditos in omni castitate. Ergò imperfecta est patrum castitas, si non item & filiorum accumuletur? Sed quid erit, vbi nec pater, nec filius, mali genitoris exemplo priuatus conspicitur castus? Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ DEI diligentiam adhibebit? Hæc sunt verba, quæ indubitatis affectibus approbantur. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non vino multo deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes ministerium fidei in conscientia pura. Hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes. His nimirùm horrescens diu immorari, vnum veridicè possum dicere. Quin hæc omnia in contrarios actus mutantur, ita vt clerici, quod non absque dolore cordis fateor, impudici, bilingues, ebrij, turpis lucri cupidi, habentes fidem, & vt verius dicam, infidelitatem, in conscientia impura, non probati in bono, sed in malo opere præsciti ministrantes, & innumera crimina habentes, sacro ministerio adsciscantur. Audistis etiam illo die, quo multo dignius, multoque rectius erat, vt ad carcerem vel catastam pœnalem, quàm ad sacerdotium traheremini, Domino sciscitante, quem se esse putarent discipuli, Petrum respondisse: Tu es Christus filius Dei: eique Dominum pro tali confessione, dixisse: Beatus es Simon Bar Iona, quia sanguis & caro non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est: Ergo Petrus à Deo Patre doctus rectè Christum confitetur. Vos autem moniti à patre vestro Diabolo iniquè, saluatorem malis actibus denegatis. Vero sacerdoti dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vos quidem assimilamini viro stulto, qui ædificauit domum suam, super arenam. Notandum verò est, quòd insipientibus in ædificanda domo, arenarum pendulæ mobilitati Dominus non cooperatur, secundum illud: Fecerunt sibi reges, & non per me. Itidemque quod sequitur eadem sonat dicendo: & portæ inferi non præualebunt, eiusque peccata intelliguntur. De vestra quidem exitiabili fractura pronunciantur: Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna. Petro eiusque successoribus, dicit Dominus: Et tibi dabo Claues regni Cælorum. Vobis verò: Non noui vos, discedite à me operarij iniquitatis, vt separati sinistræ partis hædi, eatis in ignem æternum. Itemque omni sancto sacerdoti promittitur: Et quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis, & quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis. Sed quomodo vos aliquid soluetis, vt sit solutum & in cælis, à cælo ob scelera adempti, & immanium peccatorum funibus compediti? Vt Salomon quoque ait: Funiculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Quâ ratione aliquid in terra ligabitis, quod supra mundum etiam ligetur, propter vosmet ipsos, quia ita ligati iniquitatibus in hoc mundo tenemini, vt in cælis nequaquam ascendatis, sed in infausta tartari ergastula non conuersi in hac vitâ ad Dominum decidatis. Nec sibi quisquam sacerdotum de corporis mundi solùm conscientia supplaudat, cum eorum quibus præest, si propter eius imperitiam, seu desidiam, seu adulationem, perierint, in die iudicij de eiusdem manibus veluti interfectoris animæ exquirantur. Quia nec dulcior mors, quàm quæ infertur ab vnoquoque homine malo, alioquin non dixisset Apostolus, velut paternum legatum suis successoribus relinquens. Mundus ego sum ab omnium sanguine, non enim subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei. Multum namque vsu ac frequentia peccatorum inebriati, & incessanter irruentibus vobis scelerum cumulatorum, ac si vndis quassati, vnam veluti post naufragium, in quâ ad viuorum terram euaditis, pœnitentiæ tabulam toto animi nisu exquirite, vt auertatur furor Domini à vobis, misericorditer dicentis: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Ipse omnipotens Deus totius consolationis, & misericordiæ, paucissimos bonos pastores conseruet ab omni malo, & municipes faciat ciuitatis Hierusalem cælestis, hoc est, Sanctorum omnium congregationis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, cui sit honor, & gloria in secula seculorum Amen. Im. 57. Tiberio Constantino. E. R. 60. Benedicto 1.

Monstrum.

CVm Cæsar Mauritius hoc anno filium suum Theodosium, corona Cæsarea decoraret, & cum Persis pacem iniisset: facta est magna Eclipsis Solis, & mulier quædam in Thracia peperit infantem carentem oculis, superciliis, brachijs, & manibus: & sub coxis desinebat in caudam piscis, quæ sursum se iactitabat. Zonaras Imp. 58. Mauritio. E. R. 62. Gregorio Magno. 591

Serenus Massiliensis Episcopus.

HIc Episcopus imagines ex templis sustulit, ac exussit. Sic enim scribit ad eum Gregorius: Frangi non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad docendum tantùm fuit 591

collocatum. Et paulò pòst: vnde si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò imagines omnibus modis devita. Imp. 58. Mauritio. E. R. 62. Gregorio Magno.

Ordo Gregorianorum.

595



GRegorius Magnus hunc ordinem instituit: qui postea pontificatum adeptus fuit. Sex monasteria in Sicilia construxisse fertur. Benedicti Regulam custodiendam tradidit. Vestitus eorum fuit ærius: vel, vt Seb. Francus putat, aheneus. Franciscus Modius vestitum illis fuisse ceruinum, siue Berici coloris, cui ad pectus crux rubea intexta fuerit, & aluisse barbas, indicat.

Durum quippiam de eo scribit Antoninus tit: 12. cap. 3. Abdicationem bonorum adeò strictè obseruasse, vt aliquando Iustum Monachum, cuius ope medicâ sæpè antea adiutus fuerat, cùm contra Regulam tres aureos occultasset, in mortis agone sine consolatione relinqueret, & diabolo, quamuis pœnitentem, & peccatum deplorantem traderet, mortuumque in sterquilinio sepeliri juberet, addito fulmine: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Quod tamen factum trigesimo die pòst reuocauit, & triginta sacrificia celebrauit, quibus se eum rursus ab inferis liberasse scribit, & ad cælum reportasse. Et hinc originem sumsisse Trigesimam, & consuetudinem Missas celebrandi pro defunctis, dictus Antoninus testatur. Imp. & E. R. vt sup.

Gregorius Magnus Episc. Romæ in Epist.
libro 3. Epist. 2.

596 IMperatorem tunc Constantinopoli sedentem vocat, & recognoscit Dominum suum à Deo constitutum, seque eius subditum &, famulum. Epistolarum libro 2. epist. 6. & libro 4. epistola 13. cum sequenti, eius quoque filios Augustos, & Cæsares à patre factos, piisimos, serenisimos, & clementisimos Dominos suos vocitat: vt pasim in suis scriptis. Imp. vt sup.

Gregorius M. siue I.

GRegorius Magnus siue primus sedit an. 596 & multos jã grassantis Antichristi errores, & abusus oppugnauit. Disseruit quoq; breuiter, non esse necessariam ceremoniarum in omnibus Ecclesiis similitudinem: sed vnamquamque sibi optimas eligere debere. Mirabilem de hoc Pontifice refert historiam diuus Vlricus in sua epistola, cuius summa est: quòd diuus Gregorius primò quidem mandauerit cœlibatum sacerdotibus: postea verò comperiens, quòd clàm nihilo minus libidines exercerentur, multique inde concepti fœtus trucidarentur, id mandatum rursus abrogauerit, dixeritque: Melius est nubere quàm vri, incestibus, ac homicidiis aperire fenestram.

Idem 24. Mor. Terribili quippe dispositionis occultæ examine, priusquàm Leuiathan ill in suo damnato homine, quem assumet, appareat, à sanctâ Ecclesiâ virtutum signa subtrahentur.

Idem Epistola ex regist. lib. 9. Indict. 4. cap. 64. Causæ sunt ruinæ populi sacerdotes mali quis enim pro populi se peccatis intercessor objiciat, si sacerdos, qui exorare debuera, grauiora committat?

Idem Regist. lib. 4. Ind. 13. cap. 82. ad Ioannem Episc. Constant. contra primatum. Eo tempore, quo Fraternitas vestra in sacerdotalem honorem prouecta est: quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam inuenerit, recolit. Sed quo ausu, quòue timore nescio, nouum sibi conata e nomen arripere, vnde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum peruenire. Quã in re vehementer admiror, quia ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini. Quem tame adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio concurrisses. Qui enim in dignum te esse fatebaris, vt Episcopus dici debuisses: ad hoc quandoque perductus es, v despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memori decessoris mei, Pelagij grauia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus Sy nodi, quæ apud vos de fratris quondam & consacerdotis nostri Gregorij causâ con gregata est, propter nefandum elationis vocabulum, acta dissoluit: & Archidiaconum quem iuxta morem ad vestigia dominorum transmiserat, missarum vobiscum solemni

celebra-

celebrare prohibuit. Post eius verò obitum, cùm indignus ego ad Ecclesiæ regimen adductus sum, & antè per alios responsales meos, & nunc per communem filium meum Sabinianum diaconum alloqui fraternitatem vestram, vt à tali præsumtione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone, curaui. Et si emendari nollet, eum missarum solennia cum fraternitate vestra celebrare prohibui, vt sanctitatem vestram prius sub quadam verecundiæ reuerentiâ pulsarem, quatenus si emendari nefandus, ac prophanus tumor verecundè non posset: tunc ad ea debuisset, quæ sunt districta atque canonica, perueniri. Et quia resecanda vulnera prius leui manu palpanda sunt: rogo, precor, & quantâ possũ dulcedine exposco, vt fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atq; erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto atq; superbo vocabulo appellari consentiat. Verè enim flens dico, atq; ex intimo viscerum dolore peccatis meis reputo, quòd ille meus frater nunc vsq; ad humilitatem reduci non potuit, qui ad hoc in Episcopatus gradu constitutus est, vt aliorum animos ad humilitatem perducat: quòd ille, qui veritatem docet, se non ipsum docere, nec me quoq; deprecante, consensit. Perpende rogo, quia in hac præsumtione temerariâ pax totius turbetur Ecclesiæ, & gratiæ contradicatur communiter omnibus effusæ. In quâ nimirum ipse tantum crescere poteris, quantum penes temetipsum decreueris. Tantóque maior efficieris, quantò te à superbi & stulti vocabuli vsurpatione restringis. Atq; in tantum proficis, in quantum tibi non studueris, derogando fratribus, arrogare. Humilitatem ergò, frater carissime, totis visceribus dilige, per quam cunctorum fratrum concordia, & sanctæ vniuersalis Ecclesiæ vnitas valeat custodiri. Certè Paulus Apostolus cùm audiret quosdam dicere: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ: hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius alijs se quodammodo capitibus sociabant, vehementissimè perhorrescens clamauit, dicens: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Sic ergò ille membra corporis Dominici certis extra Christum quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis, subijci particulariter euitauit: tu quid Christo, vniuersalis scilicet Ecclesiæ capiti in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris Vniuersalis appellatione supponere? Quis rogo in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & solis omnibus præesse videretur? Qui etiã dixit: In cœlum conscendam: super astra cœli exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium: & similis ero altissimo. Quid enim fratres tui omnes Episcopi Ecclesiæ vniuersalis, nisi astra cæli sunt? Quorum vita simul, & lingua inter peccata, erroresq; hominum quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumq; nomen tui comparatione calcare: quid aliud dicis, nisi: In cælum ascendam: super astra cœli exaltabo solium meum? Annon vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur: Ascendam super altitudinem nubium? Quæ cuncta ego cùm flens conspicio, & occulta Dei iudicia pertimesco, augentur lachrimæ, gemitus se in meo corde non capiunt: quòd ille vir sanctissimus, Dominus Ioannes, tantæ abstinentiæ, atque humilitatis, suorum familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, vt in appetitu peruersi nominis illi esse conetur similis, qui dum superbè similis esse Deo voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit, & ideò veram beatudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsiuit. Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud, quàm singulariũ sunt plebium capita? Et tamẽ sub vno capite omnes sunt mẽbra Ecclesiæ. Atq; vt cuncta breui cingulo loqutionis adstringã: Sancti ante legẽ, Sancti sub lege, Sancti sub gratiâ, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesię constituti, & nemo se vnquam vniuersalem vocare voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumsit, qui veraciter Sanctus fuit. Numquoniam, sicut V. S. nouit, per venerandum Chalcedonense concilium, huius Apostolicæ sedis antistites, cui Deo disponente deseruio, vniuersales, oblato honore, vocati sunt? Sed tamen nullus vnquam tali vocabulo appellari voluit: nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur. Sed hæc scio quia V. S. ab illis oriuntur, qui nobis deceptiosâ familiaritate deseruiunt: contra quos peto, vt V. F. solerter inuigilet, nec se eorum verbis fallendam præbeat. Tantò enim maiores hostes credendi sunt: quantò magis laudibus adulantur. Relinque tales: & si omninò decepturi sunt, saltem terrenorum hominum, & non sacerdotum corda decipiant. Sine mortuos sepelire mortuos suos: Vos autem cum Prophetâ dicite: Auertantur statim erubescentes, Luc. 9.
qui dicunt mihi: Euge, Euge. Et rursus: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Vnde & Ps. 69. Psal. 40.
sapiens quidam benè admonet: Multi sint pacifici tui: consiliarius autem sit vnus tibi de mille. Corrũpunt enim bonos mores colloquia praua. Antiquus enim hostis cor robustũ irrumpere non valens, subiectas ei infirmas personas quærit, & quasi contra alta mœnia scalis appositis ascendit. Sic Gen. 3.
Adamum per subiectam mulierem decepit. Sic B. Iob, cùm filios occidit, mulierem reliquit: vt qui eius cor per se minimè poterat, saltem si posset, per mulieris verba penetraret. Quicunq; ergò iuxta vos infirmi ac seculares sunt, in suâ semper persuasione, atq; adulatione frangantur: quia inde æternas Dei inimicitias pariunt, vnde ipsi peruersi amatores sentiuntur. Certè olim clamabatur per Ioannem Apostolum: Filioli, nouissima hora est, secundum quod Christus prædixit: Pestilentia & 1. Ioan. 2.
gladius per mundum sæuit: gentes insurgunt gentibus: terra concutitur: orbis cum habitatoribus

suis terrâ dehiscente sorbetur. Omnia enim, quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ propè est, & quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exitus: quia ceruice militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re etiamsi nostra lingua minimè contradicat: illius virtus in vltionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter aduersatur. Hinc enim scriptum est: Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Hinc rursus dicitur: Immundus est apud Deum, qui exaltat cor. Hinc contra superbientem hominem scriptum est: Quid superbis terra, & cinis? Hinc per semetipsam Veritas dicit: Omnis qui se exaltat humiliabitur. Illa vt nos ad viam vitæ per humilitatem reduceret, in semetipsâ dignata est, quod nos admonet, demonstrare dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc namq; vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc inuisibilis, non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionũ tormenta tolerauit, vt superbum non esse debere hominẽ, doceret humilis Deus. Quanta igitur humilitatis virtus est, propter quam solâ veraciter edocendâ is, qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem mortis factus est paruus. Quia enim originẽ perditionis nostræ se præbuit superbia Diaboli: instrumentũ redemtionis nostræ inuenta est humilitas Dei. Hostis quippe noster inter omnia conditus, videri supra omnia voluit elatus. Redemtor autẽ noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Quid ergò nos Episcopi dicimus, qui honoris locũ ex redemtoris nostri humilitate suscepimus, & tamen superbiã hostis ipsius imitamur? Ecce nouimus creatorẽ nostrũ de suæ celsitudinis culmine, vt humano generi daret gloriã, descendisse: & nos de infimis creati, de fratrũ memoratione gloriamur. Humiliauit se vsq; ad nostrũ puluerẽ Deus: & in cœlos os suũ ponit, & super terram lingua pertransit puluis humanus, & non erubescit, non metuit extolli homo putredo, & filius hominis vermis. Reducamus ad animum frater charissime hoc, quod per sapientissimũ Salomonem dicitur: Ante tonitruũ præibit coruscatio: & ante ruinam exaltabitur cor: Vbi è diuerso subjungitur: Ante gloriã humiliabitur. Humiliemur ergò mente, si ad solidã conemur venire celsitudinem. Nequaquã per elationis fumũ oculi cordis obscurentur: qui quantò magis excreuerit, tantò celerius euanescit. Pensemus quid nos præcepta admoneant Redemtoris nostri dicentis: Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnũ cœlorum. Hinc etiam per Prophetã dicit: Super quem requiescet spiritus meus: nisi super humilẽ & quietum, & trementẽ sermones meos? Certè cùm Dominus ad humilitatis viam adhuc infirmantia discipulorũ corda reduceret, dixit: Si quis inter vos vult primus esse: erit omniũ minimus. Quã in re apertè cognoscitur, quoniam ille veraciter sublimis est, qui in suis cogitationibus humiliatur. Formidemus ergò in illorũ numerum adscribi, qui primas in Synagogâ cathedras quærunt, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Contrà discipulis Dominus dicit: Vos autem nolite vocari Rabbi: Vnus enim Magister vester est, vos autem omnes fratres estis? Et patrem nolite vobis vocare super terram: vnus est enim pater vester. Quid ergò frater carissime, in illo terribili examine venientis iudicis dicturus es, qui non solùm pater: sed etiam Generalis Pater in mundo vocari appetis? Caueatur ergò malorum praua suggestio: fugiatur omnis instigatio diaboli. Oportet quidem vt veniant scandala: veruntamen væ homini, per quem scandalum venit: Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo Ecclesia scinditur: fratrum omnium corda ad scandalum prouocantur. Numquid mente excidit, quod Veritas dicit: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria de collo eius, & demergatur in profundum maris? Scriptum verò est, Charitas non quærit, quæ sua sunt: Ecce F. V. etiam sibi arrogat aliena. Rursus scriptum est: Honore inuicẽ præuenientes: Et tu conaris eum omnibus tollere, quem tibi illicitè desideras singulariter vsurpare. Vbi est Frater charissime, quod scriptum est: Pacem habete cum omnibus, & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum? Vbi est, quod scriptũ est: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur? Considerare nos conuenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinãs impediat, & per illam coinquinentur multi. Quod tamen si considerare negligimus: contra tantæ elationis tumorẽ iudicia superna vigilabunt. Et nos quidẽ, in quos talis, tantaq; per ausũ nefariũ culpa committitur, seruamus quod veritas præcepit: si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solũ: Si te audierit, lucratus eris fratrẽ tuum: si autẽ te non audierit, adhibe tecum adhuc vnũ aut duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbũ: quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Ego itaque per responsales meos semel, his verbis humilibus hoc, quod in totã Ecclesiã peccatur, corripere studui: nunc per me scribo. Quicquid facere humiliter debui, non omisi. Sed quia in meâ correptione despicior: restat vt debeam adhibere Ecclesiam. Hæc itaq; dicens, Omnipotens Deus F. V. indicet, quanto circa vos amore constringor, quantumq; in hac causâ non contra vos, sed pro vobis lugeo. In quâ tamen præceptis Euangelicis, institutionibus Canonum, vtilitatibus fratrum personam præponere non possum, nec eius, quem multùm amo. Scripta autem S. V. dulcissima atque suauissima de causa presbyterorum Ioannis & Athanasij suscepi, de quâ vobis in sequentibus, Domino adjuuante, respondebo: quia sub tantis tribulationibus circumfusus Barbarorum gladiis premor, vt, non dico multa tractare, sed mihi respirare vix liceat.

Idem lib. epist. ex Regist. lib. 4. Indict. 13. c. 76. contra Primatum. Et tibi (Petre) dabo claues regni cœlorum: & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. Ecce claues regni cœlestis accipit: potestas ei ligandi, & sol-

Margin: Iacob 4. Eccl. 10. Luc. 14.18. Matth. 11. Ecc. 32. Matth. 5. Esai. 66. Matth. 20. Marc. 10. Matth. 23. Matth. 18. 1. Cor. 13. Rom. 12. Matth. 5. Matth. 18.

uendi tribuitur: cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus committitur: & tamen Vniuersalis Apostolus non vocatur: at vir sanctissimus, consacerdos meus, Ioannes vocari Vniuersalis Episcopus conatur. Exclamare cõpellor, ac dicere: ô tempora, ô mores: Ecce cuncta in Europæ partibus Barbarorum iuri sunt tradita: destructæ vrbes, euersa castra, depopulatæ prouinciæ, nullus terram cultor inhabitat: sæuiunt, & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum: & tamen sacerdotes, qui in pauimento, & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & nouis ac prophanis vocabulis gloriantur. Numquid ego hac in re pijssime Domine propriã causam defendo? Numquid specialem iniuriam vindico? Et non magis causam Omnipotentis Dei, & causam vniuersalis Ecclesiæ ago? Quis est iste, qui contra statuta Euangelica, contra canonum decreta nouum sibi vsurpare nomen præsumit? Vtinam vel sine aliorũ imminutione vnus sit, qui vocari appetat Vniuersalis. Ob id certè multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ in hæreseos voraginem incidisse nouimus sacerdotes, & non solùm hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui mediatorem Dei & hominum, Iesum Christum duas esse personas existimans (quia Deum fieri hominẽ potuisse non credidit) vsq; ad Iudaicam perfidiã erupit. Inde Macedonius, qui consubstantialẽ Patri & Filio Spiritũ Sanctũ Deum esse, denegauit. Si igitur illud nomen in eã Ecclesiã sibi quisque arripuit, quod apud bonorũ omniũ iudiciũ fuit: Vniuersa ergò Ecclesia (quod absit) à statu suo corruit, quando is, qui appellatur Vniuersalis, cadit. Sed absit à cordibus Christianorũ nomen illud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Certè pro B. Petri Apostolorũ principis honore per venerandã Chalcedonensẽ Synodum Romano Pontifici nomen Vniuersalis Episcopi oblatũ est: Sed nullus eorũ vnquã hoc singularitatis nomen assumsit, nec vti consensit, ne dum priuatum aliquid daretur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi. Quid est ergò, quòd nos huius vocabuli gloriam etiã oblatã non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatã præsumit? Ille ergò magis est piissimorũ Dominorũ præceptione flectendus, qui præceptis canonicis obedientiã præbere contemnit. Ille coërcendus est, qui S. Vniuersali Ecclesiæ iniuriã facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoq; Imperij vestri se per priuatum vocabulum superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur. Ad vitam ergò rectam reuertatur auctor scandali, & omnia sacerdotum iurgia cessabunt. Ego enim cunctorum Sacerdotũ seruus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter viuunt. Nam qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriæ tumorem, atq; contra statuta patrum suã ceruicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladio flectit. Quid autem nuper in hac vrbe ex huius auditu vocabuli gestum sit, Sabiniano diacono, ac responsali meo subtilius indicaui. Cogitet ergò Dominorum pietas de me proprio suo, quem specialiter præ cæteris fouit atq; continuit, qui & vobis obedientiã præbere desidero, & tamen de meã negligentiã reperiri reus in superno, tremendoq; iudicio pertimesco. Ac secundum petitionẽ prædicti Sabiniani Diaconi, aut pijssimus Dominus ipsũ dignetur iudicare negotiũ, aut sæpè nominatũ virum, vt ab hac tandẽ intentione cesset, deflectere. Si ergò iudicio pietatis vestræ iustissimo, vel clementibus admonitionibus cesserit, omnipotenti Deo gratias referimus, atq; de concessã per vos omni Ecclesiæ pace gaudemus. Sin autẽ in eadẽ diutius contentione obdurârit, hac de re iam veritatis sententiã certã tenemus, quæ ait: Omnis qui se exaltat humiliabitur. Et rursus scriptum est: Ante ruinã exaltabitur cor. Ego autẽ dominorũ iussionibus obedientiã præbens prædicto consacerdoti meo & dulciter scripsi, & humiliter, vt ab hac inanis gloriæ appetitione sese emendet, admoui. Si igitur me audire voluerit: habet deuotũ fratrẽ. Si verò in Superbiã perstitit, iam quid assequatur perspicio: quia illũ sibi aduersariũ inuenit, de quo scriptum est: Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Luc. 14. & 18. Prouer. 16. Iacob. 4.

Ibidem Regist. 6. Indict. 15. c. 194. contra primatum. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se Vniuersalem Episcopum vocat, vel vocari desiderat in elatione, Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris proponit. Nec dispari superbiã ad errorem ducitur: quia sicut peruersus ille, Deus videri vult super omnes homines: ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, & super cæteros sacerdotes se extollit. Sed quoniam veritas dicit: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: scio quia quælibet elatio tantò citius rumpitur, quantò amplius inflatur. Illis ergò pietas vestra præcipiat, ne quod per appellationem friuoli nominis scandalum gignant, qui in superbiæ typhum ceciderunt. Nam peccator ego, quia auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non sum. Omnipotens autem Deus serenissimi Domini nostri vitam & ad pacem S. Ecclesiæ, & ad vtilitatem Reipub. Romanæ, per tempora longa custodiat. Certi enim sumus, quia si vos viuitis, qui cœli Dominum timetis, nulla contra veritatem superba præualere permittitis.

Ibidem capite 78. Triste tamen valdè est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater, & coëpiscopus meus, solus conetur appellari Episcopus. Sed in hac eius superbiã quid aliud, nisi propinqua iam esse Antechristi tempora, designatur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: super astra cœli exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: & ascendam super altitudinem nubium: & ero similis altissimo. Vnde per omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis vestræ tempora prætermittatis vnius hominis elatione maculari, neque tam peruerso vocabolo illum quoquo modo præbeatis assensum.

Idem Dilucidè testatur, sub personâ Nabuchodonosoris Papam vniuersalem describi. Inducuntur quippe in inferis Reges, & Principes damnati quasi Papæ post mortem ad se venienti gratulandi causâ obuiam procedentes, eiq; sic illudentes: INFERNVS expauit propter te, in occursum aduentus tui exsurgunt tibi mortui omnes principes terræ. Exsurgunt ex solijs suis omnes reges gentium, teque his affantur verbis: Etiámne tu infirmatus es, sicut nos, & nobis similis factus es? Detracta est ad inferos superbia tua: Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, fili auroræ & deiectus es ad terram, qui territabas gentes? At tu dicebas in corde tuo: Cælum ascendam: super stellas cæli exaltabo solium meum: ascendam super altitudinem nubium, & similis fiam altissimo. Qui te videbunt dicent: Num hic est, qui conturbabat terram, & concutiebat regna.

Idem Legem tulit, vt si quis etiam cum propria vxore concubisset, Ecclesia excluderetur, donec lauacro purificatus iterum dignus fieret.

Ex epistola eiusdem lib. 34.

TRiste mihi aliquid serenissimus Dominus innuit, quòd non eum corripuit, qui superbit: Sed me magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac causa Euangeliorum, & canonum humilitatis atque rectitudinis veritatem defendo. Qua in reà prædicto fratre, & consacerdote meo, contra Euangelicam sententiam, contra beatum quoq; Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias, contraque canonum instituta agitur.

Ex epistola 36. eiusdem libri, ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum Episcopos.

QVi si nequaquam à suæ elationis rigore voluerit inclinari, tunc quid fieri debeat, cùm omnipotentis Dei solatio subtilius pertractetur. Et aliquantò pòst: perpendis frater charissime, quis è vicino subsequitur, cuius & in sacerdotibus erumpunt tam peruersa primordia. Quia enim iuxtà est ille, de quo scriptum est: Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ (quod non sine graui dolore dicere cōpellor) quid frater & coēpiscopus noster Ioannes mandata Domini, Apostolica præcepta, & regulas patrum despiciens, cùm per elationem præcurrere conatur in nomine, &c.

Ex epistola sequenti.

IN quibus se penè per singulos versus œcumenicum patriarcham nominat. Et paulò pòst: In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud, quàm fidem perdere, &c.

Ex epistola 30. libri 6. ad Mauritium Imperatorem.

EVndem verò fratrem & consacerdotem meum studiosè admonere curaui, vt si pacem habere omnium, concordiamque desideret, à stulti vocabuli appellatione se compescat. De qua re mihi in suis iussionibus dominorum pietas præcepit, dicens: vt pro appellatione friuoli nominis inter nos scandalum generari non debeat.

Sed rogo, vt imperialis pietas penset, quia alia sunt friuola valde innoxia, atque alia vehementer nociua. Nunquid non, cùm se Antichristus veniens Deum dixerit, friuolum valdè erit, sed tamen nimis pernitiosum? Si quantitatem vocis attendimus, duæ sunt syllabæ: si verò pondus iniquitatis, vniuersa pernicies.

Libro 7. Regesti capite 36. scribit hæc verba.

MOs Apostolorum fuit, vt Dominica solummodò oratione Dominicam cœnam consecrarent. Dicit item, canonem, qui in Missa recitatur, à nescio quo scholastico compositum esse.

Queritur itidem Pontifex grauiter dist. 92. eam prauam consuetudinem in Romana Ecclesia inualuisse, vt sacerdotes, quorum erat prædicationi Euangelij incumbere, omisso eo officio cantui vacent. 17 Homilia Sacerdotum crimina recenset, ac taxat.

Super verba (Messis quidem multa, Operarij autem pauci: rogate ergò Dominum messis, vt mittat operarios suos in messem suam) ita dicit lamentabiliter: quod sine graui mœrore loqui non possumus, quia etsi sunt, qui bona audiant, desunt, qui dicant: Ecce mundus sacerdotibus est plenus, sed tamen in messe Dei rarus valdè inuenitur operarius. Quia officium quidem sacerdotale accipimus, sed opus officij non implemus. Et postea dicit vlteriùs: Ad exteriora negotia dilapsi sumus, & aliud ex honore suscipimus, atque aliud pro officio actionis exhibemus: ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, vt video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus.

Et infrà: Nullum puto, fratres charissimi, de aliis maius præiudicium, quàm sacerdotibus habet Deus: qui eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccauimus, qui compescere peccata debuimus. Plerunque, quod est grauius, sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt: plerumque, si quos humiliter, si quos continenter viuere conspiciunt, irrident. Considerate ergò, quid de gregibus agatur, quando lupi pastores sunt: hi custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi dominico non metuunt, contra quos Dei greges custodiri debuerant: nulla animi lucra quærimus, ad nostra quotidie stipendia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet læticiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum: Dei causam relinquimus, ad terrena negotia festinamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus complicamur. Impletum est in nobis profectò, quod scriptum est: Et erit sicut populus, sic & sacerdos. Et infrà dicit: Quanto mundus gladio feriatur, aspicitis, quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis: cuius hoc, nisi nostro præcipuè peccato agitur? Ecce depopulatæ vrbes, euersa castra, Ecclesiæ, ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt: sed nos pereunte populo, autores mortis existimus, cuius debuimus esse duces ad vitam. Ex nostro enim peccató populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia, ad vitam erudita non est.

Ibidem cap. 80. Sicut enim veneranda mihi vestra sanctitas nouit, vni per sanctam Chalcedonensem synodum Pontifici sedis Apostolicæ, cui Deo disponente deservio, hoc vniuersitatis nomen oblatum est: Sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti consensit: quia videlicet, si vnus Patriarcha Vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christianâ mente, id sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere, ex quantulacunque parte videatur. Cùm ergò nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere: pensate, quàm ignominiosum sit, hunc sibi quempiam violenter vsurpare voluisse. Propterea sanctitas vestra in suis Epistolis neminem Vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.

Eiusdem Beati Gregorij Papæ, eiusq; Diaconi Petri

Dialogorum lib. 2. de vitâ & miraculis S. Benedicti, cap. 15.

IS itaque S. Benedictus cum illo (antistite Camisianæ Ecclesiæ) de ingressu regis Totilæ, & vrbis perditione cùm colloquium haberet, dixit Antistes Camisianæ Ecclesiæ: Per hunc regem ciuitas destruetur, vt iam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini (B. Benedictus) respondit: Roma à Gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus coruscis, turbinibus, ac terræmotu fatigabitur, & in semetipsa marcescet. Cuius Prophetiæ mysteria nobis iam luce clariore facta sunt, qui in hac vrbe dissoluta mænia, euersas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus, eiusque ædificia longo senio lassata, qui à ruinis crebrescentibus, hoc, & illo vento prosternantur, videmus.

De Primatus origine breuis narratio.

GRegorius Magnus, cùm animaduerteret, Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum sese vniuersalem dicere, primatumque plenis occupare velis: eam illius animi intemperiem missis literis, de quibus iam dictum fuit, extremè detestatus est: atque ad coërcendum ipsum se ex opposito Seruum Seruorum nominauit. Quod tamen non ex libera quadam animi abjectione, sed conceptâ repentè humiliatione factum putant: metuisse enim patrem, ne & Ecclesiæ Romanæ gubernaculum ille inuaderet, ipsamque sub Orientis Patriarchæ jurisdictione compingere tentaret. Quod quidem vnicè eum horruisse, paulò pòst secutus Bonifacius tertius, quem similis agebat timor, liquidò apparere fecit: dum magna animi contentione Phocam, etsi sceleratissimum hominem, qui & Cæsarem Mauritium jugulauerat, nihilominus in Cæsarem promouet, vt vicissim titulum Vniuersalis ab eo reciperet, quod & factum est. Dignum scilicet ollâ operculum: tanquam innuens, nunquam animum induxisse Papas, vt Serui Seruorum essent, verùm eò tacitis aspirâsse votis, vt Domini Dominantium euaderent. Quod ipsum inde ad hæc vsque tempora multos fastitasse Pontifices, atque ingentibus ausis, multa mortalium confecta cæde comprobasse, exempla, & exitus monstrant. Variis authoribus.

Speculum Saxonicum.

IVs Saxonicum, quod illi vulgò Speculum vocant, dicit: Papam nihil mandare aut statuere contra jura Saxonum posse. Statuit item illud idem jus, ne clerici hæreditatis adeundæ potestatem haberent. Imp. 58. Mauritio. E. R. 62. Greg. M. 596

Monstra.

596 COnstantinopoli in suburbio duo infantes nascuntur formâ innaturali: alteri enim duo erant capita: alteri pedes quatuor. Ioan. Laziardus, Cælestinus, Cedrenus, & Sigebertus. Imp. Mauritio. E.R. Gregorio Magno.

Mahumetes nascitur.

597 ANno quo natus est in Arabiâ, tantâ siccitate & penuriâ frugum, terra illa afflicta fuit, vt herbis vescerentur campestribus. Rodericus Toletanus. Imp. & E.R. vt sup.

Gregorius Turonensis historiarum libro secundo, capite trigesimo septimo.

CLodoueus Rex Franciæ, bello petens Alaricum Gothorum Regem, cum exercitu venit ad Vincennam flumen: quod propter crebras pluuias ita intumuerat, vt non sine ingenti periculo transiri posset. Noctu igitur ardentibus votis Deum precatus, vt vadum sibi monstraret: manè miræ magnitudinis vidit ceruam, quæ flumen ingrediens, tranando exercitui securum monstrauit transitum. Præterea Rege Clodoueo apud Pictanos in castris commorante, pharus ignea egressa de Hilarij basilica, visa est ei tanquam super se aduenire. Imp. Maurtiio, E.R. Gregorio M. vt sup.

Idem. SABINVS Canusinus Episcopus, senex & cæcus, prophetandi dono clarus, quod & Totilas Gothorum rex in eo deprehendit. Archidiaconus Episcopatus desiderio eum è medio tollere laborabat: & pincernæ persuadet, vt ei venenum propinet. Paret ille. Senex poculum oblatum respuit, dicens: Bibe tu, quod mihi proponis bibendum. Quod cùm puer metu pœnæ facere vellet, impedijt eum Sabinus, inquiens: Vade, & dic authori harum insidiarum, me quidem poculum bibiturum, se deum episcopatu nunquam potiturum. Sic accidit, vt venenum Sabino bibenti non noceret: & archidiacono bibenti, ea ipsa hora causa mortis existeret.

Idem libro 3. dial. c. 53. Valentinus quidam Mediolanensis Ecclesiæ Episcopus, Arianorum defensor, homo valde leuis, cùm in Ecclesiâ beati Martyris Syri sepultus esset, noctu ibi exauditi sunt horrendi clamores. Duo custodes exciti accurrunt, & duos cacodæmones vident Valentinum pedibus ligatum, & vociferantem ex templo trahere. Manè cadauer Valentini extra templum in alio loco conditum viderunt.

Idem libro 5. hist. cap. 36. Heraclius Sanctonensis Nantinum comitem ad communionem admittere noluit, quia Presbyterum crudeliter interfecisset: sed nonnulli Episcopi, acceptis præmijs admiserunt eum.

Idem lib 8. cap. 19. Dagulfus abbas Gallus pro sceleribus suis arguebatur, qui furta & homicidia plerumque faciebat, sed & in adulterijs nimium dissolutus erat. Quodam tempore cùm vxorem vicini sui concupiscens, misceretur cum ea, requirens occasiones diuersas, qualiter virum adulteræ intra monasterij sui septa deberet opprimere, ad extremum contestatus est ei dicens, quòd si ad vxorem suam accederet, puniretur. Illo discedente ab hospitiolo suo, hic Dagulfus noctecum vno clerico veniens, domum meretricis ingreditur, postquàm autem diutissimè bibentes inebriati sunt, in vno strato locantur. Quibus dormientibus adueniens vir ille accenso stramine, eleuata bipenne vtrumque peremit. Ideoque documentum sit hæc causa clericis, ne contra canonum statuta extranearum mulierũ consortio potiantur, cùm hæc & ipsa lex canonica, & omnes scripturæ sanctæ prohibeant: præter has fœminas, de quibus crimen non potest æstimari.

Idem. Datius Episcopus Mediolanensis, cùm propter fidei confessionem eiectus, Constantinopolim tenderet, Corinthum appulit, & ibi ædes à Diabolo occupatas intrauit, cùm nullas alias famulitio suo aptiores inuenisset: Intempesta nocte, cùm Dæmones fremerent, leonum more rugirent, balarent, &c, Datius expergiscitur, & inquit: Impurissime Dæmon, tu dixisti, ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo. Ecce propter superbiam porcis & asinis similis factus es, quandoquidem Deo obedire noluisti. Hac voce confusi Dæmones, domum eam deseruerunt. Gregor. Turonensis lib. 3. Dialog. c. 4.

Finit Centenarius sextus.



CEN-

Christi	Num.	CENTENARII SEXTI.	Anni.	Mens.	Dies.
		IMPERATORES.			
518	73	Fl. Anicius Iustinus.	9	0	28
528	74	Fl. Anicius Iustinianus.	38	3	13
566	75	Fl. Anicius Iustinus Iunior.	10	10	20
576	76	Tiber Anicius Constantinus.	6	10	8
584	77	Ti. Fl. Mauricius.	19	3	11
		PONTIFICES.			
514	53	Cælius Hormisda Frusinas Campanus Latinus.	9	0	18
523	54	Ioannes Thuscus.	2	9	16
526	55	Felix 3. dictus 4. Beneuentanus Samnis.	4	2	18
530	56	Bonifacius 2. Iunior Roman.	1	0	2
530		6. Dioscorus Romanus.	0	0	28
532	57	Ioannes 2. Iun. Mercur. Rom.	2	4	6
534	58	Rusticus Agapetus Romanus.	0	11	19
535	59	Cælius Silverius Frusinus Hernicus Campanus Latinus sedit annum ab electione	1	10	7
		ordinatione.	1	5	11
537	60	Vigilius Romanus á creatione	18	7	15
		á consecratione.	18	6	28
556	61	Pelagius Romanus.	4	10	18
561	62	Ioannes 3. Catellinus Romanus.	13	0	16
575	63	Benedictus Bonosus Romanus.	4	2	15
597	64	Pelagius 2. Iunior Romanus.	10	2	29
590	65	Gregorius M. Romanus Monachus.	14	0	0

CON-

Anno Christi	Vum.	CONCILIA.	Episc.	Sess.	Can.
	146	Romanum 27 & 28.			
501	147				71
502	148	Romanum 29.			
506	149	Agathense			16
507	150	Flerdense			6
508	151	Valentinum 2.			
Christi	Vum.	CONCILIA.	Episc.	Sess.	Cand.
510	152	Sidonense.			
512	153	Romanum 30.			
512	154	Aurelianense.			21
	155	Heracliense.			
515	156	Romanum 31.			
516	157	Tarracinense.			10
	158	Cæsaraugustanum.			8
518	159	Constantinop. 13.			
519	160	Secundæ Syriæ.			
529	161	Toletanum.			5
	162				
531	163	Romanum			
	164	32. 33. 34.			
534	165	Constantinop. 14.			21
535	166	Aurelianense.			32
539	167	Aurelianense			37
545	168	Aruernense.			
550	169	Aurelianense.			
552	170	Aurelianense.			
	171	Constantinop. 15.			
553	172	Mopsuestenum.			
	173	Hierosolymitanum. 5.	165		
557	174	Parisiense.			8
558	175	Parisiense			

582	178	Breniacenſe.	
	179	Cabilonenſe.	
583	180	Matiſconenſe.	
584	181	Lugdunenſe.	23
587	182	Matiſconenſe.	
589	183	Conſtantinop. 16.	20
590	184	Matiſconenſe.	
591	185	Lugdunenſe.	
	186	Pictauienſe.	
595	187	Toletanum.	
	188	Hiſpalenſe.	
596	189	Romanum 35.	
600	190	Metenſe.	

ORDINES.

530. *Ord. Apoſtolicorum.*
530. *Ord. Benedictinorum.*
530. *Ord. Scholaſticanarum Benedictinarum.*
595. *Ordo Gregorianorum.*

DOCTI VIRI.

Symmachus.
Gildas Albanius Britto.
VVaſtaldus.
Hunibaldus. 520.
Hormiſda.
Procopius Cæſarienſis.
Iordanus Epiſcopus Gothorum.
Marcellinus Comes.
Caſsiodorus.
Boëtius.
Proclus: cuius commentarius in Platonem extat.

Agathias.
Tribonianus I. C.
Suidas.
540. *Theliesinus Helius Bardus Britto.*
Pelagius Episcopus Romanus.
Brendanus.
560. *Rentigernus Eluius Britto.*
Merlinus Caledonius Britto.
580. *Gildas Badonicus.*
Gregorius Magnus Episcopus Romanus.
Speculum Saxonicum.
Mahumetes.
600. *Gregorius Turonensis.*



LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS SEPTIMVS.

Mirum. 603.



DE Arnolpho auo Pipini. Duce Lotharingiæ, Vincentius refert: quòd tempore quodam annulum in profluentem abiecerit Mosellam, his additis verbis: Si hunc annulum recuperauero, certum erit, mihi remissa esse peccata, & non dubitandum de æterna salute. Multis igitur pòst annis eundem iterum in quodam apposito sibi pisce cocto repperit. Vincentius. Imp. & E. R. vt sup.

Primatus in papatu primi institutores.

MAuritius primus Imperator, qui primatum in Ecclesia contulit Ioanni Ieiunatori, Episcopo Constantinopolitano: & Phocas, alter, qui Episcopo Romano Bonifacio 3. vterque miserrima morte occubuêre: quòd certè mysterio non caret.

Eo autem tempore, quo Bonifacius concessu Phocæ primatum sibi super reliquos arrogauit: exarsit Cometa in cœlo, lucido admodum fulgore conspicuus: iubens veritatem verbi diuini oculis & mente intueri, & discere, quòd ille solus, qui est in cœlis Christus, suæ caput sit Ecclesiæ, eiusque solus primatum teneat semper.

Mauritius Imperator. 604.

TEmpore conceptionis eius, parens in somnis vidit vitem maximam è cubili suo prodire: & plurimas vuas, easq; maturas, ab ea pendere. Circa partum, mater fragrantiam quandam exoticam & peregrinam è terra euaporare sensit. Empusa infantem frequenter transposuit, quasi necatura: sed nihil ei nocuit: Euagrius lib. 5 cap. 21. Acciderunt etiam postea portenta, quæ ei vaticinata sunt Imperium. Nam Christus illi in somnis apparuit in Oriente, & petijt, vt se vlciscretur: & in adyto Antiochiæ, cùm fumigaret, cortina sacræ mensæ conflagrauit. Euagrius Ibidem. Lapsus est 14. Imperij sui anno, Diacono teste, in eam ex humana imbecillitate auariciam, vt cùm infinitam captiuorum hominũ multitudinem Chaganus Auarum Hunnorum rex, virum quemq; duobus aureis nummis (vt Nicephorus habet) Mauricio redimendos proponeret, multa millia potius hominum ense crudeliter necari à tyranno, quàm aliquam pecuniæ iacturam pro eorum redemtione fieri pateretur. Hinc & Dei iram, & grauissima hominum & subditorum suorum odia incurrit. Cùm autem patratæ impietatis memoria grauiter eum excruciaret, scriptis literis, omnium præcipuarum Ecclesiarum Episcopos pro se preces ad Deum fundere iubebat, quò in mortali hac vita citra æternam animæ iacturam, peccatorum suorum remunerationem sibi recipere liceret. Hæc dum agitat, & in luctu ac lachrymis anteactæ vitæ pœnitentia sese macerat, quandam Christi imaginem in somnis, clarè & euidenter vocem edidisse ferunt: ipsum voti fore compotem, & in hac vita pœnas soluturum. Vidisse etiam in somnis dicitur, se & suam Constantiam vxorem cum filijs & filiabus, totaque sua familia, gladio Phocæ perimendum tradi.



Phoca autem Imperatore iam designato, cum vxore & liberis, Phoca persequente fugam molitus, nauigio Chalcedonem (oppidum id est, contra Byzantium) delatus fuit. Vbi captus cum tota fami-

Domine, & iustum iudicium tuum. Cumq; liberorum nutrix, infante Imperatoris subtracto, puerum ipsa suum lactantem ad cædem protulisset: Mauritius astans, suum requisiuit, & proferri iussit: iniquum esse dicens, in alium, cùm ab ipso Deus pœnas expeteret, animaduerti. Filijs quinq; gladio truncatis, pater quoq; ipse fortissimè capite resecto occubuit. Deinde verò tyrannus Constantiam Imperatricem, cum fratribus, filiabus, in priuatorum ordinem redegit: & primùm quidem eas vili quadam & exili domuncula inclusit, tandem verò crudelitate ebrius, ferro quoque interimi iussit. Nicephorus lib. 18. cap. 38. & in sequentibus.

670. *Prodigia.*

TAnta apparuerunt prodigia, quanta nunquam antea, quibus futuræ calamitates portendebantur. Nam & cometes visus est prælucidus mense Septembri ac Nouembri: & eodem anno Mauritius Imperator à Phocâ occisus est, ac deinde Bonifacius magna contentione impetrauit, vt Roma caput Ecclesiarum & diceretur & haberetur. Lycost. Imp. 59, Phoca. Pp. 1. Bonifacio 3, vt sup.

Ab alijs Historicis Mauritij cædes paulò aliter: & simul magna fides amici narratur.

PHocas primùm spectantibus Patre Mauricio, & honestissima coniuge filias interfici iubet: postea filium adolescentem. Aberat autem minimus natu apud nutricem. Hunc cùm adferri iussisset, nutricis maritus affert non alium sed proprium filium. Tanta erat rara fides in eo amico. Sed cùm adspexisset puerum Mauricius, interpellat Phocam, monens hunc alienum esse, nec se velle calamitatem suam in amicum deriuare. Affertur igitur Mauritij filius, ac interficitur. Postea occiditur mater misera. In tanta calamitate nulla vox impia ex Mauricio audita est: sed astitit spectator harum ingentium ærumnarum, & confessionem suæ culpæ edidit, inquiens: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum: postea & ipse occisus est.

De primatu breuis narratio.

SI quis superiora secula, resq; decurrentibus illis, aut turpiter, aut præclarè gestas animo respiciat: minimè ignorabit, Romanorum Episcoporum neminem ante Gregorium Magnum, qui anno salutis sexcentesimo sedit, tantam subitò incessisse vecordiam, vt sese VNIVERSALEM appellare non erubesceret. Hinc cùm à Ioanne Patriarchâ Constantinopolitano id primùm in litem longè acerrimam esset tractum, qui se opinione omnium oportere alijs præcellere existimabat: illi magna animi præsentia, atque spiritu repagulum iniecit Gregorius, asserendo planè atq; statuendo: quòd si quisquam vniuersalem sibi titulum in Ecclesiâ adsciscere contenderet: is sine dubio esset Antichristus, aut præcursor eius.

Epist. 30 ad Eul. Alex. Epis. & dist. 31. ca. legimus. Epist. ad Maurit.

Quòd si iam autem nefas est dubitare, quin quæ sunt à Pontificibus asserta, diuinitus sint inspirata, ac proinde vt de cœlo lapsa suscipienda: si illi leges omnes in pectore habent: si errare numquam consueuêre, aut potuêre: & si auctore Marco Mantuâ, absolutè semper credendum ipsis: quid opus est, quis sit Antichristus, vltrà anxiè inquirere?

At enim sopitâ nondùm, sed indies intumescente de Primatu contentione: flagitiosissimus Phocas, cuius ab ineunte ætate omne vitæ genus ad teterrimas quasque libidines, & flagitia erat diuulgatum, immani parricidio Mauritium Imperatorem cum vniuersâ sobole trucidauit, sceptrumq; regium cruentis manibus arripiens, Orientem omnem per vim crudelitate barbaram occupauit.

Paul. Diac. lib. 8. cap. 5.

Verum enimverò habuit exploratum homo, nequaquã ficulneus, si quando iugulati à se Mauritij fama ad occidentem percrebresceret, futurũ, vt omniũ in se odia concitaret: imprimis autem Papam infensum sibi redderet, vt qui (vt debuisset) eam sceleris immanitatem haud quaquam facilè laturus, sed sacrâ detestatione seuerissimè percussurus esset: quo fieret, vt nemo hominum quicquam præsidij in se collocaret: verùm omnes ad crucem tamquam nefarium latronem poscerent, atque modis omnibus exsecrarentur.

Hoc cupiens à ceruicibus suis excutere parricida, consiliũ cepit de conciliando sibi suffragio Papæ, qui tum erat Bonifacius tertius, & qui dominandi libidine mirũ in modum pruriebat, atq; Vniuersalis Episcopi titulum ambiebat, non dubitans, posse animum eius fulgore titulorum perstringi, eoq; in partes suas adducto retineri facilè in obsequijs Italiam: fecitq; illum hoc petentem & summis precibus flagitantẽ VNIVERSALEM PAPAM. Quo cùm nihil magis ad illius saliuam accidisset, parricidium longè deterrimum in Mauritio, à nefando Phocâ patratum suo syrmate texit, atque approbauit: hominemq; profligatæ nequitiæ pro Cæsare mundo obtrusit.

His quidẽ artibus ad Primatum obrepsêre Pontifices. Erat autem deinde excellentius quiddam, cuius incredibili desiderio quoq; flagrabât: quòd emergendi, florente in Italiâ Exarchatu, Cæsareq; coniunctis adhuc imperij viribus pollente, quodq; est consideratione dignum, arbitrium in Papas obtinente, nullus sanè patebat aditus. Id verò Dominium fuerat Temporale: ad quod adipiscendum vnicè vigilabant: eò cogitationes, studia, mentem deniq; omnem figebant atque locabant.

Oriebatur autẽ illo tempore Monothelitarũ horribilis secta, magnâ animi contentione de naturâ Christi atque voluntate disceptantium: ad quam accedebat, quòd imagines, quæ iam tùm etiam enormiter inualuerant, atque adorari cœperant, in discrimen vocarentur: Leoque Imperator vt, quod suarum erat partium, exsequeretur, seriò admodùm mandaret Papæ, vt sicut ille Constantinopoli, ita Papa in Occidente tolleret ex templis simulachra, atque Ecclesiâ totâ eliminaret. Atqui iam Primatum arripuerant, hominesque in eam religionem adduxerant, vt quicquam ipsis in

consultis suscipere, extremè omnes suspensis veluti mentibus extimescerent: eaq; auctoritate conspicuos, non certè facile erat eos ad officium faciendum adducere. Neque fuerunt nescij sanctissimi Patres, quantus animi stupor illâ imaginum veneratione rude vulgus inuaderet: quantum inde pecuniæ corradere, quantum conciliare sibi gratiæ possent, id inquam minimè ipsos latuit: vt non dubitarent, si Imperatori cederent, hoc sibi detrimento futurum esse.

Postea quàm verò plurimùm operæ, plurimùm sanè laboris requiri intellexerunt, tantam Imperij sedem, (Exarchatum scilicet) ex oculis amouere, neque sibi ita facilè ab eo desciscere licere: insidijs, & Sinonis arte, quod illatâ vi nequirent, assequi attentauerunt.

Cùmprimis ergò Rauennates, vti in Cæsarem ciuilia arma distringerent, ausu temerario incitauerant, vnde bellum exarsit, quod tantâ animorum acerbitate gestum est, inq; eam calamitatem Imperium coniectum: vt miserrimè interemto cum duobus filijs Exarcho Paulo, Italia penè omnis à iuratâ fidelitate deficeret, atq; in tristissimam recidiuam collabesceret. Platina.

Nunc autem præterea cùm trepidarent Papæ, ne motæ Camarinæ rei, ea nominis celebritate, quam acceptâ à Phocâ, iamq; vsurpatam ambitiosè possidebant, per Imperatorem Constantinopolitanum exuerentur, atque Ecclesiæ Græcæ, à quâ odio capitali dissidebant, magnâ cum ignominiâ subderentur: applicuerunt sese in detrimentum, atq; dedecus Imperij Romani Gallis. Vbi detruso in monasterium Chilperico Rege, coronam in Pipinum Maiorem domus contulerunt. Insuper etiam regni proceres auctoritate, quâ se iam inde à Petro valere dictitabant, acerrimè adstrinxerunt, vt porrò in electione Regum ad aliam, quàm Pipini posteritatem nequaquam descenderent, in eoq; toti à nutu Pontificis Romani penderent. Interim autem Pipinus minimè ignorabat, quid se facere oporteret, habebatq; exploratum, non se aliam ob causam ad tantam gloriæ amplitudinem euectum esse, quàm vti vicissim ad planè simile fastigium Pontificem extolleret. Idq; verò eò magis, quòd sibi suisq; altius ingrediendi viam patescere animaduerteret. Proinde illud exsequendum ratus, adscitis copijs Italiam inuasit, omnes in id neruos intendendo, vt omnia arbitrio Papæ vnicè mancipare̅tur, iusq; illi vniuersum transcriberetur. Quod simul atq; optato fine floruit, Pontifex Maximus tributa vrbis Romæ, & Italiæ Cæsari dari prohibuit, nec non & omnia tam Reipublicæ, quàm Ecclesiæ iura in Hesperijs ab obedientia Leonis remouit. Ecquid erat amplius, quæ res, quæ spes, quodnam animi solatium, quo deploratus Imperij status, eiusq; ferale diuortium vltrà posse niti, & componi putaretur? Aggressus est Papa aliud, & sibi potestatem Cæsares creandi sumsit, excussoq; Constantipolitano & Romano, Gallū Carolum elegit. Quem licet Irene Constantini mater, expunctis quoq; vterino filio luminibus, maritum expeteret, vt quas in Oriente reliquias haberet, eas ad Occidentem iure matrimonij reduceret: vteretur autem Pontifice, tanquam pronubo: res tamen, aleâ ludente Papa, longè aliter cecidit. Neque enim iste vnquam animum induxit, Imperium amplificare: id verò modis omnibus imminuere, nullum non mouit lapidem, summaque semper intentione conatus est. His certè fraudibus, insidijs, atque odijs Pontificum effectum est, vt florentissimum Orientis Imperium in cineres abierit: ipsi verò Occidentem propè vniuersum occupauerint: atque secum Turcas, ad parem animi petulantiam exercendam, ad incrementa longè maxima subuexerint. Hæc ex P. Diacono, Platina, Reginone, Sabellico, Othone Frisingense, Volaterano & alijs.

Regino l. 2.

Sabellicus En. 8. lib. 8.

Otho Fris. Sigebertus.

Vol. lib. 3. Geogr.

De eodem.

CAusa, cur Bonifacius III. qui primus à Phoca Imperatore parricidâ, titulum vniuersalis obtinuit, & aliquot Pontifices post eum, libros Gregorij exosos habuerint, eos comburere, & memoriam illius delere voluerint, est: quòd Gregorius nomen Vniuersalis planè reiecit & damnauit: vt apud eum suprà.

De eodem.

SErmone publico grauiter reprehendit Patriarcha Constantinopolitanus immane homicidium Phocæ: Phocas igitur adimens illi titulum & honorem Archiepiscopi vel Vniuersalis, contulit eundem, additis præclaris muneribus ac donis Episcopo Romano, vt factum approbaret, quod & feliciter impetrauit. Vide Car. Sigonium de hac re, in libro de Regno Italiæ.

De eodem.

REuera (vt pace bonorum dicam) multi Episcopatum desiderant explendæ auaritiæ, & libidinis suæ causâ, non quò communi vtilitati, vt eorum exposcit officium, & nomen, consulant: quæritur enim quantum in reditibus habeat Episcopatus, non quot oues pascuè in eo sint? Platina.

Pantheon.

NOn carere mysterio videtur, quòd Phocæ concessu Bonifacius IIII. Papa Pantheon, omnium gentilium deorum fanum, in D. Mariæ, & omnium martyrum honorem repurgari curauit: debebat enim Antichristus, vero Deo reiecto, Deum alienum Maosim colere, & omnis generis idolomanias accumulare, & longè lateq; disseminare.

Phocas Imp. 59. 607.

PHocas libidini deditus cùm sineret imperium à Persis, Hunnis, & eorum rege Cagano vastari, ab Heracliano Africæ præside & Phocio, cuius vxorem rapuerat, comprehensus ad exercitū ad-

ducitur: vbi ei milites brachia, pedes, & pudenda præsciderunt, & ea perticæ, affixa circumgestârunt. Genebrardus & alij.

Idem Hoc solo actu memorabilis erga Romanam Ecclesiam fuit, quòd eam Oecumenicam, matremque omnium Ecclesiarum promulgata constitutione declarauit: quod Romæ similiter in fronte porticus Lateranensis Templi sculptum legitur. Si ergò Pontifex ab Imperatoribus superioritatem: vt fatentur, & sculptis scriptisque passim omnibus constat, accepit, quis non Paparum impudentiam & audaciam mirabititur, quòd supra eos, à quibus omnia acceperunt, nunc esse volunt? Dignior enim à minùs digno authoritatem non accipit. Vt & Bonifacium quartum Pantheon Templum à Phoca accepisse constat: sicut modò dictum fuit. De Phoca vide etiam Cedrenum anno 1059. infrà.

Ordo Gerundinensium.

610. IOannes Gerundinensis Episcopus Lusitaniæ in somnis (vt fertur) admonitus, ordinem hunc instituit, & peculiarem illis à Papa Regulam impetrauit. Vestitum album eis cum suis insignijs in pectorali tribuit, tanquam tesseram aliquam: & tænias quaternas, quarum duæ virides, totidemque rubræ fuerunt, vt Francus, & Modius, item Platina in vita Bonif. 4. de illis refert. Nomen habuerunt à loco. De quibus vide etiam Genebrardum, Volateranum & Trith. Imp. 59 Phoca. Papa 65 Bonifacio 4.



Exarchatus.

POstquàm Imperatores relicta Roma Constantinopolin sedem transtulerunt: Vicarium in Italia constituerunt, quem Exarchum nominârunt, & Rauennam ei sedem statuerunt. Cœpit anno 620. durauit annis 164. Huius tanta fuit authoritas, vt electum Pontificem loco Imperatoris cōfirmaret: tandē deuoratus ab Harpyijs desijt. Volater. Imp. 60 Heraclio, Papa 67 Bonifacio 5.

Origo Mahometis.

623. HOc eodem anno Mahomet in Arabiâ potens est factus. De huius origine omnes ferè Historici consonanter tradunt, quòd humili loco natus fuerit, captusq; à Scenitis (Arabiæ populus est) Abdimoneplæ cuidam mercatori prædiuiti sit venditus. Qui forma eius delectatus, non vt seruum, sed liberi loco eum educauit. Cumque adoleuisset, mercimonijs præposuit. Qui vafer ingenio, lucrum mirum in modum auxit, vnde & domino gratior, toti eius substantiæ & negociationi præficitur. Hinc cum Christianis atq; Iudæis commercia habens, ab vtrisq; quæ sibi placerent didicit. Sergiiq; monachi cuiusdam, qui ad Abdimoneplem ex Byzantio confugerat, vt pœnas malâ opinione meritas euitaret, monitu, nouam fidei formam & doctrinam in animo concepit. Quam acceptâ post occasione in Alcoranum congestam publicè proposuit. Defuncto namq; domino suo, ab vxore eius in omnium rerum communionem, inque thorum coniugalem assumitur. Hanc fraude circumueniens, cùm sæpius morbo comitiali corriperetur, in eam opinionem traduxit, vt Prophetam ipsum esse crederet. Dicebat enim, angelorum se visiones habere, quorum claritatem cùm ferre non posset, ita se excruciari. Vulgatâ tandem ab vxore, & à Sergio comprobatâ hac famâ, à compluribus vt Propheta obseruari & coli cœpit. Mortetandem vxore confectâ bonorum omnium hæres ab ipsa relictus, ad potentiam aucupandam opibus est vsus. Paulatimq; Saracenos sibi subijciens, eum excitauit ignem, quem nec Orientis Imperatores, nec Occidentis Principes ad hunc diem vsque penitus extinguere valuerunt. Hic Mahometes cum suis Saracenis, in Apocalypsi capite nono, sub imagine sexti Angeli tubam habentis, præfiguratus est. Imp. vt sup. Papa 68 Honorio 1.

De eodem.

623. MAhometes ille impius, ab Ismaële originem ducens, Abdalâ patre, Hennina matre, vigesimâ tertiâ stirpe, nascitur anno 592. à quo & Arabes suam Hegiram incipiunt, vt suprà dictum est: Camelorum primùm pastor, neque legere, neque scribere sciens, vt ipse Azo fatetur, mox diuite ductâ vi duâ mercator, tandem pseudopropheta anno ætatis 4., obtento Gabrielis nomine, legem ex Iudæis, Gentibus & Christianis composuit, quam partim verbis & prodigijs mendacibus columbæ, tauri, comitialis morbi & lunæ: partim vi & armis, infinitæ multitudini persuasit. Dux peran-

nos 10. Arabum, seu Ismaëlitarum, siue Saracenorum (vel à Sarâ vxore Abrahæ, vel potiùs à Sara monte, quem olim ipsi incolebant) eorumque Propheta fuit, edoctus à duobus Iudæis Apostatis, & à Sergio & Ioanne hæreticis Arianis & Nestorianis, apostatis. Zonaras, Cedrenus in Chronogr. Diac. lib. 18. rerum Rom. Blond. decad. 1. lib. 6. Vincen. in spec. lib. 24. cap. 4.

De Turcorum Monachis seu Religiosis.

DE his vide Bart. Georgeuiz, Cuspinianum & Hospinianum: qui aliquot illorum genera esse scribunt: & inter alia vnum, quod incedat pertusa verpâ siue mentulâ incluso annulo æreo ponderis trium librarum, ob seruandam castitatem.

Si Turcæ & fideles adeò votorum sunt seruantes, vt ad quæuis etiam confugiant media ne periurij nefas committant: quantò magis ergo nostros Monachos Christianos, & totam turbam raiorum, qui illibatam vouere & seruare castitatem, ad consequendam vitam æternam non minùs facere, quàm ipsius Christi meritum, impiè somniant, decebat, vel omnino se propter regnum cœlorum castrare, vel saltem cum Turcis vti annulis huiusmodi, aut fiscellis?

Alcoran.

HIc liber studio Petri Toletani, Petri monachi Cluniacensis, Roberti Retelensis, & Hermanni Dalmatæ, de Arabica lingua prodijt in latinam. Alcoran, hoc est, collectanea præceptorum, siue legum Mahumeti, sibi, vt persuadebat alijs, ab Angelo Gabriele de cœlo collatarum. Erat tum Monachus Sergius Nestorij hæretici sectator, qui ab Ecclesia pulsus ad partes illas Arabiæ profectus Mahumeti se adiunxit, & illius nouæ sectæ autor fuit. De quibus habes apud Ludouicum Viuem de veritate fidei Christianæ lib. 4. Septemcastrensem, Volateranum, Hieron. Sauanarolam, Nicolaum Cusanum, Theodo. Bibliandrum, & alios. Translatus fuit vt Anastasius Bibliothecarius refert, anno 1143.

Ibidem. Contra calumnias & rabulas forenses in legibus Alcorani habes sequentia verba: Ex mendacijs vel pro causis agendis, iudicijsque dandis victum acquirere, pecuniam sumendo nolite.

Isidorus Hispalensis Episcopus originum libro vndecimo. 630.

MOnstra verò à monitu dicta, quòd aliquid significandũ demonstrent, siue quod statim monstrent, quid appareat, & hoc proprietatis est: abusione tamen scriptorum plerumq; corrumpitur. Quædam autem portentorum creationes in significationibus futuris constitutæ videntur. Vult enim Deus interdum ventura significare per aliqua nascentium noxia, sicut & per somnos, & per oracula, quibus præmoneat, & significet quibusdam vel gentibus, vel hominibus futurã cladem, quod plurimis etiam experimentis probatum est: vt in temporibus Xerxis Regis. Tunc quippe vulpes ex equâ creata, dissolui regnum eius portendit. Alexandro ex muliere monstrum creatum est, quod superiores corporis partes hominis, sed mortuas habuit: inferiores diuersarum bestiarum, sed viuentes: significans repentinam Regis interfectionem, superuixerant enim deteriora melioribus. Sed monstra, quæ in significationibus dantur, non diu viuunt, sed continuò vt nata fuerint occidunt. Imp. 60 Heraclio. Papa 68 Honorio 1.

Ibidem cap. 26. Omnis qui secundum perfectionis normam aut non viuit, aut aliter docet, Antichristus est.

Idem de summo bono lib. 1. cap. 25. Antequàm Antichristus appareat: virtutes ab Ecclesia & signa cessabunt: quatenus eam quasi abiectiorem persequatur audaciùs. Ob hanc vtilitatem cessabunt sub Antichristo miracula & virtutes, vt per hoc sanctorum pateat patientia, & reproborum, qui scandalizantur, leuitas ostendatur, & persequentium audacia ferocior efficiatur.

De eodem.

ISidori temporibus Mahometes antequàm suas inceperat blasphemias diuulgare, venit in Hispaniam: cui cùm hic Isidorus conspexisset, ex physiognomia ipsius agnouit & iudicauit, dicens, quòd turpis labes & pestis esset Ecclesiæ Dei, & societatis hominum communis futurus: & mandauit ipsum capi. At à Diabolo admonitus Mahometes effugit periculum Antoninus titulo 13. cap. 2. §. 2. Mortuus est sub Imp. Heraclio. Vincentius Sturmius.

Honorius primus Papa 68.

COndemnatus, & pro hæretico habitus fuit concilio Constantinopolitano: art. 13. Papa enim errare non potest. Imp. 60 Heraclio Papa vt sup. 633.

Prodigium.

ANno Dagoberti regis secundo, qui fuit Dominicæ natiuitatis sexcentesimus tricesimus tertius: vxor eius Nanthildis peperit ei filium, qui Sigebertus est nominatus. Hic infans 633.

40. dierum, cùm à sancto Amando Episcopo baptizaretur, tacentibus cunctis ipse Amen clara voce respondit. Annales Tritheymij. Imp. & Papa vt sup.

Cicero refert, Crœsi filium infantem quoque locutum esse, sed eo ostento regnum patris concidisse.

640. ## Nicephorus Callistus Xanthopulus lib. 4.

Eccl. hist.

HIc mentionem facit Maximillæ Prophetissæ, quæ fuit coniunx Montani hæretici, & libros propheticos conscripsisse fertur: de qua etiam suprà sub anno 174. Imp. 60. Heraclio, Papa 71 Theodoro 1.

Idem. Arianus quidam de S. Trinitate indigna cùm euomeret, veniente subitò ignito cœlitus iaculo, combustus est.

Idem lib. 4. cap. 36, ex doctrinâ Iudæ, ait, Antichristi aduentus exspectabatur. Quæ opinio, si quis Montani hæresin, & Victoris Romani conatus consideret, non prorsus vana fuit: quid enim aliud Montanus nouis suis paracleti traditionibus, & legibus ieiuniorum, & nuptiarum dissolutionibus egit, quàm vt fundamenta prima totius Antichristianismi iaceret? Illyr.

Idem lib. 15. cap. 28. Narrant historici: Petrum Gnapheum, qui Antiochiæ regendæ Ecclesiæ haud sanè pio titulo præerat, instituisse: vt omnibus precibus Dei, genetricis virginis Mariæ nomen insereretur, inuocareturque: id quod prioribus ætatibus ne auditum quidem erat, cùm esset contra exempla primitiuæ Ecclesiæ. Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum.

Idem lib. 9. cap. 35. Athanasius Episcopus ab Arrianis, & Græcis Præstigiator dictus, atq; ob diuinationis peritiam diu multumque derisus, cùm vrbem Alexandriam ingrederetur, cornix in aëre volitans crocitabat. Græcorum turba hæc audiens, scommate eum veluti impostorē persequens, quidnam cornix diceret, interrogauit? Ille autem perquàm vrbanè, & suauitèr ridens, Cras, inquit. Portendit namque, crastinum diem vobis non benè cessurum. Mandatum enim ab Imperatore veniens, festum diem vestrum vobis inhibebit, & magnificentia vestra iniucunda vobis erit. Porrò id Athanasij dictum exitum suum habuit. Ab Imperatore enim literæ venêre, quibus magistratus iubebatur de cætero Græcos prohibere, ne ad templa accederent, & more superstitionis suæ dies festos peragerent. Et celebritas ea, quæ iam aderat, & ab illis plurimi fiebat, veneratione que maximâ colebatur, tum penitus abrogata est.

Idem lib. 18. cap. 56. Phocas Mauricium Imp. crudeliter occidit, & imperium inuasit. Quod cùm pari impotentiâ & crudelitate administraret: tandem facta est coniuratio in ipsum à Prisco eius genero: & quotquot Senatorij ordinis supererant, secretò per literas ab Heraclio (Heraclij, ad quem postea imperium deuenit, patre) tunc in occidentali Africâ & Lybia cum exercitu validissimo Rempub. administrante, petierunt, vt populum Romanum ab impiâ Phocæ tyrannide liberaret. Heraclius itaque filium Heraclium cum pedestri naualiq; apparatu contra tyrannum misit: & victoriâ potitus, tyranno Phocæ primùm manus, ac pedes resecari: deinde, quia honestissimis matronis vim intulerat, quasi in publicam pœnam luxuriæ, pudenda excindi, perticæ affigi & circumgestari, tandem caput amputari, & postremò corpus eius in boue æneo comburi iussit, omni eius stirpe cum ipso exstinctâ. Hic tyrannidis, & scelerum Phocæ finis, & primatus Paparum initium fuit.

Idem lib. 16. cap. 18. Postquàm Acacius Constantinopolitanus Episcopus à Romano Pontifice excommunicatus est, & alius in eiusdem locum substituendus esset: tum Zeno Imperator vt tolleret occasiones turbarum, quæ in electione plerunq; oriri solebant, chartam puram obsignatam in altari reposuit: & in aliâ scriptâ Deum orabat, vt ipse in munda illa notis designare vellet, quem Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfectum vellet. Tunc ergo Flauitas presbyter, homo summæ audaciæ & impietatis, æditvo pecunijs corrupto, fecit vt suum nomen papyro inscriberetur. Hac fraude Episcopatum adeptus vix 4. menses eum tenuit, cùm Deus eum è medio sustulit.

Idem lib. 12. cap 34. prolixè narrat, olim varias fuisse consuetudines, & ritus Ecclesiarum circa festa, ieiunia, cibos vetitos. Ecclesiasticas ceremonias, &c. Ac affirmat, primos illos verbi ministros, id est, Apostolos, eorumq; successores eiusmodi obseruationes arbitrio singulorum reliquisse. Et sequenti capite, docens necessaria, & quæ præcipua in religione sunt, potius curanda esse, quàm ceremonias, hæc verba ponit: At quidam hæc nihil curantes, omnem quidem fornicationem pro nihilo habent: de diebus autem ferijs & institutis, perinde atq; de animâ ipsâ decertant, Dei mandata inuertentes, & sibi ipsis leges ferentes; haud secus, atq; si studiosè hoc agerent, vt contrarias maximè aduersus decreta Dei res agitantes, latere possint. Vbi clarè videtur perstringere Papam, eiusq; spirituales, qui per suas humanas traditiunculas, mandata Dei antiquant, & obliterant. Quis enim ignorat, in Papatu longè maius peccatum haberi, comedere die Veneris, aut in Quadragesimâ carnes, quàm furari, defraudare suum proximum, aut scortari? Illyricus.

Ibidem. Fuêre tunc celebratæ & Sibyllinæ vaticinationes, & libri quidam Notarum coniectura multorum exercuerunt: has Græci βίβλους συμβολικὰς nominant, & ex illorum librorum vniu significatione, Leonem cognouisse diem, & genus mortis suæ accepimus: quòd notâsset inter duas literas χ & φ, expressam figuram Leonis, qui iugularetur. Nam & in iugulum Leonis ab interfectore ensis defixus fuit: & accidit hoc, vt diximus, ferijs natalitijs Christi, noctu luminibus accensis atq fulgentibus: vt ad Christi nascentis lumina cædem illam factum iri demonstraretur.

Idem

Idem. Vel his temporibus, vel paulò superius, & solis Splendor diebus compluribus obscuratus est mirabiliter, & crucis figuræ in vestibus visæ: & cecidit imber cruentus, variæque, & atroces calamitates longo tempore afflixerunt genus humanum in toto orbe terrarum, belli, famis, pestilentiæ: Ecclesia verò Christi superstitionibus multiplicibus fuit inquinata.

Idem. Mahometem scribunt in adolescentia Camelos diuitis mercatoris Arabis pauisse: neq; vnquam, quamlibet sereno cœlo, non atram nubem supra ipsius caput adstitisse.

Toletanum Concilium. 640.

IN Toletana synodo accusatur corruptus Cleri ac Ecclesiæ status: & Episcoporum expilationes taxantur, damnantur, ac prohibentur.

In tertia synodo sunt hæc verba contra Missas pro mortuis, quæ 13. q. 2. citantur: Qui diuina vocatione ab hac vita recedunt: cum psalmis TANTVMMODO & psallentium vocibus debent ad sepulchrum deferri. Sufficiat autem, quòd in spe resurrectionis, Christianorum corporibus famulatus diuinorum impenditur canticorum. Imp. 60. Heracl. Papa 71 Theodoro.

Prodigium. 654.



ILlo tempore ignis de cœlo cecidit, & timor magnus super homines venit, pestilentiáque grauissima tribus æstiuis mensibus grassata est, cunctis visibiliter apparente, bonum & malum Angelum noctu ciuitatem circuire: & quoties iussu boni Angeli, malus Angelus venabulo, quod manu ferre videbatur, ostium cuiusque domus percutiebat, tot ex eadem domo, sequenti die interibant. Sig. Gemblacensis. Imp. 63. Constante. Papa 73 Eugenio 1.

Primatus in Hispania. 657.

HOc tempore Primatus in Hispania, penes Episcopos fuit, & eo tempore in summâ tranquillitate conquieuit. Lucas Tudensis. Imp. 63. Constante. Papa 74 Vitaliano.

Arbogastus Episcopus. 658.

FVit Argentinensis vrbis Episcopus, ex Hybernia oriundus, vt nō contemnendi autores affirmant. Is peregrinus, & eremita in Alsatiam venit, ibique in sacro nemore, vbi nunc Haganoa sita est, oratorium sibi construens, Deo ieiunijs, ac precibus diligenter seruiuit. Non ociosus tamen prorsus erat. Nam & prodibat, & accolas de verâ Dei cognitione, de vero Dei timore, & verâ per filium Iesum Christum inuocatione, reprehensis idololatrijs, cultibus superstitiosis, ac phantasticis opinionibus, diligentissimè & viua voce & Homiliarum scriptis erudiebat. Imp. Constante. Pap. Roman. Vitaliano, vt sup.

Vitalianus Papa 74. 666.

ANno Domini 666. Papa Vitalianus omnia in Christianorum templis per suos sacrificos ad animorum excæcationem, in Latino sermone fieri iussit: in horis scilicet, in precibus, stationibus, missis, exorcismis, benedictionibus coniurationibus, thurificationibus, sepulturis, exsequijs, immersionibus, cineribus, palmis, candelis, salibus, sputis, & alijs id genus ceremonijs, contra apertissima Apostoli verba, 1 Corinth. 14: In Ecclesia malo quinque verba sic eloqui, vt intelligatur oratio, & quò alios erudiam, quàm ignoto sermone mille verba. Et iam vt Irenæus suprà prædixit, in Ecclesia Romana diabolus (hoc est Antichristus) rector est constitutus, dum omnia Latinè perfici Vitalianus iste mandauit. Imp. Constante. Hic notabis numerum 666. in Apocalypsi: de quo sæpius alibi in hoc opere.

Galli-

674. ## Gallinicus.

HOc tempore ex vrbe Heliopolios Ægypti, Constantinopolin venit quidam Gallinicus nomine, & mirâ arte parat ignem ardentem sub aqua, eoque conflagrat Saracenorum naues ad Cycicum: quo facto homines cum omnibus pereunt in vndis. Cedrenus & Zonaras. Imp. 64. Constantino 5. Papa 75. Adeodato.

681. ## Primus Vicarius Christi.

HOc anno, scriptores quidam referunt, Constantinum in Concilio Constantinopolitano Papam Romanum volentem primâ vice vicarium Christi appellâsse. Imp. vt sup. Papa 76. Donno.

681. ## Synodus sexta Constantinopolitana.

NArrat Platina, & alij quidam, in hac Synodo primam latinam missam à Ioanne Portuensi Episcopo decantatam esse, & à patribus approbatam. Si verum id est: ergò fermè per 700 à Christo nato annos nulla fuit Latina missa, multò minus à tota Ecclesia approbata. Quod si 700. fermè annis Ecclesia sine latina Missa floruit, posset fortè & iam sine extremo piaculo ea carere. Illyr. Imp. Constant. 64. Papa 76. Donno.

Ibidem. In hac decretum de coniugio sacerdotum constitutum, quod dist. 31. continetur: Quoniam in Romani ordine Canonis esse cognouimus traditum, eos, qui ordinati sunt Diaconi vel presbyteri, confiteri, quòd non suis iam copulentur vxoribus, antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum virorum: legales nuptias amodò valere volumus, nullo modo cum vxoribus suis eorum connubia dissoluentes, aut priuantes eos familiaritate ad inuicem in tempore opportuno. Quicunque ergò diligens inuentus fuerit in subdiaconali aut sacerdotali officio, hic nullo modo prohibeatur, ad talem ascendere gradum pro vxoris suæ cohabitatione: nec etiam tempore ordinationis suæ profiteri castitatem cogatur, quòd abstinere debeat à legitimæ vxoris familiaritate. Item oportet eos, qui altari ministrant, in tempore oblationis sanctorum continentes esse in omnibus, vt à Deo possint consequi, quæ suppliciter postulant.

Si quis igitur præsumserit contra Apostolicos canones, aliquos presbyterorum & diaconorum priuare à contractu & communione legalis vxoris suæ, deponatur. Similiter & presbyter aut diaconus, qui religionis causa vxorem suam expellit, excommunicetur. Si verò in hoc permanserit, deponatur. Hæc in veteribus exemplis habentur.

Et SS. Canone: quandoquidem comperimus, quosdam in vrbe Romana tempore quadragesimalis ieiunij in sabbatis contra receptum Ecclesiæ morem ieiunare: quare visum est huic sacrosanctæ synodo, vt etiam Romanam Ecclesiam modis omnibus obliget Canon, qui inquit: Si quis clericus fuerit deprehensus die dominico aut sabbati ieiunare, excepto vnico tantùm Sabbato, is deponatur: Si verò laicus, excommunicetur.

682. ## Agatho Papa 77.

HIc Papa obtinuit apud Imperatores, Constantinum videlicet, Heraclium, & Tiberium, vt iuxta postulationẽ suam remitteretur quantitas illa, quæ solita erat dari pro ordinatione Romani Pontificis facienda: sic tamen, vt si contigerit, post eius transitum & electionem, ordinationem oportere vel posse fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale deferatur in regiam vrbem, secundum antiquam consuetudinem: & tunc cum eorum (id est, Imperatorum) scientiâ & iussione ordinariò debeat prouenire. Imp. 64 Constantino. Papa vt sup.

686. ## Leo II. Papa 78.

HVius quoque institutum est, ac quidem sanctum (quod vtinam hodie obseruaretur) ne ad archiepiscopatum assumtus, pro vsu pallij, aliorumúe officiorum quicquam Ecclesiæ persolueret, cùm ex largitione multa quotidie mala orirentur. Platina. Imp. & Papa. vt sup.

688. ## Conon I. Papa 81.

HIc post initum pontificatum statim in valetudinem incidit: vnde Pascalis archipresbyter, ac thesauri Pontificij dispensator regnandi cupidus, Ioannem Exarchum pecunia sollicitat, vt eius suffragijs post mortem Cononis pontificatus sibi decernatur. Accepit pecuniam Exarchus: quanquam nihil eorum, quæ promiserat, deinceps præstiterit. Non erat certè alio præmio quàm frustratione dignus, homo auarus, & imperandi cupidus, qui thesaurum Ecclesiæ, quem man-

dato Cononis, cùm ad eleemosynas pauperum, tum in restitutionem templorum erogare debuerat, in largitionem effuderit: quo nihil potest esse in viro præsertim ecclesiastico, detestabilius. Plat. Imp. 65. Iustiniano 2. Papa vt sup.

Toletanum Concilium II. 690.

IN nomine sanctæ Trinitatis collectis in vnum Carthaginensium prouinciæ sacerdotibus, in Toletana vrbe, in beatæ matris Domini, Mariæ virginis sede, anno quarto excellentissimi ac religiosi Vnambani principis, sub die septimo Idus Nouembris, res votiua gaudij, & dies nimium optatæ gratulationis occurrit, in quo nobis datum est conspicere pariter & deflere, quid lachrymarum de præteritis Domino deberemus. Eramus enim huc vsque pro labentis seculi colluvione instabiles: quia annosa series temporum, subtracta luce conciliorum, non tam vitia auxerat, quàm matrem omnium errorum ignorantiam ociosis mentibus ingesserat. Hactenus enim florentem Domini vineam deuastârunt apri frendentes: sponsam Christi, quam sui preciosissimi sanguinis effusione conciliauit, conspurcare & polluere conata est Hæreticorum subdola machinatio: inconsutilem Domini vestem diuidere, vnitatem fidei scindere, charitatis fomenta tollere, & suo proprio sensui pertinaciter volens inhærere, cùm sacræ scripturæ puritatem suæ prauitatis intelligentiâ prophanet. Præterea sacrosanctam Ecclesiam Dei vulnerant etiam custodes eius, qui cùm deberent ob dignitatis excellentiam, cæteros per suæ virtutis imitationem prouocare ad charitatis & vnitatis obseruantiam, tanquam Sal infatuatum, potius scandali quàm ædificationis dant materiam. Imp. 65. Iustiniano 2 Papæ 62 Sergio 1.

Paulus Cretensis Episcopus. 700.

ANno Domini 700 iam post collocatam Romanam sedem, illi tamen Paulus Cretensis Episcopus contradixit, et Ioanni Lampeonis vrbis Episcopo appellationē ad Romanam sedem se concessurum esse negauit. Imp. 67 Absimaro. PP. 82 Sergio 1.

Finit Centenarius septimus.



CEN-

Christi	Num.	CENTENARII SEPTIMI IMPERATORES.	Anni.	Menses.	Dies.
602	78	Fl. Phocas.	8	4	9
611	79	Fl. Heraclius.	30	2	0
613	80	Fl. Heraclius Constantinus cum patre	28	2	0
		solus.	0	4	0
641	81	Fl. Heracleonas.	0	11	0
642	82	Fl. Heraclius Constans.	26	8	0
669	83	Fl. Heraclius Constantinus V. Poganatus.	16	7	0
684	84	Fl. Heraclius Iustinianus cum patre	2	0	0
		solus.	10	5	0
		& iterum post bellum, quo cecidit	6	0	0
697	85	Fl. Leontinus.	3	0	0
700	86	Fl. Tiberius absimarus.	7	0	0
		PONTIFICES.			
604	66	Sabinianus Bleranus Thuscus.	0	5	19
605	67	Bonifacius 3. Romanus.	0	8	23
606	68	Bonifacius 4. Valeriensis Marsus.	6	8	12
613	69	Deus Dedit Romanus.	3	0	19
617	70	Bonifacius 5. Neapolitanus.	5	10	0
622	71	Honorius Campanus.	12	11	7
637	72	Seuerinus Romanus.	1	2	4
639	73	Ioannes 4. Dalmata.	1	9	18
640	74	Theodorus Hierosolymita Græcus.	6	5	19
647	75	Martinus Tudertinus Thuscus.	6	4	7
654	76	Eugenius Romanus.	2	9	24
657	77	Vitalianus Signinus Latinus.	14	5	29

PON-

Christi.	Num.	PONTIFICES.	Anni.	Mens.	Dies.
627	78	Adeodatus Rom. monachus.	4	2	16
656	79	Domnio, Donus vel Domnus Romanus.	2	5	10
679	80	Agatho Panormitanus Siculus monachus.	2	6	0
682	81	Leo 2. Iunior Aidonensis Catinensis Siculus.	0	10	19
684	82	Benedictus 2. Iunior Romanus.	0	10	27
685	83	Ioannes 5. Antiochenus Syrus.	1	0	9
686		7. Petrus Romanus.			
686		8. Theodorus.			
686	84	Cuno Thrax.	0	11	0
		9. Theodorus presbyter.			
687		10. Paschalis Archidiacon:			
687	85	Sergius Antiochenus Syrus. Panormitanus Siculus.	13	8	23
		CONCILIA.	Episc.	Sess.	Can.
602	191	Anglicanum.			
605	192	Romanum 36.			
609	193	Lucense.			
610	194	Romanum 37.			
	195	Bracarense.			10
612	196	Matisconense.			
614	197	Antisiodorense.			45
631	198	Toletanum.			74
634	199	Hispalense.			
636	200	Toletanum.			9
638	201	Hierosolymitanum 6.			
639	202	Toletanum.			19
645	203	Romanum 38.			
	204				
645	205	Africana 3.			
	206				

647	207	Toletanum.		6
650	208	Hispaniense.		
652	209	Romanum 39.		
656	210	Toletanum.		12
658	211	Cabilonense.		
	212	Toletanum.		17
659	213	Toletanum.		7
664	214	Brittannicum.		
673	215	Herudfordianum.		
674	216	Toletanum.		
	217	Bracarense.		
679	218	Adzuuifordianum.		
680	219	Romanum 40.		
680	220	Gallicanum.		
	221	Brittannicum Hedifeldense.		
681	222	Constantinopolitanum 17.	290	102
	223	Toletanum.		13
683	224	Toletanum.		
685	225	Gallicanum.		
687	226	Niddense.		
700	227	Aquilense.		

ORDINES.

610. *Ord. Gerundinensium.*
623. *Ordines Turcorum. Vide apud Georgewiz, Cuspinianum, & Hospinianum.*

DOCTI VIRI.

620 *Alcoranus.*
Isidorus Hisp. Episc.
640 *Nicephorus.*
Joannes Gerundinensis.
Joannes Eleemosynarius.
S. Columbanus.
S. Gallus.
Gallinicus.
700 *Paulus Cretensis Episcopus.*

Anno

LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS OCTAVVS.

Vitissa Rex Hispaniæ. 707

SAcerdotibus permisit matrimonium, reiectis constitutionibus pontificiis. Rodericus Tolet. Imp. 68. Iustiniano. PP. 86. Constantino.

Constantinus Papa 8. 6. 707



HIc veniens Constantinopolin ex mandato Cæsaris honorificè excipitur: adeoque Iustinianum 2. ipsius pedibus oscula dedisse fertur: qualis honor nulli antea contigit Papæ. Platina, Blondus & Nauclerus. Imp. 68. vt sup.

Accas Hagustaldensis Episcopus. 707

SCripsit inter alia officiarium Ecclesiæ, & de passionibus sanctorum, & ad Bedam etiam epistolas. Imp. 69. Philippico Bardano. PP. 87. Gregorio 2.

Speculum mirabile Imp. Leonis 3. Isauri, & Archimedis. 721

MIrabile Speculum vstorium habuit Imperator Leo, paratū ipsi ab Architecto quodam eius primario: quo speculo plurimas exussit classes & castra Saracenorum hostium.

Quamprimùm enim illud obuertit Soli, & radij seu fulgor eius speculi percussit nauem quampiam, aut quiduis aliud ex ligno fabrefactum, statim concepit flammam, & conflagrauit: ita, vt nemo posset restinguere quibuscunque fontibus ignem.

Et hoc instrumento atque artificio, Saracenorum classes & militaria arma Leo tantopere perdidit, & vastauit: vt paucissimæ naues integræ, vel in manus Græcorum peruenerint, vel in Saracenorum castris superfuerint.

Præterea multos duces & centuriones militum Saracenorum, hic ignis & prodigium adeò terruit & stupefecit, vt diutius in castris perseuerare neutiquam voluerint, sed clàm profugerint ex castris in vrbem ad Cæsarem, & spontè se illi supplices dederint, atque submiserint.

Literis quoque proditum est, Archimedem Syracusanum, qui librum de Speculis comburentibus scripsit, habuisse eiusmodi Speculum, quo hostium naues, arma & castra cremauerit. Tale etiam fuisse Alexandriæ Ægypti perhibetur, in excelsa quadam Specula, quam vocant phaream: & per illud incolas, quandocunque voluerint, fuisse solitos exurere, & expugnare hostium suorum naues eminus, quando adhuc longè in mari aberant ab vrbe sua, quam petebant illi hostiliter, Alexandriâ. Imp. vt sup. PP. 87. Gregorio.

Papæ debitum honorem deferunt Imperatoribus. 724

ANte annum Domini 724. vix reperitur, Papas Imperatoribus suis honorem, debitam obedientiam, & reuerentiam non detulisse: sed Gregorium secundum primum extitisse, qui Imperatori Leoni tertio resistens, primùm per Italiam vniuersam, quæ adhuc Imperatori parebat,

tributa dari inhibuit. Cumque Leo, Paulum cum Exarchi potestate, contra Papam mitteret: Gregorius ciuitates omnes à iuramento, quo Leoni Imperatori erant adstricti, sine morâ absoluit, tantamque libertatis cupidinem Italiæ locis iniecit, vt non multum abfuerit, quin alium sibi, quem Occidentis dicerent, Imperatorem deligerent: sed singulæ libertati suæ consulentes, Exarchatus iugum à se discutientes, singulos sibi duces præfecerunt. Rauennates verò idem affectantes, seditione Pontificis instinctu motâ, ipsum Paulum Exarchum interfecerunt. Accùm metuenda esset Imperatoris potentia: Gregorius cum Longobardis fœdus iniens, totam Italiam ab Imperatoris obedientia retraxit. Eutychum deinde Imperator, ad recipiendum Exarchatum in Italiam misit. Is primùm astu rem agens, aliquot loca recepit, ac Longobardos à Pontificis amicitia, mirâ industriâ abalienauit. Et si perrexisset, vt cœperat, paruo momento totius Exarchatus potens factus esset.

Sed cùm Papa ijs se angustiis, pressum cerneret, ad Fulmen cæleste properandum sibi censuit, atque anathemate Eutychum percussum, omnibus Italiæ populis exosum fecit. Eutychus de fide Italorum, cùm se ab eis sperni ac derelinqui videret, dubitans, relicto Exarchatus honore, Constantinopolim rediit. Atque in hunc modum Orientis Imperatores, Italia per Sanctissimum sunt orbati. Ex quo tempore Papæ, in Italiâ Domini, subinde quæsiuerunt, quomodo potentiam suam stabilirent, donec tandem à Pipino omni Orientalium metu liberati, maximam Italiæ partem, quam subegerat, dono acceperint, vt suprà dictum est, & in sequentibus sub titulo, de Paparum cum Imp. concordia, liquidò patebit. Imp. 72. vt suprà PP. 87. vt sup.

V. Beda de relatione temporum: & in Ecclesiastica historia libro tertio, capite vigesimo septimo.

730 Tempore, quo in Brittanniâ recepta est cleri tonsura, & alij characteres Romanæ curiæ: quinto Nonas Maij, hora decimâ, Indictione septimâ, eclipsis solis facta est: quam sæua lues & pestis in Brittanniâ, missa Latina, inuocationes mortuorum, imagines, altaria, & similia Romana (à quibus illæ Ecclesiæ hactenus liberæ fuerant) & mors imperatoris secuta. Imp. 2. Leone 3. PP. 87. Gregorio 2.

Idem libro 4. in Samuelem capite 2 de Ecclesiâ degenerante sic inquit: Videat lector, nec sine lachrymis rem lachrymis dignam contempletur, quantum Ecclesia status ad peiora quotidie, vel (vt mitius dicam) ad infirmiora deuoluatur.

Idem in 5. caput Ioannis. Quis est iste, qui venit in nomine suo, nisi ille, qui propriam gloriam quærit, & non illius, qui misit illum? Quis est, quem accepturi erunt Iudæi, nisi Antichristus, qui venturus est propriam gloriam quærere.

Idem in Marcum libro 4. capite 13. Quando sit venturus inquit: Tribulatio Antichristi quantò cæteris, quæ præcessêre pressurarum, pondere gravior: tantò est temporis breuitate moderatior futura. Namque tribus annis & dimidio, quantum de prophetiâ Danielis, & Apocalypsi S. Iohannis conijci potest, Ecclesiam per orbem impugnatura creditur.

Idem Ecclesiasticæ Historiæ libro 1. At vbi Augustinus cum famulis Christi, sibi datam mansionem intrauerunt, cœperunt Apostolicam primitiuæ Ecclesiæ vitam imitari, orationibus videlicet assiduis, vigiliis, ac ieiuniis seruiendo, verbum vitæ, quibus poterant, prædicando, cuncta huius mundi velut aliena spernendo: ea tamen, quæ victui necessaria videbantur, ab eis, quos docebant, accipiendo, secundum ea quæ docebant ipsi, per omnia viuendo, & paratum ad patiendum aduersa quæque, vel etiam ad moriendum pro ea quam prædicabant, veritate animum habendo.

Idem libro quarto, capite decimo tertio historiæ Ecclesiasticæ Anglorum. Cùm Vuilfridus Australes Saxones conuertisset, & baptizasset, descendit pluuia serena, & refloruit terra, rediitque viridantibus aruis annus lætus: cùm tribus annis ante aduentum eius non pluisset in illâ prouincia, & homines præ inediâ se ipsos præcipitarent in mare.

Idem prædixit: quòd breui res Christiana incredibili afficiatur damno, si non pullulanti tunc incendio maturiùs occurratur: narrationem hoc metro concludens:

Regna ruent Romæ, ferro, flamaq;, faméque.

Gregorius 3. PP. 88.

731 Gregorius 3. statim, vbi Pontificatum inijt, cleri Romani consensu Leonem 3. Isaurum, Imperatorem Constantinopolitanum, Imperio simul & communione fidelium priuauit, quòd sanctas imagines è sacris ædibus abrasisset, & statuas demolitus esset: & Romam cum omni Italiâ ab eius Imperio auulsit. Leo excommunicatione auditâ, ridens dicebat: Idololatra est, ipsemet excommunicatus à Deo. Imp. & PP. vt sup.

Nomen

Nomen PAPA vnde.

GRegorius tertius, Syrus, 88 Romanus Episcopus, Syriacâ linguâ PAPA, quod illis pater est, dictus fuit. Curio in Chronicis. De quo plura, vbi de Paparum maiestate agemus.

Liber de vita Crodegangi 4.

VVillibrodus Episcopus in Belgico, propheticum habuit spiritum, & Pipino Regnum Galliæ prædixit. Idem Beda, Albinus, Honorius, & alij. Imp. 27. Leone 3. PP. 88. Gregorio 3.

Cuthbertus in Epistola ad Lullum.

QVandam Sanctimonialem scribit, aliquando in ecstasin raptam, inter alias virgines vidisse quampiam, quæ in inferno in quendã deciderit puteum: & ex illo per Missam & exequias liberata fuerit: quæque ipsamet dixerit, & confessa apertè fuerit: Missam esse maximum & preciosissimum bonum animabus, ex hoc mundo discessuris. Sed hæ sunt præstigiæ Diaboli, ad stabiliendam opinionem, animas defunctorum missificatione ex purgatorio liberari.

Nos verò, qui ex Dei gratia nouimus, quis sit status defunctorum, & purgatorio non credimus, hoc diuino verbo nos solamur & contentos reddimus, quod in libro Sapientiæ extat: Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

Verisimilius autem est, ipsam vidisse, quandam Nonnam illabi in cubile seu lectum Monachi, à quo deinceps peracta Missa, seu duodecima, iterum fuerit emissa. Hondor pius in Calend. Imp. 72. Leone Isauro. PP. 88. Gregorio 3.

Burckardus.

HIc adiuuit Bonifacium in reformatione Germaniæ à Gentilismo, & conuersione ad Christum: & ex mandato Zachariæ pontificis Romani, Childericũ regem Galliarum Regno deiecit, & in Monasterium detrusit, ei verò subuexit Pipinum maiorem Domus. In huius facinoris præmium à Pipino, in primum Episcopum VVuirtzburgi inauguratus fuit: & dono accepit suo, & omnium posterorum nomine, Ducatum Franconiæ in perpetuam hæreditatem: de qua historia prolixiùs infrà, sub nomine Laurentij Frisæj, anno 1540. Annales Francorum, Schedelius, Valentinus Muntzer in Chronico, & alij. Imp. 73. Copronimo. PP. 69. Zacharia 1.

Remissio peccatorum carè parta.

THeodorus filius Cataxanti Regis, quò à Pontifice Romano impetraret peccatorũ suorum remissionem (juxta illud, gratis accepistis) ei donauit hæreditatẽ suam, quam habebat in Italia. Eam Papa magnificè extruxit, & illustribus ædificiis adornauit. Vbi verò Deus iussit vendere remissionem peccatorum tanto precio? At hi cerberi sic persuadebant Regibus temulentis, & Magnatibus, vt sua illis conferrent, & quod plus est, fierent Ecclesiastici seu Spirituales, quò ipsi possent eorum fortunas & opes omnes inuadere, sibique vendicare: hoc est, iubebant eos suam deponere potestatem, si vellent salui fieri, & æternæ salutis participes, quò eadem ipsi possent potiri. Imp. PP. vt suprà.

Bonifacius Germanorum Apostolus.

EXtat huius decretum: Seruis Dei per omnia, omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum, & hostem pergere, omninò prohibemus. Nisi illis tantummodò, qui propter diuinum ministerium, ad Missarum scilicet solennia implenda, & Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt: id est, vt vnum vel duos Episcopos, cum Capellanis, presbyteris, princeps secum habeat: & vnusquisque præfectus vnum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam possit. Nec non & illas venationes, & syluaticas vagationes cum canibus, omnibus seruis Dei interdicimus: similiter accipitres & falcones non habeant.

Ex literis Zachariæ Papæ ad Bonifacium: Reperimus etiam in memoratis tuis literis, quod nimis nostros animos conturbauit, quòd talia à te nobis referantur, quasi NOS CORRVPTORES simus Canonum, & Patrum rescindere traditiones quæramus: ac pro hoc, quod absit à

cunctis clericis, in simoniacam hæresin incidamus accipientes & compellantes, quibus pallia tribuimus, vt nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Sed charissime frater, hortamur sanctitatem tuam, vt nobis deinceps tale aliquid minimè tua fraternitas scribat: quia fastidiosum à nobis, & iniuriosum suscipitur, dum illud nobis ingeritur, quod nos omni modo detestamur. Absit enim à nobis & à nostris clericis, vt donum quod Spiritus Sancti gratia suscepimus venundemus, dum & ob illa tria pallia, quæ te suggerente, vt prædiximus, sumus largiti, nullum ab eis quispiam commodum expetijt. Insuper & chartas, quæ secundum morem, à nostro scrinio, pro confirmatione atque dominio tribuuntur, de nostro concessimus, nihil ab eis auferentes: si quidem propter quod à tua fraternitate criminis nobis simoniaci objicitur nomen, anathematizantes pariter omnes, quicunque ausi fuerint donum Spiritus Sancti precio venundare. Imp. 73. Constant. PP. 89. Zacharia.

Idem in epist. ad Ethilbaldum scribit: Nonnas Anglicanas cum Regibus & aliis nimiam familiaritatem habuisse, liberos peperisse, eosque necâsse.

750

Hoc tempore primùm Papa regnorum se negotiis involvit, legitimo regi regnum surripuit, in illegitimum transtulit, & subditos à iuramento absoluit: hocque facinore Italiæ se regem constituit.

THeodorus Rex vicesimus Galliæ obiit, relicto fratre Childerico Simplice: illius Maior Domus, siue Gubernator fuit Carolus Martellus: huius verò filius, Pipinus Curtus Childerici. Erat autem tunc quidam Burckardus: is, quia adiutor fuit Bonifacio Germanorum Apostolo, Episcopo Moguntino, in reformandâ Germaniâ à gentilismo, & conuersione ad fidem in Christum, magnum inde contraxerat singularis pietatis in Ecclesiâ, spectatæque integritatis nomen: ita vt etiam dignitatem Episcopatus VVirtzburgensis sit consecutus. Eodem verò tempore illi Pipino suggestum fuit: si regnum sitiret Galliarum, facilimè se eo potiri posse: non deesse enim propter Childerici inhabilitatem, huius rei optimam commoditatem, & media: at is hoc propter sacrum regi datum iuramentum, illaudabile & impium factum dixit: cui contrà responsum fuit: Papæ ex potestate suâ diuinâ, & Sancti Petri, quorum ille sit vicarius & successor, perfacile esse, tùm quoque aliquem Regno inidoneum, qualis esset Childericus, submouere, & eius alteri digniori magisque idoneo tradere habenas: cùm verò & ipsum, & subditos à præstito fidelitatis & obseruantiæ iuramento absoluere. Burckardus igitur ille Romam cum Volrado Pipini Capellano huius negotij causâ concedit, & Papæ hoc consilij refert: verùm & Papa primùm facinus abhorruit, & non minus inauditum, & apud Romanam sedem (cùm mundi & regnorum se negotiis inuoluere, non sit jus Episcopi) insuetum hoc exemplum esse retulit, ac propterea diu, multùmque super eo deliberauit. Veruntamen postremò, cum ei de pinnaculo templi, Roma, & Italia, & omnis gloria eius ostensa, promissaque fuissent, veteris oblitus scrupuli postulata diutius renuere non potuit: sed (regni enim causâ jus nonnunquam violatur) tandem consensit, & Childericum tonsum monasterio includi, Pipinumque cum subditis à iuramento absolui, mandauit. Acceperunt ergò vterque huius facti præmium, Papa Romæ & Italiæ Imperium, quod postea, eiectis inde Longobardis pacatum ei traditum fuit: Burckardus autem Ducatum Franconiæ orientalis: eaque adhuc hodierno tempore, maximo cum fisci Imperialis dispendio, detrimento & ruinâ, hoc titulo tenent. Super hoc Otto Frisingensis, Gotfridus Viterbiensis, Meyerus, & alij cùm scribant, Pontifices Romanos ex eo facto demum mutandi regna, & dominandi traxisse authoritatem: quis audaciam illorum non meritò admiretur, qui mendacijs suis confirmare volunt, & defendere falsò persuadendo, & illudendo hominibus, quasi id à maioribus, Constantino, imò ab ipso Christo, vel S. Petro accepissent: quos tamen nihil possedisse, & mundi gloriam non curâsse quicquam constat: & donationem Constantini, cui plurima accepta referunt, & attribuunt illi mendaces Pontifices, itidem fictam & inanem esse, demonstratum est alibi. Recitatur eadem historia & infrà anno 1540. Imp. 73. Const. Copronimo. PP. 89. Zacharia primo.

750

Peccatorum remissio ex alieno corio.

CVm Pipinus Rex Franciæ exhortatione & precibus Zachariæ Papæ, cuius etiam commendatione nuper ad regiam dignitatem obrepserat, ingenti cum exercitu contra Longobardos, qui in Italiâ Rauennatem Exarchatum Imperio vi eripuerant, militaret: Constantinus Imperator Constantinopolitanus, cùm, quo hæc animo susciperet Papa, subodoraretur, legatum misit ad Pipinum, monuitque, ne quod Imperij esset, ab eo alienaret, ac propterea Rauennatem Exarchatum, qui ad se pertineret, nullo modo Romanis seu Pontifici, verùm sibi omninò restitue-

ret.

ret. At Pipinus hoc responsum dedit: se neque laudis, neque vtilitatis studio belligerare: sed cùm exploratum habeat, quantis in peccatis sit demersus, oportere se sancto Petro, eiusque vicariis Pontificibus pro illorum remißione hanc operam locare: & si omninò quicquam in Italia adipiscatur, id ipsum Ecclesiæ & Romano Pontifici ob eorundem peccatorum veniam rependere atque donare. Ergò peccata etiam ex alieno corio remittuntur. Ecclesiast. hist. Imp. 73. Constantino Cop. PP. 89. Zacharia.

Albertus Gallus, & Claudius Clemens. 750

ALbertus Gallus, & Claudius Clemens in Schola Parisiensi, contra Paparum nouas leges, traditiones, & primatum, libros scripserunt. Apertè autem affirmâruńt, Bonifacium à Papa ad reformandam Germaniam missum, non fidem in Christum, sed Antichristum docere. Vnde Albertus ille Fuldę in carcerem raptus ibi interijt.

Zacharias PP. 89. 750

ZAcharias Papapa in Lateranum pingere iußit, quomodo ipse adoraretur à Cæsaribus & Regibus suppliciter ad pedes eius prouolutis: & quòd ipse jus haberet, illos vel dominio mundi aamouere, vel submouere.

Patrimonium Petri. 750

VSque ad annum Domini 750. Petrus Patrimonium nullum habuit: sed tum demum Papa à Pipino Romam cum Italia, quæ Imperij fuerant, accepit. Et sic Pipinus Papam diuitem, Papa autem Pipinum (vt promittebat) beatum fecit. Imp. & PP. vt sup.

Stephanus 2. PP. 90. 752

HVius epistola extat, nomine Petri ad Francos scripta, in quâ S. Petrus Pipinum, Carolum & Carolomannum, omnes sacerdotes, episcopos, abbates, presbyteros, vel vniuersos religiosos, monachos, cunctos iudices, duces, comites, & cunctum Francorum regni populum coniurat, vt suum populum, & Ecclesiam, vbi corpus suum requiescit, à Longobardis liberent: quòd Francos peculiariter diligat inter omnes gentes, secundum promisionem, quàm à seruatore suo accepit. Imp. vt suprà.

Idem cùm tertiâ die pontificatus sui, somno excitus res domesticas disponere inciperet, morbo apoplexiæ correptus interijt. Platina.

De eodem.

STephanus secundus Romanus, Zachariæ pontifici statim sufficitur, vir singularis religionis ac prudentiæ iactatur, ac diligens Christianæ doctrinæ prædicator. Sed mysterium intellige. Cùm Pontificatum jam suscepisset, arte, & astutiâ suâ Rauennæ Exarchatum omnem (qui tantùm illis displicuerat) & alias complures Italiæ terras, Romanæ sedi subiecit: & vt Italiæ regnum obtineret hoc modo, contra Aistulphum Longobardorum regem, censum ac vectigal ab eo atque suis vnctis exigentem, auxilium à Pipino ardenter petiit. Ille autem, vt pontifici rem gratam faceret, vt cui regnum Franciæ acceptum referebat, post varias obsidiones, Exarchatum à Longobardorum armis liberatum, cum omnibus vrbibus, vsque ad stagna Venetorum, ipsi dono dedit: & non alio iure, quàm quo ille prius dictum susceperat regnum. Atque hæc est, quam falsißimo titulo Constantini Magni donationem vocant. Sic Cæsarem Exarchatu illo omninò spoliârunt. Ceciditque cum illo (horribile malum) tertia Rom. Imperij dynastia. Et destructo per eius amissionem Occidentali imperio, Orientale mox vires etiam amisit. Sed Stephanus tanto spolio lætus factus, Pipinum cum duobus filiis, per nouam vnctionem confirmauit: eique ac toti eius progeniei, benedixit, à periurio absoluit, & omnes illi in posterum contradicentes anathematizauit. Childericum verò, hæreditario regno spoliatum, detonso capillo in monasterium trusit. Ob tanta beneficia ad terram se prosternebat Pipinus, Pontificis pedes mox osculabatur, stapedes apprehendit, frenum accepit manu, stratoris officium adimpleuit, ac perpetuam fidelitatem iurauit. Hinc eorum opes, fastus, ac tyrannides sumserunt radices. Hinc Papa omnium Christianorum principum Deus terrestris esse cœpit, & mundi Monarchas sibi subditos fecit. Et vt pro tam splendido munere gratias Deo referret, Letanias Romæ per omnes Ecclesias fieri mandauit, Apostolorũ caluarias, cũ alijs sanctorũ reliquijs efferri, & ostendi iußit: ac pontificaliter in populi medio, cũ summis triumphis, tanquã alter Alexander, aut Philippus Macedo, aut Cæsar ipse Iulius, ad Lateranensẽ basilicã à præfcrariis se gestari permisit, (quod & à posteris pro magna religione obseruatũ est, vt hominũ

humeris deportarentur) Basilicas ab Aistulpho destructas, deinceps restaurauit: Paparum traditiones authoritate firmauit, proditiones principibus factas remisit, de Imperij, à Græcis ad Gallos translatione, Græcorum odio, cogitauit: Gallorum Ecclesias cantilenis ornauit, quicquid erat Imperio violenter ademtum occupauit, Petri patrimonium posthac dici voluit. Sed in horum ac similium conatuū medio, anno Domini 757 Deus illum in sceleris pænam apoplexia corripuit, vitâq; spoliauit. Imp. 73. Constantino Copr. PP. vt sup.

753 *Imperium Pontificum.*

HOc anno Imperium Pontificum à Pipino, Stephano Papæ datum primò cœpisse, authores sunt grauissimi: Otho Frisingensis, Viterbiensis, Meyerus in annal. Belg. & alij. Quid ergò opus erat turpiter fingere, se à Christo, Petro vel Constantino id habuisse prius? Imp. 73. Const. Cop. PP. 90. Stephano 2.

753 *Cracus princeps Polonus.*

IN hoc autem scopulo Draco ingens tunc temporis delitescebat, qui sordido suo anhelitu, cùm esuriret, de antro prorepens multos, velut peste quadam inficiebat, per ciuitatemque, & loca circumiacentia grassando, omnia obuia deuorabat. Quam ob causam incolæ ciuitatis ordine, tria jumenta per diem ei ad antrum offerre cogebantur. Cracus igitur Princeps suorum deploratum statum videns, cùm jam omnibus iumentis expilarentur, pellem vituli excoriati, sulphure, nitro, & pice infarcire iussit. Quod cùm hora consueta, ad antrum Draconis apponeretur, bestia prorepens, famelica, jumentum putans, venaculum illud deglutijt: cumque in eo materia illa igne sulphureo accedente, accensa esset, de antro se proripiens in Vistula aquam tamdiu sorbebat, quousque medio creparetur. Cracus tandem Princeps rebus Imperij rectè dispositis, Cracoque & Lecho filiis, filiaque Vanda relictis, è vita sublatus est. Guagninus. Imperatore & PP. vt suprà.

756 *Chronicon de Ducibus Bauariæ.*

CVm Romani auxilium contra desiderium à Græcis peterent, Græci responderunt: Habetis temporalia, defendite vosmetipsos: vel restituite nobis temporalia, & defendemus vos, vt tenemur. Imp. Constant. Copro. PP. Stephano 2.

765 *Stellarum casus de cœlo.*

HOc tempore stellæ de cœlo delapsæ sunt: significantes, Papam, & Clericos, ac Ecclesiæ optimates de negotijs cælestibus, quorum cura sola solis ipsis demandata esset, desciscere, & terrenis mundi rebus se inuoluere, quod etiam testatur Apocalypsis. Imp. vt sup. PP. 91. Paulo 1.

756 *Ex gestis Sancti Gengulphi Martyris.*

CVm quadam die iuxta fontem in horto cum vxore sua adultera sederet: cæpit illam arguere de adulterij sui infamia. Quod crimen, cùm illa vehementer negaret, facilimam ei purgationem opposuit, dicens: Si vis vt credam, te hac infamia falsò laborare: denuda brachium tuum, & affer mihi lapillum de fundo fonticuli huius, si illæsum brachium retraxeris, credam quòd innocens sis. Quod illa audiens, securè brachium immersit fonti, & statim combustum velut ab igne retraxit. Tum sanctus ad illam, Ecce, inquit, apparet veritas flagitij tui. Habe ergo tua, & mane per te, vel cum tuo adultero: nam socia mea vlterius non eris. Et data ei dimidia parte substantiæ suæ, mansit per se. Non multò pòst dormiens in domo sua, occisus est à quodā clerico, qui cum vxore sua adulterare solebat. Cuius corpus dum in feretro in sepulturam portaretur: multi infirmi de tactu sanati sunt. Cùm hoc illius vxori referretur ab ancilla sua, scilicet dominum suum, tanquam martyrem sanctum, miracula facere: irridens illa & subsannans ait: Ita, Gengulphus miracula factitat, vt anus meus cantat. Moxque ab ano suo turpes sonos & numerosos, vellet nollet, cœpit emittere. Quod ei postea contigit omni vita sua in sexta feria: vt quoties in eadem feria, in qua vir eius martyr effectus est, aliquod verbum ab ore proferret, toties ab ano turpes sonos ederet. Quod audiens Rex Pipinus ad maiorem gloriam martyris Gengulphi, experiri dignatus est ipse.

Ex his videbit & animaduertet etiamnum lector, quid sint Papistarum multa miracula: & quòd sapientes pijque non immeritò illa ita abhorruerint, vt in Canonico iure (dequo alibi in hoc opere) legi prohibuerint: & procul dubio, doctissimus ille Vincentius hoc tetricum & obscœnum factum, nulla alia ex causa voluit recensere, quàm ad prodendam & explicandam putidam quorundam miraculorum fœditatem & vanitatem. Vincent. in Speculo lib. 23. cap. 159. Imp. & PP. vt suprà.

Albinus in Ioan. c. 7. 770

DE crudelitate Antichristi inquit: In Antichristo iniustitia est, & verax non est: quia gloriam suam quæsiturus est, non eius à quo missus est. Non enim est missus, sed venire permissus Omnes ergò pertinentes ad corpus Christi, ne inducamur in laqueum Antichristi, non quæramus gloriam nostram. Imp. 73. Constantin. Copron. PP. 93. Stephano 3.

Portentum. 771

IN Oriente apud Mesopotamiam, disrupta est terra ad duo milliaria, vnde ascendit humana vox mira indicans. Marianus Scotus. Imp. & PP. vt sup.

Adrianus primus in epist. ad Carolum. 772

CVm Carolus Rex Adriano misisset duos equos, & alter in itinere mortuus esset, rescripsit ei rogans, vt ossibus & plenitudine carnis decoratos sibi equos mitteret in posterum, ac mercedem à beato Petro (non Deo) acciperet. Imp. 73. Constantino. PP. 94. Adriano 1.

Idem. Histrienses & Græci episcopo suo Mauritio oculos eruerunt, eò quòd se fidelem B. Petri profiteretur, eiusque pensiones ibidem exigeret: Græcis contendentibus, territorium esse Caroli Regis, non Pontificis.

Carolus Rex Gallorum. 774

DE Tyrannide Pontificis Hadriani in epistola quadam conqueritur, dicens: In literis vestris ad nos inuenimus, vt omnia quæ à sede Apostolica nobis veniunt, humili semper debeamus intentione recipere, quod Euangelicæ veritati, & decretis Sanctorum contrarium est, & aduersum. Vmbrosum seculi typum in Ecclesiam Dei introducere vultis. Imp. Constaret. PP. vt sup.

Reginhaldus. 774

HIc & alij Longobardorum Episcopi, contra Adriani decretum, permiserunt Monachis, vt vxores ducerent, vt patet ex Epistola Adriani ad Carolum. Imp. & PP. vt sup.

Horridum. 775

HOc anno ingens delapsa fuit cœlo grando, cum tonitribus horridis, & fulminibus: cumque lapidibus decidit quoddam frustum ferreum, quindecim pedes longum, & sex latum, duoque crassum. Hac tempestate in Saxonia perierunt vno die viginti tres pagi miserè. Eam breui pòst excepit ingens terræmotus cum impetuosissimo ventorum turbine, qui, ah Deum misereat humanorum malorum, multas arces, templa, ædes & sacella dissipauit, humique strauit. Petermanus Etterlin in Chronico Heluetico. Imp. 73. Const. Copr. PP. 94. Hadriano.

Paulus VVarnefridus Diaconus. 780

PAulus Diaconus non tantùm in Theologia, sed & historia excellentiam est assecutus. Fuit autem Regi Longobardorum Desiderio acceptissimus: cuius in aula cùm plurimum tempus triuisset, factus est Diaconus Patriarchæ in Aquileiâ. Tandem etiam cum aliis ex Longobardia, captiuus in Galliam ductus est. Ibi verò cùm apud Carolum Magnum deferretur, nemóque eum, vtcunque se defenderet, excusatum habere vellet, permissus est iudicio vulturum aulicorum. Tulerunt ergo sententiam, præcidendas illi esse manus. At Carolus nimis duram hanc sententiam esse dixit: si enim (inquit) id faciamus, vnde talem amplius fidelem scriptorem comparabimus? Dicunt illi, eruendos illi oculos, sed Carolus & hoc, ait, durum est. Denique statuerunt, esse in exilium relegandum, quod & factum est. Ex quo animaduertendum, quòd sæpius Magnates mitissimè cum subditis & ministris suis agerent, aut procederent, si non obstaret exsecranda adulatio, inuidia, perfidia, & ambitio consiliariorum. Quod multi præstantes, boniique viri omnibus seculis sunt experti. Imp. 74. Leone. PP. 94. Adriano 1.

Idem Paulus Diaconus libro decimoquinto recitat: Olympum quendam, antistitem Arianorum in Africâ, cùm impias, & in Sanctam Trinitatem palàm in balneis con- meliosas euomeret voces: protinus ignito iaculo misso, visibiliter fuisse combustum. Sigebertus. Sabellicus Enneade octaua, libro secundo dicit: ipsum tribus fulminibus ictum, cœlesti flammâ consumtum esse.

Idem lib. 1. c. 15. His temporibus quædam meretrix vno partu septem puerulos enixa, beluis omnibus mater crudelior, in piscinam proiecit necandos. Hoc si cui impossibile videtur, relegat historias veterum: & inueniet, non solùm septem infantulos, sed etiam nouem vnam mulierem peperisse: & hoc certum est, maximè apud Ægyptios fieri. Contigit itaque, vt Rex Agelmund, dum iter caperet, ad eandem piscinam deueniret. Qui cùm equo retento, miserandos infantulos miraretur: hastaque quam manu gerebat, huc illucque eos inuerteret, vnus ex illis iniectâ manu hastam regiam comprehendit. Rex misericordiâ motus: factumque altiùs admiratus, eum magnum futurum pronunciat: moxque eum è piscinâ leuari præcepit: atque nutrici traditum omni cùm studio mandauit alendũ. Et quia eum de piscinâ, quæ eorum linguâ Lama dicitur, abstulit, Lamissio eidem nomen imposuit. Qui cùm adoleuisset, tam strenuus iuuenis effectus est, vt & bellicosissimus extiterit, & post Agelmundi funus regni gubernacula rexerit.

Idem. Theophilus Cibioretarum prætor, à Saracenis captus in prælio, ad Aaronem principem eorum adducitur. Ille verò eum, cùm nosset hominem bellicosum & industrium esse, conatur muneribus corrumpere, vt abnegata fide Christi, ad Mahometi sectam accedat, ac pro ea secum contra Romanos pugnet. Sed vir pius in fide sua perseuerat, & Mahumetanorum deliria refutat. Tyrannus, quod pollicitationibus non potuerat, sperat se minis & vi effecturum. Verùm cùm nec id successisset, viam aliam non habens, capitali supplicio eum damnat.

Idem. Rex Chunibertus, dum cum stratore suo, quem propria lingua Longobardi Marpahis dicunt, consilium iniret in ciuitate Ticinensi, quomodo Aldonem & Grausonem vita priuaret, repentè in fenestra, iuxta quam consistebant, vna de auiculis musca consedit. Quàm Chunibertus cultello, vt extingueretur, percutere volens, eius vnum tantùm pedem absciait. Cùm verò Aldo & Grauso regis consilium nescientes, ad palatium venirent, & basilicæ sancti Romani martyris, quæ prope palatium sita est, appropinquarent, repentè obuium habuerunt quendam claudum altero pede truncato, qui eis dixit, quòd eos Chunibertus, si ad eum pergerent, occisurus esset. Quod audientes illi, magno timore correpti, post altarium eiusdem basilicæ confugêre. Moxq; Chuniberto regi est nuntiatum, quòd Aldo & Grauso in ecclesiam beati Romani martyris confugissent. Tunc Chunibertus stratorem suum arguere cœpit, quòd consilium suum prodere ausus fuisset. Cui strator ita respondit: Domine mi rex, tu scis, quòd postquàm istud decreuimus, ego à tuo conspectu non discessi: quomodo igitur id alicui indicare potuerim? Tunc rex ad Aldonem & Grausonem misit, interrogans eos, ad quid in locum sanctum confugissent? Qui respondentes dixerunt: Quia nunciatum est nobis, quòd nos dominus rex occidere vellet. Iteratò rex ad eos misit, sciscitans, quis fuerit is, qui eis id annunciauerit, mandans insuper eis, vt nisi indicem seu nunciatorem proderent, eius gratiam inuenire non possent. Tunc illi sicut factum fuerat, regi indicabant, se claudum hominem obuium habuisse, qui vnum truncatum pedem habebat, & crure ligneo pro altero vtebatur, eumque fuisse interitus sibi parati nuntium. Tunc intellexit rex, muscam illam, cui pedem truncauerat, malignum spiritum fuisse, & ipsum secreta consilij sui prodidisse. Qui statim Aldonem & Grausonem in sua fide, ab ecclesia dicta seuocatos suspiciens, eisdem culpam remisit, & deinceps eosdem i: loco fidelium habuit.

Idem in Lectionibus anniversarijs. Anno Christi 806. ordinatæ sunt ab hoc Paulo VVarnefrido Diacono, iussu Caroli Magni, Lectiones Anniversariæ per totum anni circulum, quas Vincentius Postillas nominat: quam constitutionem ad hæc, vsque tempora, omnes ferè retinuerunt Ecclesiæ. Hoc notandum ideo, ne adeò antiqua esse credantur hæc statuta, aut, vt illi volunt, pro Apostolicis & necessariis, quibus omnes stricti teneamur, habeantur. Sigebertus, Gesnerus, Funccius.

Idem libro 21. Rerum Roman. Has turbas ac tempestates horrendas, quas Rom. Pon. & alij homines superstitiosi concitàrunt, ob defensionem cultus imaginum, circa annos Christi 727. videtur æstus ille terribilis, & nunquam antea visus denotasse. Anno enim 10 Leonis Imperatoris æstiuo tempore, vapor, vt ex camino ignis, visus est ebullire inter Theram & Therasiam insulas, ex profundo maris, per aliquot dies: quo paulatim incrassato & dilatato, ingenti æstus incendio, totus fumus igneus monstrabatur. Porrò crassitudine terrenæ substantiæ petrinos pumices grandes, vt cumulos quosdam, transmisit per totam minorem Asiam, Lesbon, Abydum, & maritima Macedoniæ, ita vt tota superficies maris his pumicibus esset repleta. In medio autem tanti ignis, insula ex terræ congerie facta, insulæ, quæ sacra dicitur, copulata est, cùm priùs non dum fuisset. Romæ quoque per septem dies Tyberis exundauit, vrbis muros transcendit, domos euertit, agros dissipauit, arbusta & segetes eradicauit: quod ipsum exundationem perniciosam, & detrimentum ingens, Ecclesiæ à Romanis Pontificibus imminens minitabatur.

Idem. In extremis, Cincium versus, Germaniæ finibus, in ipso Oceani littore antrum sub eminenti rupe conspicitur: vbi septem viri, incertum ex quo tempore, longo sopiti sopore quiescunt, ita illæsis non solùm corporibus, sed etiam vestimentis, vt ex hoc ipso, quod sine vllâ per

tot annorum curricula, corruptione perdurant, apud indociles easdem & barbaras nationes, venerationi habeantur. Hi denique quantum ad habitum spectat, Romani esse cernuntur. E quibus dum vnum quidam cupiditate stimulatus, vellet exuere, mox eius, vt dicitur brachia aruerunt: pœnaque suâ cæteros perterruit, ne quis eos vlterius contingere auderet. Videtis ad quem profectum eos per tot tempora prouidentia diuina conseruet: fortasse horum quandoque, quia non aliter nisi Christiani esse putantur, gentes illæ prædicatione saluandæ sunt.

Idem. Phocas rogante Papâ Bonifacio, statuit sedem Romanæ Ecclesiæ, vt caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium scribebat.

Bonifacius III. Romanus patriâ, cùm Phocæ Imperatoris imaginem Romam missam honorificè excepisset, eiusque parricidium contra Constantinopolitanum patriarcham Cyriacum (qui Phocæ propter Mauricij Imperatoris cædem infensus erat) defensurus videretur: tantum effecit, vt quandoquidem inter Romanos & Constantinopolitanos patriarchas de primatu contentio erat: tandem ipse primus Papa & Episcopus Oecumenicus ab Imperatore salutaretur, cum plenariâ potestate conuocandi, dimittendi, corrigendi Synodos, anno salutis 607. iuxta Palmerium: iuxta Bedam verò 612. Meminerunt istius constitutionis Adon Viennensis ætate 6. Beda de ratione temporum: Iuo in Chronico: Platina in vita Bonifacij. Græci id ad se decus trahentes, ibi Christianæ pietatis arcem esse oportere, aiebant, vbi & Imperij. Romanus Pontifex contrà, Constantinopolim Romanam esse coloniam prædicare, Romam velut matrem & dominam adhuc esse: quod ipsi Græci perbellè faterentur, qui suum principem, Romanorum Imperatorem suis diplomatibus & libellis inscriberent, ipsiq; Constantinopolitani Romæi Græcâ voce dicerentur. Item & illud adijcere: Apostolicam sedem Petrum Bar Ionam, qui fuit Apostolorum princeps, & cui animarum potestas primùm est à Deo attributa, Romæ non Byzantij fixisse, fixam & stabilitam posteris per manus tradidisse. Romanus itaque pontifex per hæc tenuit, vt Romana sit Ecclesia omnium princeps declarata. Platina, & Sabellicus libro 6. Enn. 8. Ab hoc tempore Pontifices Romani cœperunt Vniuersales Papæ appellari: vt patet ex epistolâ Constantini ad Domninum Papam, in secundo Tomo Conciliorum: & in subscriptione sextæ Constantinopolitanæ Synodi. At Constantinopoleos episcopi titulum Vniuersalis Patriarchæ obtinuerunt. Sic enim Constantinus Gregorium appellat in epistolâ ad ipsum, quæ extat inter acta Synodi Constantinopolit. 2. tomo Conciliorum. Et Macarius Petrum Vniuersalem Patriarcham nominat, in 8. actione eiusdem. Et Cyrus sic appellat Sergium, in actione 12. Constantinopolitanæ. Tunc ordinari cœperunt Papæ à tribus Episcopis Hostiensi, Portuensi & Veliterno. Id Leo II. & Iohannes V. instituerunt, & decreto confirmârunt, vt ab ijsdem tribus episcopis in æde seruatoris ad Lateranum, fieret Papæ ordinatio. Platina & Balæus in vitâ Ioannis.

Idem. Expergiscimini, ô viri Christiani, è graui scelerum somno, atraque mortis caligine: auriumque & omnium sensuum vestrorum cordas rescindentes verba mea intentissimè percipite. Quia legem Domini Dei nostri in latrinam, & omnes eius diuinos sermones, in obliuionis & contemtus cloacas abiecistis: cœpistis in virtutum exercitatione prorsus delirare: in malitia sapere & prudentissimi esse: omnem æquitatem & iustitiam subuertere: pupillorum & viduarum sudore inebriari: patrimonium Christi scortorum delitijs dissipare: ac etiam efferatam libidinem vestram stupris, adulterijs, incæstus & omni illicito concubitu: inexplebilem verò habendi voracitatem furtis, & sacrilegiis explere. Denique Dei templum per scelus & summam iniquitatem vestram constitutum est lupanar, & domus furum atque latronum: in quo non celebres hymni, sed blasphemiæ cælestis principis resonant: propterea extant adhuc pauci dies: & vniuersa ciuitas catholica corruet vsque ad fundamentum. Induite vos igitur saccis pœnitentiæ, & contritionis: & à maiore vsque ad minorem, occurrite Domino lachrymis: tunc miserebitur vestri sicut Niniuitarum misertus est. Sin autem pœnitentiam reieceritis, illucescent è vestigio dies luctuum: quibus à conspectu malorum, quæ in vos grassabuntur, fugere volentes flumina in littoribus acclamabitis, vt vitam vestram propitio fluxu excipiant: abrupta montium inuocabitis, vt lacera corpora vestra in ipsâ præcipitatione molliter dilanient. Arbores in siluis lachrymabilibus oculis implorabitis, vt ceruices vestras ad ramos suspendendas indulgenter ferant. Tantus erit Christianorum planctus, & vlulatus, quòd alter ad alterùm dicet: nonne melius fuisset, si genetrices nostræ nos in aluis suffocassent?

Idem lib. 23. rerum Roman. Eo anno, quo Rex Carolus Magnus Saxones à fide Christi recedentes rursus graui prælio, cæsis eorum 30000. & vastata terra deuicit: & Imperatrix Orientis Irene Græca, mater crudelis, erepto sibi Imperio, fœmineo dolore abusa, ob regnandi libidinem & defensionem cultus Imaginum, Constantinum filium suum oculis, Imperio, & vitâ priuauit (mox enim Constantinus mortuus: ac in Hispaniâ Barcinona Saracenis reddita, à Caroli militibus obsessa est) ad hoc facinus horrendum & inauditum sol obtenebratus est, & ad dies 17. radios suos intra nubes continuit, & obscuros ac tenebrosos dies effecit, quod nauigantibus in mari molestum fuit, & præbuit occasionem vt vulgò diceretur: ob Imperatoris excæcationem & mortem, solem indignatum radios suos à mundo auertisse.

Terræmotus item diurnus erat in Creta & Siciliæ: itemq; alius Constantinopoli valdè horribilis.

Portentosa.

Pluit sanguinem, qui etiam è terrâ fluxisse dicitur: & alia quoq; multa prodigia facta sunt. Imp. 75 Irena. PP. 94 Adr. 1.

786 Hoc anno guttulæ igneæ nigræ ceciderunt in homines, ex quarum casu quis, si nudus erat, confestim moriebatur: qui verò vestibus excipiebat, non tam citò moriebatur, vix tamen effugiebat. Sigebertus, & Schafnab. Imp. 75 Irene. PP. 94 Hadr. 1.

787 Anno quo Imperatrix Irene, eiusque filius Constantinus celebrauerunt concilium pro defensione Statuarum & Simulachrorum in templis, in Episcopatus Frisingensis diocæsi multifariam pluit ligna, etiam sereno & defecato cælo. Auent. lib. 3. Eodem quoque anno denuò sanguinem cùm de cœlo pluisse, tum ex terra defluxisse perhibet Sigebertus. vt sup.

Plumbea Sigilla Papæ.

790 HAdrianus 1 fuit Paparum primus, qui suas indulgentias obfirmauit sigillis plumbeis, quò maiorem mererentur fidem. Polyd. lib. 8. cap. 2. de Inuen. Et hoc scilicet erat signum, ipsorum argentum mutatum esse in plumbum: & doctrinam, ac religionem veram abijsse in falsitatem & errores. Nigrinus. Imp. & PP. vt sup.

Constantinus à matre Irena oculis priuatur.

798 ANno 798 Constantinus filius à matre Eirene oculis & imperio orbatur, eodē die, quo ille ante annos 5 Nicephorū & Alexium Mosolim iniustè excæcârat, & alijs quibusdam linguas præciderat. Zon. tom. 3. Ad illud Matris facinus sol per dies 17. suos abscondit radios, & ipsa post annos 4. aut 5. à seruo relegatur in exilium. Diac. lib. 23. Rom. Interea iustum Dei iudicium obseruandum. Nam Constantino isti in delicijs erat, leui de causa excæcare ministros suos. Diac. & Blond. lib. 1. dec. 2.

Item Martis sidus hoc toto anno in cœlo non fuit conspectum. Regino lib. 6. Ado æta. 6. Imp. vt sup. PP. 95. Leone 3.

VVilibrodus.

798 FVit anno D. 798. quidam Monasteriensis Episcopus, Ludgerus, qui sorte suâ non contentus voluit etiam haud minore potentiâ Respublicas in hoc mundo gubernare: idque vt omninò lippis, & tonsoribus innotesceret, in insignibus suis iuxta pastorale pedum ancipitem ensem appingi curauit. Imp. & PP. vt sup.

Prodig.

800 DVm Spoleti versatur Carolus magnus Imperator, pridie calendas Maij, hora noctis secundâ terra grauiter tremuit, tectum Diui Petri Romæ corruit: in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, & circa Rhenum vrbes pleræque, & villæ afflictæ sunt. Ob hyberni temporis clementiam subsecuta est pestilentia. Circa hæc tempora Imperium ab Oriente in Occidentem translatum. Lyco. Imp. 78. Caro. M. PP. 95. Leone 3.

Ioan. Mailrosius Scotus.

800 HIc, vt Antoninus refert, Romanis displicuit eò, quòd Græcis adhærens, multa eorum dogmata improbasset. Tandem traiecto mari ad Parisium vsque peruenit, vbi cùm inter alios in publicum forum prodijsset, nec quicquam patriâ præter literarias disciplinas exportasset, se scientias profiteri, & sapientiam venalem conclamabat: quod audiens Rex Carolus Magnus illum excepit. Imp. vt sup. PP. 95 Leone 3.

Leo 3 Papa 95.

800 HIc Carolo Romam tendenti ad duodecimum lapidem occurrit, eumque honorificè excepit. Quod illo tempore, cùm Episcopi adhuc essent, factum fuit. Sed Papæ facti non amplius obuiam procedunt, sed tantùm Cardinales mittunt: vt liber ceremoniarum habet. Imp. & PP. vt sup.

Notabile.

IMperator Carolus Magnus, & eius Duces bellici, nonnunquam cænam Dominicam accessêre toti armati. Vide VVierum, part. 2 de præstig. lib. 3. cap. 21.

Synodus Francofordiensis.

800 SYnodus Francofordiensis, sub Carolo Magno congregata, qui & præsedit ei, inter alia damnauit Græcam synodum paulò antè in Nicæa, ab Irene matre, muliere superstitiosissima, & Con-

stantino

stantino filio celebratam. Causam porrò, cur eam damnauerit, Vrspergensis & alij imaginibus fauentes historici, subticuerunt: Verùm quoquo modo Veritatem occultârint, ac præsertim Papistæ, adhuc occultent: tamen tandem, Dei beneficio, ea emersit, & indies magis ac magis emerget. Nam editum est ante paucos annos, alicubi in Gallijs, & nunc in Germania recusum, prolixum scriptum Caroli Magni, contra prædictam Græcam synodum, statuarum adorationem asserentem & defendentem. Is qui id scriptum edi curauit, multis firmisq́ue testimonijs probauit, esse genuinum Caroli, & non suppositicium. Adscripsit etiam duos articulos Francofordianæ synodi, in quorum secundo disertè indicauit: Græcam synodum propter statuarum adorationem damnatam esse.

Liquet sanè veritas, rectè rem perpendenti, etiam sine hoc testimonio. Nam certum est, tum Irenem ac filium eo tempore imaginibus addictissimos fuisse, cùm synodum illam adorationem Imaginum contra suos maiores approbasse ac defendisse, imò id solum egisse. Quare, cùm ea synodus à Francofordensi damnata sit: nimirum ob eam ipsam erroneam sententiam de Imaginibus damnatam esse necesse est. Alia non est causa, cur Græcam synodum damnârint. Et Auentinus authenticus historicus testatur, in synodo Francofordensi sub Carolo Magno celebrata, acta Græcorum (verba eius recito) de adorandis imaginibus rescissa esse? Sed adscribam locum integrum: Carolus Decembri Reginoburgio exit Sualouoltas, & ad fossam superiorem nauibus per terram tractis, progreditur: inde nauibus in Rhædonello delatus in Mœnum, VVirzeburgum (caput est antiquæ Franciæ, insigne sepulchro diui Chiliani) vltimo Decembris peruenit: vnde Francophoron migrauit, ibique reliquum hyemis exegit. Huc frequentes coire Pontifices Galliarum, Italiæ, Germaniæ imperat. Adfuêre Romani Pontificis legati, Theophylactus & Stephanus Episcopi: tertiò ibidem condemnata est hæresis Fœliciana, Eliphandanaq́ue, de adoptione filij Dei. Omnes subscripsêre sacerdotes, ipse quoque Fœlix & Eliphandus, agnoscentes errorem: venia data, dignitasq́ue seruata. Item acta Græcorum de imaginibus adorandis rescissa sunt. Fastocrata Regina quarto idus Augusti tunc fato concessit. In vetustis Francorum annalibus, ita habetur de actis Francofordiensis synodi: Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falsò septima vocata, ab Episcopis damnatur, &c.

Sciendum autem est, Græcos multis annis ante & post prædictam Irenem, eiusq́ue synodum, adeò acriter imagines insectatos, vt ne ornatus quidem causa eas vsquam, præsertim in templis, ferre voluerint, prorsus vt hoc tempore à quibusdam fit. At hæc Irenes synodus contrà, non tantùm haberi, sed & adorari imagines voluit, ac seueriter mandauit: damnauitq́ue anathemate omnes contraria sentientes. Verùm Carolus Magnus, cum sua synodo, medium secuti ferri voluerunt imagines, vel ornatus vel historiæ gratia: & tamen nullatenus adorari, seu quoquo modo honorari, non vestiri eas, non lumina accendi, seu suffitum eis fieri, non procumbere aut genua flectere, aut curuari homines ante eas. Quare, vt dictum est, hac de causa Græcam synodum tunc temporis pro adoratione statuarum celebratam damnârunt.

Sed vt indubitata sit omninò huius, priorisq́ue narrationis veritas, adijciamus testimonium Hincmari Remorum Archiepiscopi, ex 20. capite eius libri contra eiusdem nominis Iandunensem Episcopum: Septima autem apud Græcos vocata Vniuersalis pseudosynodus, de Imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano definiebat, sine autoritate Apostolicæ sedis, non longè ante nostra tempora, Nicææ est à quam plurimis Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Vnde tempore Caroli Magni Imperatoris, iussione Apostolicæ sedis, generalis synodus in Francia, conuocante præfato Imperatore, celebrata, & secundum scripturarum tramitem, traditionemq́ue maiorum, ipsa Græcorum pseudosynodus destructa, & penitus abdicata. De cuius destructione non modicum volumen, (quod in palatio adolescentulus legi) ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum. In cuius voluminis quarto libro, hæc de Vniuersali nomine scripta sunt: VNIVERSITAS ab vno cognominatur, quòd vno multotiens verso propagatur. Nam multitudo Vnitatum vertendo in Vnum collecta Vniuersitas efficitur. Sicut enim Ecclesia Vniuersalis est, quæ Græco eloquio Catholica dicitur: ita nimirū omne, quicquid ab eius vnitate non discessit, Catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel quælibet constitutio, siue traditio talis esse debet, vt Vniuersali conueniat Ecclesiæ, quod nequaquam Hæretici obseruauêre, qui per diuersas mundi partes aliquibus regionum partibus coarctati, conuenticula quædam statuêre, quibus & se & quàm plurimos ab Ecclesiasticæ Vnitatis consortio segregauerunt. Cùm ergò duarum & trium prouinciarum Præsules in vnum conueniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti, aliquid prædicationis aut dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discrepat, Catholicum est, quod faciunt, & fortassè dici potest Vniuersale: quoniam quamuis non sit ab Vniuersi orbis præsulibus actum, tamen ab Vniuersorum fide & traditione non discrepat: quòd crebrò factum in plerisque mundi partibus, quibusdam necessitatibus incumbentibus, scimus. Multa enim concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur & roboratur Ecclesia. Si verò duarum aut trium prouinciarum præsules in vnum conuenientes, noua quædam statuere cupientes, conuenticula quædam faciunt, quæ non cum Vniuersi orbis Ecclesia consentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt: non est Catholicum, quod faciunt, & ideò Vniuersale nuncupari non potest. Omne, quod Ecclesiasticum est, Catholicum est: & omne, quod Catholicum est, Vniuersale est: Omne autem, quod Vniuersale est, profanis vocum nouitatibus caret: Omne

Anno

igitur, quod Ecclesiasticum est, profanis vocum nouitatibus caret. Et si hæc synodus vocum nouitatibus careret, ac Antiquorum Patrum dogmatibus contenta esset: Vniuersalis dici poterat. Non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est: non igitur Vniuersalis dici potest. Vniuersalem planè eandem synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam Vniuersalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari. Hæc Hincmarus.

Græca illa synodus septima ab ipsis vocata, quam à Francofordensi & Carolo damnatam esse diximus, est anno 1551, Coloniæ in secundo Conciliorum tomo, sub titulo secundæ Nicenæ synodi, edita: congruunt etiam ipsa capita cum Caroli refutatione: Omnia enim, quæ ex ea Carolus in suo libello citat ac refutat, ibi clare ponuntur.

Est verò illud vel inprimis obseruatu dignissimum, quòd ipse Papa Adrianus hanc synodum descriptis literis ad Imperatorem, & ad Tarasium Constantinopolitanum Patriarcham probauit: quin & legatos ibi vnà habuit, qui omnia decernere & comprobare adiuuerunt. Legati fuerunt, Petrus protopresbyter S. Petri, & Petrus monachus S. Sabæ: sic contrà etiam Francofordensem synodum Papæ legati comprobârunt. Quare Francofordiensis synodus, & Carolus in hac re non tantùm hanc græcam synodum, sed & ipsum Papam errantem in idololatria statuarum damnârunt, tametsi publicæ tranquillitatis causa eum disertè nominatimque petere & damnare noluerunt. Sed ne dubites, eos etiam ipsum Papam Adrianum, sed sine nomine, petiisse ac oppugnasse. Confer quæso duas eius epistolas ad Imperatorem Constant. & Tarasium, cum cap. 17. 18. 19. primi libri, & cum 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 23. 24. 25. 26. secundi, & 15. 16. tertij libri Caroli Magni: inuenies profectò manifestissimè, nihil aliud Imperatorem ac synodum in illis capitibus egisse, quàm vt illas Papæ epistolas diligenter & accuratè refutarent: tametsi tacito Papæ nomine, quietis publicæ studio.

Exagitat etiam Carolus satis acerbè Ioannem Antiochenum, quòd adulatoriè prædicasset concordiam Tarasij & Adriani de imaginum adoratione: eoq; impudenter dictum illud Psalmi, Pax & Veritas sibi mutuò obuiatæ sunt, vsurpasset. Vnde itidem cernis, Carolum, etiam ipsum Adrianum suo scripto petiisse & pupugisse. Fuit profectò tum temporis non leue certamen inter Carolū, eiusq; Episcopos, ac Papam: licet dissimulanter & tectè, vt ex collatione prædictarum Papæ epistolarum, & Caroli libro, animaduerti potest: item ex eo, quòd Papa cum suis Papistis nihilominus paulò post Caroli mortem, Claudium Taurinensem Episcopum, qui Carolo intimus fuerat, ob id ipsum damnauit, quòd cruces & statuas adorari non sit passus. Videtur Papa cessisse quidem Carolo Magno, ejusque synodo, tanto impetu tum adorationem statuarum damnantibus: Verùm paulò post, mortuo Carolo, suas puppas denuò ornare & colere cœpit.

Præclaram profectò, & Ecclesiæ Dei apprimè vtilem operam nauaret, si quis simul tum Græcam septimam illam, seu secundam Nicænam synodum ederet, item Francofordiensem, & Caroli Magni librum: cùm capita synodi Græcæ cum Caroli refutatione diligenter conferret: & demum hæc ipsa testimonia Auentini, Hincmari, Eccij, & alia, de refutatione Caroli Magni, quòd non sit suppositititius, adiungeret: quò tandem omnes pij cernerent, quòd initio multi erroribus Antichristi restiterint: sed ipse subinde plures, & quidem antè damnatos, sepultosq; resuscitârit, & in Ecclesiam induxerit. Prodesset ea opera & ad id, vt Papistis clamantibus, suam religionem inde ab Apostolis durasse, os obstrueretur. Non enim profectò minima, si non maxima, pars religionis Antichristianæ seu Papisticæ est hoc tempore, cultus idolorum: de quo præclarè Ludouicus Viues supra August. de ciuitate Dei scribit, se non videre, quid sit discriminis inter plerosque Christianos statuas colentes, & Ethnicos sua idola adorantes. Illyricus.

Hermetis Trismegisti opinio de Origine Idolorum.

MOrtuo Belo Ninus in solacium doloris, fieri fecit imaginem patris, cui tantam exhibebat reuerentiam, vt proinde homines regionis illi diuinos darent honores. Cuius exemplo & alij cœperunt charis suis mortuis imagines dedicare, quod cernentes dæmones cœperunt in imaginibus illis dare responsa. Inde postea quidam, per artem quandam nephariam, fabricabant imagines, quæ virtute dæmonum habebant aliquos effectus, scilicet dare responsa, & remedia sanitatum: propter quod putabant homines aliquid Deitatis esse in ipsis. De quo etiam Augustinus de ciuitate Dei, & Robertus Licius.

800.

Liber Caroli Magni contra Synodum septimam Græcorum.

ECcius hunc librum citat in Enchiridio: & Augustinus Steuchus Bibliothecarius Romanus, Romæ in Laterano extare affirmat. In eo Carolus Magnus contra Imperatores Constantinopolitanos Idolorum adorationem damnat. Idem Gregorius sentit in Epistola ad Masiliæ Episcopum. Imp. 78. Papa 95 Leone 3.

800.

Cabilonense concilium.

A Carolo Magno celebratum præcepit, vt sacerdotes & Episcopi diligenter studeant in sacris literis, ac doceant suam plebem. Item, vt sedulò vbique scholas iuuentutis instaurent,

& eri-

& erigant. Seuerissimè quoque coërcuit sacerdotum, & monachorum impuram rapacitatem, quos querebantur illi patres, persuadere simplicibus hominibus, vt sua bona templis aut monasterijs stultè largiantur, ipsique sese in Monachatum præcipitent. Quin etiam iussit id concilium, omninò omnia illa bona suis hæredibus, parentum stultitia, & sacerdotum auaritia spoliatis, reddere. Imp. vt sup. Papa 95 Leone 3.

Idem canone 45. sancijt sic: Nam & à quibusdam, qui Romam & alia quædam loca, sub prætextu orationis, inconsultè paragrant, plurimùm erratur. Sunt presbyteri & Diaconi, & cæteri in clero constituti, qui negligenter viuentes, in eo purgari se à peccatis putant, & ministerio suo fungi non debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilominùs laici, qui putant, se impunè aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirendi census gratia, sub prætextu Romani vel alius itineris, multa acquirunt, multos pauperum opprimunt: & quod sola cupiditate faciunt, orationum, siue sanctorum locorum visitationis causa, se facere, videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideo id faciunt, vt maiorem habeant materiam mendicandi: de quorum numero sunt illi, qui circumquaque vagantes, illò se pergere mentiuntur: vel quia in tantum sunt vecordes, vt putent, sola se sanctorum locorum visione à peccatis purgari, non attendentes id, quod ait beatus Hieronymus: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est. De quibus omnibus Domini imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui verò peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochijs, confessi sunt, & ab his agendæ pænitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina vel quorumlibet sanctorum inuisere desiderant, horum est deuotio omnibus collaudanda.

Idem vetuit, ne Episcopi aut Sacerdotes alant canes, aut accipitres: néue sese inebrient, ac ita minus liberè suum vulgus arguere ausint: ne se implicent negotijs ciuilibus: ne quicquam à suis inferioribus sacerdotibus exigant: ne item quicquam pro Chrismate, aut Ecclesiarum dedicatione, aut sacerdotum ordinatione accipiant. Iussit &, vt publicè peccantes, publicè pœnitentiam agant.

Edictum Caroli Magni.

REgnante Domino nostro IESV CHRISTO in perpetuum, Ego Carolus gratia Dei eiusque misericordia donante, Rex & Rector regni Francorum, & deuotus Ecclesiæ defensor, humilisque adiutor, omnibus Ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu secularis potentiæ dignitatibus, in Christo Domino Deo æterno perpetuæ pacis & beatitudinis salutem. Considerans pacifico mentis intuitu, vnà cum sacerdotibus & consiliarijs nostris, abundantem in nos nostrumque populum Christi Regis clementiam, & quàm necessarium est, non solùm toto corde & ore eius pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione eius insistere laudibus: quatenus qui regno nostro tantos contulit honores, sua protectione nos nostrumque regnum in æternum conseruare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, ô pastores Ecclesiarum Christi, & ductores gregis eius, & clarissima mundi luminaria, vt vigili cura & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errantes oues bonorum exemplorum seu adhortationum humeris, intra Ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagatis, ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones Vniuersalium conciliorum excedentem, quod absit, inueniens deuoret. Ideò magno deuotionis studio admonendi & adhortandi sunt, imò compellendi, vt firma fide, & rationabili perseuerantia inter paternas sanctiones se contineant. In quo opere & studio sciat certissimè sanctitas vestra, nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis authoritate vnà vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent. Sed & aliqua capitula ex canonicis institutionibus, quæ magis necessaria videbantur, subiunximus: ne aliquis quæso huius pietatis admonitionem esse præsumtionem iudicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studeamus, sed magis beneuolo charitatis animo suscipiat. Nam legimus in Regum libris, quomodo sanctus Iosias regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, adcultum verum Dei studuit reuocare: non vt me eius sanctitati æquiparabilem faciam, sed quòd nobis sunt quæque sanctorum semper exempla sequenda, & quousque poterimus ad studium bonæ vitæ, in laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, congregare necesse est. Quapropter, vt prædiximus, aliqua capitula notare iussimus, vt simul hæc eadem vos admonere studeatis, & quæcunque vobis alia necessaria esse sciatis: nec aliquid, quod vestræ sanctitati & populo Dei vtile videatur, omittite, vt pio studio admoneatis, quatenus & vestra solertia & subiectorum obedientia æterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur, &c. Et paulò pòst inter regulas, & hæc recensetur: Primò omnium, vt fides Catholica ab omnibus Episcopis & presbyteris legatur diligenter, & omni populo prædicetur: quia hoc primum præceptum est Domini Dei omnipotentis in lege: Audi Israël, quia Dominus Deus tuus est: & vt ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex tota virtute nostra. Et aliquantò pòst sic tandem illud edictum Caroli concluditur: Sed & vestrum videre est, dilectissimi & venerabiles

Pastores, & Rectores Ecclesiarum Dei, vt presbyteros mittatis per parochias vestras, ad regendum, & ad prædicandum per Ecclesias vestras, populum Deo seruientem, vt rectè & honestè prædicent: & non sinatis noua, vel non canonica aliquos ex suo sensu, & non secundum scripturas sacras, fingere & prædicare populo: sed & vosmet ipsi vtilia, honesta, & recta, & quæ ad vitam ducunt æternam, prædicate, aliosque instruite, vt hæc eadem prædicent. Primò omnium prædicandum est omnibus generaliter, vt credant, Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnum esse Deum omnipotentem, æternum, inuisibilem, qui creauit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Et vnam esse Deitatem, substantiam & maiestatem in tribus personis, Patris & Filij & Spiritus sancti. Item prædicandum est, quomodo Dei filius incarnatus sit de Spiritu sancto ex Maria semper Virgine, pro salute & reparatione generis humani passus, sepultus, & tertia die resurrexerit, & ascenderit in cœlos: & quomodo iterum venturus sit in maiestate diuina, iudicare omnes homines secundum merita propria: & quomodo impij propter scelera sua cum Diabolo in ignem æternum mittentur, & iusti cum Christo & sanctis Angelis suis, in vitam æternam.

Item diligenter prædicandum est, resurrectionem mortuorum esse: vt sciant & credant, in ijsdem corporibus præmia meritorum accepturos. Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim, Apostolo dicente: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quòd qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Ideo hæc eadem, quæ magnus Prædicator Ecclesiæ Dei singillatim nominauit, cum omni studio prohibete & intelligentes, quàm sit terribile illud, quod dixit: Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Sed omni instantia admonete eos de Dilectione Dei & proximi, fide, & spe in Deo, de humilitate & patientia, de charitate, & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis, & confessione peccatorum suorum: & vt debitoribus suis secundum Dominicam orationem sua debita dimittant, scientes certissimè, quòd qui talia agunt, regnum Dei possidebunt. Et hoc ideo diligentius iniungimus Charitati vestræ, quia scimus temporibus nouissimis pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dominus in Euangelio prædixit, & Apostolus Paulus ad Timoth. testatur. Ideo dilectissimi, toto corde præparemus nos in scientia veritatis, vt possimus contradicentibus veritati resistere & diuina donante gratia, Verbum Dei crescat, currat & multiplicetur in profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & salutem animarum nostrarum, & laudem & gloriam nominis Dei nostri IESV CHRISTI. Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino Deo nostro Iesu Christo, Amen. Anno Dominicæ incarnationis 789. Indictione XII. Anno 21. regni nostri, actum est huius legationis edictum Aquis in palatio publico. Data est hæc charta die decima Calend. April.

800. *Einhardus Caroli Magni Notarius & Gener.*

VT Lectori constet, quis Eginhardus, vel (vt Trithemius, & peruetusti libri ac diplomata eum appellant) Einardus ille fuerit, & quomodo gener Caroli Magni, & tandem Abbas monasterij Saligenstatensis ad Mœnum, (quem vetera monumenta Magonum, vnde Moguntiæ ad confluentè Rheni & Mœni, nominant) factus sit, ex peruetusto libro, qui ætate Friderici II. Imperatoris, circiter annum Domini CIↃ. IↃ. LX. in monasterio Laurishamensi ex antiquis eius monasterij documentis collectus est, sequentia subiecta sunt.

Einardus archicapellanus notariusq; Imperatoris Caroli, cùm in aula Regia laudabiliter seruiens, diligeretur ab omnibus: à filia quoq; ipsius Imp. Imma nomine, Regi Græcorum desponsata, amabatur ardentius. Aliquantum temporis fluxerat: amor alternus quotidie inter ambos per augmenta crescebat. Vtrosq; enim timor retardauit, & offensio regia, ne tam grauia côueniendi inirent conamina. Sed (vt amor improbus omnia vincit) deniq; cùm vir egregius irremediabiliter amando æstuaret, auresq; virginis per internuncium, appellare non præsumeret, nouissimè sumta de semetipso fiducia, nocturno tempore latenter ad puellæ tendebat habitaculum. Ibidem ergo pulsans clanculùm & intrare permissus, tanquam allocuturus iuuenculam de regali mandato: statim versa vice, solus cum sola secretis vsus alloquijs, & datis amplexibus cupito satisfecit amori. Interea, cùm iam appropinquante luce diei, per silentia noctis, vnde venerat, regredi vellet, de improuiso niuem haud modicam decidisse cognouit, & ne per vestigia pedum virilium agnitus proderetur, foràs exire timuit:ambosq; nimia, pro conscientia facti, anxietas, simul & formido, intus remanere compulit. Cumq; nimia solicitudine fluctuantes, quid facto opus esset, deliberarent: tandem elegantissima iuuencula, quam audacè faciebat amor, consilium dedit, vt ipsa quidem super se insidentem inclinata exciperet, eumq; vsq; ad locum illius hospitio contiguum, antelucanum deportaret, ibiq; eo deposito, rursum per eadem vestigia cautius obseruata, rediret. Eam noctem Imperator diuino (vt creditur) nutu insomnem duxit, diluculoque consurgens, eminusque de aula prospiciens, intuitus est filiam suam sub præfato onere, nutanti gressu vix incedere, & ad condictum locum, deposita quam gestabat sarcina, celeri repedare recursu. Quibus multo intuitu perspectis, Imperator partim admiratione, partim dolore permotus, non tamen absque diuina dispositione id fieri reputans; sese continuit, & visa interim silentio suppressit. Interea Einhardus sibi conscius, certusque, rem nullo modo dominum suum regem diu

latere

Anno



latere posse, tandem inter angustias reperto consilio, Imperatorem aggreditur, flexis genibus missionem postulans: asserens, tot & tantis seruitijs suis condigna nō rependi præmia. Illis auditis, Rex dissimulato rei & euentu & exitu, diu conticuit. Dehinc eum certificans, se postulationi eius quantocyus responsurum, diem constituit, statimq; consiliarios, primosq; regni sui, & cæteros quosque sibi familiares, passim euocatos, conuenire iussit. Congregata itaq; magnifica diuersarum dignitatum frequentia, ita exorsus est: Imperatoriam, inquiens, maiestatem nimis iniuriatam esse, & despectam, in indigna suæ filiæ, Notarijq; sui copulatione, & exinde non mediocri sese agitari perturbatione. Quibus nimio stupore perculsis, de rei nouitate ac magnitudine quibusdam adhuc ambigentibus, Rex explicauit eis euidentius, referens eis à primordio, quid per semetipsum oculata fide cognouerit, consiliumq; eorum ac sententiam super hoc postulans. At illi inter se diuersi diuersa sentientes, in præsumtorem huius rei duras & varias dedêre sententias, alijs sine exemplo puniendum, alijs exilio damnandum alijs alio modo disperdendum, vt cuique impetus erat, adiudicantibus. Porrò quidam ex eis tantò mitiores, quantò sapientiores, habita secum deliberatione, quàm intimè regem exorauêre vt ipse rē per semetipsū examinare, & secundum diuinitus ei collatam sapientiā, diffinire dignaretur.

Verùm vbi Rex singulorum circa se affectum ponderauit, & inter diuersas sententias, quid potissimùm consilij sequeretur, expendit, sic eos allocutus est: Non ignoratis, inquit, humanum genus varijs subiectum esse casibus, & frequenter euenire, vt res nonnullæ, quæ contrarijs initijs inchoantur, meliorem aliquando sortiantur exitum: Proinde non est desperandum, sed potius super hac re, quæ & grauitate & nouitate sui nostrum exsuperat ingenium, diuinæ prouidentiæ, quæ nunquam in sui dispositione fallitur, quæq; etiam malis benè vti nouit, clementia est expectanda & petenda. Quapropter tam tristis facti à Notario meo non exigam pœnas, per quas infamia filiæ meæ magis videretur augeri, quàm minui. Vnde dignius & laudabilius Imperij nostri gloriæ arbitramur congruere, vt data adolescentiæ venia, legitimo eos matrimonio coniungam, & rei probosæ honestatis colorem superinducam. Regis ergò audita sententia, fit incomparabile gaudium, magnitudoque animi eius ac mansuetudo summis effertur laudibus. Interim Einhardus iussus adesse, ingreditur. Quem ex inopinato Rex salutans, ita eum placido vultu alloquitur: Iam dudum auribus nostris à vobis delata est querimonia, quod seruitijs vestris regali munificentia hactenus, dignè non respondimus. Sed (vt verum fatear) maximè super hoc culpanda est vestra negligentia. Etsi enim sustineam tot & tanta negotia solus: tamen si quid voluntatis vestræ compertum habuissem, seruitia vestra digno fuissem persecutus honore. Verùm ne vos diutino sermone protraham, querimonijs vestris amplissima donatione satisfaciam, & vt vos etiam fidelem mihi, vt prius, & beneuolum posthac sentiam, iuri vestro nuptum tradam meam filiam, vestram scilicet portatricem, quæ quandoque altè succincta, vestræ subiectioni satis se morigeram exhibuit.

Protinus ad Regis edictum, cum multo comitatu adducta est eius filia, quæ roseo vultus perfusa rubore, tradita est per manus patris in manus prædicti Einhardi, cum dote plurima, prædiorum quoq; nonnullorum, cum innumeris aureis argenteisque donarijs, alijsq; preciosis supellectilibus. Quibus etiam pijssimus Imperator Ludouicus, post obitum patris prædia sua, videlicet Michlinstat, & Mülinheim (quæ nunc appellatur Selig in stat) tradidit, cum huiusmodi donationis priuilegio: In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, Ludouicus diuina ordinante prouidentia, Imperator Augustus. Imperatoriæ celsitudini moris est, fideliter sibi famulantes donis multiplicibus, atq; honoribus ingentibus honorare, atq; sublimare. Proinde nos morem parentum nostrorum, regnum videlicet prædecessorum nostrorum sequentes, libuit celsitudini nostræ, fidelem quendam nostrum nomine Einhardum, de quibusdam rebus proprietatis nostræ honorare, atq; in sui iuris potestatem liberalitatis nostræ gratiam conferre. Nec immeritò: quippe cùm & fidelitatis obsequio, & obedientiæ deuotione, hoc apud serenitatem nostram dignè mereatur adipisci, qui totis nisibus vsquequaq; nostro seruitio, nostris iussionibus fideliter parere studet. Inde nouerit experientia, atq; vtilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm & futurorum, quia concessimus eidem fideli nostro Einhardo, nec non & coniugi suæ Immæ in partibus Germaniæ, locum qui vocatur Michlinstat, in sylua quæ vocatur Odonavvaldt, in cuius medio est basilica lignea modica

constructa, de qua in omnem partem quaquà versus, pertinent ad eundem locum inter campum & syluam leugæ duæ, id est rastra vna. Intra cuius mensuræ circumplexum, manent præsenti tempore serui nostri proprij XIIII. cum vxoribus suis & filijs. Præter hos sunt in eodem loco inter masculos & fœminas mancipia XL. Hunc locum cum terminis suis, sub integritate, & mancipijs suis, nec non & villam, quæ dicitur Mulinheim, & est in pago Moynecgouue, sita super ripam fluminis Moyini (quæ quondam Drogonis comitis possessio fuit) & habet basilicam paruam muro factam, in qua villa sunt mansi XIX, & serui præsenti tempore manentes cum vxoribus & liberis numero XIII: sicut & in altera villa, eodem vocabulo supra eundem fluuium, quæ vocatur inferior Mulinheim, in qua sunt mansi IIII, & serui manentes totidem cum vxoribus & paruulis, qui pertinent ad superius dictam villam: hanc villam, id est superiorem Mulinheim, cum appendittijs suis & mancipijs proprijs ad eam pertinentibus, & hæc omnia suprascripta cum Ecclesijs, villaribus, domibus, mancipijs, syluis, terris, pratis, pascuis, aquis, aquarúmue decursibus, cultum & incultum cum omnibus adiacentijs & appendittijs, totum & ad integrum, prædicto fideli nostro Einhardo, & coniugi eius Immæ in proprium per hanc nostræ donationis auctoritatem concessimus, ita videlicet, vt quicquid ab hodierna die in futurum de prædictis rebus & locis, aut de his, quæ ad eos pertinent, iure hæreditario facere voluerint, in omnibus potiantur arbitrio faciendi, & nullus ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, de præscriptis rebus memorato fideli nostro, & coniugi suæ à nobis concessis, aliquid abstrahere aut minuere tentet, sed liceat eis ipsas res quietè habere & possidere, & cui voluerint, iure hæreditario relinquere. Et vt hæc auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum, inuiolabilem atque inconuulsam perpetuò obtineat firmitatem, & à fidelibus nostris, tam præsentibus quàm & futuris, seu etiam à successoribus nostris, à nobis facta, veriùs certiusque credatur, eam manu propria subter firmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus.

Signum [monogram] Ludouici

Serenis. Imperatoris.

Helisachar recognoui. Data III. Idus Ianuarij, anno, Christo propitio, primo Imperij Domini Ludouici, pijssimi Imperatoris Augusti, Indictione VII. Aquisgrani in palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

Hic Einhardus mundi huius pertœsus, monasterium construxit in Salinginstat, ibiq; adhibitis fratribus, quibus ipse primus Abbas præesse voluit, Deo per aliquot annos seruiens, moritur & humatur, quemadmodum ex libro de translatione & miraculis sanctorum Marcellini, & Petri, edito apparet. Imp. vt sup. Papa Leone 3. Similem historiam ferè habes apud Vincentium.

Idem de vitâ & gestis Caroli Magni. Appropinquantis finis plura fuêre præsagia, vt non solùm alij, sed & ipse hoc minitari sentiret. Per tres continuos, vitæq; termino proximos annos & Solis, & Lunæ creberrima defectio, ac in Sole macula quædam atri coloris septem dierum spatio, visa. Porticus, quam inter basilicam, & regiam, operosâ mole construxerat, die Ascensionis Domini subita ruina vsque ad fundamenta, collapsa. Item pons Rheni apud Moguntiacum, quem ipse per decem annos ingenti labore, & opere mirabili è ligno ita construxit, vt perenniter durare posse videretur, ita fortuito tribus horis incendio conflagrauit, vt præter quod aqua tegeretur, ne vna quidem hastula ex eo remaneret. Ipse quoque cùm vltimam in Saxoniam expeditionem contra Godefridum regem Danorum ageret, quadam die, cùm ante exortum Solis castris egressus iter agere cœpisset, vidit repentè delapsam cœlitus, cum ingenti lumine, facem à dextra in sinistram, per serenum aëra transcurrere, cunctisq; hoc signum, quid portenderet mirantibus, subitò equus, cui insedebat, deorsum capite merso decidit, eumq; tam grauiter ad terram elisit, vt fibula sagi rupta, baltheoq; gladij dissipato, à festinantibus, qui aderant ministris exarmatus sine adminiculo leuaretur: iaculum quoque, quod tunc fortè manu tenebat, ita elapsum est, vt viginti vel eo ampliùs pedũ spatio procul iaceret. Accessit ad hoc creber palatij Aquensis tremor, & in domibus, vbi versabatur, assiduus laquearium crepitus: tacta etiam de cœlo, in quâ postea sepultus est basilica, malumq; aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum, & supra domum Pontificis, quæ basilicæ contigua erat, proiectum est. Erat in eadem basilicâ in margine coronæ, quæ inter superiores, & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat, epigramma synopide scriptum, continens, quis auctor esset eiusdem templi, cuius in extremo versu legebatur PRINCEPS CAROLVS: notatum est à quibusdam eodem, quo decessit anno, paucis ante mortem mensibus, eas quæ PRINCEPS exprimebant literas, ita esse delatas, vt penitus non apparerent. Sed superiora omnia sic aut simulauit, aut spreuit, ac si nihil horũ ad res suas quolibet modo pertineret. Mortuus est septuagenarius anno Domini 814.

Beseritæ.

800. BEseritæ inter Hæreticos numerantur, quos aiunt originem suam à Beser quodã, qui ante 800. annos vixit, accepisse. His vitio datur, quòd damnauerint imagines, & earum cultum crescenti superstitioni circa idola, resistere conati, si non maiores aliquos errores habuerunt: nam nulli eis alioqui obijciuntur. Illyricus.

Anno

Hincmarus Episcopus Remensis.

800.

ILlud valdè laudabile est, quòd in epistolâ ad Laudunensem, dictum Matth. 16. Tu es Petrus, contra Papam sic explicauit: super hanc firmam, & solidam fidei confessionem, quam tu es confessus, ædificabo Ecclesiam Imp. 78. Carolo Magno. Papa 95 Leone 3.

Idem. In opere suo contra Hincmarum iuniorem, Laudunensem Episcopum errores, & abusus in clero tunc grassantes, ac regnantes grauiter taxat.

Idem scripsisse quoque dicitur de articulis fidei, quæ maximè memorabilia sunt: nempe, quòd homines ad Christum, tanquam ad vnicum, ac verum nostrum in cœlis mediatorem, ac intercessorem remisit. Sic enim dicit in epistolâ ad Hincmarum, suum nepotem cap. 11. Antistes summus, & sempiternus, Pontifex sempiternum habens sacerdotium, sacerdosque magnus secundum ordinem Melchisedech, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æternâ redemtione inuentâ: sedensque ad dextram patris, id est, in gloriâ paternæ maiestatis, interpellat pro nobis non voce, sed miseratione. Item cap. 25. sic inquit: Dominus circa vesperam pependit in cruce, ipse sacerdos, ipse victima, ipse oblator, ipse oblatio, ipse sacerdos est, qui nunc ingressus in interiora veli, solus ibi ex his, qui carnem gestârunt, interpellat pro nobis. Graui quoque & iracundâ epistolâ, obiurgatus à Pontifice Adriano 2. eò quòd non statim ad ipsius mandatum, Carolum regem, & Normannum excommunicâsset, satis liberè respondit: se non potuisse Normanni excommunicationem ratam habere, quia fuerit iniusta: ac multò minus potuisse Carolum regem excommunicare, cùm sese obtulerit ad rei legitimam cognitionem. Monet insuper etiam Pontificem, ne tam temerè excommunicationes præcipiat, aut quibusuis mentientibus credat: sed patiatur, causas diligentius in suis prouincijs cognosci, & iuxta canones dijudicari.

Carolus inuitus Rom. Imp.

800.

POntifices Romani cùm, suprà dictis artibus, Romam & Italiam in suam redegissent ditionem, Cæsaresq; terris & Imperio per nefas defraudâssent: metuerent autem Imperium Orientis non fore contentum, aut approbaturum facinus iniquum: ideò quò sceleris sui potentem aliquem haberent defensorê: & ne Orientales, repeterent suum, hanc inierunt practicam. Vocant Romam Carolum Magnum Pipini Curti filium: & ignarum inuitumque faciunt Imperatorem, & mandant plebi, solenniter ipsum salutent, & clament: Carolo Imperatori salus &c. Anno 1166 pòst, iste Cæsar ab Adriano 4. in diuorum numerum relatus est.

Concessit igitur Cæsari titulum, seruauitque ipse sibi nucleum, Romam cum Italia. Deinde concilio Romæ habito, ibi spondet Papa, Pontificis electionem, & Inuestituram Episcoporum, penes arbitrium Imperatoris fore solius semper: & sic soluta fuit Synodus, vt qui contrà sentiret aut faceret, anathemate plecteretur. Referunt Sigebertus, Nauclerus parte 2, Sabellicus, Ranulphus: Gratianus dist. 63. cap. Hadrianus. Antoninus tit. 14. cap. 1. §. 6.

Qua fide autem hanc receptam sententiam, & promissum seruauerint Papæ, vide apud Mutium lib. 7. & alios.

Et hoc est secundum exemplum, quod demonstrat, quomodo rerum mundi habenas captauerint Papæ: & creandorum, deponendorumq; Imperatorum sibi arrogare potestatem conati fuerint. Primum superius apud Pipinum Lector reperiet.

Hoc tempore verè illud de Ecclesia Romana dici potuit, venenum (diuitiarum) in illam infusum fuisse: quod certè portenta multa significârunt. Nam statim post illam Caroli inaugurationem, maximus terræmotus non tantùm tectum de Basilica Pauli Apostoli, cum trabibus, stupendo omine deiecit, sed & totam Italiam grauiter concitauit: atque in quibusdam locis etiam montes & vrbes subruit: ac pestis etiam multis in locis grauissimè sæuijt. Annales Francorum, & Regino.

Finit Centenarius octauus.



Anno Christi.	Num.	CENTENARII OCTAVI IMPERATORES.	Anni.	Menses.	Dies.
712	87	Fl. Philippicus Bardanes.	2	9	7
715	88	Fl. Artemius Anaſtaſius.	1	3	0
716	89	Fl. Theodoſ. IV. Adtramitenus.	0	7	6
717	90	Fl. Leo 3 Iſaurus.	24	2	25
720	91	Fl. Conſtantin. VI. Copronymus Porphyrogenitus cum patre	21	2	0
		ſolus.	35	2	27
741	92	Fl. Leo IV. Porphyrogenitus cum patre	24	3	9
		ſolus.	4	11	26
775					
776	93	Fl. Conſtantinus VII. Porphyrogenitus cum patre	4	4	26
		ſub matre	10	0	0
780		ſola.	5	2	16
798	94	Eirene			
		PONTIFICES.			
701	86	Ioannes 6 Græcus.	3	2	13
705	87	Ioannes 7 Græcus.	2	7	17
707	88	Siſinnius Syrus.	0	0	20
707	89	Conſtantinus Syrus.	8	1	20
716	90	Gregorius 2 Iunior Romanus.	14	10	22
731	91	Gregorius 3. Syrus.	10	8	24
741	92	Zacharias Græcus monachus.	10	3	15
752	93	Stephanus 2 Iunior.	0	0	4
752	94	Stephanus 3 dictus 2, Iunior Romanus.	5	0	29
757	95	Paulus.	10	1	0
757		11. Theophylactus Romanus.	0	0	0
767		12. Conſtantinus Nepeſinus.	1	1	9
768		13. Philippus Roman. monachus.	0	0	5
768	96	Stephanus 4. dictus 3, Siculus monachus.	3	5	27

Hadri-

772	77	Hadrianus Romanus.	23	10	17
796	98	Leo 3. Romanus.	20	5	18
		CONCILIA.	*Episc.*	*Sess.*	*Can.*
704	228	Anglicum.			
711	229	Londonense.			
713	230	Constantinop. 18.			
	231	Romanum 41.			
716	232	Romanum 42.			
720	233	Germanicum.			
725	234	Syriæ.			
730	235	Constantinop. 19.			
731	236	Romanum 43.			
732	237	Augustanum.			
742	238	Romanum 44.			14
	239	Gallicanum.			
744	240	Cloneshoanum Brittann.			
745	241	Listinense.			
755	242	Constantinop. 20.	338		
765	243	Aschemense.			
766	244	Dingulefinense.			
767	245	Gentiliacense.			
768	246	VVormaciense 1.			
	247	Romanum 45.			
769	248	Romanum 46.			
770	249	VVormaciense 2.			
772	250	VVormaciense 3.			
774	251	Romanum Lateranens. 47.			
779	252	Dunense.			8
780	253	Ad Lippam Saxoniæ.			
782	254	Gemiense.			
	255	Ratisbonense.			
785	256	Paderbornense.			
786	257	Anglicanum.			
788	258	Ingelheimense 1.			

Nicæ-

789	259	Nicænum 3.	350	
793	260	Romanum 48.		
794.	261	Francfordienſe.		
797	262	Aquisgranenſe.		

ORDINES.

In hoc Centenario octauo nulli apud Hiſtoricos inueniuntur noui Ordines.

DOCTI VIRI.

Accas Haguſtaldenſis Epiſcopus.
720. *Beda.*
Liber de vita Crodegangi.
740. *Cuthbertus.*
Bonifacius Germanorum Apoſtolus.
Albertus Gallus.
760. *Claudius Clemens.*
S. Gangulphus Martyr.
Albinus.
780. *P. VVarnefridus Diaconus.*
VVilibrodus.
Auenzoar medicus Arabs.
Ægidius monachus Athenienſis.
Burckardus Epiſcopus VVirtzburgenſis.
Eginhardus.
Hincmarus Epiſcopus Remenſis.
800.



LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS NONVS.

Claudius Taurinensis Episcopus in Chron. Saxoniæ. 810.

SI inquit; si inuocandæ sunt imagines Apostolorum: cur se viuos inuocari non sunt passi? Si crucem idcirco veneramini, quòd ex huiusmodi ligno Christus pependerit: cur hodie non etiam virgines eo cultu afficitis? Nam & Maria, quæ Christum peperit, virgo fuit. Cur non etiam præsepia boum, & asinorum proni adoratis? cur non etiam fascijs, in quarum simili Messias inuolutus est, & cur denique non etiam nauibus, cùm in huiusmodi instrumentis, ille tot maria traiecerit, adoletis thura, & vota facitis? Haud minùs apposité Abbatem quendam, cui sudes in oculis erat, excepit. Ecquid, ait, tibi vis? anne propterea tam ferox es, quod minus honorificè de peregrinationibus tuorum fratrum, quibus se gratiam & veniam mereri sperant, senserim? Quæso te ergò mi pater, si tantum vagationibus illis tribuis, vt semel euntem Romam planè omni reatu solui non dubites; quæ te ratio mouet, vt tuos monachos, homines alioquin haud innoxios, à tam salutari remedio prohibeas, eosque indigno modo intra septa cœnobij tui coërceas? An verò id capitulum tuum mordet, quòd, cùm protulisses illud Ieremiæ, quò se Dominus affirmat, neq; Noæ, neq; Danielis, neque Iobi precibus, vt aliter agat, adduci posse, mox ego dixerim: hoc ipso sanctis tuis omnia suffragia, preces, intercessionesque derogari? Sed nec illud moror, quod ais, Apostolicum (ita nempe Pontificem appellas) ob hoc mihi succensere. Statuo enim Apostolicum esse, non qui sedem Apostolorum, sed qui eorundem potius officium, & doctrinam amplectitur. Nam & Pharisæi, Scribæ, & pessimi quiq; hypocritæ, Moysis, optimi Prophetæ, cathedram occupârunt, cùm inde nihil minus, quàm vera Moysis præcepta docerent. Matth. 23. Imp. Carolo Magno. Papa Leone 3.

Claudius Clemens Scotus, Adalbertus Gallus, Samson Sidonius, Virgilius Hibernus. 810.

HI, auctore Balæo cent. 14. cap. 30, in multis restitêre Bonifacio, improbantes cœlibatum clericorum, reliquiarum & statuarum venerationes, & primatum Pontificis, depositiones Regum, iuramentorum violationes missas pro mortuis, terrores purgatorij: ac Clemens contra Bonifacium scripsit librum. Imp. & Papa vt sup.

Monachus impius parricida. 810.

ANno nono Cæsaris Nicephori, die quodam Martis, qui erat primus Octobris, Monachus quidam euaginato & stricto ense, magno cum impetu currens irruit Constantinopoli in palatium Cæsaris, occisurus eum: sed prohibetur, & occiditur ipse. Regino & Vrsperg. Imp. & Papa vt sup.

Vlma Ciuitas. 813.

PErsuaserunt Monachi Augiæ maioris, Carolo M. vt pro animæ suæ, ac parentum suorum salute, Vlmam Ciuitatem cum pertinentijs dono eis dederit: sed Monachi postea, iterum pecunia accepta (quiscunque animabus opem ferat) libertatem vrbi restituerunt. De quo extant literæ donationis, & Munsterus quoque refert. Imp. & Pap. vt sup.

Portentosa. 813.

HOc anno terribilis apparuit Cometa: Sol & Luna tetrâ caligine obducta splendorem suum, & faciem subtraxerunt mundo. Terra ingenti motu concussa, horrendum tremuit. Apex templi Moguntiæ fulminis tactu dissipatus: & pons ille trans Rhenum, à Carolo Imperatore sic extructus, vt perpetuò duraret, nullius pòst vnquam indigus refectionis, & munitionis, ignotâ subitò conflagrauit flammâ: quod docti sic sunt interpretati mysterium: hoc eodem modo quoque Papatum à Carolo recens constitutum, qui instar pontis & semitæ esse debebat ad regnum cœlorum, non perdurare posse, sed suo tempore tandem omninò periturum.

Meritum Sacerdotum.

Anno 814.

HI persuaserunt mundo, posse se (idque non gratis, vt acceperunt, sed mediante denario) merito suo apud Deum abolitionem omnium peccatorum, quamuis pergrandium, impetrare. Cuius rei exempla multa passim extant in historijs, & hoc opere. Et vnum refert Crantzius in Saxoniæ libro 2. cap. 20. Carolus inquit, ante mortem cum beato Ægidio (quem vt sanctum venerabatur) agebat, vt pro se Dominum deprecaretur. Fertur tenuisse peccatum, quod nemini pandebat. Sed sanctum oratione instituta impetrasse, vt schedam ab Angelo susciperet, in qua describeretur Imperatoris cælata culpa, cum abolitione impetrata. Id quale fuerit, etsi coniectura assequimur, silentio tamen tegere modestius est. Hinc versus:

Ægidij merito Caroli peccata remitto.

Carolus ex hoc Ecclesijs maxima dona contulit. Imp. & Pp. vt sup.

Rabanus de institutione Clericorum.

819.

SCripsit inter alia etiam prognosticon. Eius tempore frequentissimum fuit in Thebaide monasterium, in quo erant quingenti monachi, qui omnes vni abbati parebant: in quorum ordinem & consortium, si quisquam recipi cupiebat, eum oportebat priùs ad portam monasterij, decem continuos dies sese prosternere, ac intrantium, & exeuntium pedes sustinere: vt hoc pacto humilitatem suam comprobaret, essetque ad patientiam accommodatior. Imp. 79. Papa 97 Paschale 1.

Idem. Si vides sacerdotem ponentem manum suam in gremio mulieris, debes supponere, quòd benedicendi gratiâ ita faciat. Recitat id etiam Ioan. Huss de arguendo Clero.

Ex libro de Illustribus viris ordinis Cisterciensis.

820.

IN Saxonia monasterium est, fundatum à Cæsare Ludouico: in eo aliquando Abbas fuerat, qui quotidie annulos pretiosos gestabat. Cùm ergo quodam tempore mensæ accumbere vellet, detraxit digito annulum gemmis insignem, penes se seposuit, manus lauit, annulique inter confabulandum oblitus est. Sed in hypocausto coruum cicurem alebat, qui rostro annulum auferens in nidum suum deportauit, nemine animaduertente: cùm igitur mensæ repositæ essent, & Abbas annulum desideraret, quæri eum quàm diligentissimè iussit, sed non inuentus est. Tunc excandescens Abbas, quoniam coniux & famuli ipsi suspecti erant, pastoribus ciuitatis & diœceseos suæ iniunxit, vt eum, qui annulum istum abstulisset, diris deuouerent, quod illicò factum est. Tunc miser coruus adeò conscientiæ stimulis compunctus fuit, & licet non intellexerat, tamen execratio eum tantopere excarnificauit, vt exinde tabescere inciperet, maciem contraheret, omnem cibum auersaretur, nec ampliùs crocitaret: pennæ prætereà ei defluebant, & alis pendulis omnes facetias intermisit, & tam macer apparuit, vt omnes eius miserescerent: Elapsis autem paucis diebus, cùm de vicissitudine huius auis sermones fierent, quidam ex domesticis ioco ex improuiso dixit: Forsitan coruus fur ille est, qui Abbati annulum furatus est, & ventris profluuium ita eum discruciat? His auditis omnes obstupuerunt, & actutum Abbas perquiri in eius nido iussit, & inuentus est ibi annulus: Tunc Abbas sacerdotibus mandauit, vt rursus furem absoluerent, quo facto, coruus omnibus mirantibus propediem conualuit, & pristinam sanitatem recuperauit. His nugis excommunicationi Maiestatem conciliare nitebantur. Imp. Ludouico 1. Papa Paschale.

Luitpertus Episcopus Moguntinus.

820.

HIc Moguntinus Archiepiscopus scripsit Epistolam ad Ludouicum, sequentem. Domino pijssimo & amandissimo, atque in fide Catholica florentissimo, Regi Ludouico, Luitpertus, Archiepiscopus sanctæ Dei Ecclesiæ vernaculus, præsentem, & perpetuam in Domino salutem.

Tacendi vel deliberandi inducias non habeo, neque enim silere me causa permittit, quam si relinquo, apud Dominum nostrum Iesum Christum cuius interest, inexcusabilis ero, & vobis promissam humanitùs fidê temerâsse conuincor, quia si in specula, qua constitutus sum, videns periculum vobis imminens, desidiosa, vel infideli taciturnitate dissimulem: & Ecclesiæ Dei, cuius indignus curam pastoralem, ac solicitudinem suscepi, negligens effectus non indicem, mercenarius potius esse videbor, quàm pastor.

Quatitur namque grauiter, & dehonestatur primatus, & dignitas eius in sede sancti Petri,

eò quòd inaudita quadam & occulta persecutione non ab infidelibus, & Dominum nescientibus, sed ab eis (quod dolendum & plangendum est) qui duces & Rectores populi Dei esse debuerunt, injuriis appetitur, humana diuinis præferre conantibus: & necesse est, dolorem, qui constat in capite, nisi salubris & velox medicina succurrat, paulatim per membra diffundi.

Igitur quamuis nouerim, prudentiam vestram humanis admonitionibus non egere, quæ sincerissimam de gratia Spiritus sancti hausit doctrinam: mei tamen officij est, & acta patefacere, & agenda demonstrare. Scitis periculum populi Dei, quod terribiliter imminet: neque latere vos potest, quod vbique auditum, ipsa quoque (vt dicam) elementa tremiscunt, vt RECTORES, qui saluti infirmorum studere debuerant, relicto salutis tramite, eunt in præceps, & sequentibus scrobeam perditionis aperiunt. Vnde prudentiam vestram veritatis & justitiæ amatricem exhortor, vt secundum datam vobis diuinitus sapientiam, cum scientibus legem Dei, & iustitiam eius diligentibus tractare studeatis, quomodo remotis dissensionum scandalis, quæ zizaniorum sator subdola machinatione spargere nititur, pax Ecclesiis, & vnitas optata reddatur, & celeriter vigilantia profectus adhibeatur, ne vulneribus locum præbeat incauta securitas. Neque enim totum adhuc corpus Ecclesiæ læsum est, quanquam capite injuriis pulsato, membra quædam debilitata esse videantur. Et ideo cum illis, quæ sana esse constiterit, infirmantibus, si fortè medicinam suscipere patiuntur, succurrendum erit: alioquin amputanda erunt, secundum veri medici nostri præceptum, ne totum corpus eat in perditionem. Quapropter necessarium mihi videtur, & vtile, vt religiosus Princeps Carolus, frater vester legatis atque literis à vobis destinatis, super hoc negotio maturè conueniatur: vt tam ipse, quàm sacerdotes regni eius, qui hactenus ab huiusmodi sordibus mundi sunt, vobis & vestris Episcopis adiungantur, eandemque curam & solicitudinem vobiscum participent: quatenus, posteaquàm cum auxilio Dei, prosperè, & pacificè de itinere, quò ire disponitis, reuersi fueritis, pari consensu & communi studio, pacem & concordiam sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ orthodoxis dogmatibus, adjuuante Domino reformetis. Imp. 79. Ludouico. PP. 97. Paschale 1.

Joannes Zonaras monachus.

821

IEroboamus suam impietatem adeò non minuebat, vt etiam indies augeret, falsum illud Editorum locorum sacerdotium quibusvis precio venditans: quæ res noxia illi fuit imputata, & in familiæ eius perniciem, & interitum versit. Quòd si profanum illud sacerdotium addicere pecuniâ, nefas est habitum: quid de iis dicemus, qui verè diuinum illud sacerdotium, quo veneranda illa, & incruenta victima immolatur, precio vendunt, atque redimunt? Imp. & PP. vt suprà.

Idem. Iudex quidam Antiochenus, pridie quàm perijt Iulianus Apostata in Perside, juxta prætorium excubans, vidit congeriem stellarum sereno cœlo, literas in hanc sententiam exprimentium: Hodie Iulianus in Persia occiditur.

Idem. Cæterùm vnus ex Imperatoris Basilij filiis, Constantinus, patri præ cæteris charus, ex morbo obijt, cuius mortem grauiter ferens, omni consolatione repudiatâ, illum sibi viuentem offerri cupiebat. Fuit autem quidam monachus Theodorus, cognomento Santabarenus, Imperatori ob summam de ipsius virtute persuasionem, vt etiam miracula edere crederetur, familiaris, idemq; Metropoleos Euchaitarum antistes. Is igitur fertur Imperatori defunctum filium ostendisse viuentem, cùm effecisset, vt Constantinus equo insidens patri occurrere videretur, quem quum amplexus & deosculatus esset, non amplius videbat Imperator. Sed & aliis similibus factis Santabarenus Imperatorem in admirationem adducto effecerat, vt is totus ex ipso penderet, fidem ei haberet neque vllâ in re diffideret. Imperator igitur hoc modo erga Santaberanum affectus fuit. Sed Leo filius eius jam adultus, & Martinacij filiâ in vxorem ductâ, à Patre Imperator salutatus, Santabareno non delectabatur, sed eum veneficum appellabat, & præstigiatorem, ac Imperatoris deceptorem. His ille veluti spiculis quibusdam ictus, ad vltionem insurgit, simulataque erga Leonem beneuolentiâ: Cùm sis, inquit, adolescens, Imperator, & cùm patre veneris, atque equites: pugio etiam tibi ferendus est, quo & contra feram vtaris, & patri porrigas, cùm res tulerit, aut etiam insidiatores eius vlciscaris. Is dolo non animaduerso, pugionem, vt ille suaserat, in calceo fert. Eo pugione Santabarenus ad vltionem Leonis vsus, Imperator, inquit, filius tuus tibi insidiatur: indicio illud est, quòd in venatu pugionem occultum gerit. His auditis, venatum exit Basilius, Leo patrem comitatur, inuentus est pugio in calceo Leonis occultatus. Visus est vera dixisse delator. Rei defensio non admittitur, ardet iracundia pater contra filium: in quodam imperatorio cubiculo concludit, & vt quidam tradunt, ei oculos eruere in animo habebat, Santabareno ad id instigante: idque omninò futurum fuisse, nisi Patriarcha, & principes Senatus multis precibus imperatorem à sententiâ deduxissent. Ea ira durat, Leo in custodia tenetur: longum tempus intercedit: donec Cæsar quibusdam in conuiuio senatoribus adfuit, id quod veteri quadam consuetudine, certis temporibus fiebat. Erat autem in ijs ædibus, vbi conuiuium agitabatur, Psittacus in corte suspensus, qui, vt id genus auium ad imitationem procliue est, cùm quendam continenter Leonem deplorantem, & appellantem audisset, vocem imitatus subinde clamabat, O Leo, Leo. Ex eâ volucris voce conuiuæ accepta occasione pro Leone deprecandi, è conuiuio surrexerunt, & oppleti lachrymis dixerunt: Annon ista volucris nos accusabit, Imperator, cùm ipsa dominum suum ap-

pellet, nos autem potentiæ tuæ epulis fruentes, illius iam longo tempore inclusi obliuiscamur? Omitte iram Domine contra illum conceptam. Deme illi custodiam, placido eum, ac potius paterno vultu aspicito. His verbis irâ mitigatâ Imperator, cum filio in gratiam rediit, dignitate pristinâ restitutâ. Demum Leo vltus Santabarenum oculis exsculptis relegauit.

Ex eodem & aliis.

Circa tempus Imperatoris Phocæ, qui Bonifacio Papæ primatum obsecranti concessit, Sol defecit, & mulier quædam in Thraciâ infantem peperit sine oculis. Sed quid aliud hunc Solis, & oculorum defectum, quàm Romani Episcopi cæcitatem portendisse putas? Vixit anno 594. Gregorius Magnus, quo sanctiores Roma paucos habuit Episcopos. Hic statuit, eum, qui se Vniuersalem dici velit, certò Antichristum esse. Post hunc electus fuit anno 605. Sabinianus. Hic, cùm vrbs fame periclitaretur, rogatus, vt Gregorij pietatem, qui omnia Ecclesiæ superflua in pauperes distribuebat, imitaretur, negauit dicens: Gregorium Eleemosynis bona Ecclesiæ dissipasse. Sed ob impietatem post annum sublatus fuit.

Anno 607. Bonifacium tertium habuit successorem, qui neglecto, quod vix annis quatuor ante eum, Gregorius de Antichristo statuerat, magnis contentionibus ab Imperatore Phocâ titulum Vniuersalis impetrauit. Sed quomodo? Phocas proprium dominum suum, Imperatorem Mauritium excitatâ seditione in castris, cum vxore, liberis & propinquis occiderat: & ob hoc scelus totus Oriens, & Occidens eum Imperio indignum judicabat. Hac occasione arreptâ Papa, sub conditione, si se Vniuersalem statueret Imperium ei confirmauit. Sic mulus mulum scabebat. Alia etiam turpiter gesta si scire cupis huius Phocæ, stupris, sceleribus & flagitiis se confecit atrocissimis, Et cùm mundus tantam bestiam vlterius ferre non posset, conspiratione factâ, ab illis, quorum vxores per vim stuprauerat, genitalibus priuatus, capite, pedibus & manibus truncatus, vnà cum fratribus, & necessarijs omnibus occisus est, memorabili exemplo: quòd illi, qui Phocam erexerant, plerique intra annum (inter quos etiam fuit Bonifacius 3. Papa) & tragicè quidem interierint. Viderint illi, qui à tali maledicto homine erecti sunt, & initium suum ceperunt. Et hoc loco notandum quoq; maximè est: monacho cuidam expostulanti cum Deo, quòd tam nefarium Imperatorem dedisset, diuinitus responsum fuisse, deteriorem inueniri non potuisse: hanc enim esse pœnam peccatis debitam.

Vides igitur lector, cuius sit vicarius Papa, & à quo initium suum traxerit, quamque legem de ipso Gregorius Magnus (vnus de principalioribus) Papa tulerit, ita vt de Antichristi aduentu anxiè inquirere amplius tibi non sit opus.

823 *Annales rerum gestarum à Ludouico conscripti à quodam eius historico, & Astronomo.*

Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in quibus præcipua fuerunt in Aquensi palatio terræmotus, & in territorio Tullensi, iuxta villam Commerciacum, puella quædam annorum ferè 12. ab omni cibo per 10 menses abstinens. Et in Saxonia, in pago, qui qui vocatur Frilisasij, 23 villæ cœlesti igne concrematæ: & fulgura sereno atque interdiu de cœlo cadentia, & in multis regionibus fruges grandinis vastatione deletæ, atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine veri lapides, ijque ingentis ponderis, decidere visi. Domus quoque de cœlo tactæ, hominesq; ac cætera animalia passim fulminum ictu, præter solitum crebrò exanimata dicuntur. Secuta est ingens hominum pestilentia atque mortalitas, quæ per totam Franciam immaniter vsquequaque grassata est, & innumeram hominum multitudinem diuersi sexus & ætatis grauissimè sæuiendo, consumsit. Imp. 79 Ludouico pio. PP. 97 Paschale 1.

Ibidem. Contigit eo tempore insolitum deliquium Solis tertio die Litaniæ maioris. In tantum enim lucis recessu tenebræ præualuerunt, vt nihil à vera nocte differre videretur. Stellarum namque ratus ordo ita cernebatur, vt nullum sydus hebetudinem solaris lucis pateretur, quin potius Luna, quæ se ei aduersam præbuerat, paulatim Orientem petendo, primò corniculatim illi lumen à parte Occidentali restituebat, non aliter, quàm cùm ipsa prima, vel secunda cernitur, & sic per augmenta integram lucem totum solare corpus recipiebat. Quod prodigium licet naturæ adscribatur, tamen lamentabilis exitus, quid portenderet, docuit. Denunciabat enim fore, vt breui illud maximum lumen mortalium, quod in domo Dei positum super candelabrum omnibus lucebat, piissimæ recordationis Imperator rebus humanis subtraheretur, & mundus eius abscessu, in tenebris tribulationum relinqueretur. Cæpit namque ab eo tempore fastidio tabescere, & nauseanti stomacho cibum potumque interdicere, crebris suspiriis vrgeri, singultibus quati, atque omninò viribus destitui: Natura enim suis deserta comitibus, necesse est victa fatiscat. Quod cernens iussit sibi parari habitacula æstiua expeditionalia in insulâ quadam contiguâ Moguntiacæ ciuitati, ibiq; viribus defessus lectulo sese committit. Verùm quis eius explicet curas pro Ecclesiæ, ac Reipublicæ perturbatione & concussione, quam futuram iam oculis cernebat? Non enim se recessurum dolebat, sed quod futurum nouerat gemebat dicens se miserum, cuius extrema talibus clauderentur miseriis. Aderant autem ei venerabiles Antistites Henricus Treuerorum, & Otgarius Moguntiæ Archiepiscopus, & Drogo frater Imperatoris, Metensis Episcopus, nec non sacri palatij Archicapellanus, quem quantò propinquiorem sibi nouerat, tantò ei famili-

familiarius sua omnia, & semetipsum credebat. Te eum namque Deo quotidie confessionis suæ munus, sacrificiumque Spiritus contribulati, & cordis humiliati, quod ille non despicit, offerebat. Cibus eius erat per 40. dies exiguus, laudante eò iustitiam Dei, & dicente: Iustus es Domine, vt quia quadragesimæ tempus non ieiunans exegi, saltem coactus hoc tibi ieiunium exoluam. Iussit autem fratrem suum Drogonem, ministros cameræ suæ vocare, qui rem familiarem, quæ in ornamentis regalibus, coronis, & armis, vasis, libris, vestibusque sacerdotalibus constabat, singulatim describerent, & prout sibi visum fuit, quid Ecclesiis, quid pauperibus, postea quid filiis Lothario, & Carolo largiri vellet, notarent: Lothario coronam, ensem, Euangelium auro gemmisque redimitum, eà lege habendum misit, vt fidem Carolo, & Iudith seruaret, & portionem regni, quam Deo teste & proceribus palatij ille secum largitus ei fuerat, totam relinqueret, & tueretur. Cumque antistes Drogo, & cæteri pontifices, in cunctis quæ agebantur, Deum celebrarent, eique pro singulari Imperatoris tolerantià, & pietate gratias agerent, eaque de re sibi inuicem gratularentur: tamen vnum erat, quod gaudium illorum imminuebat. Verebantur enim, ne fortè filio Ludouico implacabilis esset, scientes quòd vulnus frequenter incisum, aut cauterio adustum, acerbiorem vulneratis dolorem adferre solet. Benè tamen de eius inuictâ patientiâ, quâ semper usus erat, sperantes, per Drogonem fratrem, cuius monitiones ille spernere non solebat, animum illius leniter tentant: ibi primùm quidē amaritudinē animi monstrauit: at parum per deliberans & viribus quantuliscumque collectis, enumerare conabatur, quot & quantis ab eo affectus sit incommodis, & quid contra naturam, & Domini præceptum agendo commeruerit. Sed quia ipse inquit, ad me venire satisfacturus nequit, ego quod meum est ago, vobis testibus, & Deo, omnia quæ in me peccauit, illi remitto: vestrûm autem erit illum admonere, vt si ego illi totiens perperam gesta indulsi, ille etiam sui non obliuiscatur, qui canos paternos deduxit cum dolore ad mortem, & in talibus communis patris Dei præcepta, & minas contemsit. His dictis, tota illâ nocte omnis virtutis corporeæ inops fuit, solius sobrietatis animi compos. Altero die, quæ erat dominica, iussit Drogonem communionem sacram sibi tradere, & deinde cuiusdam potiunculæ calidulæ haustum sibi præberi, quo paululum gustato, fratrem, aliosque astantes cibum sumere voluit. Instante autem migrationis articulo Drogonem iunctis pollicum digitis (hoc enim facere consueuerat, si quando ipsum nutu vocabat) accersit, ipsique & reliquis venientibus, verbis quibus potuit, & nutu se commendauit, benedici petiuit, & quæ solent agi in egressu animæ fieri postulauit, quibus id agentibus facie in sinistram partem conuersa (id quod mihi plures retulerunt) indignando quodammodo, quantis potuit viribus bis dixit: hors, hors, quod foràs significat. Quà de causa creditum est, ipsum malignum spiritum vidisse, cuius societatem nec viuus, nec moriens habere voluit: sed eleuatis ad cœlum oculis, quantò hic minacius intuebatur, tantò ille alacrius intendebat, ita vt nihil à ridente differre videretur. Eo igitur modo vitæ præsentis terminum sortitus, ad requiem fœliciter, vt credimus, commigrauit. Verè enim dictum est, eum non posse malè mori, qui benè vixerit.

Decessit autem 12 calend. Iulij, anno ætatis suæ 64. Aquitaniæ præfuit annis 37. Imperio. 27. Mortuum verò corpus Drogo frater, Episcopus Metensis, cum alijs Episcopis, abbatibus, comitibus, Vasallis Domini, tam cleri, quàm populi frequentiâ, magnoque populi honore Metim transportari fecit, & in Basilica S. Arnulfi, quâ mater eius condita erat, honorificentissimè sepeliuit.

Concilia quoque iussu eius, super statu ecclesiarum corrigendo, per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt. Quorum vnum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Catalauni, quintum Arelati congregatum est: & constitutionum, quæ in singulis factæ sunt, collatio coram Imperatore in illo conuentu, habita. Quas qui nosse voluerit, in suprà dictis ciuitatibus inuenire poterit: quanquam & in archiuo palatij exemplaria illarum habeantur.

Ibidem. Anno 839 circa festum Paschatis, dirum semper ac triste portentum, cometa in signo virginis apparuit, in ea parte, qua pedes eius caudam serpentis, coruumque contingunt: quod cùm non more errantium septem Syderum, Orientem versus peteret, per 25. dies (mirum dictu) & Leonis & Cancri, nec non Geminorum transiens signa, tandem in capite Tauri, sub aurigæ pedes, igneum globum, vibrarumque prolixitatem, quas usquequaque porrexerat, deposuit, quod cùm Imperator talium studiosissimus primus, vt tunc constitit, conspexisset, antequàm quieti se daret, me qui hæc scripsi, & qui tunc huius rei scientiam habere credebar, accitum percontari studuit, quid de hoc cometa mihi videretur? Ego autem cùm peterem tempus, quò faciem syderis considerarem, ac ita rei veritatem inuestigarem, & cognitam in crastinum nunciarem, Imperator quod verum erat, ratus, tempus me redimere velle, ne cogerer aliquid triste respondere, perge, inquit, in mœnia huic domui contigua, & nobis, quæ perspexeris, nuncia: Noui enim, à me hanc stellam præteritâ vesperâ nequaquam visam, vel à te monstratam, sed scio hoc signum cometarum esse, de quibus præteritis diebus locuti sumus: quid autem portendere tibi videatur, edicito: cumque aliqua dixissem, & nonnulla reticuissem: vnum est, inquit, quod adhuc silentio premis: immutationem enim regni, mortemque principis hoc monstrari portento dicunt. Cumque ego testimonium Prophetæ in medium protulissem, quo dicitur, à signis cœli quæ pauent gentes, metuendum non esse, ille solitâ vsus magnanimitate & prudentiâ, non alium, inquit, timere debemus præter illum, qui huius monstri, & syderis creator est: sed eius clemen-

tiam non satis laudare, atque mirari possumus, qui nostram inertiam, cùm simus peccatores, & impœnitentes, talibus admonere dignatur indiciis. Quia ergò & me, & communiter omnes tangit hoc ostentum, omnes pro posse, & sapere meliorari festinemus, ne fortè misericordiam illo prorogante, duritie nostra impediente, nos illa inueniamur indigni. His dictis paulisper mero indulsit, & omnibus id facere iussit, noctemque illam, vt relatum nobis est, penè peruigilem, & Dei laudibus, & obseruationibus traduxit. Sub diluculum manè ministros aulicos vocauit, & eleemosynas largissimè pauperibus, ac seruis Dei, tam monachis, quàm canonicis porrigi, eosque precibus orationibusque diuinis diligenter vacare iussit. Quibus peractis ad constitutam venationem in Arduennam proficiscitur, quæ, vt dicebant, vltra solitum prosperrimè ei cessit. Omnia namq; quæ illi placebant, prospero euentu occurrerunt. Præterea insistente Augustâ & ministris palatinis, quandam partem Imperij filio suo Carolo Aquis tradidit. Sed quia hæc donatio effectum sortita non est, à nobis quoque silentio premitur. Quam rem cùm alij fratres ægrè tulissent, mutuum inière colloquium, sed nihil quod contradicerent inuenientes, remque totam dissimulantes, motum patris, qui ex hoc accidisse videbatur, facilimè composuêre.

Ibidem de Carolo Magno. Romæ Stephano Papa defuncto, Adrianus in pontificatum successit. Rex verò Carolus congregato apud VVormatiam generali conuentu, Saxoniam bello aggredi statuit: eamque sine morâ ingressus, ferro & igne cuncta depopulatus, Eresburgum castrum cepit, Idolumque quod Ieminsula Saxonibus vocabatur, euertit. In cuius destructione, cùm in eodem loco per triduum moraretur, contigit, vt propter continuam cœli serenitatem exsiccatis omnibus illius loci riuis ac fontibus, aqua ad bibendū inueniri non posset. Sed ne diutius siti confectus laboraret exercitus, diuinitùs factum creditur, vt quadam die, cùm iuxta morem, tempore meridiano cuncti quiescerent prope montem, qui castris erat contiguus, tanta vis aquarum in concauitate cuiusdam torrentis eruperit, vt exercitui cuncto sufficeret. Tunc Rex idolo destructo, ad VViseram fluuium accessit, ibique à Saxonibus obsides 12. accepit. Inde in Franciam reuersus, in villâ Haistallio & Natalem Domini, & sanctum Pascha celebrauit.

Eugenius 2 Papa 98.

824 SVb hoc Pontifice Lotharius Imperator magistratum ordinauit, qui populo Romano jus dixit. Imperatore vt suprà.

Stupendum.

824



ANno salutiferi Virginis partus 824 Popielus secundus, patri in Poloniæ regno succedens à moribus eius, & vita libidinosa minimè degenerauit: postpositisque negotiis Reipublicæ, vanis ociis, choreisque, & deliciis domesticis indulsit. Insuper non ille, sed vxor eius, quam insano amore prosequebatur, pro sui peruerso arbitrio imperabat. Quapropter Magnates & equites regni, eum vt hominem nihili, Sardanapalum Poloniæ appellantes spreuerunt. Popielus verò re considerata, veritus, ne Poloni aliquem ex patruis suis in locum substituerent: vxoris astuto consilio infirmitatem simulauit: Patruosque omnes, qui viginti numero erant, Principes Pomeraniæ accersiuit, & decumbens in lecto, obnixè ab eis rogauit, vt vnum filium suum ex duobus, Regno, se decedente, præficerent: quod libenter Patrui se facturos spoponderunt, si magnates regni consenserint, Regina verò interea poculum cum veneno mixtum adornauit, & vnicuique bibendum pro sanitate Regis obtulit. Egressi illi à Rege maxima corrosione ex veneno hausto excruciati omnes pariter expirauerunt. Regina autem cum lætitia dixit: Deum in eos, quòd malum Regi Domino suo machinati fuerint, justè animaduertisse. Ideò cadauera eorum inhumata quasi perfidorum, in lacum Goplo, Reginæ jussu, projecta sunt. Statimque Deus justus vindex, & vltor nefandi homicidij (cùm sæpenumerò optasset in vita, vt à muribus deuoraretur) murium vim numerosam, dictuque horrendam, ex illis cadaueribus mira quadã metamorphosi, excitauit, qui Regem illum in arce lautè conuiuantem, mero madentem, sertis coronatum, vnguentis delibutum, crapula & luxu resolutũ, vxoréq; & filios eius, cum terribili strepitu

vndique inuaserunt: & neque armis, neque igne, se arceri passi sunt. Ingenti enim magnitudine tyrannum & consortem eius,& filios, rabidis morsibus insiluêre, militum caterua nequaquam abigente, quoniam humano suffragio fatigato, mures infatigati perseuerabant die noctuque. Extruunt ardentes focos,& in medio eorum locantur Popielus, coniunx & filii: illuc auté & mures per flammas transeuntes, parricidam rodere non cessabant. Ad aliud tandem elementum ventum est. In nauibus abducitur occisor patruorum Rex Popielus cum suis in stagni altitudinem, metu inauditi, insitatiq; periculi perturbatus, profugiturus in arcem, quæ est huc usq; in lacu Goplo iuxta Grusphiciam oppidum: attamen mures adhuc plures terram & aquas cooperientes incessanter secuti abductos & naues cum horridis sibilis persequebantur,& corrodebant, in tantum, vt aqua perforatis rimis ingressa submersionem minaretur, ideò nautæ videntes, & timentes præsens præ oculis exitium præfocationis, ab aquis deduxerunt nauem in littus: sed inde alia caterua murium occurrens iuncta prioribus, acrius illos infestabat. His visis defensores diuinam vltionem cognoscentes, ocyus omnes aufugerunt: Popielus autem protectoribus nudatus, cum suis recepit se in turrim altiorem, & natura loci munitam, & aquis opportunè vndique circumfluam in Grusuicza, sed & ibi mures rabido cursu ascendentes consumserunt, & vorauerunt duos filios, vxorem, & ipsum facinorosum Popielum, vt ne monimentum quidem eorum relictum fuerit præter corrosas cartilagines & ossa. Ecce non est potestas, aut consilium contra Dominum, minuta animalia, & imbelles mures Popielum miserabiliter consumserunt, quemadmodum pediculi, vermes minutiores ac mures Arnolphum Imperatorem, pulpa, carnibus, & visceribus exesis, medicis nec quicquam proficientibus, ad internecionem vsque perduxerunt. Guagninus, Lyco.& alij. Imperatore 79. Lud. 1. PP. 97. Paschale 1.

De Paparum cum Imperatoribus concordia. Imp. 79. 827
Ludouico pio. PP. 99. Gregorio 4.

NOtabit hîc obiter lector, Simonem Schardium I. C. Imp. Cameræ Assessorem, has & quæ postea debito ordinis & temporis sequentur loco, Paparum cum Imperatoribus, quas in titulo Concordias, in præfatione verò perfidias ac Tyrannides vocat, varijs ex historicis (proprijs nominibus sub finem semper narrationis adscriptis) conscriptas peculiari libello comprehensas, & in lucem editas, à me autem hîc repetitas fuisse: & proinde hîc vt & alibi nonnunquam in hoc opere, accidisse, vt eadem historia interdum bis, sed tamen sub diuersorum authorum nomine sit recitata: quod Lector ad pleniorem informationem historiarũ factum fuisse intelligat, boniq; consulat.

Ludouicus patri Carolo suffectus, vt libri Pontificij memorant, summo Pontifici, eiusque successoribus Romanam ciuitatem cum ducatu suo, insigni liberalitate concesit: ac iura Ecclesiæ & dignitatem constanter, etiam ad superstitionis vsque notam, tutatus est. Non tamen vel patris, vel filij, Virtutis ac meritorum recordatio tanta fuit, vt Gregorij IIII. Pontificis improbas machinationes contra Ludouicum reprimeret. Nam bello à filiis contra patrem moto, ipse non (quod Pontificis Apostolici fuisset) dissensionem amouit, sed à Ludouico in castra filiorum, pro concordia sarcienda missus ea conditione, vt rediret: Ludouico relicto, in castris filiorum mansit, ac veri apostatæ instar patricidialem dissensionem iuuit, ac fouit: ita vt pater comprehensus, ac arctissimæ custodiæ mancipatus, in monasterium Suessione vnà cum filio iuniore sit detrusus. O insignem filiorum in optimum parentem: O detestandam Pontificis in pientissimum Imperatorem ingratitudinem, pari perfidia ac scelere coniunctam. Licet autem Imperium apud posteros Ludouici, aliquot deinde annos manserit: minus tamen Pontificum improbitas in ipsos, quàm progenitorem Ludouicum, sese exeruit: quòd in hoc vnicum intenti essent, vt potestate, quam Imperatores in ipsis confirmandis habebant, excussa, facilius eos demum pedibus contererent. Atque id quidem longo tempore parturierunt, donec fœtum editum anno 895 in lucem protulêre. Nam eo tempore, Carolo Crasso Imperatore ex Italia discedente, vt contra Normannos, qui tum Gallias inuaserant, arma moueret: Hadrianus tertius hac opportunitate illectus, initio pontificatus sui statim ad Senatum populumq; retulit, ne in creando pontifice, Imperatoris autoritas expectaretur, sed Romæ libera semper essent cleri & populi suffragia: hoc decreto Imperatoribus ius omne, quod in pontificem atque vrbem Romanam habuêre, adimens, & successoribus suis maiora attentandi viam commonstrans. Ac quidem exinde deficiente Caroli Magni posteritate, quæ centum & aliquot annos felicissimè Imperium administrauit, ac ipsis pontificibus de cathedra pestilentiæ horribili rabie inter sese decertantibus, ac se inuicem cædibus, veneficiis, omniumq; scelerum genere excutientibus, machinationes ipsorum in Imperatores conquieuêre, donec sub Othone primo, rege Germaniæ, improbitatis suæ reiterandæ explicandæq; occasionem recepêre. Schardius ex Annonio in hist. Regum Galliæ, Ioanne Mario Belga de Schismatibus,& Concilijs part. 2. cap. 4. Platina,& alijs.

VValafridus Abbas. 830

CAp. 4. cùm de Ecclesiæ forma differit, dicit, veteres non admodum solicitos fuisse, in quam partem vel templum, vel altaria essent conuersa, quòd vbique Deum esse scirent: sed recentiores tantùm ad Orientem couertisse. Cap. 5. de Campanis differens, dicit esse nouum inuentum,

& olim non adeò necessarium, quod tunc non ita crebrò ad templa concursârint, nec (vt ipse loquitur) tam multiplex apud eos conuentuum assiduitas fuerit, sicut modò: scilicet dum jam ad matutina, jam ad Missas, jam ad horas concurritur: sed tantùm statutis quibusdam temporibus ad conciones conuenerint, quæ eis etiam sine campanis satis nota fuerunt. Cap. 7. ostendit, adhuc suo tempore apud quasdam Scythicas gentes, præcipuè Thomitanos sacra Christiana vulgari Germanico sermone peragi solita. Audio, etiam hodie Germanos ibi habitare. Cap. 8. de imaginibus differens, docet, nec colendas aut adorandas, nec abijciendas esse. Cap. 12. de oratione differens dicit, eam esse debere breuem, puram, ardentem, & non in multiloquio consistere: non clamosam: taxat tusionem pectoris & oris, taxat & melodiam nimiam, idque de Augustini sententia ex lib. Confess. Cap. 14. de extructione templorum agens, dicit, videndum esse, vt ex justè partis extruantur, idque moderatè: & multùm inculcat, longè satius esse pauperibus subuenire, quàm parietes templorum ornare. Citat quoque exemplum Gregorij, quem dicit non in templorum extructione & exornatione, vt alios Papas, laborâsse, sed in doctrina & eleemosynis. Cap. 19. taxat agni paschalis benedictionem, dicitque esse Iudaicam superstitionem. Cap. 20. 21. & 23. ostendit, veteres raras (vt vocant) missas solitos facere.

Alios enim tantùm semel in anno, alios singulis dominicis diebus aut Sabbathis semel liturgiam celebrâsse: idque non tantùm in Oriente, sed etiam in Occidente: deinde posteros majora Festa, quin & minora Sanctorum adiecisse. Cap. 23. de auctoribus partium Missæ agens, primùm dicit, Apostolos, eorumque, successores, Missam solummodò cum Dominica oratione, & verbis Cænæ, vt adhuc in parasceve fit, peregisse: non habuisse eos canonem, nec solitos eos dicere, offero, sacrifico pro viuis & mortuis. Ait etiam, hodie quoque talem Missam tantùm recitandis cænæ verbis, sufficere posse. Deinde affirmat, multos apud Græcos & Latinos, varias sibi missarum formas pro libitu composuisse. Cap 25. inquit: Bonifacius martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere? respondit: Quondam aurei sacerdotes ligneis calicibus vtebantur, nunc contrà lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Caput 26. de horis canonicis agit, & aliquoties repetit, longo tempore post Apostolos eas compositas, institutasque esse. Cat. Imp. 79. Ludouico primo. PP. 99. Greg. 4.

830

Joannes Turpinus Archiepiscopus Remensis.

APud Burdegalam in Ecclesia & cœmiterio S. Seruini Rolandus, Satferus Rex Burdegalensis, Engelerus Dux Aquitaniæ, Lambertus princeps Bituricensis, Gallerus, Galinus Rainaldus de alba Spina, Galterius de Thermis, VVillerinus Bego, cum quinque millibus aliorum, Oellus comes apud Nantas vrbem suam, cum alijs multis Brittannis sepelitur. His itaque viris sepulturæ traditis, ac pro animarum eorum salute duodecim millibus vncijs argenteis totidemque talentis aureis, vestibusque & cibarijs, à Carolo instar Machabæi datis egenis, totam quoque terram, quæ circa basilicam sancti Romani Blauiens. milliariorum aliquot spacio porrigitur, totumque oppidum Blauiense cum cunctis quæ sibi pertinent, & etiam mare, quod sub eo est, vsibus eiusdem Ecclesiæ in allodio amore Rolandi dedit, & præcepit canonicis eiusdem loci, ne alicui personæ humanæ seruitutis officia amplius exhiberent, sed solummodò pro salute animæ nepotis sui, sociorumque eius, die passionis eorundem, annuatim triginta pauperes cunctis vestibus necessarijs induerent, cibarijsque reficerent, & triginta Psalteria, totidemque missas, cum vigilijs, cæterisque plenarijs defunctorum obsequijs in commemorationem eorum annuatim, non solùm pro his, verùm etiam pro omnibus, qui in Hispania martyrium pro diuino amore vel acceperant, vel accepturi forent, diligenter canonici, scilicet præsentes & futuri, celebrarent, quatenus ipsorum coronæ in cœlestibus participes fieri mererentur: quod illi sub pacto iuris jurandi faciendum promiserunt. Imp. & PP. vt suprà.

Idem. Cùm Mahumetanus Gigas cum Rolando Caroli Magni propinquo, post pugnam de fide disputâsset, inquit Gigas: tali igitur pacto tecum iterum pugnabo, quòd si vera est hæc fides quam asseris, ego victus sim, & si mendax, tu victus sis: fiat inquit Rolandus. Et idcirco bellum ex vtroque corroboratur. Rolandus igitur cœpit implorare auxilium filij Mariæ virginis, (non ipsam) & etiam Deum suum Gigas, dicens: Mahumet, Mahumet, Deus meus, succurre mihi. Sed victus occubuit, Rolando superstite.

Idem. Nocte proxima Regi dormienti beatus Dionysius apparuit, eumque excitauit dicens: illis, qui tua admonitione, & exemplo tuæ probitatis animati, in bellis Saracenorum mortui, & morituri sunt, delictorum suorum omnium veniam, & illos qui nummos ad ædificandam Ecclesiam meam dant, & daturi sunt, grauioris sui vulneris medicamina apud Deum impetraui. His à Rege relatis, populi nummos saluberrimæ promissionis deuotissimè offerebant, & qui libentius reddebat, Francus sancti Dionysij vbique vocabatur, quo modo liber à seruitute, Rege præcipiente, erat. Hinc mos surrexit, vt terra illa, quæ antea vocabatur Gallia, tunc Francia vocaretur, id est, ab omni seruitute aliarum gentium libera. Quapropter Francus liber dicitur, quia super omnes gentes alias dominatio & decus illi debetur. Tunc Carolus Rex Aquis granum versus Leodio perrexit, & balnea aqua calidâ & frigidâ in eadem villa parauit, beatæq; Mariæ basilicam, quam ibi ædificauerat, auro & argento, cunctisque ornatibus ecclesiasticis decenter adornauit, veterisque & nouæ le-

gis historiis eam depingi iussit, & palatium similiter, quod ipse iuxtà ædificauerat. Bella etiam quæ ipse in Hispania deuicit, & septem liberales artes inter cætera, miro modo in ea depicta sunt.

Aimonus siue Annonius monachus. 834

BEatissimus Papa Gregorius compertus, quòd Phocas potiretur Imperio, ad eum, siue ad eius Augustam Leuntiam direxit epistolam, verbis gratulationis refertam. Hæc Aimonus. Quod multi mirantur: cur parricidæ tantopere de imperio sit gratulatus: & aliquid subesse augurantur. Gregorio enim mortuo, Bonifacium successorem à Phoca petijsse & impetrâsse, vt sedem Romanæ Ecclesiæ, caput omnium Ecclesiarum statueret (quia Constantinopolitana sese omnium primam scribebat) scribit idem Aimonus. Vbi annotabis virtutem verborum, Statueret & Impetrâsse.

Idem. Habebat Imperator Carolomannus Iudæum Medicum Sedechiam, à quo cùm medicamen contra febrim peteret, puluerem ille venenatum præbuit, quo obijt.

Idem. Habes apud Aimonum notabile Regis Clodouæi dictum. Baptisandus enim, cùm S. Remigius Remensis Episcopus verba Dominicæ passionis, & Iudæorum in Christum perfidiam recitasset, feruenti zelo dixisse fertur: Si ego cum Francis meis inibi affuissem, eius iniurias vindicassem.

Vesperæ Boiarianæ.

APud eundem Aimonum habes quoque vesperas Boiarianas, similes illis Sicilianis, & Parisiensibus: de quibus suo loco. Cùm enim inter Bulgaros & Auaros de Regni successione, vtri ex illis succedere deberent, esset disceptatio, prælio victi Bulgari, & eiecti, Dagobertum Regem rogant, vt sibi locum ad habitandũ vacuum concederet: ille hyematum eos in Bojariam dirigit, donec de loco alio deliberaret. Quibus sic ibi hospitantibus, Rex cum Bojariis consilio capto, conuênit, vt vnusquisque eum, qui apud se hospitaretur, cum conjuge & liberis contrucidaret: quod factum est, & vnâ nocte signo dato, omnes necati sunt. Væ Dagoberte tibi Christi visure tribunal?

Terribilia. 840



APud VVirtzburgum, caput antiquæ Franciç, vicies terra tremuit: grandine, turbine, insolitâ cœli intemperie, homines, pecudes, & agri afflicti sunt. Templum Diui Kiliani nonis Iunii, defunctæ lucis salutationibus horam nonam nunciantibus, atque perstrepentibus sacerdotibus, subitò fulmine afflatum est, ignisque laquearia lambens, & sensim inualescens, fenestram plerisque euadendi aperuit: Sacerdotes tamen quidam in ueste (quod mysterio non caret) illæsâ extincti sunt. Cæterùm ædes, vix seruatis ablatisque sacris, igni concremata est. Muros deinde sexto Idus eiusdem mensis, ventus euertit, & solo æquauit. Lyco.

Eutropius Presbyter. 840

CVm Iulianus Constantinopoli sacrificaret, accessit ad eum Mares Episcopus Chalcedonens. & publicè eum impium ac sine Deo, Apostatamque vocauit. Ille verò solam ei improperasse fertur cæcitatem: erat enim senex, & propter imbecillitatem oculorum, manu alterius agebatur. Super hæc etiam volens lacerare eum, dixit: Neque Galilæus Deus tuus curare te poterit. Respondet verò Mares: Ego quidem Deo meo gratias ago pro cæcitate: quia hoc ideo gestum est in me, ne videam te pietate nudatum. Vt suprà.

Strabus Monachus Fuldensis: 840

FVit hic vir doctissimus, scripsit, vt etiam Burgensis, in Biblia commentarios, quos apparet Lyram fuisse in multis secutum. Scripsit præterea tractatum de officiis Ecclesiæ.

Sergius secundus, Os Porci dictus, Papa 100.

843 HIc Os Porci priùs dictus, primus fuit, qui nomen Christo datum in Baptismo propriâ voluntate abnegauit. Hunc alij sequentes manifestè Baptismi gratiam respuerunt: honorificentius æstimantes nomen in vnctione (ab hominibus excogitatum) suscepisse, quàm quod in Baptismo, Christi Domini institutione, acceperunt. Sed manifesta nota eius Antichristi hæc est, qui duodecimo anno pòst, se manifestauit, & peperit, ita namque fieri oportuit. Funccius. Imp. 80 Lothario. PP. vt suprà.

Leo IIII. Papa 101.

846 HIc Papa præ alijs honorauit Cæsarem, 2. q. 7. Can. Nos si quid &c: leges Cæsareas coluit, agnouitque, omnem animam tam clericorum, quàm aliorum superiori Magistratui debere esse subiectam: & testabatur eos esse mendaces, qui contrarium sentirent. Imp, vt sup. PP. 101. Leone 4.

Godescalcus presbyter Moguntinensis.

848 HIc ex monachorum ac sacerdotum vitijs & nequitijs, prædixit ex 24. Matth: capite, instare iudicij diem. In vitâ Rabani Mauri. Imp. Lothario. PP. 101. Leone 4.

Jo. Xiphilinus.

850 NIgidius Figulus senator, statim Augusto prædixit Imperium. Nouerat enim supra omnes homines suæ ætatis, totius cæli ordinem & cursum, tenebat stellarum vim atque differentiam, quid ipsæ aut per se, aut cum alijs coniunctæ possint & efficiant. Quorum etiam studiorum causa culpatus est, quasi magicis artibus vteretur. Et videns aliquando ex sua arte, Octauium serius propter partum vxoris in curiam venientem (nam tunc fortè senatus erat) statim exclamauit: Nobis Octaui Dominum genuisti: Deinde ea re perculsum Octauium, atque idcirco puerulum necare volentem prohibuit: Nam vt hoc modo filius tuus, inquiens, moriatur, fieri certè nullo modo potest. Imp. 80. Lotth. PP. 101. Leone 4.

Prodigiosa fames.

851 HOc anno Christi, vniuersam Germaniam tanta fames corripuit, vt inediâ plurimi enecati passim strati per vias reperti fuerint. Annal. VVirtemb. Imp. & PP. vt sup.

IOANNES OCTAVVS PAPA 102.

Extat liber de quo postea, cuius titulus est, Puerperium Iohannis Papæ 8. cum imagine sequenti.

854



HVc vsq; præterquàm superius apud Sibyllas in nostro opere, quod & postmodum fiet, quemlibet authorem secundum seriem anni, suo in loco reposuimus: Sed cùm Pontificij quidam Ioannem octauum Papam, fuisse fœminam, pernegent, necessitas postulat, vt in huius rei certitudinem & euidentiam veritatis, omnes qui hoc perhibent, contrahantur, quò sole meridiano clariùs elucescat, verè sic se habere, & nihil subesse figmenti.

Episcopi Germaniæ ad Ioan: 8. mulierem Papam.

IOannes Papa octauus, qui sedit circa annum Domini 854. accepta pecunia, missisque legatis Morauos à jurisdictione Laureacensis Episcopi exemit, ob quam causam & supplicant & admo-

nent

nent eum sui officij Episcopi Germaniæ, quæ eorum epistola recitatur ab Illyrico in Cat. test. & concluditur sequentibus verbis:

Alme pater mundi, dignus prænomine Petri,
Nomine quem sequeris, vtinam virtute sequaris.
Sisq; tuis famulis protector verus, & ipsos
Commendes Domino, cælo qui præsidet alto.

Imp. 80 Lottario. PP. vt suprà.

Ioannes 8 PP. 102.

Hic Imperatorem Ludouicum coronauit, eiq; Edelvvolffus Anglus regnum suum, non sine singulari mysterio, & indicio Antichristi, subiecit, de quo infrà.

Schola Romæ Græca.

PErhibent historici, fuisse Romæ scholam Græcis deputatam: inque eâ olim lectas 7 artes liberales, & præcipuè Rhetoricam. In illa etiam quandoque legisse beatum Augustinum, & Ioannem de Angliâ, sexu mulierem, natione Moguntinam: & studuisse Athenis sub virili habitu, actantum profecisse in literis, vt tandem Romam veniens, & per biennium in eadem scholâ artes humaniores legens, illarum adeò perita & sufficiens reperta fuerit, vt etiam maiores & nobiliores vrbis, eius lectiones frequenter auscultauerint. Et postea in Papam à Romanis concorditer electam Papatum biennio amplius tenuisse: sed tunc diutius ocio & delicijs vacantem, non potuisse se continere, vt prius fecerat, dum ardenter in paupertate posita literarum studio insisteret. Vnde cùm quadam die in Rogationibus cum clero Romano (sicut tunc moris erat) in solenni processione incederet papalibus ornata diuitiis, edidit filium suum primogenitum, ex quodam suo cubiculario conceptum, prope templum Pacis in vrbe, vt adhuc vetus statua marmorea illic posita figuratiuè monstrat, vnde Pontifices dum ad Lateranensede basilica principis Apostolorum, & econtrà vadunt, illud rectum iter non faciunt: immò per alias vias per indirectum transeunt, illud aliquantulum prolongando. Anno 854. Ex veteri fragmento.

Rudolphus Flauiacensis monachus.

HIstoriam Io. 8. primus narrauit hic Rudolphus, author grauis, testisque locupletissimus, cuius etiam mentionem fecit Tritheymius. Non est ergo Martinus primus, vt Papistæ somniant. Vixit anno 930. Imp. 87 Henrico 1. PP. 193. Leone 6.

Idem lib. 18. c. 1. in Leuit. Antichristus de Regibus triumphabit, hoc est, pedibus suis subijciet eos: testis Ludouicus 2. Imp. & Edelvvolfus Rex Anglorum à Ioanne 8. coronati, & Fridericus, quem pedibus calcauit alius Papa, de quo infrà.

Chronicon Campidonense.

IN manuscripto antiquo Campidonensi chronico, Abbatum huius cænobij catalogum, & vitas habente, ad verbum sic scriptum est inter alia:

Gerungus Amberger Abt 857 Christi / vnder dem Bapst Joannes / der ein Weib waß / vnnd hindennach mit einem Kind gieng / vnnd kam zu jhm der böse Geist / vnnd sprach: O du Bapst / der du solt sein ein Vatter vnder allen andern Vättern hie / du wirst offenbaren in deiner Geburt / das du ein Bäpstin bist / darumb werde ich dich mit Seel vnd mit Leib zu mir nemen / vnd zu meiner Geselschafft.

Annales Augustani.

IN antiquis annalibus Augustanis latinè manuscriptis hæc leguntur: Porrò non procul ista tempestate (anno Christi 855) erat Romæ Papa Ioannes octauus nomine, qui mulier, immò scortum turpissimum, Gilberta Moguntinensis dicta, ab Anglo quodam Fuldensis cænobij monacho cùm per Græciam, tum per Italiam mentito sexu diu circumducta, literatissima, versutissimaque bestia euaserat, pontificatumque in vrbe inuaserat.

Chronicon Argentoratense manuscriptum.

LEgitur ibi inter alia ita: Ideo Papæ posthac viam illam, quia Ioanna meretrix ibi enixa est infantem, vitant, alias quærendo ambages.

Marianus Scotus.

HIc ex Scotia in Germaniam profectus, in tribus Benedictinorum monachorum contubernijs vixit, Colon. Fuld. & Moguntino, vbi mortuus est, anno 1086. Is ex vetustissimis illorum, & aliorum cœnobiorum libris, qui fallere non possunt, collegit Chronicon, in quo his verbis scribit: Anno Domini 854. Lotharij 14. successit Leoni Ioanna mulier, annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. Vixit anno 1086 Imp. Henr. 4. PP. Victore 3. vt infrà.

Sigebertus monachus Gemblacensis.

HIc quoque ex fide dignis chronicis collegit annales, in quibus legitur: Fama est, hunc Ioannem fœminam fuisse. & vni soli familiari cognitam, qui eam amplexus est. Grauida facta peperit Papa existens: quare eam inter Pontifices non numerant quidam. Ideoq; nec autor iste in suo Chronico nomini numerum facit. Vixit Anno 1111. vt infrà.

Otto Episcopus Frisingensis.

HIc lib. 7. in Pontificum catalogo ponit, Ioannem septimum Papam fuisse fœminam. Vixit anno Domini 1161.

Gotfridus Viterbiensis.

PApissam Ioannem nominat, & admittit, sed non numerandam ait. Vixit anno 1192. Imp. 99. Henrico 6. PP. 180. Cœlestino, vt infrà.

Martinus Polonus in Chronico.

POst Leonem 4 Ioannes Anglus, natione Moguntinus, sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. Et cessauit pontificatus mense vno. Mortuus est Romæ. Hic fertur fœmina fuisse: & cùm in puellari ætate, à quodam suo amasio, in habitu virili Athenas ducta fuisset: in diuersis scientijs ita profecit, vt nullus par sibi inueniretur: adeò vt pòst Romæ triuium legens magnos magistros discipulos, & auditores haberet. Et cùm in vrbe, vita & scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per suum familiarem impraegnatur. Verùm tempus partus ignorans, cùm de sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata partu inter Colossæum & sancti Clementis Ecclesiam peperit in via. Et postea mortua, ibidem (vt dicitur) sepulta fuit. Et propterea, quòd Dominus Papa eandem viam semper obliquat, creditur omnino à quibusdam, quòd ob detestationem facti hoc faciat. Nec igitur ponitur in catalogo sanctorum Pontificum, tam propter muliebrem sexum, quàm propter deformitatem facti.

Fuit hic Martinus Monachus ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarius Papæ Nicolai tertij: postea Archiepiscopus Consentinus circa annum Domini 1278. Habuit is Vaticanam Bibliothecam, tanquam Pœnitentiarius, & proximus Papæ (quod munus vanis, & mendacibus hominibus non concreditur) apertam, & Pontificum res gestas eo nomine meliùs scire potuit. Vixit anno 1282. Imp. 105. Rodolpho Hapf. PP. 193. Nicolao 3. vt infrà.

Robertus Gallus.

SCripsit, circa Leonis Pontificis 4. tempora, Romæ iuxta Basilicam beatæ Luciæ, in quibusdam tetris, abditisque cauernis, ortum fuisse Basiliscum, serpentem omnium dirissimum, cuius flatus, ac visus lethalis omnibus fuerit, & causa mortis ad easdem cauernas properantibus. Hunc basiliscum sequentem Papissam Ioannem præfiguràsse, multi non dubitant. Leonem enim proximè secuta est hæc Ioanna. Vixit anno 1290. Imp. & PP. vt infrà.

VVilhel. Ockam cap. 124. operis nonaginta dierum.

MVlier vt habetur in chronicis, annis duobus, mensibus septem, diebus tribus venerabatur pro Papâ ab vniuersali Ecclesiâ. Ecclesia enim sæpe errat, dum Papá virum sceleratissimum, sanctum virum putat & bonum. Nónne Ecclesia errauit putans Syluestrum secundum, qui erat nigromanticus, & homagium fecerat diabolo, esse virum bonum? Et de multis alijs Pontificibus, Ecclesia reputans eos sanctos viros, errauit. Vnde dicitur in Chronicis, circa viginti septem vocatos Romanos episcopos, postquàm Ecclesia extitit temporalibus diuitiis dotata, fuisse qui sceleribus maximis, publicis & notorijs, postquàm fuerunt ad papatū assumti, vel in ipsâ assumtione ad papatum irretiti, scilicet crimine hæresis, idololatriæ, intrusionis fautoriæ, prauitatis hæreticæ, blasphemiæ, fornicationis, & aliis multis enormibus criminibus inuoluti fuerunt. Vixit anno 1320. Imp. 109. Ludouico Bauaro. Pp. 201. Ioanne 22. vt infrà.

Martinus Minorita in Chronico, cuius titulus est
Flores temporum.

IDem quod alij, refert de Ioanne 8. Papa fœmina, quibus addit: Hæc dæmoniacum quendam adiurans interrogabat, quando dæmon recedere vellet, cui diabolus respondit:

Papa pater patrum, Papissæ pandito partum,
Et tibi tunc edam, de corpore quando recedam.

Hoc chronicon etiam germanicè typis impressum est Vlmæ, anno 1486. Vixit anno 1320. Imp. & PP. vt suprà.

Ranulphus in Polychronico.

DEus hoc seculo memorabili, & insigni facinore reuelauit turpitudinem sedis Pontificiæ, & illam Babylonicam meretricem omnium oculis, & conspectui subiecit, vt pii agnoscerent, sanctam illam, quæ à toto mundo colebatur, dignitatem Pontificiam, esse matrem omnis fornicationis spiritualis, & corporalis, eamque detestari & abominari discerent. Nam Ioannes Anglus, natione Moguntinus, qui post Leonem duos annos & menses 5. Pontificem egit, Fæmina fuit & insigne scortum, quæ à collegâ suo Cardinale impregnata, cùm de sancto Petro ad Lateranensem Ecclesiam procederet, in publica pompâ puerum peperit. Hoc facinus sequentes Pontifices, damnare visi sunt. Nam ab eâ viâ semper declinârunt, euntes in Lateranensem Ecclesiam, & nomen huius meretricis ex catalogo Pontificum exturbârunt. Sed nihilominus re ipsâ tales manserunt, nimirum omnis fornicationis & Idololatriæ patroni. Quidam tamen Scriptores nomen Ioan. 8. reticuerunt, ac Benedictum tertium Leoni 4. substitutum esse, quatuor dierum interuallo, scribunt: non quòd Ioannes ille non fuerit, sed vt nihil ignominiæ aut dedecoris ad sanctam illam Cathedram redundaret. Nam deditâ operâ à scriptoribus præteritus est, ne quâ ignominiæ labe sedes inde aspergeretur. Marmoreum enim lapidem Romæ illo loco, vbi infans ex Christi vicariâ natus est, nunquam frustra posuissent. Vixit anno 1363. Imp. 110. Car. 4. PP. 204. Innocentio 6. vt infrà.

Franciscus Petrarcha in Chronico.

IOannes Anglicus tenuit pontificatum annos duos, menses quinque, dies quatuor. Vacauit Ecclesia mensem vnum. Iste non ponitur in catalogo Paparum, quia fuit fæmina: quæ in adolescentiâ à quodam suo amatore habitu virili ducta Athenas, ibi diuersis scientiis studendo euasit excellentissima. Deinde cùm venisset Romam, tantam ascendit claritatem, vt admirationi esset omnibus. Vnde concorde suffragio supremus ei honos Pontificatus est attributus. Quæ res postmodùm se prodidit. Tempore illius in ciuitate Brixia tres dies, & tres noctes pluit mirabiliter sanguine, & in Galliâ apparuerunt monstrosæ locustæ, habentes sex alas & sex pedes, dentesque durissimos, volantes per aërem mirabiliter: quæ postea omnes in mare Brittannico suffocatæ sunt. Hinc cadauera earum ad littora appulsa, adeò aëra corruperunt, vt magna pars hominum ibi moreretur. Vixit anno 1374. Imp. 110. Carolo 4. PP. 206. Gregorio 11. vt infrà.

Ioannes Bocatius.

IOannam prius Gilbertam appellatam, in libro de claris mulieribus, cap. 99. recenset ac scribit, & id his verbis concludit: ad cuius detestandam spurcitiem, & nominis continuandam memoriam in hodiernum vsque summi Pontifices Rogationum die cum clero & populo sacrum agentes eum locũ partus medio itinere positum abominantur, & eo misso declinant per diuerticula vicosque, & sic loco detestabili posttergato reintrantes iter perficiunt, quod cæpere. Addita est in codice spectabilis pictura partus pontificij, circumstantibus Cardinalibus & Episcopis obstetricibus. Extat idem Bocatij liber in linguam Germanicam versus à Medico ciuitatis Vlmæ, & nuncupatus Ducissæ Austriæ, anno 1473 impressus in eadem vrbe typis antiquis & rudibus, itidem cum effigie parientis. Vixit anno 1375. Imp. & PP. vt suprà.

Ioh. Huss de Ecclesia, cap. 13: & ante eum Cestrensis libro 5. capite 3.

DE fæmella patet in Agnete, quæ vocata est Ioannes Anglicus, & sedit in Papatu duobus annis, & mensibus quinque post Leonem. Hæc dicitur fuisse puella Agnes vocata, natione Moguntina, à suo amasio Athenas in habitu virili adducta, & Ioannes Anglicus nominata: quæ in diuersis scientiis sic profecit, quòd Romam veniens magnos magistros habens auditores, Triuium legit. Demum in Papam electa, per suum amasium impregnatur. Et dum in Lateranensem Ecclesiam, ab Ecclesia Petri pergeret, angustiata pariendi doloribus inter Colossæum & S. Clementem peperit, & postmodum ibi fuit mortua ac sepulta: & hinc dicitur, Papas hanc viam communiter deuitare, vnde non ponitur in Catalogo Paparum. Vixit anno 1400. Imp. & PP. vt infrà.

Idem de Ecclesia, cap. 7. Et sic etiam intelligitur dictum beati Hieronymi, positum 25. quæst. 1. Hæc est fides. Sancta inquit, est Ecclesia Romana, quæ semper immaculata permansit, prouidente Domino, & beato Petro Apostolo opem ferente, & in futurum manebit sine vlla hæreticorum insultatione, atque firma & immobilis omni tempore persistet. Hic non potest intelligi quilibet Papa cum suo collegio Cardinalium. Illi enim sunt sæpius maculati deceptione praua, & peccato, vt tempore Ioannis Papæ, Anglicæ mulieris, qui Hagna dicebatur. Quomodo ergo illa Romana Ecclesia, illa Agnes, Ioannes Papa cum collegio semper immaculata permansit, qui peperit? Par est ratio de aliis Papis, qui fuerunt hæretici, & propter multiplices enormitates depositi. Hæc ille.

Chronicon Constantiense

HEluetico idiomate conscriptum Constantiæ, pertingens ad annum vsque 1400 ait: Ein Weib hiesse Johannes von Mentz / waß Papst / vnd starb an einem Kind / das hat sie mit einem Cardinal gemacht / anno Domini 855. Scriptum anno 1420.

Ioannes

Joannes de Marcouille Gallus, de bonitate & malitiâ sexus fœminei.

INter alia refert hic malitiam Ioannæ 8, & concludendo ait: Nec plura de hac historiolâ, quam omnes fide digni historici operibus suis includunt, etsi Ecclesiæ Romanæ parùm honorabilem. vixit anno 1410. Imp. 113 Sigismundo. PP. 211. Alexandro 5.

Jacobus de Regis curiâ in chronico.

IN chronico Germanico manuscripto, ex compluribus authoribus collecto per Iacobum de Regis curiâ (von Königshofen) sacerdotem Argentinensem, quod incipit: Gott in ewigkeit nach seiner grossen mildigkeit: desinens in anno 1446. in Eugenio 4. legitur folio 110. Johannes von Mentz waß Bapst zwey Jahr/ fünff Monat/ der waß ein Weib. Vixit anno 1446. Imp. 115. Frid. 3. PP. 214.

Antoninus tit. 16 part. 2. Cap. 1. paragrap. 7. de Ioanne 8.

POst Leonem Martinus in Chron: suo ponit Ioan: 8 natione Anglicum, qui sedit anno Domini 854, in cathedrâ Petri annis duobus, mense vno. Hic inquit Martinus, Fœmina fuit. Verè valde mirandum, & cum Populo clamandum: O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius &c. Et quoddam signum sculpturæ marmoreæ in viâ, vbi hoc contigit ob huius rei memoriam, positum dicitur. Sed etsi fuit verum, nullus tamen ex hoc de salute præiudicium faciat, quòd nihilominus Ecclesia tunc non fuit sine capite, quod est Christus: & influxum Gratiæ percepit: nec vltimi effectus sacramentorum, quæ illa conferebat, deficiebant eis, qui deuotè accipiebant ab eâ, scilicet Gratia. Licet ipsa non sicut nec aliæ fœminæ sint susceptibiles characteris alicuius ordinis: nec perficere Eucharistiam, aut de facto ordinare posśint: nec absoluere à peccatis. Vnde ordinati ab eâ, erant iterum ordinandi, quia nihil ab eâ acceperant: gratiam tamen Sacramentorum Christus supplebat in recipientibus dignè, ignorantiâ facti inuincibili eos excusante à culpâ. Vixit anno 1457. Imp. & PP. vt infrà.

Platina.

IOannes Anglicus, ex Moguntiaco oriundus, malis artibus (vt aiunt) Pontificatum adeptus est, Mentitus enim sexum, cùm fœmina esset, adolescens admodum Athenas cum amatore viro docto, proficiscitur: ibique præceptores bonarum artium audiendo tantum profecit, vt Romam veniens, paucos admodum etiam in sacris literis pares haberet, nedum superiores. Legendo autem & disputando doctè & acutè, tantum beneuolentiæ & auctoritatis sibi comparauit, vt mortuo Leone in eius locum (vt Martinus ait) omnium consensu Pontifex crearetur. Verùm postea à seruo compressa, cùm aliquandiu occultè ventrem tulisset, tandem dum ad Lateranensem basilicam proficisceretur, inter theatrum (quod Colossæum vocant à Neronis Colosso) & sanctum Clementem, doloribus circumuenta peperit: eoque loci mortua, pontificatus sui anno secundo, mense vno, diebus quatuor, sine vllo honore sepelitur. Sunt qui ob hæc scribant, pontificem ipsum, quando ad Lateranensem basilicam proficiscitur, detestandi facinoris causâ, & viam illam consultò declinare, & eiusdem, vitandi erroris causâ, dum primò in sede Petri collocatur ad eam rem perforata, genitalia ab vltimo diacono attrectari.

Idem sequuntur multi alij, & ego ideo ponere breuiter & nudè institui, ne obstinatè nimium, & pertinaciter omisisse videar, quod ferè omnes affirmant, & quidem de primo non abnuerim, de secundo autem ita sentio, sedem illam ob id paratam esse, vt qui in tanto magistratu constituitur, sciat se non Deum, sed hominem esse: & necessitatibus naturæ, vtpote egerendi, &c. subiectum, vnde meritò stercoraria sedes vocatur. Vixit anno 1460 Imp. Frid. 3 PP. pio 2. vt sup.

In veteri Chronico

MAiusculis characteribus Vlmæ impresso, anno 1486 hæc leguntur: Der Keyser Arnolphus (Lotharius legendum videtur) waß vnder dem Papst/ der ein Fraw waß/ vnnd an offener Strassen zu Rom/ da zersprange sie an einem Kind/ als jhr der Teuffel geöffnet hatte vor den Römern. Dieselbe Straß meiden noch alle Bäpst/ das sie nicht daran kommen/ von der schand wegen. Terminatur hoc chronicon in expugnatione Moguntiæ, anno 1462.

Compilatio Chronologica, scripta anno 1470.

EX Compilatione chronologicâ Francofurti inter historicos Germaniæ à Ioan: Pist. edita: Cùm esset grauida (Papissa) Dæmon in consistorio publicè clamauit ad Papam:

Papa pater partum, papissæ pandito partum,

Imp. 115. Frid. 3. PP. 217 Pio 2.

Vetus Chronicon Germanicum.

ALiud Germanicum, grandioribus typis excusum Augustæ, anno 1475. dicit: Johannes von Mentz am Rhein/der was ein Weib: & habet versiculos: Papa pater patrum &c. antè à nobis recitatos. Finitur in Sixto 4. Imp. 115. Friderico 3. Papa 219 Sixto 4.

Guilhelmus Jacobus Monachus Ecmondensis
prope Alcmariam.

HVius liber membraneus extat, qui continet Pontificum vitas metris, cuiusmodi eo tempore vsitata erant, compositas, nimium accuratè, & ad obscuritatem, vsque obseruato syllabarum numero, & rhythmo: quæ, quot & qualiacunque de Ioanna sunt referam:

Priusquàm reconditur Sergius, vocatur
Ad summam, qui dicitur Ioannes, huic addatur
Anglicus, Moguntia iste procreatur.
Qui, vt dat sententia, fœminis aptatur
Sexu: quod sequentia monstrant, breuiatur
Hæc vox: nam prolixius Chronica procedunt.
Ista, de qua breuius dicta minus lædunt.
Huic erat amasius, vt scriptores credunt.
Patria relinquitur Moguntia, Græcorum
Studiosè petitur schola. Pòst doctorum
Hæc doctrix efficitur Romæ legens: horum
Hæc auditu fungitur loquens. Hinc prostrato
Summo hæc eligitur: sexus exaltato
Quandoq; negligitur. Fatur quòd hæc nato
Per seruum conficitur. Tempore gignendi
Ad processum equus scanditur, vice flendi,
Papa cadit, panditur improbis ridendi
Norma, puer nascitur in vico Clementis,
Colossæum iungitur. Corpus parientis
In eodem traditur sepulturæ gentis,
Faturq; scriptoribus, quòd Papa præfato,
Vico senioribus transiens amato
Congruo ductoribus sequitur negato
Loco, quo Ecclesia partu denigratur,
Quamuis inter spacia Pontificum ponatur,
Propter sexum.

Poëta hîc subiungit Sergio Ioannam, prætcrito Leone 4. Vixit anno 1490. Imp. 115. Frid. 3. Papa 220 Innocentio 8.


Chronicon Norinbergense Hartmanni Schedelij.

SPectatur codex amplus, pulcher & preciosus, Norinbergæ excusus anno 1494. cum imaginibus Imperatorum & Pontificum, in quo ad narrationemde Papâ Ioannâ appressa est effigies fœminæ, pontificaliter quidem coronatæ, sed prò trabeâ pontificali stolam muliebrem ab humeris, & pro tricruciato sceptro infantem in vlnis gestantis. Vixit anno 1494 Imp. 116. Max. 1. Papa 221. Alex. 6. vt infrà.

Fasciculus temporum VVerneri Rollevvinck.

IIste Ioannes, Anglicus cognomine, sed natione Moguntinus, circa hæc tempora (an. 854) dicitur fuisse, & erat fœmina, habitu vestita virili. Sic in diuinâ scripturâ profecerat, vt par ei non inueniretur; & in Papam ideo eligitur. Sed pòst imprægnata, cùm publicè in processione pergeret, peperit & moritur. Et hic sextus videtur fuisse Papa, qui nomen sanctitatis sine re habuit vsque huc, & similiter sicut alij, à Deo plagatus fuit, nec ponitur in Catalogo Pontificum. Nugantur aliqui, hac de causâ, nullum Allemannum in Papam eligi, quod falsum esse constat. Dicere audet Carthusianus monachus, etiam ante nostram ætatem annos octingentos fuisse malos Pontifices, suoque nomine indignos. Clar. anno 1494, vt infrà.

Baptista Mantuanus monachus.



HIc libro 3. Alphonsi in topothesiâ tartari, facit ibi pendentem Ioannem Papam, rem teterrimâ versibus suauissimis exprimens:

Hic pendebat adhuc sexum mentita virilẽ
Fœmina, cui triplici Phrygiam diademate mitram
Extollebat apex: & pontificalis adulter.

Fingitq; eam in ingressu tartari primo loco (vt patest, Papam locari ante alios, qui ibi variè cruciantur) pendêre cum suo adultero. Quia ergò Pontificij hunc autorem tanquam Ordinis fratrum beatæ Mariæ de monte Carmeli, per indicem suum expurgatorium non damnant, sed per omnia approbant, quis igitur dubitabit, vera illum scripsisse? Claruit anno 1494 Imp. 116. Max. 1. Papa 221. Alex. 6. vt infrà.

Iacobus Philippus Bergomensis familiæ Eremitarum.

HIc in supplemento supplementi Chronicorum habet de Ioannâ, non diuersa ab his, quæ Martinus, Platina, & reliqui ponunt. Liber impressus est latinè Venetijs, anno 1503. & ibidem italicè anno 1540.

Idem scripsit etiam librum de sacerdotum reformatione. Claruit anno 1494. Imperat. & Papa. vt sup.

Tritheymius in Chronico Hirsaug.

IN vitâ Luitprandi primi Abbatis post alia ait: Sancto Papâ Leone mortuo, eodem anno Ioannes Anglicus succesit duobus annis, & mensibus tribus: quem ferunt fœminam extitisse, & vni familiari soli cognitam, & ab eo compressam peperisse in strata publica. Et ob id nonnulli eam inter Pontifices ponere noluerunt, quasi indignum facinus abhorrentes. Vixit anno 1495 Imp. Max. 1. Papa Alex. 6. vt infrà.

Ioan. *Marius Belga de schismatibus.*

IOanna quoque puella Anglicana, sede pontificali conscensâ, non exiguam ei labem, ignominiamq; conciliauit. Vixit anno 1498 Imp. 116. Max. 1. Papa 221. Alex. 6.

Albertus Crantzius.

IOannes Anglicus ex Moguntiâ, mulier mentita sexum, cùm acutissimo ingenio, & promtissimâ linguâ doctissimè loqueretur, adeò in se conuertit omnium animos, vt Pontificatum adipisceretur, vno famulo sexum eius cognoscente, à quo compressa prægnans efficitur, & fertur peperisse apud Colosseum, anno secundo necdum completo, & in partu mortuam. Vixit anno 1500 Imp. 117 Carolo 5. Papa 224 Leone 10.

Hermannus Aedituus lib. 2. part. 2. in exemplari vetusto manuscripto de Ioanna Papissa.

HÆc dæmonium, inquit, adiurans interrogauit: quando dæmon recedere vellet? cui dæmon versificè sic respondit, vt suprà recitatum. Vixit anno 1500 Imp. 116. Maximiliano 1. Papa 221. Alex. 6.

Stepha-

Stephanus Blanck Passauianus.

EDidit hic librum anno Christi 1500, Alexandri VI, Papæ nono, cum titulo: VRBIS ROMÆ MIRABILIA: Et ibi inter alia etiam sic refert: Ad sanctum Clementem est quoddam Monasterium: vbi sepulti siti sunt D. Clemens, & S. Ignatius sub altari chorali. Ibique etiam multæ sunt sacrimoniæ, quæ ponuntur super altare: & quotidie expenduntur indulgentiæ pro diebus 40: & remisiones tertiæ partis peccatorum. In eodem deinde monasterio itur ad paruulum quoddam sacellum, intra Colossæum & S. Clementem: illic collapsum situm est templum, in quo moriebatur fœmina, quæ Papa fuerat: illa parturiebat infantem, & ab angelo Dei interrogabatur, an in æternum perire mallet, vel publicè coram mundo confundi? Sed illa ne in æternum pereundum foret, elegit opprobrium confusionis. Igitur cùm more Papali cum omnibus Cardinalibus chorum ageret solennem, & plurimorum hominum stipante caterua, enixa est fœtum iuxta templum: & ibi loci adhuc recumbit saxum quoddam referens sculptam ipsius & infantis eius effigiem. Vixit anno 1500. Imp. Maxi. Papa Alex. 6. vt infrà.

Ex libro veteri Italico, cui titulus est Historia di Donne famose.

GIouanni settimo, infra queste astute,
La somma gloria del Pontificato
Administro concure alte, &c.
E per intemperantia lei, difesa,
Non fece à sua lascinia, &c.
Vn giorno achadde, e fu vicina al parto,
Vna solennita, stimata, è dogna.
Onde conuien, chel suo termin coarto,
Sic discoperto, in procession venire:
Done à quel templo il figlio in terra ha sparto.
E con dolor fu vista partorire,
In præsentia del popul con tormento:
El' un, el' altro, lor vita finire.
Imp. 116 Maximil. 1. PP. 222 Pio 3.

Raphaël Volateranus.

HIc in commentarijs suis, ipsi Pontifici Iulio 2 dicatis, non veritus est hæc de Ioannâ scribere: Ioannes 8. Anglicus, quem dissimulato viri habitu dicunt fœminam, alioquin doctissimam fuisse, deprehensamque in in viâ quando peperit. Vixit anno 1503. Imp. 116. Max. 1. Papa 223 Iulio secundo.

Ioannes Henaldus Gallus.

IOannes Henaldus Gallus de statu Ecclesiæ, à tempore Apostolorum sub Nerone, vsque ad Carolum Quintum Imp. idem dicit de hac Papâ, quod reliqui historici. Additque, veram hanc esse figuram magnæ illius fornicationis spiritualis Paparum Romanorum: atque posthanc meretricem indies, magis magisque iniquitatem istius sedis Romanæ fuisse patefactam. Vixit anno 1518. Imp. 116. Maximiliano. Papa 224 Leone 10.

Henricus Cornelius Agrippa

SCripsit hæc inter alia de Nobilitate & præcellentiâ fœminei sexus: vbi etiam Ioannis octaui Papæ mentionem facit his verbis: Dicant quicquid velint Canonistæ, Ecclesiam suam errare non posse: Papa mulier illam egregiâ imposturâ delusit. Vixit anno 1520. Imp. & Papa. vt sup.

Idem. Legimus etiam mulierem ad tanti [illegible] culmen conscendisse, quæ vocata est Ioannes 8, rexitque sedem apostolicam laudata ab omni[illegible]s, annos duos, atque aliquot mensibus, & diebus: &, quod aliàs mulieribus in Ecclesia negatum est, contulit sacros ordines, promouit Episcopos, ministrauit sacramenta, & cætera Rom. Pontificum munera exercuit, & facta eius in Ecclesia non fuerunt irrita.

Liber Romanarum indulgentiarum.

ROmani ipsi in libello de Romanis indulgentijs, Romæ 1525 edito scribunt, asserunt, & affirmant: Angelum huic Papissæ vterum gestanti apparuisse, ipsique optionem eligendi pœnam aut temporaneam, aut æternam dedisse. Illam verò pudorem temporarium elegisse. Imp. 117 Carolo 5. Papa 226 Clem. 7.

Richardus Wasseburgius Archidiaconus Verdunensis in Austrasiæ Chronico.

IOannes Anglicus oriundus de Moguntia, (sexum fœmineum mentitus sub habitu virili) per artem diabolicam occupauit sedem Papalem, gratia eruditionis suæ, anno octingentesimo quinquagesimo quinto. Ipsius autem facinus hoc miraculosè manifestatum fuit. Nam in augusto quodam theatro, & communi area, Lucinæ eum corripuerunt labores, & peperit infælix infantem: & in eodem illicò mortuus est loco, postquàm tenuit sedem circiter duos annos. Plurimi Historiographi eum non recensent in Catalogum Paparum. Vixit anno 1527 Imp. 117 Carolo 5. Papa 226. Clem. 7.

Ex libro, cui titulus est Puerperium Ioannis 8.

IN eo inter alia sic scribitur: Huius etiam Papæ aliud scelus adscribitur, quòd nimirum peritissima fuerit artis, qua se deuouere Satanæ desperabundi solent homines, scilicet Nigromanticæ, qua & ille quoque perhibetur ad tantæ Sanctitatis fastigium euectus fuisse. Platina quidem, vti faciunt eius modi sycophantæ, planè synechdochicè & generaliter, id in Paparum vitiis attigit, dum inquit, eam malis quibusdam artibus (ne quæso pro oleuio pedem Papæ mordeas) id dignitatis obtinuisse. Intellexit enim homo sagacissimus, si id reipsà & in specie adstruat, futurum, vt Papæ Romani vaiulus esse desinat. Scriptus & editus hic liber est anno 1530 Imp. 117 Car. 5. Papa 226 Clemente 7.

Ibidem. Sed quibuscumq; præstigijs tandem hoc dedecus obnubere, & hominibus ita glaucomam offundere voluerint: conscientia tamen suâ eò adacti fuerunt, vt rem totam, prout est gesta, marmoreâ columnâ palàm exprimere non dubitauerint, eamq; medio quoq; foro Bononiæ, tam quam nefandæ Veneris monumentum, erigere non erubuerint. Ita agnitio vultus eorum respondit eis, & peccatum suum quasi Sodoma, prædicauerunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala: Esaiæ 3. vers. 9.

Ibidem. Huc verò arrigite aures, inquit author, ô Papistæ, dicite nobis, vbi caput Ecclesiæ fuerit, in quo legitima vestra Paparum à Petro Successio tunc acquieuerit, cùm Saga vestra, & meretricia Papissa sedem occupauit? Anne putatis ab ea factas vim aliquam habuisse missas, aut, vt loquimini, tenuisse absolutiones, ordinationes, benedictiones, anne hæ quicquam valuêre? O Lepidos Episcopos, ô sanctos illos sacrificulos, qui ab eius manu inaugurati fuêre.

Atqui nondum finis est. Etenim nonnulli qui ab eâ descendêre Papæ, similes sunt illi planè, præterquàm, quòd pulchro inducto more, dicuntur habere testiculos: Quousque tenemini in tanta caligine miserrimi Papistæ? Hactenus ille.

Bernardus Girardus Historiographus Regius Gallicus.

SCribit hic, maximum scandalum euenisse in Ecclesiâ Romanâ. Nam peperisse Papam Ioannem 8. cùm antea se gessisset pro Papâ, & coronâsset Imperatorem Ludouicum secundum, atq; Etteluolfum Anglum. Vixit anno 1530 Imp. 117 Carolo 5. Papa 226 Clemente 7. vt infrà.

Dominicus Iacobatius Cardinalis de Concilijs lib. 9. Art. 9. num. 6. & 7.

COnuictus Papa, quòd sit mulier, deponitur per Concilium Cardinalium.

Ex hac quæstione constat, mulierem aliquando fuisse Papam: si enim hoc nunquam contigisset, quid quæso fuisset opus, de muliere Papâ vllam instituere quæstionem? Addit idem author Iacobatius numero 7 seq. Cardinales nunquam indiscretam aliquam talem electionem facere, nisi miraculosè à Spiritu sancto procedat: allegans ad hoc c. de elect. obiter etiam Baldum. Vnde fit palàm, non sine singulari fato mysterioque Ioannam Anglicam olim fuisse electam Papam. Reperitur huius Cardinalis liber separatim impressus, ac etiam in tracta. tractatuum tomo 13. Vixit anno 1530. Imp. 117 Carolo 5. Papa 226 Clem. 7.

Paulus Constantinus Phrygio in Chronicis.

IDem cum alijs sentit, Ioannem octauum Papam fuisse fœminam & peperisse. Vixit anno 1534 Imp. 117. Calolo 5. Papa 226 Clem. 7.

Ioannes Lucidus in Chronico.

CHronicon Ioannis Lucidi à condito mundo inchoatum, & ad annum Domini 1536. productum, exinde ipso mortuo, à monacho quodam auctum vsque ad annum 1575. suoque, vt vocant, Generali, & alij cuidam Abbati dicatum refert quidem Ioannem Anglicum in seriem pontificum, sed non addito numero, inquiens: Ioannes Anglicus fœmina sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor: non ponitur in Catalogo Pontificum, & ideo eius sedes

fuit vacans vsque ad annum Domini 855. Impressus est liber Venetijs anno 1575. Vixit anno 1536. Imp. 117 Car. 5. Papa 227 Paulo 3.

Achilles Gassarus in Chronico.

IOannes octauus, natione Anglicus (alij Moguntinensem faciunt) officio Papa, sexu tamen fœmina, sedit annis duobus, & mensibus sex turpissimè. Vixit anno 1538.

Lud. Cælius Rhodiginus.

HIc in volumine 14 antiquarum lectionũ eruditis fœminis annumerans etiam Ioannam, Quid, inquit? Nónne chronicis relatum scimus, Ioannam Anglicam solam à condito æuo specie viri Pontificatum Romæ ausam inuadere? Imò verò & vnum ex familiaribus, qui solus rem tenebat, ad concubitum admisisse, & inde grauidam etiam in summo dignitatis fastigio peperisse? Factum hoc salutis anno octingentesimo, quinquagesimo tertio. Vixit anno 1540 Imp. 117 Car. 5. Papa 227 Paulo 3.

Valerius Anshelmus.

IN Chronico suo Bernensibus dicato inquit: Ioannes Moguntina fœmina Pontificatum doctrinæ morumque præstantià comparatum, infami partu defuncta reliquit. Vixit anno 1530 Imp. 117 Car. 5. Papa 227 Paulo 3.

Marcus Guazus in Chronico.

ESsendo vna fanciulla, nata ne l' isola d' Anglia: è di quiui partita, venne in Atene vestita da huomo: & dandosi a gli studi, douentò molto dotta: & di maniera, che venuta d' Atene à Roma: in questa città leggendo, disputando & insegnando, acquistò tanta beniuolenza: che dopoi la morte di Papa Leone, di tal nome quarto: essendo stata la chiesa quindeci giorni senza Pastore: fu eletta in luogo suo. Visse vel Pontificato anni dui, e mese vno. Fu' il centesimo settimo Papa. Fu' creata l' anno de la nostra salute ottocento cinquanta quarto: & fu chiamata Giouanni, di tal nome settimo. Dopoi fatta grauida da vno famigliar suo: & andando de santo Pietro, à santo Giouanni Laterano: fu soprapresa da le doglie: non essendo anchora il tempo del parturire. Partori in præsenza del populo, tra il Culiseo, e san Clemente: & parturendo mori: & fu senza honore alcuno sepolta. Et questi dui anni si ponno dire essere stata la sedia Apostolica vacante: perche, che vna femina non e capace, ne de gli ordini, ne del Pontificato.

Ait Guazzus, per hoc biennium, quo illa Papissa fuerit, posse dici vacasse Pontificiam sedem Apostolicam: quòd fœmina non sit capax nec ordinum Ecclesiasticorum, nec Pontificatus. Vixit anno 1546. Imp. Car. 5. Papa Paulo 3.

Valentinus Müntzer Fuldensis in Chronograph.

ætate 3.

TEmpore Lotharij Imp. anno 13 ipsius imperij, occupauit sedem pontificiam Romæ Ioannes octauus, fœmina, vocata priùs Agnes, oriunda de Moguntià: quidam tamen ipsum Brittannià natum fuisse aiunt. Hic à quodam impregnatus peperit infantem in solenni quadam processione, in vià, quà itur ex Laterano S. Ioannis ad Colossum S. Clementis: sed mortuus ibidem ex partu, vnà cum prole sua infelici, in illo templo sepultus fuit.

Habuit iste Müntzerus instructissimam & amplissimam illam, famosissimamq; Bibliothecam Fuldensis cœnobij celeberrimi ad manus, in quà sanè illa, quæ in Chronographià suà refert, ipsum reperisse, & ex multis probatis fideq; dignis autoribus collegisse, dubium non est: aliàs enim Fuldensi collegio, eiusque Præsuli librum illum (si fuisset vllis conspersus mendacijs) offerre, aut nuncupare non fuisset ausus. Vixit anno 1549 vt infrà.

Gergithius & Pierius.

ALlusit ætas illa, quæ mulieris caput galeatum tunc in multis numis expressit, & etiam antiquum nomen Romæ Cephalon fuisse scripsit, ad hoc, quòd nimirum Roma caput aliquando clatura esset. Alij ad Ioannam 8. fœminam mystico sensu trahunt, vt apud eos.

F. Leander Albertus Bononiensis monachus.

ANno Domini 854 Pontifex fuit Ioannes Anglicus sexum mentitus, cùm esset fœmina. Concludendo Pontificum vitas, ait: Etsi de pontificibus Romanis, Petri successoribus & Christi vicarijs multi variè admodum scribant, nos tamen illos potissimùm secuti sumus, qui rectius exactiusq; visi sunt scripsisse. Approbatus & confirmatus est is liber priuilegijs Cæsaris, Regis Hispaniæ & Galliæ. Vixit anno 1550. Imp. 117. Car. 5. Papa 228 Iulio 3.

Iacobus Curio in Chronologia.

NArrant, sacerdotem quendam Brittannicum cum coniuge fuisse quoque tum in migratione, & ex itinere, quòd vterum ferret vxor, commoratum tantisper Moguntiæ esse, donec grauida pepererit. Fertur autem enixa eo partu esse Gilbertam puellam illam literatissimam, quæ mentito sexu, monachum maritum suum secuta est, per latina & græca multa vagantem cœnobia. Quæq; extincto tandem marito, electa à Romanis patribus in Pontificem est, summumque mundi nacta honorem. Dubium verò est, ingeniumne & artes, an infandam huius temeritatem iustius quis miretur? Tam est hæc rari, aut nullius potius exempli fortuna. Appellata Romæ nomine est Ioannis septimi, vt quidem Sabellicus numerat: Platina Ioannem octauum ait fuisse fœminam: quod ad præsens relinquimus. Proditum autem comperimus, dominam hanc eminentiæ simul & impudentiæ suæ finem morte fecisse dedecorosa & clara, anno Pontificatus sui tertio, qui fuit à natò Christo octingentesimus quinquagesimus sextus. Claruit anno 1558 Imp. 118 Ferdinando. Papa 230 Paulo 4.

Eccles. histor. Magdeburg.

ONuphrius conatur fidem isti historiæ derogare eo, quòd nullus ante Martinum Polonum, qui vixit circiter annum Domini 1320. eius fecerit mentionem: & quòd tempus, quod illi adscribitur, non habeat locum iuxta Anastasij Bibliothecarij, qui hoc tempore scripserit, computationem. Sed rationes istæ non modò infirmæ, verùm etiam falsæ sunt. Mam Marianus Scotus Fuldensis monachus, qui ducentis & 34 annis ante Martinum fuit, eadem scribit: quæ absque dubio in suo cœnobio annotata reperit, aut ex certorum hominũ relatu cognouit. Nam vix ab eo tempore 165 anni effluxerant. Et post eum Sigebertus Gemblacensis. Nomen autem & tempus eius pontificis scriptores consultò omisisse, propter fœditatem rei & sexum fœmineum, ijdem, & Ranulphus in Polychronico, libro 5 cap. 32. testantur. Marmorea statua in eo loco, vbi Pontifex peperit, erecta fuit ad rei memoriam. Antoninus tit. 16, cap. 1. §. 7. Scripta anno 1567, vt infrà.

Osualdus Crollius in Itinerario Italico.

SEnis Hetruriæ oppido, inquit, templum cathedrale B. Catharinæ est: ibi omnium Romanorum Pontificum facies sculptæ in marmore visuntur: & in his quoque suo ordine reperitur Ioannes Papa his verbis: Fœmina Angla. Claruit anno 1580.

Georgius Nigrinus lib. 5. c. 8. de Ioanne VIII.

DIuulgatum illud dedecus ab hoc Ioanne, Fœminâ Meretrice Papissâ, Romanæ sedi inustum, conatur Onuphrius quidem, mendatijs suis, tamquam stibio oblinere, dicendo: quòd Martinus Polonus, anno Domini 1320. primus sit, qui mentionem eius habeat, & tamen haud quaquam in nigrum Album Paparum ab illo referatur. Atqui longissimè respicientibus ad tempora superiora nobis: Ecce quidam Monachus à Fuldâ, superior illo Polono 234 annis, se commodum ad hanc rem præbet, vt qui nullâ circuitione vsus, id omne quicquid est monstri, nudâ veritate proposuerit. In eo quoque fidelem operam posuit Sigebertus Gemblacensis, Ranulphus in suo Polychronico lib. 5. c. 32, & Antoninus lib. 16, c. 1. §. 7. qui modò non aperto clamitantes ore, coram Mundo protestantur, hunc Romanensium Papam, Ioannem VIII, grauidum factum à suo Capellano, Romæ iuxta viam publicam, in vniuersæ rasæ turbæ processu, filium peperisse.

Huius etiam Romanæ meretricis alicubi meminit Ioannes Hussius, ille Martyr in libro de Antichristo, qui statuit, singulari permissione Dei factum hoc esse, ut deprehenderent homines, Papam Antichristum in Ecclesia supremum tenere, iamque in procinctu palàm videri meretricem Babylonicam. Et ego, ait Nigrinus, vt idem planè sciam, ipso numero anni, quo sedere cœpit ea Meretrix, adducor. Etenim ab anno Domini 855 numerando usque ad annum 1521, quo VVormatiæ Lutherus in comitijs, inter ordines Imperij Romani, coramque Cæsare, Papæ contradixit, inque propatulo meretricẽ Romæ scortantẽ & poculo suo Reges terræ inebriantẽ propouit, elapsi sunt anni 666, qui sunt illius in Apocalypsi Bestiæ, nostrorumque hodie Paparum character & signaculum: quod ipsum quoq; Lutherus obseruauit. Claruit anno 1580. ut infrà.

Sutliuius.

OMnes parturiunt apud Papistas, parit sanctus Hermaphroditus monachus, parit sancta monialis parit ipse quoque Papa. Qua certè Ecclesiasticorum fœcunditate, mundus ad orbitatem facilè redigi non poterit. Claruit anno 1593. Imp. Rudol. 2. Papa Clem. 8.

Petrus Flandrus.

SI quando (inquit) Itali iocantur, atque inquirunt: quid noui quis sciat? respondet alter: El Papa è masnio. Verùm hodie Papa in processionibus suis vitat illam plateam in quâ statua illa fœminea posita fuerat, dextrâ tenens paruulum: nam Pius V. in Tiberim abiecit, vt memoriam hi-

storiæ illius aboleret. Sed tamen Itali talem fuisse Papam dicunt, neque sibi aliud, licet multi grauiter sint puniti, persuaderi patiuntur. Claruit anno 1593.

Extat liber cum imagine parturientis (vide suprà) Papæ & sequenti titulo: Iesuitas Pontificum Romanorum Emulatios, falsò frustra negare, Papam Ioannem VIII. fuisse mulierem: in quo inter alia legitur: Affirmare quidam audent tam impudenter, quàm confidenter, corrasis & coactis ad hoc vndique argumentis, historiam de partu Ioannis 8. Papæ, de cuius veritate per octingentos iam fermè annos in ipsomet pontificio regno nunquam dubitatum est, aut disputatum à quoquam quòd fabulamentum esset, sed hoc ideo, quia vident sole clarius, per hoc suæ falsæ structuræ de perpetua à Petro successione, maximum præsidium funditus destrui. Quis enim tam multos integros grauesque scriptores, & quorum consentientium monumentis expressa liquet veritas, vanitatis & mendacii non minus arroganter, quàm inuerecundè arguat?

Iud cent, sententiamque ferant igitur æqui lectores & arbitri: vtrum tot historiarum per tot secula continuatarũ, & consentientium affirmationi credendum sit? an recentium paucorum inficiationi, quos ad id conductos constat, & quorum professio est, vt totis viribus, omni modo, Pontificiam dignitatem restituant & fulciant? Recitantur deinde ibidem scelera horrenda multa Papalia & tanta sede indigna: ad quæ lectorem remitto.

In libro visionum Roberti.



DVxit me spiritus ad Lateranense palatium, & posuit me in porticu ante sedes Porphyrij, vbi dicitur probari Papa, an sit homo masculus. De hoc Roberto magno Vate, inferiùs plura: Vixit 1290 Imp. 105 Rod. Hapsp. Papa 196 Nicolao 4.

Ioannes Pierius Valerianus in libro pro sacerdotum barbis.

ACcidit inquit, vt mulier, si vera est, quæ per Romanorum omniũ ora fabula circumfertur, in sempiternum Sacrosancti ordinis obprobrium, ad solij Pontificij maiestatem eueheretur: in cuius facti memoriam Romani locum adhuc intento digito indicant, vbi summa illa Sacerdos Pontificalem induta trabeã enixa pepererit. Quod ne rursum accidere posit, inde institutum plerique omnes credunt in noui Pontificis ingressu, eam Maiorum nostrorum imprudentiam publicare. In totius enim populi conspectu, pro diui Ioannis suggestu, qui latissimam, & eo solenni sacro omnium nationum gentibus confertissimam aream despectat, cogitur nouus Pontifex virilitatem locu pletissimis testibus approbare. Resque ipsa sac: præconis voce palàm promulgata in acta mox refertur, legitimumque tunc demum Pontificem habere nos arbitramur: cùm habere illum quod habere decet, oculata fide fuerit attestatum. Fl anno 1532.

Felix Malleolus Canonicus Const. in Dialogo de Nobilit. & Rusticit.

SVccessit (inquit) Benedictus tertius natione Romanus qui in rei memoriam certam cathedram apud Ioannem Lateranensem, pertusam erexit, quæ comparet vsque in hodiernum diem, ac hoc coaptatam, vt electus summus Pontifex ibidem collocaretur: & per duos de clero fide dignos eius testiculi, tanquam testes, testimonium de sexu virili præbentes, debitè tangerentur. Et dum inuenirentur illæsi: clamabant tangentes altã voce, Testiculos habet. Et reclamabant clerus ac populus, Deo gratias. Claruit anno 1444, vt infrà.

Laonicus Chalcondyla lib. 6. de rebus Turcicis.

POntificem iam pronunciatũ insidere iubent Cardinales sedili foramen habenti, vt testes ex eo propendentes aliquis cui hoc muneris iniunctũ est, tangat quò appareat Pontificẽ virũ esse. Nã

constat, mulierem quondam in Pontificatum esse subuectam: quia sexus ignorabatur: nam Itali Occidentales penè omnes barbas radunt. Cùm autem illa mulier grauida esset facta, & ad festum siue sacrificium prodijsset, peperit infantem inter sacrificium in conspectu vniuersi populi. Quapropter ne decipiantur iterum, sed rem cognoscant neque ambigant, Pontificis creati virilia tangunt. Et is qui tangit acclamat: Mas nobis dominus est. Nomina autem post electionem illicò commutant, quasi iam diuinioris, quàm antea, sint naturæ, & planissimè mutati.

Scribant iam Papistæ, neminem fuisse Græcorum Historicorum, qui aliquid de Ioanne isto literis prodiderit: quod ipsum inquiunt argumentum esse, confictæ huius de Pontificiâ sede turpitudinis. Nam cùm sit exploratum, Græcos atque Romanos capitali à se inuicem odio dissidere: ex eo facilè conijciendum aiunt, quòd, si quicquam illi de Papâ, qui fuisset fœmina, peperissetque, compertum habuissent, id maximè pro explendo liuore suo scriptis vnà omnes ad posteritatem transmisissent. Verùm habemus hîc Græcum Laonicum Chalcondylam, quem constat hanc Ioannis Fœminæ & Papæ tragœdiam per omnes actus ita exquisitè descripsisse, vt ad turpitudinē illam vlterius diuulgandam, nihil ampliùs accedere posse suspicemur. Vixit anno 1459. Imp. 115 Frid. 3. Papa 217 Pio 2. vt infrà.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus Enneadis IX. libro primo.

IOann. Anglicus huius nominis septimus fit inde Pontifex, Maguntiaco oriundus, estq; malis artibus dignitatem adeptus. Siquidem mulier virilem mentita sexum, virum quendam impensè doctum, cuius consuetudine tenebatur, Athenas secuta est: hîc ingenij facilitate, assiduaque opera in tantum profecit, vt procedente tempore Romā profecta, interpretando & disputando longè omnium princeps haberetur, estq; ex ea re tantus illi fauor conciliatus, vt ex Leonis decessu, pontificatum sit facilè adepta. Cæterùm domestici serui concubitu prægnans facta, vterum ad maternos menses mira celauit arte. Tum verò, cùm fortè Lateranensem basilicam inuiseret, inter amphitheatrum Domitiani, & Clementis ædem, doloribus partus subitò obortis, enixa repentè est, atque ibi loci extincta, altero anno postquàm sedere cœperat. Nullùs defunctæ honor habitus. Fama tenet, & mos qui adhuc hodie durat, ob tam fœdæ rei memoriam Rom. Pontifices, cùm Lateranum hodie petunt, ibi loci viâ deflectere. Spectatur ad hæc in Pontificia domo marmorea sella, circa medium inanis, qua nouus Pontifex continuò ab eius creatione residet, vt sedentis genitalia ab vltimo diacono attrectentur. Claruit 1495. vt infrà.

Idem. Illusit Ioannes septimus Apostolicæ sedi veriùs, quàm clero, qui cùm mulier naturâ esset, sexum mentitus, pontificiam dignitatem inuasit: sed fœdus ille lusus, & fraus omnis in eum conuersa est.

Ioannes Nauclerus.

ANno Domini 856. Leo Papa migrauit ad Dominum, cui (secundum Martinum) successit Ioannes Anglicus ex Moguntiaco oriundus: seditque annis 2. Hic (vt asseritur) fœmina fuit, & in puellari ætate ab amatore virili habitu Athenas ducta, sic in diuersis scientijs profecit, vt nullus sibi par inueniretur. Deinde Romam veniens, triuium legit: magnos viros discipulos & auditores habuit: tantum quoque beneuolentiæ & authoritatis sibi inde comparauit, vt mortuo Leone, in eius locum, omnium consensu, Pontifex crearetur. Sed in Papatu per familiarem suum impregnatus cùm de S. Petro in Lateranum tenderet, inter Ecclesiam S. Clementis & Colossæum peperit in via publica: & in partu mortuâ, ibidem sepulta dicitur: & quia Papa eandem viam semper declinat, cùm Lateranum accedit, creditur à plerisque, quòd ob detestationem facti hoc faciat. Sed nec ponitur in catalogo Pontificum. Sunt etiam qui scribant, vitandi erroris causa, dum primùm quis electus in sede Petri collocatur, eiusdem in perforata ad eam rem sede, genitalia ab vltimo diacono attrectari: & inde stercorariam sedem meritò appellari. Vixit anno 1500, vt infrà.

Idem. Est etiam quoddam signum sculpturæ marmoreæ in viâ, vbi parturijt, ob huius rei memoriam, vt vulgò dicitur: tacentur enim hæc in autoribus quibusdam.

Ioannes Stella Sacerdos Venetus.

IOannes Papa VIII. natione Anglicus, post Leonem Pontificem factus Pontifex sedit annis duobus, & mensibus quinq: hunc tradunt fuisse fœminam, quæ adolescens admodū ex Angliâ Athenas cum quodam doctissimo amasio suo profecta, ibidem bonarum artium præceptores audiendo, tantum profecit, vt Romam veniens, paucos admodum etiam in sacris literis haberet pares: ea quippe legendo, disputando, docendo, orando tantam beneuolentiam & gratiam sibi comparauit: vt mortuo Leone prædicto Pontifice in eiusdem locum, vt multi affirmant omnium consensu Pontifex crearetur. Verùm postea à familiari compressa grauidatur: & Papa existens peperit. Nam ex Vaticano ad Lateranensem basilicam aliquandò ad Litanias profecta inter Colossæum & sanctum Clementem, præter spem doloribus circumuenta, sine obstetrice aliquâ publicè peperit: & eò loci mor-

tua, ibidem fine vllo honore cum fœtu misera sepulta est. Ad cuius detestandam spurcitiem & nominis continuandam memoriam in hodiernum vsque summi Pontifices die Rogationum cum populo & clero sacrum agentes eum locũ partus medio eius in itinere positum abominantur, & eo omisso declinant ad diuerticula vicosque: & sic loco detestabili posttergato reintrantes iter proficiscuntur quod cœperunt: & ad euitandos similes errores statutum fuit, ne quis de cætero in beati Petri collocaretur sede, priusquàm per pertoratam sedem futuri Pontificis genitalia ab vltimo diacono Cardinale attrectarentur. Vixit anno 1503. Imp. & Papa vt sup.

Onus Ecclesiæ.

SCriptum hoc est à quodam, qui Episcopo Saliburgensi, & Chemensi à suffragijs fuit. Cap. 19. inter alia sic ibi habetur: Ita fœmina Agnes, quæ vltra biennium Papatum occupauit, imprægnatur: ac palàm peperit prolem. Vnde non omnis Papa est sanctus, sed aliquando ceu reprobatus punitur. Vixit anno 1517. Imp. 116 Max. 1. Papa 224. Leone 10.

Christianus Massæus iu Chronico.

ANno 854. sancto Leoni 17 Iulij defuncto, successit quædam mulier Anglica, quæ quoniam habitu virili semper incesserat, literisque studiosè vacauerat, vir doctissimus putabatur, duobus circiter annis sedem tenuit. Interim concepit, & in processione publica peperit, vbi & mortua est. Hinc statutum aiunt, vt de cætero futuri Pontificis virilia tangantur. Hanc secutus Benedictus 3. miserabiliter deplorabat, se fuisse permotum ad onus illud indignum vociferans. Vixit anno 1540 Imp. 117 Carolo 5. Papa 227. Paulo 3.

De Pontificum Romanorum Emissarijs.

EXtat liber hoc titulo de quo & suprà, in quo inter alia scriptum legitur: Audimus in Papatu membrum virile facetâ autonomasia sæpe appellari Pontificalia. Certè non aliunde, quàm ex hoc ritu ipsis notissimo, quo infimus Diaconus Cardinalis perforamen propendens noui Pontificis membrum attrectat, clamans: HABET.

Marcus Marullus Spalatensis.

SCripsit Euangelistarium libris 7, itemque Epigrammata inter quæ vnum hoc de Paulo 2. Papa tale est:

Quid quæris testes, sit mas, aut fœmina, Cibo?
Respice natorum pignora certa gregem.
Octo recens pueros genuit, totidemq́ puellas:
Hunc meritò poterit dicere Roma patrem.
Spurcities, gula, auaritia, atque ignauia deses,
Hoc Octaue iacent quo tegeris tumulo.

Claruit anno 1465 Imp. 115. Friderico 3. Papa 218. Paulo 2.

Funccius in Chronico.

IOannes Anglicus VIII. eius nominis, puella Moguntina, mentita sexum viri, & sumto adolescentis habitu, cũ amatore suo docto homine, Athenas proficiscitur, promouetq́; plurimũ in bonis artibus. Tandẽ Romam venit, semper dissimulato fœminæ sexu, & ob excellentẽ doctrinam, quâ illi tum Romæ pauci pares, nulli superiores erant, omnium suffragio in Pontificem eligitur. In Pontificatu à seruo compressa, diu occultè ferens onus ventris, proficiscitur ad Basilicam Lateranensem: at inter Theatrum, quod Colosseum vocant, & S. Clementẽ, circumuenta doloribus peperit, eoq́; loci ex partu obijt. Et propter hoc scelus publici partus, Pontificio honore spoliata, sepulta est sine omni pompâ. Et vt Pontifices viri detestari videantur mulieris Pontificis facinus, quando Basilicam Lateranensem petunt, ab eâ plateâ declinant, tanquam à loco Pontificibus Romanis, vt opinor, de malo omine suspecto. Ego Funccius nõ dubito, quin diuinitus hoc ita sit permissum, vt fœmina hæc fieret Pontifex, & eadem meretrix. Nam cùm eo tempore Pontifices sensim sibi Reges subijcere quærerent, vt à Leone cœptũ cum Anglo, & à sequentibus cum alijs omnibus tentatũ, ac post longas rixas &c. obtentum, significare Deum voluisse hac meretrice Pontifice, Magnum illud Babylonicum Scortum, de quo Spiritus sanctus in Apocal. prædixerat, iam tum Romæ potens esse. Sed de hoc in Apocalypsi copiosiùs. Porrò vt eiusmodi errorem in posterum cauerent electores Pontificij, ordinârunt, ne sedes Petri committeretur electo Pontifici, nisi antè Diaconus vltimus eius genitalia per perforatã sellam attrectaret, & testaretur electum Pontificem esse marem. Quod illi Pontifices, qui aliquot seculis pòst venêre, simul ac ad Pontificatum aspirarent, arte anteuerterunt, ne opus esset masculina eorum perscrutari. Tot enim in Diaconatu, Presbyteratu, Cardinalatu Spurios progenuêre, vt mares esse nemo addubitare posset. Quod etiam Iani Pannonij (anno 1518) Pasquillus Romæ cecinit, inquiens de Paparum creandorum immutato ritu:

Petre tuâ quadam fuit ausa sedere cathedrâ,
Orbi terrarum iura ferenda dedit.
Hæc compressa quidem multos latuisset in annos,
Facta foret partu ni manifesta nouo.
Post hæc Roma diu simili sibi cauit ab astu,
Pontificum arcanos quærere sueta sinus.
Nec poterat quisquam reserantes æthera claues,
Non exploratis sumere testiculis.
Cur igitur nostro mos hic iam tempore cessat?
Antè probat quòd se quilibet esse marem.

Claruit anno 1550. Imp. 117 Car. 5. Papa 228 Iulio 3.

Balæus in Chronico.

IOannes octauus, qui ab Anglo quodam Fuldensis cœnobij monacho, quem apprimè dilexit, Anglici cognomentum acceperat, officio Papa, sed sexu fœmina, Romæ duobus annis ac mensibus sex in Pontificali cathedra pontificaliter sedit. Hæc genere Germana, & Moguntina puella, Gilbetta primùm dicta, virilem mentita sexum, sumto adolescentis habitu, Athenas cum suo amatore monacho perrexit. Vbi cùm excellenter in omnibus artibus profecisset, eo tandem mortuo, Romam ipsa redijt: sed dissimulato semper muliebri sexu. Cùm enim ex acutissimo ingenio, & promtissima lingua, in disceptationibus ac lecturis publicis ornatissimè loqueretur: multiq; vehementer admirarentur super eius doctrina, adeò in se conuertit omnium animos, vt mortuo Leone, in Pontificem ab ipsis eligeretur. In quo officio, aliorum Pontificum more, contulit sacros ordines, presbyteros ac diaconos fecit, Episcopos promouit, abbates ordinauit, missas celebrauit, altaria & templa consecrauit, sacramenta ministrauit, pedes osculandos præbuit, cæteraque Rom. Pontificum exercuit munera: & facta eius in Ecclesia non fuerunt tunc irrita. Sub huius mulieris Papatu, Lotharius Imperator senex monachatum induit: & Ludouicus secundus Romam profectus, Imperij sceptrum atque coronam ab eius manu cum Petri benedictione suscepit. In quo facto tam potentem se ostendit Babylonica meretrix, vt subijceret sibi reges, Apoc. 17. Sub ea etiam Ethelvvolphus Anglorum Rex, decimam sui regni partem, pro anima sua, clericis ac monachis muliebriter dedit, vt tradit Houedenus: & filius eius Ethelbaldus, defuncti patris viduam, suamque nouercam Iuditham in vxorem duxit. In Pontificatu verò, à quodam suo familiari capellano, Cardinale, eius sexum cognoscente, compressa, prægnans efficiebatur. Et in quadam processione solenni ad Lateranensem Ecclesiam & Clementis fanum, puerum ex fornicatione conceptum, in media Roma, in ipsa platea, in via publica, coram omni populo peperit: eoque loci ex partu obijt, anno Domini 857. Ac propter hoc scelus publici partus, omni honore Pontificio spoliata sine pompa papali sepulta fuit.

In hoc poteris videre (pie Lector) qualiter Ecclesia Romana post missam de S. S. gratiam non possit errare. Hoc factum reuera, meretricis magnæ sedem, & omnium fornicationum matrem ipsam clariùs esse demonstrat, quàm vllus vnquam Apelles coloribus depingere queat. Vt verò Pontifices & vncti patres id facinus detestari videantur, ab ea platea declinant, tanquam à loco de malo omine valde suspecto. Funccius non dubitat, quin diuinitus sit permissum, vt hæc fœmina fieret Pontifex, & eadem meretrix: cùm eo tempore subderet sibi reges (quales in Anglia Ethelvvolphus & Alphredus erant) vt Antichristum regem agnoscerent. Voluit namque tunc Deus in Papa meretrice, Babylonicum scortum, de quo prædixerat Spiritus sanctus Apoc. 17. mundo manifestare, vt ab illo electi cauerent. Sed ne in posterum in similem casum inciderent patres, néue forsan ab ipso dæmone aliquando, qui quoque colëis & scroto, teste Nicolao Remigio in dæmonolatria & de sagis, omninò caret, decipiantur, ordinauerunt, vt electi Pontificis genitalia per sedem perforatam à Diacono attrectarentur, quò scirent esse marem. Nunc autem ante ipsum Papatum, in Cardinalatu tot Spurios generant, vt nemo dubitet esse mares, nec tam sancta obseruatione sit opus: de qua Ioannes Pannonius: vt suprà.

Hæc Balæus qui claruit anno 1557. Imp. 117 Car. 5. Papa 230. Paulo 4.

Alij è re clericorum, vt Papa sit vir, esse asserunt: quia si Pontifex appendice istâ careret, neque aliquando liberius æstuaret, alijs quanta libidine quaterentur, non posset habere fidem: neque tantum illis aberrantibus conniuere. Castitatem enim (ex proposito) aliam iurare nolunt, nisi quam humana fragilitas patitur. Qua ratione semper minus castè viuere illis licebit, homine nunquam non fragili existente, sed semper errante atque labente. Verùm hæc alijs diiudicanda relinquemus.

Idem Balæus alibi. Ioannes Anglicus, Pontifex olim Romanus, qui eius nominis à Sabellico septimus, à Platina ac Bocatio octauus numeratur, mulier erat, & Ecclesiam illam meretricis magnæ esse sedem atque omnium fornicationum matrem, clarius quàm vllus vnquam Apelles, post plenam ætatem magnæ bestiæ, declarauit. Hæc in Moguntia Germanorum ciuitate, casu quodam nasci, ac Gilberta nuncupari narratur. Contigisse enim dicunt, sacrificum quendam Anglum, vnà cùm vxore grauida illuc aduenisse, visitandorum parentum gratia, ibidemq; deposuisse mulierem hoc sui

ventris onus, & Gilbertam fuisse enixam. Quæ ad maturam ætatem perueniens, dum Fuldense monasterium Angli adhuc frequentarent, Vni eorum impensè erudito monacho, cuius tenebatur consuetudine, adhærebat: & simulato sexu ac nomine, cum eo quasi iuuenis, Athenas est profecta. Vbi post amplexus venereos, tantum in literis ingenij facilitate assiduaque opera sub ipso profecit, vt eo tandem mortuo Romam reuersa, & pro homine Anglo ab illis recepta, in vtrâque lingua tam docendo quàm disputando longè princeps haberetur. Et ex summa eruditione, tanta ipsi Romæ accreuit fama, tantusque hominum fauor, vt mortuo Leone quarto, Romani Papatus apicem sub Ioannis octaui nomine facilè sit adepta. Domestici Cardinalis concubitu tandem prægnans facta (talis est in ipso cœlibatu sanctitas) vterum ad maternos menses mira cœlauit arte. Tum verò ex Vaticano, cùm in processione solenni Lateranensem basilicam inuiseret, inter Neronis Colosseum & Clementis fanum, obortis repentè partus doloribus enixa est, & eo loci defuncta. Statuitur, vt deinceps creandorum Pontificum genitalia, ab vltimo Cardinale diacono ex perforata sede attrectarentur, hac voce data: Testiculos habet: ne in posterum eo astu fœmineo patres deciperentur. At frustra certè illud fit: cùm mares esse testentur cùm concubinæ, tum nothi. Scriptis dedisse dicitur hæc ingeniosa & docta mulier

Necromantica quædam Lib. 1.

Qua quidem arte, à soluendo statim post mille annos à nato Seruatore, Satana, Papatum obtinuit Syluester secundus, & post illum alij multi: ac manet apud eos eadem practica in hunc vsque diem. Obijt hæc fœmina Papa anno Christi 857. & sui Pontificatus tertio, Romæ sine pompa Papali sepulta. Poterat & hoc inter Bonifacij magni Germanorum Apostoli maiora miracula poni, quòd ille condidisset Fuldense Cœnobium: si non tacuissent Chronicorum scriptores monachi vtrumque eius Amasium fuisse monachum, posteriorem verò Cardinalem.

Rosuida siue Rosouita virgo. 855.

Circa idem tempus etiam floruit Rosuida, nobilis mulier in Saxoniâ nata, in Gandeshemensi cœnobio sacromonialis, miro ingenio & doctrinâ clara, & in vtroq; scribendi genere admirabilis. Virgines sacratas, ad castitatem & continentiam hortando, Latino sermone conscripsit comœdias sex. De gestis Othonum panegyricum versu hexametro. In laudes beatæ Virginis elegiaco & hexametro versu lib. 1. Item passionem S. Dionysij carmine elegiaco. Item de S. Gangolpho & alijs sanctis plura. Græcæ etiam linguæ notitiam habuit: Coætanea Ioan. Anglici, qui doctrinâ suâ papatum meruit: de quibus etiam Gyraldus.

Inter alia sic scribit hæc Rosuita:

Qualiter & recti compunctus acumine zeli
Summum Pontificem quædam peruersa patrantem,
Eius nec monitis dignantem cedere crebris
Sedis Apostolicæ fraudari fecit honore:
Constituens alium rectoris nomine dignum.

Ex quibus constat Papas vt nunc, sic etiam olim peruersa patrasse, & sine peccato, prout adulatores eius statuunt, non esse: proindeque ab Imperatoribus & constitutos & deiectos fuisse. Vixit anno 855. Imp. 80 Lothario 4. Papa 102 Ioan. 8.

Insignes mutationes. 855.

Hoc anno insignes mutationes in Ecclesiâ & Republicâ contigerunt: nam ex meretrice mulierè Papa, & Imperatore Lothario factus est monachus. Æmilius, Auentinus, Carion & alij.

Portenta. 855.

Apud Treuiros in æde sacrâ, & sellâ Episcopi, ater canis visus, subitò nusquam comparuit. Moguntiaci Calend. Ianuar. magnus fuit terræmotus, qui S. Vrbani templum, ac vrbis muros diuersis in locis prostrauit. Lyco. Imp. & Papa vt sup.

Fulcuinus Morinorum Episcopus. 855.

Hic etsi fulgeret clarissimis natalibus, non tamen more huius seculi sacerdotum, inertes spectabat Principum aulas: verùm sui memor officij summa diligentia oppida, castella, vicosque docendo obiens gentis, 40 annis ad extremam vsq; senectam, nullum intermisit laborem. Meyerus. Imp. 80 Lothario. Papa 102. Ioan. 8.

Methodius Illyricus.

860. DE eo Auentinus scribit in Bauaricis annalibus, quòd Sclauis literarum characteres inuenerit, sacrasque literas in vulgarem sermonem verterit. Ait quoque eum impulisse Dalmatas, aliosque Illyricos, vt abolita lingua latina, vulgari in sacris mysterijs peragendis vterentur. Quin etiam affirmant, eum ritus Romanos penitus ex illis Ecclesijs explosisse. Eo opere perfecto, dicit illum etiam in Bauariam peruenisse, idem & ibi tentaturum: sed Sacerdotes ac Episcopos concitasse in eum Principes ac populos, ita vt in Morauiam bonus homo aufugerit, vbi mortuus, ac Olmutiæ sepultus sit.

Syluius dicit, diu multumque in Romana quadam synodo deliberatum esse, an sit Sclauis seu Vandalis permittendum, vt vulgari lingua in Sacris peragendis vtantur? Sed tandem cœlitus auditam vocem: Omnis lingua laudet Dominum: sicque eis concessum esse. Imp. 81 Lud. 2. Papa 104 Nicolao 1.

Epistola Episcoporum Belgicorum ad Nicolaum Papam expostulatoria.

860. HAbetur apud Auentinum lib. 4. his verbis: Nicolao Pontifici Guntherus, & Theodogutho, &c. Patres, Episcopi, & fratres coëpiscopi nostri nos ad te misere, ipsi quoque sponte Romam venimus, acta tibi obtulimus, vt si quid in his peccatum, erratúmue videretur, tanquam parens pientissimus benignè & modestè, vt præceptorem decet, commonefaceres. Tu verò accepto libello nostro, viginti ampliùs diebus nullum omninò, vel per internuncios responsum reddidisti: tantum abfuit, vt in conspectum tuum admitteres. Nos ociosi sedimus Romæ. Post mensem demum ferè nos accersitos, vbi absque cunctatione aduolauimus, nihil mali suspicantes, quasi more latronum oppressisti. Nam statim, vbi in ædes recepti sumus, pessulo foribus obdito, circundatos turbâ paganorum, expoliatos itaque omni ope humana, & comites nostros sacratis profanisque exclusisti: ibi contra fas, contra decreta, moremque maiorum, sine cœtu Ecclesiastico, cùm circumstetisset nemo Archiepiscopus, nemo Pontificum & symmistarum accessisset, neque tu, aut de errore nostro quicquam penitus disseruisti, aut ratione aliqua, testimonio, scripto, aut argumentis errorem per te arguisti: sed subitò & de improuiso, cùm lateri tuo adhæreret Anastasius monachus ambitus condemnatus, sententiam contra nos iniustam, temerariam, & nefariam, & Christianæ religioni repugnantem, de chartula effudisti, & satis proteruè tuis fratribus atque conseruis verbis illusisti. Immortalis Imperator Augustam, & Sponsam suam clara æternaque supellectile instruxit, dote non fragili ac conducta condecorauit, sed perpetuo diademate ac sceptro prouexit. Fecit eidem potestatem atque copiam, vt diuos consecraret, cœlo assereret, ægros curaret, mortuos immortalitate donaret. Quæ beneficia tu veluti latro intercipis, templo Dei prætripis, in teque transfers, atque lupus factus es ouibus, viuos occidis, fortes superis detrahis, vulneribus ad inferos extrudis, gladium melle litum condis contra mortuos, quibus per te reuiuiscere non licet. Tu Pontificis quidem personam præ te fers, at tyrannum agitas: sub cultu & habitu pastoris lupum sentimus. Titulus parentem mentitur, tu te factis Iouem ostentas: cum sis seruus seruorum, dominus dominantium esse contendis. Atqui, iuxta disciplinam Christi Seruatoris nostri, infimus es omnium ministrorum templi Dei. Tu verò libidine dominandi in præceps abis, quicquid tibi libet, licet, fucusque factus es Christianis.

Hisce de causis nos cum fratribus nostris & collegis, neque edictis tuis stamus, neque vocem tuam agnoscimus, neque tuas bullas tonitrúaque tua timemus. Tu eos, qui Senatusconsultis non parent, impietatis condemnas, ijsdem sacrificijs interdicis: Nos tuo te ense iugulamus, qui edictum Domini Deique nostri conspuis, concordiam collegij discindis, pacem, immortalem cœlestis Principis tesseram violas. Spiritus sanctus autor est omnium Ecclesiarum, qua longissimè & latissimè terrarum orbis porrigitur. Ciuitas Dei nostri, cuius municipes sumus, ad vniuersos cœli cardines pertinet, maiorque est vrbe, quæ Babylonia à sacris vatibus appellatur, vt quæ diuinitatem vsurpet, cœlo se æquet, se æternam fore iactitet, perinde ac si esset Deus immortalis, quæq; sic sapiat, vt non vnquam se errasse, aut errare posse, mendaciter glorietur. Vt sup.

Nicolaus primus Papa.

860. DE hoc Regino & Platina scribunt, eum tantæ fuisse maiestatis, & autoritatis, vt ab omnibus tanquam numen coleretur. 2. Thess. 2. Et quòd Regibus ac Tyrannis imperauerit, eisq; , quasi dominus orbis esset, præfuerit. Hæc illi. Imp. 81 Ludouico 2. Papa. vt sup.

Hulderici Episcopi Augustani rescriptio, in qua Nicolao 1. Papæ de continentia clericorum non iustè sed impiè, non canonicè, sed indiscretè tractanti, hoc modo respondit.

Nicolao Domino & Patri peruigili, S. Rom. Ecclesiæ prouisori, Huldericus Augustensis solo nomine Episcopus, amorem vt filius, timorem vt seruus.

Cùm tua, ô pater & Domine, decreta super clericorum continentiam, nuper mihi transmissa à discretione inuenirem aliena, timor quidam turbauit me cum tristitia. Timor quidem propter hoc quod dicitur, pastoris sententiam siue iustam siue iniustam timendam esse. Timebam enim infirmis scripturæ auditoribus, qui vel iustæ vix obediunt sententiæ, vt iustam conculcantes liberè onerosâ, imò importabili pastoris præuaricatione præcepti se obligarent. Tristitia verò vel cōpassio, dum dubitabam, qua ratione membra cauere possent, capite suo tam graui morbo laborante. Quid enim grauius, quid totius Ecclesiæ compassione dignius, quàm te, summæ sedis pontificem, ad quem totius Ecclesiæ spectat examen, à sancta discretione vel minimum exorbitare? Non parum quippe ab hac deuiasti, dum clericos, quos ob continentiam coniugij monere debebas, ad hanc imperiosa quadam violentia cogi volebas. Numquid enim meritò communi omnium sapientum iudicio hæc est violentia, cùm contra Euangelicam institutionem, ac sancti spiritus dictationem, ad priuata aliquis decreta cogitur exequenda? Cùm ergò plurima veteris ac noui Testamenti suppetant exempla, sanctam vt nosti, discretionem docentia, tuæ rogo ne graue sit paternitati, vel pauca ex pluribus huic paginæ interseri. Dominus quidem in veteri lege sacerdoti coniugium constituit, quod illi postmodum interdixisse non legitur. Sed in Euangelio loquitur: Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, sed non omnes hoc verbum capiunt: qui potest capere, capiat. Quapropter Apostolus ait: de virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quòd etiam iuxta prædictum Domini, non omnes hoc consilium capere posse consideras, sed multos eiusdem consilij assentatores hominibus non Deo pro falsa specie continentiæ placere volentes, grauiora vides committere, patrum scilicet vxores subagitare, masculorum ac pecudum amplexus non abhorrere, ne morbi huius aspersione adusque pestilentiam conualescente, nimirum status labefactetur Ecclesiæ totius: Propter fornicationem, dixit, vnusquisque suam vxorem habeat. Quod specialiter ad Laicos pertinere, ijdem mentiuntur hypocritæ: qui licet in quouis sanctissimo ordine constituti, alienis reuera vxoribus non dubitant abuti. Et quod flendo cernimus, omnes in suprà dictis sæuiunt sceleribus. Hi nimirum scripturam non rectè intellexerunt, cuius mamillam quia durius pressêre, sanguinem pro lacte biberunt. Nam illud Apostolicum, vnusquisque suam habeat vxorem, nullum excipit verè, nisi professorem continentiæ, vel eum, qui de continuanda in Domino Virginitate præfixit. Quod nihilominus tuam, Pater venerande, condecet strenuitatem, vt omnem qui tibi manu vel ore votum faciens continentiæ, postea voluerit apostatare, aut ad votum exequendum ex debito constringas, aut ab omni ordine, canonica autoritate deponas: & hoc vt viriliter implere sufficias, me omnesque mei ordines viros adiutores habebis non pigros. Verùm, vt huius voti nescios omninò scias non esse cogendos: audi Apostolum dicentem ad Timoth. Oportet, inquam, Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum. Quam ne quis sententiam ad solam Ecclesiam verteret, subiunxit: Qui autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Similiter, inquit, diaconi sint vnius vxoris viri, qui filijs suis benè præsint, & suis domibus. Hanc autem vxorem à sacerdote benedicendam esse, sancti Syluestri Papæ decretis scio te sufficienter docuisse. His & huiusmodi sanctis scripturæ sententiis, Regulæ clericorum scriptor non immeritò concordans ait: Clericus sit pudicus, aut certè vnius matrimonij vinculo fœderatus. Ex quibus omnibus veraciter colligit, quòd Episcopus & Diaconus reprehensibiles notantur, si in mulieribus multis diuiduntur: si verò vnam sub obtentu religionis abijciunt, vtrumque scilicet Episcopum & diaconum sine graduum differentia, hîc canonica damnat sententia: Episcopus aut presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat: si verò reiecerit, excommunicetur: & si perseuerauerit, deijciatur. Sanctus quoque Augustinus, sanctæ discretionis non inscius: Nullum, inquit, tam graue facinus est, quin admittendum sit, vt deuitetur peius. Legimus præterea in secundo Tripartitæ Ecclesiasticæ historiæ libro, quòd cùm synodus Nicæna hæc eadem vellet sancire decreta, vt videlicet Episcopi presbyteri, diaconi post consecrationem à propriis vxoribus vel omninò abstinerent, vel gradum deponerent: surgens in medio Paphnutius ex illis Martyribus, quos Maximus Imperator, oculis eorum dextris euulsis, & sinistris suris incisis damnauit, contradixit, honorabiles confessus nuptias, ac castitatem esse dicens connubium cum propria vxore: persuasitque concilio, ne talem ponerent legem: grauem asserens esse causam, quæ aut ipsis, aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum expers exposuit: synodusque eius sententiam laudauit, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in vniuscuiusque voluntate, non in necessitate dimisit. Sunt verò aliqui, qui sanctum Gregorium suæ sectæ sumunt adiutorium: quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo. Ignorant enim, quòd periculosum huius hæresis decretum à S. Gregorio factum, condigno pœnitentiæ fructu postmodum ab eodem sit purgatum. Quippe cùm die quadam in uiuarium suum propter pi-

sces misisset, & allata inde aliquot centena (plus quàm sex millia habet αὐτογραφον, sed puto errorem esse in numero) infantum submersorum capita fuissent, intima mox ductus pœnitentia ingemuit, & factum à se de abstinentia violentum decretum tantæ cædis causam confessus, condigno illud, vt dixi, pœnitentiæ fructu purgauit: suoq; decreto prorsus damnato Apostolicum illud laudauit consilium: Melius est nubere, quàm vri, addens ex sua parte, Melius est nubere, quàm mortis occasionem præbere: quem forsitan rei euentum si illi mecum legissent, non tam temerè, credo, iudicarent, Dominicum saltem timentes præceptum: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Inde Paulus dicit: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? suo Domino stat, aut cadit. Stabit autem, potens est enim Dominus statuere illum. Cesset ergo sanctitas tua cogere, quod tantùm deberet admonere: ne priuato, quod absit, præcepto, tam veteri quàm nouo contrarius inueniaris Testamento. Nam, vt ait S. Augustinus ad Donatum, solum est, quod in tua iustitia pertimescimus, ne non pro lenitatis Christianæ consideratione, sed pro immanitate facinorũ censeas coërcendum: quod te per ipsum Christũ, ne facias, obsecramus: Sic enim peccata compescenda sunt, vt supersint, quos peccasse pœniteat. Illud & Augustini volumus te recordari, quod ait: Nihil fiat nocendi cupiditate, omnia consulendi charitate: & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Idem de eodem: in timore Christi, in nomine Christi exhortor, quicunq; non habetis temporalia, habere nõ cupiatis: quicunq; habetis, in eis non præsumatis. Dico autẽ, non, si ista habetis damnamini: sed si in istis præsumatis, damnanimi, si propter talia magni vobis videamini, si generis humani conditionem communem propter excellentem vnitatem obliuiscamini. Quod nimirum poculum discretionis ex illo fonte Apostolicæ hauseritis prædicationis: Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem: alligatus es vxori, noli quærere solutionem: vbi & subditur: Qui habent vxores, tanquam non habentes: & qui vtuntur mundo, tanquam non vtantur. Item dicit de vidua: cui vult, nubat, tantùm in Domino. Nubere autem in Domino est, nihil in contrahendo connubio, quod Dominus prohibeat, attentare. Ieremias quoque ait: Nolite confidere in verbis mendacij dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est. Quod Hieronymus exponens: Potest, inquit, & hoc illis Virginibus conuenire, quæ iactant pudicitiam suam impudenti vultu: præferunt castitatem, cùm aliud habeat conscientia: & nesciunt illam Apostoli definitionem de virgine, vt sit sancta corpore & spiritu. Quid prodest corporis pudicitia, animo constuprato: si cæteras virtutes, quas propheticus sermo describit, non habuerit? Quas quidem, quia te aliquatenus habere videmus, & quia discretionem, licet in hac re neglectam, in aliis tamen vitæ constitutionibus eam honestè conseruatam non ignoramus: huius intentionis prauitatem citò correcturum non desperamus. Et ideò non quanta possumus grauitate, istam, licet grauissimam, negligentiam corripimus, & iudicamus. Quanquam enim secundum vocabula, quæ vsus obtinuit, sit Episcopus presbytero maior: tamen Augustinus Hieronymo minor est, & à minori quolibet non est refugienda vel dedignanda correptio: præsertim cùm is, qui corripitur, & contra veritatem, & pro hominibus niti inuenitur. Neq; enim, vt ait S. Augustinus ad Bonifaciũ, quorumlibet disputationes, quamuis catholicorum & laudatorum virorum, velut scripturas canonicas habere debemus: vt non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur, aliquid in eorum scriptis improbare atq; respuere, si fortè inuenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habeat diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Quid autem magis contrariũ veritati potest inueniri, quàm hoc, cùm ipsa veritas de continẽtia loquens, nõ vnius hominis, sed omniũ planè, excepto numero, professorũ continentiæ dicat: Qui potest capere, capiat. Quòd isti vnde nescitur instigati dicant: Qui nõ potest capere, feriatur anathemate? Quid verò per homines fieri potest stolidius? Quid diuinæ maledictioni obligatius, quá cùm aliqui, vel Episcopi videlicet, vel Archidiaconi, ita præcipites sint in libidinẽ, vt neq; adulteria, neq; incestus, neq; masculorum (proh pudor) turpissimos amplexus sciant abhorrere, quòd casta clericorũ coniugia sibi dicant fœtere, & ab eis non veræ iustitiæ compassione, clericos vt conseruos moneant continere, sed vt seruos iubeant ac cogant abstinere? Ad cuius imperij, ne dicam consilij, tam fatuam, tam turpem addunt suggestionẽ, vt dicant: Honestius est pluribus occultè implicari, quàm apertè in hominum vultu & conscientia cum vna ligari. Quod profectò non dicerent, si ex illo & in illo essent, qui dicit: Væ vobis pharisæis, qui omnia facitis propter homines. Et per Psalmistam: Quia hominibus placent, confusi sunt, quoniam Dominus spreuit eos. Hi sunt homines, qui prius deberent nobis persuadere, vt in conspectu eius, cui omnia nuda & aperta sunt, erubescamus peccatores esse, quàm in conspectu hominum mundi esse. Licet ergò meritò suæ prauitatis nullius consilium mereantur pietatis: nos tamen memores humanitatis diuinæ, eis consilium autoritatis nunquam à pietate vacantis, per viscera ministramus charitatis. Dicimus nempe: Eijce primùm Hypocrita trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt eiicias festucam de oculo fratris tui. Illud quoque rogamus eos attendere, quod Dominus dicit de meretrice: Qui sine peccato est vestrûm, primus in eam lapidem mittat, quasi diceret: Si lex iubet, si Moses iubet, iubeo & ego, sed competentes legis ministros exigo. Attenditis quid addit is: attendite quæso, & quid estis: quia, si teipsum, vt ait scriptura, perspexeris, nulli vnquam detraxeris. Significatum est nobis etiam de quibusdam eorũ, qui tanta apud se intumescant elatione, vt gregem Domini, pro quo boni pastores animas non dubitant ministrare, isti verberibus absq; ratione præsumãt laniare, quorũ sententiã S. Gregorius deplorans ait: Quid fiet de ouibus quádo pastores lupi fiunt? Sed quis vincitur, nisi qui sæuit? Quis verò persecutorẽ iudicabit, nisi qui dorsum suum ad flagella patienter ministrauit? Operæprecium est autem, vt audiatur, quo fructu tantum Ecclesia Dei scandalum, tantũ clerus despectum, & ab ipsis Episcopis, & ab eorũ infidelibus patiatur.

Nec enim eos infideles dicere dubitauerim, de quibus Apostolus Paulus dicit ad Timotheum: Quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium Nubere. Hic est autem, si diligenter inspiciatur, totius eorum manipulus zizaniæ, totius conuentus insaniæ, vt dum clerici licita vnius mulieris consortia pharisaico deuicti, quod absit, furore, relinquere coguntur, fornicatores & adulteri & aliarum prauitatum turpissimi ministri cū ipsis efficiantur. Qui hanc in Ecclesia Dei hæresin, sicut cæci duces cæcorum machinantur, vt videlicet illud impleatur, quod Psal. eis, vtpote eorum præscius erroris, taliter imprecatur: Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Quia ergò nemo, qui te, ô Apostolice, nouit, ignorat, quòd si tu per tui decreti sententiam, tantam futuram esse pestilentiam, solidæ discretionis claritate perspexisses, nunquam quorumlibet tam prauis suggestionibus consensisses: debitæ tibi subiectionis fidelitate consulimus, vt vel nunc ad tanti scandali ab Ecclesia Dei propulsionem euigiles: & qua nosti discretionis disciplina, pharisaicam ab ouili Dei extirpes doctrinam, ne scilicet vnica Domini Sunamitis, adulterinis diutius vsa maritis, gentem sanctam, regale sacerdotium, per irrecuperabile à suo sponso, Christo videlicet, auellat diuortium, dum nemo sine castimonia non tantùm in Virginali flore, sed etiam in coniugali habita coniunctione, visurus sit Dominum nostrum: qui cum Deo patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Hunc S. Vdalrichum, Augustanæ Ecclesiæ Episcopum, anno Domini 974. in Vincentij speculo (quod etiam Funccius est secutus) vita defunctum, est annotatum. Sed nos cum Frisio Aeneæ Syluij, Pij II. Pont. dicti sententiam sumus secuti, qui in sua Germania scribit de S. Hudalrico: vixisse eum anno 900. ætatis suæ 83. quo etiam, vti Iacobus de voragine in aurea legenda cap. 202. disertè scribit, & omnes historici consentiunt, obierit. Natus ergo esset anno 817. Ad Episcopatum autem promotus fuit earundem historiarum communi consensu, anno ætatis 50. claruit ergo anno 867. vel circiter, & primo sui Episcopatus, & vltimo Pontificatus Nicolai I. (qui obijt teste Panuinio, eiusdem anni Idib. Nouemb.) ad ipsum epistolam istam memorabilem de cælibatu sacerdotum, scripsit.

Plura & accuratiora de hac causa, vide in Rodolphi Hospiniani libro 3. de origine & progressu Festorum Christianorum.

Communio sub vtraque specie Romæ.

Lotharius Princeps Lottaringiæ, Imperatoris frater excommunicatus, Romam profectus in testimonium absolutionis ad communionem sub vtraque (Nota) specie à Papa Hadr. II. cum multis Nobilibus admittitur, quos omnes intra annum mortuos refert Vincentius in Spec. lib. 25. cap. 39. Ante obitum hujus Papæ, toto triduo sanguinem pluit apud Brixiam. Platina. Imp. 81 Lud. 2. PP. 105. Adriano 2. 872.

Ioannes Nonus 106. PP.

Hic pecuniâ corruptus, Carolum Caluum Imperatorem statuit: qui tamen veneno paulò pòst a Iudæo Mantuæ sublatus & Vercellis sepultus fuit anno Imperij sui secundo. Palmerius, Regino, Sigebertus, Auentinus, Annales VVirtebergici. Sed & bella gessit hic Papa. Platina. Imp. vt suprà. 873.

Fredeuardus Eques.

Hoc tempore ab Fredeuardo mota fuit quæstio de manducatione corporis Domini, sitne illa vera, an tropica, sensibilis an insensibilis, modo corporeo, an spirituali. Pascasius abbas Corb. in lib. de Sacramento altaris. Huius mentionem quoque facit Genebrardus: & ante hos Bertramus & Berengarius. Imp. 38 Carolo 3 Crasso. PP. vt suprà. 879.

Paschasius Rodobertus Abb. Corbeiens.

Hoc tempore vixit latinè & Græcè doctissimus Paschasius Rodobertus, qui inter alios multos scripsit librum de cæna Domini, in quo 8, & 12 capite vtitur vocabulo SOLA, vt eo patres & Lutherus vsi sunt, & Augustinus lib. de fide & operibus cap. 14. 880.

In Cœnobio Corbeiensi singulare fuit, quòd imagines ferè nullas, & Litaniam ab aljs discrepantem habuerunt. Ioannes Letznerus Hardesianus in chronico Corbeiensi.

Idem in Cōment. in Lamentationes Ieremiæ Prophetæ, lib. 4. cap. 3. Ecce iam penè nulla est secularis vitæ actio, quam non sacerdotes Christi administrent. Nulla mundi negotia, in quibus altaris ministri se non occupent. Nulla rerum improbitas, quâ se monasticus ordo non implicet. Penè nulla illecebrosa vitæ blandities, quâ se castitas sanctimonialium non commaculet.

Idem paulò pòst. Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum, dum susceptæ religionis ministerium vertimus ad ambitionis augmentum: dum locum sanctitatis ad terrena

negotia deflectimus, & mundanis actibus implicamur. Ita quod peius est, Lupi pastores fiũt: ministri altaris negotiatores seculi: monachorum societas, vitiosorum contubernium: sanctimonialium adgregatio, domicilium vitiorum &c. Et alibi in Romanenses acriter, scelera, auaritiam, & defectionem à vijs veritatis illis exprobrans, inuehitur. Nam lib. 2. in 2. cap. Ierem. Lamentat. ait: Insuper plures quamuis rectè doceant, ea quæ benè docuerunt, suis prauis, non dico minima, verùm etiam maiora exemplis dissoluunt. Et omnia aut lucri causa faciunt, aut erroris, aut iactantiæ, vel desidiæ. Neque enim curam gerunt animarum, sed cuncta sui causa faciunt: sub hypocrisi loquentes tantùm, vt ea obtineant, quæ sectantur. Falsi igitur Prophetæ hi omnes probantur, quia viam Dei in veritate non docent.

Idem. Sacerdotes templorum Dei ex sacris lucrum & quæstum faciunt, & omnia quæ nobis in commune gratis data sunt in proprietatem nostræ salutis, crudeliter venalia faciunt.

Idem. Quia in aduersis Ecclesiæ ordinibus nostro tempore multi seculi amatores connumerantur, iure plangitur.

B. Remigius super Ioa. 12.

880. Qvicunque Episcopus gratiam spiritus sancti vendiderit, etiamsi in conspectu Dei pontificali stolâ fulgere videatur, jam ante Dei oculos sacerdotio priuandus est. Imp. Carolo 3. Papa Ioan. 9. vt suprà.

Ansegisus Abbas.

880. EXtat opus huius Abbatis decreta vtilia Caroli Magni, & eius filii complectens. Quòd in templis tantùm canonici libri, id est, sacræ literæ legi debeant: libro 1. cap. 19. Quòd redditus Ecclesiastici inter pauperes & sacerdotes diuidi debeant: lib. 1. cap. 80. Ne clerici præsumant à quoquam accipere eiusmodi donationem, quæ in magnum damnum liberorum, aut aliorum hæredum cedere possit: lib. 1. cap. 83. Vidit nimirum ille sapientissimus, sacrificos solêre moribundis cerebrum excantare, & persuadere, vt neglectis liberis sibi magnam sortis partem, aut etiam totam legent. Eodem primo libro, cap. 103. sub titulo, de pabulo verbi diuini nunciando, est sanctissima lex his verbis exposita: Episcopi siue per se, siue per vicarios pabulum verbi diuini sedulò populo annuncient. Et ipsi Clerum sibi commissum in sobrietate & castitate nutriant: superstitiones, quas quibusdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent.

Libro secundo cap. 38. tit. de corporis & sanguinis Domini laicorum communione, est decretum, vt laici ad minimum ter in anno communicent. Vadianus in Æol. & Troade, multarum Germanicarum synodorum, quæ post Carolum fuerunt, testimonia citat, ex quibus patet, communionem sub vtraque specie fuisse in vsu. Quòd sacerdotes non debeant ordinare, nisi prius rectè examinati fuerint. Quòd excommunicatio temerè & sine graui causa fieri non debeat, citaturque 24. q. 3. 10. Quòd omnis simoniacus ingressus sit cauendus: quodq; Episcopi secundum canones à POPVLO & clero suo, sine vllo respectu personarum, habita tantùm meriti vitæ, & doni sapientiæ ratione, eligi debeant, vt exemplo & doctrina populum instruere possint. Hoc decretum & Gratianus dist. 63. recitat. Verba eius sunt hæc: Sacrorum Canonum non ignari, vt Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, adsensum ordini Ecclesiastico præbemus: vt scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi secundum statuta Canonum de propria diocæsi (remota personarum ac munerum acceptione) ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, vt & exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant. Quòd nemo debeat profiteri monachatum, nisi petita à Rege venia, propter multas fraudes, &c. Quòd pueri ac puellæ non debeant ante maturam ætatem intrudi in monasteria. Maturam autem ætatem facit annorum 25. Quòd Sacerdotes paterno affectu plebem & auditores regere debeant. Ad cantum & psalmodiam ac liturgiam Romanam solùm monachos obligauit, alios sacerdotes minimè. Valdè item pauca festa Carolus celebrari voluit, nempe diem Dominicum, Pascha cum præcedente hebdomada, Pentecosten, Petri & Pauli, natiuitatem Baptistæ, assumtionem Mariæ, Remigij, Martini, Andreæ, Natale Domini, & sequentes dies quatuor, Epiphaniam, Purificationem: & eorum martyrum festa in suis tantùm locis celebrari voluit, vbi corpora eorum jacerent. Luxum sacrificorum, & planè omnem eorum licentiam, vehementer coërcuit. Statuit item de voluntate ac consensu totius sui regni, ne sacerdotibus in bellum pugnandi causa ire liceat, sed tantùm docendi & procurandæ religionis gratia: tunc ægerrimè sacrifici tulerunt, questique sunt, sic suas libertates ac jura imminui: vt ex ipso Decreto apparet.

Per-

Præcepit etiam, vt monachi & sacerdotes literis sedulò operam darent, emendatè & rectè scriberent, in omnibus contuberniis monachorum & Episcoporum ædibus pueros docerent. Mendicis palantibus vetuit quicquam tribui, suos quamque regionem inopes alere, sanos & validos labore victum quæritare, ac desiderio sufficere manus iussit. Idcircò opes Ecclesiasticas in locupletioribus templis in tres diuisit partes, duas egenis, tertiam sacerdotibus attribuit. In ædibus augustioribus donaria æqua lance inter egenos & sacerdotes bipartitus est. Autor & aliarum legum fuit, in quibus cauit: ne temerè & passim sacrificiis interdiceretur: néue cadauera in fanis humarentur: neu sacerdotes auaritiæ, venerique dediti essent: Vt Pontifices officio publicè in templo docendi plebem fungerentur: vt Sacerdotes auaritiam, gulam, cauponas, negotia prophana, familiaritatem mulierum euitarent, aut sacerdotio cederent, aut tribu mouerentur: vt fures, homicidæ, & huiusmodi crimina committentes, si ad asylum, templūve fuga elapsi forent, repeterentur, atque vi eriperentur. Quòd si quis monachorum, Pontiféxue præfectusue, illos reddere recusaret, satis daret damni infecti, compensandique præstare promitteret: si illorum quispiam aufugisset, id non sua opera esse factum, iuraret. Ius summa diligentia assiduè dixit, nonnunquam dum manè indueretur: tanti temporis jactura apud eum erat.

Nulli plures ducatus, præfecturasque, aut sacerdotia concessit dictitans, sibi & alios demerendos, beneficiisque oppignorandos esse. In Episcoporum Senatum haud temerè quempiam adlegit: eruditionem atque bonitatem in cooptandis illis potissimum spectauit. Neminem, nisi antea sibi probatum & cognitum, creauit: nam eum ordinem ad pristinum modum, & splendorem à D. Paulo præscriptum reduxit. Curiosè cauit, ne quis auarus, aut ambitiosus, luxúue perditus, vnquam Pontificalem apicem adipisceretur. Hildegardæ Reginæ petenti pro sacrificulo suo ac idem proceribus aulæ rogantibus, respondit: Idoneo, etsi pauperi, jam destinaui: Imperatorem mentiri aut falli non decet, vt obtrudat superis, cuius vitam, mores, ingenium ignoret, & tantóne oneri par sit, compertum non habeat. Episcopum Moguntinum quòd lituum aureum, distinctum gemmis, instar Cæsarei sceptri, vsurpasset, seuerissima coërcuit oratione: eidem auaritiam & superbiam pro concione propalàm exprobrauit indignabundus, & clamitans: En ait, pastores nostros, crucem Christi professos, qui spreta cura, & pascendarum ouium solicitudine, ostentatione, opibus, luxu, Imperatorem quemuis opulentissimum lacessunt. Imp. 83. Carolo 3. PP. vt suprà.

Idem Abbas in legibus Francicis libro 1. capite 21. In Concilio Chalcedonensi statutum, non oportere Episcopos, aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari, quia vtrique deponendi sunt, & qui ordinant, & qui ordinantur: nec non & qui mediator est inter eos. Item de eadem re in Canonibus Apostolorum legitur, quam hæresim iam ipse princeps Apostolorum in Simone mago terribiliter damnauit.

Idem libro 4. capite 47. Iussit vt monachi, & qui in sacerdotali gradu constituti sunt, ad secularia negotia non transirent. Vt Episcopi, & Abbates, & Abbatissæ cuplascanum non haberent, nec falcones, nec accipitres, nec joculatores. Vt clocas (campanas) non baptizarent, nec chartas per perticas penderent propter grandinem.

Synodus Macrensis. 881.

DVo sunt (verba synodi) quibus principaliter mundus hic regitur: Auctoritas sacra Pontificum & Regia potestas. Solus enim Dominus noster Iesus Christus verè potuit fieri Rex & Sacerdos: post incarnationem verò & resurrectionem, atque assensionem eius in cœlum, nec Rex Pontificis dignitatem, nec Pontifex Regiam potestatem sibi vsurpare præsumsit. Sic actionibus propriis, dignitatibusque ab eo distinctis, vt & Christiani Reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium rerum cursu Regum dispositionibus vterentur: quatenus Spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & in Deo militaris Domino minimè se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretnr, qui esset negotiis secularibus implicatus, &c. Et paulò pòst: Quoniam ad exteriora negotia partim necessitate barbarici clamoris partim negligentia nostri temporis dilapsi sumus, & aliud ex honore suscepimus, atque aliud officio actionis exhibemus, ministerium prædicationis relinquimus, & ad pænam nostram vt video, Episcopi vocamur: qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Relinquunt namque Dominum hi, qui nobis commissi sunt, & tacemus, cum in prauis actibus jacent, & correctionis manum non tendimus. Quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim secularibus intenti, tantò insensibiliores intus efficimur, quantò ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur. Vsu quippe terrenæ curæ à cœlesti desiderio obdurescit animus: & cùm ipso suo vsu durus efficiatur, per actionē seculi Adæ emolliri nō valet ad ea, quæ pertinent ad charitatem Domini: quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus: Domini causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.

Impletum est in nobis profectò quod scriptum est: Et sicut erit populus, sic sacerdos: Sacerdos enim non distat à populo, quando nullo suæ vitæ merito vulgi transcendat actionem. Ecce jam penè nulla est seculi actio, quam non sacerdotes administrent. Quanto autem mundus gladio feriatur, aspicimus, quibus quotidie percussionibus intereat populus, videmus: cuius hoc nisi nostro præcipuè peccato agitur? Ecce depopulatæ vrbes, euersa castra Ecclesiæ, ac monasteria destructa in solitudinem agri redacta sunt: sed nos pereunte populo auctores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro enim peccato populi turba prostrata est: quia faciente nostra negligentia, ad vitam erudita non est. Pensemus ergò. Qui vnquam per linguam conuersi nostram, de peruerso suo opere nostra increpatione correpti pænitentiam egerunt? Quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? Quis auaritiam, quis superbiam declinauit? hic pastores vocati sumus, & cùm ante æterni pastoris oculos venerimus, eò gregem nostra prædicatione conuersum non ducemus. Sed vtinam si ad prædicationis virtutem præsufficimus, loci nostri officium in innocentia vitæ teneamus. Imp. & PP. vt suprà.

883.

Martinus 2. Papa 107.

HIc malis artibus Pontificatum adeptus breui moritur. Platina. Imp. vt suprà.

885.

Adrianus 3. Papa 108.

HIc primus Imperatorem ab electione Papæ planè excludendum esse, legem tulit. Simonetta, Blondus, Nauclerus, Platina. Imp. vt suprà.

890.

Fabianus.

IN Anglia Episcopi & monachi pro defunctorum animabus tunc fortiter orabant: sed interim exinaniebant hominum loculos. Imp. 83. Carolo Crasso. PP. 109. Steph. 5.

890.

Alphredus Rex Anglorum.

AB Hadriano Pontifice vnctionem, & coronam Anglorum primus accepit, vnde filius Rom. Papæ dictus: fuit Rex doctissimus & varia scripsit, Magnus inde vocatus. Ab eo anno vsque ad annum Domini 1538. sunt anni 666. qui faciunt plenum Bestiæ numerum Apoc. 13. in quo Henricus octauus, qui Tyrannicum Pontificis jugum excusserat, omnes monachorum sectas è suo regno deleuit, Cœnobiaque euertit. Imp. Carolo Crasso. PP. Steph. 5. vt sup.

890.

Almannus monachus Gallus.

DEsolationem Franciæ, quæ suo tempore à Normannis vastabatur: & sui quoque monasterij prædixit & deplanxit. Imp. Carolo Crasso. PP. Steph. 5. vt sup.

890.

Ansbertus lib. 6. in Apoc. c. 13.

BAbylonem illam secundam appellat Romam: vt & lib. 8. c. 17. Imp. & PP. vt sup.

892.

De Formoso 1. PP. 110.

NEscio quo fato accidisse dicam, vt vnà cum industria Imperatorum, simul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit: quæ quidem tempora infelicissima esse arbitror: cùm auctoritate Platonis, tales soleant esse reliqui ciues, quales sunt in republica principes. Platina. Imp. 84. Arnolpho. PP. vt suprà.

894.

Ominosum.

LEpus quidam fugiens, fuga sua deduxit Arnolphi, qui Romam obsidione cinxerat, milites vsq; ad vrbis mœnia, ad quæ ille cursum dirigebat: Illi igitur, dum persequuntur leporem magno clamore, vociferationibus suis adeò terruerunt vrbanos, vt à muris recesserint, & aufugerint: hique sic Roma nullo negotio potiti fuerint. Auent. lib. 4. Blond. Luitprand. lib. 2. c. 7. Imp. 84. Arnulpho. PP. 110. Formoso.

895.

Concilium Triburiense.

CElebratum est sub Imperatore Arnolfo Concilium prope Moguntiam in villa Tribur, ab 22. Episcopis: Vbi etiam de emendandis Clericorũ vitiis, & quæstu actum, & inter alia quoq; sin-

gulari

 Anno

gulari titulo cap. 16. constitutum fuit: vt sepulturam morientium nemo vendat, &c. Sed in fine (Nota benè) subiunctum: Nisi fortè proximi, & amici defuncti, propter nomen Domini, & redemtionem animæ viri, gratis aliquid donare velint. Imp. Arnolfo. PP. Formoso, vt suprà.

Joannes 10. PP. 115.

900.

Platina Ioannis decimi, Formosi & aliorum Paparum facta deplorans ait: Hoc accidisse putârim ego, cùm quia Pontifices ipsi à Petri vestigiis discesserant, tum vel maximè, quia Respublica Christiana ignauos & desides principes habebat, quorum maximè intererat, nauiculam Petri fluctibus exagitari: ne si gubernator aliquando resipisceret, principes ipsos vt malos nautas è Republica deijceret. Imp. 84. Arnulpho.

Finit Centenarius nonus.



CENTENARII NONI IMPERATORES.

Anno Christi.	Num.		Anni.	Mens.	Dies.
801	95	Carolus Magnus.	13	1	4
814	96	Ludouicus Pius Augustus 2.	26	4	24
840	97	Lotharius.	15	3	10
855	98	Ludouicus 2. Iunior.	19	10	0
875	99	Carolus 2. Iunior Calvus.	2	2	0
877	100	Ludouicus 3. Balbus.	1	6	5
879	101	Carolus 3. Crassus.	8	7	0
887	102	Arnulphus.	12	1	19
899	103	Ludouicus IV.	12	0	0
		PONTIFICES.			
816	99	Stephanus V. dictus 4.	0	6	23
817	100	Paschalis Romanus monachus.	7	3	17
824	101	Eugenius 2. Iunior Romanus.	3	6	24
824		14. Zinzinus Romanus.	0		

827	102	Valentinus Romanus.	0	1	10
828	103	Gregorius 4. Romanus.	16	0	0
844	104	Sergius 2. Iunior Romanus.	3	2	3
847	105	Leo 4. Romanus monachus.	8	3	6
855	106	Benedictus 3. Romanus.	2	8	16
855		15. Anastasius 3. Romanus.	0		
858	107	Nicolaus Magnus Romanus.	9	6	20
867	108	Hadrianus 2. Iunior Romanus.	4	11	12
872	109	Ioannes 8. Romanus.	10	0	2
882	110	Marinus Galesianus Faliscus.	1	1	0
884	111	Hadrianus 3. Rom. Agapitus.	1	3	19
885	112	Stephanus 6. Rom. Basilius.	6	0	9
891	113	Formosus Portuensis.	4	6	18
895	114	Bonifacius 6. Romanus.	0	0	15
896	115	Stephanus 7. dictus 6.	1	2	19
	116	Romanus Gallesianus Faliscus.	0	4	23
897	117	Theodorus 2. Iunior Romanus.	0	0	20
	118	Ioannes 9. Tiburtin. monachus.	2	0	15
899	119	Benedictus 4. Romanus.	3	6	15

Anno Christi.	Num.	CONCILIA.	Epis.	Sess.	Can.
802	263	Saltzburgense.			
803	264	Hallense.			
809	265	Aquisgranense.			
811	266	Triburiense.			
812	267	ad Theodonis villam.			56
	268	Moguntinum.			44
	269	Remense.			51
813	270	Turonense.			63
	271	Cabilonense.			26
	272	Arelatense.			
816	273	Aquis granense.			145
824	274	VVormaciense.			
	275	Moguntinum.			
829	276	Aquis granense.			

Aquis-

830	277	Aquiſgranenſe.			
834	278	Moguntinum.			
835	279	Gallicanum.			
837	280	Aquiſgranenſe.			
840	281	Remenſe.			
	282	Meldenſe.			31
848	283	Moguntinum.			
850	284	Romanum 49.			64
855	285	Ticinenſe.			
858	286	Moguntinum.			
862	287	Romanum 50.			
863	288	Romanum 51.			
864	289	Conſtantinop. 21.			
	290	Metenſe.			
	291	Aquisgranenſe.			
	292	Romanum 52.			
	293	Conſtantinop. 22.			
865	294	Romanum 53.			
	295	Francicum.			
867	296	Conſtantinop. 23.			
868	297	Romanum 54.			
869	298	Conſtantinop. 24.	300		
871	299	Colonienſe.			
876	300	Vermerienſe.			
	301	Aciniacum.			
877	302	Pontigonenſe.			
	303	Conſtantinop. 25.			
878	304	Trecenſe.			
880	305	Macrenſe.			
887	306	Colonienſe.			6
888	307	Moguntinum.			24
	308	Rauennas.	74		
896	309	Triburienſe.			58

ORDI-

ORDINES.

Horum hîc nulla fit mentio apud Historicos.

DOCTI VIRI.

Claudius Turonensis Episcopus.
Claudius Clemens Scotus.
Freculphus Episc. Lexouiensis.
Adalbertus Gallus.
Samson Sidonius.
Vergilius Hibernus.
Rabanus Maurus.
820 *Chronicon ordinis Cisterciensis.*
Luitpertus Episc. Moguntinus.
Joannes Zonaras Monachus.
Joannes Turpinus Archiepisc. Remens. & miles.
Annales Ludouici Imperatoris.
Valafridus Abbas.
Aimonus Monachus.
840 *Eutropius presbyter.*
Strabus Monachus Fuldensis.
Godescalcus Presbyter.
Xiphilinus.
Rosuida Monialis docta.
Fulcuinus Morinorum Episcopus.
Anastasius Bibliothecarius Romanus.
860 *Methodius Illyricus.*
Bertramus.
880 *Pascasius Rodobertus Abb. Corbeiens.*
B. Remigius.
Ansegisus.
Fabianus.
Almannus Monachus.
Ansbertus.
900 *Hugbaldus Monachus Gallus: Eclogam scripsit de Caluis, in qua omnia verba incipiunt à litera C.*

LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS DECIMVS.

Benedictus 4. Papa 110.



Platina in huius vitâ virtutem, & pietatem (de quo etiam suprà) defecisse in Pontificibus, & in monstra ac portenta conuersa esse dicit. Idem Sabellicus conqueritur Enneade 9. l. 1. Sed & Cornelius Cornipolitanus in tab. chronologicis refert, omnem à Deo mandatam obedientiam, & reuerentiam erga Imperatores à Pontificibus recessisse. Sed recitabimus ipsius Platinæ verba. Acciderat huic ætati, inquit, quod aliis interdum solet rebus, vt hominum industria in quouis genere virtutis consenesceret, nullis calcaribus adhibitis, quibus hominum ingenia ad laudem excitarentur, quod fieri à benè institutis populis optimisque principibus consueuit. Constat enim (vt antea dixi) Ludouicum Arnulphi filium imperium paternum repetere conantem, eo tempore Veronę captum & interfectum à Berengario fuisse, atque tum primùm genus Caroli Magni, ignauia posteriorum Principum, tam Franciæ, quàm etiam Germaniæ Imperij titulos amisisse.

Verum est certè quod Crispus ait, quæ orta sunt occidunt: quæ aucta, senescunt. Imperium ipsum magnum habuit incrementum: verùm postea principum ac populi Romani ignauia, Splendor ille Romani nominis in obscuras tenebras conuersus est, tum vel maximè, vbi remissa exercitatione virtutis, voluptatibus se, & thermis ad effæminanda corpora iduentis, tradidêre. Idem etiam accidisse pontificali dignitati dicere possumus. Sanctitate enim & doctrina, quæ non nisi magnis laboribus consummataque virtute comparantur, pontificium decus sine vllis operibus, primò quidem auctum est, inter tot hostes & obstinatos persecutores Christiani nominis: mox verò vbi cum ipsis opibus lasciuire cœpit Ecclesia Dei, versis eius cultoribus à seueritate ad lasciuiam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo principe flagitia hominum tum coërcente, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potius, quàm possessa. Hæc Platina. Imp. 84. Arnulpho. PP. vt suprà.

Conradus Hæopagus & Geophardus Argentoratensis vates.

ROmanus pontifex ob scelera malè audiebat vulgò: Venter & ea quæ sub ventre, illis Deus erat. Vino, Ocio, Veneri, Cereri dediti sacras prophanas literas iuxtà contemnebant. Virgines sacratæ passim incestu polluebantur. Adulterio nihil communius erat. Arrogantia, superbia, luxus, libido, auaritia, communia sacerdotum mala inualuerant: leuitatem illi omnem, veste, incessu armis, quasi carnifices circulatoresque præ se ferebant: pauperes, pupillos, viduas compilabant: nemo hos defendebat: carmina amatoria passim cantitabantur, emere, vendere sacra pietas erat. Conradus Hæopagus atque Geophardus Argentoratensis, vates diuini, tum facundiam in vitia sacerdotum, & monachorum auiditatem exercebant. Ac nisi resipiscerent, flagellum Dei Attilam denuò adfore propediem prædicabant. Sed nemo his rectè præcipientibus admonentibusque obtemperabat. Ira Dei mortales urgebat, cùm insipientissimi essent, sapientissimos se esse credebant. superstitionem religioni, vmbram rei speciem pietati præferebant, sed mox pœnas pecudes stolidissimæ crudelissimas dederunt, qui patri indulgentissimo benè monenti obedire detrectârunt. Auent. Imp. 85. Ludouico 3. PP. 116. Benedicto 4.

Ostentum.

HOc anno in vigilia Natiuitatis Christi circiter primum Gallicinum à septentrione subitò nox quasi dies illuxit: hæcque claritas ferè per horam durauit: tandem cœlum contraxit ruborem, & tenebræ noctis redierunt. Quendelberg, & Saxon. chron. Imp. 85. Lud. 3. PP. 116. Bened. 4.

Infelix seculum.

INfelix dicitur hoc seculum, exhaustum hominibus ingenio & doctrina claris, quòd in eo nihil ferè dignum memoria posteritatis gestum sit: vnde ferunt, tunc repertum fuisse quoddam monstrum capite canino & cæteris membris humanis, quod statum illius temporis mirificè referret.

Hoc ipso infelicissimum, quòd Ecclesia sub Cæsaribus esset captiua, sine vllo bono fere Pontifice, sine vllo celebri Conc. &c. Genebardus. Imp. Lud. 3. PP. Benedicto 4. vt sup.

Leo V. PP. 117.

950 HIc animaduerte Lector, quod dignissimum est memoratu: Nam cùm ipsamet bruta, rapaces & truculentæ feræ, lupi inter se pacem colant, & neutiquam alter alterum deuoret, quantumuis dirâ eos inclementia hyemis ambigat fame:

Papæ tamen Romani se mutuò tollunt & perdunt, sibique inuicem multò dant maiora, quàm pessimi hostes damna. Nam hic Leo quintus à Christophoro primo Papa, suo familiari, quem ipse tanquam lupum, vt Platina inquit, domi aluerat, honore spoliatus, & in vincula non sine multorum interitu, coniectus fuit. Imp. vt sup.

SERGIVS III. PP. 119.

907 VIde quæso, quantum isti degenerauerint à maioribus suis. Illi enim, vtpote viri sanctissimi, dignitatem vltrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ vacantes: hi verò largitione, & ambitione pontificatum quærentes, & adepti, post habito diuino cultu, inimicitias non secus ac sæuissimi quidam tyranni inter sese exercebant: suas voluptates postea securiùs explenturi, cùm nullibi extarent, qui eorum vitia coërcerent. Crediderim ego, Sergium hæc facere à Lothario compulsum, quòd Formosi operâ à Gallis in alienigenas Imperium translatum sit. Sergius autem his artibus vitam ducens, septimo pontificatus sui anno, mense quarto, die XVI. moritur: cùm paulò antè igneæ faces in cœlo & stellæ micantes, discurrentesque præter consuetudinem sint visæ. Plat. Imp. vt suprà.

Regino Abbas Prumiensis in Chronico.

910 *Vnde principibus sua nascantur infortunia, morbi, & alia exitiosa.*

HIlpericus Rex, descriptiones nouas per consilium Fredegundis in omni regno suo facit, vt vnusquisque possessor de propriâ terrâ, de vno Arpenne vnam amphoram vini ad partem Regis daret, & de jugero modium vnum. Vnde populus valdè oppressus vociferabatur ad Dominum. Misit autem Dominus plagam in domum Regis, & ipse ægrotare cœpit, & duo Filij eius mortui sunt. Rex perterritus, descriptiones combussit, & tributum indulsit. Imp. Lud. 3. PP. Sergio 3. vt suprà.

Idem. Circiter annum Constantini duodecimum, aut paulò pòst, eâ horâ, quâ Monothelitarum hæresis in synodo damnabatur, multæ aranearum telæ de cœlo in medium populum deciderunt, in testimonium: sordes hæreticæ prauitatis depulsas esse.

Idem. Imperator Romam proficiscitur: cui sexto ab vrbe milliario Vitellianus Papa cum sacerdotibus, & populo Romano occurrit. Vides illo tempore occurrisse Papam Imperatori: hodie non. Vide librum ceremoniarum.

Idem. Liberius Papa exilio reuocatur: reuocatus hæreticis fauet.

Idem. Synodus magna celebrata est apud Triburos contra plerosque seculares, qui authoritatem Episcopalem imminuere (sine dubio tyrannidem diutius ferre nolebant) tentabant.

Idem. Guntramus Rex cùm quadam die venatum in syluam venisset: &, vt solet fieri, hàc illàcque discurrentibus socijs, ipse cum vno fideli suo remansit solus. & graui somno depressus, capite in gremio eius inclinato obdormiuit: de cuius ore paruum animal egressum, tenuem riuulum, qui propè decurrebat, transire moliebatur, tunc is, in cuius gremio quiescebat, spatham suam eduxit, eique ex eâ pontem fecit, per quem ad aliam transiuit partem, & in quoddam montis foramen ingreditur, & post paululum reuertitur, & per eandem spatham riuulum transiens, in os Guntrami ingreditur, statimque à somno excitatus, omne retulit sicut vidit. Is in cuius gremio dormierat, cùm rem per ordinem retulisset, effossus est locus, & inæstimabiles reperti sunt thesauri.

Idem. Anno Dominicæ incarnationis DCCXLVI. Carolomannus Romam perrexit, ibique se totondit, & in Sarapte monte monasterium ædificauit, in honorem sancti Syluestri, ibique aliquod tempus moram faciens, exinde ad sanctum Benedictum in Casinum vsque peruenit, & ibi monachus effectus est. Fertur autem de sancto viro exemplum memorabile. Cùm adhuc Romæ positus in monasterio, quod sibi ædificauerat, ab omnibus propter regiam nobilitatem, & quod maius est, propter contemtum regni terreni, & gloriam præsentis seculi, veneraretur, & laudibus extolleretur, timens vir Deo plenus fauorem laudis humanæ, qui tanta pro Christo reliquerat, fugam magis arripere disposuit, quàm vanæ gloriæ subjacere. Et hoc tantummodò vni fido socio confessus est, quem ab infantia in omnibus fidelem probauerat, cum eo noctu omnibus aufugit in-

ficijs, & ad Casinum montem vsque peruenit, & nihil secum portans ex omnibus bonis, quæ corpori erant necessaria, nudus Christum secutus est. Et iuxta morem, portam monasterij pulsans, colloquium patris monasterij expetijt: in cuius præsentiam cùm venisset, mox in terram corruit, se homicidam esse, & reum omnium criminum protestans, misericordiam exposcit, pœnitentiæ locum exquirit. Pater cùm hominem peregrinum esse cognouisset, interrogat, cuius patriæ aut gentis esset: at ille confessus est, se Francum esse, & ex Francia propter talia scelera migrâsse: exilium libenter ferre paratum, tantùm vt patriam cœlestem non amitteret. Spiritualis pater eius precibus annuens, præcepit eum in cellã nouitiorum recipi, vnà cum suo collega, probari secundum quod regula iubet, & tantò arctius, quantò barbaræ & ignotæ gentis homo erat, implens illud Apostolicum: Probate spiritus, si ex Deo sunt. Itaque probatus in omni patientia, sociatus est congregationi vnà cum collega: post emensum anni circulum professus stabilitatem, conuersationem, morum obedientiam secundum regulam sancti Benedicti. Cœpit autem irreprehensibiliter inter fratres conuersari, omnibus virtutibus pollens. Accidit autem, vt iuxta quod mos est, ad coquinæ officium hebdomadarius deputaretur: quòd cùm libenter quidem faceret, sed in multis ignoranter offenderet, coquus vino exæstuans ei alapam dedit, dicens: Ita te fratribus deseruire oportet? cui ille nihil motus, placido vultu respondit: Indulgeat tibi Dominus frater & Carolomanus: neque enim cuiquam nomen suum prodiderat, ne ex vocabulo agnosceretur. Rursus cùm in quibusdam cibarijs administrandis errasset, à coquo percussus est, cui eadem quæ suprà, imprecatus est. Et cùm tertiò à coquo crudeliter cederetur, indignatus ille comes indiuiduus suæ peregrinationis, quòd tantus vir à tam vili persona tam contumeliosè afficeretur, iam ferre non valens, arripuit pilum, vnde panis in holera fratrum mittendus conterebatur, & eum omni nisu percussit dicens: Nec tibi Deus parcat serue nequam, nec Carolomanus indulgeat. Fratres hoc audito valdè commoti sunt, quòd homo alienigena, & pro misericordia receptus, talia facere præsumsisset. Protinus ergo custodiæ mancipatur, vt die sequenti talis præsumtio acriùs vindicaretur. In crastinum productus de custodia in medio conuentu sistitur: percunctatus, cur manus extendere in fratrem ministrum ausus fuisset, respondit: quia (inquit) vidi seruum nequiorem omnibus, virum meliorem, & nobiliorem omnibus quos in terra conuersari scio, non solùm verbis dehonestare, sed etiam plagis afficere. Furore nimio exagitati, quòd eum qui peregrinus venerat, cæteris prætulisset, interrogant, quis esset ille qui bonitate & nobilitate omnes anteiret: cur saltem patrem monasterij non excepisset? Ille necessitate compulsus celare non valens, quod Deus iam manifestari volebat, ait: iste est Carolomanus quondam Rex Francorum, qui pro Christi amore regnum & gloriam mundi dereliquit, qui de tanta excellentia ita se humiliauit, vt modò à vilissimis personis non solùm contumelijs afficiatur, verùm etiam verberibus affligatur. Quo audito tremefacti à sedibus surgunt, pedibus eius se prosternunt, veniam postulant de contemtu, ignorantiam profitentur. Ille contrà in terram prouolutus, cum lachrymis negare cœpit, hæc non esse vera, non se esse Carolomanum, sed hominem peccatorem & homicidam: collegam timore perterritum propter commissum piaculum hæc excogitâsse. Quid plura? Cognitus ab omnibus, cum magnã obseruatus est reuerentiã.

Idem. Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXII. Numeneus rex Brittonum moritur, diuino nutu percussus. Nam cùm Ecclesias Dei deuastaret, & confinia crudeliter depopularetur, eò quòd Carolo debitam fidelitatem seruarent: quadam die cùm equum ascendere vellet, vt cœptam malitiam consummaret, repentè vidit ante se sanctum Maurilonem Episcopum astare, sibi hæc toruo vultu, & terribilibus oculis ingeminantem: Desine iam crudelis prædo Ecclesias Dei vastare. His dictis, baculum quem manu gestabat, eleuans, eum in capite percussit: qui à suis in domum reportatus, vitam cum regno finiuit. Fuit autem iste Maurilo Episcopus Andegauensis vrbis, cuius ciuitatis termini cohærebant finibus Brittanniæ, & ideo ab eis grauiter depopulabatur. Filius Numenẽi Herispius regnum paternum obtinuit.

Idem. Carolus senior Romam secundò profectus est, vbi iam pridem Imperatoris nomen à præsule sedis Apostolicæ, Ioanne ingenti precio emerat.

Idem lib. 2. Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXIIII. Lotharius Rex cœpit occasiones quærere, qualiter Thietbergam reginam à suo consortio separare posset, quam exosam habebat propter VValdradam, quæ eius fuerat concubina, cùm adhuc adolescens esset in domo paterna: hanc siquidem, diabolo inflammante, nimio diligebat amore. Guntherium itaque Coloniensis vrbis Pontificem, (qui eo tempore erat archicapellanus) rex primò per subintroductos missos, deinde per semetipsum, super huiuscemodi dissidio omni arte aggreditur, & vt faciliùs assensum præberet, promisit se eiusdem Episcopi neptem in matrimonium accepturum, tantùm vt prædictam Thietbergam, eius aliorumque Episcoporum autoritate & licentia repudiare quacunque ratione posset. Qui, vt erat leuis animo ac inconsideratus actione, protinus omni conatu introducitur, vana spe, vt postea claruit, seductus. Rursus idem Guntherius Thietgandum Archiepiscopum Treuirensem hac de causa alloquitur, sciens esse virum simplicem, nec adeò in diuinis scripturis eruditum, canonicisque sanctionibus exercitatum, & ex vtriusq; testamenti paginis quasdam sententias profert, quas aliter quàm Ecclesiastica regula docet, edisserens, virum improuidum secum in foueam trahit, cæcus cæco ducatum præstans. Quid plura? Facta sunt omnia quæ huic commento videbantur necessaria: Concilium Metim conuocat, reginam quasi canonicè euocatam, in medio statuunt, testes producunt vnà cum scriptis, qui valdè grauia crimina imponebant: inter alia prote-

quòd eadem Thietberga confessa fuisset, semetipsam fratris germani incestuoso concu-
stati sunt, quòd eadem Thietberga confessa fuisset, semetipsam fratris germani incestuoso concu-
bitu esse pollutam. Continuò statuta patrum de incestuosis recitantur, & non solùm à legitimo
viro separatur, verùm etiam omnis copula maritalis inhibetur, pœnitentia iuxta modum culpæ
indicitur, & tali nefaria machinatione diu exoptata, voluntas Regis adimpletur. Non multo pòst
interiecto tempore, iterum conuentum synodalem Aquisgrani coadunant, vbi Rex libellum suæ
proclamationis obtulit: in quo continebatur, qualiter in quadam fœmina, Thietberga nomine,
factiosis perfidorum hominū argumentis fuerat defraudatus: imò non mediocriter repetiuit, quòd
iudicio Episcoporum dissidij sententiam pertulisset, quæ si idonea esset coniugali thoro, & pestifera
incestus pollutione fœdata non fuisset, nec viuæ vocis confessione publicè condemnatā, sponte eam
retineret: porrò se incontinentem esse professus est, & sine copula iuuenilis ætatis ardorem ferre non
posse. Allatis itaq; diuersorum conciliorum voluminibus, multa de incestuosis replicata sunt: qui-
bus recitatis, hanc diffinitiuam sententiam protulerunt: Credimus illam non fuisse idoneam acle-
gitimam coniugem, neq; adeò præparatam esse vxorem, quæ publica confessione incestuoso forni-
cationis crimine denotata probatur. Quocircà glorioso principi nostro, pro sua in diuino cultu de-
uotissima assertione, atq; victoriosissima regni tuitione, cui non solùm nos, verùm etiam canoni-
ca autoritas interdixit incestuosum coniugium, legitimum matrimonium à Deo illi concessum non
denegamus, iuxta indulgentiam dicentis Apostoli: Melius est nubere, quàm vri. His ita pat atis,
VValdrada iam in publicum procedit, stipata obsequentium multitudine, omnisq; regia aula ic
sultat, VValdradam reginam esse. Guntherij Episcopi neptis ad regem accersitur, ac semel ab eo vt
aiunt, constupratur, atq; cum cachinno, & omniū derisione ad auunculum remittitur. Igitur agen
tibus fratribus Thietbergæ reginæ, hæc omnia ad noticiam Nicolai Papæ deferuntur, qui eo tempo-
re Romanæ præsidebat Ecclesiæ. Igitur anno Dominicæ incarnationis DCCCLXV. missi sunt Ha-
gano, & Rodaldus Apostolicæ sedis legati in Galliam ad discutiendum, vtrùm res se habeat, sicu
summo Pontifici nunciata fuerat: qui in Franciam venientes, pecunia corrupti, magis fauerunt ini-
quitati, quàm æquitati. Tamen ad regem peruenientes, cùm ei declarâssent legationis suæ causas,
tale responsum ab eo acceperunt: se nihil aliud egisse, nisi quod Episcopi ipsius regni in generali sy-
nodo, sibi agendū præmonstrassent. Dedêre verò ijdē legati consiliū regi, vt illos Episcopos, qui illi
synodo præfuerant, ad sedem Apostolicam destinaret, qui verbis ac scriptis vniuersali Papæ satis
facerent. Legati immensis ditati opibus, Romam regressi sunt, nunciaueruntque Præsuli, quæ
in Gallijs viderant & audierant, adijcientes se nullum sapientem Episcopum in regno Lotharij in-
uenisse, qui ad liquidum canonicis esset institutus disciplinis. Interea Thietgandus & Gutheri-
us Archiepiscopi, Romam profecti sunt, ea animi intentione, & vt regem innoxium in suprà di-
cto facto demonstrarent, & se cum cæteris coëpiscopis ecclesiastica atque Apostolica exercuisse decre
ta: stulticiæ quidem elogio denotandi, qui se illam Petri sedem aliquo prauo dogmate fallere posse
arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi vnquam falli potuit. Itaque cùm in præsen-
tiam Nicolai Papæ venissent, libellum obtulerunt, in quo continebantur gesta synodalia, quæ in
Mediomatrico vrbe, & Aquis ab eis statuta fuerant. Qui cùm à notario coram omnibus recitatus es-
set, interrogauit Pontifex, si hæc scripta verbis confirmarent? Responderunt, inconueniens videri, vt
quod proprijs manibus roborauerant, verbis infirmare mallent. Et sic nec repulsa, nec admissa eo
rum assertione, iussi sunt ire ad hospitia sua, quòusq; reuocarentur. Paucis interpositis diebus, ad sy-
nodum, quam Papa congregauerat, sunt accersiti, vbi eorum damnata & anathematisata sunt scri
pta, & ipsi, omnibus adiudicantibus Episcopis, Presbyteris, & diaconis, sunt depositi, & omni Ec
clesiastica dignitate priuati. Qui tam turpiter dehonestati, Ludouicum Imperatorem, fratrem Lo-
charij regis adeunt, qui ea tempestate Beneuenti morabatur in partibus, scriptis ac dictis vociferan-
tes, se iniustè esse depositos, ipsi Imperatori, & omni sanctæ Ecclesiæ iniuriam esse factam, cùm nun
quam auditum sit, vel vspiam lectum, quòd vllus metropolitanus sine conscientia principis, vel præ
sentia aliorum metropolitanorum fuerit degradatus. Adiecerunt insuper multa alia, blasphemantes
eundem Papam, quæ hîc superfluum duximus enumerare, existimantes, eiusdem se Imperatoris ad-
minculo, simul & intercessionis ope, & criminis obiecti abolituros notam, & pristinæ dignitatis recu-
peraturos statum. Sed spes eorum frustrata est, quamuis Imperator omnibus votis illis opitulari vo-
luisset. Thietgandus depositionis suæ à sede Apostolica prolatam sententiam patienter ferens, iuxta
præcedentem consuetudinem, nihil omninò de sacro ministerio contingere præsumsit. Guntherius
verò spiritu inflatus, vetitum sibi officium vsurpare nō expauit, parui pendens apostolicam excom-
municationem. Reuertuntur igitur in Franciam debita confessione repulsi. Et dum iterum ac tertiò
sedem apostolicam reparationis, & restitutionis gratia adissent, nouissimè in Italia infirmitate præ
uenti peregrini & exules moriuntur, cōmunione laicali tantùm sibi concessa.

Idem. Aripertus à Grimoaldo regno eiectus cùm esset in naui, & tenderet in Brit—iam, audijt
vocem à littore, qua iubebatur in patriam suam redire, quia ante triduum Grimoaldus esset extin-
ctus: ille autem ad littus rediens, neminem videt. Vnde concipit opinionem, diuinum nuncium
esse, ac in patriam redit, & regnum recuperat.

Idem. Ludouicus Rex Boiorum in Franckofort mortuus est, pius & fortis, & apud quem nul-
lus per pecuniam Ecclesiasticam dignitatem obtinuit. Vide quis & qualiter illo tempore Ecclesia-
sticas dignitates contulerit, Imperator, an Papa?

Ordo Cluniacensis. 912.



HIc Ordo primus est, qui à Benedictinorum viuendi consuetudine recessit. Odo primus fuit, qui apud Cluniacum S. Benedicti regulam intermortuam ferè iterum reparauit. Vestitus fuit Benedictinis similis. Odonis miracula recenset Antoninus: cætera reperiuntur apud Tritheymium, Bergomensem, Vincentium, & polydorum. Sed & Bernhardus eiusdem cœnobij monachus anno Christi 1050, vt & Petrus Cluniacensis abbas ibidem anno Domini 1100, descripsit horum monachorum vitam, & Regulam. Habes etiam apud Cassandrum lib. 2. cap. 35. quædam de his monachis. Imp. 85 Lud. 3. Papa 119 Sergio 3.

Vaticinium quo lux Euangelij per cæcum præfiguratur. 921.



SEmomislaus Polonorum Rex, filium habuit cæcum qui die quodam cùm visum gratiâ diuina reciperet, Rex ab ariolis, quid hoc sibi vellet, sciscitatus est, cui responderunt: sicut hic filius tuus gratia Deorum est illuminatus, sic per eum Polonia in breui illuminabitur: quod & paulò pòst per lucem Euangelij factum fuit. Miesco enim cæcus mortuo patre, baptizatus, & Christianus factus, ad veram Dei agnitionem peruenit, & idola omnia è templis eiecit: quæ hodie nostri Papæ restitui, Imperatoribus mandant, & inobedientes imperio, & vita æterna priuant. De quo alibi.

Hic Rex pius primus instituit, vt dum Euangelium prælegitur, singuli virorum gladijs ad medium è vaginis depromtis testatentur, se propter Euangelium Christi ad mortem vsque decertare paratos esse. Mechouius, Mercator, Ioan. Duglossus, VVenceslaus, Hagecus, Bernardus Vapouius & Martinus Gallus. Imp. 87. Henrico 1. aucupe. Papa 122 Ioanne 11.



M. Philippus Secretarius Imp. Henrici I,

& Georg. Rixener.



EX consilio prudentissimorum horum virorum (hodierno tempore ridentur & exploduntur bona scribarũ suffragia à Thrasonib.) Henricus I.auceps, Imp. 87. Torneamenta primus exhibuit nationi Germanicæ Magdeburgi, eaq; in laudẽ & decus eximiæ nobilitatis: & ad excitandum in nobilibus studium virtutis & laudis, in posterum quoque celebrari iussit cum obseruatione duodecim statutorum seu legum, quæ sequuntur:

Prima lex: Ne admitteretur quis Christianæ religionis hostis, aut præuaricator.

2. Qui contra Cæs. Maiestatem & Imperium peccasset.

3. Qui virginem vitiasset aut viduam oppressisset.

4. Qui iuramenta, Chirographa, & pacta, manu subscripta, sigillisque confirmata, violare, aut negare consueuisset

5. Qui prodidisset Dominum suum, eumue deseruisset in castris & militia, vel autor fuisset datæ in prælio fugæ: suosque subditos iniuriosè prægrauâsset, pressisset, aut interemisset.

6. Qui homicidium commisisset.

7. Qui templa expilâsset, aut viduas & pupillos deprædatus fuisset, vel molestâsset.

8. Qui latro, pirata, prædator, vel sicarius esset.

9. Qui author nouorum vectigalium, aliorumque Reipub. grauaminum & incommoditatum extitisset.

10. Qui adulter, vel mæchator esset.

11. Qui fœnerator, mercator, seu artifex manuarius foret.

12. Qui nobilitatis testimonium non à quarto progenitore haberet.

Celebrata autem fuerunt Torneamenta hæc in Germania:

I. Magdeburgi ab Henrico I. aucupe, Imperatore Romano, anno post Christum natum 930.

II. Rotenburgi ad Tuberim à Conrado Duce Francorum, anno 942.

III. Constantiæ ad lacum Bodamicum, à Duce Ludolpho de Sueuia & Alemannia anno 948.

IV. Meresburgi à Marchione Ridaco de Misnia, Comite Meresburgico anno 968.

V. Brunsuuigæ à Marchione Ludolpho de Saxonia, Domino in Braunsuueig, anno 996.

VI. Treuiræ ab Imperatore Romano Conrado II. anno 1019.

VII. Halæ in Saxonia ab Imperatore Henrico III. anno 1042.

VIII. Augustæ Vindelicorum ab Hermanno Duce Sueuorum, anno 1080.

IX. Göttingæ in Saxonia, Comite Supplingiburgi, anno 1119.

X. Tiguri, quod vocant vulgari lingua an der Lindmat/ à VVelpho Duce in Bauaria & Spoleti, Marchione in Corsica, Domino Sardiniæ, Filio Ducis VVelphi III. splendidissimè, anno 1165.

XI. Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum, à Florente Comite in Holland & Seeland, anno 1179.

XII. Noribergæ ab Henrico VI. Imperatore, laudatissimè, anno 1197.

XIII. VVormatiæ ad Rhenum, ab Equitibus Rheni, anno 1209.

XIV. VVürtzburgi ad Mœnum in Franconia Orientali, ab Equitibus Franconiæ, anno 1235.

XV. Ratisbonæ ad Danubium ab Equitibus Bauariæ, anno 1284.

XVI. Suuinforti ad Mœnum ab Equitibus Franconiæ, anno 1296.

XVII. Rauenspurgi Sueuorum, ab Equitibus Sueuiæ, anno 1311.

XVIII. Ingelnhemij ad Rhenum, ab Equitibus Rheni, anno 1337.

XIX. Bam-

XIX. Bambergæ in Franconia Orientali ad Rhednisum, ab Equitibus in Franconia, anno 1362.
XX. Eslingæ ad Nicrum ab Equitibus Sueuiæ, anno 1374.
XXI. Schafhusij ad Rhenum ab Equitibus Sueuiæ, anno 1392.
XXII. Ratisbonæ ad Danubium ab Equitibus Bauariæ, anno 1396.
XXIII. Darmostadij ad Rhenum ab Equitibus Rheni, anno 1403.
XXIIII. Hailpronnæ ad Neccarum ab Equitibus Sueuiæ, anno 1408.
XXV. Ratisbonæ ad Danubium ab Equitibus in Bauaria, anno 1412.
XXVI. Stutgardiæ in Sueuia ab Vlrico Comite in VVirtenberg, & Mümpelgard, anno 1436.
XXVII. Landeshuti Boiorum ad Iserim à Ludouico Diuite, Comite Palatij ad Rhenum, Duce Bauariæ superioris & inferioris, anno 1439.
XXVIII. VVurtzburgi ad Mœnum ab Equitibus Franconiæ, anno 1479.
XXIX. Moguntiæ ad Rhenum, ab Equitibus Rheni, anno 1480.
XXX. Heidelbergæ in Palatinatu ab Equitibus Rheni, anno 1481.
XXXI. Stutgardiæ in VVirtemberg ab Equitibus Sueuiæ, & Eberhardo Comite VVirtembergico, anno 1484.
XXXII. Ingolstadij ad Istrum in Boiaria ab Equitibus Franconiæ, anno 1484.
XXXIII. Onolsbaci Noricorum ab Equitibus Franconiæ, & Alberto Marchione Brandeburgico, anno 1485.
XXXIV. Bambergæ ad Rhednisum ab Equitibus Franconiæ, laudabilis Societatis Vnicornis, anno 1486.
XXXV. Ratisbonæ Boiorum ab Equitibus Bauariæ, anno 1487.
XXXVI. VVormatiæ ad Rhenum ab Equitibus Rheni, anno 1487.

Ab hinc, quare egregia & vtilia hæc Catadroma desierint, variæ redduntur à prudentibus & consultis viris causæ. Num verò virtutis & fortitudinis exercitia consistere in talis, ocio, patinis, poculis & Phrygia mollicie, Turcæque his expugnari possint, dubito.

Certè non sic veteres Germani poculis inhærebant, domique ocio marcescebant: sed in peregrinas terras, ad comparandam fortitudinis bellicæ laudem, militatum abierunt. Legimus enim apud Cæsarem & Florum, quòd præcipuè Germanorum opera & virtute, Gallia subacta & in Italia victoria in pugna Pharsalica parta fuerit. Sicquoque Augustum Cæsarem inter primarios milites habuisse Germanos scribit Apianus: & Iosephus refert, eos in Palæstinam vsque militiæ causa profectos. Cur enim non præstaret & expediret Reipublicæ Christianorum, habere viros armis industrios, & studijs bellicis exercitatos, quorum operâ defendi religio & patria contra hostes posset? Præsertim verò hodie plurimùm opus foret aduersus infensissimos hostes Christi Turcas, qui nil nisi extremam perniciem nostram machinantur. Certè quid detrimenti nobis sit datura hæc resupina desidia, quando omne ferè fortitudinis exercitium, & laus exoleuit, dum nos manum, vt aiunt, in sinu fouemus, & proiecta iacent arma, altoque veterno sepulta quiescit virtus Germanica, ipsa re propediem, ni Deus prohibeat, experiemur.

Habet tamen nobilitas multos generosos & strenuos viros, mihi fauore & familiaritate notos, quibus hæc ex animo dolent, & in melius reducta cuperent: sed quid agant? Vident virtutem non solùm in suo, verùm etiam alijs statibus consenescere, omnia orta & aucta occidere, fato in peius ruere & retrò sublapsa referri: adeò vt nec ipsa Petri sedes ab hac ruina sit immunis. Crispus & Platina.

Leo VII. Papa 126. 938.

Recitat Auentinus huius Papæ epistolam sequentibus verbis. Leo Episcopus seruus seruorum Dei, Egilulpho Iuuauensi, Eysengrino Reginoburgensi, Lamperto Fruxinensi, Visundo Sabonensi, Starchandò Aichstetensi, venerabilibus Episcopis, & cæteris per Bauariam commorantibus &c. Commemorat primò negligentiam horum, quam à Gerardo Archimysta Laureacensi cognouerit: deinde eosdem accusat, arguit, increpat, quòd adulentur magistratibus, assentandoque Prætoribus, conniuendo locupletibus, pietatem violent, religionem polluant, sacram Philosophiam prophanent, pacem Christianam conturbent. Obijcit postea, quòd inter eos sit inexplebilis honorum cupido, certamen gloriæ, honoris ac splendoris cupidinis, atque ambitio potentiæ, quæ maximas inimicitias etiam inter amicissimos excitent. Christiani (inquit) in vestris prouincijs, autoribus Episcopis (qui canes muti sunt, non valentes latrare, & speculatores cæci) inuicem imponunt, tenues opulenti fraudant, decipiunt, circumueniunt, fœnerantur, poscunt, paciscuntur, auferunt, eripiunt: nemo pactione, dono, munere, xenijs abstinet. In lites coitur, veneunt aduocationes, veneunt etiam præuaricationes. Ex spolijs pauperum magni & stati reditus & gloriæ ipsis lucra sunt. Vltra modum sumtu & magnificentia, ne dicam luxu, ædificando, epulando, egregij sanè pastores Christiani gregis prodeunt. Grauissimus solet esse moribus, qui à capite diffunditur. Imp. 88, Othone primo. Papa Leone. vt sup.

Otho I. Imperator 88.

OTho non tantùm Papas, sed etiam monachos passim reformauit. Nam circa annum Dom. 940, fuit ab Imperatore & alijs Principibus inchoata grauissima quædam monachorum reformatio, propterea quòd non tantùm vulgares homines, sed & Episcopi offensi inutili turbâ ociosorum, inutilium, voluptatibusque vacantium fucorum, iudicauerunt & docuerunt, satius esse, paucos viros bonos ali, quàm tam multos alios inutiles. Quâ ratione multi ad secularem, vt vocant, vitam abiectâ cucullâ, redierunt. Historia est apud Vrspergensem & Crantzium. Verùm ab eo tempore, Deus bone, quàm multa noua examina (nouos ordines sectasque puta monachorum) nata sunt : opinor ampliùs 50: & quantoperè degenerârunt? Papa 126 Leone 7.

De eodem Othone primo & Regno Arelatensi.

DEnunciauit rex Boso Episcopo Arelatensi in vigilia Natalis Christi, ne officium nocturnum in Ecclesia celebraret, nisi ipso præsente. Episcopus autem cùm aliquandiu cum clericis aduentum regis expectasset vltra consuetam horam, nec ille veniret, prosecutus est sacra. Et superueniens rex cœpit expostulare cum Episcopo, cur non expectasset? commotusque dedit Episcopo alapam in medio populi & clericorum. Quam iniuriam populus ægrè ferens, in tumultum est versus. Deinde verò factum est, cùm Episcopus adijsset Imperatorem, conquestusque esset, quali contumelia rex ipsum coram populo affecisset : iratus Cæsar iurauit per barbam suam, se vlturum hanc contumeliam, morteque puniturum. Vnde collecto sine vlla cunctatione magno exercitu, ingressus est Galliam, obsedit & expugnauit Arelatum, cepit regem & aulicos eius, mandauitque regem decollari. Archiepiscopus verò vnà cum reliquis Episcopis, abbatibus & principibus mitigans regis furorem, obtinuit sua intercessione, vt hoc sanguinis iudicium suspenderetur. Cùm autem diceretur, non esse æquum, vt rectum Imperâtoris iudicium executioni non mandetur, cùm non conueniat, vel vllum verbum ex principis ore frustra egredi : cumque de hac sententia multa vtrinque fierent verba, tandem decretum est, vt rex tonsus & regio titulo spoliatus truderetur in cœnobium. Quo facto Otho primus incorporauit in perpetuum Arelatense regnum Rom. Imperio. Munsterus. Imp. 88 vt suprà. Papa 126 Leone 7.

Hoc regnum Arelatense deinceps circiter annum 1360, iterum maxima Caroli 4. peruersitate ab Imperio abalienatum, & ob vnius solennis prandij præparati acceptionem, in Ludouicum Andegauensem translatum fuit: de quo Theod. à Niem infrà anno 1418. Quo eodem modo iste expilator & pernicies Imperij deinceps quoque vectigalia fisci detraxerit, scribit Crantzius infrà anno 1500.

De eodem.

IMperator Otho primus, quemadmodum re ipsâ experti sumus, ea quæ Dei sunt sapit & operatur: diligit Ecclesiastica, & secularia negotia armis tutatur, moribus ornat, legibus emendat. At Ioannes 12. Papa 130 his omnibus aduersatur. Non clàm est populo, quod fatemur. Testis est Rainera sui ipsius militis vidua, quam cæco captus igne multis præfectam vrbibus, sacrosanctis beati Petri donauit aureis crucibus, atque calicibus. Testis est Stephana eius amica, quæ in effusione, quod ex eo conceperat, recens hominem exuit. Quod si cuncta taceant, Lateranense palatium sanctorum quondam hospicium, nunc prostibulum meretricum, non silebit amicam coniugem, Stephanæ patris concubinæ sororem. Testis est omnium gentium historia de absentia mulierum Romanorum, quòd ex sanctorum Apostolorum limina orandi gratia timent visere: quum audierint, hunc ante dies paucos, nonnullas coniugatas, viduas, & virgines vi oppressisse.



Ordo Camaldulensium. 950.



BEnedictinæ professionis fuit hic ordo. Cœpit secundum Francum anno 950: secundum Panuinium anno 1012: iuxta Sabell. anno 1048. Author fuit Romualdus, abbas Rauennâ ciuitate oriundus, & ex illustri familiâ natus, vt vult Antoninus: vixit annos 120. Cùm priùs Monachus fuisset in Classensi cœnobio, & vitam dissolutam in illo vidisset, propriam hinc & strictiorem agere instituit. Alia restant particularia huius cœnobij, quæ tibi dabunt commentaria Bernhardini Cadoli Camaldulensis monachi, Sabellicus, & Polydorus. Vestitus fuit totus albus propter visionem quandam. Nomen à loco. Vtitur hic Francus exclamatione, inquiens: Multa lego, scribo, trado, quæ vera esse non puto: sed historiæ mos hic inoleuit, vt laudentur multa increpanda, vituperentur multa laudanda. Imp. 88 Othone 1. Papa 129. Agapeto 2.

VVittichindus monachus Corbeiensis. 950.

HOc autore olim magna persecutio facta fuit in Monachos, & multi eiecti ideo fuerunt, quòd arbitraretur, esse multo melius, paucos vita claros, quàm plures negligentes monasterijs inesse. Cur non idem hodie quoque fit? Ratio est, quia mulus mulum scabit. Imp. 88 Othone 1. Papa 129 Agapeto 2.

Idem in vita Henrici 4. Roma cupiditatis ancilla permittit facilè ob pretium omne nefas.

Prodigia. 956.



IN Italia lapis miræ magnitudinis tonitru & tempestate turbulenta de cœlo iactus, ingens miraculum videntibus præbuit. Anno eodem plerisque in locis valida tempestate templa concussa sunt: vtriusque ordinis sacerdotes ictu fulminum interierunt: & plurima horrenda dictu portenta monstrata sunt. Chron. & VVittichindus. Imperat. 88. Othone primo. Papa 134. Ioanne 13.

Serlo Dorobernensis Britto. 960.

SCripsit librum contra Monachorum libidines, & Cœnobitarum sordes acrem & aculeatum, quem Lelandus aduersus monachos tam vehementem esse dicit, vt stigmata vulnerum maiora nulla vel serpentes ipsi, quantumuis sibilantes, post se reliquissent. Imp. Othone 1. Papa Ioanne 13. vt sup.

Luithprandus Ticinensis Ecclesiæ Leuita. 960.

GRegorius quidem Magnus subinde inculcat in suis epistolis, Imperatorem esse Dominum, sub verbis datæ die 10. Kal August. Imperatori Domino nostro Mauritio pijssimo Augusto &c. Beda in Ecclesiast. historia Angl. libro 1. Imò & ipsi Pontifices in suo decreto non ita

dudum, nempe ante 400. annos, congesto profitentur, se omnibus modis velle obedire Cæsareis legibus, & mendacij contrà sentientes arguunt. Sic enim loquitur Leo 4. à Papistis inter sanctos relatus distin. 10. Canon. 19. Leo 4. Lothario Augusto &c. De capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumque etiam prædecessorum irrefragabiliter custodiendis & conseruandis, quantum valuimus & valemus Christo propitio, & nunc & in æuum nos conseruaturos, modis omnibus profitemur: & si fortasse aliquis aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem. Hæc ille. Quibus se non tantùm Cæsarum legibus, sed etiam ipsorum Episcoporum subijcit. Imp. 88. Othone 1. Papa 130 Ioanne 13.

Idem lib. 1. Imp. Arnolfi tempore Formosus Papa religiosissimus à Romanis vehementer affligebatur, cuius & hortatu rex Arnulfus Romam aduenerat, in cuius ingressu, vlciscendo Papæ iniuriam, multos Romanorum principes obuiam sibi properantes decollari præcepit. Causa autem simultatis inter Formosum Papam, & Romanos hæc fuit. Formosi præcessore defuncto, Sergius quidam Romanæ Ecclesiæ diaconus erat, quem Romanorum pars quædam sibi Papam elegerat: quædam verò pars non infima nominatum Formosum Portuensis ciuitatis Episcopum, pro verâ religione diuinarumque scripturarum, & doctrinarum scientiâ, sibi Papam fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, vt Sergius Apostolorum vicarius ordinari debuisset, ea, quæ Formosi partibus fauebat pars, non mediocri tumultu, & iniuriâ Sergium ab altari expulit, & Formosum Papam constituit. Descenditque Sergius in Thusciam, quatenus Adelberti potentissimi Marchionis auxilio iuuaretur: quod & factum est. Nam Formoso defuncto, atque Arnulfo in propria reuerso: is qui post Formosi mortem Papa constitutus est, expellitur, & Sergius Papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto, vt impius, doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum è sepulchro extrahi, atque in Romani pontificatus sedem sacerdotalibus indumentis indutum collocari præcepit: cui & ait: cùm Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam Vniuersalem sedem vsurpasti? His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus, cum capite vt alij habent, abscisis, in Tiberim iactare præcepit, cunctosq; quos ipse ordinauerat, gradu proprio depositos iterum ordinauit.



Quod quàm malè egeris Pater sanctissime, in hoc animaduertere poteris, quoniam & hi, qui à Iudâ Domini nostri Iesu Christi proditore ante proditionem, salutem, seu benedictionem Apostolicam perceperant, eâ post proditionem, proprijq; corporis suspensionem minimè sunt priuati, nisi quos improba fortè defœdârant flagitia. Benedictio siquidem quæ ministris Christi impenditur, non per eum qui videtur, sed qui non videtur, sacerdotem, infunditur. Neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat, Deus.

Idem libro sexto. Iusiurandum verò ab eodem Papa Ioanne, supra preciosissimum corpus Petri, atque omnibus ciuitatis proceribus, se nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturum, accepit. Post hæc in patriam properanter repedauit. Interea præfatus Papa iuramenti & promissionis oblitus, quam fecerat sancto Imperatori, ad Adelbertum vt se adeat, mittit, iuramento ei affirmans, se illum contra sanctissimi Imperatoris potentiam adiuturum. Adeò enim eundum Adelbertum, Ecclesiarum Dei, eiusdemque Papæ Ioannis persecutorem, Imperator sanctus terruerat, vt omnem Italiam deserens, Fraxinetum adiret, seque Saracenorum fidei commendaret.

Idem cap. 12. qualiter Ioannes Papa sit captus; custodiæque in qua moriturus erat, traditus: qua munitione vrbs Roma munita, & quomodo Hugo per Albericum vrbe sit eiectus, id quod diuinæ dispositioni adscribendum censet, ob peccatum Hugonis regis, recenset hoc modo.

VVido interea Thusciæ prouinciæ marchio cum Marozia vxore, de Ioannis Papæ deiectione cœpit vehementer tractare atque hoc propter inuidiam, quam in Petrum fratrem Papæ habebant: quoniam quidem illum Papa quasi fratrem proprium honorabat. Contigit itaq; Petro Romæ degente, VVidonem clàm multos habuisse milites congregatos: cumq; die quâdam Papa cum fratre paucisq; alijs in Lateranensi palatio esset, VVidonis & Maroziæ milites super eos irruentes, Petrum fratrem ipsius ante oculos interfecerunt, Papam verò comprehendentes, custodiæ mancipârunt, in qua non multò pòst defunctus est. Aiunt enim, quòd ceruical super os eius posuerint, sicque eum suffocârint. Quo mortuo ipsum Maroziæ filium, nomine Ioannem, quem ex Sergio Papa meretrix

ipsa genuerat, Papam constituunt. VVido verò non multò pòst moritur, fraterque eius Lambertus ipsi vicarius ordinatur. Marozia verò scortum impudens nimis, suos nuncios post VVidonis mariti sui mortem Hugoni regi dirigit, eumque inuitat, vt se adeat, Romamque nobilissimam ciuitatem sibi assumat. Hoc autem non aliter posse fieri testabatur, nisi eam sibi rex Hugo vxorem faceret.

Quid Veneris facibus compulsa Marozia saeuis?
Coniugis ecce tui spectas en suauia fratris:
Nubere germanis satagens Herodia binis,
Immemor aspiciens praecepti caeca Ioannis,
Qui fratri vetuit fratris violare maritam.
Hac tibi Moyseos non praestant carmina vatis,
Qui fratri sobolem fratris de nomine iussit
Edere, si primus nequeat sibi gignere natum:
Nostra tuo peperisse viro te secula nôrunt.
Respondes (scio) tu: Nihil hoc Venus ebria curat:
Aduenit optatus, ceu bos tibi ductus ad aram,
Rex Hugo Romanam potius commotus ob vrbem.
Quid iuuat ô scelerata virum sic perdere sanctum?
Crimine dum tanto satagis regina videri,
Amittis magnam Domino tu iudice Romam.

Idem. Berengarij vxor VVilla, passa est crimen incesti: quod ita verum esse, non solùm aulici vel cubicularij, verùm aucupes etiam & cupedinarij clamabant. Habuit etiam ea presbyterutum capellanum, nomine Dominicum, statura breuem, colore fuligineum, rusticum, setigerum, indocilem, agrestem, barbarum, durum, villosum, petulcum, insanum, rebellem, iniquum, cuius magisterio duas VVilla commendârat natas, Gisam scilicet atque Gebertam, vt eas literarum scientia epotaret. Occasione itaque puellarum, quas presbyter Dominicus hirsutus, illotus facetè docebat, mater ei propitiauerat, vt visa ingrata alijs ac tenax, huic existeret larga. Sententia tamen veritatis quae ait, nihil opertùm esse, quod non reuedetur, & occultum, quod non in publicum veniat, diu id ignorare homines passa non est. Nam quum nocte quadam Berengario absente, ad cubile dominicum more solito hirsutus idem vellet accedere, canis hunc morsu vehementi laniauit. Consurgentes denique qui in domo erant, quum eum comprehenderent, & quò iret interrogarent, apologeticum istud anticipando domina dedit: ad mulieres nostras ibat perditus. Sperans itaque presbyterulus, sibi leuius fore, si teneret sententiam dominae suae, Ita est, inquit. Coepit itaque domina vitae eius insidiari, preciumque promittere, si esset qui vitam ei auferret. Sed cùm timerent omnes Deum, & mors eius differretur, peruenit ad Berengarium sermo. VVilla verò coepit aruspices maleficosque inquirere, quò eorum carminibus iuuaretur. Vtrùm autem horum carminibus, an Berengarij adiuta sit mollitie, nescio: adeò mens eius erat inclinata, vt sponte maritali submitteret ora capistro. Presbyterulus itaquè, quia ad dominae asseclas adhinniuit, virilibus amputatis dimittitur: Domina verò magis à Berengario diligitur. Dixerunt autem, qui eum eunuchizauernnt, quòd meritò illum domina amaret, quem Priapeia arma portare constaret.

Idem cap. 13. de Ioanne Rauennate, qui per nefas summum Pontificatum inuaserat, per Theodoram videlicet meretriculam. Quo tempore venerandae Romanae sedis Ioannes Ravennas summum Pontificatum tenebat: (hic autem nefando scelere contra ius fasque Pontificium culmẽ obtinuit) Theodora scortum impudens, huius Alberici, qui nuper hominem exuerat, auia (quod dictu etiam foedissimum est) Romanae civitatis non inuiriliter monarchiam obtinebat. Quae dictas habuit natas Maroziam atque Theodoram, sibi non solùm coaequales, verùm etiam Veneris exercitio promtiores. Harum vna Marozia ex Papa Sergio, cuius suprà fecimus mentionem, Ioannem (qui post Ioannis Rauennatis obitum sanctae Romanae Ecclesiae obtinuit dignitatem) nefario genuit adulterio: ex Alberto autem marchione Albericum, qui nostro pòst tempore Romanae vrbis principatum vsurpauit. Per idem tempus Rauennatis sedis, qui secundus post Romanum Archierēum archipraesulatus habebatur, quidam Petrus Pontificatum tenebat. Qui dum debitae subiectionis officio nominatum Ioannem Papam, qui suae minister Ecclesiae tunc temporis habebatur, Romam saepius & iterum domino dirigeret Papae: Theodora, vt testatur vita eius, meretrix impudentissima, Veneris calore succensa, in huius speciei decorem vehementer exarsit, secumque eum scortari non solùm voluit, verùm etiam atque etiam pòst compulit. Haec dum impudenter aguntur, Bononiensis Episcopus moritur: & Ioannes iste in locum eius eligitur. Paulò pòst ante huius diem consecrationis nominatus Rauennas Archiepiscopus mortem obijt, locumque eius Ioannes Theodorae instinctu, priore

Bononiensi ecclesia deserta, ambitionis spiritu inflatus, contra sanctorum patrum instituta, sibi vsurpauit. Romam quippe aduenicns mox Rauennatis ecclesiæ ordinatur Episcopus. Modica verò temporis intercapedine, Deo vocante, qui eum iniustè ordinauerat Papa, defunctus est. Theodoræ autem Glycerij mens peruersa, ne amasij ducentorum milliariorum interpositione (quibus Rauenna sequestratur à Roma) rarissimo concubitu potiretur, Rauennatis hunc sedis Archiepiscopatum coëgit deserere denuò, Romanumque (proh nefas) summum pontificatum vsurpare.

Idem lib. 3. cap. 12. de Imp. gestis. Dictus Sergius Ecclesiam Lateranensem Stephani sexti tempore ferè collapsam, instaurauit, & candelas in D. Mariæ purificatione ferendas ordinauit: & multa execranda cum Scortis, & Lenonibus in ipso Papatu fecit.

Idem lib. 6. Ioannes 13. patriâ Romanus, de viâ latâ, Alberici, ex Marozia fœmina nati ac Romani principis filius, Octauianus antea dictus, patris sui partim muneribus, partim minis Papatum occupabat. In eo namque officio non papaliter, sed genialiter, & histrionicè vixit ille, omni voluptatum generi, scilicet stupris, adulterijs, incæstibus, libidinibus, venationibus, ludicris, ludis, rapinis, incendijs, homicidijs, periurijs, aleis, armis, sacrilegijs, alijsque flagitijs ab ipsâ adolescentiâ incumbens. Ex suis Cardinalibus quosdam oculis, quosdam linguis, quosdam digitis, manibus, naribus & testiculis priuauit.

Constituit hic Papa, vt Imperator Augustus semper posthac à Papa Romæ coronaretur. Dum verò quadam nocte extra Romam anno decimo sui Pontificatus, & anno Domini 964, cum cuiusdam strenui viri vxore se oblectaret, ita est ab eo pugione confossus, vt intra octiduum ex vulneribus moreretur, dignas sceleratissimæ vitæ dans pœnas: vt & vitæ moribus exitus iusto Dei iudicio responderet.

Quæ acta sint in concilio contra Ioannem Romanum Pontificem, in quem moderato animo, & maturo consilio processit Otho: & quæ illi flagitia obiecta sint à congregatis in consilio: enormia certè, & vix credibilia, etiam in sicario aut pagano:

Ex eodem.

His itaque residentibus, silentiumq; summum tenentibus, ita sanctus Imperator est exorsus: Quoniam decorum esset, tam claro sanctoque dominum Papam Ioannem interesse concilio: cur tantum declinauerit cœtum, vos ô sancti patres consulimus, quibus communis labor ecclesiasticus, ac commune negotium existit. Tunc Romani Pontifices, & Cardinales, presbyteri, ac diaconi cum vniuersâ plebe dixerunt: Miramur, sanctissimam prudentiam vestram nos hoc velle percontari, quod nec Ibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet. Non hic iam de illis est, qui veniunt in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces? Ita apertè sæuit, ita apertè diabolica pertractat negocia, vt nihil circuitionis vtatur. Imperator respondit: Iustum nobis videtur, vt accusationes nominatim exprimantur: deinde quod agendum est, communi consilio pertractetur. Tunc consurgens Petrus Cardinalis presbyter, se vidisse illum missam celebrasse, & non communicasse, testatus est. Ioannes Episcopus Narniensis, & Ioannes Cardinalis diaconus se vidisse illum diaconum ordinasse in equorum stabulo non certis temporibus, sunt professi. Benedictus cum cæteris Condiaconis, & presbyteris dixit, se scire, quòd ordinationes Episcoporum precio faceret, & quòd annorum decem quendam Episcopum in Tudertinâ ciuitate ordinaret. De sacrilegio non esse necesse percontari dixit, quia plus videndo, quàm audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quòd oculis non viderint, sed pro certo scirent, eum viduâ Raienerij, & Stephanam patris concubinam, & Annam viduam cum nepte suâ abusum esse, & sanctum palatium lupanar, & prostibulum fecisse: cum duabus sororibus incestum commisisse: virginesque, viduas & peregrinas arridentes sibi quaslibet turpiter violâsse & vitiasse: venationem dixerunt publicè exercuisse. Benedictum spiritualem patrem suum lumine priuasse, & mox mortuum esse. Ioannem Cardinalem subdiaconum virilibus amputatis occidisse, incendia fecisse: ense accinctum, galeâ, & lorica indutum fuisse testati sunt: diaboli in amorem vinum bibisse, eique præbibisse, omnes tam clerici, quàm laici acclamârunt. In ludo aleæ Iouis, Veneris, cæterorumque dæmoniorum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas & Canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se muniuisse, professi sunt: item quòd fores ac fenestras noctu fregerit. Hæc & alia multa.

His auditis Imperator, quia Romani eius loquelam propriam id est, Saxonicam intelligere nequibant, Liuthbrando Cremonensi Episcopo præcepit, ut Latino sermone hæc Romanis omnibus, quæ sequuntur, exprimeret. Surgens itaque sic cœpit.

De Imperatoris Othonis maturâ in Ioannem Pontificem maximum consultatione per interpretem factâ: & de patrum contra eum attestatione, etiam cum sui anathematizatione, si minus vera dicerent: deq; consilio inito, vt in personâ citetur ad sui purgationem.

Persæpè contigit, & nobis expertis credimus, vt in dignitatibus constituti Inuidorum infamiâ maculentur: displicet bonus malis: quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei

est, quòd hanc in Papam accusationem, quam modò Benedictus Cardinalis diaconus legit, & vobiscum fecit, amphibolam retinemus incerti, vtrum è zelo iustitiæ, an impietatis liuore proruperit. Vnde mihi indigno secundum concessæ dignitatis auctoritatem omnes obtestor per Deum, quem fallere, etsi vult, nemo potest, sanctamque eius genitricem intemeratam virginem Mariam, perque preciosissimum Apostolorum Principis corpus, in cuius hæc recitantur Ecclesiâ: vt nulla in dominum Papam iaculentur conuitia, quæ non sint ab ipso patrata, atque à viris probatissimis visa. Tunc Episcopi, diaconi, clerus, & cunctus Romanorum populus, quasi vir vnus dixerunt: si non & quæ per Benedictum diaconum lecta sunt, hisque turpiora, & ampliora Ioannes Papa indigna commisit facinora: non nos à peccatorum vinculis absoluat Apostolorum Princeps beatus Petrus, qui verbo cœlum indignis claudit, iustis aperit: Simus anathematis vinculo innodati, atque in die nouissimâ in sinistrâ parte positi, cum eis, qui dixerunt Domino Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quod si fidem nobis non adhibetis, exercitui domini Imperatoris saltem debetis credere, cui ante quinque dies ense accinctus, clypeo, galeâ, loricâ indutus occurrit: solus Tiberis, qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu caperetur, impediuit. Mox sanctus Imperator dixit: Tot sunt huius rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores. Sancta Synodus dixit: si placet sancto Imperatori, mittantur literæ Domino Papæ, vt adueniat, seque ex his omnibus purget. Tunc eidem sunt literæ destinatæ.

Diploma, siue exemplum literarum Imperatoriarum auctoritate concilij ad Ioannem Papam missarum, quibus vitia à concilio illi obiecta, summatim recitantur: cum humili obsecratione, vt ad se purgandum in concilium venire non recuset.

SVmmo Pontifici, & vniuersali Papæ Domino Ioanni, Otho diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, cum Archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in domino S. Romam ob seruitium Dei venientes, dum filios vestros Romanos, scilicet Episcopos, Cardinales, Presbyteros, Diaconos, & vniuersam plebem de vestrâ absentiâ percontaremur: & quid causæ esset, quòd nos Ecclesiæ vestræ, vestrique defensores videre noluissetis: talia de vobis, tanquam obscœna protulerunt, vt si de histrionibus dicerentur, vobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestram omnia lateant: quædam vobis sub breuitate describimus: quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret vnus. Noueritis itaque, non à paucis, sed ab hominibus tam vestri, quàm alterius ordinis, vos homicidij, periurij, sacrilegij, & ex propriâ cognatione, atque ex duabus sororibus, incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, diaboli vos in amorem vinum bibisse: in ludo aleæ, Iouis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque paternitatem vestram obnixè, venire, atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis. Si fortè vim temerariæ multitudinis formidatis, iuramento vobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum canonum sanctionem. Data VIII. idus Nouembris.

De Ioannis Papæ apologetico, id est, responso, vt auctor accipit, cùm apologiam potius dicat, qua excommunicatos pronunciat, si ad noui Pontificis electionem processerint. Et de rescripto patrum in concilio ad eundem Papam, quod verbis sacris fulcitur.

HAnc epistolam cùm legisset, huiusmodi apologeticum scripsit. Ioannes Episcopus, seruus seruorum Dei, omnibus Episcopis. Nos audiuimus dicere, quòd vos vultis alium Papam facere: si hæc facitis, excommunico vos de Deo omnipotenti, vt non habeatis licentiam vllum ordinare, & Missam celebrare. Cùm hæc epistola in sanctâ synodo legeretur, aduenerunt, qui prius defuerant religiosi à Lotharingiâ, Henricus Treuerensis archiepiscop. ab Æmiliâ & Liguriâ, VVido Muziensis, Gezo Tertonensis, Sigulfus Placentinus: quorum consilio ita Papæ rescribunt. Summo Pontifici, & vniuersali Papæ Domino Ioanni, Otho diuinæ respectu clementiæ Imp Augustus: sed & sancta synodus Romæ ob seruitium Dei congregata in Domino, salutem. Præteritâ synodo, quæ celebrata est VIII. idus Nouemb. literas vobis direximus, in quibus accusatorum vestrorum verba, atque accusationis causæ continebantur. Rogauimus etiam eisdem literis magnitudinem vestram, quemadmodum iustum est. A vobis, non quales temporis qualitas, sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, literas accepimus. Non veniendi ad synodum rationabilis esse excusatio debuit. Sed & præsentes magnitudinis vestræ debuerunt nuncij interesse, qui aut ægritudinis, aut certè difficultatis caussa satisfacerent, sanctâ vos synodum declinasse. Est & aliud vestris in literis scriptum, quod non Episcopum, sed puerilem ineptiâ scribere deceret. Excommunicastis enim omnes, vt non habeamus licentiâ canendi missas, ordinandi ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ sedi constituerimus Episcopum. Ita enim scriptum erat, Non habeatis licentiam vllũ ordinare. Nunc vsque putauimus, imò credimus, duo negatiua vnum facere dedicatiuum: nisi vestra auctoritas priscorum sententias

infirmaret auctorum. Nos verò intentioni vestræ non verbis respondeamus: Si ad synodum venire, & obiecta purgare non differtis, autoritati vestræ procul dubio obediemus. Sed si, quod absit, venire, & obiecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, cum præsertim vos venire nil impediat, non maris nauigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo: tunc excommunicationem vestram parui pendemus: eam potius in vos retorquebimus, quoniam quidem iustè facere possumus. Iudas Domini nostri Iesu Christi proditor, imò venditor cum cæteris prius ligandi, atque soluendi potestatem à magistro in hæc verba acceperat: Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, & cæt. Quàm diu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque soluere valuit: postquàm verò cupiditatis veneno homicida factus Vitam occidere voluit, quem postea ligatum soluere, atque solutum ligare potuit, nisi seipsum, quem infelicissimo laqueo strangulauit? Data X. Kalend. Decemb. & missa per Adrianum Cardinalem presbyterum, & Benedictum Cardinalem diaconum. Qui cùm ad Tiberim peruenissent, eum non inuenerunt. Pharetratus enim in campestria iam abierat. Nec quisquam erat, qui his vbi ipse esset, indicare posset. Cumque eum inuenire non possent: cum eisdem literis ad sanctam synodum, quæ tunc tertiò est habita, sunt reuersi. Mox Imp. ait: Expectauimus aduentum eius, vt præsente eo, quid nobis egerit quereremur: verùm quoniam eum non affuturum certò scimus, quàm perfidè nobiscum egerit, vt diligenter agnoscatis, etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus archiepiscopis, presbyteris, diaconis, reliquoque clero, nec non & comitibus, iudicibus, omnique plebi, quòd idem Ioannes Papa oppressus à Berengario, atque Adelberto rebellibus nostris misit nobis in Saxoniam nuncios, rogans, vt pro amore Dei in Italiam veniremus, & Ecclesiam sancti Petri ac seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos verò adiuuante Deo, quantum fecerimus, non est necesse dicere, vt impræsentiarum videtis. Ereptus verò meâ operâ ex eorum manibus, & honori debito restitutus, oblitus iuramenti, & fidelitatis, quam mihi supra corpus sancti Petri promisit, eundem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, seditiones fecit, & videntibus nostris militibus, dux belli factus, loricâ, & galeâ est indutus. Quid super hoc sancta synodus decernat, edicat. Ad hæc Romani Pontifices, reliquusque clerus, & cunctus populus dixerunt: Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Si corruptis moribus sibi soli, & non cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot prius casti huius facti sunt imitatione incesti? Quot probi huius exemplo conuersationis sunt reprobi? Petimus itaque à magnitudine Imperij vestri, monstrum illud nullâ virtute redemtum à vitijs, à sanctâ Romanâ Ecclesiâ pelli, aliumque loco eius constitui, qui nobis exemplo bonæ conuersationis præesse valeat, & prodesse sibi, rectè viuat, ac benè viuendi nobis exemplum præbeat. Tunc Imp. Placet, inquit, quod dicitis, nihilque gratius nobis foret, quàm vt talis, qui huic sanctæ, & vniuersali sedi præponeretur, inueniri posset.

De Leonis protoscriniarij in summum pontificem electione: & Ioannis depositi largitione, qua Romanos in cædem Imperatoris, & noui Papæ solicitauit. Sed Imperatore vincente, frustra conati sunt: Leonis tamen indulgentiâ obsidibus remissis, cùm Imperator abesset, meretricularum illecebris populus Romanus rursum Ioannem recipit, qui in Leonis assecias mirè sæuit, donec à diabolo enectus est. Post quem Romani Benedictum Papam declarant: sed Leoni sedes redditur, Benedicto exulante.

His dictis omnes vnâ voce dixerunt: Leonem venerabilem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ protoscriniarium virum approbatum, ad summum sacerdotij gradum nobis in pastorem elegimus, vt sit summus, & vniuersalis Papa Romanæ Ecclesiæ, reprobato ob improbos mores Ioanne Apostatâ. Cùm hoc omnes tertiò dixissent, annuente Impe. nominatum Leonem ad Lateranense palatium secundum consuetudinem cum laudibus ducunt, & certo tempore in Ecclesiâ sancti Petri ad summum sacerdotium sanctâ consecratione attollunt, & fideles se ei affuturos iureiurando promittunt. His ita gestis, sperans sanctissimus Imp. cum paucis Romæ se degere posse, ne consumeretur Romanus populus ob multitudinem exercitus, multis vt redirent, licentiam dedit. Cumque hoc Ioannes, qui deiectus est, Papa cognosceret, non ignorans quàm facilè Romanorum mentes pecuniâ posset corrumpere, clàm Romam mittit nuncios, beati Petri, omniumque Ecclesiarum pecuniam repromittentes, si super pium Imp. & dominum Leonem Papam irruerent, eosque impijssimè trucidarent. Quid multis morer? Romani mox exercitus paucitate confisi, imò decepti, & pecuniæ promissione animati, buccinâ concrepante, super Imperatorem vt eum occidant, festinare contendunt. Quibus Imp. super pontem Tiberis, quem Romani plaustris impeditum habebant, occurrit: cuius fortes milites assuefacti bello, pectore, & armis intrepidi, eos inter prosiliunt, & quasi accipitres auium multitudinem nullo resistente proterunt. Non latibula, non corbes, non concaua ligna, non cryptæ, sordium receptacula, fugientibus tutela esse possunt. Occiduntur itaque, & vt assolet contingere viris fugientibus, passim à tergo vulnerantur. Quis tunc Romanorum cladis huius superstes fieret, si non Imp. sanctus misericordiâ, quæ eis nulla debebatur, inclinatus, suos adhuc interficere sitientes retraheret, & reuocaret? Itaque deuictis omnibus, atque ijs, qui supererant, obsidibus acceptis, venerabilis Papa Leo pedibus Imp. prouolutus orat, vt Romanis obsides reddat, seque eorum fidei commendet. Rogatu denique Papæ Leonis Imperator sanctus Romanis obsides reddit, non incertus, quod prosecuturus sum, incepturos. Igitur Romanorum fidei eundem Papam, quemadmodum lupis agnum commisit. Deinde Roma exiens,

Camerinum Spoletumque versus, vbi Adelbertum esse audierat, properauit. Interea mulieres quibuscum Ioannes, qui dictus est Papa, voluntatis suæ ludibrium exercebat, non ignobiles, & plures concitauerunt Romanos, vt Leonem summum, & vniuersalem Papam à Deo, & ipsis electum perderent, & Ioannem in vrbem susciperent. Quod cùm fecissent, Deo miserante, ex eorum manibus Leo est liberatus, paucisque ipsum concomitantibus, ad piissimi Imperatoris misericordiam est profectus. Imperator denique sanctus tantum dedecus ægrè ferens, cùm ex domini Papæ Leonis deiectione, tum ex Ioanne Cardinale diacono, & Azone protoscriniario, quorum alterum manu dextera, alterum lingua, duobus digitis, naribusque abscisis, Ioannes abdicatus defædauerat, reparato exercitu, Romam redire disposuit. Priusquàm tamen sancti Imperatoris copiæ essent congregatæ, volens cunctis seculis innotescere Dominus, quàm iustè esset Ioannes Papa à suis episcopis, & omni plebe repudiatus, quamque postmodum iniustè receptus, quadam nocte extra Romam dum se cum cuiusdam viri vxore oblectaret, in temporibus adeò à diabolo est percussus, vt intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Sed Eucharistiæ viaticum ipsius instinctu, qui eum percusserat, non percepit: quemadmodum à suis cognatis, & familiaribus, qui præsentes erant, persæpè sub attestatione audiuimus. Quo mortuo, Romani omnes iuramenti quod sancto imperatori promiserant immemores, Benedictum Cardinalem diaconum Papam constituunt, insuper & juramento, nunquam se eum dimissuros, sed & contra Imperatoris potentiam defensuros, promittunt. Quo audito Imp. vrbem vallauit, neminem, qui non membris truncaretur, exire permisit: machinis & fame vsque adeò afflixit, donec Romanis nolentibus vrbem reciperet, Leonem virum venerabilem debitæ sedi restitueret, ac Benedictum summæ sedis inuasorem eius præsentiæ præsentaret. Residentibus itaque domino Leone summo, & vniuersali papâ in ecclesiâ Lateranensi, nec non & Imp. sanctissimo Othone, & Episcopis Romanis, Italicis, à Lotharingiâ, & Saxoniâ, archiepiscopis, presbyteris, diaconis, omniique Romanorum plebe, quorum nomina superius adscribuntur, aduenit Benedictus Apostolicæ sedis inuasor, eorum qui se elegerant, manibus adductus, pontificalibus vestibus indutus. Quem Benedictus cardinalis archidiaconus tali est sermone aggressus: Quâ tibi auctoritate, quáue lege, ô inuasor, hæc pontificalia indumenta vsurpasti, superstite hoc præsente domino nostro venerabili Papâ Leone, quem tu nobiscum accusato & reprobato Ioanne ad apostolicatus culmen elegisti? num inficiari potes præsenti domino Imperatore iuramento promisisse, nunquam te cum cæteris Rom. Papam electurum aut ordinaturum absque illius, filijque sui Regis Othonis consensu? Benedictus respondit: Si quid peccaui, miseremini mei. Tunc Imperator effusis lacrymis, quàm misericors esset ostendens, rogauit synodum, ne Benedicto præjudicium fieret. Si vellet & posset, ad interrogata responderet: quod si non posset aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inueniret. Quo audito, ad domini Leonis Papæ pedes, ipsiusque Imp. idem Benedictus concitè procidens, se peccasse, seque sanctæ Romanæ sedis inuasorem esse acclamauit. Post hæc pallium sibi abstulit, quod simul cum pontificali ferula, quam manu gestebat, domino Papæ Leoni reddidit. Quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo ostendit. Deinde Benedictum in terrâ sedere præcepit, cui casulam, quam planetam vocant, cùm stolâ pariter abstulit. Pòst autem omnibus episcopis dixit: Benedictum sanctæ, & apostolicæ sedis Romanæ inuasorem, omni põtificatus & presbyteratus honore priuamus: ob Eleemosynam verò domini Imperatoris Othonis, cuius sumus operâ in sedem debitam restituti, diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non iam Romæ: sed in exilium destinamus.

Prodigia. 963.

CVm maximi essent in Italia motus propter diuersas Pontificum electiones: multa & terrifica tum temporis in tantis Ecclesiæ Romanæ turbis prodigia facta sunt: & in his iterum lapis ingens è cœlo cecidit, sæuiente imbrium copia: & signum cruentæ crucis in multorum vestibus ex improuiso apparuit, quæ rerum ostenta insignem aliquam clero calamitatem portendere interpretabantur. Ioannes omnium Pontificum, qui ad id tempus fuerant, flagitiosissimus, anno sui pontificatus nono perijt, cui alij quatuor annos & 10. menses attribuunt. Imp. vt suprà. PP. 132. Benedict. 6.

Ioannes 13. Papa 134. 965.

HIc, vt Platina scribit, ab adolescentia omnibus probris ac turpitudine contaminatus, venationibus magis, si quid tẽporis à libidinibus supererat, quàm orationi deditus: duobus Cardinalibus vni nasum, alteri manum abscidit. Quidam à Diabolo percussum, alii in adulterio confossum periisse scribunt. Quo tempore prodigia multa apparuisse, refert idem Platina. Imp. V.S. —

De Paparum cum Imperatoribus concordia. 965.

Imp. 88. Ottone 1. PP. 134. Ioanne 13.

CVm Othone regnante, Ioannes XIII nobilis quidem genere, sed moribus turpissimis, sedi Romanæ præsideret, Petrique cathedram luxu, alea, ganeis, scortationibus, omnique vitio-

rum genere pollueret: simul quoque Berengarius Longobardorum Dux cùm alias ciuitates, tum quoque Romam durißimè vexaret: Cardinales Epicuream vitam Pontificis, & Tyrannidem Berengarij grauißimè tulêre, ita vt duo ex ipsis, quibus hæc vel honestatis vel sedis Romanæ nomine, vel odio Pontificis præ cæteris displicerent, ab Othone, cuius tunc virtutis opinio ob Lotharingos, Gallos, Hungaros, Danos, aliosque barbaricos populos deuictos, eximia & per totum orbem illustris erat, auxilium petendum statuerent. Itaque cum aliquot alijs communicato consilio, & per literas & legatos Othonem rogauêre, vti laboranti Ecclesiæ & Reipublicæ auxilium ferret: Berengarij tyrannidem crudeliter in Ecclesias sæuientis reprimeret, & Ecclesiam à tam tetra ac impura belua liberaret. Pontifex his cognitis ei, qui literas scripserat, tres digitos, & Cancellario suo; qui in hoc consenserat, nasum amputat. Otho itaque, qui minimè Ecclesiam periclitantem proijciendam censeret, omnibus necessarijs ad bellum comparatis, cum quinquaginta millibus militũ in Italiam contendit: Berengarium, atque Adelbertum filium eius, Italia pellit: Romam dehinc properat. Ac etsi ei Pontificis facinora notißima essent, tamen motus reuerentia sedis Apostolicæ, initiò nihil durius vel asperius in ipsum statuit: sed ipsum omnibus, quæ ei ademta fuissent, restitutis, ingentibus gemmarum, auri & argenti muneribus honorat. Ac data opportunitate colloquendi cum homine, secretò ac amicè quæ de ipsius flagitijs cognouisset, commemorat: admonens, vt in posterum à tam turpibus atque nefandis abstineat, frugi vitam agat, ac Ecclesiæ ornamento, non dedecori sit: sanctimonia vitæ non minus Pontificem, quàm eruditione atque scientia, commendari. Papa præsenti Imperatori vitæ melioris saniorisque spem optimam facit: qua Imperator lætatus, Romà Papiá ad hybernandum concedit: iureiurando tamen prius à Pontifice supra corpus Petri, se nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturum, accepto. Vix verò Imperator Roma discesserat, cùm Pontifex ad pristinum vomitum rediens, non solùm luxui, ganeæ, scortationibus, stupris, sacrilegijs, rapinis, homicidijs, veneficijs, alijsque turpißimis flagitijs indulget: sed & iuramenti Imperatori præstiti oblitus, Adelbertum Fraxineto, quò ex Italia ad Saracenos profugerat, ad se euocat, eique contra Imperatorem Othonem omne auxilium pollicetur: Legatos quoque contra Othonem, Constantinopolim mittit. Imperator, cui talis perfidia in Pontifice mira videretur, hisce intellectis, non temerè fidem adhibendam censet: sed quosdam suorum Romam, qui rei veritatem inquirant, mittit. Iis itaque reuertentibus, & cùm hæc, tum alia atrociora, verißima esse affirmantibus: Imperator iustißima indignatione commotus, Romam denuò contendit. Ac dum iuxta eam castrametatur, Ioanne Pontifice cum Adelberto in Campaniam aufugiente, cum omnibus suis à ciuibus in vrbe honorificè recipitur, fidelitatem Imperatori promittentibus: firmiterque iurantibus, se nunquam Papam electuros præter consensum Imperatoris Othonis Cæsaris Augusti, filijque ipsius regis Othonis. Elapso itaque sic Ioanne, atque metu Cæsaris in syluis & locis Campaniæ abditis latitante, ac post triduum tam clero Romano, quàm populo rogante, conuentum, in quo de vita Ioannis inquireretur, fieri: Otho concilium indicit, vocatis ad hoc omnibus Episcopis & Abbatibus Italiæ, quos integros, pios & bonos esse sciebat. Quibus die statuto venientibus, etsi scelera ipsius talia essent, vt etiam ex concilij sententia, nec Hybericos, nec Babylonicos, nec Indicos latêre putarentur: minimè tamen sententiam in ipsum præcipitandam diuinæ virtutis Imperator, sed moderato animo, maturoque consilio procedendum censuit. Quare cum Archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, ad Ioannem literas, in quibus accusationis causæ ac verba continebantur, mittit: eumque hortatur, vt ad purgandum se de criminibus obiectis veniret. Illo verò ita respondente, vt authoritatem Concilij ab ipso negligi facillimè appareret: simulque temerariè excommunicante eos, qui alium eligerent: Imperator, grauißima oratione Concilio exponit, quàm perfidè Ioannes secum egisset, quamque scelerate vixisset. Eo itaque audito, vnanimi Concilij sententia, Ioanne Apostata ob improbos mores reprobato, Leo protoscriniarius Romanæ Ecclesiæ Pontifex electus est. Interea autem Imperatore milites plerosque, quos secum duxerat, dimittente, ne multitudine exercitus Romanis oneri esset: reprobatus ille Pontifex hoc cognito, cùm non ignoraret, quàm facili momento Romanorum animi mutarentur, quamque fluxæ ac instabilis fidei essent: nuncios suos Romam mittit, ac vt in Imperatorem eiusque comitatum irruant, hortatur: inque remunerationem ipsis, beati Petri omniumque Ecclesiarum thesauros pollicetur. Romani paucitate exercitus Cæsarei, & pecuniæ promißione animati, conspirant, ac buccina concrepante, in Imperatorem insurgunt. At eo super pontem Tyberis, cum milite intrepido, inque armis exercitato, viriliter occurrente, Romani perfidiæ suæ dignas pœnas retulêre. Ita namque fusi fugatique sunt, vt nullum nec sacra nec prophana loca tuerentur, sed tam ab aris, quàm haris, sordiumque receptaculis extraherentur. His itaque sic peractis, Otho Romanos tanta strage affectos, quietiores fore sperás: Spoletum, vbi Adelbertum esse audierat, festinat. At Ioannes denuò ad solitas artes conuersus, per meretrices, quibus cum ante commercium habuerat, nobiles plerosque Romanos ita concitauit, vt Ioanne in vrbem recepto, Leo ægrè manus ipsorum euaderet, & ad Imperatorem perueniret. Is ergò Leonis Papæ deiectione, ac Ioannis tyrannide, qua in quibusdam puniendis vsus fuerat, cognita, exercitum reparat, iniuriam sibi atque Leoni Pontifici à se instituto illatam vlturus. Verùm dum in eo occupatur, optimi maximi Dei iudicio, volentis Ioannem mundo ad exemplum diuinæ vindictæ proponi, factum est, vt miro genere mortis interiret. Nam cùm quadam nocte, cum cuiusdam viri vxore extra vrbem sese oblectaret: in temporibus adeò à Diabolo (quemadmodum Luitprandus Ticinensis memoriæ prodidit) percussus est,

vt intra octo dierum spatium ex vulnere sit mortuus. Alij verò à marito mulieris, qua cum consueuerat vulneratum fuisse scribunt: ita vt animam impuram diabolo, cui seruierat, redderet. Etsi autem hoc monstrum interiisset: non tamen seditio per ipsum mota conquieuit. Nam Romani in eius sublati locum Benedictum Quintum subrogârunt: eumq; ab Imperatore, qui tum Spoleti erat, confirmari contenderunt. Sed Imperator cùm hanc electionem nequaquam probaret, Romanos id minimè expectantes à se repulit: eosq; flamma & ferro omnibus circa vrbē vastatis, compulit, vt pulso Benedicto, vel dedito potius, Leonem susciperent, adactos sacramēto, nil se earū rerum immutaturos quas ipse Imperator in re pontificia constituisset. Leo itaq; in sedem Barloneam restitutus, Romanorum inconstantiæ pertæsus, autoritatem omnē eligendi pontificis à Clero populoque Romano ad Imperatorem transtulit: prout habetur distinct. 63. c. In Synodo. Et Otho hoc modo rebus compositis, in Germaniam rediens, secū Benedictum duxit: qui non multò pòst, dolore animi Hamburgi, apud cancellarium Othonis Adaldagum, archiepiscopum Hamburgensem mortuus, ibidemque in cathedrali Ecclesia sepultus est. Schardius ex Luitprando Ticinensi, Theodorico à Niem, Platina, Crantzio, & aliis.

Ex Chronico Cassinensi lib. 4. cap. 74.

CVm Capuani monachi ægrotum cappâ moniali induerent, rem hanc indignè tulerunt clerici, qui hinc jacturam suorum redditiuum timebant: ideoque agmine facto in defunctum cappatum irruunt, vestemque detractam in plateam abijciunt, pedibus in luto calcandam. Imp. 88. Ottone 1. PP. 134. Ioanne 13.

Ibidem libro 4. cap. 41. Henricus 5. Imperator ad vestigia Paschalis 2. Romani Pontificis corruit, exsurgensque in nomine Trinitatis, in ore, in fronte, pectore & oculis, pacis osculum ei fixit, stratorisque impleuit officium: moxque dexteram Pontificis apprehendens, ad templum simul iuêre.

Ibidem libro secundo capite quarto. Albericus Marsorum episcopus, ab Otthone Magno Imperatore jus monasterij S. Angeli de Barregio quoad viueret, impetrauit: quo defuncto, ad Cassinenses vt rediret, inter ipsos conuenerat. Is ob ætatem Guinisio filio notho episcopatum regendum dedit: ac Cassinense quoque monasterium in filii potestatem redigere laborauit. Capuanorum igitur, quibus inuisum Cassinensem abbatem sciebat, animos tentat promissâ ingenti pecuniæ copiâ, vt abbatem oculis priuent. Eius pecuniæ dimidiam partem in præsentiâ, alteram cùm exsculptos abbatis oculos in suis tenuerit manibus, se soluturum pollicetur. Abbas Capuanorum se in vrbem iuris dicundi causâ inuitantium dolum sentiens venire recusat. Instant illi, interposito iuramento, saluum & incolumem se ipsum ad S. Benedicti monasterium (non Cassinense, sed Capuanum intelligentes) perducturos. Itaque Abbas cum ipsis Capuam contendit. In monasterium autem Sancti Benedicti, quod Capuæ erat, honorificè introducto abbati (sic enim fidei suæ satisfactum putabant) vincula iniiciuntur, oculique effodiuntur: ij mox linteolo inuoluti, per legatos ad Albericum ferri curantur: at Legati ex viatore quodam, episcopum eâ ipsâ horâ, quâ abbatis oculi exculpti fuerant, vitâ functum esse, cognouerunt.

Smaragdus Abbas.

SMaragdus Abbas ad Sanctum Michaëlem in Brittannia, ordinis Sancti Benedicti, scripsit postillam, quam germanicè Casparus Hedio vertit. In ea sic legitur: Christi namque humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens patri vsque ad mortem crucis, non vtique sanguis eius in remissionem peccatorum, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus. Item alibi: peccata nostra ipse portauit in corpore suo super lignum, quia nimirum ita nos redimere voluit, vt lignum, quo peccata nostra tolleret, pendens in humeris haberet. Item surrexit, & volauit in altum, & pro nobis vnicus interpellat in cœlo. Præstat cum patre, quod postulârat à patre, quia mediator est & creator: mediator vt poscat, creator vt tribuat. His verbis omnem sanctorum inuocationem & omnia merita hominum, licet monachus fuerit, qui sua opera tanti faciunt, vt non sibi, sed & aliis ad vitam æternam conducere clament, prorsus nihil, imò blasphemias esse docet: porrò justitiam illam sanguine Christi nobis emtam, nulla alia ratione nobis applicari disertè docet his verbis: vt necesse sit sola fide Christi saluari credentes. Et alibi: Quia perfecti estis in fide, perfecti estis in conuersatione, in sola Christi fide spem ponentes, & in conuersatione cælesti conuersantes. Ac iterum alio in loco: Secundum quod proposuit, non ex operibus legis, nec legalibus sacrificiis, sed sola fide, & sanguinis sui effusione, saluare, quos præsciuerat credituros: & quos gratis vocauit ad salutem, multò magis glorificauit operantes. Hinc etiam nostram salutem toties donum & honorem appellat, sic dicens: Grandis honor donatur in Christum credentibus, vt sint videlicet fratres Domini nostri Iesu Christi, & filii patris altissimi: & vt sint hæredes Dei patris, cohæredes autem Christi. Grandis, inquam, honor est eis, vt fulgeant sicut sol in regno patris, & sedeant super 12. tribus Israel. Grandis honor est eis, quibus filius dixit: Sicut

exit me pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea, &c. Et alibi inquit: Si fides in nobis, ristus in nobis: ergò fides tua de Christo, Christus est in corde tuo. Imp. 88. Ottone primo. 134. Ioan. 13.

BONIFACIVS VII. PP. 137.

Bonifacius septimus, cuius cognomen & patria ob ignobilitatem credo reticetur, pontifica-tum malis artibus adeptus, malè etiam amisit. Nam inito magistratu conspirantibus nul bonis ciuibus, relinquere vrbem coactus, preciosissima quæque è Basilica Petri subtrahens, onstantinopolim confugit: vbi tam diu substitit, quoad diuenditis, quæ sacrilegio abstulerat, ma-nam vim pecuniarum comparasset, quibus tanquam adminiculis occupandæ tyrannidis fretus, bem repetit, ciues Romanos largitione corrupturus. Obstabant conatibus suis viri boni, maxi-è verò Ioannes diaconus Cardinalis, quem captum adiuuantibus quibusdam perniciosis homi-ibus, oculis statim priuauit. Atq; ipse tantorum malorum auctor gliscente maiorem in modum ditione, siue timore, siue pœnitentia patrati sceleris, turpiter vitam finiuit. Vide quæso quan-um degenerauerint hi pontifices à maioribus suis, qui hanc rempublicam Christianam tam am-lam, tamq; magnificâ suo sanguine nobis reliquêre. Pontifex iste Romanus sacrorum pater & rex acra ipsa furto abstulit: & qui vindicare sacrilegia debuerat, tanti sacrilegii factus est auctor. Hoc utem contingere, in quauis repub. consueuit, quando plus malorum ambitio & auaritia valet, uàm bonorum virtus & grauitas. In clerum igitur deligendi essent, quorum vita & doctrina pro-ata sit: non autem hi, qui cùm nil virtutis & religionis habeant, ambitione & largitione sibi po-entiam quærunt. Platina. Sed cur vicarios Christi sacrilegos, ambitiosos, auaros, & omnis virtu-is ac religionis expertes dicat, ipse viderit.

De eodem.

IN eius absentia Romani alium creauerunt Pontificē, Ioannem 15 (alii qui meretricem Ioannem 8. non adnumerant reliquis, aut vndecimum & duodecimum pro vno reputant, vocant eum 14) nomine: hunc Bonifacius istic cùm Romam reuersus est, & ciuium gratiam pecuniis sibi rede-mit, collecta omnis generis vanorum & nullius precij hominum turba, cepit, & exoculauit, ac in carcere fame enecauit. Non enim inconsueta erant ei homicidia: quia & prædecessoris sui mortis au-tor fuisse, dicitur teste Concilio Remensi. Verùm quia subitanea morte diuinitus ob patratum hoc latrocinium, plexus fuit anno 976. adhuc cadauer eius pœnas luere debuit sceleris. Fune enim pedibus iniecto ipsum Clerici raptitârunt humi, & protraxerunt ex vrbe in Lateranam plateam seu viam publicam: ibi eum ciues lanceis & acu-leis confoderunt & contuderunt multis vul-neribus. Tandem sepeliuerunt eum sacerdotes tanquam hominem laicum seu profanum. De hoc Herman. Contract. Nauc. Plat. Sabell. Antoninus, & Ioannes de Columna lib. 16. c. 1. tract. 16. par. 12.



Raptus filiæ Cæsaris.

Bretislaus (aliis Brezetislaus) quum ado-leuisset, Iutham Ottonis Imp. 2. filiam, quæ apud Ratisbonam in monasterio nutrie-batur, quamuis nunquam vidisset, sola fama commotus vi rapuit, solusq; cum illa ad pa-trem perrexit, comitibus velocitatem eius as-sequi nequeuntibus, ab Imperatore ex fuga retractis atq; occisis. Non improbauit pater Vdalricus factum, sed admiratus audaciam, tantum se filium genuisse gauisus, matrimo-nium cum rapta in Morauia celebrari man-dauit, tantò præstantiorem filium æstimans, quantò nobilius est, Imperatoris quàm villici filiam amauisse. Pater autem puellæ incompa-rabile nefas detestatus, quòd auderet vir Im-perio subiectus, tantam irrogare Imperatori domino suo iniuriam, iureiurando affirmat, se exercitum in Bohemiam ducturum, terrá malis affecturum, sibiq; sedem in medio regni collocaturum. Statimq; cum exercitu Bohe-miam instar torrentis cuncta secum rapientis ingreditur. Contrà Vdalricus, filiusq; castra mouent,

Iam duo exercitus ad jactum teli conuenerant, tum Iutha cuius ex iniuria bellum ortum, crinibus sparsis, scissa vnguibus facie, victa periculorum magnitudine muliebri pauore, ausa telis sese inferre volantibus, inter primas acies prosiliens patris colloquium, priusquàm furor ardeat amplior, expoicit. Quo impetrato, fateor, inquit, pater iustum te bellum mouisse, cuius filia rapta est, illumq; pœna dignum qui te contemsit, nisi compulisset amor, cuius cæca consilia sæpe veniam meruêre. Sed age obsecro, pone ante oculos quem armis insequaris: gener tuus mihi maritus, cui tantoperè irasceris, & fortasse nepos tuus eius filius in ventre meo conceptus est. Parce oro filiæ, parce nepoti, patrem illi mihi virum dimitte. Non est degener maritus, nec solui consummatum matrimonium Rom. Ecclesia finit: nec tibi victoriæ potestas est: vtrique vires, vtrique belli artes suppetunt. Mars dubius casum respicit. Ne obsecro pater, mei causa tantam militiam morti obijcito: parce cui ego prior læsa peperci. Illachrimatus pater audita filia, facturum esse se dixit, quod illa vellet, nisi obstaret juramentum. Tum Iutha: & maritus inquit, meus iureiurando adstrictus est, Teutoniam armis lacessere: sed vana religio, quæ sceleri locum facit: vim criminibus sacramenta non addunt. Inueni tamen si libet viam, qua te simul promisso, virumque soluam. Veniet cum patre gener ad pedes tuos, veniam commissi petent, te Regem, te Dominum profitebuntur: neque impedimento erit, quo minus sedem in medio Bohemiæ colloces, ibiq; ius dicas. Placuit Imperatori consilium filiæ, atque in eius verba fœdus ictum, exercitus consalutati & in Boleslauia, quæ vmbilicum Bohemiæ tenet, sedes Imperatoris lapidea erecta, perpetuum rei monumentum principibus terræ, insigne datum imperialis aquilæ. Exinde Bisetislaus Morauiam ex paterno indulto rexit, Polonosq; qui magnam eius partem occupauerant, bello deleuit. Ex aliquot chron. Polonicis. Imp. V. S. PP. 138. Benedicto 8.

Terribilia.

Per totam aliquando noctem in cœlo visæ sunt acies, mutuis se vulneribus conficientes. Sigebertus & Vrspergensis. Imp. 89. Othone 2. PP. 138. Bened. 8. 979.

IOANNES XVI. PP. 141.

Ioannes decimus sextus, patria Romanus, patre Leone presbytero, è regione Gallinæ albæ, pontificatum adeptus miro odio in clericos exarsit, vnde meritò ab ipsis clericis odio habitus est, maximè verò, quòd diuina humanaq; omnia cognatis & affinibus suis elargiebatur, posthabito Dei honore & Romanæ sedis dignitate: quem certè errorem ita posteris tradidit, vt ad nostram quoque ætatem peruenerit. Qua quidem consuetudine nihil certè dici perniciosius potest, cùm non ob Religionem & Dei cultum appetere pontificatum nostri sacerdotes videantur, sed vt fratrum vel nepotum vel familiarium ingluuiem & auaritiam expleant. Apparuisse Cometem tum ferunt futuræ calamitatis indicium: nam & fame & peste diu laboratum est, & terræmotu Beneuentum ac Capua concussa, eaq; mala ob superbiam & rapacitatem Pontificis, contemtumq; Dei & hominum accidisse putatum est. Moritur autem Deo volente, octauo Pontificatus sui mense, sepeliturq; in basilica Petri. Platina. Imp. 90. Othone 3. 985.

Vaticinium VVolfgangi Episcopi Regensburgensis.

Hæc reliquit verba lapidi incisa: Post Sex. Interpretationem habes in Scholijs Langij, & in Epit. Bucneri. Imp. vt suprà. PP. 141. Ioanne 14. 994.

Ominosum frigus.

Hoc anno inclementissima fuit bruma, ab initio Nouembris vsque ad Maium mensem perdurans, gelidissimis noxijsq; desæuiens ventis. In fine autem Mensis Iulij lacus & vndæ tam stricta congelârunt glacie, vt earum pisces omnes fuerint emortui, & magna fuerit aquæ penuria. Arbores, plantæ, herbæ, salices & fructus omninò ariditate emarcuerunt, quasi igni exusti fuissent. Hæc subsecuta est atrocissima pestilentia & fames, adeò in miseros grassata mortales, vt plurimas incolis orbauerit ædes. Hist. Quedlinburgensis. Imp. & PP. V. S. 994.

Portenta.

Grana tritici, & pisciculos imbribus immixtos, pluisse in Galliâ apud Albanum ferunt. Sigeb. & Palm. Imp. 90. Ottone 3. PP. 142. Greg. 5. 995.

De Paparum cum Imperatorib. concordia.

Imp. 90. Ottone. 3. PP. 142. Gregorio 5. & 143. Ioanne 18.

Post aliquot deinde annos, vt auo in Imperio, sic quoq; in contentionibus pontificijs successit Otho eius nominis tertius. Defuncto namq; Ioanne decimo septimo, cùm ipsum Grego- 995.

um quintum ex iure (per Leonem Octauum Othoni Magno concesso) pontificem creasset: eumue Crescentius ac populus vrbis, ægrè ferentes, hominem Germanum autoritate Imperatoris orinatum esse Papam, sede pontificiali deiecissent: Ioanne eius nominis decimo octauo, prius Epicopo Placentino, homine pecunioso ac erudito, in locum eius substituto: Gregorius ad Imperatoem in Germaniam profectus, ac de iniuria sibi illata conquestus, Imperatorem ita commouit, vt opiis coactis vrbem peteret, eamque longa obsidione cinctam ad tantam redigeret necessitatem, vt populus Romanus fame coactus, patentibus portis Imperatorem reciperet.

Intromissus itaque in vrbem Imperator, cùm sciret eandem sibi potestatem scelerati pontificis, quam alterius latronis coërcendi, diuinitus concessam esse: initiò Pontifici capto oculos erui, & manuum digitos amputari: deinde sordidis indutum vestibus, manibus, pedibusque reuinctis asino imponi, ac per vrbem duci: tandemque è monte Tarpeio præcipitem dari iussit. Crescentium autem consulem ex fuga retractum, vili quoque iumento, vultu ad caudam verso, nasoque cum auribus abscisso, vt spectaculo esset omnibus, impositum, ante vrbis mœnia in patibulo suspendit. Sic ergò punitis aduersariis, non solùm Gregorius vndecimo mense, posteaquàm pulsus fuerat, sedem pristinam recuperauit: sed & optimus ac præstantissimus Imperator successoribus commonstrauit, non mansuetudine pontifices vincendos, sed seueritate coërcendos. Semper etenim, quò quisque Cæsarum placidius erga eos se gessit, tantò petulantius eius mansuetudine sunt abusi, pudendis eos ludibriis prosequentes: vt id ex sequentibus clarè innotescet. Schardius ex Theodorico à Niem, Platina Nauclero, Cuspiniano & aliis.

Dirum.



VVIderolphus Argentinensium episcopus, quem tamen alij VVilderoldum, alij VVilperolphum vocârunt, cùm Baldo in episcopatu successisset, anno episcopatus sui decimo septimo (errant autem, qui duobus tantùm annis præfuisse scribunt) post consecratum à se Seltziense monasterium ad Rhenum situm, arcano Dei consilio ac iudicio, à muribus (quemadmodum Hatto Moguntinensium archiepiscopus) duodecimo Iulij deuoratus, ac in Ebersheyminster cœnobio plurimum à se adamato, atque liberalissimè dotato sepultus est. Eo anno Ottho 3. Italiam ingressus Romam obsedit. Lycosth. Imp. 90. Ottone 3. PP. 143. Ioan. 17.



Canonici seculares. 977.



Veteribus Canonicis, excusso iugo disciplinæ & Regulæ, successerunt Canonici seculares, hoc est, regulares irregulares. Quorum qualitates Thritheymius in chron. Hirs. paucis seq. verbis describit, inquiens: anno 977. Canonici Treuirenses abiectâ Regulari vitâ, desierunt esse Regulares, & facti sunt nomine & re seculares: quos alii alibi quoq; secuti sunt. Vnde Crantzius in Metrop. Canonicum secularem vocat monstrum sine exemplo: Regularem sine regula: & Canonicum sine canone. Vestitus eorum olim erat tunica candida, cum lineâ togâ, sub nigro pallio: tegumentum à scapulis impositum ceruicem totumq; contegit caput, præterquam à fronte. Sab. Enn. 7. lib. 9. & Polyd. De vestitu eorum quoq; scribitur in Senonensi synodo: & l. 21. Anthrop. apud Volateranum, qui dicit, Ordinem hunc olim habuisse in Europa Cœnobia 4555. in Italia 700.

De auaritiæ malo in Monachis extat grauissimum exemplũ apud Hieron: ad Eustochium, quod accidisse dicit. Fuisse enim fratrem parcissimum, & auarissimum, qui moriens argenti summam dereliquisset: super ea, quid factu opus foret, cùm diu deliberatum fuisset, num Ecclesiæ, pauperibus, an verò parentibus illa attribuenda esset, tandem patres decreuisse, infodiendos esse cum eo, dicendo: Pecunia tecum sit in perditionem. Quo facto cunctos per terram Ægyptum tantum terrorem inuasisse, vt vel vnicum solidum reliquisse esset criminis.

De vita Monachorum habes apud Augustinum de opere Monachorum: Epiphanium in compendiaria doctrina de fide Cath. & Apost. Chrysost. homilia 73. & alibi: vt non opus sit hic diutius illis inhærere.

Prodigia. 999.

Anno 999. Christi, & decimo sexto Ottonis, multa prodigia visa sunt passim. Terræmotus factus est permaximus: & horribilis cometes apparuit 19 Calend. Ianuarij circa horam nonam: aperto cœlo itẽ quidam fomes quasi facula ardens cum longo tractu radiorũ, fulguris instar illabitur terris, & cum tanto splendore, vt non modò qui in agris erant, sed in ædibus & lectis etiam, fulmine ferirentur. Hac Cœli scissura sensim euanescente interim visa est figura quasi serpentis, capite subinde crescente, & pedibus cæruleis seu plumbeis. Vincent. lib. 24. cap. 107. Visa sunt alia ostenta & signa ignea plura hoc anno de quibus Chronicon Saxoniæ. Imp. vt suprà. PP. 144. Syluestro 2.

Theophylactus. 1000.

Qvidam existimant, dicit, Antichristum esse abominationem desolationis, eò, quòd vastaturus mundum, & subversurus sit Ecclesias ac sessurus in templo: Matth. cap. 24. Imp. 90. Ottone 3. PP. 144. Syluest. 2.

Prophetia. 1000.

Vvlgò habetur, & celebratur prophetia quædam, cuius initium est: Gallorum leuitas, &c. Ea prædicit: Cæsarem quendam latè ac longè regnaturum, eiusque tempore cessaturam gloriam vani cleri. Sic enim inquit:

Cæsar regnabit vbique,
Sub quo tunc vani cessabit gloria cleri.

De hoc vaticinio plura vide infrà sub titulo: Vates Alofresant.

Rambam siue Rabi Moses filius Maimon Aegyptius. 1000.


Hvius scripta apud Iudæos sunt in magna existimatione, & Rambam ab eis vocantur. Scripsit Glossam in Thalmud Hierosolymitanum, & librum Perplexorum. Sed & Genebardus quædam de eius scriptis edidit.

Rabbi Samuel Iudæus. 1000.

Henricus Petri bibliopola Basiliensis, in Micropresbytico huius epistolam ad Rabi Isaac scriptam, ab Alphonso Bonihominis Hispano, monacho ex Arabica lingua in latinã translatam aliis patrũ antiq. scriptis adiunxit, in qua prophetarum dictis, Christum Iesum, verũ Messiã venisse,

passum, mortuum esse, ac resurrexisse, cœlos ascendisse: secundusque eius aduentus pulcherri commonstratur. Imp. & PP. vt suprà.

Finit Centenarius decimus.



Anno Christi.	Num.	CENTENARII DECIMI	Anni.	Mens.	D
		IMPERATORES.			
913	104	Chunradus Rex Germaniæ.	7	6	0
919	105	Henricus 1. Auceps.	17	0	0
936	106	Otto Magnus 1.	36	10	0
973	107	Otto 2. Iunior.	10	7	
983	108	Otto 3.	17	1	
		PONTIFICES.			
903	120	Leo 5. Priapensis Latinus.	0	1	
903	121	Christophorus Romanus.	0	7	
903	122	Sergius 3. Romanus.	7	3	
911	123	Anastasius 3. Romanus.	2	1	
913	124	Lando Sabinus.	0	6	
914	125	Ioannes 10. Rauennnas.	14	2	
928	126	Leo 6.	0	6	
928	127	Stephanus 8. dictus 7, Romanus.	2	1	
930	128	Ioannes 11. Romanus.	4	10	
935	129	Leo 7. Romanus.	3	6	
939	130	Stephanus 9. dictus Romanus.	3	4	
942	131	Marinus 2. Iunior Romanus.	3	6	
946	132	Agapetus 2. Iunior Romanus.	9	7	
956	133	Ioannes 12. Romanus.	8	4	
963	134	Leo 8. Romanus.	1	3	
964		16 Benedictus 5. Romanus.	0	1	
965	135	Ioannes 13. Romanus.	6	11	

972	136	Donus, Domnus, Donnus, Domnio 2. Iunior Romanus.	0	3	0
972	137	Benedictus 5. dictus. 6. Rom.	1	3	0
974	138	Bonifacius 7. Rom. Franco.	1	1	12
975	139	Benedictus 6. dictus 7. Tusculan.	9	1	10
984	140	Ioannes 14. Papiensis.	0	8	0
985	141	Ioannes 15. Romanus.	9	6	10
995	142	Ioannes 16. Romanus.	0	4	0
995	143	Gregorius 5. SaxoGermanus.	2	8	3
996		17. Ioannes 17. Græcus.	0	10	
998	144	Syluester 2. Iun. Aquit. Gallus.	4	6	12
Anno Christi.	*Num*	CONCILIA.	*Epis.*	*Sess.*	*Can.*
905	310	& 311 Remensia 2.			
916	312	Althaimense.			
921	313	Dingelfingense.			
927	314	Duisbergense.			
935	315	Erfordiense.			
943	316	Bonnense.	22		
948	317	Ingelheimense.	34		
951	318	Augustanum.	25		
957	319	Rauennas.			
958	320	Ingelheimense.	16		
963	321	Romanum 55.			
964	322	& 223 Romanum 56. & 57.			
965	324	Constantinop. 26.			
967	325	Romanum 58.			
972	326	Ingelheimense.			
	327	Vnitoniense.			
975	328	Caluense.			
	329	Constantinop.			
978	330	Romanum 59.			
990	331	Siluanectanense.			
992	332	Remense.			
995	333	Romanum 60.			
	334	Remense seu Molomense.			25
996	335	Romanum 61.			

DOCTI VIRI.

912 *Ord. Cluniacensis.*
950 *Ord. Camaldulensium.*
977 *Ord. Canonicorum secularium.*

ORDINES.

Conradus Hæopagus.
Geophardus Argentoratensis.
910. *Regino Abbas Promiensis.*
M. Phlippus Secretarius Imp. Henrici 1.
VVittichindus vel VVindichinus Corbeiens.
950. *Radulphuss Flaviacens.*
Luitprandus Ticinensis.
Serlo Dorobernens. Britto.
Cassinense Chronicon.
970. *Smaragdus Abbas.*
Suidas 2. nam duos fuisse autumant.
Theophylactus.
1000. *R. Mose filius Maimon Aegyptij.*
R. Samuel Iudæus.



LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS VNDECIMVS.

Italia infausta Imperatoribus. 1001.



OTto tertius Gregorium Saxonem cognatum Papam constituit, quem Crescentius consul cum populo Romano eiecit ex vrbe, electo alio Pontifice Ioanne. Hunc Imperator sede deturbat, oculis deinde & etiam vita priuat, Gregorio restituto, & Crescẽtio patibulo affixo. Hic Gregorius cum Ottone legem de septem Electoribus, & Imperatore creando constituerunt. Vxor Crescentij consulis suspensi, formâ eximiâ Cæsarem in amorem sui pellexit, & chirotecas veneno tinctas præbuit, quibus paulatim intoxicatus in Italia interijt. Cuspinianus ex alijs. Imp. Ott. vt suprà. PP. 101. Sylu. 2.

Dira Pestis. 1002.

HOc tempore dira pestilentiæ lues per totum decennium, adeò desæuijt in vniuersum penè orbem; vt cum mortuis sæpe etiam semiuiui pro exanimis habiti, ad sepulchra abrepti fuerint. Suessanus. Imp. vt suprà. PP. 145. Ioanne 18.

IOANNES XVIII. PP. 145. 1002.

MIror ego, historicos Ioannem ipsum inter pontifices numerasse, cùm viuente adhuc Gregorio sedem occupasset, nisi fortè in conscribendis pontificum vitis ita faciendum censent, vt in perpetua historia fit. Nam & tyrannorum peruersè facta, optimorum principum rebus gestis annumerantur, vt quantum inter se boni & mali dissideant, à legentibus cognosci possit, quò malorum exemplo à vitiis deterreantur: & bonorum exemplo ad virtutem impulsi, vitam ducant in terris felicem & beatam: qua quidem beatitudine Ioannes caruit, fur certè in pontificatu, & latro: non enim, vt par fuerat, per ostium intrauit. Moritur autem, atque cum ignominia quidem, decimo vsurpati pontificatus mense. Platina. Imp. vt sup.

Reformatio Ecclesiæ. 1006.

HEnricus 2. Imperator, & Robertus Rex Gallorum ad colloquium conuenerunt, præcipuè de statu Ecclesiæ & eius reformatione tractaturi: Sed (vt etiam Ottonis, Sigismundi & aliorũ) pius hic Imperatorum & Regum erga Ecclesiam zelus impeditus fuit à Papis. Chronici. Imp. 91. Henrico 2. PP. 146. Ioanne 19.

Benedictus 8. PP. 148. 1010.

BEnedictus 8. Papa, Henrico secundo Imperatori concessit, templum in Babenberg in Cathedram erigi, sed adiecta conditione & præmio: vt quotannis Ecclesiæ Pontifici centum argenti marcas, cum equo albo atque phalerato persolueret. Quod vectigal deinceps Papa non nisi accepto ab Imperatore Beneuento, remisit. Chronici. Imper. 91. Henrico 2.

Ordo militum Hospitalariorum S. Ioannis, qui etiam Ioannitæ, Rhodii, ac Melitenses Domini appellantur. 1012.

DE ortu huius ordinis multi multa: sed breuibus hæc habeto. Ex Occidentalibus semper fuerunt, qui loca sancta Orientis aut deuotionis, aut verò commerciorum gratiâ visitârunt. Ex quibus Amalphitani ab Amalphiâ Italiæ vrbe sic dicti, primi fuerunt. Hi impetrato proprio domicilio Hierosolymis, mox monasterium viris & mulieribus erigunt: quod de Latina, quia à Latinis extructum, dictum fuit. Hoc monasterium Latinorum qui inhabitabant, Xenodochium quoque pio proposito, in quod reciperentur peregrinantes, ædificârunt. His locis ab initio nulli erant reditus, nisi quos dicti Amalphitani, & alij pij subministrabant. Oratorium quoque in honorem Ioannis Baptistæ, vel secundum alios, Ioanni Eleemosynario, natione Cyprio, ita cognominato ob eleemosynas frequentes, quas in pauperes cõferebat, Hospitalarij ibidẽ extruxerunt. Vnde Ioannitæ postea dicti fuerunt. Anton. Tyrius. Volater. Æmilius. Iacobus de Vitr. Polyd. Francus tamen Ioannitas ab alio quodam Ioanne Eremitâ Ægyptio, qui propheticum spiritum habuisse, & Imperatori Theodosio futuros euentus prædixisse fertur, deducit: vt apud eum.

Anno deinceps D. 1099. hi Hospitalarij S. Ioannis in recuperandâ Hierosolyma strenuam operam nauârunt. Quare etiam Gotfridus Rex eis plurima loca intra & extra vrbem, vt commodius



hostibus resistere possent, attribuit: & Honorius secundus Pontifex comprobauit. Gigas. Ordinis sunt S. Augustini. Vestitus militaris sunt arma, quibus baltheum rubrum militare cum alba cruce superinduunt: exterius verò chlamyde atri coloris cum alba cruce octogonâ vtuntur: idque parte sinistra. Hinc fit vt plerique in pace, nigrâ, at in bello rubeâ cruce conspicui existant. Diuersa habent inter se officia, Magistros, Priores, & Commendatores, Sacerdotes, Capellanos, Equites, & Seruientes. Primus Magister eorum fuit electus Gerardus: secundus Reymundus de Podio Florentinus anno D. 1103. Hic illis leges præscripsit laudabiles, tales quæ ad Rom. antiquitatem respicerent, ad quam formam omnia accommodauit.

Cùm Ioannitæ potentiâ ita crescerent, inter Patriarchas Constantinop. & ipsos jurgia & lites cœperunt. Accusati apud Pontificem cùm essent, Adrianus pro Ioannitis iudicauit, liberosque fecit. Quem secutus Alexander 3. plura priuilegia illis attribuit, de quibus in Decretalium libris. Confirmauit hunc quoque ordinem postea Clemens 3. Chronicon Brutenicum.

Multa igitur contra Saracenos, Arabes & Turcas armis præstiterunt fortiter: sed cùm circa annum 1299. ab Occidentis Principibus desererentur. Capcapus Damascenorum Præfectus, qui à Tartaro defecerat, eos euicit, omnia quæ ibi habuerunt, occupauit, & illos ex totâ Syriâ, vbi 300. plus minus annis fuerant, circa annum Domini 1300. eiecit. Hoc infortunium passos volunt ex nimio luxu, quo Reges & Satrapas omnes facilè superabant. D. Bernhardus ob hoc vitium grauiter illos obiurgauit, præuidens quæ hodie euenerunt, & adhuc quotidie eueniunt, dum non in armis, sed ocio, interq; scorta, & epulas apud illos viuitur. Verba sunt Volaterani lib. 21. Ex Syria itaque pulsi Rhodum cum quinque insulis adiacentibus ex manibus Othomanni Turci eripuerunt anno 1308. Has per annos 214. fortiter defenderunt, & abdicato nomine Hospitalariorũ, Rhodij Milites, Equites, & Domini dici voluerunt. Notandum hîc obiter est: in Insula Rhodo reperiri canes, qui Christianos præ Turcis agnoscant: & hos infestent, illos autem illæsos dimittant.

Anno verò 1523. pridie Natalis Domini per sex integros menses obsidionem fortiter ferentes, socordiâ Papæ, & aliorum Regum ac Principum denuò euicti, anno Domini 1529. oblatam à Carolo 5. insulam Melitam pro sede occupârunt: vbi in aliis omnibus liberi existunt, excepto eo solo, vt Regem Hispaniæ & vtriusque Siciliæ pro Protectore agnoscant: & singulis annis gratitudinis ergò Falconem offerant. Anno 1565 Turca magnâ vi Melitam per quinque menses obsedit frustra. Ab insula hac deinceps Melitenses Equites dicti fuerunt. Imp. 91. Henrico 2. PP. 148. Benedicto 8.

1017.

Ordo Humiliatorum.



COepit juxta Anton. & Volat. anno 1017. iuxta Polydorum anno 1164. secundum Francum autem anno 1189. Vestitu vtuntur, tunica scapulari & chlamyde seu cappa desuper alba. Regulam habent pro parte non totâ Benedicti. Nomen inditum illis putatur, quòd, cùm deliquissent, ad Imperatoris Barbarossæ pedes humiliter prostrati veniam, & libertatem impetrârunt. Sabel. Alvares in Thesauro ;, & Hospinianus. Imp. vt suprà.

Berno Abbas. 1020.

SCripſit librum de officio Miſſæ, ac quid auctum & ſuperfluum ſit in canone: vt apud eum cap. 13. & 14.

Areta. 1021.

EPiſcopus hic Cæſarienſis ſcripſit ſuper Apocalypſin, & docuit; Antichriſtum ortum tempore Græcorum Imperatorum, qui regnârunt poſt Conſtantinum, fuiſſe, paulò antequàm Regnum Romanorum in decem Regna diuideretur: & in Babylonia, hoc eſt, Romæ aulam eius eſſe. Imp. vt ſup. Papa 148. Ben. 8.

Volbodo Epiſcopus Leodienſis. 1021.

HIc ex illuſtri familia natus, veterum adhuc Epiſcoporum æmulatus ſanctimoniam, tanto ardore oràſſe dicitur, vt continenti poplitis flexione grandes genibus obduxerit callos: & frigoris, vigiliæ, atque inediæ adeò patiens extitiſſe, vt aſpera ſæpè hyeme nudis pedibus in templo omni pernoctaret. Omnem pietatem cum illo mortuam dicere poſsis. Meyerus in Annal. Belgicis. Imp. & Papa vt ſup.

Rabi Abraham in Cabala. 1030.

IN vrbe Babylonia celebris fuit ſchola, ad quam ex Occidente Iudæi filios mittebant. Imp. 92. Conrado 2. Papa 149 Ioan. 20.

Guido Aretinus monachus. 1030.

HIc excogitauit primus Solmiſationem per ſyllabas, vt, re, mi, fa, ſol, la. Sigebertus & Palmerius. vt ſup.

Benedictus IX. Papa 150. 1030



MEritò ab omnibus Benedictus iſte accuſatus eſt, & iudicio diuino damnatus. Conſtat enim, ſimulachrum eius admodum horrendum & monſtroſum, corpore vrſo, caudâ aſino ſimile poſt mortem cuidam apparuiſſe: interrogatumque, quid illa horrida imago præ ſe ferret, cùm antea Pontifex fuiſſet, reſpondiſſe, quia in vita ſine lege & ratione, ſicut beſtia vixi, ideo volente Deo, & Petro, cuius ſedem omnibus probris fœdaui, ſimulachrum meum plus feritatis, quàm humanitatis in ſe habet. Nam cùm annis decem, mênſibus quatuor, diebus nouem per interualla ſedem Petri occupâſſet, tandem eſt mortuus. Nec vacâſſe tunc ſedes dici poteſt, cùm Pontificatum vendiderit. Platina. Imper. vt ſup.

Ordo Ieiunantium.

1030. 

ROBertus Rex Galliæ apud Triburium Synodum indixerat: Vbi peculiariter de Ieiunio actum & conclusum fuit, & quidem in 6. feriâ ieiunare. Surrexerunt enim, qui dicebant, cœlitus sibi reuelatum, ieiunium in pane & aquâ omnibus ferijs sextis, sufficere ad remissionem peccatorum: modò se iuramento ad ista constrinxerint. Vincent. lib. 26. cap. 16. Anton. tit. 16. cap. 42. Funccius Imp. & Papa vt sup.

Vt Patres olim ieiunia multa colebant:
Sic ea pauca nimis secula nostra probant.

Ominosum.

1039. HOc anno, facta est magna Solis defectio die 22 mensis Augusti: & illo tempore Berengarius Turonensis de Cœna Domini cœpit peruersè docere & scribere. Bernhard. Lutzenburgius, Volateranus, Rebuuizius & alij. Imp. & Papa vt sup.

Mulieres Sagæ.

1040. DVæ cauponatrices in via qua itur Romam, hospites in equos, sues & asinos mutabant. Vincent. libro 25. cap. 28. Erphordiensis in vita Hen. 3. Imp. 93. Henrico 3. Papa vt sup. Habes similia multa apud Baptistam Portam, Guilhelmum Varignanam, Nicolaum & Arnoldum de Villa Noua, Petrum Argelaium, & Antonium Mizaldum. Inter alia autem singulare docent hi quoddam, certissimumque remedium: si quis aliquo veneficio impotens ad vsum veneris factus fuerit, vt quam primùm mingat per annulum coniugalem, tunc ei extemplò amissam redire virtutem.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

1040. *Imp. 93 Henrico Nigro. PP. 150 Benedicto IX: & 152 Syluestro III. & 154 Gregorio VI.*

OThonis seueritas, in Ioannis perfidia punienda, Pontifices aliquandiu cohibuit, ne contra Imperatores quicquam aperte attentarent. At Benedictus IX. Pontificatum sataniicis artibus ac magicis præstigijs adeptus, tantò audacior extitit, quantò incantator ac necromanticus sceleratior fuit. Namque defuncto Cunrado, legis & religionis cultore fidelissimo, Romanorum Imperatore Augusto: ipse habito consilio cum familiari suo Laurentio, & alijs suis complicibus, molitus est filium Imperatoris Cunradi Heinricum Imperatorem successione Imperij exturbare, & in Ecclesia, diuersa schismata seminare. Misit igitur coronam Romani Imperij Petro regi Vngariæ, cum huius versiculi inscriptione:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Sed Imperator duce Lotharingiæ Godfrido, viro fideli & bellis strenuò, & inter regni principes clarissimo, ad oppugnandum Petrum misso, eum primo conflictu cepit, & vt digna factis tanti schismatis autori Theophylacto redderet, Romam venire constituit. Quo audito, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, timore perterritus, vendidit Papatum complici suo archipresbytero Ecclesiæ S. Ioannis de porta Latina, magistro Hildebrandi, acceptis ab eo libris mille quingentis. Qui ascendens sedem tantæ iniquitatis gradibus, nomine mutato dictus est sextus Gregorius.

Quia verò tunc plures per posticum vt fures & latrones, quàm per ostium ad sacerdotium intrabant: ideò eisdem diebus, præter archipresbyterum Ioannem Gratianum, scelerũ sedẽ conscendit & Ioannes Sabinensis Episcopus, qui mutato nomine dictus est Syluester tertius: & factũ est, vt Romana Ecclesia in partes diuersas scinderetur. Decertantibus itaque de Papatu, Benedicto nono, Syluestro tertio, & Gregorio sexto: Henricus cognomento Niger, patri Conrado succedens, rebus per Germaniam constitutis, in Italiam cum exercitu contendit: ac habita synodo, Theophylactum in exilium fugam coëgit: Gregorium in custodiam reclusit, ac postea cum Hildebrando in Germaniam misit, ac Sabinensem Episcopum ad sedem propriam redire compulit: Syndegero Bambergensi Episcopo, cui Clementi secundo appellatio fuit, in locum monstrorum istorum suffecto, ab eoque accepta Imperij corona, Romanos in verba sua iurare compulit:

Pontificum electioni nequaquam se interfuturos, nisi id iussu Imperatoris ipsis concederetur. Videbat enim optimus Imperator, eò licentiæ factiosum quemque & potentem, quamuis ignobilem, deuenisse, vt corruptionibus ac scelere tantam dignitatem consequeretur facilè, quæ tamen non nisi tantùm sanctitate & doctrina benè meritis, volente Deo, cuipiam mandari deberet. Adeò verò hic mos iam inoleuerat, vt cuique seditioso & scelerato liceret Petri sedem inuadere, vt abeunte Imperatore, Damasus secundus, natione Bauarus, veneno in hos vsus parato, Clementem sustulerit: quem virtus dare consueuit Episcopatum, scelere comparaturus. Sed obstitit DEVS, iustus vindex: tertio & vicesimo die inuasi Pontificatus, ipsum ad tartara detrudens. Schardius ex Bennone, Platina & alijs.

Haymo.

HAymo archidiaconus Cantuariensis dixit, nouos illos pseudoprophetas iterum velle captiuos ducere, in seruitutemque redigere pios, semel à Christo Iudaica seruitute liberatos. Imp. 93. Henrico Nigro. Papa 150 Benedicto 9.

Bruno Episcopus Herbipolensis.

DIcit Antichristus, nullam gentem relinquam intactam, & pergam de gente in gentem (in Indiam vsque:) Contradicentibus sibi mortem indicit, & ad supplicia iubet peruenire, facitq; Martyres, & erit persecutor. Imp. 93. Henrico 3. Schismate trium PPP.

Eidem Episcopo res cum diabolo.

ANno millesimo quadragesimo quinto, Bruno Episcopus Herbipolensis, cum Heinrico tertio eius nominis, secunda Danubij aqua, sed in diuersa naui Boiariam Orientalem petit. Est oppidum Austriæ, Greinon vocant, supra id prærupta rupes surgunt, saxeæ moles cubant ac prominent, per quas Danubius vasto impetu, ingenti fremitu, qui procul auditur, spumandus fertur. Teutones hunc locum infamem, perniciosumque nauigantibus Strudelon nuncupant. Cæsarem tum illac nauigantem, Bruno VVirtzburgensis Episcopus (vt diximus) alia naue comitabatur, dumque saxo cuidam eminentiori allabitur, atra Æthiopis imago, satis apertè, ferale (vt exitus probauit) signum, ibidem consistit, Brunonem appellat: Heus heus Episcope, malus sum inquit, genius, & quóuis gentium proficiscâre, meus es: nihil quidem in præsentiarum agere aduersus te habeo, breui tamen iterum me videbis. Cunctis abominantibus, pestilens spiritus ab Episcopo signo immortali appetitus, adiuratusque carminibus sacris, sub oculis omnium euanuit. Atque hoc saxum adhuc monstrari solet, cui imposita turris lapidea absque tignis & tecto, cognomen ita sortita, adhuc retinet. Vnde ad decem millia passuum progresi, in vico Bosenburg diuertunt. Ibidem Cæsarem Richlita vidua (cuius maritus Adalberus ab Ebersperg, primæ Boiariæ castelli, quod nunc templum est, dynasta superiori quadragesima decesserat) magnificè hospitio & conuiuio excipit, oratque vt Bosenburg & prædia, quæ hisce locis maritus precariò possederit, VVelphoni tertio, nepoti suo ex fratre, tradat. Cæsar cœnaculum conscendit: ac dum coram Brunone Episcopo, & Alemanno præside Eberspergensi atque Richlita, extendens dexteram postulatis annuit, repentè contignatio collabitur, ex qua ruina Bruno interijt. Auentinus lib. 5. Annal. Boiorum.

Sylvester III. Papa 152.

HOc tempore Pontificatus eò deuenerat, vt qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vitæ, & doctrinâ valeret, is tantummodò dignitatis gradum, bonis oppressis & reiectis, obtineret: quem morem vtinam aliquando non retinuissent nostra tempora. Sed hoc parùm est: peiora (ni Deus caueat) visuri aliquando sumus. Plat. Imp. vt sup.

Chronicon Bambergense.

CLemens secundus Papa in epistolâ ad Bambergensem clerum, & populum, Romanam Ecclesiam omnium matrem appellat, eiq; omne genu terrestrium flecti, ac pro eius arbitrio ianuam cœli aperiri & claudi, nec inferorum portas aduersus eam præualere posse, impudentissimè iactitat &c. Imp. vt sup. Papa 155 Clem. 2.

Ibidem. Quod si quis (is scilicet, qui se Romanorum Pontificum decretis opponit) diabolico instinctu pulsatus, crudeli temeritate admittere non perhorruerit, & citius emendare neglexerit, huiusmodi hominem, quicunque sit, de communione sacrosancti sanguinis, & corporis Domini nostri Iesu Christi, & à participio totius Christianitatis, non solùm excludimus: sed etiam propulsamus. Quin etiam Apostolici anathematis acutissimâ lanceâ eum transuerberamus, vt pro malefactis malè perditus, mortem gemat æternam, associatus in gehennâ inferiori dæmonum principi,

mortis inuentori, & etiam Iudæ sacrilego, & proditori vndique circumcinctus draconibus tarta-
reis in vltionem seruientibus, nec in vltimo tremendi Dei iudicio ad vitam resurgat, infelicissimo
& misertimo viuendi genere mortem quærens, & non inueniens. Similem execrationis formam
habes infrà anno 1120: dist. 23. cap. In nomine Domini.

Ordo Lazaritarum seu Hierosolymi-tanorum.

1046. HIc institutus fuit sub Gregorio 6 anno Domini 1046. Temporum iniuriâ labefactatum reuocauit Pius 4. authore Ianotto Castilioneo Mediolanensi Magistro: & priuilegijs auxit. Panuinius in ep. ad Plat. & Chronicô. Vestitus est fuligineus amictus, cum rubrâ cruce ante pectus. Franck. Imp. 92 Hen. 3. Papa 154 Gregorio 6.

Ex Henrici 3. Imperat. historiâ Portentosa.

1047. CVm Cœsar Romæ esset, puer quidam fabro materiario natus, patre opus faciente, prope eum secamentis lusit, eaque collecta in literarum formas redegit. Accessit forte fortunâ sacerdos quidam, & literas illas legit, quæ hæc exprimebant verba: Dominabor à mari, vsque ad mare. Vnde auguratus est, puerum aliquando Pont. Rom. fore, idque statim patri indicauit. Hic filium in ludum adductum informari curauit, qui adultior factus, Cæsaris aulam petiit, & gratissimus scribis esse cœpit. Sed filius Cæsaris, Henricus, qui & ipse pòst imperauit, scholasticum hunc multis iniurijs affecit, atque exagitauit. Nam animus ei præsagijt, quæ ab homine sibi euentura essent. Sed & Cæsar ipse filij in scholasticum lusus risit. Contra Augusta ægrè tulit, & hac de causâ filium sæpè reprehendit. Præterea per quietem Cæsar vidit, filium mensæ assidere, & ex Hiltebrandi (nam id scholastico nomen erat) capite duo nasci cornua, quæ cœlum pertingerent, quibusque ille filium Cæsaris sublimem raptum in barathrum præcipitaret. Hoc somnium cùm Cæsar vxori exposuisset, illa prudenter coniectans, Clericus hic, inquit, Papa fiet, & filium nostrum imperio priuabit. Ibi Cæsar Clericum comprehendi, & in carcerem compingi iussit, ratus se hoc pacto fatum imminens auertere posse. Sed Augusta grauiter marito exprobrans, quòd somnijs ad scholasticum lædendum se induci passus esset, effecit, vt is post annuum spatium liber, atque incolumis dimitteretur. Hic ab eo tempore monasticum vitæ genus amplexus, cum Abbate suo Romam profectus est: cumque in aula pontificiâ gratiosus euasisset, demum Pontifex ipse renunciatur. Imper. & Papa vt sup.

Iacobus Mansor.

1049. HIc Afrorum Granatensium, & Lusitanorum laudabilis Princeps, liberalium disciplinarum rectè æstimata præstantia, viros doctos vndecunque potuit in Marozenam, famosissimam Afrorum vrbem & Academiam acciuit: Horumque ita remunerauit industriam ac labores, ac prouocauit ingenia, vt ex Maroco (vt etiam Fessana Academia) prodierint longè omnium optimi ac præstantissimi Philosophi, Mathematici & Medici, quorum scripta admirationi fuerunt toti orbi: Eoq; tempore optimi authores in Philosophia, Astronomia & Medicina, Albategnius, Arzaël Maurus Almæon, Alpetragius, Auerroës, Hipparchus, Archimedes, Ptolomæus, Theon, Alhæsenus, Thebita, Alfraganus & alij, tanquam à mortuis iterum fuerunt resuscitati, & cum maxima vtilitate mortalium luci restituti. Imp. 93 Henrico 3. Papa 157 Leone 9.

Ordo Luceolaniorum. 1050.



IN regione quæ dicitur Luceoli, erant eremitarum 18 cellulæ: illorum regula erat, vt nunquam vinum biberent nunquam adipe alimenta condirent: & saltem vnum in dominica die pulmentum sumerent, reliquis diebus in pane, & aqua viuerent: orationibus, & manuum operibus insistebant, nihil possidebant. Vixerunt quidam ibi, quorum prodigiosæ narrantur superstitiones apud Petrum Damianum eremitam. Cibus eorum fuerat panis cum fœniculo. Vestitus lorica ferrea, & insuper ferreis quoque circulis corpus cingebant: seipsos virgis & loris verberabant. Sed de eiusmodi hominibus Hieronymus ita ait: Viros fuge quos videris catenatos, quibus fæminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientiâ frigoris pedes: Hæc omnia sunt argumenta diaboli. Hæc ille. Et Ioannes Quintinus in explicatione Concilij Gangrensis inquit: Extrinsecus vestis mutare non potest hominis intrinsecus qualitates. Sub sordido pallio sæpe inest sapientia: sæpe etiam improbitas, & insipientia. Imp. & Papa vt sup.

Berengarius dubius moritur. 1050.

ANno circiter 1050 princeps Sacramentariorum in Gallia, Berengarius obijt, qui negabat, corpus & sanguinem Christi in Cœna sacra verè & substantialiter adesse præsentem, communicari, ore accipi, edi & bibi. Et quanquam ille publicè suum errorem isthunc abominandum reuocauit, & alias pius ac integer vitæ fuit: hæc tamen moribundus verba edidit: Hodie apparebo ad tribunal Domino meo Iesu Christo: nequeo autem certò scire, vtrum ad salutem meam, vel sempiternam damnationem. Spero equidem, me consecuturum vitam beatam: verùm, quia tot homines iuniores cum senioribus in errores seduxi, eosdemque non potui ipsemet iterum ad veritatem ex erroribus reducere & liberare, metuo ne sit mihi pereundum. Vide Gersonem, & de eo mox anno 1060 plura.

Iacobus Klingershofer Sacrificulus Argentoratensis in Chronico. 1050.

HIc de Constantini donis amplissimis, dicit admodum appositè: quòd tum sancti sint Papæ, cùm sunt Pauperes. Quemadmodum etiam refert, quòd eo die, quo primùm Roma dotata fuerit, Angelus vrbi imminuerit, clarè pronunciando: iam infectos esse veneno Sacrificulos, vt in posterum officium suum in Ecclesiâ minus faciant: & certè abundantiam carnalium, esse inopiam spiritualium. Id quod deinceps satis superque completum fuit. Prius enim Papæ vigilabant in penuriâ, iam pleno ventre dormiunt: & quidem templa hodie gemmis & auro refulgent, cùm interim in densa caligine corda consopita iaceant. Id verò superiori seculo contrario se modo habebat. Imp. 93 Henrico 3. Papa 157 Leone 9.

Petrus Damianus Episcopus Hostiensis. 1050.

DVo quidam amici & compatres vnà cœnabant, & cùm illis gallus gallinaceus assatus apponeretur, alter eorum eum in discum recepit, & in frusta magistraliter admodum dissecuit, & pipere ac aromatibus eum respersit, tum alter conuiua ad eum dixit: chare compater, profectò gallum hunc tam artificialiter dissecuisti, vt ne Diuus Petrus eum coadunare rursus valeret: tum alter compater: Equidem non D. Petrus solùm, sed & nec Deus cum ipso cooperans efficere posset, vt resurgeret gallus: continuò gallus gallinaceus rediuiuus & pennis vestitus exilijt, alas in aëre vibrauit, & cecinit, piper & sal in discumbentes dissipauit, vnde ipsi & posteri eorum lepra infecti sunt. Sic gallus gallinaceus testatus est, Petrum à se reprehensum in abnegatione Christi, nūc in cœlis cum eo quem abnegârat, regnare. Quid hac fabula Pontificij quærant, facile est iudicare: sed pudeat Christianos talium mendaciorum.

Alia ex Eodem.

PRinceps habebat sacerdotem, admodum deuotè quotidie pro eo missificantem, is singularis sanctimoniæ erat, ita vt angelus Domini veneris semper cùm eleuaret, & è manibus eius corpus

Domini acciperet vidente id etiam principe suo qui post eum stabat: Euenit tamen aliquando (vt enim vita humana imbecilla & lubrica est) vt sacerdos iste, cui angeli antea ministrabant, in scortationem incideret, nihilominus tamen tempus missandi venit, & quamuis læsam haberet conscientiam, tamen se præparauit, induit, & magno cum timore & tremore missam celebrauit: tum angelus Domini reuersus est pro more solito, & spongiam aqua impletam in manu tenuit, eamque adspiciente principe super sacerdotis caput expressit, & omnes corporis partes perpurgauit, & cùm finita missa esset, Angelus spongiam sordibus squalentem iterum super sacerdotis caput expressit, vnde iterum tam sordidus & squalidus vt antè apparuit, fiebat. Hoc spectaculum valdè mirabile visum fuit principi sacerdotis domino, ideoque sacerdotem accersiuit, & quæsiuit, quî hoc fieret: sacerdos licet primò inficiaretur, tamen rem vt erat, postea confessus est, & dixit: se nocte priore cum Domini sui famulâ concubuisse, seque cum ea coinquinasse. Hoc mendacium volunt esse stabilimentum Missæ, & Meretricatus Pontificij. Imp. & Papa vt sup.

Idem scripsit inter alia & de continentiâ sacerdotum, de auaritia Prælatorum, de Episcopis Simoniacis, & miraculis sui temporis: item de correctione Episcopi & Papæ librum, in quo multis locis abusus Ecclesiæ suæ ætatis taxat, & vtilia præcipit. Inter alia autem etiam sic ibi commentatur.

Illud, quod dicitur, Non licet cuiuslibet Ecclesiæ filium, ad maiorem Ecclesiam proprij reatus Episcopi, & quæcunque sunt corrigenda, deferre: nimis absonum, & prorsus Ecclesiasticæ disciplinæ probatur aduersum. Nam cui melius dicitur, quòd delinquit, quàm ei, qui Magistri officio fungitur? & ideò inter reliquos fratres præeminet, vt quod alijs non licet, ipse solus per proprię sedis priuilegium errata corrigat sacerdotum? Quis est enim hic arrogantiæ tumor, qui elationis fastus, quæ denique tanta superbia, vt liceat Episcopum per fas & nefas ad propriæ voluntatis arbitrium viuere: & quod insolenter excessum est, à subiectis suis dedignetur audire? præsertim cùm illi non adierint tribunalia præsidum, nec forensium pulsauerint examina cognitorum: sed Ecclesiam potius adeant, & sacerdotibus iudicabilia sui sacerdotis exponant, vt quod secularibus euenire poterat in derisum, grauiter & honestè per sacerdotale corrigatur officium. Vbi profectò dignum est, vt is, qui impetitur, vel ex ratione se exhibeat innocentem, vel confiteatur humiliter peccatorem, nec his allegationibus vtendum est, vt dicat, se non debere ab illis, qui sibi subiecti sunt, accusari, ne videatur excessibus suis velamen obtendere & iudicium subterfugere, dum conatur in alium montem quæstionis iniuriam retorquere. Quis enim nesciat, quòd princeps Apostolorum Petrus potestatem regni cœlestis accepit, virtutem ligandi siue soluendi, quæ vellet, in cœlis ac terris obtinuit: supra mare pedibus ambulauit: sola sui corporis vmbra ægrotantes erexit: mentientes iaculo nudi sermonis occidit: oratione mortuos suscitauit? Hic itaque tam sublimis meriti vir, cùm ex admonitione S. sancti ad Cornelium, gentilem videlicet hominem, fuisset ingressus, aduersus eum quæstio facta est ab his, qui erant ex circumcisione: cur ad alienigenas introisset, atque cum eis manducare præsumsisset, insuper & in baptismate recepisset? Hic inquam, tot donorum cœlestium incomparabili virtute suffultus, tot miraculorum ostensione conspicuus, querelæ subiectorum non ex potestate restitit, sed rationem reddendo humiliter satisfecit, causamque per ordinem veridicus relator exposuit: quomodo videlicet vas quoddam velut linteum, in quo quadrupedia terræ, reptilia atque volatilia inerant, de cœlo submitti viderit, vocem audierit: Surge Petre, macta & manduca. Qualiter etiam tres viri venientes, eum ad Cornelium vocauerint, qualiter postremò Spiritus sanctus eum cum illis ire præceperit. Et quemadmodum idem Spiritus sanctus, qui superuenire iam baptizatis consueuerat, in gentiles & ante baptismum venerit. Si igitur iste, cùm à discipulis culparetur, authoritatem, quam in sancta fuerat sortitus Ecclesia, voluisset obtendere, respondere potuerat, quòd se vt pastorem suum oues, quæ sibi commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium, potestatis suæ titulum obiecisset, doctor profectò mansuetudinis non fuisset. Non ergò eos priuilegij sui authoritate repressit, sed humili potius satisfactione placauit: & tanquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret, etiam testes adhibuit: Venerunt, inquit, mecum & sex fratres isti.

Discat ergò, cùm de suis actibus conuenitur, Episcopus, rationem humiliter reddere, non de sui primatus eminentia superbire: nec sibi fieri credat iniuriam, cùm à iuniore corripitur, sed consulentem potius, vel medicum sui vulneris arbitretur. Nunquid enim Nathan Propheta, cùm Dauid tam austeræ seueritatis inuectione corripuit, indignationem Regij motus incurrit? Nunquid ille Regalis excellentiæ culmen opposuit, ac velut illatam à subiecto suo contumeliam propulsauit? Sed mox vt se cognouit ægrotum, suscepit libenter antidotum, detexit vulnus, & sectionis suæ non horruit ferramentum. Vide humilem languidum. Peccaui, inquit, Domino. Audi etiam velox medicinæ remedium: Transtulit Dominus peccatum tuum, non morieris. Econtrà Rex Achab, qui corripientem se Prophetam audire despexit, vltionis gladium, quem ille minatus est, non euasit. Quia dimisisti, inquit, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Dauid ergò culpam suam æquanimiter audiens, sententiam mortis, quam merebatur, euasit. Achab autem correptionis impatiens, impiæ pietatis, quoniam indigno Regi

contu-

contulerat, veniam non inuenit. Nunquid & mulieres illæ, hospitæ videlicet Saluatoris, inuicem inter se litigauerunt, dum altera quereretur aduersus alteram, quia solam se ministrare compelleret? Poterat enim Maria dicere nostrorum more Pontificum: Accusasti me, & torporis ac negligentiæ condemnasti. Non sanè omnis querela protinus accusatio dicenda est. Nam aliud est querela compassionis, aliud accusatio simultatis & odij. Ista nimirum fit, vt offensio corrigatur: illa verò, vt is, qui offenderat, condemnetur. Petrum planè in faciem resistens Paulus obiurgat, & coram omnibus reprehensibilem indicat. Quod ille in accusationis non tulit iniuriam, sed benignè & patienter accepit, quod non ex liuore, sed ex charitate procedere perspicuè recognouit. Sed ecce dicitur: Ego sum Episcopus, ego sum pastor Ecclesiæ, non debeo à commissis quibus accusationem pati: molestus, & nisi in causa fidei, dignus sum etiam in prauis moribus æquanimiter ferri. Sed dic mihi, quisquis es: Nunquid non legisti, quod in Euangelio scriptum est: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrē tuū: sin te non audierit, adhibe tecum duos vel tres testes, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Si autem eos quoq; non audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiæ, ergò referenda est causa quorumlibet fratrum, quomodo non etiam sacerdotum? Porrò, si sacerdos, qui in Ecclesia peccat, dedignatur in Ecclesia discuti, quis iam ferat Ecclesiæ se legibus coërceri? Porrò, si Ecclesiæ tuæ filijs, vt asseris, aduersum te mutire non liceat: nunquid aliunde producendi sunt testes, qui te & facta tua per absentiam domesticæ cohabitationis ignorant? Beatus Iob dicit: Si contemsi subire iudicium cum seruo meo: & tu dicis, absit, vt digner ad examen venire cum meo clerico. DEVS omnipotens per Esaiam clamat: Iudicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me. Si is, qui iudicat omnia, non dedignatur à seruis argui: tu superbus vtiq;, cum conseruo in iudicium venire fastidis? Et cùm sis terra & cinis, vermis & puluis, humiliare te despicis ad imaginem Conditoris? præsertim cùm Scriptura dicat, Ducem te constituerunt, noli te extollere, sed esto in illis quasi vnus ex illis. Quis planè nesciat, quia Samueli Israëlitica plebs præiudicium intulit, eumque de principatu iniustè deiecit? Et cùm eos arguere meritò potuisset, vltrò se arguendum nullius accusationibus obtulit: & vtrum eos in aliquo violenter oppresserit, inquisiuit. Ecce præstò sum, inquit, loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quenquam calumniatus sum, si oppresi aliquem, si de manu cuiuspiam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. Cùm ergò tam incomparabiles, tam eminentes atque sublimes viri, subiectis suis rationem reddere de proprijs actibus non despiciant: quis arrogantiæ typus, quis est iste tantæ superbiæ fastus, quo sacerdos huius temporis intumescens, titulum sui præsulatus opponat, & Ecclesiæ suæ filijs, qui se grauatos asserunt, æquo iudicio non respondeat? Excludatur ergò ab Ecclesiastica disciplina perniciosæ consuetudinis regula, tollatur hæc subterfugij versuta calliditas, vt is, qui tam peruersis audacis superbiæ allegationibus vtitur, immunitatem commissi piaculi non lucretur.

Esus carnium punitus & concessus. 1052.

ANno 1052. Imperator Henricus Goslariæ suspendi iussit in malam crucem quosdam hæreticos, qui esum carnium prohibuerant: Hodie Papistæ iugulant eos, qui cum Deo eundem concedunt & probant. Auent. lib. 5, & Herm. Contr. Imp. & Papa vt sup.

Nicetas Pectoratus Græcus. 1053.

HIc fuit Monachus Constantinopolitanus, & scripsit librum de azymo, sabbatho, & defensionem pro nuptijs sacerdotum: sed quia contra Romanos est directus, erroneum & stultum dixerunt. Sig. Gemblacensis. Imp. 93. Henrico 3. Papa 157. Leone 9.

Suiggerus Presbyter. 1054.

NOn multum ante hæc tempora venerabilis quidam viuebat presbyter nomine Suiggerus. Is die quodam circa horam nonam conspexit in cœlo duos cataphractos equites cursu se inuicem impetentes hostili, & committentes pugnam: alter magnam gerebat crucem & videbatur ea vsurus ad percutiendum: alter verò ab isto retulit victoriam. Hedio. Imp. 93. Henrico 3. Papa 157. Leone 9.

Humbertus Episcopus Syluæ candidæ. 1054.

LEo Papa miserat ad Imp. Legatos, accusans Græcam Ecclesiam quòd diuersum sentiret à Romana in quibusdam: Michaël Patriarcha autē noluit cum illis colloqui: quare illi posita charta

excommunicationis supra altare, recesserunt. Michaël falsata charta commouit populum. Sic semper bellum extitit inter vtramque Ecclesiam de primatu, & prioritate, quænam inter illas esset maior? Imp. 93. Henrico 3. Papa 158. Victore 2.

Hermannus Contractus in Chronico.

1058. DOminus Papa habitâ post Pascha synodo contra Nortmannos (vt proposuerat) exercitum mouit: cumque illi pacem petentes, subiectionem seruitiumque promitterent, & quæ prius simultè sibi vsurpantes inuaserant, eius beneficio gratiaque retinere se velle dicerent, idque Papa abnegans, vi & iniuriâ raptas res sancti Petri reposceret, eosq; perperam persuasos cedere loco iuberet: illi, quia numero longè præstabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potius bello obuiam ituros, armisque acquisitam patriam defensuros, vel morte occubituros, denunciant. Sicque 14 Calend. Iulij validâ pugnâ confligentes, primâ acie à Theutonicis penè victi sunt: sed succenturiatis copijs, ex insidijs nostros circumuenientes, Italis citius terga vertentibus, Theutonicis maxima ex parte, sed non inultè occumbentibus, occulto Dei iudicio: siue, quia tantum sacerdotem, spiritualis potius, quàm pro caducis rebus carnalis pugna, decebat: siue, quòd nefarios homines quàm multos ad se, ob impunitatem scelerum, vel quæstum auarum confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat: siue diuinâ iustitiâ alias, quas ipsa nouit ob causas, nostros plectente: tandem nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam. Ipseque dominus Papa ab eis in quodam castello obsessus, cùm expugnatâ iam iamque munitione, necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneuentum cum honore reductus est, ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus. Imp. 94 Henrico 4. Papa 160 Benedicto 10.

Idem. Tradit hic, & alij plures, Victorem tertium Papam veneno per suum ministrum subdiaconum, dum missaret, in calicem iniecto, perijsse.

Idem. Anno Dom. 1057. Romæ Stephanus Papa obijt. Romani auté accepta pecunia, quendam Ioannem contra Canones elegerunt, qui sine consecratione per aliquot dies sedens, à Gotefrido duce expellitur, atque Florentinæ ciuitatis Episcopus, 156 Papa substitutus, Nicolaus secundus vocatus est.

Idem. Anno 881. Carolus Rex, frater Ludouici Romam veniens, vnà cum Regina Richarda: imperiali vnctione à Ioanne Papa coronatur, & omnes Italorum Episcopi, præter Papam, Imperatori iureiurando subijciuntur.

Idem. Ciues Romani à Claudio numerati sunt, & sexagies nouies centena, & quadraginta quatuor millia inuenti.

Idem. Romæ Syluerius, Hormisdæ dudum Papæ filius, contra voluntatem cleri Atheodato tyranno pecunia corrupto, LX. Papa violenter promotus, sedit annum vnum, menses 5.

Idem. Anno 1011 obijt VVilligisus Episcopus Moguntiæ. Hic fuit filius cuiusdam artificis plaustrarij, ex quo Rota illa est in insignibus Moguntinorum. Primùm autem fuit Pœnitentiarius Cæsaris &c. & ne propter suam dignitatem incideret in superbiam: in conclaue suum pinxit insignia paterna, Rotam, & hæc adscripsit verba: VViligise, VViligise, quis fueris non obliuiscere.

Idem. Benedictum IX. Romani sede sua exuerunt, quia vir simplex & ignauus, ac symoniacè Papatum inuaserat: in locum eius substituunt Ioannem Sabinum Episcopum, sub Syluestri III. nomine. Iste quoque cùm vix 49. dies cathedræ præfuisset, restituitur Benedictus. Qui istarum mutationum pertæsus, Pontificatum Ioanni archidiacono S. Ioannis ad portam latinam mille libris Turonensibus vendidit: qui postea Gregorius sextus est nuncupatus, circa annum Domini 1044. Phrisingensis lib. 6. cap. 32. ait, se Romæ audiuisse, quòd isti tres Pontifices simul Romæ Papatum tenuerint, sedesque & reditus inter se partiti fuerint, ita vt vnus ad S. Petrum, secundus ad sanctam Mariam maiorem, tertius, nempe Benedictus in Palatio Lateranensi resederit, ac deniq; istos tres pecunia Gratiani presbyteri persuasos, vt se pontificatu abdicarent. Gratianus inde pontificiam sellam conscendit, ac nominatus est Gregorius sextus. Eam ob causam Cæsar Henricus III. Romam exercitum duxit, ne sineret Symoniacorum cupiditatibus Pontificatum tam sceleratè vitiari. Gregorius cùm Sutrium excurrisset obuiam Imperatori, tentaturus, an prædam suam argento emtam retinere posset: synodo eo loci coacta, de simonia conuictus, in Germaniam in exilium ablegatur. Substituitur Sindegerus, Bambergensis Episcopus omnium consensu, qui Clemens II. est nominatus: ac decretum sancitur, ne absque Imperatoris consensu Pontifex Romanus deinceps designaretur: idque iuramento sancto obsignatur, anno 1046. Herman. Contract. Otho Phrisingensis. Sigebert. Gembl. Platina, Onuphrius.

Mediolanensis Ecclesia.

1058. SEparata fuit à Romana per ducentos annos, sed tandem subacta. Sabellicus. Imperator & Papa vt sup.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

Imp. 94 Henrico IV. Papa Gregorio VII. Hildebrando, & Vrbano 2.

ETsi verò iam inde à tempore Caroli Magni, Pontifices dominandi libidine accensi, varijs artibus atque insidijs Imperatores oppugnârint, nihilque attentatum reliquerint, vt autoritate Imperatorum conculcata, impunita rerum omnium libertate potirentur: tamen malicia, impietas, atq; perfidia ipsorum, cum diabolico fastu coniuncta, maxime sub Gregorio septimo, sathanico monstro, torrentis instar exundauit, imperijq; maiestatem fatali ruina prostrauit. Nam hic scelestus, cùm post sex Pontifices, arte sua veneno necatos, Alexandro magistro, quem sede pontificia ob imploratum Imperatoris auxilium deiecerat, successisset, minimè memor Heinrici Nigri beneficij, qui ipsum æterno carcere ab omni hominum societate separandum, è custodia, in quam cum Gregorio sexto damnatus erat, benignè dimiserat, atque seruârat: sed cùm armis Nortmannorum, qui tunc per Apuliam, Calabriam, atque Campaniam, quas vi occupârant, debacchabantur: tum etiam opibus Mathildæ mulieris potentissimæ confisus, atque occasione difficillimorum bellorum, quæ tunc Imperatori, vix decimum tertium annum egresso, cum Saxonibus infensissimis hostibus intercederent, inuitatus: & perfidia Episcoporum Germanorum, quos impostor diabolica arte ab Imperatore alienârat, adiutus: primus contra morem maiorum sine consensu Imperatoris, antea semper in Pontificum electione interponi solito, Pontifiatum inuasit. Ac ne ab Imperatore, reliqui Episcopi & abbates sui confirmationem peterent, decreto (quod extat c. si quis deinceps) sub excommunicatione edicere, se non solùm in cœlo ligare & soluere, sed in terra quoque Imperia, regna & principatus auferre & dare posse: impudentissimè iactitare, ac temporalem supremamque iurisdictionem lege lata vsurpare, Reges atque Augustos, vt precariò regnantes floccifacere, nuncios Cæsareos conatibus ipsius refragantes in vincula conijcere, ac per vrbem ignominiosè circumductos Româ pellere cœpit. Henricus itaque, etsi difficilimo bello Saxonico distineretur: tamen nouam atque insolitam pontificis audaciam minimè ferendam ratus, concilium VVormaciæ indixit: In quo legatis, qui Roma venerant, auditis, & literis de Hildebrandi sceleribus lectis, præter Saxones, omnes Episcopi Germani & Galli pontificem Hildebrandum (cùm primus sine consensu Imperatoris Romani, rerum Domini à DEO constituti, contra morem maiorum, contra leges, contra auspicia, Pontificatum maximum monachus desertor inuaserit, vtrumque, & imperium & Pontificatum, sicut Decij, & falsorum deorum cultores factitare consueuerunt, vsurpet) Pontificatu abdicandum, nec oues lupo committendas, decernunt: Rolando quodam clerico Parmensi cum epistola, quæ concilij sententiam complectebatur, Romam misso, vt nomine synodi, Gregorio Pontificijs officijs interdiceret publicè: præcipereta; Cardinalibus, vt relicto Gregorio, alium pontificem habituri ad Imperatorem proficiscerentur. Cæsar quoque & Hildebrando, & sacerdotibus, populoque Romano scribit, imperans ex concilij decreto, vt ille ad priuatam vitam redeat: hi, deserto Hildebrando, more maiorum pastorem sibi deligant.

Hildebrandus nuncio harum rerum accepto, adeò nihil commotus est, vt & furiosius exarserit, multoque insolentior euaserit. Nam cùm antè quosdam Imperatoris familiares excommunicasset, quorum consilijs eum ad tales actiones impelli existimabat, Cæsarem iam ipsum, in conciliabulo suo, contra ordinem iudicandi sacris canonibus determinatum, nouo exemplo excommunicat, proscribit, regia dignitate priuat, regno spoliat, subditos à dato iuramento absoluit. Veruntamen vt primùm ad excommunicandum Cæsarem de sede surrexit, sedes ista nouiter lignis fortissimis composita, subitò Dei nutu terribiliter scissa est in plures partes: vt manifestè daretur intelligi, quòd tam temeraria excommunicatione sessor ille horrenda schismata contra Christi Ecclesiam seminaret. Nec verò hæc fulmina penitus cæca & irrita fuêre. Principes etenim atque Episcopi Germani, Pontificis anathemate cognito, partim superstitione vana, partim spe amplificandæ potentiæ, partim odio antiquo Heinrici adducti, comitijs indictis, nisi Heinricus à Pontifice in Germaniam venturo, supplex veniam peteret, defectionem minitantes: rem eò deduxêre, vt ipse in angustijs positus, atque in periculum abrogationis Imperij veniens, se pontificem aditurum culpamque deprecaturum, principibus polliceretur.

Itaque positis regalibus ornamentis, cum vxore ac filio paruulo, in asperrima hyeme Canusium periculosissimo itinere ad Papam contendit, in laneis vestibus, pedibus nudis, spectaculum angelorum & hominum factus, ante portas ciuitatis, à mane vsque ad vesperam ieiunus veniam supplex petit: Hildebrandi ludibria inter meretrices & monachos, in lachrymabili afflictione triduum perfert, cupiens ad illum intromitti. Sed ingressus denegatur. Petenti instantiùs per totum triduum, respondetur: Pontifici non esse adhuc ocium colloquendi cum eo. Heinricus æquo animo ferens, se non intromitti in vrbem: mansit in suburbio, non sine magna incommoditate. Hyems namque erat asperrima, & cuncta rigescebant gelu. Indesinenter tamen nequicquam toto triduo petens sibi veniam dari: tandem rogantibus Mathilda comitissa, Adelao comite Sabaudiæ, & Cluniacensi abbate, ad Pontificem intromittitur. Quarto die, in signum, quòd veraciter pœniteret, Pontificiæ potestati coronam tradidit, cũ omnibus Imperatorijs insignijs:

fate-

fateturque, se indignum fore Imperij titulo, si eadem posthac in Pontificem designaret, quæ antea commiserat. Postulanti veniam Pontifex neque veniam dare, neq; ab excommunicatione absoluere vult, nisi prius reciperet, se iuxta Pontificis decreta velle culpam commissam expiare in Concilio, & quouis loco & die à Pontifice indicto præstò esse: & ipso Pontifice causæ cognitore, ad accusationes respondere, nec ad vindictam intendere animum: item ad Pontificis sententiam (etiam purgato se ab obiectis) regnum vel retenturum, vel amissurum. Item, ante cognitionem causæ nolle regio habitu vti, aut regia insignia sumere: nec gubernandi potestatem vsurpare, neque à subditis data fidei iuramenta exigere. Promissa verò Pontifici ista obedientia, paceque iureiurando & scripto confirmata, Heinricus absoluitur ab anathemate.

Verùm, cùm Pontificij hanc iniuriam atque tyrannidem se minimè impunè laturos, Heinrico quiete data, perspicerent: nouo consilio de eo exautorando inito, Rudolpho Sueuiæ duci, Heinrici sororio, coronam auream, quò seque resque suas tutiores redderent, cum hac inscriptione misêre:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Et Gregorius Moguntino & Coloniensi Episcopis præcepit, vt Rudolphum, Heinrico deserto, regem inungerent, atque pro viribus iuuarent. Etsi autem Rudolphus non solùm Imperatori fide obstrictus, sed & Mathilde eius sorore in vxorem ducta, affinitate iunctus, denique ab eo post obitum Othonis Sueuiæ ducatu donatus, maximisque beneficijs affectus esset: tamen & Episcoporum speciosis argumentis impulsus, & fretus sua potentia, atque auxilijs Saxonum, Imperium inuasit, bellumque quanta vi potuit, molitus est. Cæsar itaque, qui de hoc per Argentinensem Epicopum admonitus, ad tuendum Imperium copias contraxerat, & sibi nihil ab omni parte tutum videret, mox Rudolpho occurrit, atque de summa rerum, pugna cum ipso commissa, experitur. Cuius exitus is fuit, vt Papa suis metuens, vtrique pacem mandaret: Synodi, quam in Germania indicturus esset, sententia expectata. Verùm, cùm Heinricus institutum Pontificis eluderet, dicens, se minimè permissurum conuentum in Germania agi, nisi prius Rudolpho remoto: Pontifex, ne penitus Rudolpho deesset, excommunicationem in Heinricum renouat, & literas furoris plenas in ipsum emittit. At is minimè ijs fractus, tertiò ad Elystrum Mysiæ cum Rudolpho congressus, eum prælio superat, anno 1080. Idibus Octobris.

Rudolphus grauiter in eo conflictu vulneratus, ex exercitu ereptus, perlatus est Merseburgum: eoque ad se iussit accersi Episcopos & primores suæ conspirationis. Quò cùm venissent, Rudolphus allata dextra, ex cuius vulnere mortem adesse maximè præsensit, ait: Hæc est manus, qu[a] sacramentum præstiti domino meo Heinrico: Vobis autem vrgentibus toties tam infeliciter contra eum pugnaui. Ite & implete regi vestro primam fidem: nam ego ad patres ibo. A[t] Heinricus superato Rudolpho, silentibus tunc nonnihil armis in Germania, iniuriarum à Pontifice Hildebrando illatarum memor: & irritatus non parùm, quòd se bis excommunicatum regno priuauerat, reconciliationemque sibi supplici toto triduo denegauerat in asperrima hyeme: nec non Imperij æmulum contra se arte excitatum adiuuerat, apud Brixiam Noricæ, synodum Episcoporum Italiæ, Lombardiæ & Germaniæ indixit. Quò omnibus conuenientibus, & actis Hildebrandi examinatis, Episcopi consentiente suffragio, Quia (inquiunt) non à Deo electum illum constat, sed à seipso in fraude ac pecunia impudentissimè obiectum, qui Ecclesiasticum subuertit ordinem, qui Christiani Imperij perturbauit regnum, qui regi catholico ac pacifico, corporis & animæ intentat mortem, qui periurum defendit regem, qui inter concordes seminauit discordiam, &c. nos autore Deo congregati in vnum, legatis ac literis freti 19. Episcoporum, die 8. Pentecostes Moguntiæ congregatorum contra Hildebrandum eundem procacissimè sacrilegia ac incendia prædicantem, periuria ac incendia defendentem, diuinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, Pythonico spiritu laborantem, & idcircò à fide vera exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum & expellendum: & nisi ab ipsa sede, his auditis, descenderit, condemnandum.

Post hæc Imperator motibus in Germania qualitercunque sedatis, cum exercitu Romam contendens, anno Domini millesimo octogesimo primo, castris ante castellum diui Petri positis, crebris incursibus Romanos ita infestat, vt pacem petere, & sibi portas vrbis aperire cogerentur, pontifice cum suis præsidijs in molem Adriani se recipiente: in qua obsessus, ipse maiori perfidia ac dolo Imperatorem, quàm Imperator ipsum vi, mira audacia oppugnat. Nam cùm Heinricus frequenter Ecclesiam S. Mariæ, quæ est in monte Auentino, adiret: hîc promissa pecunia Hildebrandus quendam induxit, vt supra trabes Ecclesiæ occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, vt de alto super orantis Imperatoris caput deciderent, ipsumque contererent. Quod minister tanti sceleris cùm festinaret implere, & lapidem magni ponderis super trabes aptare vellet, lapis pondere suo eum traxit: & fracta sub trabibus tabula, & lapis & miser ille homo, De iudicio in pauimentum Ecclesiæ cecidit, & eodem lapide contritus est. Huius itaque rei gestæ ordinem postquàm Romani cognouerunt, pede illius miseri fune adstricto, eum triduo per plateas vrbis raptitârunt. Adhæc, ne Rudolpho sublato misera Germania respiraret, efficit, vt Saxones Hermannum Lotharingiæ Lucelburgicæ principem in Imperatorem Islebij ad Hercinïam crearent: qui diuinitus in oppugnatione cuiusdam arcis saxo à muliercula è muro præcipitato cum alijs oppressus, miserabiliter interijt.

Nec

Nec verò adhuc immanissimi tyranni Hildebrandi malitia conquiescere poterat, qui tertium aduersarium optimo Imperatori excitaret, Echertum nempe, Saxoniæ Marchionem: sed & is debitas rebellionis pœnas exoluit. Nam quinto pòst anno in molendino prope Brunsuuigam à satellitibus Heinrici circumuentus, & occisus est miserè. Hildebrandus itaque socijs suis in Germania profligatis, cùm in mole Adriani conclusus, conspectum Cæsaris reformidaret, pacis tractatione simulata, fugaque ornatu dissimulato, Salernum ad Nordmannos turpi desertione euadit. Cæsar mox procerum atque Episcoporum senatu coacto, more maiorum, Pontificialia comitia habet, in quibus Hildebrandus, tanquam fur ac latro, veluti perfidus transfuga, ouium desertor, gregis proditor, Christianæ charitatis osor, omnium consensu abdicatur. Ac Guibertus Rauennatensium archiepiscopus, concordiæ ac pacis studiosus, vir bonus ac eruditus, Episcopus eligitur, qui mox à clero, nomine Clementis tertij inauguratus, anno Christianæ salutis millesimo octogesimo quarto, Cæsarem cum Bertha vxore consecrat, & Augustos acclamante populo salutat. Hildebrandus autem interim, siue conscientia scelerum, siue mœrore extorris, aris & focis Salerni decedit. Hac tanta face bellorum extincta, minimè tamen rabies aliorum Pontificum conquieuit, ac pax orbi & maiestas Imperio est reddita. Siquidem Vrbanus post Victorem tertium paucorum dierum Pontificem, factione Hildebrandina ac maxime Mathildæ fauore à Nordmannis Garstungi in Pontificatum intrusus, cùm ab Imperatore ac maiori procerum parte, irreligiositatis accusatus, ac in impiorum numerum relatus, diu sine lare ac sine grege oberrasset, ita artificiosè scelerum telam, ab Hildebrando inchoatam, pertexuit, vt & pro Vrbano Turbanus diceretur, & magistrum Hildebrandum longissimè superare videretur. Nam cùm alijs nocendi artibus Heinricum petere non posset: Hildebrandi pestilentissimi nebulonis acta rata firmaque esse iubet: ac filium Heinrici Cunradum, ex prima coniuge natum, quem pater Italiæ præfecerat, in eum parricidialiter concitat, data illi Rogerij Nordmanni vxore Mathilda, eiusque auxilio Clementem tertium à patre Pontificem constitutum sede pellit. Et mox vtroque, Vrbano atque Conrado sublatis, Paschalis secundus, ne à prædecessoribus scelere superatus esset, nec quid spacij Heinrico ad se colligendum relinqueretur, Vrbani exemplo anathema Gregorij in Heinricum quartum promulgatum, Romæ in synodo renouat, & confirmat: & alterum filium Heinrici, patri cognominem, quem iureiurando adactum, se nunquam à patre defecturum, principes Aquisgrani Cæsarem consalutârant, ad parricidialem rebellionem impellit: eiusque Saxonum viribus suffulti opera rem eò deducit, vt vir fortissimus & maiestatis imperij vindex acerrimus, longis certaminibus & crudelissimis exagitationibus Paparum defatigatus, cùm Moguntiam ad comitia iret, in itinere per insidias contra fidem publicè datam à filio Henrico caperetur, & insignijs imperialibus, & corona Cæsarea per Moguntinum, Coloniensem & VVormaciensem Episcopos contra voluntatem priuatus, Leodium custodiendus mitteretur: ibique mœrore consumtus, vitam miserabili fine clauderet. Adeò autem Pontifices in fortissimum Imperatorem, irreconciliabile odium conceperant, vt non satiari crudelissima exagitatione viuentis potuerint: sed hyænarum instar, immani rabie etiam in cadauer defuncti sæuierint. Nam cadauer ipsius in monasterio Leodij humatum, à loci eius Episcopo effodi, & absque vllo sepulturæ honore, in loco prophano inter alia cadauera reponi iusserunt: quòd, quibus viuis Ecclesia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare possit. Ac deinde Leodio in sarcophago lapideo Spiram translatum, per totum quinquennium honore sepulturæ caruit.

Huius Eberti Marchionis Saxoniæ soror fuit Mathildis, de qua superius aliquoties mentio facta est.

Schardius ex Bennone, Alb. Crantzio, Nauclero, Ab. Vrsp. Platina, Helmoldo in Chron. Sclauorum, Auentino, Mutio, & alijs.

Gregorius Cedrenus.

1059.

SImeon Bulgarorum Princeps in Crabatos duxit: ab ijsque in angustijs montium prælio victus, omnem suum amisit exercitum. IOANNES quidam astronomus Romanum Lacapenum Imperat. accessit, eumque monuit mitteret aliquem, qui amputaret caput columnæ, quæ supra Xerolophi fornicem posita Occidentem respiciebat: ita enim Simeonem, cui illa fatalis erat, statim periturum. Paruit Imperator: & qua hora statuæ fuit abscissum caput, ea ipsa (quod diligenti inquisitione postea deprehendit) Simeon in Bulgaria cordis morbo interijt.

Idem. Anno sexto Iustini Magni, EDESSA vrbs illuuione Scirti amnis miserè fœdata est, & in ripa amnis inuenta lapidea tabula, hieroglyphicis literis inscripta in hanc sententiam: Σκίρτ@ σκιρτήσει κακὰ σκιρτήματα πολίταις: Scirtus amnis saltabit malo ciuium.

Idem. Leo Armenus Imp. Constantinopoleos fertur in bibliotheca magna regum, vbi pleraq; de Regibus oracula tenebantur, & quæ præterea Sibyllæ putabantur, librũ quendã reperisse, cui inscriptæ erant hominum ferarumq; imagines, inter quas erat Leonis figura, cui in dorso litera χ erat impressa: pòst vir quidam, qui eam hasta per medium transfigebat. Quas ænigmaticas figuras cũ Imp.

interpretari nequiret, Quæstor quidam interpretatus: In die, inquit, natali Christi rex peribit. Leonem enim Imperatorem esse, hastam mortis genus denotare: χ verò literam nominis Christi primam, tempus cædis significare. Neque verò falsum fuit præsagium. Namque Michaëlis Thrauli conspiratione Natali festo in templo cæsus est.

Idem. Anno 611, cùm Phocas multa crudeliter, libidinosè, petulanter (abiectis etiam in mare thesauris: vt Neptuno scilicet quemadmodum iocabantur, munera daret) in defensioneque Imperij negligenter, fecisset: tum ab Heraclio præfecti Africæ Heraclij filio, trucidatus est. Res sic se habet. Quæsiuerat quidam religiosus Monachus ex Deo, cur tam impium posuisset Imperatorem Christianis? ei vox quædam respondisse perhibetur: quia nemo deterior inueniri potuerit, qui Constantinopolitanorum flagitia puniret. Veniente deinde Heraclio magnâ cum classe Constantinopolin, prælium in portu Sophiæ commissum nauale est. Victus ibi Phocas, in Regiam confugit. Verùm inde Photinus quidam, cuius ille vxorem antea vitiauerat, vinctum ignominiosè ad Heraclium rapuit. Heraclij iussu amputata sunt ei 6. Calend. April. manus, pedes, humeri, verenda, denique caput. Reliquum trunci à militibus in foro bouis, siue apud Taurum, combustum fuit. Ita dignum factis suis exitium inuênit.

Hic ipse Phocas est, à quo Pontifices initium sui Pontificatus ducunt: dignum scil. patellâ operculum: & de quo Guilielmus Stamfurdius lib. Farrag. ad nomen Phocæ alludens, ait: eum occiso Mauritio Romam SVFFOCASSE. Imp. vt sup. Papa 161. Nicol. 2.

Nicolaus 2. Papa 161.

1059. HIc decretum edidit cap. Si quis pecuniâ. 79 dist. vt quisquis pecuniâ vel gratiâ humanâ, à populari, seu militari tumultu ingressus fuerit, sit apostaticus, & etiam manu armatâ extrudendus. Quo decreto omnes ferè Papas ab annis 400 apostaticos declarari, affirmat. Car. Mol. in libro de abusibus Paparum. Imp. 94 Henrico 4. Imp. 161 Nicolao 2.

De Lanfranco Archiep. Cant.

1060. LAnfrancus Archiepiscopus Cantuariensis fuit, huic Romanus Pontifex, quem fuisse Alexandrũ I. arbitror, aliquando Romam venienti, in honorem assurrexisse dicitur: veruntamen non sine fastu singulari, & vt appareat eius primatus, addidisse hanc vocem: Se tantùm honoris non Archiepiscopo, (Lanfranco) sed ingenij dotibus quibus ipse excelleret, deferre voluisse. Quâ sanè appendice Rom. Pontifex auctoritati suæ egregiè consultum esse putauit. Imp. & Papa vt sup.

Abbas de Cruce sancti Leufredi.

1060. HIc scripsit contra Berengarij opinionem de Eucharistia: item Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis de eadem quæstione per dialogum disputauit. Imp. 94 Henrico 4. Papa 161. Nicolao 2.

Guitmundus Auersanus, Thomas VValdensis Carmelita,
Guilielmus Malmesburiensis.

BErengarium errorem suum de Sacramento quinquies abiurâsse, & scripta sua in ignem coniecisse, scribit Guitmundus de Sacramentis lib. 3. & Guilielmus Malmesburiensis lib. 3. de gest. Anglorum. Thomas VValdensis tom. 2. de Sacram. cap. 43. Imp. 94. Henrico 4. Papa 161 Nicolao 2.

Algerus Monachus Corbeiensis.

1060. SCripsit hic librum contra Berengarium de præsentiâ Christi in cœnâ. Letznerus in chronico Corbeiensi citat aliquot eius dicta, quæ ibi videat Lector. Vt sup.

Algerus, Lanfrancus, Guitmundus monachus, Beluacensis, Vincentius in spec. lib. 25. cap. 30.

HI testantur: Berengarium horrendo, & tragico exitu perijsse. Cùm enim 6. die Ianuarij, qui dies Epiphaniæ fuit, vt Beluacensis refert, intra Berengarium, & ipsius auditorium frequentissimum, horribilis dæmon appareret: ibi Berengarium (ad festum alludentem) in hæc horrendissima extremæ desperationis verba prorupisse: Domine mihi hodie etiam apparebis ad meam saluationem, vt spero, propter pœnitentiam meam: aut ad duram meam damnationem, sicut timeo propter eos, quos peruersâ meâ doctrinâ decepi. Vt sup.

Georgius Maniaces. 1060.

HOc tempore Georgius Maniaces degens Samosagethi, Imperij administrator, ac vices Cæsaris gerens in gubernandis vrbibus sitis ad fluenta Euphratis, ciuitate Edessâ, maxima cum strage Saracenorum potitus est, & occupauit eam: ibique reperit Epistolam Christi Iesu, Domini & Saluatoris nostri, quam ipsemet propria manu scripsisse perhibetur. Hanc tanquam insignem & diuinum thesaurum, transmisit Constantinopolim Imperatori. Eam autem vrbem deinceps sub imperio Michaëlis Palæologi, Arabes obsederunt, & oppugnârunt incredibili armorum vi: & obtinuissent etiam tunc facile victoriam, nisi Constantinus administrator Antiochiæ frater Imperatoris maturè illi opem tulisset, & hostium vim ab ea propulsasset. Imp. & PP. vt sup.

Vini caritas. 1069.

HOc anno, vt & superioribus aliquot annis, vinū adeò frigore deperiit, & tanta eius fuit penuria, vt vix suppeteret pro sacerdotum missis satietas. Annales VVirtemb. & Fuldensis chronologia. Imp. vt suprà. PP. 162. Alex. 2.

Mirabilis statua. 1073.

SEd hic nequaquam silentio mihi prætereundum esse videtur memorabile quiddam, quod eo tempore accidisse ab autoribus fide dignis accepimus. Inuenta est tunc in Apulia statua marmorea, caput circulo ex orichalco redimita, eique hæc verba insculpta erant: KALENDIS MAIIS ORIENTE SOLE, AVREVM CAPVT HABEBO. Quod Robertus VViscardus Dux Nordomannorum secum meditans, longo tempore quæsiuit, ecquænam esset vera sententia eorum verborum, nec tamen quenquam, qui id posset explicare, inueniebat. Sed tandem Sarracenus quidam, in eius castris per id tempus captiuus, cùm esset artis magicæ peritus, postulata loco præmij libertate, ea verba in hunc modum explicauit: Calendis Maiis iussit obseruare punctum in plano terræ, quod vmbra de statuæ capite proiecta attingebat: eo namque loco si foderetur, cognitum iri dicebat verborum sententiam. Præstitit hoc Robertus, vixque paruulam fossam effecerant, cùm magnum ibi thesaurū inuenerunt, qui in aliis quoq; expeditionibus Roberto percommodus fuit: Sarracenus verò, cùm aliis præmiis, tum libertate quoque donatus est. Collenutius. Imperatore & Papa vt suprà.

Epistola Henrici regis ad Hiltebrandum. 1074.

CVm hactenus à te ea, quæ sunt patris expectarem, tibique in omnibus magna cum fidelium nostrorum indignatione, obedirem, recepi à te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique nostri perniciosissimus hostis esset. Nam cùm primùm omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa sede Apostolica debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens, & regnū Italiæ pessimis artibus alienare tentasti: neq; hoc contentus in reuerendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra vniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis iniuriis acerbissimisque contumeliis contra diuina & humana iura, vt ipsi aiunt, exagitasti: quæ omnia cùm ego quadam patientia dissimularem, tu hoc non patientiam sed ignauiam existimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quæ nosti, & addito, scilicet vt tuis verbis vtar, quòd aut tu morereris, aut mihi animamque regnumque tolleres. Imp. vt suprà. Papa 163. Gregorio 7.

Henricus non vsurpatiuè, sed pia Dei ordinatione Rex, Hiltebrando non iam Apostolico, sed falso monacho.

HAnc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordinem prætermisisti, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis participem non feceris. Vt enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores sanctæ ecclesiæ videlicet archiepiscopos, episcopos vel presbyteros non modò non tangere, sicut Christos Domini, non timuisti, quin sicut seruos nescientes, quid faciat Dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti: in quorum conculcatione tibi fauorem ab ore vulgi comparasti, quos omnes nihil scire, te autem solum omnia nosse iudicasti: quâ vtique scientiâ non ad ædificationem sed ad destructionem vti studuisti: vt iure hoc beatum Gregorium, cuius nomen tibi vendicasti, de te credamus prophetâsse dicentem sic: Ex affluentia subiectorum plerunque animus prælati extollitur: existimat se plus omnibus nosse,

cùm se videt plus omnibus posse. Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum Apostolicæ sedis honorem conseruare studuimus: sed tu humilitate nostra abutens, in ipsam regiam potestatem nobis à Deo concessam exurgere non timuisti, quam à nobis auferre ausus es minari: quasi nos à te regnum acceperimus: quasi in tua & non Dei manu sit regnum vel imperium, quia Dominus noster Iesus Christus nos ad regnum, te autem non vocauit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus, ascendisti: scilicet astutia & fraude, quodque monachica professio abominatur, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro sedem pacis adisti, & de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in prælatos armasti, dum episcopos nostros à DEO vocatos, tu non vocatus spernendos docuisti, Me quoque, licet indignus inter Christianos sum ad regnum vocatus, te teste, quem sanctorum patrum traditio soli Deo iudicandum docuit, nec pro aliquo crimine, nisi à fide (quod absit) exorbitauerim, deponendum asseruit: cùm etiam Iulianum Apostatam prudentia sanctorum episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit: Ipse verò quid verus Papa beatus Petrus clamat? Deum timete, regem honorificate: Tu inquam, quia Deum non times, me constitutum eius inhonoras. Vnde beatus Paulus, vbi angelo de cœlo, alia si prædicauerit non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Ait enim, Si quid vel ego vel angelus è cœlo præter id, quod euangelizauimus, vobis Euangelizauerit, anathema sit. Tu igitur hoc anathemate, & omnium episcoporum nostrorum iudicio damnatus descende, vendicatam tibi sedem Apostolicam relinque, alius in solium beati Petri ascendat, qui nulla violentia religionem palliet, sed beati Petri sanam doctrinam doceat. Ego Henricus rex Dei gratia cum omnibus episcopis nostris tibi dicimus, descende, descende. Hactenus Henricus.

Vita & gesta Hildebrandi, qui Romanus pontifex factus, Gregorius septimus dictus est, descripta per Bennonem Cardinalem, archipresbyterum sanctæ Ecclesiæ Romanæ, qui eo tempore vixit: vbi narratur, cur fuerit depositus: & miranda referuntur de aliis pontificibus Romanis, videlicet Benedicto nono, Gregorio sexto, Sylvestro tertio, Ioanne vigesimo, Leone nono, Alexandro secundo, & aliis: quæ nullus historicorum adhuc prodidit, neque Platina, neque quisquam alius.

1076. *Reuerendissimæ matri S. Romanæ Ecclesiæ deuotus filius eius, & humilis seruus Benno, Cardinalium archipresbyter, salutem & tranquillitatem.*

CVm de omnibus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ferè solus Eusebius Liberium Papam declarauerit hæreticum, & clerici Romanæ Ecclesiæ Anastasium secundum, duas Ecclesias excommunicatis communicando facientem damnauerint: non absurdum existimaui, maiorum nostrorum nomina atque dignitates memoriæ commendare, qui Hildebrandum reliquerunt, cuius intolerabiles, & grauissimos errores publicè detestati, nunquam ad eum reuersi sunt. Diuersas etiam scholas Romanæ Ecclesiæ literis annotauimus, quæ ab eius communione recesserunt. Leo tunc temporis archipresbyter Cardinalium, & Benno, & Vgobaldus, & Ioannes Cardinalis, & Petrus Cancellarius & Cardinalis, ordinati ante tempora Hildebrandi: Natro, Innocentius, Leo, hi tres ab eo consecrati, deseruerunt eum, errores eius execrati. Similiter Theodinus archidiaconus, quem ipse constituit archidiaconum, & alii cardinales diaconi: Ioannes modò archidiaconus, & Crescentius, Ioannes primicerius scholæ cantorum, cum omnibus suis: Petrus oblationarius cum omnibus suis, excepto vno: Papa prior scholæ Regionariæ, cum omnibus suis subdiaconis, Archiacolythus & subpulmentarius cum suis, Cencius iudicum primicerius, cum aliis iudicibus, & cuncti milites signabanda gestantes, Prior scriniariorum cum plerisque suis. Ipsi etiam Episcopi cùm iam eum vellent deserere, Hildebrandus conuocatis ad se laicis, eis consilium suum aperuit, & quòd episcopos à colloquio Cardinalium vellet separare, indicauit. Posthæc ipsos Episcopos conuocauit: & turbis laicorum stipatus, sacramentum ab ipsis episcopis cum terrore & minis exegit & extorsit: & in manu sua iurare coëgit, ne vnquam ab eo dissentirent, nunquam Regis causam defenderent, nunquam superordinato sibi Papæ fauerent, vel obedirent. Quo facto, eos per Principem Salernitanum in Campaniam misit: & sic eos à consortio Cardinalium, & à Romana vrbe separauit. Non solùm Episcopos, sed etiam vrbis presbyteros, & inferioris ordinis clericos, insuper & laicos, iuramentis alligauit, ne vlla ratione, vllo tempore condescederent in causa Regis.

Alexandro Papa iuxta vespertinam horâ defuncto, eadem die contra canones à laicis electus est. Sed Cardinales non subscripserunt in electione eius: sub anathemate enim Canones præcipiunt, neminem eligi in sedem Romani Pontificis ante diem tertium post sepulturam ipsius prædecessoris. Postquàm autem aliunde ille ascendit, à consilio remouit Cardinales sacræ sedis.

Cum quibus Personis, consilia sua diebus ac noctibus habuerit, Roma vidit & audiuit. Eiectis à consilio & à custodia eius Cardinalibus, vita eius & fides & doctrina sine testibus

fuit:

fuit: cùm sacri Canones præcipiant, vt in omni loco tres Cardinales presbyteri, & duo diaconi Papam non deserant propter testimonium Ecclesiasticum, & propter stylum Veritatis.

Scripturas sacras violenter intorsit in adiutorium falsitatis: quod genus idololatriæ quantum sit, latè patet in Scripturæ sacræ campis spaciosis.

Præter voluntatem & consilium Cardinalium, extra ordinem iudicandi sacris canonibus determinatum, Imperatorem in nulla synodo canonicè accusatum, præcipitanter excommunicauit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium subscripsit.

Vt primùm ad excommunicandum Cæsarem de sede surrexit, sedes ipsa nouiter lignis fortissimus composita, subitò Dei nutu terribiliter scissa est in plures partes: vt manifestè daretur intelligi, sessor ille, tam periculosa excommunicatione, tanta præsumtione, quanta, quamque terribilia schismata seminaret contra Ecclesiam Christi, contra sedem beati Petri, quàm crudeliter dissiparet cathedram Christi, inculcando leges Ecclesiæ, imperando cum potentia & austeritate.

In descriptione eiusdem excommunicationis ea interseruit, in quibus manifestè à fide catholica errauit, cùm iniustè excommunicatum Imperatorem, & Episcopos communicantes ei excepit ab omni excommunicatione, & tertio gradu communicantes eis: & Vnitatem Ecclesiæ scindens (quantum in ipso fuit) duas Ecclesias fecit.

Idem præsumtor ieiunium indixit Cardinalibus, vt Deus ostenderet, quis rectiùs sentiret de corpore Domini: Romanáne Ecclesia, an Berengarius? Per hoc manifestè probatus infidelis, cùm in Niceno concilio scriptum sit: Quia dubius in fide, infidelis est.

Et de corpore Domini signum quæsiuit, quod petente beato Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigit, quando panis Christi formam accepit digiti. Et misit duos Cardinales, Attonem & Cunonem ad sanctam Anastasiam, vt cum Suppone eiusdem Ecclesiæ Archipresbytero triduanum ieiunium peragerent, & illis tribus diebus singuli per singulos Psalterium & Missas decantarent, vt suprà dictum signum eis Christus ostenderet: quod minimè contigit.

Imperator solitus erat frequenter ire ad orationem, ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ est in monte Auentino. Hildebrandus autem cùm per exploratores suos omnia eius opera sollicitè inquireret, locum, in quo frequentiùs Imperator vel stans vel prostratus orabat, notari fecit: & quendam, promissa pecunia, ad hoc induxit, vt supra trabes Ecclesiæ, occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, vt de alto super caput orantis Imperatoris dimitteret, & ipsum contereret. Quod minister tanti sceleris cùm festinaret implere, & lapidem magni ponderis super trabes aptare vellet, lapis pondere suo eum traxit: & fracta sub trabibus tabula, & lapis & ille miser homo Dei iudicio in pauimentum Ecclesiæ cecidit, & eodem lapide contritus penitus est. Huius rei gestæ ordinem postquàm Romani cognouerunt, pedem illius miseri fune ligauerunt, & toto triduo per plateas vrbis ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem solita clementia iussit eum sepeliri.

Ioannes Portuensis Episcopus, qui intimus fuerat à secretis Hildebrandi, ascendit in ambonem Beati Petri, & inter multa, audiente clero & populo, ait: Tale quid fecit Hildebrandus & nos, vnde deberemus viui incendi: significans de sacramento corporis Domini, quod Hildebrandus, responsa diuina quærens contra Imperatorem, fertur iniecisse igni, contradicentibus Cardinalibus, qui assistebant ei.

In Pascha Domini, feria secunda, cùm ad Ecclesiam Sancti Petri ad Missam clerus & populus conuenisset: post Euangelium in ambonem ascendit, sicut erat indutus pontificalibus indumentis: & in præsentia Episcoporum & Cardinalium, in frequentia cleri & senatus, & populi Romani publicè clamauit, inter multa suæ diuinationis verba: Regem Henricum vsque ad proximum sancti Petri festum, sine dubio moriturum, aut à regno penitus deiiciendum, in tantnm, vt vlterius non posset congregare, quàm sex milites. Prædicauit etiam Episcopis & Cardinalibus, & omnibus qui aderant, de ambone clamans: Nullo modo habete me pro Papa vlterius, sed ab altari me auellite, si vsque ad prædictum festum, prophetia hæc effectum non habuerit.

Eisdem diebus parauit Imperatorem perdere per occultos proditores: Deus autem eum custodiuit. Et eodem tempore fuerunt nonnulli, qui existimauerunt, ipsum Hildebrandum consciũ extitisse & ordinatorem proditionis: quia eisdem diebus paulò ante proditionem de morte regis falsò prophetata præsumsit. Quod verbũ vehementer percussit corda multorũ. Et palàm factũ est, Hildebrandum voce propria in conuentu Ecclesiæ esse damnatum, qui (vt dictum est) iudicauerat, se nullo modo esse Papam, neque pro Papa vlterius habendum, sed perditorem & mendacem esse credendum, nisi vsque ad proximum festum sancti Petri Imperator moreretur, aut omni honore spoliaretur, adeò vt vltra sex milites congregare non posset. Et diuino nutu actum est, vt à seipso quoque damnaretur hæreticus. Sic ait Apostolicus: Dominus ipse inquit, Propheta, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi vt diceret, aut ex nomine aliorum deorum, interficietur.

Quòd si tibi tacita cogitatione responderis, Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcircò non timebis eum.

Tempore autem translacto, quod Hildebrandus in diuinatione sua præfixit, Rege verò neque mortuo, neque militibus suis imminuto, timens se suis verbis deprehensum, & ore proprio condemnatum, ad callida argumenta se conuertit, persuadens vulgo indocto, non de corpore Regis, sed de anima se prophetasse: quasi anima Regis milites omnes præter sex perdidisset, vel illo spatio mortua esset. Et his verbis vulgus indoctum delusit. Contra huiusmodi prophetas beatus Gregorius super Ezechielem ait: Inter Prophetas veros & falsos ista est distantia: quia prophetæ veri, si quid aliquando per suum spiritum dicunt, citius corriguntur: Prophetæ autem falsi, & falsa denunciant, & alieni à sancto spiritu in sua falsitate perdurant.

Tres homines non conuictos, non confessos, absque secularibus iudicibus, Hildebrandus morti adiudicauit: & eos in patibulis iuxta Ecclesiam sancti Petri, in loco, qui dicitur Palatiolum interfici suspendio coëgit, sine dilatione, sine discussione, contra leges, quæ præcipiunt, etiam manifestos reos intra spacium & retractionem triginta dierum non interfici debere: quæ etiam apud Paganos vigent, & seruantur, sicut docet autoritas beati Ambrosij, & passio sanctorum Marcellani & Marci.

Centium filium præfecti Stephani, priùs fidelem suum, in carcerem misit, & in vase vndique aculeis vestito, mille & mille mortibus cruciauit. Qui postquàm euasit, ipsum Hildebrandum cepit. De cuius captione antequàm euaderet, omnibus qui captionis illius cooperatores fuerant, hoc debitum publicè remisit, quod postea infideliter uindicauit. Centium, cui omnia remiserat, persequi cœpit: & nouem de hominibus Centij in patibulis suspendio interfecit ante portas sancti Petri.

Filius cuiusdam Viduæ, captioni eius interfuit: cui cum multis aliis pœnitentiam & exilium vnius anni indixit. Quo expleto, Vidua ampliori satisfactione volens placare animum Hildebrandi, funem immisit collo filii sui, & fune filium trahens, pariter cum filio ad pedes Hildebrandi protulit dicens: Domine Papa, de manu tua volo recipere filium meum, qui exilium vnius anni, & pœnitentiam à te iniunctam portauit. Ad hæc Hildebrandus, in præsenti propter eos qui aderant, iram dissimulans, filium ei reddidit, cum austeritate dicens: Vade, vade fœmina, dimitte me in pace. Postea missis apparitoribus suis, filium Viduæ apprehendit, & iudicibus, vt eum morti damnarent, præcepit. Qui vno ore responderunt, se vlterius non posse illum condemnare, qui ad iudicium Papæ confugisset, & pœnitentiam & exilium vnius anni ab ipso Papa iniunctum iam impleuisset. Ad hæc gloriosus Hildebrandus iudicibus iratus, præcepit abscindi pedem filio Viduæ, quæ frustra apud Hildebrandum existimauerat pœnitentiam & leges & jura valere, & pede truncato, dolore illo post triduum mortuus est. Multa quidem alia fecit Hildebrandus, in quem clamat sanguis Ecclesiæ, gladio linguæ eius miserabili proditione effusus, propter quæ à communione eius iustissimè Ecclesia recessit, sicut fecerunt Imperatores nostri temporibus apostatarum Liberij & Anastasij. Vt Liberij festum celebraretur, iussit: quo sanè præcepto eius hæresin firmauit, qui ex laudabilibus meritis damnabiles exitus habuit.

Die quodam, cùm de Albano Romam veniret, oblitus est secum ferre familiarem sibi librum necromanticæ artis, sine quo nusquam aut rarò incedebat. Quod cùm in itinere ei ad memoriam rediisset, in introitu portæ Lateranensis festinanter vocauit duos de familiaribus suis, assuetos, & fidos ministros scelerum suorum, & vt eundem librum citissimè sibi afferrent, præcepit: & terribiliter interminatus est, ne librum in via aperire præsumerent, nec ulla curiositate secreta libri inuestigarent. Sed quantò amplius inhibuit, tantò vehementius eorum curiositatem ad inuestigandum eiusdem libri arcana accendit.

Igitur dum in reditu librum reserassent, & diabolicæ artis præcepta curiosè legerent, subitò adfuerunt angeli satanæ, quorum multitudine & horrore duo illi iuuenes propè effecti amentes vix ad se reuersi sunt. Et (vt ipsi retulerunt) maligni spiritus instabant, dicentes: Ad quid nos vocastis? quare fatigastis? citò præcipite quod nos agere vultis, alioquin insurgemus in vos, si nos diutius tenueritis.

Ad hoc alter iuuenum: Festinanter muros illos (inquit) deiicite. Et hæc dicens, manu ostendit muros altos vicinos Romæ, quos in momento maligni spiritus deiecerunt. Et iuuenes sanctæ crucis signo se signantes, tanto terrore exterriti, trementes, & palpitantes, vix Romam ad dominum suum peruenerunt.

Venerandis Ecclesiæ Romanæ patribus, & dilectis in Christo, & semper diligendis fratribus, Benno Cardinalis Romanæ Ecclesiæ fidele seruitium, & saluté, seruantibus Ecclesiæ catholicæ communioné. De cuius cõmunione & disciplina, vel potestate, frustra sibi applaudit, quisquis iniustè ex potestatis præsumtione quenquam ligauerit vel soluerit. Iniustè auté ligat, quisquis aliqué paratũ

satis-

satisfacere, & audientiam implorantem, neque conuictum, neque sponte confessum, anathematizat: imò seipsum frustra maledicendo, quasi proprio iaculo in se intorto maledicit, & condemnat. O noua proditio, procedens de sanctuario: imò de eo, qui vt summus sacerdos videbatur Ecclesiam regere, & senioribus iudicibus præesse.

Hildebrandus instabat Imperatori, vt eijceret Episcopos simoniacos. Imperator credens quasi ex zelo legis, quasi à throno Dei procedere hæc mandata, sine mora obediebat: sine mora, sine discussione, sine iudiciario ordine Episcopos eijciebat: dum per hanc obedientiam se Deo sacrificare existimabat, dum adhuc versutias Hildebrandi minus intelligebat.

Hildebrandus verò expulsos à Rege simoniacos, relocabat: & quos Regi infestos reddiderat, eos sibi familiari amicitia reconciliabat: & multis & magnis iuramentis sibi fidos & obnoxios efficiens, præ alijs exaltabat. Et modico tempore ijs artibus Regia domo perturbata, & penè amicis destituta, sibi verò amicitia maiorum Principum comparata, ex improuiso sine legitima accusatione, sine canonica vocatione, sine iudiciario ordine, obedientem sibi Imperatorem excommunicauit, & regni principes ab eo separauit. Et cùm Apostolus præcipiat, ne quis in negocio circumueniat fratrem suum: quantum in eo fuit, mortificauit potius quàm castigauit. Sic autem Imperator multimodè circumuentus, præter canonicum ordinem excommunicatus, & consensu Hildebrandi, & consilio, magna ex parte Imperij honore expoliatus, & bellis & cædibus immensis fidelium suorum prægrauatus, frustra canonicam audientiam implorauit, & extortam confessionem inuitus ac coactus apud Canusium in præsentia Hildebrandi protulit.

Dicite quæso, qui iustitiam diligitis, qui ad dextram vel sinistram fauore alicuius personæ declinare non nostis, dicite quæso, si confessio tanto tempore extorta cuilibet pauperi, nedum Cæsari, præiudicare debuit: si ex confessione extorta potius non extitit reus canonum hic, qui extorsit, quàm qui peruersè iudicatus peruersoris iudicis iniuriam & violentiam patienter & publicè, & cum lachrimabili afflictione, nudis pedibus, in laneis vestibus, hyeme præter solitum aspera, apud Canusium, spectaculum angelorum factus & hominum, & Hildebrandi toto ludibrium triduo pertulit? Dicite quæso, si quisquam sanctorum Pontificum, quenquam plebeium, nisi aut sponte confessum, aut in synodo conuictum, nec in eadem prouincia, sed in longinquis terrarum partibus semotum, tam præcipiti iudicio damnare præsumsit? Si quis tam audacter abusus est potestate ligandi & soluendi? Equidem Ambrosius Theodosium ligauit, sed præsentem, sponte confessum. Maximus, Salonitanus Episcopus, per plures annos extra prouinciam sui Episcopatus, apud Romam, apud beatum Gregorium, de symoniaca hæresi, de diuersis adulterijs accusatus: vno tandem anno deficientibus accusatoribus, sacramento sola manu præstito, purgatus est, sicut in registro eiusdem beati Gregorij legitur.

Et beatus Augustinus in libro de pœnitentia: Satis (inquit) ostendit Apostolus, non temerè & quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione, vt si per iudicium auferri non possint, tolerentur potius, ne peruersè malos euitando ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. Multi (inquit) corriguntur, vt Petrus: multi tolerantur, vt Iudas: multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. Et quidem (inquit) metuentes præcepta seueritatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare sanctum canibus, vt Ethnicum habere Ecclesiæ contemtorem, à compage corporis membrum, quod scandalizat, euellere, ita perturbant Ecclesiæ pacem, vt conentur ante tempus separare zizania: atque hoc errore cæcati, ipsi potius à Christi vnitate separentur. Qualis nobis causa est aduersus schismata Donati, & non cum illis, qui nouerunt Cæcilianum non veris, sed calumniosis criminibus appetitum, & perniciosam sententiam suam mortifero pudore non deserunt: sed cum illis, quibus dicimus, etiamsi mali fuissent, propter quos in Ecclesia non estis vos, tamen eos ferendos, quos emendare aut segregare minimè poteratis, in Ecclesia permanere debuistis. Et paulò pòst: Nos (inquit) ad sanam doctrinam pertinere arbitramur, ex vtrisque testimonijs vitam sententiamque moderari, vt canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus: & canibus sanctum, vbi Ecclesiæ pax tuta est, non demus.

Hildebrandus autem non solùm Ecclesiæ perturbauit pacem, sed etiam Ecclesiasticam scidit vnitatem, & vnicæ fidei vestem inconsutilem, dum Cæsarem & Episcopos communicantes Cæsari, absque iudiciario ordine excommunicabat: & tertio gradu communicantes eis ab excommunicatione noua pietate excipiebat: quos huiusmodi artibus & Regi subducere & sibi allicere festinabat. Dicant nunc Hildebrandi discipuli, quibus commentis, quibus coloribus deaurare possint, quod ipse Hildebrandus in Synodo generali hæretica prædicauit, prædicando excommunicatis communicare consensit, prædicata scripsit: prædicatione & scriptis alteram catholicam, alteram excommunicatorum Ecclesiam faciens, vnitatem scidit, & scripta per orbem terrarum disseminauit: prædicando, scribendo, scripta disseminando, seipsum hæreticum manifestauit, & ore proprio, & confessione hæreseos non extorta, diuino vrgente iu-

dicio condemnauit, dum vulgus erroneum sanctum existimaret, & Apostolis exæquaret spiritum tanti erroris, cùm etiam prudentiores eius laqueis caperentur, & inducerentur in tentationem, si fieri posset, etiam electi. Mentimur, nisi tredecim Cardinales, sapientiores & religiosiores, ipse archidiaconus, & ipse primicerius, & multi alij Lateranensium clericorum, quorum iudicio ex priuilegio sanctæ sedis totus subiacet mundus, apostasiam eius intolerabilem perpendentes, ab eius communicatione recesserunt.

Dicant (oramus) Hildebrandi discipuli, qua præsumtione magister eorum vnitatem Ecclesiæ in duas vel plures partes diuisit? Si enim Cæsarem iniustè, & absque iudiciario ordine damnauit, seipsum potius ab Ecclesia separauit. Si verò iustæ excommunicationis gladium in Cæsarem vel Episcopos communicantes Cæsari exeruit, quare communicantes ipsis Episcopis tertio gradu per scripturam excipiendo absoluit? Nunquam etiam vnius diei infans ab excommunicatis conceditur aliqua necessitate baptizari: vel ab excommunicatis baptizatus, & continuò mortuus, creditur saluari. Equidem sacer Chalcedonensis canon prædicat, apud hæreticos non posse ad salutem baptizari: & damnat eos, qui paruulos extra Ecclesiam baptizandos obtulerint. Quid propriè de paruulis apud excommunicatos baptizatis B. Augustinus scribat Bonifacio Episcopo, in serie eiusdem epistolæ facilè & lucidè potest reperiri. Reperitur & hoc ipsum in epistola beati Gregorij, quam pro paruulis solicitus Episcopis Longobardiæ misit. Reperitur etiam multipliciter in campis sacræ Scripturæ latis & spatiosis. Gloriosus autem Hildebrandus, & pedissequus eius Turbanus, noua potestate soluentes decreta Chalcedonensis concilij, non solùm verbis, sed & scriptis publicis consenserunt, extra Ecclesiam communicare & baptizare: quàm cæci essent, quàm hæretici, scriptis proprijs deprehensi. Proh nefas: ij præsumserunt de Ecclesia iudicare, qui nusquam reperiuntur non errasse, quibus etiam ipsa veritas reputatur in mendacium: quam solo fallendi studio verbis & scriptis suis, ne veneno errores eorum perciperentur, quasi mel veneficorum more admiscuerunt. Mendacium enim est (vt B. Augustinus ait) omnis enunciatio prolata intentione fallendi.

Vterque autem, Hildebrandus scilicet & Turbanus, in hæresin Liberij recidit: qui postquàm publicè communicauit excommunicatis, duas Ecclesias faciens, vnitatem scidit. Sed non tacuit beatus presbyter Eusebius, quo legitimè defendente vnitatem vsque ad mortem & vita & morte eius clarificante doctrinam catholicam, Liberius declaratus est hæreticus.

Liberium vnus Eusebius, communionem eius deserendo, & iuxta Euangelium tanquam Ethnicum & publicanum deuitando, ligauit, vno spiritu cum beato Augustino, magis opere quàm verbo dicens: Cœpisti habere fratrem tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed vt iustè facias, vide: nam iniusta vincula iustitia disrumpit.

Vnus Eusebius Liberium recedendo à communione eius ligauit: quantò magis Hildebrandus in errore perseuerans, cum Angelis suis apostatis damnatus, in abyssum relegatus est, Romanæ Ecclesiæ patribus ab eius communione recedentibus, & eius hæreses & ligandi & soluendi abusionem execrantibus?

Anastasius Papa canonicè intrauit: sed quia vni excommunicato sine satisfactione publica communicauit, quidam Romanorum clericorum ex potestate & priuilegio sanctæ sedis communionem eius deserentes, eum ligauerunt, quia communicando excommunicato Ecclesiam diuidere præsumsit. Hildebrandus verò à discipulis suis sanctus prædicabatur, quasi æqualia & longè deteriora non commiserit, quasi Romanæ Ecclesiæ clerici & laici publicè ab eius communione non recesserint.

Sileant hypocritæ (sicut ait beatus Petrus) piratis similes, beati Petri nomen, igne maliciæ sub nomine catholico, sub obtentu iustitiæ artificiosè supposito, destruentes, & ferè demergentes. Obstupescant pseudoprophetæ ad vocem Petri, in facie humani, in cauda scorpiones, lupi sub ouina pelle latentes, corpora trucidantes in gladio, & animas pariter deuorantes: quorum religio nihil aliud redolet, nisi proditionem & auaritiam: penetrantes domos viduarum, captiuas duxerunt mulierculas oneratas peccatis, sub occasione impacati temporis, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, quas accepit Hildebrandus magister eorum à magistris suis: à Theophylacto, qui cognominatus est Benedictus Papa nonus: à Laurentio, à Malsitano Archiepiscopo, à Ioanne Archipresbytero sancti Ioannis de porta latina, qui postea cognominatus est sextus Gregorius Papa.

Theophylactus sacrificijs dæmoniorum deditus, in syluis & montibus mulieres post se currere faciebat, quas magicis artibus ad sui amorem coëgerat. Testantur hoc libelli ipsius, inuenti in domo eius, postquàm vitam malè finierat. Et hæc fabula adhuc rusticis Romanorum est notissima. Is dum ad Ecclesiam rediret de syluarum secretis, vbique secum habens prædictum Laurentium principem maleficiorum, cum eo etiam publicè de Mathesi disputabat: & vulgus auidum nouarum rerum, nouis diuinationibus in sui admirationem excitabat.

Nomen autem Laurentij apud simplices pro eo habebatur celebre, quia videbatur aliquando ex improuiso prophetare. Et de complice & discipulo suo Papa securus gaudebat etiam publicè in conuentu Episcoporum & Cardinalium & Senatorum auguria sua magnificare, & ad cantum auium subitò auguria denunciare, quid ipso die, vel hesterno, vel nudius tertius factum esset in Oriente & Occidente, in Meridie, & Septentrione, & in remotioribus vel extremis terrarum partibus, siue de bellis, siue de morte Principum. Ad quem tentandum cùm die quodam multi conuenissent, subitò audita est auicula, quæ vulgò passer dicitur, dulces voces frequentare. Et Laurentius subitò interrogatus, in præsentia Theophylacti & Episcoporum, qui conuenerunt, quæ auis illa caneret? subitò respondens: Auicula hæc (inquit) aliis canit auiculis, vt citò conueniant ad portam maiorem, vbi modò fractus cuiusdam rustici currus, & effusum est milium, quod super illo ferebatur. Inuitat autem frequenti cantu, vt illuc citò conueniant, & saturentur. Quo audito, plures astantium concito cursu ad maiorem portam, alius alium certatim præuenerunt, & sicut dixerat, inuenerunt. Auguria eius nullo diuino legis zelo vindicabantur, insuper à complice suo Papa semper magnificabantur. Vnde factum est, vt aliqui curiosa sectati, publicè & liberè frequentarent contubernium & magisterium eius. Morabatur autem in domo prædicti Archipresbyteri Ioannis de porta latina, qui studiosè eius magisterio adhærebat, & imbuebatur artibus illius.

Theophylacto autem & Laurentio adhuc iuuenibus, infecerat vrbem ijs maleficiis Gerbertus ille, de quo dictum est:

Transit ab R. Gerbertus ad R. pòst Papa viget R.

Et iste Gerbertus quidem paulò post completum millenarium, ascendens de abysso permissionis diuinæ, quatuor annis sedit, mutato nomine dictus Syluester secundus.

At per quæ multos decepit, per eadem dæmonum responsa deceptus, morte improuisa, Dei iudicio, est interceptus. Hic responsum à suo dæmone acceperat, se non moriturum, nisi prius in Hierusalem Missa ab eo celebrata. Hac ambage, hac nominis æquiuocatione delusus, dum Palæstinæ ciuitatem Hierusalem prædictam sibi credit, Romæ in Ecclesia, quæ vocatur Hierusalem missam faciens in die stationis, ibidem miserabili & horrida morte præuentus, inter ipsas mortis angustias supplicat, manus & linguam sibi abscindi, per quas sacrificando dæmonibus, Deum inhonorauit. Et hic quidem dignum suis meritis exitum inuenit. Sed discipulos illius Theophylactum & Laurentium, magistri mors teterrima à studiis idololatriæ non absterruit, quibus vltio diuina (vt paulò pòst dicendum est) non defuit.

Igitur post infelicem exitum Gerberti, certamen erat inter discipulos ipsius, dum quisque anhelaret ad rapiendum Papatum sibi. Sedit autem post eum octauus decimus Ioannes, & quinto mense veneno suffocatus dicitur à suis. Huic successit nonus decimus Ioannes, & vix annum peregit. Cui successit vnus Sergius, & sedit tribus annis. Anno quinto post Gerbertum, sedit octauus Benedictus Laicus, frater Alberici Tusculanensis, patruus Theophylacti, & vndecimo anno decessit. Huic successit frater eius carnalis, & patruus Theophylacti, vigesimus Ioannes neophytus, & sedit annis nouem. His duobus suis patruis successit Theophylactus, & anno vigesimo quinto post Gerbertum, magistrum suum, sedem fraudulenter obtinuit, Theophylacto in syluis à dæmone suffocato, Archipresbytero in exilium abducto, Laurentio in fugam præcipitato. Anno igitur post Gerbertum vigesimo quinto, Theophylactus discipulus eius sedem violenter obtinuit, & condiscipulum suum Laurentium & Archipresbyterum Ioannem Gratianum, intimos & secretorum conscios habuit.

Eodem tempore Hildebrandus derelicto monasterio, prædicto Archipresbytero adhæsit & Archiepiscopi Laurentij magisterium secutus, in breui factus est vtriusque magisterij egregius imitator. Qui cùm vellet, manicas suas discutiebat, & in modum scintillarum ignis dissiliebat: & ijs miraculis oculos simplicium, velut signo sanctitatis ludificabat. Et quia Diabolus per paganos Christum publicè persequi non poterat, per falsum monachum, sub habitu monastico, sub specie religionis, nomen Christi fraudulenter subuertere disponebat. Sed quamuis peccatis exigentibus talia fieri permitteret dispensatio diuina, tamen tempus retributionis appropinquabat.

In diebus illis defuncto Conrado, legis & religionis cultore fidelissimo, Romanorum Imperatore Augusto, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, consilio habito cum familiari suo Laurentio, & aliis suis complicibus, molitus est filium Imperatoris Conradi, Henricum Imperatorem successione Imperij exturbare, & in Ecclesia schismata diuersa seminare. Hoc enim est, supra quod nihil amplius exigitur à mundi principio, à tenebrarum principe. Misit igitur coronam Romani Imperii Petro Regi Vngarico. Sed ad Petrum expugnandum direxit Imperator Henricus Ducem Lotharingæ Godfridum, virum fidelem, & bello strenuum, & inter regni principes clarissimum. Qui primo conflictu, Petrum bello captum, & omnes vicinas nationes, ne in eum aliquid præsumerent, deterruit: & vt digna factis tanti schismatis authori Theophylacto redderet, Romam venire disposuit.

Quo audito, Theophylactus timore perterritus, vendidit papatum complici suo, prædicto Archipresbytero Ecclesiæ sancti Ioannis de porta Latina, magistro Hildebrandi, acceptis

Anno

ab eo libris mille quingentis. Qui ascendens sacram sedem tantæ iniquitatis gradibus, nomine mutato dictus est sextus Gregorius. Igitur Hildebrandus in schola tam profundæ peruersitatis, vsu & arte edoctus, erat tantorum fidus minister maleficiorum, & pessimis magistris peior discipulus. Quod ex fructibus præsidiæ ipsius postea percepit Ecclesia, per eum sub obtentu catholici nominis graui schismate lacerata: percepit & mundus, bellis feralibus & immensis cædibus ipso authore laniatus, & sub colore mellis veneno propinato hæresibus nefandissimis propè suffocatus.

Eisdem diebus suppositus est in Papatum prædicto Archipresbytero Sabinensis Episcopus, qui mutato nomine dictus est Syluester tertius: & factum est, vt Romana Ecclesia in partes diuersas scindi videretur. Cùm autem tanta peruersitas Romam ludificaret, diuino nutu adfuit Imperator Henricus, &(vt multa breuiter concludam) religiosorum Cardinalium precibus efflagitatus, ipsis authoribus, Romanam Ecclesiam pro loco officii sui, pro officio Imperiali, pro potestate sibi à sacris canonibus concessa, ad purgandam Ecclesiam, ad exturbandum & vlciscendum vi sacrilegos, deuotum se præbuit. Theophylactum in fugam coëgit. Sextum Gregorium in custodiam reclusit, quem postea in exilium misit. Sabinensem Episcopum, quem non ambitio, sed vis ad Papatum coëgerat, ad sedem propriam redire compulit. Romana verò Ecclesia eius respirans auxiliis, secundum Clementem Papam elegit, sub quo Ecclesiæ vnitas facta est, à quo etiam subsequenter Romanorum Imperator Augustus, venerandæ memoriæ Henricus, coronatus est: & pro tantis meritis vnicè glorificatus, triumpho singulari, vnici amoris priuilegium, pellendo idololatras, symoniacos, & Vnitatem Ecclesiæ defendendo, promeruit.

Quibus strenuè peractis, sextum Gregorium (vt suprà dictum est) cum Hildebrando discipulo suo in Teutonicas partes deportatione damnauit. Nimia tamen pietate deceptus, nec Ecclesiæ Romanæ, nec sibi, nec generi humano prospiciens, nouos idololatras nimis laxè habuit: quorum memoriam æterno carcere à contagione hominum remouere debuit. Defuncto autem in exilio sexto illo Gregorio, Hildebrandus perfidiæ simul & pecuniæ eius hæres extitit.

Eodem tempore Clemens Papa defunctus est. Huic successit Damasus, & sedit viginti tantùm & tribus diebus, veneno (vt dicitur) propinato suffocatus. Theophylactus enim magister Hildebrandi, post fugam reuersus Romam, cum familiari suo Laurentio, multis maleficiis sacram sedem vexabat: & per literas discipuli sui Hildebrandi, ea quæ in palatio Imperatoris gerebantur, resciebat. Eo igitur immaniter vexante, iterum Romana Ecclesia legatum ad Imperatorem dirigit, & vt Consilio Cardinalium Papam eligendum Romam mittat, exposcit.

Bruno igitur, qui & Leo, ex consilio Cardinalium Romam inuitus & coactus dirigitur. In cuius comitatu nimia Imperatoris indulgentia permissus est reuerti Hildebrandus, hac permissione sacerdotium pariter & regnum sub specie religionis euersurus, & iuramenta Imperatori præstita non diu seruaturus.

Brunoni igitur, multa loquendo in itinere se supposuit. Et, vt Romam venit, ab eo obtinuit, vt fieret vnus de custodibus altaris beati Petri. Et in breui loculos impleuit: & cui pecuniam illam committeret, filium cuiusdam Iudæi, nouiter quidem baptizatum, sed mores nummulariorum adhuc retinentem, familiarem sibi fecit. Etiam diu conciliauerat sibi quendam Bralium, incomparabilibus maleficiis assuetum, Gerhardum nomine, qui cognominabatur Brazutus, amicum Theophylacti, qui subdola familiaritate dicitur sex Romanos Pontifices intra spacium tredecim annorum veneno suffocasse, quorum nomina hæc sunt: Clemens, qui sexto Gregorio damnato, & Theophylacto expulso, sedit mensibus nouem: & diebus septem: post Clementem Damasus, qui sedit dies viginti tres: Post Damasum Leo, qui sedit annis quinque: post Leonem Victor, qui sedit annis duobus, mensibus tribus, diebus septem: post Victorem Stephanus, qui sedit menses 7. dies 28. post Stephanum Benedictus, qui sedit menses septem, dies viginti: hic non veneno, sed vi & dolis Hildebrandi fuit eiectus. Post Benedictum Nicolaus, qui sedit annis duobus, mensibus sex, diebus viginti quinque.

Huius tempore Hildebrandus prædictis duobus familiaribus suis pecuniam suam, & consilia sua communicauit, & per eos venales linguas multorum sibi comparauit.

Et post hæc Theophylactum antiquum dominum suum & magistrum, simulantem pœnitentiam, Leoni Papæ in dolo reconciliauit, & Theophylacti consilio & factione ipsum Papam Leonem contra Normannos animauit.

Igitur Leo Papa eorum dolos minus intelligens, & Romam deserens, Alpes transiuit, & multis Teutonicis sibi aggregatis ad expugnandos Normannos, deinde Romam rediit: & Hildebrando & Theophylacto instigantibus, in Apuliam contra Normannos transiuit. Et quia Theophylactus manifestè eum lædere non audebat: simulato obsequio cum eo manens, & ingressus & egressus eius explorans, singula per secretos nuncios intimabat Normannis: & in manus eorum, Hildebrando dictante, ipsum Papam tradidit. De quorum manibus vix Papa (interfectis per proditionem Teutonicis) desolatus euasit.

Leone post modicum defuncto, Theophylactus de parentum potentia præsumens, Romanam Ecclesiam, quam prius toties vexauerat, iterum vexare non destitit.

Interim Hildebrandus nouus Proteus, nouis præsumens tergiuersationibus, de Roma ad Imperatorem, de Imperatore ad Romam, absque consilio Romanæ Ecclesiæ discurrebat. Et si quis alius in Papatum eligeretur quàm ipse, prædictus Gerhardus, cognomine Brazutus, familiaris eius, in breui illum ueneno suffocabat.

Postquàm autem sedit Nicolaus Papa, Hildebrandus, quia Papatum adipisci non potuit, ad Archidiaconatum quoquo modo inuadendum se conuertit: Et Mancium tunc archidiaconum Romanæ Ecclesiæ multis iniuriis afflixit & circumuenit. Qui victus contumeliis & dolis, & pecunia deceptus Hildebrandi, ad vltimum concessit, vt Hildebrandus vice eius archidiaconatu fungeretur. Hac concessione Hildebrandus arrepta, Nicolaum Papam ex improuiso aggressus, coëgit inverecundis precibus & minis militum, quos pecunia collegerat, metum etiam mortis quibusdam terribilibus significationibus incutiendo, vt eum archidiaconum ordinaret & constitueret. Et post paucos dies ipse Nicolaus defunctus est, veneno (vt dicitur) suffocatus. Cardinales autem ambitionem Hildebrandi non ignorantes, Imperatorem multis precibus coëgerunt, vt eis in electo suo Parmensi Episcopo, Cadolo fauorem & auxilium præstaret. Quod factum, cor Hildebrandi altius percussit.

Et manifestè factus est Imperatoris inimicus. Omnia iuratæ fidelitatis Vincula disrupit: & facta conspiratione cum inimicis Imperatoris, & cum Normannis, quem Parmensi Episcopo Cadolo à Cardinalibus electo opponeret, Anshelmum Lucensem Episcopum decepit, & eum in Papam eligi à quibusdam Romanis fecit. Et ipsum Anshelmum, mutato nomine, Alexandrum vocauerunt.

Igitur Anshelmum, quem in dolo elegerant, pariter & Parmensem Episcopum, quibus poterat artibus, vexabat: quia vtrique succedere anhelabat.

Igitur vbi Alexander intellexit, se dolis & arte ab Hildebrando & inimicis Imperatoris electum, & inthronizatum, die quodam, cùm intra Missarum solemnia sermonem haberet ad populum, prædicauit, se nolle sedere in sede Apostolica, absque licentia & gratia Imperatoris. Et publicè dixit, se literas huius rei gratia missurum ipsi Imperatori. Quo audito, Hildebrandus vix manus, multa murmurando, donec Missa compleretur, abstinuit. Missa expleta, ipsum Alexandrum cum militari manu ab altari duxit in cameram, & nondum exutum pontificialibus indumentis, pugnis durè colaphizauit, increpans & improperans, quòd vellet inquirere gratiam Imperatoris. Et statuit, vt ex eo die non daretur ei amplius, quàm quinque solidi Lucensium denariorum. Et ex tunc ipse Hildebrandus omnes redditus Romanæ Ecclesiæ sibi retinuit, & immensam pecuniam congregauit.

Alexandro igitur sub miserabili Iugo Hildebrandi quodam vespere defuncto, eadem hora Hildebrandus à suis militibus, sine assensu cleri & populi, est inthronizatus, timens, ne alius per moram eligeretur. In cuius electione nullus Cardinalium subscripsit. Ad quam cùm veniret Abbas Casinensis, ait ipse Hildebrandus: Frater nimium tardasti. Respondit Abbas: Et tu Hildebrande nimium festinasti, qui nondum sepulto domino tuo Papa, sedem Apostolicam contra canones vsurpasti. Hoc modo inthronizatus Hildebrandus, qualiter vixerit, qualiter à se Cardinales, qui testes vitæ & doctrinæ eius esse debuerant, remouerit, quàm miserabiliter vexauerit, quantis hæresibus mundum corruperit, quanta periuria, quàm immensas perditiones consecrauerit, vix à multis describi potest. Clamat tamen altius sanguis Christianorum, eo authore & incensore miserabiliter effusus.

Hoc est decretum Hildebrandi, in quo à doctrina & fide Catholica aberrauit.

GRegorius Papa Romanæ synodo præsidens dixit: Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt Apostolica authoritate à sacramento absoluimus: & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus. Item: Et quoniam multos, peccatis nostris exigentibus pro causa excommunicationis, perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate de victu, vnà anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, temperamus opportunè. Apostolica itaque autoritate ab anathematis vinculo subtrahimus, videlicet vxores, liberos, seruos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos & seruientes, & omnes alios, qui nõ adeò curiales sunt, vt eorũ consilio scelera perpetrentur: & illos qui ignoranter excõmunicatis communicãt, seu illos qui communicant cum eis, qui cõmunicant excõmunicatis. Quicunq; autẽ aut orator, siue peregrinus, aut uiator in terram excõmunicatorũ deuenerit, vbi non possit emere, & non habet vnde emat, ab excõmunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis

non

non pro sustentatione superbiæ, sed humanitatis causa aliquid dare voluerit, non prohibemus.

Pro ampliori declaratione illius, quod de Syluestro secundo dictum est, qui priusquàm per artem diabolicam Pontifex fieret, Gebertus siue Gibertus est appellatus, ita scribit Ioannes Stella Venetus, ad Patriarcham Aquiliensem, Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Marci presbyterum Cardinalem. Illius ergò verba hæc sunt, vt sequuntur: Syluester Papa eius nominis secundus, natione Gallicus, Gibertus antea vocatus, hoc anno Gregorio Pontifici surrogatus, sedit annis quatuor, mense vno, & diebus octo. Hic malis artibus Pontificatum obtinuit, eò quòd ab adolescentia cùm monachus esset, relicto monasterio, se totum diabolo obtulit, modò quod optabat, obtineret. Et vt bonis artibus operam daret, primò ad Hispalim Hispaniæ vrbem accessit: vbi cùm doctrinæ admodum cupidus esset, ea in re tantum profecit, vt breui optimus Doctor euaserit: & Othonem Augustum, atque Robertum Regem, & nonnullos alios insignes præclarosque viros habuerit discipulos: quorum opera primò Remensis, deinde Rauennas Archiepiscopus fuerit factus: postremò Romanus Pontifex, diabolo adiuuante, constitutus, hac tamen lege, vt post eius obitum totus illius in anima & corpore esset, cuius fraudibus tantam adeptus esset dignitatem. Post hoc quæsiuit Gibertus à diabolo, quàm diu in Pontificatu victurus esset? Respondit: Quàm diu in Hierusalem non celebrabis, viues. Postremò quarto sui Pontificatus anno, dum quadragesimali tempore in basilica sanctæ Crucis in Hierusalem Romæ consacrificaret, fato se moriturum statim cognouit. Vnde pœnitentia ductus, errorem suum coram populo confessus est. Rogauitque omnes, vt corpus suum diabolicis artibus seductum, membratim detruncarent, disiectumque ac laceratum super currum imponerent, & eo loci sepelirent, quò sponte ab equis foret vectum. Ferunt itaque Dei nutu (vt scelerati discant apud Deum veniæ locum sibi relictum esse, modò in vita pœnituerint) equos ipsos sponte ad Lateranensem Ecclesiam peruenisse, ibidemque sepultum fuisse. Acciderunt ista Henrico 3. & 4. Imperatoribus.

De eodem.

ANno Domini 1076. in synodo VVormatiensi quid vnanimiter contra Hildebrandum decretum fuerit, ex his literis patet, quæ Tiguri in Bibliotheca abbatiæ (Fanum summum Diuæ virginis vocatæ) in libro peruetusto literis olcis & veteribus, consignatæ repertæ non ita dudum sunt Latinè, vt sequitur.

Sigifridus Moguntinus archiepiscopus, Vdo Treuerensis, VVilhelmus Traiectensis, Hen. Metensis, Henrichus Leodicensis, Richardus Verdonensis, Bibo Tullensis, Hermannus Spirensis, Burcardus Halberstadẽsis, VVernherus Strasburgensis, Burckhardus Basiliensis, Otto Constantiensis, Adelbero VVirtzburgensis, Rudbertus Babenbergensis, Otto Ratisbonensis, Elingardus Frysingensis, Vdalricus Eystettensis, Fridericus Monasteriensis, Eibbertus Mindensis, Hezil Hiltinii heymensis, Beno Osenebrugensis, Eppo Neapolitanus, Imardus Paderbrunnensis, Thiedo Brandenburgensis, Burckardus Losannensis, Bruno Vnensis, Hildebrando fratri, &c. Cùm primùm Ecclesiæ gubernacula inuasisses, etsi nobis benè cognitum esset, quàm illicitam & nefariam contra jus & fas, familiari tibi arrogantia præsumsisses, dissimulanda tamen, dispensatoria quadam taciturnitate tam vitiosa tui introitus exordia putauimus: sperantes videlicet, tam criminosa principia consequentis tui regiminis probitate & industria emendanda, & aliquatenus obliteranda. Verùm vt nunc lamentabilis vniuersalis Ecclesiæ status clamat & deplorat, malis initijs tuis per peiores actionum, decretorumque tuorum progressus infelici respondes tenore, & pertinacia. Cùm enim Dominus & Redemtor noster pacis & charitatis bonum, quasi singularem suis fidelibus characterem impresserit: cuius rei plura existunt testimonia, quàm vt epistolari breuitate comprehendi valeant: tu econtrà dum profanis studes nouitatibus, dum magis amplo quàm bono nomine delectaris, dum inaudita elatione distenderis, velut quidam signifer schismatis, omnia membra Ecclesiæ, quæ secundum Apostolum quietam & tranquillam vitam ante hæc tua tempora agebant, superba crudelitate crudelique superbia lacerasti, flammamque discordiæ, quam in Romana Ecclesia diris factionibus excitasti, per omnes Ecclesias Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & Hispaniæ furiali dementia sparsisti. Sublata enim, quantum in te fuit, omni potestate ab Episcopis, quæ eis diuinitus per gratiam Spiritus sancti, qui maximè in ordinationibus operatur, collata esse dignoscitur, omnique Ecclesiasticarum rerum administratione plebeio furori per te attributa, peiorem Ecclesiæ statum summa audacia perturbasti, dum iam nemo alicubi Episcopus est aut presbyter, nisi qui hoc indignissima assentatione à fastu tuo emendicauerit: omnem Apostolicæ institutionis vigorem, illamque pulcherrimam membrorum Christi distributionem, quam Doctor gentium toties commendat & inculcat, miserabili confusione miscuisti, sicque per hæc tua gloriosa decreta, quod sine lachrimis dici non potest, Christi ferè nomen perijt. Quis autem illud pro indignitate rei non stupeat, quòd nouam quandam, indebitamq; potentiam tibi vsurpãdo arrogas, vt debita vniuersæ fraternitati jura destruas? Asseris enim cuiuscunq; nostrum parochiani aliquod ad te delictum vel sola fama perueniat, vltrà iam non habere quenquam nostrûm aliquam potestatem vel ligandi vel soluendi, præter te solum, aut eum quem tu specialiter ad hoc dele-

geris. Quæ sententia vt omnem insaniam excedat, quis in sacris literis eruditus non videat? Quia ergo per hos aliosque præsumtionum tuarum spiritus, ecclesiam Dei tam grauiter periclitantem, imò verè pessundatam diutius tolerare omni malo deterius iudicauimus, placuit vt communi consilio omnium nostrûm, tibi, quod hactenus tacuimus, innotescat, quamobrem nec modò possis, nec vnquam poteris sedi apostolicæ præesse. Tu ipse tempore memoriæ bonæ Henrichi Imperatoris corporali sacramento constrinxisti, quòd nunquam viuente ipso Imperatore aut filio eius domino nostro glorioso rege, qui nunc summæ rerum præest, papatum aut ipse susciperes, aut alium, quantum in te esset, suscipere patereris absque assensu, & laudamento vel patris dum viueret, vel filij dum & ipse viueret. Atque huius sacramenti sunt hodie testes plerique episcopi, qui hæc tunc & oculis suis viderunt & auribus audierunt. Illud etiam recordare, quomodo tu ipse, cùm aliquos ex cardinalibus ambitio papatus titillaret, ad tollendam æmulationem & hac occasione vel conditione, vt idem hoc ipsi facerent, sacramento te obligasti, quòd nunquam Papatum habiturus esses. Vtraque hæc sacramenta quàm sanctè obseruaueris, tu videris. Præterea cùm tempore Nicolai Papæ Synodus celebraretur, in qua 125. episcopi consederant, sub anathemate id statutum atque decretum est, vt nullus vnquam papa fieret, nisi per electionem cardinalium, & approbationem populi, & per consensum autoritatemque regis. Atque huius consilij seu decreti tu ipse autor, persuasor, subscriptorque fuisti. Ad hæc quasi fœtore quodam grauissimi scandali totam Ecclesiam repleſti de conuentu & cohabitatione alienæ mulieris familiariori, quàm necesse est. In qua re verecundia nostra magis, quàm causa laborat. Quamuis hic generalis querela vbique personuerit, omnia iudicia, omnia decreta per fœminas in sede apostolica actitari, denique per hunc fœminarum nouum senatum totum orbem Ecclesiæ administrari. Nam de iniuriis & contumeliis episcoporum, quos fornicarios ac filios meretricum, & cætera id genus indignissimè appellas, nulla querimonia sufficit. Quia ergo & introitus tuus tantis periuriis est viciatus, & Ecclesia Dei tam graui tempestate per abusionem tuarum nouitatum periclitatur, & vitam conuersationemque tuam tam multiplici infamia dehonestasti, obedientiam, quam nullam promisimus, nec de cætero vllam seruaturos esse renunciamus: & quia nemo nostrûm, vt tu publicè declamabas, tibi hactenus fuit Christianus, tu quoque nulli nostrûm amplius eris Apostolicus. Hæc Stumpfius in Chronico.

Appendix de Hildebrando, seu Gregorio VII. ex Fasciculo rerum sciendarum Coloniæ 1553. impresso, descripta.

Qua occasione Hildebrandus ab Imperatore abiectus, & Guibertus in locum eius surrogatus sit.

Caput I.

CVm sub Imperatore Henrico, qui inter Reges quartus, inter Imperatores tertius huius nominis inuenitur, imperium grauissimè scissum fuisset, parteque maxima optimatum Principi suo rebellante, tota penè regni latitudo ferro flammaque fœdaretur: Gregorius septimus, qui tunc vrbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem tanquam à suis destitutum, anathematis gladio feriendum decreuit.

Cuius rei nouitatem eò vehementius indignatione motum suscepit Imperium, quòd nunquam ante hæc tempora huiusmodi sententiam in principem Romanorum promulgatam cognouerat. Ea propter pluribus ex Italia, Gallia, Germania, apud Boiariæ ciuitatem Brixinoram in ipso Pirenæo, haud procul à valle Tridentina sitam, coadunatis Episcopis, Princeps curiam magnam celebrauit, vbi omnibus aduenientibus iniurias sibi à Romana Ecclesia irrogatas affectuose conqueritur: quòd videlicet ipso inconsulto, qui tanquam Rex & patricius primus in electione suæ vrbis Episcopi esse deberet, Romani sibi Pontificem præfecissent, cùm à patre suo Imperatore plures ibidem quasi sine electione inthronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eò facilius contra Romanam Ecclesiam inclinari poterant, quò & laici secularis honoris consideratione accensi, & Episcopi consilio Clericorum suorum, quibus recenter connubia ab eodem Pontifice inhibita fuerant, inflammati, Voluntati Principis accedebant. His igitur acclamantibus, præfata electio ab eis cassanda iudicatur, Guibertusque Rauennatensium Archiepiscopus, Clemens vocatus, assensu Principis vrbis Episcopus creatur, Gregoriusque septimus, ab ipsis pseudomonachus vel necromanticus appellatus, exsufflatur. Vnde communi consilio prænominato Pontifici scriptum conuitiis & detractionibus plenum dirigere præsumserunt, inter cætera dicentes: Sicut hactenus solebas dicere, quod nullus nostrûm esset Episcopus: ita scias, quòd nulli nostrûm deinceps eris Apostolicus.

Literæ quibus vocati sunt Hildebrandini ad audientiam.

ADalbertus Episcopus sanctæ Rufinæ Syluæ candidæ, Ioannes Episcopus Hostiensis, Hugo Episcopus Prænestinus, Albert. Episcopus Nephesin. Benno Cardinalis presbyter vrbis Romæ, Ro-

manus

manus presbyter vrbis Romæ, Guido Cardinalis presbyter vrbis Romæ, Octauianus Cardinalis presbyter designatus, Paulus Primicerius Romanæ Ecclesiæ, Nicolaus electus Abbas sancti Syluestri vrbis Romæ, N. Abbas sancti Pancratij vrbis Romæ, & clerus, & clarissimi Principes laici, Theobaldus Chinebij, & Vdalricus de sancto Eustachio, & populus Romanus, omnibus Deum timentibus, & salutem Romanæ Reipublicæ diligentibus.

Nolumus ignorare prudentiam vestram, quòd ad destruendas hæreses nouiter ab Hildebrando inuentas, & antiquas sub nomine pietatis impiè ab ipso renouatas, & ad defensionem fidei catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum, qui nouiter ipsam fidem catholicam (quantum in ipsis erat) scindere non timuerunt, Deo authore, Nonis apud Sanctum Blasium conuenimus, octauo Idus apud Sanctum Celsum, septimo Idus apud Sanctam Mariam in Ecclesia, quæ vocatur Rotunda communiter, consedimus, ipsas pestilentes hæreses damnatas sicut maiores nostri, ita & nos damnamus, adeòque vnà omnes sectatores, communicatores, complices semel damnatæ prauitatis pari sortecensemus, ne si vel paululum taceamus, cōsentire videamur. Eos verò, qui authoribus errorum communicant, data securitate liberè veniendi vocamus, & vt per maiores suos, D. Raynerium & Ioannem Burgundionem causam suam agant, admonemus : securitatem integram, in quantum possumus, vsq; ad festum omnium Sanctorum proponimus, etiam cùm in causa sua defecerint, neminem circumuenientes, nullius sanguinem sed omnium vitam & honorem sitientes, nec seditiones in populo commouentes. DE CAVSA enim sua diffidere videtur, quisquis author est seditionis. Pacem veram, dilectionem synceram proponimus omnibus, pacem & veritatem & vnitatem Ecclesiæ catholicæ amplectentibus, vt simus filij patris nostri, qui in cœlis est. Qui enim ex patre diabolo sunt, opera patris sui faciunt : conspirationibus, seditionibus, cuius filij sint, manifestè ostendunt. Nos verò illius discipuli esse desideramus, cuius doctrina etiam inimicis sanè est intelligenda. Orent pro nobis Ecclesiæ filij, vt crescat sermo Domini, &c. Datæ Romæ contra schismaticos, in sacro conuentu : Anno ab incarnatione Domini Iesu millesimo nonagesimo octauo, Indictione sexta, septimo Idus Augusti.

His literis vocati sunt. Declinauerunt autem audientiam schismatici per sedecim annos, per obsides potentes & clarissimos, & sacramenta sibi oblata inuitati, ne caperentur suis mendacijs, nec suis libellis conuincerentur, quibus authores eorum corrupuerunt terram hæresibus varijs, longè latèque disseminatis per Apostolos multiplicis erroris. Sacer enim conuentus, toties deprehensa versutia, in conspectu Ecclesiæ coram multitudine Romanorum ait : Eos qui sanctam Ecclesiam scindere non timuerunt, iterum vocamus ad synodum, quam (Deo authore) celebrare disposuimus circa Calendas Nouembris. In præsenti tamen, quia venire renuunt, testes inuocamus contra eos cœlum & terram, quòd nullum consensum adhibemus eorum peruersitati : & in testimonium illius, in medio Ecclesiæ, in conspectu Angelorum & hominum, incendio tradimus decreta eorum hæretica, quibus orbem terræ peruerterunt, verbum Dei adulterantes sub ementito colore pietatis, quærentes plus se quàm fidem catholicam amari. Qui per sedecim annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris erroris assueti, falsis expositionibus intorquentes Scripturas, in adiumentum nefandissimi sui schismatis. Hildebrandus in extremis suis vocauit ad se vnum de Cardinalibus duodecim, quem multùm diligebat præ cæteris : & confessus est omnipotenti Deo, & toti Ecclesiæ, se valdè peccasse in pastorali cura, quæ erat ei ad regendum commissa. Atque hunc confessorem suum misit ad Imperatorem, & totam Ecclesiam, vt optarent illi veniam. Hanc culpæ confessionem etiam Sigebertus testatur.

Hactenus appendix : cui visum est addere ex Abbate Vrspergensi, decretum celebris Synodi Prælatorum & politicorum procerum, Brixiæ Noricæ contra Hildebrandum congregatæ. Hæc autem eius verba sunt : Quia (inquiunt) non à Deo electum illum constat, sed à seipso in fraude ac pecunia obiectum, qui Ecclesiasticum subuertit ordinem, qui Christiani imperij perturbauit regnum, qui Regi catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui perjurum defendit Regem, qui inter concordes disseminauit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter coniuges diuortia (distrahebat enim sacerdotum coniugia, teste Henrico Mutio) & quicquid quietè inter piè viuentes, stare videbatur, concussit : Nos, authore Deo congregati in vnum, legatis ac literis freti 19. Episcorum, die S. Pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procacissimè sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria ac homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstione ponentem, hæretici Berengarij antiquum discipulum, diuinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, Pythonico spiritu laborantem, & idcircò à fide vera exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum & expellendum : & nisi ab ipsa sede, his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum. Facta autem sunt hæc 7. Calendas Iulij, feria 5. indictione 3.

Hoc decretum ad Papam miserunt, & epistolam, teste Vrspergense, post multa crimina ipsi Papæ obiecta, sic concluserunt : Quia ergò & introitus tuus tantis perjurijs est

initiatus, & Ecclesia Dei tam graui tempestate per abusionem nouitatum tuarum periclitatur, & vitam per conuersationem tam multiplici infamia dehonestasti, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero vllam seruaturos esse renunciamus. Hactenus Vrspergensis.

Iam addemus pauca ex quadam epistola Friderici primi, vbi inter alia & hæc quoque ad Adrianum IIII. scribit: Cardinalibus vestris clausæ sunt Ecclesiæ, & non patent ciuitates nostræ: quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores. Epistolam eam concludens dicit: Superbiæ detestabilem bestiam vsque ad sedem Petri reptasse videmus.

Narrat Gebuilerus, nostri temporis & quidem Papisticus scriptor, fuisse tempore Heinrici quarti in Germania & Gallia circiter viginti quatuor Episcopos, qui vnà cum clero suarum diœcesium coniugati fuerint, coniugiumque sacerdotum constanter defenderint. Vnde apparet, coniugium sacerdotum tunc temporis nondum fuisse penitus abolitum: tametsi hoc ex Hersfeldensi alibi clariùs sit monstratum. Illyricus in Catalogo testium Veritatis.

Benno. 1076.

BEnno in vita & rebus gestis Hildebrandi (vt notet bene Lector, quod dictum hactenus) ait, illo tempore fuisse completum millenarium Apoc. 20. post quem Sathanas ruptis catenis, rursus in orbe furere cœperit.

Scriptores contra Hildebrandum.

COntra Hildebrandum Papam scripserunt Hugo Candidus Cardinalis Prænestinus, Vualdramus Episcopus Niemburgensis librum de vnitate Ecclesiæ contra Papam, Venericus Vercellensis Episcopus de discordia regni & sacerdotij librum edens, Rolandus Parmensis sacerdos, Sigebertus Gemblacensis, atque alij multi. Et Benno 13. Cardinales enumerat, qui illum acriter impugnabant. Imposturas autem huius Hildebrandi aduersus Cæsarem, Paulus Bernrietensis presbyter duobus libris, & Gerochus Reicherspergensis antistes vno, Bauarus vterq;, proditores defendebant.

De eodem Gregorio VII. Papa.

GRegorius VII. Hildebrandus de coniugio sacerdotum excutiendo Synodum Erfordiæ coëgit, quà est strictissimè decretum, vt clerici, nemine eorum contrà hiscente, aut ab vxoribus abstinerent, aut ad diuinum cultum faciendum nunquam animum adijcerent. De hoc verò Sacerdotes disputare cœperunt, atq; multis eam Papæ impietatem detestationibus perstringere, conati etiã precibus atq; fletu præsidem, qui Episcopus erat Moguntiacus à sententiâ dimouere. Sed cùm littus arare, nec quicquam proficere viderentur, excessêre synodo tanquã deliberaturi, ac communicatis consilijs in eam omnes rationem descenderunt, vt nunquam in Synodum redirent, neq; illius sententiam expectarent. Interea verò aliud quibusdam in mentem venit, qui existimârunt, fore omniũ consultissimum, si non multa morati, inuaderent Episcopum, eumq; priusquàm abominandam illam sententiam ferret, sublimem è solio deijcerent, atq; in areâ moribundum extenderent. Hac enim ratione sui facti præclarissimũ exemplum ad posteritatẽ se transmissuros esse, quo meritò omnes Episcopi percellerentur, neq; in posterum ita facilè tantam Ecclesiastico ordini turpitudinum inurere animum inducerent. Veruntamen cùm id præsidi significatum esset, quantoq; in discrimine versaretur ipse animaduerteret, eum mox rigorem exuit, & moderatione vsus est, dicendo, se primâ quaq; occasione literas ad Pontificem esse daturum, ac sententiam illam duriorem mitigaturum. Sed causa legis erat, ne Ecclesiarum opes collectæ, per sacerdotum matrimonia, & liberos rursus diffluerent. Igitur cùm pauci eam ferre vellent, temperamentum excogitauit Papa, concubinatum scilicet, quo iterum placauit, erexitque offensos, vtpote in quorum animos iam influxerat auaritia, & libido. Imp. Henr. 4.

Mathildis fautrix Paparum. 1076.

MAthildis Ducissa Lotharingiæ, & Comitissa Italiæ, tam familiaris fuit, tamq; amica Gregorio septimo Papæ, vt ipso autore diuortium à secundo suo marito Azone Estensi, tertio gradu affinitatis sibi coniuncto, fecerit. Sed quare Papa hic, vt in alijs matrimonijs sæpè fecit, dispensare non potuit, aut voluit, sed eos seperauit? Certè non pietatis hoc studio fecit, sed quia ipse inhiabat & corpori, & bonis eius, vt ait Hersueldensis Monachus, & alij. In huius ergò beneficij remunerationem illa ipsum tanquam de se benemeritum, & Ecclesiam Romanam omnibus bonis suis donauit, & testamento hæredem instituit: eaq; postmodùm bona appellata sunt, & adhuc obtinent nomen hodie: PATRIMONIVM SANCTI PETRI. Hanc amplissimam hæreditatem, quia Otho Imp. duplici vinculo ad se pertinere dixit: primò, quia Amita illius fuit, & hæredem nullum reliquit: Secundò: quia hæreditas illa iure feudi ad Imperium redijt: Pontifex eum excommunicauit, & totum mundum in eum commouit.

Antoninus scribit, quòd hæc mulier se vocârit filiam sancti Petri: & Nauclerus, Blondus aliíjque perhibent, quòd Papa Gregorius, quoties illius mentionem fecit, toties Gloriosam appellârit.

Si ergò eam inter sanctas non retulit Gregorius, iniuriam fecit. Quia & Flora (vt habent historiæ Romanæ) cùm olim Romanum populum hæredem reliquisset, illi gratitudinis ergò, Floralia festa quotannis in magnificam memoriam eius celebrârunt. Imp. vt sup.

De Episcoporum inuestiturâ per Imperatores faciendâ,

1076. *VValtbrami Episcopi Naumburgensis libellus.*

DOmino Pontifici summoperè cauendum est ex medullâ scripturarum, ne quando liget in terris, quæ Deus soluat in cœlis: & quando soluit in terris, Deus liget in cœlis.

Gregorius, Augustinus, & Ambrosius testantur, ea, quæ sunt data Ecclesijs à seculari potestate, & confirmata, potius à seculari potestate retinenda.

Non omnes, ait, sunt Petrus, qui tenent sedem Petri. Sic Scribæ & Pharisæi, qui sederunt super cathedram Moysis, non omnes fuerunt Moyses. Elatio enim ex prælatione, & indiscretio ex correctione, pariunt scandalum in confusionem: & fit manifestè illud, quod Dominus in Euangelio dicit: Vos Scribæ, & Pharisæi, circuitis mare, vt faciatis vnum proselytum: & cum inueneritis, facitis filium gehennæ duplo quàm vos.

Sicut primus Gregorius dicit: si voluissem, inquit, hodie gens Longobardorum nec Regem, nec Duces haberet: sed quia DOMINVM timui, in alicuius sanguinem me miscere nolui: Ita successores ipsius Gregorij cauere debent scandalum, ne contristent nouiter Reges in suis antiquis iuribus, per quorum antecessores caput, & membra exaltata, & confirmata sunt.

Si, inquit amplius, Pontifex Romanus exorbitauerit, & sub verbo summæ prælationis ad voluntatem suam egerit, non vult, vt reprehendatur: cùm Dominus Iesus se reprehendi concesserit, dicens: si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: isti autem, Summus, inquiunt, Pontifex à nemine iudicetur: & si ab illa summâ auctoritate sub specie religionis introducuntur personæ contra oculos Dei, ecce periculum & in capite, & in membris: id est, qui scienter operantur, & scienter cooperantur. Vnde Dominus Iesus hypocrisin, & auaritiam, & cupiditatem sacerdotum in Euangelijs super omnia arguit, vocans illos sepulchra dealbata: & peccatum mulieris adulteræ misericorditer suscipit: & tria genera Eunuchorum humanè definit: pro se, & pro Petro tributum soluit, Regibus iubet debita reddi. Petrus, Paulus, aliíjque in orbe terrarum sanctissimi concedunt in sententiam Domini Iesu, qui omnibus dixit: Beati pacifici, quoniam regnum Dei possidebunt.

Concludit Imperatoribus, & Regibus inuestituras relinquendas: vt ibi multis verbis scripta Lector videre potest, quæ breuitatis studio hîc omittuntur.

Ordo Grandimontensium.

1076.



HIc ordo cœpit anno Domini 1076, in quo omnes ferè conueniunt, Vincentius, Anton. Volateranus & alij. Author eius fuit Stephanus quidam Gal. Francus & alij. Monachos Benedictinæ Reli filius, Auerniâ oriundus. Monachos Benedictinæ Regulæ addixit. Ipse pane & aquâ contentus, loricam ferream super nudum corpus gestabat, vili supernè amictu opertam. Cubabat duriter in tabulis ligneis. Terræ subinde pronus, fronte & naso percutiendo inhærebat, quibus manibus ac genibus, fronteque callos contraxerat, & nasum in obliquum curuauerat. De Petro Stephani huius discipulo, quæ referantur, habes apud Vol. Anton. Vincent. Polyd. Petrum de Natal. Schedelium, Nangiacum & Francum. Imp. & Papa vt sup.

Monstrum.

1077. PVer pedibus caprinis, & vnum oculum in fronte habens, Byzantij est natus, circa annum Domini 1077 quo Asianorum complures, metu barbarorum Orientem deuastantium, Constantinopolin confugerunt: vbi post famem tanta secuta est pestis, tantusque hominum interitus, vt viui sepeliendis mortuis non sufficerent. Zonaras. F. Imperat. 94 Henrico 4. Papa 163 Gregorio 7.

Anno 1077.

Gerochus monachus Bauarus Antistes Reichersbachensis.

ETsi nemo acrius Hildebrandi acta tutatus est, quàm hic scriptor: tamen in Romanam curiam inuehitur hisce verbis: Romani, inquit, sibi diuinum vsurpant honorem: rationem actorum reddere nolunt: nec sibi dici, æquo animo ferunt, cur ita agis? Illud Satyricum inculcant: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Impudenter igitur Iesuitæ hodie negant, Pontifices Romanos diuinos honores appetere, cùm ipsi eorum patres, sympatriotæ, monachi & antistites ante quingentos annos publicis editis & approbatis scriptis hoc affirmârint: & ab eo tempore, multi alij, Aluares Pelagius, Ioannes de Capistrano, Andreas ab Exea, August. ab Ancona, Baldus I. C. Curtius, Felinus, Næuizanus, Corneus, Blondus, Cataldinus de bone Compaignie, Pisaurus, Marcus Mantua, & omnes illi, quotquot ad altiora fastigia, Canonicatus, Episcopatus & Cardinalatus adscendere cupierunt, statim quando Papam pro Deo colendum: sententiam Papæ Dei similem: Deo neminem quàm Papam parem: & Imperatorem scabellum pedum Paparum esse: libro vel scripto quopiam publicè testati, votorum compotes facti sunt. Scripsit etiam Gerochus de schismate sui temporis plura, quibus titulum fecit de Antichristo. Imp. Henrico 4. vt sup. Papa 163. Gregor. 7.

Lambertus Schafnaburgensis, monachus Hersfeldensis. 1078.

GVntherus tunc temporis anno 1056 Cancellarius Imperatoris visionem vidit memoriâ dignam. Dominum in solio Maiestatis suæ residere, & eleuato in altum brachio districtum gladium magno nisu vibrare, & circumstantibus dicere, Reddam vltionem hostibus meis: & his qui oderunt me, retribuam. Quam visionem protinus mortalitas subsecuta est principum regni. Eaque expleta vidit eodem rursus schemate Dominum residere, & remisso iam in vaginam gladio, & super genua sua reclinato, dicere circumstantibus: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Imp. Henrico 4. Papa Hildebrando. vt sup.



Idem. Superatus tandem Papa importunitate perurgentium, & grauitate sententiarum, si veraciter, inquit, Regem facti pœnitet, coronam & cætera regni insignia in argumentum veræ & ex animo actæ pœnitudinis, nostræ potestati dedat, & se post tam contumax admissum regio nomine & honore deinceps indignum profiteatur. Durum hoc nimis visum est legatis: cumque vehementer insisterêt, vt sententiam temperaret, nec calamum conquassatum iudicij austeritate penitus contereret, vix & ægrè tandem exoratus, annuit, vt cominus veniret, & si veram pro admissis pœnitudinem gereret, culpam quam sedi Apostolicæ contumeliam irrogando contraxerat, sedis Apostolicæ decretis nunc obediendo, expiaret. Venit ille vt iussum fuerat, & cùm castellum illud triplici muro septum esset, intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu, suo deposito cultu regio, nihil præferens regiū, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, ieiunus à manè vsque ad vesperam perstabat, Romani Pontificis sententiam præstolando. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conspectum eius admissus, post multas hinc inde dictas sententias, his postremò conditionibus excommunicatione absolutus est, vt die & loco quemcunq; Papa designasset, euocatis ad generale concilium Teuthonicis principibus præsto esset, & accusationibus quæ intenderentur, responderet, ipso Papâ, si ita expedire videretur, cognitore causarum assidente: & ad eius sententiam vel retineret regnum, si obiecta purgasset, vel æquo animo amitteret, si probatis criminibus regio deinceps honore indignus iuxta Ecclesiasticas leges decerneretur, nullam siue retento, siue amisso regno huius iniuriæ vindictam, à quopiam hominum in perpetuum exacturus?

Idem. Postera die cùm ad eligendum Fuldensem Abbatē Rex cum principibus assedisset, grandis erat inter Abbates & monachos, qui ex diuersis locis frequentes confluxerant, concertatio. Tanquam solenniter indicto agone singuli pro virili portione currentes, alius aureos montes, alius ingētia beneficia ex agro Fuldensi, alius solito impensiora in Rempublicam seruitia promittebant. Nec prorsus in promittendo modū, aut modestiam vllā seruabant. Et ô mores ô tempora: ô abominationem desolationis stantē in loco, vbi non debet, & mammonam nostris temporibus publicè sedentē

in templo Dei,& extollentem se supra omne quod dicitur Deus,aut quod colitur. Abbates & monachi ita ambitionis spiritu præcipites rapiebantur, vt eos à cupiditate sua non pudor nominis Christiani, non habitus arctioris propositi, non ipsum deniq; deterreret recens exemplum Babebergensis Episcopi, quem pridie viderant non aliam ob caussam & Episcopatu priuatum, & communione, quàm quòd ad sacrum ordinem illicita largitione aditum sibi affectasset. Horum impudentiam Rex vehementissimè (vt dignum erat) detestatus, cùm hinc inde importunè obtundentium precibus vrgeretur, repente diuino vt creditur spiritu actus, monachum quendam Herueldensem Ruzelinum nomine, qui pro causa Monasterij iussu Abbatis sui ad curtem venerat, in medium euocat, & nihil minus suspicanti, etiam ex inopinatæ rei miraculo penè exanimi, baculum pastoralem offerens, primus ipse Abbatem eligit, dein cæteros tam monachos quàm milites, vt in electionem eius consentiant, obnixè efflagitat. Ita cunctis qui aderant lætissima acclamatione suffragium ferentibus, Abbatiam suscipere iubetur.

Idem. Causabantur Romani principes, quòd rex eis inconsultis Romanæ Ecclesiæ Pontificem constituisset,& ob eam iniuriam defectionē meditari videbantur, propter quod placuit Coloniensem Archiepiscopum Romā mitti. Qui veniens eò, cùm aliud turbatis rebus inuenire non posset remediū, iudicauit ordinationē, quæ inscio senatu Romano facta fuisset irritam fore: & sic amoto Parmensi Episcopo, per electionem eorum Anselmū Lucensem Episcopum pro eo ordinari constituit. Verùm vbi ipse peracta legatione regressus est in Galliam, Parmensis Episcopus armata multitudine nō modica Lucensem Episcopum sede Apostolica per vim deturbare aggressus est. Econtrà fautoribus illius ad arma impigrè concurrentibus, congressio facta est, multiq; hinc & inde vulneribus acceptis corruerunt. Sic deprauata ecclesiastici rigoris censura, homines non vt quondā, vt præessent Ecclesiæ Dei, iniecta manu trahebantur: sed ne non præessent, armata manu præliabantur: fundebantq; mutuò sanguinem non pro ouibus Christi, sed ne non dominarentur ouibus Christi. Anselmus tamen, qui & Alexander, & virtute militum & fauore principum sedem obtinuit. Alter verò, etsi per contumeliam repulsus, tamen quoad vixit, ab iure suo non cedebat huic semper derogans, hunc adulterum Ecclesiæ Dei, hunc Pseudoapostolum appellans: missas quoq; seorsim celebrans, ordinationes facere, & sua per Ecclesias decreta & epistolas more sedis Apostolicæ destinare non desistebat. Verùm nullus attendebat, criminantibus vniuersis, quòd in vltionem priuatæ contumeliæ sedem quanquam Apostolicam, homicidio maculâsset.

Idem. Rex Pentecosten Goslariæ celebrauit. Ibi dum ad vespertinalē synaxin Rex & Episcopi conuenissent, rursus de positione sellarum episcopaliū tumultus exoritur, nōn fortuita, vt prius conuersione, sed præmeditata diu machinatione. Nā Episcopus Hildenesheimensis acceptæ priùs contumeliæ memor Ecbertū Comitē cum expeditis militibus retrò altare occuluerat. Hi audito tumultuantiū camerariorū strepitu ocyus aduolant, Fuldensium alios pugnis, alios fustibus cædunt, prosternunt, & de sacrario Ecclesiæ inopinato periculo attonitos facilè proturbāt. Quibus illico ad arma cōclamantib⁹, Fuldenses quibus arma in promtu erant, facto grege Ecclesiā erumpunt, in medio chori psallentiumq; fratrum manus conserunt, rem non iam fustibus, sed gladijs gerunt. Pugna atrox committitur, atq; per totam Ecclesiā pro hymnis & canticis spiritualib. vociferatio adhortantiū, & vlulatus morientium exauditur. Super altaria Dei tristes iugulantur hostiæ, passimq; per Ecclesiā sanguinis currūt flumina, nō legali, vt quondā, religione, sed hostili crudelitate profusa. Episcop. Hildenesheimensis capto editiori loco, tanquam militari quodā classico, suos, vt fortiter præliarentur, hortabatur, & ne loci religione ab armis terrerentur, suæ authoritatis & promissionis titulū obtendebat. Multi vtrinq; vulnerati, multi occisi sunt, inter quos præcipui erant Regenbodo signifer Fuldensis, & Bero Ecberto comiti carissimus miles. Rex inter hæc vociferans, & sub obtentu Regiæ Maiest. populum adiurans, surdis fabulam narrare videbatur. Tandem monitus à suis, vt vitæ propriæ pugna excedens consuleret; vixq; inter constipatā arctiùs multitudinē eluctatus in palatium se recepit. Hildenesheimenses, qui instructi præmeditatiq; ad pugnam venerant, superiores efficiūtur. Fuldenses, vtpote quos inermes inopinatosq; subitò exortæ seditionis procella contraxerat, fusi, fugatiq; atq; de Ecclesia repulsi sunt. Fores illico obserantur. Fuldenses qui primo tumultu ad arma tollenda paulò longiùs discurrerant, frequentes, armatiq; adsunt, atriū Ecclesiæ occupant, aciem instruunt, vt de Ecclesia progressos statim adorinantur: sed nox concertationē diremit. Postero die seuerissimè habita quæstione, Ecbertus comes facilè crimen remouit, non tantū iuris & legum patrocinio, quantū fauore & indulgentia regis, cuius patruelis erat. Totum accusationis pondus in abbatē versum est. Hunc inquiunt omniū, quæ acciderant caput, fomitemq; fuisse, hunc ad disturbandam quietē regiæ curtis præmeditato furore venisse, argumento rei esse, quòd tanta bellici apparatus pompa instructus, nullo periculi metu vrgente, eò venisset. Tum verò vrgebat & ille Apostolicæ sanctitatis ac Mosaicæ mansuetudinis Episcopus, qui tanti sanguinis effusione manus suas Deo consecrauerat, & violatæ Ecclesiæ iniurias truculentius, atq; immitius, quàm rex suas, persequebatur: ac in quorū corpora prius ferro debacchatus fuerat, ad perimendas horum animas gladio spiritus modò fulminabat, præcidens tam defunctos, quàm eos qui cædi superfuerant, de corpore Ecclesiæ. Abbatē præter acerbitatē rei quæ acciderat, odiū quoq; grauabat nominis monachici, quod inueterata malitia homines seculi semper obfuscare atq; opprimere conabantur. Sic vndiq; impetitus, oppugnatus oppressus, post tot tantasq; contumelias, priuatus abscessisset, nisi quē nec lex, nec innocentia tueri poterant, pecunia tutata fuisset. Nam distractis ac dilapidatis rebus Fuldensis monasterij, se suosq; carissimo mercimonio redemit. Quantum regi, quantum auricularijs, quantum Episcopo datum sit, haud satis certò comperimus: cautum enim fuerat, ne passim vulgaretur. Hoc haud dubio constat, admodum ea tempestate exhaustas atq; attritas esse illius monasterij opes, quæ vsque ad id temporis florentissimæ erant.

Anno

Idem. Iamque in eo res vertebatur, vt Thuringi improbata synodo sedem Apostolicam appellarent. Sed Rex sub attestatione nominis diuini affirmabat, se in eum, si quis id præsumsisset, capitali sententia animaduersurum, & omnia quæ eius essent, vsque ad internecionem dissipaturum: cladémque eius diei multis postea seculis non abolendam.

Idem. Rex sciens haud benè placitura Romano Pontifici quæ gesta fuerant, sub interminatione gratiæ suæ vtrique abbati præcepit, vt neque per seipsos, neque per nuncium, neque alio quouis modo pro insimulanda synodo, Apostolicam sedem interpellarent.

Idem. Reginherus Misnensis Episcopus obiit, cui Craft præpositus Goslariensis successit. Sed is dum suscepto Episcopatu Goslariam venisset, post refectionem in cubiculum, vbi thesauros suos, quorum nimis amator erat, nullo conscio infoderat, quasi paululum requiescere volens sese inclusit. Cumque iam die vergente in vesperam præter modum consuetudinemq; suam somno indulgere videretur, rem insolitam mirantes cubicularij pulsare ostium cœperunt: sed nec pulsantibus nec vociferantibus vllum dabatur responsum. Tandè effractis foribus irrumpentes inuenerunt eum fractis ceruicibus, colore tetro exanimem, ipsis thesauris suis miserabilem in modum incubantem.

Idem. Fridericus frater Gotefridi, Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, Constantinopolim Apostolicæ sedis functus legatione abierat. In dicta Synodo cùm Imperatorem Constantinopolitanum, & Patriarcham euocâsset, & illi primatus sui maiestatem vindicantes, dicto obtemperare dedignarentur, egressus vrbem, sandalia sua more Apostolorum publicè super eos excussit. Quo facto, tantum terrorem omnibus Constantinopolitanis incusit, vt Imperator & Patriarcha cum clero & populo sequenti die sacco, & cinere obuoluti ad eum procederent, & Apostolicam auctoritatem in eo proni in terram adorarent.

Idem. Romæ Diaconus quidam venenum inter Sacra calici miscuerat: quem cùm Gotfrido Lotharingorum duci porrigere vellet, manum admouere non potuit. Adstantes stupefacti, causam diuinitus per preces poscunt. Mox arreptum diabolus diaconum grauiter exagitauit: sed liberatus est eorundem precibus. F. anno 1054.

Idem Stephanus 9. Papa, qui & Fridericus, cùm in ciuitate Florentiâ moraretur, 4 Cal. Aprilis naturæ mortali debitum soluit, & verè (vt speramus) de hac conualle lachrymarum ad gaudium transijt Angelorum. Indicio sunt signa & prodigia, quibus sepulchrum eius in eadem ciuitate vsque hodie diuinitus illustratur. Sedem Apostolicam protinus inconsulto rege, & principibus, inuasit Benedictus quidam Lateranensis, adiutus factione populariũ, quos pecuniâ corruperat. F. a. D. 1058

Idem. Hoc anno Coloniensis Archiepiscopus expulsis de Salefelt Canonicis vitam illic instituit monasticam, missis eò de Sigeberg, & de S. Pantaleone monachis. Quo in tempore, & ego illuc veni, conferre cum eis de ordine & disciplina monasterialis vitæ volens, eò, quòd magna quædam, & præclara de illis vulgi opinione iactarentur. Deniq; sicut vulgò assiduitate vilescunt omnia, & popularium animi nouarum rerum auidi magis semper stupent ad incognita, nos quos vsu nouerant, nihili æstimabant, & hos quia nouum inusitatumq; aliquid præferre videbantur, non homines sed angelos, non carnem sed spiritum arbitrabantur. Et hæc opinio tam Principum, quàm priuatorum mentibus altius pressiusq; insederat. A quibus ad populũ deriuatus rumor tantũ terroris plerisq; in hac regione monasterijs iniecit, vt ad ingressum eorum aliàs XXX. aliàs XL aliàs L. monachi austerioris vitæ metu scandalizati de monasterijs abscederent, satiusq; ducerent de salute animæ in seculo periclitari, quàm supra virium suarũ mensuram vim facere regno cœlorum. Et reuera nõ immeritò Dominus super nostrates monachos despectionem effundere videbatur. Nam quorundam pseudo monachorum priuata ignominia nomen monachorũ vehementer infamauerat, qui omisso studio diuinarum rerum totam operam pecunijs, & quæstibus insumebant. Hi pro Abbatijs, & Episcopatibus aures principum importunè obtundebant, & ad honores ecclesiasticos non viâ virtutũ, vt maiores nostri consueuerant, sed per ambitionis præruptum, & malè partarum pecuniarum profusionẽ grassabantur. Deniq; in coëmtionem exigui honoris aureos montes quotidie promittebant, sæcularesque emtores largitionis suæ immoderantia excludebant, nec venditor tantum audebat exposcere, quantum emtor paratus erat exsoluere. Mirabatur mundus vnde tantus pecuniarum scateret fluuius, vnde Crœsi & Tantali opes in priuatos homines congestæ fuissent, & eos potissimùm homines, qui crucis scandalum & paupertatis titulum præferrent, & præter simplicem victum, & vestitum, nihil rei familiaris habere se mentirentur. Ista Dominici agri zizania, hæc vineæ Dei arida sarmenta & stipula æternis ignibus præparata totum sacri gregis corpus quasi tabe quadam infecerant, & secundum Apostolum, modicum fermentũ totam corruperat massam, ita vt omnes similes æstimaremur, nec esse in nobis putaretur, qui faceret bonum, non vsq; ad vnum. Propter hoc Principes regni ad instituendam in Gallijs diuini seruitij scholam TransAlpinos monachos euocabant. Nostrates autem quicunq; in illorum instituta vltrò concedere noluissent, de monasterijs cum ignominia eijciebant. Ego tamen (vt prædixi) ad eos veniens, & per XIV. hebdomadas apud eos partim in Salefeld, partim in Sigeberg commoratus animaduerti, nostras quàm illorum consuetudines regulæ S. Benedicti melius congruere, si tam tenaces propositi, tamq; rigidi paternarum nostrarum traditionum æmulatores vellemus existere.

Idem. In Meginvvardi Abbatis Augiensis locum non per electionis ostiũ, sed per Simoniacæ hæreseos cuniculũ protinus irrupit Robertus Abbas Babenbergensis, cognomento nummularius, annumeratis in ærarium Regis mille pondo argenti purissimi. Hic sordidissimis quæstibus, & vsuris, quas etiam priuatus adhuc in monasterio exercuerat, infinitam sibi pecuniam conflauerat, & propter ea mortes Episcoporum, & Abbatum anxiâ exspectatione iam dudum suspirauerat, Cumq; eos diutius

 viuen-

viuendo vota suâ & effrenatæ ambitionis impetum, quò præceps rapiebatur, remorari grauiter, & impatientissimè ferret, eò vesaniæ euasit, vt præter occulta munera, quibus auriculariorum fauor redimendus erat, Regi centum auri pondo promitteret, vt eiecto eximiæ sanctitatis viro Abbate VViderado, sibi Abbatia Fuldensis traderetur. Et profectò quod nefariè concupiuerat, flagitiosissimè obtinuisset, nisi pauci quibus leges Ecclesiasticæ chariores erant, in faciem Regi, ne id faceret, obstitissent. Is pseudomonachus, dicam expressiùs vi doloris impulsus, is angelus satanæ transfiguratus in angelum lucis, ita sanctam & Angelicam monachorum professionē infamauit, corrupit, vitiauit, vt monachi nostris temporibus atque in his regionibus non innocentiâ æstimentur, atq; integritate vitæ, sed quantitate pecuniæ, nec quæratur in Abbatibus eligendis quis dignius præesse, sed quis carius abbatiam possit emere. Ita proprio huius inuento, nouo, atq; infausto huius aucupio hæc in Ecclesiam introducta est consuetudo, vt Abbatiæ publicè venales prostituantur in palatio, nec quisquam tanti venales proponere queat, quin protinus emtorem inueniat, monachis inter se non de obseruantiâ regulæ zelo bono, sed de quæstibus, & vsuris zelo amaro contendentibus. Sed hæc vt dignè defleri possint pro magnitudine suâ, & proprio volumine, & prolixiore opus habent tragœdiâ.

Idem. Gregorius VII. petente Rodolpho, quem regem contra Henricum IV. designârat, Henricum quòd contrà ac pollicitus fuerat, insignia Imperij vsurpasset, rursus diris deuouit: proceres, populum, sacratos, profanos sacramento soluit: eos qui Cæsari fidem frangant, principi suo rebellent, Rudolpho adhæreant, ab inferis emancipat, cœloque locat: hisce incendia, cædes, & huiuscemodi scelera quæ bello designari solent, indulget: alijs omnibus qui Cæsari fidem seruent, ab eo deficere, armis se misceri recusent, diras inferiasque indicit. Regem malum, ob crimina à se deuotum, & proinde iam non regem, neque illi parendum esse docebat: quin obsequium præstare Deo, pietatisque esse, occidere eos, qui Henrico fidem seruarent, asseuerabat. Anno 1076.

Idem. Imperator Natalem Domini Polethæ celebrauit. Ibi legati aderant Romanorum, Suitgeri Papæ obitum nunciantes, eique successorem postulantes. Quibus Imperator Bopponem Prisingensem Episcopum assignauit.

Idem. Imperator Natalem Domini Frisingæ celebrauit. Ibi iterum Legati Romanorum Bopponis Papæ morte nunciatâ: rectorem Romanæ Ecclesiæ postulabant. Quibus Imperator Brunonem Tolosæ Episcopum dedit.

Idem. Alexander Papa, qui & Anshelmus decessit: cui Romani protinus inconsulto rege successorem elegerunt Hildebrandum. Statim rex à latere suo Eberhardum comitem misit, qui Romanos proceres conueniens, causam ab eis sciscitaretur, quare præter consuetudinem maiorum, rege inconsulto, Romanæ Ecclesiæ Pontificem ordinassent: ipsumque si non idoneè satisfaceret, illicitè acceptâ dignitate abdicare se præciperet. Is veniens Romam benignè à prædicto viro susceptus est. Cumq; illi mandata regis exposuisset, respondit, se Deo teste, honoris huius apicem nunquam per ambitionem affectasse, sed electum se à Romanis, & violenter sibi impositam fuisse ecclesiastici regiminis necessitatem, cogi tamen nullo modo potuisse, vt ordinari se permitteret, donec in electionem suam tam regem, quàm principes Teutonici regni consensisse certâ legatione cognosceret: hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, & sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem regis certus inde veniens nuncius intimaret. Hoc vbi regi est renunciatum, libenter suscepit satisfactionem, & lætissimo suffragio, vt ordinaretur, mandauit, quod & factum est anno sequente in Purificatione sanctæ Mariæ, anno Domini 1074.

Idem. Anno Christi 1075. Coloniensis Episcopus cuius insignis fuit erga Henricum IV. Imp. perfidia, vlcere fœtido in vtroq; pede exorto, & in crura, ac femora vsque serpente, vt ossa nudarentur, diu tortus expirauit.

Idem. Ignis de cœlo è Rheno ascendit, quo vicinæ villæ conflagrârunt, anno Dom. 995.

Idem. Gerhardus Papa, qui & Nicolaus obijt: in cuius locum per electionem Regis, & quorundam Principum, Parmensis Episcopus substitutus est, & Romam per Bucconem Halberstadensem Episcopum missus.

Idem. Lambertus non adstipulari videtur Romanis Pontificibus alioqui satis æquus, cùm inquit: Vbicunq; Machtildæ operâ Hildebrandus indiguisset, ocyus aderat, & tanquam patri vel domino sedulum exhibebat officium. Vnde nec euadere potuit incesti amoris suspicionem, passim iactantibus Regis fautoribus, & præcipuè clericis, quibus illicita & contra scita canonum contracta coniugia prohibebat, quòd die ac nocte impudenter Papa in eius volutaretur amplexibus & illa desurtiuis Papæ amoribus præoccupata, post amissum coniugē, vltrà secundas contrahere nuptias detrectaret.

Idem. Romani Pontifices satisfactionem ad Regem mittunt, se scilicet fidem, quam Patri dixissent, filio quoad possent seruaturos, eoq; animo, vacanti Romanæ Ecclesiæ, Pontificem vsque ad id tempus non subrogasse, eius magis super hoc expectare sententiam, orantque sedulò, vt quem ipse velit transmittat, nihil eius ordinationi obstare, si quis non per legitimæ Electionis Ostium, sed aliunde ascendisset in ouile ouium. Rex habitâ cum primoribus deliberatione Gerhardum Florentinum Episcopum, in quem & Romanorum & Teutonicorum studia consenserant, Pontificem designat, Romamque per Gotefridum Marchionem transmittit. Ita Benedicto qui iniussu Regis, & Principum sacerdotium vsurpauerat reprobato, Gerhardus, qui & Nicolaus, Pontificatum obtinuit.

Idem.

Anno

Idem. Rex Natalem Domini Frisingæ celebrauit. Episcopus Moguntinus, & Coloniensis, & Babenbergensis à domino Apostolico euocati, Romam venerunt. Ibi Episcopus Babenbergensis accusatus, quod per Simoniacam hæresim, datâ pecuniâ, Episcopatum inuasisset, multa, & pretiosa munera Papæ dedit, & per hæc efferatam aduersus se mentem eius ad tantam mansuetudinem reduxit, vt qui non sine periculo honoris, & gradus sui euasurus putabatur, non solùm impunitatem criminis, quod obiectum fuerat, consequeretur, sed etiam pallium, & alia quædam Archiepiscopatus insignia, à sede Apostolicâ pro benedictione perciperet. Ecce sic nôrunt Pontifices Simoniam corrigere triplicata Simoniâ. Anno 1070.

Idem. Verùm ne Rex manifestè tyrannidis notaretur, si contra innocentes, atq; in regnum proprium tam barbarâ crudelitate grassaretur, vt impietatem suam quadam religionis specie palliaret, Archiepiscopum Moguntinum modis omnibus instigauit, vt decimationes Turingiæ, sicut ante plures annos instituerat, exigeret, pollicens se ei in exigendo summâ ope affuturum, & dicto obtemperare nolentes regiâ maiestate coacturum, eâ tamen pactione, vt ipsarum decimationum partem sibi, quæ & regiæ magnificentiæ, & tanto labori suo digna foret, tribueret. Ita Episcopus vanissimâ spe animatus synodum indixit in Erphesfurd VI. Idus Martij. Statuto die aderat Rex, aderat Archiepiscopus, stipatus vterque magno grege Philosophorum immò sophistarum, quos ex diuersis locis summo studio conciuerant, vt Canones sibi non pro veritate, sed pro Episcopi voluntate interpretarentur, & causam eius quomodo veris non poterant, sophisticis allegationibus roborarent. Assidebant ergò cū Rege, & Archiepiscopo Moguntino Herimannus Babenbergensis Episcopus, Heccel Hildensheimensis Episco. Eppo Citicensis Episcopus, Benno Osenburgensis Episcopus: qui non ad discutiendam iuxta Ecclesiasticas leges causam fuerant euocati, sed vt id quod Rex volebat, arte dictionis, & sententiarum pondere, postremò quâ possent ratione, & consilio obtinerent, quamquam plerīq; eorum id, quod Rex moliebatur, vehementissimè improbarent, sed ne liberè quod sentiebant eloquerentur, & Regis terrore, & priuatâ Archiepiscopi amicitiâ inhibebantur.

Idem. Imperatrix nutriens adhuc filium suum regni negotia per se ipsam curabat, vtebaturque plurimùm consilio Henrici Augustensis Episcopi. Vnde nec suspicionem incesti amoris effugere potuit, passim famâ iactitante, quòd non sine turpi commercio in tantam coaluissent familiaritatem

Ordo Carthusiensium. 1080.



Hic ordo cœpit anno Domini 1080. iuxta Polyd. & Genebrardum: secundum Sigebertum autem, Vincentium, Antoninum, & Panuinium anno 1086. De huius Ordinis initio sic habeto. Quidam Parisijs Professorum, eruditione, moribus, & inculpata vita clarus, inter solennes exequias ex feretro se erigens exclamauit: Iusto Dei iudicio accusatus sum: Hoc secundo & tertio die iterum accidit. Id videns Bruno Coloniensis eiusdē scholæ Professor, perterritus hoc facto astantibus dixit: Videtis quis sit miser exitus nostræ vitæ: Non est locus salutis, nisi mundum relinquamus: & statim cum alijs in Gratianopolitanam diœcesin secedens, Galliæ Celticæ locum planè solitarium, & in rupibus situm cui nomen Carthusiæ fuit ab Hugone Episcopo impetrauit. Franciscus de Puteo ibidem Prior: & Petrus Blomouenne. Inter omnes Monachos rigidissimam habent Regulam. Veste vtuntur cilicinâ, summo pallio nigro, subter candidâ togâ, & operculo, siue tegmine capitis cucullo. Polyd. Per totam vitam caro illis interdicitur, etiam in grauissimo morbo: aut eijciuntur. Mulierum ad illos nullus omninò est accessus. Bella sanè (inquit Polydorus) prouisio, si affectiones animi possent claustris domari, & caro solitudine, & ocio compesci. Bernhardus reprehendit magnificas structuras cœnobiorum apud illos, in epist. ad fratres in Monte Dei. Sed & Francus vehementer in hunc, & alios ordines inuehitur: vt apud eum. Bonifacius Ferrarius de Valentia Carthusianus, qui vixit anno 1420. causas cur in Ordine hoc pauci Canonizati sint, & miracula nulla fiant, recenset: vt ibi. Antoninus narrat, cùm quidam monachus post mortem apud illos ex sepulchro multa ederet miracula, à Priore prohibitum fuisse. Vouerunt ab initio summam paupertatem. Hodie autem diuitijs cum summis principibus certare possunt. Hospin. Imp. 94 Henrico 4. Papa 163 Gregorio 7.

Matthias Miechouiensis lib. 2. cap. 20. 1086.

rerum Polonicarum.

Gregorius Papa septimus, perlata ad se crudeli nece D. Stanislai, dedit in mandatis ad Petrum Archiepiscopum Gnesnensem, & omnes Episcopos regni Poloniæ, vt interdictum generale

in tota prouincia obseruarent, & Ecclesias obseratas clauderent: regemque Boleslaum anathematizauit, coronam regno Poloniæ abstulit, ne de cætero quispiam principum in Polonia absq; speciali consensu sedis Apostolicæ coronaretur. Absoluit à Boleslai obedientia omnes principes, Barones, vasallos, feudatarios & subiectos: milites verò qui cum rege in nece beati Pontificis auxilio & consilio conspirârunt, cum tota eorum domo & nepotibus, ad beneficia Ecclesiastica habita & habenda, ad dignitates quoque & honores, vsque in quartam generationem, inhabilitauit. Imp. & Papa vt sup.

1080. *Venericus Vercellensis.*

EDidit librum de vnitate Ecclesiæ conseruandæ, & inter alia refert: Gregorium primum omnium se seruum seruorum scripsisse: & per hoc cunctis suis successoribus documentum suæ humilitatis relinquisse. Imp. 94 Henr. 4. Papa 163. Gregorio 7.

Idem scripsit etiam ad Papam de discordia Regni & sacerdotij.

Idem. Pipinus Maior domus, cùm Childericum Regem Galliæ Dominum suum regno deijcere tentaret, neminem sceleris huius authorem habere potuit, quàm Papam Romanum Gregorium, qui subditos iuramento absoluit, (sed quo iure?) & miserum Childericum rasum in monasterium detrusit. Misereminì ô Principes regni cœlestis populi Dei: vos, inquam, misereminì, immò indignamini, quòd Papa mortales in hanc sententiam adducat, vt id, quod non potest fieri, credant fieri posse.

1086. *Marianus Scotus monachus Fuldensis,*

in Chronico.

PEtrus (sicut in gestis Pontificum habetur) Clementem Episcopum consecrauit, eique cathedram & omnem Ecclesiam disponendam commisit dicens: Sicut mihi gubernanda tradita est à Domino IESV meo CHRISTO potestas ligandi soluendique, ita & ego tibi committo, vt ordinans dispensatores diuersarum causarum, tu minimè in curis seculi deditus reperiaris: sed solummodò ad orationem, & prædicationem vacare stude. Imp. Henrico 4, Papa Gregorio 7. vt sup.

Idem. Carolus caluus Romam perueniens datis Ioan. Papæ magnis muneribus, Imperator factus est.

Cuidam religioso in visione reuelata est mors Vrbani. Cui interroganti quis post eum futurus esset Pontifex, respondit is qui apparuit: Reinherus Abbas. Rursus illo interrogante: quàm diu viuere deberet: Respice (ait) ad suppedaneum lectuli tui. Cumque respexisset, vidit iacentem schedulam paruam ex vna parte pilosam, & ex alia puram, paucis literis taliter inscriptam: Terni, ter quaterni, ternique: qui simul iuncti, 18 fiunt. Rursus autem illo sciscitante. cur prædicta schedula partim pilosa & partim pura esset? respondit: Tempus Papatus eius partim placidum partim turbulentum erit. Quod verum fuit. F. anno 1099.

Idem. Antequàm mortuus esset Paulus 1. Papa, illicò Toco dux Nepesinæ ciuitatis, & Pasiuus, & Paschalis germanum suum Constantinum laicum, fecerunt Papam, & comminando inuitè Georgio Episcopo, compulerunt eum, orationem clericatus eidem Constantino tribui: sicque clericus factus est, & alia die secunda feria subdiaconus. & diaconus illucescente die eodem à prædicto Episcopo, & dominica die sequenti in basilica sancti Petri cum armata multitudine à Georgio Prænestino Episcopo, & Eustathio Albanense, & Ciconato Portuense, Episcopis tribus, Pontifex consecratus est, qui consecrauit Episcopos 8, Presbyteros 8, diaconos 4. & reliqua per annum & mensem 1. Paulus Papa obijt in æstate, & cessauit Episcopatus anno 1, mense 1, quo temporis spacio Constantinus laicus transgressor, Apostolicæ sedis inuasor extitit. Idem Constantinus, 6 feria, mense Iulio, depositus est, electusque Stephanus Papa, & quæsiuit petitos Episcopos à Pipino Imperatore, qui iudicarent Constantinum in synodo. Nuncij Papæ venerunt ad Carolum & Carolomannum, quia Pipinus interim obierat, & Constantinus Papa cæcatus est. Facto igitur concilio, in basilica Saluatoris Domini nostri Iesu Christi Romæ, iuxta Lateranum combusserunt omnes sacerdotes Constantinum in medio presbyterij ipsius Ecclesiæ, alapis eius ceruicem prius cædere facientes in Ecclesia: sicque combustus est. Clerus verò, & populus, & Papa clamabant Kyrie eleison, & statuerunt, vt omnes consecrationes eius irritæ essent.

Idem. Vigbertus Romanæ & Apostolicæ sedis inuasor, cùm mortuus esset, & nullum habuisset successorem suæ sectæ, ruit omnis populus ad Paschalem Papam, & sic annihilata est hæresis eius, quæ hactenus vigebat. Quidam autem de fautoribus eius rumorem sparserunt in populum, ad sepulchrum eius se vidisse diuina micuisse luminaria. Quapropter Paschalis zelo Dei inflammatus iussit, vt effoderetur, & in Tiberim iactaretur: quod & factum est.

Ex appendice in eundem. Anno 1096, multa cœlitus portenta contingebant: de quibus duo ponamus, vt de reliquis fidem certiorem habeamus. Species ignis in modum fulguris, ad longitudinem hastæ formata, sed lucidior clarissimo die, & in ipso solis fulgore discurrens, oculos intuentium terrore improuiso percutiebat, & tamen nemini nocebat. Super hæc quadam die, Sole ad oc-

casum ruente, & nubecula in aëre nulla apparente, ignei quasi globi diuersis aëris locis emicuerunt, rursusque alijs in firmamenti partibus se condiderunt. Hoc quidam non ignem sed Angelicas fuisse opinabantur Potestates, commotionem gentium quæ secuta est, præfigurantes. Dum ergo ista præ oculis adhuc haberentur, ecce quidam inclusus cui nomen erat Petrus, in finibus Hispaniæ constitutus, claustris egressus totum commouit orbem, quandam circumferens chartulam, quam asserebat de cœlo lapsam: in qua continebatur, vniuersam Christianitatem armis instructam de cunctis mundi partibus ire debere Hierosolymam, eamque paganis inde pulsis perpetuò possidere cum finibus suis. Hoc autem Euangelico confirmabat testimonio: Et Hierusalem, inquit Dominus calcabitur à gentibus donec impleantur tempora gentium. Vnde prouocati, non solùm rustici, sed etiam reges, duces, cæteræque mundi potestates, Episcopi, monachi, reliqui quoque Ecclesiæ ordines ad hoc iter mouebantur. Postremò consentientibus dictis eius cunctis, regna rectoribus, vrbes pastoribus, vici vastantur habitatoribus: & non tantùm viri & pueri, sed etiam mulieres quàm plurimæ hoc iter sunt aggressæ. Mirabilis enim spiritus illius temporis homines impulit ad hoc iter aggrediendum. Nam fœminæ in hanc expeditionem exeuntes, virili vtebantur habitu & armatæ incedebant. Congregatis ergo in vnum omnibus qui ad hoc iter aggrediendū se signauerant, consilium inierunt, vt Iudæos vbicunque constitutos sponte seu coactos ad Christianitatem traherent, ne alicubi Iudaici nominis memoria remaneret, sed passim omnes interficerentur, quicunque Christianitatis nomen cum fidei signaculo non amplecterentur. Vnde factum est, vt quidam ex eis, quamuis inuiti, ad baptisma confugerint, ne rerum suarum substantiam simul & vitam amitterent. Plures eorum occidebantur, quorum substantiæ à Christianis diripiebantur. Huius itaque doloris immanitate compulsi Iudæi in seipsos irruerunt, & cultris se inuicem vulneratos interemerunt. Viri vxoribus & cognatis non pepercerunt, matres filios cum filiabus occiderunt. Hierosolymitæ autem itinere suo per gentes vsque ad vrbem Pannoniorum quæ vocatur Merseburg, attingentes, magna ex parte interfecti sunt. Et meritò, quia enim viri cum mulieribus (vt suprà dictum est) incedebant, immunditiæ fornicationum & abominationum factæ sunt inter eos: Idcirco iram Dei promeruerunt.

Ibidem. Anno 1155. Fridericus Romæ ab Adriano Papa Imperator factus est. Bellum fuit inter Arnoldum Archiepiscopum & Hermannum Palatinum Comitem. Dominus Cono, quartus abbas in monte sancti Dysibodi, obijt 6 nonis Iulij: cui dominus Helingerus 5 successit, 16 Calend. Augusti, Imperator de Roma reuertitur. Rex Natiuitatem Domini Vormaciæ celebrauit, vbi Hermannus Palatinus Comes, & Emicho Comes de Linengen & Gotfridus de Spanheim, & Henricus de Katzenelenbogen, & Conradus Comes de Kirberg, Henricus Comes de Didissen, & alij ex parte prædicti Hermanni canes portauerunt: & sic dominus Arnoldus Episcopus ab excommunicatione eos absoluit. Ex parte verò Episcopi canes portare quidem cœperunt Ludouicus comes de Lohim, & Guilielmus comes de Glisberg, & alij: sed ob reuerentiam archiepiscopi cessare ab Imperatore iussi sunt.

Ominosum. Anno 1087.

ANno 1087 etiam pisces in aquis inter se dimicârunt & quasi belligerati sunt, ita vt multi fuerint enecati. Sigebert. Plat. & Franck: qui dicunt, fuisse signum præsagiens tumultum, & intestinas Imperij discordias, & immanes digladiationes. Imperat. 94. Henrico 4. Papa 165. Victore 3.

Guilhelmus Rufus Rex Anglorum.

GVilhelmus Anglorum rex Roberti sexti Neustricorum ducis ex concubina filius, in vltima epistola Pontificem officij sui commonefecit, & vt à simonia, fastu, atque importabilium impositionum tyrannide cessaret. Imperat. 94 Henrico 4. Papa 166. Vrbano 2.

Giselbertus Monachus. 1090.

HVius de altercatione Synagogæ & Ecclesiæ extat liber, in quo de Antichristi temporibus vnum atque alterum extat vaticinium. Septem, inquit, anni inopiæ venient Antichristi temporibus, quando verbi diuini cara erit annona: quia faciem Antichristi antecedet egestas: cap. 7. Item multi in fine mundi Christum solâ professione sequentur, sed opere Antichristum. Imp. 94. Henrico 4. Papa 166. Vrbano 2.

Idem. Quòd in vesperâ horror Abraham inuasit, portendit hoc, quòd in fine mundi persecutio horrenda Ecclesiam defatigabit.

Iuo Carnotensis Episcopus.

1090.



ILla (ait) quoq; edicti pars, quâ magnus Imperator prædicat, se frænum equi S. Syluestri Papæ Romani tenuisse, equumq; duxisse (in quo noscitur pedum deosculatio) probatur vera esse: quòd successores Imperatores, nõ multo pòst tempore similia fecerunt. Nam ingrediente Pontifice Romano Constantinopolim, Iustinianus cum regno in capite sese prostrauit, & pedes osculatus est Pontificis. Item: cùm Stephanus Pontifex proficisceretur ad Francorum regem Pipinum, audiens idem rex eiusdem aduentum, nimis festinanter in eius aduenit occursum, vnâ cum coniuge, & filijs & primatibus, & ferè ad centum milliaria filium suum Carolum ei misit, cum aliquibus optimatibus. Ipse quoque in Palatio, quod dicitur Ponticone, ferè ad trium milliarium spacium descendens de equo suo, cum magnâ humilitate, terræ prostratus, vnâ cum coniuge, & filijs, & optimatibus eundem suscepit Pontificem: cui & vice stratoris vsque in aliquantulum locum iuxta eius sellam properauit, & cum gloriâ ad palatium duxit. Hæc quoque apud Anastasium Bibliothecarium & alios reperiuntur. Imperat. vt sup. Papa 166. Vrbano 2.

Hildeberti Episcopi Cenomanensis rhythmicæ veteres Cantilenæ.

1090.

RHythmicæ quædam cantilenæ extant, quantum ex genere musices eis adiunctæ, alijsque quibusdam circumstantijs conijcere licet, vt minimum ante 300. annos compositæ ab hoc autore, qui & similia plura composuit, nec admodum Romanensibus Curtisanis fauit.

Inter eas admodum piè & magna spiritus alacritate, Christi beneficium celebrant: & gratuitam iustitiam, quæ sine omni nostro merito contingat, prædicant quædam.

Multæ etiam reprehendunt Papam, & eius abusus. Vna inter cæteras conqueritur, principem Babylonis in templum venisse Salomonis, ibique sibi altam sedem instruxisse.

Orat etiam Deum, vt eum inde pellat. Quæ verba aliter intelligi non possunt, quàm quòd Papa Antichristus irruerit in templum Christi, ibique sedeat ac regnet, vt scriptura prædixit. Alia queritur, prælatos factos hæredes Luciferi, eosque Ecclesiam opprimere. Alia queritur, monastica hypocrisi meritum Christi obscurari. Alia lamentatur, Ecclesiam factam esse speluncam vespillonum: id est, reprehendit vigilias & Missas pro mortuis, ad quas totum ministerium Ecclesiæ translatum sit, ita vt sacrificuli obliti prorsus mandati Christi, Ite & prædicate Euangelium, nihil aliud propemodum quàm vespillones sint. Queruntur & de persecutione à clero excitatâ. Atque ita aliæ alios errores, & scelera spiritualium Papæ reprehendunt, & Deum orant, vt Ecclesiam repurgare velit.

Potest autem fieri, vt & à pluribus authoribus compositæ sint illæ cantilenæ. Aliæ enim sunt monodia, aliæ bicinia, aliæ tricinia, aliæ Latinæ, aliæ Gallicæ. Adhæc in vtroque exemplari sunt multa, quæ in altero non reperiuntur: vt appareat, aliquos sibi pios diuersorum authorum cantilenas collegisse, quas potuerunt nancisci.

Vnde cognosci potest, iam olim multos pios fremuisse contra Antichristum & eius abominationes in templo Dei collocatas: gemuisseque ad Dominum pro Ecclesiæ liberatione, & repurgatione: ac ex animo cupiuisse videre diem renouationis Euangelij, quem nos ingratissimi magno cum tædio spectamus & fastidimus.

Similis his Rhythmica cantilena extat & in Vrspergense Abbate, & in narratione rerum à Philippo Barbarossæ filio gestarum, in qua is (nam ab eo composita videtur) curiam Romanam tanquam fontem omnium malorum insectatur: vixit autem is Abbas ante annos 300.

Extant quoque in Præmonstratensium, vt dicitur, breuiario in omnium sanctorum officio, ista rhythmica carmina, contra sanctorum inuocationem, meritum & intercessionem:

Adiu-

 Anno

Adiuuent nos eorum merita,
Quos propria impediunt scelera!
Excuset eorum intercessio,
Quos propria accusat actio!
At tu qui eis tribuisti
Cælestis palmam triumphi,
Nobis veniam non deneges peccati.

Quæ carmina olim, fortassis ante annos 400 (nam tam diu, & ampliùs Præmonstratensium ordo durauit) ab aliquo pio composita, manifestè damnant inuocationem & mediationem Sanctorum: & ad solum Deum omnis boni fontem, eiusque filij meritum nos reuocant. Illyric. Imp. & Papa vt sup.

Idem suum de Papa eiusque curia iudicium hoc disticho expresit:

Vrbs felix, si vel dominis vrbs illa careret:
Vel Dominis esset turpe carere fide.

Testatur id Vincentius in suo speculo historiali: Suspicor eum esse authorem rhythmicorum versuum: (de quibus modò) scripsit enim ipse tales rhythmicos, & tamen benè latinos versus. Valdè multa autem est istis duobus versibus complexus. Primùm indicare voluit, Papam cum suis esse egregios & sceleratos tyrannos, vtpote quorum dominatio redderet vrbem Romam infelicem. Deinde affirmauit, eos non tantùm perfidos, impios, vanissimosque nebulones esse: sed etiam ita perfrictæ frontis, vt sibi non turpe esse carere fide ac pietate putent. Multas tribulationes bonus ille Episcopus Romæ, quin & vincula ac carceres (teste Supplemento historiarum) pro Christo & eius Ecclesia passus est. Quæ porrò fuerit causa, qualéue negocium non scribit. Illyr.

Portenta. 1091.

IN Alemannia ad Aquàm duplicem (Zwyfalten) prope Danubium sanguis de panibus effluere videbatur. Quæ singula aliquid noui in regno portendere, à quàm pluribus etiam religiosis credebatur. Bertoldus Const. vt sup.

Portentum. 1093.



ANno 1093. Draco ingens in cœlo conspectus fuit, qui nobis vocatur Heerbrand: & plerumque imminentia bella prænunciat. Dodechinus. Imp. vt sup. Papa 166. Vrbano 2.

Prodigium. 109

IN comitatu Namucensi panem subcinericium quasi sanguine infectum vidimus, scribit Sigebertus. Imp. & Papa vt sup.

Ordo



Ordo S. Antonij de Vienna.

HIc Ordo à Gasthone & Girondo, nobilibus Viennensibus, sub Regula Augustini instituitur, circa annum Christi 1095. Panuinius.

1095. ## *De Albersbacensi monasterio.*



HAbet Ecclesia monasterij huius picturam non admodum dissimilem Argentinensi, superio-
ribus annis excusæ: qua procul dubio, Abbatum & Monachorum ignauia, & inscitia S. Scri-
pturæ, ac rapacitas & Tyrannis, contra pios, doctos & innocentes viros, est rectè reprehensa. Est enim
Vrsus ad Citharam: cui superscriptum. VAGVS IN LVDO. Deinde Lupus stola sacra indutus:
cui superscriptum, FERVS IN RAPINA. Postea candelabrum cum cereo: cui superscriptum,
PECCASTI QVIESCE. Adstat & agnus, cũ cruce in dextero humero: quam capite sinistror-
sum reflexo aspicit. Deinde procumbens quidam humi supplex manus complicatas tendens, cubitis
innititur ante pedes sedentis in sella Abbatis, & dextra pedum pastorale, sinistra librum clausum te-
nentis. A tergo procumbentis quiddam, quasi arborem repræsentans vtrinque ramos & frondes, in
summo apicem habens. Supra agnum, & procumbentem scripta sunt verba, AGNVS INNO-
CENS. Hoc monasterium conditum dicunt circa annum 1095. Imp. & Papa vt sup.

In huius mysticæ figuræ & historiæ carmen Simonis Studion.

Est sacer Hercyniâ locus abditus vndique sylua:
Cui dedit Alpinæ nomina riuus aquæ.
Hic vbi sacrato consurgit fornice templum:
Olim Sulziacæ nobile stirpis opus.
In quo pontificis Romani sacra notantem
Hanc lapis effigiem conspiciendus habet.

Monasterium Alpersbachense à comitibus de Sultz, Alberto comite à Leuuestein, & Baronibus ab Hausen fundatum.

AGNVS INNOCENS ET PECCATA mundi tollens.

Stat sacer, & nullis maculatus sordibus Agnus,
Fert humero vastam mole, grauemq; Crucem.
Oppressumq; malis Hominem, terraq; iacentem
Ad se saluifico suauiter ore vocat.
AGNVS hic est Christus, qui sub cruce crimina Mundi
Tollens, pro nobis victima factus erat.
Nam cùm sontis Adæ vitio DEVS arbiter æui
Cerneret humanum sponte perire genus:
Imaq; continuis impleri tartara prædis:
Destituiq; suos cælite gente thronos:
Indoluit, iustasq; sui tum pectoris iras
Pressit, & hoc aditum fecit ad astra modo.
Scilicet in miseras demisit ab æthere terras,
Quem genuit NATVM temporis ante dies.
Vt quod erat nobis soluendum Ditis in orco,
Ablueret proprio sanguine triste scelus.
Morteq; deuicta stygias ingressus ad vmbras
Destrueret forti victor auerna manu.
Indeq; lætisono subuectus ad æthera plausu
Terrigenis illic regna colenda daret.
Scilicet his saltem, quos non sua turgida virtus
Tollit: at in Christum vera, tenaxq; Fides.
Hoc est, quod vasti MAGNVS PATER incola cæli
Sic homines superæ sedis ab arce monet.
FILIVS hic meus est, requies mea, sola voluptas:
Quisquis es hunc audi: si qua iubebit, age.
Hinc illæ voces, quibus omnes conuocat Agnus:
Hinc ea, quæ CHRISTVS suauia verba sonat.
Huc tutum populi terrarum regna colentes
Ad me vos omnes accelerate gradum:
Huc quos vis scelerum vexat, durumq; laborum
Sub crucis omnimodæ molibus vrget onus.
Huc ad me me vos: Ego vos hoc fasce leuabo.
Nec grauis est huius sarcina nostra iugi.
Me penes est vnum, solumq; REDEMTIO mundi,
Gratia, pax, requies, gloria, vita, Salus.
Illa ego sum VIA, quâ petitur domus aurea cæli. Ioan. 14.
Extra me nullis itur ad astra viis.
Hac CRVCE, quam fidis humeris gero, crimina mundi Ioan. 1.
Tollo: Meo nil hæc sanguine Iota nocent.
Qui sitiunt huc huc properent, vinumq; salutis, Esaiæ 55.
Et prece, non precio lac pietatis emant.
Quisquis ad æthereum, non ME duce nititur Aulam, Ioan. 10.
Furis habet mores, more Latronis agit.

Christus AGNVS Dei, qui tollit peccata mũdi.

Christus, Dei filius cælitus missus in hunc mũdum. Mat. 3 & 17. Marci 1. Lucæ 3.

ANTICHRISTVS SVB IMAGINE
Abbatis in cathedra ſedens.

Antichriſtus homines à Chriſto vnico ſaluatore auocat, vt ſibi regnum paret.

IN ſolio contrà ſedet Antichriſtus: & auro
Irradiat: gemmis fulget: honore tumet.
A ſigno ſanctæ crucis horret: propria Regum
Terrificâ geſtat ſceptra cruenta manu.
Sceptra, quibus terris, & ſanctis imperat Aſtris.
Et mundi fines in ſua iura trahit.
Sceptra quibus mortale genus diſpellit ab AGNO
Extenditq́; ſuæ Relligionis opes,
Quas ſtabilit Regum ſtudiis, & Dæmonis aſtu:
Et vi bellorum, ſuppliciiq́; metu.
At contrà Chriſti faciles euertere leges,
Regnaq́; de medio tollere ſancta parat.
Nomen ab his Antichriſti PAPA moribus hauſit:
Quòd ſacra, quæ Chriſtus præcipit, ipſe vetat.
Hoc eſt, quod miſerens retrò ſpectet, & ingemat AGNVS
Sic ſua contemni iura: coliq́; papam.

HOMO OBLATAM CHRISTI OPEM
auerſans, Pontificis Rom: ſeu Antichriſti fidem implorat.

Homines Pontificem Romanum, & Antichriſtum, poſt habita Chriſti ſalutari & fideli doctrina, adorant, & ab eo auxilium petunt.

QVi iacet in vili miſerè proſtratus amictu,
Quo ſua vix velat membra, relictus Homo:
Immundaq́; riget barbâ, ſqualetq́; capillis,
Expers conſilii prorſus, egenus opis:
Diraq́; pontificis mendacia, dulcibus Agni
Præponens monitis, numinis inſtar habet,
Hic (inquam) mærens HOMO genus eſt ſparſa per orbem,
Romani placitis obſequioſa papæ.
Quem colit ante, ſupraq́; Deum, veneratur, adorat,
Glorificat, laudat, ditat, honorat, amat.
Adq́; pedes huius procumbit, & impia figit
Oſcula proſtrato corpore fuſus humi.
Suppetiasq́; rogat, quoties mens ſqualida curis
Marcet, & attonito preſſa pauore riget.
Cumq́; meret pœnas à ſanctæ nomine vitæ
Nudus, ad hunc votis fretus, & ære fugit.
Et veniam mercatur ab hoc, animiq́; fauorem.
Quin emit & cælos, ære, patremq́; Deum.
At CHRISTVM contrà blaſphemat, negligit, odit,
Perſequitur, ſpernit, lædit, & extenuat.
Illiusq́; pios monitus, & verba vocantis
Curat ſic, vt hians littora piſcis amat.
Vt lupa balatum correptæ mordicus agnæ
Horret, & accipiter flebile carmen auis.
Quas cæcas animi tenebras, rabiemq́; tenacem
Dat Sathanas, vt & hæc Arbor aprica docet.

A Pontifice homines opem emunt.

ARBOR IDOLOLATRIÆ
insigne.

I. Hæretica & pertinax Papiſtarum malitia.

SCilicet vt quondam nullo ſuperabilis auſtro
Quercus in aëriis perſtat aperta iugis.
Nec tempeſtatum ventis, pluuiisq́; mouetur,
Obluctans nimbis in ſtatione ſuâ.
Sic Gens pontificem tetrum, Decretaq́; Romæ
Fœda colens, nullis tollitur inde modis.

Quam non diuini virtus mouet ardua VERBI,
Nec sacer æterni SPIRITVS ipse DEI.
Quin contrà perstans, cælestem præstat honorem
Idolis multis, illicitisq; Deis.
Id quod & hæc arbor monet: Ædidit alta vetustas
Fronde sub arboreâ Festa nefanda Diis.
Huius in exemplo Tharica de stirpe nepotes
Sunt, qui sæpè suum deseruêre Deum.
Et subter patulis iniussas quercubus aras
In nemorum celsis constituêre iugis.
Hic vbi fictitiis peragebant orgia Diuis,
Sacrifico dantes impia dona foco.
HVNC Antichristus morem quoq; sanxit, & illum
Æternâ iussit relligione coli.
Nempe per occultas intra iuga syluea valles,
In tuto voluit CLAVSTRA remota strui.
Instituitq; nouas SECTAS, totidemq; Deorum
Insuetos cultus, & tot ad astra vias:
Quot foliis horret, quot glandibus ardua quercus
Intra Chaonios multa virescit agros.
Nec res illa fuit stupidæ temeraria mentis,
Scilicet in solis condere CLAVSTRA locis.
In nemorum tenebris, inter deserta ferarum
Frondea perficitur tutius omne scelus.
Hic fiunt tutò cædes: impunè rapinæ
Patrantur: nullo vindice scorta merent.
In lucem bibitur: crebro sonat alea lusu:
Stertitur in plumis: ocia lenta vigent.
Tractantur nugæ: Sanctos blasphemia cælos
Crebra ferit: sæuis fulminat ira minis.
Viuit liuor edax: odium furit: imperat auri
Sacra fames: pietas epulat: alget amor.
Conueniunt illic vno simul agmine mundi
Crimina, quæ secum mutua bella gerunt.
Sed ne tot scelerum sentinam fortè sub aures
Nasuti vulgi nuncia fama ferat:
Sacra Maosimades sublimibus atria muris
Cinxit, ceu celsis ædita castra iugis.
Imposuitq; graues tabulis, & cardine portas,
Ac valido firmas addidit ære feras.
Ne vagus ingressus pateat, liberq; regressus
Cuilibet, & fiat fabula RASA COHORS.
Sic vitiis arcana suis vmbracula fecit,
Suppressis intra limina clausa malis.
Vtq; suis esset maiestas clarior Aris,
Maior & in falsa relligione fides.
Argento, gemmisq; simul decorauit, & auro
Templa paræsoniis conspicienda tholis.
Moreq; pyramidum subuexit ad æthera moles:
Si videas, arces, non sacra tecta, putes.
Arces penè pares turri Babylonis ad vndam
Euphratis, vastos amne rigantis agros.
Nugis raptor, in hac ex omnibus vndiq; terris
Ad se penè trahit totius orbis opes.
Hoc est imperiis magnum coluisse Maosim,
Quem PAPA supremum credit, habetq; Deum.
Hoc est & requiem falsamq; sub ARBORIS vmbra
Huius in aduersis quærere rebus opem.

II.

Iudæi olim sub apricis & amænis arboribus idola colebant: 2. paralip. 28. Esa. 1. & 65. Oseæ 4.

Antichristus suam Idololatriam à veteribus Iudæis Idolorum cultoribus est mutuatus, constitutis per deserta monasteriis.

III.

Cænobia in solitudine extructa monasticis flagitiis occultandis apta.

Maozim Dani. 11. capvertunt munitionem, arcem & missam, quæ est præcipua munitio & neruus regni Antichristi: hinc Maosimades Pontifex cum suis dicitur.

Magnificentia Pontificiorum templorum & claustrorum.

LVPVS MISSIFEX FERVS IN RAPINA.

Missifices Pontificii sunt moribus lupi rapaces & feri.

ASpicis vt simplex, vt omnino cinctus amictu,
Vt sedeat gestu mitis, & ore Lupus?
Vt simulet sese Doctorem mirus, vt astum,
Nequitiem, rabiem, furtaq; ueste tegat?
Quo cùm nil peius, cùm nil sit ineptius vnquam,
Cùm nil cæcutiat plus, sapiatq; minus:
Attamen ad sacri consistere pulpita templi
Audet, & ad cælos velle docere viam.
PECCASTI ne? QVIESCE, sonans ea concio friget:
Quâ tamen immensas prædo lucratur opes,
Sic LVPVS in prædâ ferus est, rabidusq; rapina:
Sic lucra venando vastat auarus OVES.
Si REM dispicias, horum de gente LVPORVM
Est sacra Romani Curia tota papæ.
Si videas Aaronæos præstare nepotes:
Vel de fatidicis vatibus esse putes:
Quæ loquitur, tractatq; palàm, foris omnia splendent;
Et speciem veræ relligionis habent.
Incessus grauis est illi, venerandus amictus,
Dulcior hyblæo lingua dolosa fauo.
Stans caput inclinat: vultum demittit, ad aras
Ingemit: effundit brachia: grande canit.
Suspicit ad superos: prece nubila vana fatigat:
Flexo dat terris oscula rapta genu.
Nutibus in populum multus, largusq; salutis
Optandæ, publicas itq; reditq; vias.
Quicquid agit, reuerenter agit: foris esse videtur
Angelus, astrigera missus ab arce DEI:
Cùm tamen innumeris intra fera viscera cordis
Sit vitiis plenus, flagitiisq; Lupus.
Scilicet insidiis, odiis, liuore, rapinis,
Cæde, latrociniis, seditione, dolis.
Verba dat, & nugas: sed ab omnibus accipit aurum
Si vel id adnumeret Cerberus ipse Stygis.
Omnia prostituit solius ob æris amorem:
Omnia diuendit turpis amore lucri.
Nempe sacerdotes, cælos, altaria, ceras,
Campanas, oleum, templa, sepulchra, preces,
Lustrales vndas, sal, lychnos, thura, coronas,
Funebre cum magico carmen, auerna, Deum.
Et, quibus afflixit Christum cum scommate miles,
Fel, spinas, clauos, pila, flagella, crucem.
Flebilium contrà viduarum deuorat ædes:
Ipsaq; magnorum ditia regna ducum.
Et miseras seducit oues, quas Christus ad aulam
Ætheris ex mundi colluuione vocat.
Ac velut arboreis ramis circumdatus auceps
Incautas dulci carmine fallit aues.
Sic hominum generi certam subnectere mortem
Porrigit instructus fortibus ille dolis.
Hos rapit, & vexat raptos, adigitq; sub orcum
Æquus plus Sathanæ sponte, minusq; Deo.
Vtq; gregem laniat LVPVS intra septa relictum,
Dum vigil in villæ limine pastor abest:
Sic Papa scripturas lacerat, mutilatq;: docentis
Hæc est in exemplum Contio manca Lupi.

Concio Papistica: PECCASTI QVIESCE, manca & impia.

Mores Hypocrytici Pontificiorum.

Pontifici rapaci Simonià omnia venalia.

PECCA-

PECCASTI ne? QVIESCE. viden mi candide Lector,
Quanta sit impietas, fraus'q; malum'q; Papæ?
Nam qui cœlestes euadere tentat ad arces,
Huic non à vitiis sufficit vna Quies?
Sic foret Achitophel saluus, cùm reste peremtus
A scelerum quauis parte quietus erat.
Sed tria poscuntur: vetitæ fuga conscia culpæ:
Et nouitas vitæ sancta, vigens'q; Fides.
Hæc tria coniunctim veteres docuére Prophetæ.
Hæc in Apostolicis sunt quoq; iuncta libris.
Hoc est quod Iudas, qui Christum vendidit auro,
Cassus saluificâ cernit Auerna fide.
Hoc est, quòd PETRVS, qui Christum voce negauit
Auctus saluifica cessit ad astra fide.
Læsit vterq; Deum seductus ab ore Luporum,
Ille, pias AGNI respuit aure preces.
Hic pauidæ lucta carnis superatus ad AGNVM
Fugit, & afflictâ voce petiuit opem.
Nam nihil à veteri tantùm requiescere culpâ,
Antiquis'q; malis abstinuisse iuuat.
Si non & bonitas operum, scelerum'q; sequatur
Agnitio verax, & sine labe FIDES.
Hunc velut articulum lacerat, mutilat'q; rapinis
Sic laniat sacros quosq; papista locos.
Quisquis amas sancti rutilantia limina cœli,
Quàm potes, euita templa lupina Papæ.
Nam ferus est, summeq; rapax: rapit vndiq; mundi
Diuitias ad se, magnaq; sceptra ducum.
Scripturas vastat sacras: animas'q; misellas
In rabidi Ditis tartara dira trahit.

Concio & doctrina Pontificum manca & irrita.

Tria ab homine Christiano pænitente requiruntur.
Agnitio peccati, Fides, & Nouitas vitæ.

VRSVS VAGVS IN LVDO.

QVi vagus in ludo truculentis faucibus vrsus
Hirsuto Citharam musicus vngue ferit:
Est animal rapto viuens, & cæde ferarûm:
Æqui parans auso, sæuitiaq; lupos,
Viuit & esuriens pomis, ape, frugibus vuis,
Formicis, cancris, fronde, cadaueribus.
Cui malefactorum solertia, cui suus astus,
Cui caput infirmum est, lumina cuius hebent.
Informem gignit sobolem, rapitur'q; salacem
In coitum, cùm fert frigora tristis hyems.
Ocia lentus agit: pinguescit inerte veterno
In rigidis intra syluea lustra iugis.
Hos Antichristus, præsul Romanis ad vnguem
Insequitur mores, exprimit, auget, amat.
Qui sua regna bonis aucturus, & vbere mundi
Imperio, primùm singula blandus agit,
Credula pollicitis augustis pectora mulcet:
Et quacunq; potest fraude mouere, mouet.
Quæ loquitur mera verba, fauos dulcedine vincunt,
Et melicæ superant fila sonora lyræ.
Hunc per conspicuos pellax allectat honores:
Illum mobilium munere captat opum.
Mox alium sociis ad prælia demeret armis.
Seu mala sit captæ seu bona causa rei:

Mores vrsorũ conformes Pontificiis.

I.
Vagus & varius est Põtifex in illudendis & decipiendis hominibus.

II.
Pontifex astu & blandimentis primò rem tentat.

Quos ubi deceptos semel in sua retia traxit,
In nigra præcipitans tartara Ditis agit.
Quales Trinacriis olim Sirenes in vndis
Dicuntur suaues concinuisse modos:
Et præteruectas spumosa per æquora cantu
Dulcisono secum detinuisse rates
Vectoresq; sono, subuersis nauibus, ipsos
In uada fallacis præcipitasse freti.
Quos non blanditiis, lenociniisq; moueri
Nouerit: hos rabie deteriore premit.
Sunt quos persequitur belli crudelibus armis,
Carceribus, fureis, amnibus, igne, rotis.
Sunt, quos tartareo dirarum fulmine flammis
Deuouet infernis, despoliatq; Deo.
Sic VAGVS in ludo Cytharædus decipit astu,
Sic Papa Christiades deuorat Vrsus APES.
Cùm res in medium cœlestibus insita libris
Colloquio sacro discutienda venit:
Tum Papa se cernens rationibus vndiq; vinci
Inferior causa retrò Sophista fugit.
Inscitiæq; pudens, alias, aliasq; vagatur
In latebras ludens, quærit & effugium.
Qualis se retrò conspectis calsibus Vrsus
Vertit & auersus deuia lustra subit.
Sic vagus eludit diuini oracula Verbi:
Quæ ratione nequit soluere, fraude cauet.
Tot vagus illudit quoq; SECTIS vndique mundo;
Quot sunt Vrsinæ stridula fila lyræ.
Totq; Deos fingit, fictosq; furenter adorat:
Quot grauibus languent terrea regna malis.
Totq; vias summi mentitur ad atria cœli,
Quot superæ diuos Regia sedis habet.
Sic vagus in ludo miseris mortalibus æui
Illudit, turbans prorsus ad astra viam.
Qui nec legitimus castâ cum coniuge coniux
Sponsalis curat fœdera sancta tori.
Sed vagus illicitæ petulante libidinis æstu,
Scortandi peragit turpiter omne genus.
Fit Pathicus, Draucusq; salax, fœdusq; cynædus,
In veneris quæuis Morphea parte putes.
Qui vagus incestat viduas, violatq; puellas,
Inq; nurus visas cæcus amore furit.
Hei & cum brutis coit (execrabile factum)
Est Equa cum mulâ testis in Italiâ.
Sic vagus in veneris ludo vecorde Cynædus
Cum duce Naturâ bella nefanda gerit.
Sic dum tristis hyems, fortunaq; noxia mundo
Fulminat, ille solet (turpe) quiete frui.
Tum latet in tuto, luxuq; grauiq; veterno
Squalet agens nullis ocia pressa malis.
Et sibi quæ curis, manuumq; labore per annum
Rustica nutrices turba parauit opes.
Vt sunt ex grauidis nascentes vitibus vuæ:
Et quæ fertilibus farra seruntur agris,
Pomaq; cum reliquo fœtu pendentia ramis:
Et de nectareis mella coacta fauis.
Et quod oues, saturæq; boues, simæq; capellæ,
Lac cytiso pastæ, frondeq; dulce ferunt.

III Sibi venatur gratiam aliorum in properādis auxiliaribus armis.

IIII. Vi & Latrociniis & Diris execrationibus tandem vtitur.

Secundus modus in vagando & illudendo

Sophistica Pontificiorum tergiuersatio.

Tertius modus, quo sectis & hæresibus illudit.

Quartus modus, qui est in vagis & Sodomiticis libidinibus.

Quintus modus, quo vagus & vbique homines dispoliat bonis, & illudit.

Cumq; rubris cancris nantes in flumine pisces:
Et suaues esu, syluea turba, feræ.
Et quotquot pecudes in rura virentia pastor
Ducit, vbi Titan lumina manè refert.
Scilicet hæc (inquam) nimio vocat omnia luxu,
Distendens escis membra, grauiq; mero.
Sic VAGVS in ludo miseris mortalibus æui
Damna dat, & raptas belluo perdit opes.
Hoc est formicis pasci, quæ dura timentes
Frigora congestant vere repente cibos.
Mirum si potuit Papa per tot regna VAGARI,
Illaq; tot nocuis ludificare dolis.
Cùm sit ab ingenio stupidis obtusior vrsis:
Cui malè sit firmum discere sacra caput.
Qui sit hebes totis oculis, qui cernere leges
Nesciat æthereas sanctaq; scripta DEI.

Cithara, & pulpitum missificum.

CVm reseraturus sacer AGNVS ad atria cæli
Perdita damnatis gentibus esset iter:
Has docuit, tingiq; simul lustralibus vndis,
Præceptisq; suis iussit habere fidem.
Hæc duo sunt, quibus ad superas euaditur auras
Et datur æternâ posse salute frui.
Sed noua sacra creans tulit Antichristus ad aras
Hæc duo, proiectâ religione Dei,
Vt sunt sacrificæ malè rudens musica MISSÆ:
Nec non quæ muris Organa fixa sonant.
Illud Missifici resonantia pulpita libri:
Hoc notat vrsinæ psaltria musa lyræ,
Quæ duo de templis vbi fortè remota fugentur
Ex omni nullus parte papatus erit.
Namq; stat omnis in hoc pietatis gloria, virtus,
Maiestas, studium, gratia, cura, lucrum.
Sed nunc his olidis VRSIS, gregibusq; LVPORVM
Turpibus accedunt tertia turba SVES.
Qui rem pontificum maiore fideliter astu, Iesuitæ sophistæ versi pelles.
Angelicâ tecti veste latenter agunt.
Grunnitumq; premunt fictæ dulcedine linguæ:
Et condunt morum simplicitate dolos.
Quales Niliacas lachrymat Crocodylus ad vndas Crocodylus animal conspectu hominis emittit lachrymas, mox appropinquantem absumit. Hyæna animal crudele viatores humano sermone euocatos deuorat.
Qualis & humanos fingit hyæna sonos.
Hi rabidi grauiora SVES dant damna per aras,
Quàm ferus Ætoliæ vel Calydonis aper.
Ergò lupos, & cum SVIBVS mendacibus VRSOS
Tolle: papæ regnum prorsus inerme ruet.
Cessabunt decimæ: reditus cadet annuus: aris
Æs dabitur nullum: desinet esse Papa.
Quòd si sit nulli (licet angelus ille putetur
Missus ab æthereo limine) danda fides,
Qui leges alias, aliamq; ostenderit author,
Quàm dederit nobis Christus ad astra viam.
Quantò danda fides minus est nugacibus Vrsis,
Et Suibus vanis, hæreticisq; Lupis.
Quantò credendum minus est vertigine cordis
Correptis Monachis, falsidicoq; Papæ.

Quisquis amas Christum saluandus & æthera quæris,
Hos fuge: Sic Christus terq; quaterq; monet.
Scilicet à falsis homines procul ite prophetis:
Ite: gerunt sub ouis pelle, teguntq; Lupos.
Ite: sub angelico stygii sermone furores,
Tetraq; sub dulci melle venena latent.
Innuit hoc olim nouus huius imaginis author,
Dans (quæ non scriptis ædidit) acta notis.
I nunc, & sanctum malè carpe papista Lutherum,
Hæreticum clama, dæmonicumq; voca.
Quòd primus sine mente tuas inuaserit aras,
Tanquam sacrilegium Ditis atrocis opus.
Hoc opus, hic labor est, hæc sunt documenta tuorum:
Et ferus his ipsis ore rapace lupus.
Hi te proclamant violentis vnguibus vrsum:
Sed te nunc etiam credimus esse SVEM.
Scilicet ex horum numero, quos plurimus orci
In Gadarenæas Spiritus egit aquas.
Viue Papista tibi, cælosq; relinque beatis
Non datur ad cœlos turpibus ire Feris.

Prodigia.

1096. HOc anno plurima in cœlo apparuerunt prodigia, dicit Vrspergensis: visæque fuerunt nubes rubeæ concurrere instar exercituum dimicaturæ, & faces ardentes passim volitârunt in aëre. Persuadebatur ex his vulgo, esse Angelos seu Spiritus, qui hortentur homines ad sacrum bellum quod tunc moliebantur: inquit Dodechinus. Vtebantur enim tunc Pontifices bello sacro pro aucupio, vt Matth. Paris habet, de quo suo loco.

Ominosa.

1096. CVm Ordo Bernhardinorum siue Cælestinorum & Cisterciensium inciperet, signa portentosa in terrâ, Sole, Stellis, & Lunâ, vnà cum cometa horribili hisce temporibus visa sunt. Gassarus. Imp. 94. Henrico 4. PP. 166. Vrb. 2.

Anshelmus Abbas Beccensis.

1097. PRimùm in Normaniâ, & deinde in Angliâ Abbas & Archiepiscopus, multa sub Rege Guthalo passus est pro statu Ecclesiæ corrigendo. Nam Reges Angliæ hanc iniustam legem iamdiu tenuerant, vt electos Ecclesiæ præsules ipsi per virgam pastoralem Ecclesiis inuestirent. Quod ante 500. annos factum notabis ad Papæ primatum. Sig Gemblacensis. Imperatore 94. Henrico 4. Papa. 186. Vrb. 2.



Ordo Cisterciensis.

1097. BEnedictinæ professionis sunt huius ordinis monachi. Cœperunt anno Domini 1098, omnium consensu. Auctorem habuerunt Robertum, qui cùm in Molismo Cœnobio in Episcopatu Lingonensi viueret, & fratrum vitam corruptissimam videret, bona conscientiâ ibi diutiùs consistere non potuit, sed cum aliis in Burgundiam profectus Cistercium peruenit: auxilioq; Ducum, & Episcoporum illi proprium monasterium extruxit. Balæus & Hospinianus, Francus hic exclamat dicens: Nouos Monachos hos adeò à veteri instituto defecisse, vt si hos cum illis comparare velis, nihil agas aliud, quàm si Christum cum Belial conferas. Nomen habent à loco.

Vestitus fuit griseus: vnde etiam ab initio Grisei dicti fuerunt. Rubros calceos habuisse refert Francus: Capita per totum rasa, cum exiguâ coronâ, Crantzius, Ioannes Haugelstadiensis, Sigebert. Flat.

Volat.

Volat. Polyd. Petr. Cluniacẽsis, Decretales, Malmesburiensis, P. Blesensis Cistertienses & Bernhardinos eiusdem ordinis monachos faciunt. Bernhardus enim circa annum 1113. relicto seculo in hunc locum se contulit primùm: deinde Abbas Claraeuallensis factus: de quo postea. Imperatore & Papa vt suprà.

Monstrum.

HOc anno natus est infans in Hispania duobus capitibus, humano & canino: circa tempora Bernhardi: autore Thoma Lirer in antiquo chronico Sueuiæ. 1100.

Theodoricus Abbas monasterii S. Truidonis Leodiensis diocæsis. 1100.

RHythmos conscripsit de corruptissimis cleri moribus & alia: multùm insectatus est Romam, præcipuè ob Simoniam: non solùm quòd ob pecuniam dantur honores, sed etiam pro indignissimis dantur. Dicit, iam Romæ Simonem Magum pro Petro regnare. Sed adscribam paucos quosdam eius versus sparsim excerptos.

Ecce domum pacis auis quatit impietatis.
Item. Malleus argenti confringit ouilia Christi.
Item. Res nimis iniusta, fit nummus Præsul, & Abba.
Item. Cerne lupum monachum.
De prauo regimine Ecclesiæ inquit:
Vt Mopso Nisa, corno datur ecce columba:
Qualis pullus erit, quem fert commixtio talis?
Et paulò pòst. Quid non speremus, si nummos possideamus?
Item. Roma caput mundi, tu quondam talibus vltrix
Aut citius venias vltrices reddere pœnas:
Aut caput vt fueras modò caudæ victima fias:
Si sis venalis, quod quondam Numida risit:
Emtor non deerit: tu vendes atque peribis.
Talibus ipse Deus quondam cum reste minatur,
Mensas & sedes de sacris ædibus arcens,
Dic, sint Maranatha, Deus hi: dic sint anathema.

Hinc apparet, hunc bonum virum miserandum Ecclesiæ regimen, & animaduertisse & deplorasse, vnà cum multis aliis Christianis bonis, ac doctis. Cata. Test. Verit. Imperatore vt suprà. PP. 167. Paschale 2.

In Tomo secundo conciliorum sic legitur.

NOs attoniti hac nouitate rerum, quærimus, vnde sit hoc nouum exemplum, vt prædicator Pacis, suo ore, & alterius manu inferat Ecclesiæ bellum? Contra barbarorum & inimicorum Dei assultus, concedunt canones etiam clericis arma, ad defensionem vrbis & Ecclesiæ. Bella verò indici Ecclesiæ per authoritatem canonicam, nusquam scripturarum legimus. Et postea: Quis Pontificum Romanorum suis decretis vnquam authorizauit, vt debeat Pontifex gladio belli in peccantes vti? Et iterum: Cur pro malis Regibus orari debere Paulus dicit? scilicet vt tranquillam vitam agamus. Esset Apostolicum imitari Apostolum: esset propheticum, imitari Prophetam: sed peccatis nostris merentibus Apostolicus, qui etiam iam orare deberet pro quouis peccatore, vt tranquillam, & quietam vitam agamus, agit bellando, ne tranquillam & quietam vitam agamus. Item: Nobis legem tenentibus obiiciunt, quòd transgrediamur eorum nouas traditiones. At illis dicit Deus: Quare vos transgredimini mandatum Dei, propter traditiones vestras? Iubet Deus, vt quæ sunt Cæsaris, reddamus Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo: in hanc sententiam Petrus & Paulus pedibus eunt. Item: Quis iure reprehendit, quòd Episcopus partibus domini sui fauet, cui promissam cum iuramento fidelitatem debet? Periurium, nemo dubitat, esse grande peccatum: Deus ipse iurat, & non pœnitet eum: quia sapientia custodit præcepta iuramenti Dei. Sed nos, quos iurasse sæpe pœnitet, iurare prohibemur. Si iurat homo, iubet Deus, vt reddat domino iuramentum suum. Hoc nec ignorant illi, quòd regnum & sacerdotium scindentes nouello schismate & nouellis (vt quibusdam placet) traditionibus illos, qui Regi periurant, se posse à culpa periurij absoluere, promittunt non attendentes, quòd Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedechia, qui periurauit domino suo Regi Nabuchodonosor: Qui soluit, inquit, pactum nunquid effugiet? Et postea: Hinc omnes perpenditis, quòd sit reus capitis, qui non reddit Cæsari, quæ sunt Cæsaris, secundum decretum Dei: vel qui Regem inhonorat, contra decretum Apostoli: vel peierando assumit nomen Dei in uanum, per quod iurauit Regi fidelitatem. Ecce, quare excommunicati dicimur?

Item Petrus Apostolus docet: Non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Paulus Apostolus ad Galatas delinquentes ait: Filioli, quos iterum parturio in Domino. Hos igitur attendat

D. Paschasius pios admonitores, non impios conuiciatores. Maledictum excommunicationis D. Paschasius nobis improperat: sed illud ante omnia timemus, quod S. sanctus per os Psalmistæ dicit: Maledicti omnes, qui declinant à mandatis tuis. Maledictum excommunicationis, quod ex nouella traditione Hildebrandus, Odardus, & iste tertius indiscretè protulerunt, omninò abijcimus, & priores sanctos patres vsque nunc veneramur, & tenemus, qui dictante spiritu sancto non animi motu, in maioribus & minoribus potestatibus grauiter delinquentibus, quædam dissimulauerunt, quædam correxerunt, quædam tolerauerunt. Dominus noster Episcopus communicat Regi & Imperatori suo, cui ex Regalibus eius acceptis fidelitatem iurauit. Nimium effluxit tempus, quo hæc consuetudo incepit: & sub hac consuetudine migrauerunt à seculo sancti & reuerentes Episcopi, reddentes Cæsari ea, quæ erant Cæsaris, & Deo, quæ erant Dei. Sed quid dicit Ambrosius super Lucam? Si Christus (inquit) non habuit imaginem Cæsaris, cui dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu, si non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere, quæ mūdi sunt: sed si habes diuitias, obnoxius es Cæsari: Si vis igitur nil deberi Regi terreno, dimitte omnia, & sequere Christum, &c. Item: Ecce quare excommunicati vocamur, eò quòd sanctos, & moderatos, & antiquos patres tenemus, & pro posse imitamur. Episcopum, Archiepiscopum, nostram prouincialem & comprouincialem synodum ex antiqua traditione tenemus: & quicquid ibi de scripturis sanctis diffinitum fuerit, Romam non refertur, vsque ad grauiora negocia, de quibus non inuenitur in scripturis sanctis authoritas. Illos verò Legatos à latere Romani Episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia discurrentes, omninò REFVTAMVS, sicut temporibus Zosimi, Celestini, Bonifacij, concilia Aphricana probauerunt. Etenim ut à fructibus eorum cognoscamus eos, non morum correctio, non vitæ emendatio: sed inde hominum cædes & Ecclesiarum Dei proveniunt deprædationes. Quia igitur antiquæ regulæ inhæremus, & non omni vento doctrinæ circumferimur ecce vnde excommunicati dicimur? Et postea: Cur ergo dominus Paschasius vult, ut exsoluamus, quod non rapuimus: ut pseudoclerici vocemur, ubi rectam lineam tenemus? Potius deposito spiritu præsumtionis, cum suis consiliarijs solerter recolligat, quomodo à beato Syluestro vsque ad Hildebrandum, sedem Romanam Papæ obtinuerint? & quot & quanta inaudita ex ambitione illius sedis perpetrata sint, & quomodo per Reges & Imperatores diffinita sint? & pseudo papæ damnati & abdicati sint, & ibi plus valuit virtus imperialis, quàm ex communicatio Hildebrandi, Odardi, Paschasij? Dominus in Euangelio dicit: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. Et Paulus Apostolus in faciem Petro principi Apostolorum restitit: ergò remoto Romanæ ambitionis typo, cur de grauibus & manifestis non reprehendantur & corrigantur Romani Episcopi? Qui reprehendi & corrigi non vult, pseudo est, siue Episcopus siue clericus.

Et cùm Papa in sua bulla sic scriberet: vbicunq; poteris, Henricum hæreticorum caput, & eius fautores persequaris, Nullum profectò grauius Deo sacrificium offerre poteris, quàm si eum impugnes, &c. Hoc tibi & militibus tuis in peccatorum remissionem & Apostolicæ sedis familiaritatem præcipimus, ut hisce laboribus & triumphis ad cœlestē Hierusalē Domino præstante pervenias: &c. Ad hæc Leodiensis Ecclesia respondet: Hactenus Euangelicis, Apostolicis & Propheticis testimonijs innitebamur, & quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia: Hîc verò quid dicam nescio: quò me vertam, nō video. Si enim vtriusq; Legis totam Bibliothecam, si omnes totius bibliothecæ veteres expositores reuoluam, exemplum huius Apostolici præcepti non inueniam. Solus Hildebrandus Papa ultimam manum sacris canonibus imposuit, quem legimus præcepisse Mathildi Marchionissæ, in remissionem peccatorum suorum, ut debellaret Henricum Imperatorem. Quod iustè, nec ne, ipse vel alij fecerint, nulla authoritate discimus. Hoc solum discimus, quia non potest aliquis aliquem indiscretè soluere vel ligare.

Demum verò concludunt illo Michææ dicto: Seducunt populum Dei, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum bellum. Clarè indicant his, Papas & eorum Curtisanos esse seductores Ecclesiæ, ore loqui pacem, dentibus verò mordere, & tristia bella excitare contra Christianos, si ea omnia, quæ cupiunt, non ultrò eis largiuntur. Hæc illi. Imp. Henrico 4. P.P. Paschale 2.

Valentinus Müntzer in Chronographia.

Hic in sua Chronographia testatur, hosce sequentes versus de ruina Papæ, ante multos annos ab aliquo pio, ac docto homine conscriptos, & nunc in vetusto libro inuentos. Habent autem sic:

Roma diu titubans, longisq; erroribus acta
Decidet, & mundi desinet esse caput.
Ecclesiæ censura, fides, discessio Romæ,
Regnaq; de medio sunt remouenda prius.
Qui latet error, erit publicus: Connubia fœda
Fient: tolletur hinc pudor, inde timor.
Pòst Homo peccati veniet, quem spiritus oris
Christi perdet, erit postq; suprema dies.

Primos

Primos duos versiculos, duobus tantùm verbis variatis, Fridericus secundus Papæ misit. Reliqui testantur, Romanam Ecclesiam erroribus & fœdissimis libidinibus plenam esse, ac ruituram tandem, & quòd ex ea Antichristus exorietur, qui verbo Dei ante vltimum diem patefiet, & confutabitur. Illyricus. Imp. 94. Henric. 4. PP. 167. Pasch. 2.

Simeon Metaphrastes in Sanctorum vitis. 1100.

FVit in Lesbi insulæ ciuitate Methymna, puella quædam Theoctista nomine, quæ cùm parentes eius diem suum obijssent, à propinquis cœnobio sacratarum virginum est commendata. Illa autem cùm jam ferè 18. annorum esset, diebus sacri Paschatis Domini in vicinum vrbi exiuit vicum, vt inuiseret sororem suam, ibi cum marito habitantem. Nocte autem Arabes, qui ex insula Creta Duce Nisiro appulerant, irruentes in illum vicum, incolas cum Theoctista ceperunt omnes: ac postridie manè in insulam Parum auexerunt. Barbaris, cùm in Paro essent, mancipijs, & reliqua præda diuidenda occupatis, Theoctista occasionem ab ipsis aufugiendi nacta est. Itaque citatissimo cursu in syluam lata, ibi sese abdidit, non sine cruentatione pedum, & dolore maximo : per salebrosa, dumosa, & aspera contendendo loca.

Postero die animaduerso Saracenorum discessu, ipsa mirificè gauisa est, omnisque doloris oblita, tanquam libertatem adepta. Reperit in deserta illa (propter barbaricas incursiones) insulâ Templum, in quod se contulit, ibique 35. annos vixit. Erat id templum Beatæ virgini Mariæ consecratum, ex marmore candidissimo pulcherrimè fabricatum, etsi non amplius integrum. Cibus autem misellæ fuere lupini aqua macerati, & syluestres herbæ: imò verbum Dei hominem non solùm pane, sed magis sui vigore, viuere affirmans. In tanto etiam tempore, omnis illa vestis, cum qua fuerat capta, detrita perierat. Nuda igitur deinceps erat: diuina tamen manu aduersus æstus, & frigora protecta.

Exactis autem illis 35. annis, quos in illa solitudine vixerat: venator quidam ex Eubœa traiecit pluribus sociis comitatus, in Parum Insulam. Hic, ipsis in venatione relictis, vt erat pius, declinauit ad illud, de quo diximus, fanum: ibique precibus factis, videt in solo paruam lacunam, & aliquot inibi humectatos lupinos: hoc enim genus in ea Insula nascitur copiosius: sicut aliæ insulæ alio plantarum, aut fructus genere abundant. Existimauit, non fortuitò ibi esse illos lupinos: sed alicubi in vicinia sanctum aliquem degere.

Properat ad socios, prædaque multa captâ itur ad nauim: ipse ad templum orandi causa reuertitur. Ibi videt ad dextram altaris partem, quiddam ceu tramam à vento agitatam, seu telam aranei. Cumque progrederetur visum, quid rei esset, audiuit vocem dicentem : Subsiste homo, nec accede propius : Fœmina sum, ideo verecundor à te conspici. Perturbatus est ille hac voce vehementer, & re inconspecta volebat fugere : mansit tamen, & interrogauit, quis esset? quomodo in hanc solitudinem venisset? Exue pallium (inquit illa) & abijce, vt me contegam, tunc ad interrogata tibi respondebo. Fecit sic Venator. Illa, dum is extra portam secesserat, vestem induit, ac se crucis signo notauit. Homine in templum regresso, prodiit illa specie quidem muliebri, sed augustiore quodam conspectu: Capillus albus, facies nigra, cum modico tantùm albo, cutis propè absque carne super ossa: vmbram te videre pro homine dixisses.

Cohorruit venator, tremuit, procidit, faustam precationem ab ea petiit. Illa, ne planè videretur spectrum, aut Spiritus, manibus ad Orientem extensis, tenui quodam murmure precatiunculam percurrebat: deinde, Deus misereatur tui, inquit, mi homo. Tum suam fortunam ei, vt suprà exposita est, totam explicuit. Quæ narratio, iucundior ei omni musica, omni luscinialum cantu fuit: qua absolutâ, ipsa cœlum intuita gratias Deo egit. Ille reuerentia quadam erga eam ductus, oculos in terra fixos tenebat, aspicere ipsam non audens: tunc Theoctista venatorem appellans: Habes jam, inquit, statum rerum mearum : Vnum est, quod vicissim à te peto. Quando huc redibis (quod omninò Domino iuuante fiet) præsta mihi, obsecro, hoc beneficium: Affer tecum in vasculo mundo particulam dominici corporis, cuius mihi, ex quo tempore in hoc deserto sum, facultas nulla vnquam contigit. His dictis, dimisit virum cum benedictione, orans, ne cuiquam de ipsa quicquam diceret.

Ille magno cum gaudio discessit, tanquam non hominis, sed Angeli colloquio dignus habitus. Alio autem deinde tempore rediit: Sociisque ad venationem dimissis, Sanctam illam requisiuit. Quæ progressa in pallio, quod ille ei reliquerat, cùm ab eo in terram procidente, honoraretur, Deo tribuendum eum honorem dixit, ipsumque erexit. Deinde cœnam Domini in pyxide allatam, præ gaudio lachrymans, sumsit : Nunc dimitte me, inquiens, Domine seruam tuam, quando voles: Vidi salutare tuum: remissionem peccatorum meorum accepi.

Reuersus post aliquot dies Venator mortuam, suam dilectam prædam reperit, ac lachrymans sepeliuit. Tunc laudes Deo dixit ad maius, quàm antehac vnquam, pietatis studium excitatus. De his hactenus, quæ refert quoque Martinus Crusius in Annalibus Sueuicis. Imp. 94. Henrico 4. PP. 167. Paschale 2.

Idem. Pontifex Romanus fidem habens delationibus, Gregorium Agrigentinum indictâ causa, manibus & pedibus catenâ vinctum, in carcerem coniecit.

PASCHALIS II. PP. 167.

1100. APparuisse tum multa prodigia auctores plerique scribunt: quòd & mare quibusdam in locis littus præter solitum viginti passibus occupauerit: in quibusdam verò à littore in altum centum excesserit. Hoc ego quoq; superiore anno apud Puteolos vidi, exesis quibusdam columnis marmoreis vsque ad tres cubitos, quas mare (vt incolæ dicebant) triennio antè abluere consueuerat. Apparuisse & cometem miræ magnitudinis tum affirmant, qui in Occasu cadente sole statim apparebat. Non mouebatur his prodigiis Paschalis, quippe qui fieri hæc naturâ cernebat. Verùm cùm intellexisset, Florentinum Episcopum affirmare solitum, Antichristum natum esse, eò statim proficiscitur, concilioque habito re ipsa admodum discussa, cùm leuitate quadam, vt alicuius magnæ rei auctor videretur, motum episcopum cerneret, hominem verbis castigatum dimittit, atque inde in cisalpinam proficiscitur. Hæc Platina. Imp. 94. Henrico 4.

Hic idem Papa excogitauit & statuit, vt electum Papam in Papali dignitate indutum coccinea chlamyde ornarent, & confirmarent. Scilicet vt impleatur scriptura Apoc. 17. & erat mulier (Ioannes 8.) circundata purpura & coccino, &c.

Portenta.

1100. IN Vngaria his temporibus multa prodigia acciderunt, vt audiuimus Nam quidam mons se in Danubium præcipitauit, vnde fluuius ille alueum suum mutare coactus circumiacentes terras longè lateque vastauit. Item in sicca terra lacus magnus alibi emersit, & in alio lacu mons quidam derepentè apparuit. Fluuius quoque nomine Thizalia, per triduum sanguine fluxit. Sed & terræmotus ibi inauditus factus est, ita vt homines eius impetum stando sustinere non possent. Tonitru quoque maximum à seculis inauditum, homines ibi terruit, quod supra terram transire, & sub terra redire sentiebatur eadem viâ. Bertholdus Episcopus Constantiensis in Chronico. Imperatore & Papa vt suprà.

Gazo Monachus.

1100. GAzo Monachus contra horarias Mariæ preces, tempore Paschalis secundi disputabat: de quo etiam Vincentius libro 2. capite 21. Imp. 94. Henrico 4. PP. 167 Paschale 2.

Finit Centenarius vndecimus.

CENTENARII VNDECIMI

Anno Christi.	Num.	IMPERATORES.	Anni.	Mens.	Dies.
1001	109	Henricus 2 Iunior Claudus.	23	5	21
1024	110	Cunradus 2 Iunior Saliquus.	14	10	22
1039	111	Henricus 3 Niger.	17	4	22
1057	112	Henricus 4.	49	10	3
		PONTIFICES.			
1003	145	Ioannes 17 Sicco Romanus.	0	4	25
1003	146	Ioannes 18 Fanassus Romanus.	5	7	29
1009	147	Sergius 4 Romanus.	2	9	12
1012	148	Benedictus 7 dictus 8 Romanus.	11	8	21
1012		18 ἀνώνυμος			
1024	149	Ioannes 19 Romanus.	8	9	9
1032	150	Benedictus 8 dictus 9 Romanus	12	4	20
		secundò	0	1	21
		tertiò		6	
1045		19 Syluester 3 Romanus.	0	1	29
1045	151	Gregorius 6 Romanus.	1	7	20
1047	152	Clemens 2 Iunior Saxo Germanus.	0	9	15
1048	153	Damasus 2 Iunior Bauarus Germanus.	0	0	23
1049	154	Leo 9 Francus Gallus Dagspurgensis.	5	2	8
1055	155	Victor 2 Iunior Sueuus Germanus Calbensis.	2	3	16
1057	156	Stephanus 10 dictus 9 Lotharingus Gallus.	0	7	28
1058		20 Benedictus 9 dictus 10 Rom.	0	9	20
1058	157	Nicolaus 2 Iunior Allobrox	2	6	1
1061	158	Alexander 2 Iunior Mediolanens.	11	6	22
1061		21 Honorius 2 Iunior Parmens.	5		

1073	159	Gregorius 7 Soanensis Thuscus.	12	1	3
1080		22 Clemens 3 Parmensis.	21	0	0
1086	160	Victor 3 Beneuentanus.	1	3	24
1088	161	Vrbanus 2 Iunior Gallus.	11	4	18
1099	162	Paschalis 2 Bledensis Thuscus.	18	5	9

Anno Christi.	*Num.*	CONCILIA.	*Epis.*	*Sess.*	*Can.*
1004	336	Germanicum.			
1007	337	Francfordiense.			
1016	338	Aquisgranense.			
1017	339	Nouiomagense.			
1022	340	Gandersheimense.			20
1023	341	Salegunstadiense.			
1024	342	Geilicense.			
1024	343	Francfordiense.			
1030	344	Triburiense.			
1046	345	Papiense.			
1046	346	Sutrinum.			
1048	347	Marsburgense.			
	348	Romanum 62.			
1049	349	Ticinense.			
	350	Remense.			
	351	Moguntinum.			
1050	352	Romanum 63.			
1050	353	Vercellense.			
1051	354	Romanum 64.			
1053	355	Romanum 65.			
1055	356	Florentinum.			
1056	357	Turonense.			
	358	Sutrinum.			
1059	359	Halberstadense.			
	360	Romanum 66.			
1060	361	Romanum 67.			

1061	362	Romanum 68.			
	363	Mediolanenſe.			
1062	363	Romanum 69.			
1064	364	Mantuanum.			
1065	365	Vnitonienſe.			
1066	366	Triburienſe.			
1067	367	Melphitanum.			
1067	368	Mediolanenſe.			
1068	369	Romanum 70.			
1069	370	Moguntinum.			
1071	371	Moguntinum.			
1072	372	Romanum 71.			
1072	373	Gallicanum.			
1073	374	Romanum 72.			
1073	375	Erfordienſe.			
1074	376	Romanum 73			
1074	377	Erfordienſe.			
1075	378	Romanum 74.			
1075	379	Moguntinum.			
	380	VVormacienſe.			
	381	Romanum 75.			
1076	382	Oppenheimenſe			
	383	Ticinenſe.			
	384	Triburienſe.			
1078	385	Romanum 76.77.			
1079	386	Romanum 78			
1080	387	Romanum 79.			
1080	388	Moguntinum.			
1080	389	Brixinenſe.			
1081	390	Romanum 80.			
1083	391	Romanum 81.			
1083	392	Educenſe.			
1084	393	Romanum 82.			
1084	394	Moguntinum 2.			
1085	395	Berchachenſe.			
1085	396	Capuanum.			

1085	397	Beneuentanum.
	398	Garstungense.
1088	399	Quintelingeburgens.
	400	Moguntinum.
1089	401	Troianum 1.
1091	402	Melphiense.
1093	403	Troianum 2.
1094	404	Barense.
1095	405	Vastalense.
1096	406	Placentinum.
1096	407	Claromontanũ.
1097	408	Romanum 83.
1098	409	Romanum 84.

ORDINES.

1012. *Ordo militum Hospitalariorum S. Ioannis, qui etiam Ioannitæ, Rhodij, ac Melitenses Domini appellantur.*

1017. *Ordo Humiliatorum.*

1030. *Ordo Ieiunantium.*

1046. *Ordo Lazaritarum, seu Hierosolymitanorum.*

1050. *Ordo Luceolaniorum.*

1076. *Ordo Grandimontensium.*

1080. *Ordo Carthusiensium.*

1095. *Ordo S. Antonij de Vienna.*

1098. *Ordo Cistercienſ.*

DOCTI VIRI.

1020. *Berno Abbas.*
Areta Græcus.
Volbodo Episc. Leodiens.
R. Abraham.
Guido Aretinus.
Campanus Philosophus & Mathematicus.

Haymo

Haymo Cantuarienſ. 1040.
Guido Muſicus.
Chron. Bambergenſe.
Iacobus Manſor.
Berengarius.
Iacobus Klingershofer.
Nicetas Pictoratus Græcus.
Suiggerus Presbyter.
Petrus Damianus Hoſtienſ.
Humbertus Epiſc. Syluæ Candidæ.
Serapion.
Hermannus Contractus.
Gregorius Cedrenus.
Lanfrancus. 1060.
Michaël Pſellus.
Abbas de cruce S. Leufredi.
Guitmundus Auerſanus.
Algerus monachus.
Maniaces.
Benno Cardinalis.
Gerochus Monachus.
Lambert. Schafnaburgenſ.
Matthias Miechouienſis.
Venericus Vercellenſis. 1080.
Marianus Scotus.
Giſelbertus Monachus.
Iuo Carnotenſis.
Hildebertus Cenomanenſis.
Theodoricus Abbas S. Trudonis.
Valentinus Munzer. 1100
Simeon Metaphraſtes.
Gazo monachus.

LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS DVODECIMVS.

Prodigia.

1105. 

MVlta vbique prodigia contigerunt: Sus in Gallia apud Legiensem parochiam enixa est fœtum humana facie: Gallinaceus quatuor pedib., & Namurci infantulus biceps sexuque duplex natus est. Sigeb. Guiliel. Nangiac. Innumeræ aues aperto cœlo dimicantes, exanimes in terram deciderunt: in Italia terra per 40. dies sic tremuit, vt villa quædã vehementia motus alium in locum fuerit translata: Multi sacro igne accensi fuerunt membris instar carbonum nigrescentibus. Talia multa leguntur tunc accidisse. Genebrardus. Imp. & Papa vt sup.

Portenta.

1105. EOdem anno circa vesperam in Sueuiâ insolitæ magnitudinis stella apparuit in cœlo: item sacro die Iouis de manè duæ Lunæ, altera versus ortum solis, altera ad occasum conspectæ fuerunt. Annal. VVirtemberg. Item duo orbes in modum solis forma & lumine quotidiano soli similes apparuerunt, omnium colorum specie radiantes ad instar arcus cœlestis. Sigebertus. Imperat. & Papa vt sup.

Monstrosum.

1106. QVarto nonas Februarij stella per diem visa est in cœlo ab horâ tertiâ vsque ad horam nonam quasi cubito distans à Sole. Et pridie Idus Februarij apud Barum Italiæ stellæ visæ sunt in cœlo per diem, nunc quasi inter se concurrentes, nunc quasi in terram cadentes. Idem Sigeb. Imp. & Papa vt sup.

R. Petrus Alphunsus Hispanus.

1106. HIc ex Iudæo conuersus ad fidem, Moses antè vocatus, quem Rex Alphonsus de sacro fonte leuans suo nomine insigniuit, in insigni dialogo, quem scripsit sub nomine Moysis Iudæi quod fuerat: & Petri Christiani quod esse cœpit, inter alia sic ait: Captiuare & interficere, donec quis vel credat, vel censum persoluat, non est ex Dei operibus, neque Prophetarum cuilibet iussit cogere aliquem credere: sed ipse hoc cupiditate præcepit pecuniæ, & vt inimicos suos destrueret. Hoc autem, vt nosti, non debet fieri, imò si quis aliquem conuertere velit, non per violentiam, sed diligenter & dulciter hoc facere debet, sicut ipse Mahometh in suo testatur Alcorano, sub persona Domini ita id ipsum dicentis: Si vellet dominus Deus tuus, totius seculi gentes crederent. Cur ergò, vt credant cogis? quia nullus nisi voluntate Dei credit. Fingens item (Mahomet) in alio loco tanquam sibi Deus loquatur, Non, inquit, violentia in lege debet esse: iam veritas & iustitia apparet, qui voluerit, sponte sua credat. Et in alio loco ait: Non altercetis cum alterius legis gentibus, nisi mollibus verbis.

Equidem ex hoc liquet, quòd maiori prudentia & misericordia prædití sint ἄθεοι Iudæi, quàm Hispani Christiani, qui Inquisitione Pontificia quotidie enecant quoscunque offendunt à sua religione alienos.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

1108. *Imp. 91 Henrico V. Pp. 167. Paschale 2.*

NEq; verò Heinricus quintus, cùm falsæ persuasionis fascino inductus, patri cum vita Imperium parricidialiter eripuisset, aliam, quàm pater, pontificum beneuolentiam fidemq; sensit. Siquidem

dem cùm Romam ad Imperialem coronam accipiendam profectus, ius imperiale in conferendis episcopatibus, abbatijs & prælaturis repeteret: Pontifex omnis beneficij accepti immemor, constanter id denegat. Tumultu verò inde exorto, ita vt Pontifex vnà cum quibusdam caperetur, & ad montem Soractem, quem nunc S. Syluestri vocant, abduceretur: Paschalis euocatis ex vrbe notarijs, pacta & priuilegia antiqua Imperatorum de creatione & inuestitura pontificis & Episcoporum tandem confirmat & innouat, & contrà ab Imperatore amplissimis donis ornatur. Sed iusto Dei iudicio Henrici peccatum vindicantis accidit, vt quam ipse parenti fidem non seruasset, nec ipse in alijs experiretur: & quibus ipse, patre deserto, se coniunxisset, hos hostes crudelissimos sentiret. Nam mox vbi ille anno 1116. in Germaniam redijt, Papa ingenti symmistarum synodo coacta, & peccato, quod remissione istius priuilegij commisisset, deplorato, Gregorijque septimi decretis confirmatis, omnia post longam discussionem mutat atque inuertit: ac Imperatorem more iam recens orto excommunicat. Ea res multos Germaniæ principes, inque his maximè Moguntinum, ad rebellionem commouit. Cæsar itaque ad Pontificem legatis missis, de pace actionem instituit: sed ea morte Pontificis abrumpitur. Ab eius obitu cùm Gelasius Pontifex à Cardinalibus crearetur, Cæsare non interpellato, Imperator nullam sui rationem habitam esse molestè ferens, mox Romam venit, & Mauritium Bracharensem archiepiscopum Papam constituit: Gelasius verò deiectus, Cæsarem abeuntem vnà cum Papa nouo deuouet: & per Germaniam legatis missis, exemplo prædecessorum subditos ad defectionem hortatur. Quare Heinricus rebus suis metuens, in Germaniam reuertitur. Tandem mortuo Gelasio, cùm, qui in eius locum suffectus erat, Calixtus secundus deturbasset Antipapam ab Henrico constitutum: & Heinricus potentiam Papæ Nordomannorum viribus suffulti crescere, seque ijsdem artibus, quibus pater euersus fuerat, peti videret: anno Domini 1122, Apostolicæ sedis legato Lamperto, qui postmodùm summus pontifex factus, Honorius est dictus, allaborante, ita conciliatur Papæ, vt Imperator inuestituram omnem per annulum & baculum dimitteret, & concederet in omnibus Ecclesijs fieri electionem, ac liberam consecrationem: & regalia ablata, si quæ haberet, restitueret: aut certè, vt restituerentur, procuraret. Pontifex rursus concessit electionem Episcoporum & abbatum in præsentia Imperatoris fieri, sine violentia: ita vt electus regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Concordia hæc est facta Vuormaciæ, nono Calend. Octob. anno M.C.XXII.

Sed etsi Heinricus fractus anathematum diris, rapacitati pontificum cesserit, ac tyrannico Pontificum iugo cum perpetuo Reip. dedecore atque incommodo collum submiserit: pace tamen optata frui non potuit, nouis turbis & in Belgico & in superiore Germaniâ excitatis. Ad quas sedandas cùm Traiectum proficisceretur, in morbum incidit: quo mortuus est, sine liberis penitùs. Quod tunc plerique non immeritò ratiocinati sunt, esse pœnam Dei: propterea quòd ille parum rectè secundum Dei mandatum, tum coluerat optimè de se meritum parentem. Schardius ex Frising. Vrsperg. Nauclero, Cuspiniano & alijs.

Ordo Templariorum.



Hic Ordo cœpit an. 1110. iuxta Francū: sed Anton. illi annum facit 1123: alij 1128. Occasio hæc fuit: cùm Christianis, qui deuotionis gratiâ sepulchrum Domini visitare cupiebant, tutum iter non esset, quidam viri fortes in remissionem peccatorum suorum vouerunt, peregrinos illos armis tueri. Quibus iuxta templum Domini Hospitium assignatum nomen Templariorum dedit. Matth. Paris. Ioannes de Oppido. Tyrius. Volat. Polyd. Francus. Hospinianus.

Regulam habuerunt Canonicorum Regularium. Honorius 2. illis vestitum ordinauit, anno 1122. candidum pallium. Tyrius. Iacob. de Vitriaco. Concilium Trecense. Candido pallio Eugenius Pontifex rubeam crucem addidit. Volat. Ranulphus. Polyd. Francus. Matth. Paris Regibus ditiores effectos dicit: habuisse enim in Christianitate 9000 maneriorum: Hospitalarios verò nouendecim millia. Manerium autem quodlibet potuisse militem vnum instructum in necessitate mittere, quò opus foret. Templarijs fas non erat terga dare, aut sine belli ducis iussu ad suos reuerti. Ioannes de Oppido, Iacobus de Vitriaco.

In bellis capti à Barbaris, solo cingulo, aut cultello redimebantur. Sigebertus.

Templarios Calixtus 2 in Concilio Remensi anno 1119. ab patriarchæ Hierosol. obedientia exemit. De illis habes etiam in 2. & 3. tomo concil.

Ex bonis autem initijs mox pessima exempla secuta sunt: ideoq; etiam D. Bernhardus in pompas ac cupiditates eorundem grauiter inuehitur, dicens: Quis hic, ô milites, tam stupendus error, & furor, tantis sumptibus & laboribus militare, stipendijs verò nullis, nisi aut mortis, aut criminis?

Operitis equos fericis, & pendulos nescio quos panniculos loricis fuderinduitis. Depingitis hastas, clypeos & sellas, frena & calcaria auro & argento circumornatis, & cum tantâ pompâ, pudendo furore & impudenti stupore ad mortem properatis. Militaria sunt hæc insignia, an potiùs muliebria ornamenta? Num quid fortè hostis mucro reuerebitur aurum, gemmis parcet, serica penetrare non poterit? Deniq; ipsi sæpius certiusq; experimini, tria esse præcipuè necessaria prælianti, vt scil. strenuus industriusq;, & circumspectus sit miles ad se seruandum, expeditus ad discurrendū, & promtus ad feriendum. Vos per contrarium in oculorum grauamen fœmineo ritu comam nutritis, longis & profusis camisijs propria vobis vestimenta obuoluitis, delicatas ac teneras manus amplis ac circumfluentibus manicis sepelitis. Nec aliud inter vos bella mouet, litesq; suscitat, nisi aut irrationalis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiscunque possessionis cupiditas. Talibus certè ex causis, neque occidere, neque occumbere tutum est. At verò milites Christi securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes de cæde hostium peccatum, aut de sua nece periculum, quandoquidem mors pro Christo ferenda sit vel inferenda. Refert Antoninus tit. 15. cap. 20. Tragicum autem & valde tristem hic ordo sortitus est finem. Ducentesimo enim ferè, ex quo cœperat anno, imperante Henrico 7. callidissimè structa, & mirifico astu occultata conspiratione Clementis V. Pontificis, & Philippi Pulchri Franciæ Regis deletus est. Exordium lanienæ dedit Gallus, qui toto passim regno suo vno quasi momento Templarios extirpauit. Per reliquum orbem Christianum dato quasi signo à Pontifice Clemente V. è concilio Viennensi, totus eorum ordo extinctus est. Volaterranus lib. 21. Antoninus c. 1. tit. 21. § 3. Sabellic. Enne. 9. lib. 7. Polydorus. Platina in vita Clementis. Crantzius lib. 9. c. 6. Metrop. Balæus in Append. 2. c. 82. cent. 4. ex Christiano Mastro.

Sola Germania in suos paulò mitior fuit. Cùm enim Petrus præsul Moguntinus à Pontifice Clemente ex Gallia in Germaniam reuersus esset, conuocatis Calend. Iulij anno Domini 1311. patribus atque proceribus suæ prouinciæ, Papæ sententiam exequi, atque templarios lege lata tollere voluit. Ibi Hugo Vuildgrauius cum viginti Ordinis sui militibus, tecto vestibus ferro, comparuit, atque in frequenti eorum consessu sese excusare proposuit. Cùm autem nemo eum arcere auderet, clara intrepidaque voce testatus est, quòd grauius in eum Ordinem, quàm meritus esset, animaduerteretur, ideoque se cum suis ad Pontificem maximum, qui Clementi successurus sit, prouocare. Conterriti cum Archiepiscopo patres inermes & imbelles ferocia Templariorum, iusserunt eos esse bono animo. Excepta enim scripto prouocatione eorum, & ad Pontificem missa, eum mitius respondere contigit: ius enim de integro quærendi statuendique præsuli dedit. Cùm autem Templarij se insontes esse docerent, crimine absoluti, nomen tantùm & leges familiæ mutatæ sunt, perplatis & redditibus distributis in alias sacrorum ordinum familias. Maiori tamen ex parte possessiones & prædia Templariorum Ioannitarum Hospitali Ordini, atque fratribus Teutonicis S. Mariæ adiudicata fuerunt in Germania, qui etiam ijsdem & hodie fruuntur: cùm in Gallia in fiscum Pontificis & Regis Philippi illorum Thesauri redacti essent.

Causas lanienæ huius ex suis coniecturis alij alias referunt: nimirum prophanitatem religionis aliqui, ethnicæ æmulam, quòd scilicet simulachra humana pelle induta, & binis in fronte carbunculis collocatis oculorum vice, victimis humanis colerent: natumque ex Templarij & virginis congressu torrerent igne, & ex humore deliquato hoc suum perungerent simulachrum: quòd cineres hominis fortis in bello extincti potarent, audaciores se eo pacto fieri existimantes: quòd spuerent in crucem Christi. Alij libidines infandas: alij proditiones & fœdera cum hostibus Christiani nominis inita. Antoninus & reliqui vt suprà. Gaguinus lib. 7.

Sed de religionibus (ait Hospin.) quæ eis tribuuntur, conficta esse puto, vt sæuitiæ exemplum specie honestiore ad vulgus excusaretur: Coniecturis de libidinibus & proditionibus facilè assentior. Præcipuam tamen existimo fuisse causam deletionis, magnitudinem potentiæ, & opum, quæ monarchis orbis Christiani & formidabilis & intolerabilis erat. Philippi Chron. libro 5. Anton. tit. 21. cap. 1. §. 3. hoc auaritiæ Philippi Regis, eiusque insatiabili habendi cupiditati totum adscribit, quem hoc fecisse dicit, vt bonis Templariorum immodicis ipse poriretur: cui adstipulatur Tritheymius in Chron. Hirsaug. fol. 272. & Seb. Franck. Addit Antoninus multa aduersa huic Regi & filijs eius accidisse, quæ creditum sit à Deo eis ob iniustam Templariorum necem immissa fuisse.

Hermannus Minorita in manuscripto Chronico testatur, Templarios à Papa Clemente in fauorem regis Galliæ hæreseos crimine falsò & inuidiosè notatos fuisse, vt refertur in Vrspergen. Paralipomenis fol. 368.

Refert etiam Fulgosus lib. 1. cap. 6. Templarium quendam Neapolitanum, damnatum ad ignem in vrbe Burdegala, conspectis in fenestra Pontifice, ac rege Philippo Pulchro, magna voce in hæc verba prorupisse: Sæuissime Clemens Tyranne, posteaquàm mihi inter mortales nullus iam superest ad quem appellem, pro graui morte, qua me per iniuriam afficis, ad iustum iudicem Christum, qui me redemit, appello, ante cuius tribunal te voco, vnà cum Philippo Rege, vt intra annum diemque ambo illic compareatis, vbi causam meam exponam & ius sine prauo vllo affectu ministrabitur. Intra id tempus Clemens repentè morte correptus est, nec multò pòst Philippus quoque interijt.

Tradunt authores non obscuri nominis, Iacobum Templariorum Principem, & illustri loco in Delphinatu natum, cùm productus ad supplicium, circumfusa ingenti multitudine, dum pyra

extrue-

extrueretur, stetisset, proposita vitæ spe ac impunitate, si, quæ in custodia fassus de se suisque esset, nunc quoque confessus veniam publicè peteret, in hunc modum locutum fuisse: Ego nunc supremis rebus meis, cùm locū mendacio dari nefas sit, ex animo vereque fateor, me ingens in me, meosque scelus commisisse, vltimaque supplicia cum summo cruciatu promeritum, qui in gratiam, quorum minimè decuit, dulcedineque vitæ, flagitia impia, sceleraque ad tormenta ementitus sum in meum Ordinem de religione Christiana optimè meritum, nec mihi nunc vita opus est precaria, & nouo super vetus mendacio retenta. Exin rogo impositum, ac admoto paulatim igne prioribus pedibus ad exprimendum scelerum confeßionem, ne tum quidem cùm reliquo corpore depasto, vitalia fœto nidore torrerentur, ab huius orationis instantia desciuisse, aut mutatæ mentis vllam significationem præbuisse, neque ipsum, neque duos cum ipso supplicio affectos, nobilißimos huius Ordinis viros. Paulus Æmilius. Vrspergensis Paralipomena.

Sigebertus Gemblacens. monachus. IIII.

MEnse Iunio anno 1084. cometa apparuit: radios dirigens Austrum versus, multis conijcientibus hoc signo portendi futuram Regis expeditionem versus Italiam: Igitur Henricus V. Rex Romam vadit, propter sedandam discordiam, quæ erat inter regnum & sacerdotium, quæ cœpta à Papa Gregorio septimo, qui & Hildebrandus nominatus est, & exagitata à successoribus eius, Victore, & Vrbano, & præ omnibus à Paschale 2. magno scandalo erat toti mundo. Rex autem nolens vti autoritate & consuetudine & authoralibus priuilegijs Imperatorum, qui à Carolo magno, qui pòst de regibus Francorum imperauit Romanis, iamque per trecentos & eo amplius annos imperauerant sub 63 apostolicis, dabat licitè episcopatus & abbatias, & per annulum & per virgam. Contra hanc maiorum authoritatem censebant Papæ synodi iudicio, non posse nec debere dari per virgam vel per annulum Episcopatum, aut aliquam Ecclesiasticam inuestituram à laicali manu. Et quicunque ita Episcopatum, aut aliam Ecclesiastici iuris inuestituram accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc præcipuè causam rex Romam tendebat, & si qui Longobardorum quoquo modo ei resistere volebant, potenter eos proterebat. In reconciliatione autem, quæ facta est inter Imperatorem & Papam (nam ipsum Papam cum Episcopis & Cardinalibus ceperat) die Paschæ Henrico in Imperatorem iam coronato post lectum Euangelium tradidit ei Papa ante altare Apostolorum Petri & Pauli, in oculis omnium principum, priuilegium de inuestitura Episcopatuum vel Abbatiarum, tam per annulum quàm per virgam, scilicet vt regni eius episcopis vel abbatibus liberè præter violentiam & simoniam electis, inuestituram virgæ & annuli conferat, post inuestitionem verò canonicè consecrationem accipiat ab Episcopo, ad quem pertinuerit.

Confirmatio pacis inter Apostolicum & Imperatorem fuit, cùm Pontifex in celebratione Missæ traderet ei corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi dicens: Domine Imperator, hoc corpus Domini natum ex Maria virgine, passum in cruce pro nobis (sicut sancta & Apostolica tenet Ecclesia) damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te. Datum est idibus Aprilis, indictione quarta. Facti autem postea pœnitens Papa Paschalis II. eo prætextu, quòd neceßitate coactus promisißet, rescidit id factum in Romana synodo, & tandem suis fulminibus effecit, vt Henricus desertus ab omnibus, ius illud vel inuitus, suis successoribus resignare fuerit coactus. Imper. 95 Henrico V. Papa 167 Paschale 2.

Idem. Sacerdos expiranti similis triduo in Saxonia decubuit. Is vbi ad se redijt, apud inferos Hildebrandum, Rudolphum, Hermanum, Tyrannos æternis mactari supplicijs, reuelauit. Quibus addit Auentinus: Nam tunc falsi Prophetæ (inquit) falsi Apostoli, falsi doctores emersêre, qui simulata religione populum deceperunt, magna signa atq; prodigia ediderunt, & in templo Dei sedere atq; extolli super omne id, quod colitur cœperunt. Dumque suam potentiam, & dominationem stabilire conantur: charitatem, & simplicitatem Christianam extinxerunt. Plerique omnes boni, aperti, iusti, ingenui, simplices, tunc imperium Antichristi cœpisse, quòd ea quæ Christus Seruator noster tot annos ante nobis cantauit, euenisse eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidêre.

Idem. Petrus quidam Chartularius erat, & de publicis tributis rationes conficere solebat. Amplectebatur autem doctrinam Christi, & auersabatur Mahometi superstitiones, & errores. Sed vim metuens, ea quæ sui muneris erant, curabat, & Arabum conuicia tolerabat: Ea verò re cùm malam conscientiam sibi comparasset, in morbum incidit. Ad eum visitandi gratia accedunt primores Arabum, quos sic excepit: Mercedem pro mei visitatione à Deo recipiatis, licet infideles amici sitis: testamenti verò mei testes vos volo, idq; tale est: Omnis qui non credit in patrem, & filium, & spiritum sanctum consubstantialem, & diuinam in monade Trinitatem, mortuus est animâ, & æterno dignus tormento. Talis est Mahomet Pseudopropheta vester, & Antichristi præcursor. Discedite ergò, si mihi creditis testanti vobis cœlum, & terram, ab illius fabulatione. Consulo enim vobis, ne cruciemini simul cum illo. Cùm hæc & plura cum eis de Deo ratiocinatus dissereret, audientes illi stupore, seu vesania detenti, longaminiter visi sunt ferre, ex languore hunc præter sensum esse putantes. Cùm autem ex infirmitate conualuisset, maiori cœpit voce clamare: Anathema Mahumet, & fabulosum scriptum eius, & cuncti qui obediunt, & credunt ei. Tunc per gladium animaduersionem perpessus, martyr ostensus est. Hunc declamationibus sermonum honorauit sanctus pater Ioannes, qui benè cognominatus est Chrysorroas. Paulus Diac. lib. 22. Rerum Romanarum.

Idem. Anno 3 Imperij Iustiniani, in Africâ Episcopis quibusdam orthodoxis à Vandalis linguæ radicitus sunt excisæ: qui tamen nihilominus, Deo mirabiliter suam præsentiam, ac fauorem erga constantes veritatis assectatores declarante, clarè & disertè loqui potuerunt. Vnum verò ex his superbientem hac gratiâ, rursum priuatum hoc beneficio esse affirmat.

Idem Henricum quartum Imperatorem contra Pontifices defendit, asserens: Papam non habere vtrumque gladium, neque iuris aliquid super ipsum Imperatorem. Docuit, detestabilem esse hæresin in Papâ, politicorum dominorum subditos à iuramentis absoluere. Narrat itidem tetra Paparum, & Cleri facinorum exempla.

Idem. In Hasbania anno 1126, ignobilis muliercula monstrum bis gemini corporis est enixa, auersis vultibus & corporibus sibi cohærens, antè quidem effigies hominis integro corporis membrorumque ordine distincta, retrò verò facies canis similiter corporis & membrorum proprietate integra.

Idem. Hatto Moguntinus archiepiscopus, cuius dolo Adelbertus Bambergensis Marchio capitis olim damnatus fuerat, cùm Conradi Imperatoris instinctu, Henrico Saxoniæ duci quoque necem intentaret, fulmine ictus interijt: eiusque corpus in Ætnæ montis voragines à diabolo præcipitatum, hac voce in aëre resonante:

Sic peccata lues, sicq́, ruendo rues.

Id testantur etiam Crantz, Honorius, Hermannus Gigas, Schedelius & alij.

Idem. Collecto concilio Ioannes Papa ob scelera maxima remouetur, & approbante Imperatore Leo substituitur. Ioannes indicto concilio Leonem iterum deposuit, eius gesta cassauit, & lege lata concilium à Leone habitum, non nominandum concilium, sed prostibulum fauens adulteris, decreuit. Quicunque autem eo ordinante erant damnati, iussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta, hæc continente verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. Romani corrupti pecunia à Ioanne, Imperatorem vi adorti, per eum cæsi sunt, & Leo restitutus. Imperatore recedente, Leo insidias Romanorum fugit. Ioannes in coitu cũ alterius vxore à Diabolo percutitur. Hic vides nec concilia nec Papas errare posse.

Idem. Monachis & Monialibus promiscuas libidines exercere, voluptati magis erat, quàm in legitimo matrimonio œconomiæ onus sustinere. Quare cùm Imperator Constantinus Copronymus illis coniugium imperaret, adeò molestè id tulisse scribuntur, vt passi sint potius martyrium, secundum illud: Omnes qui amant, ægrè sibi vxores dari ferunt. Idem Paul. Diac. & Zonaras.

Idem. Alexander anno Domini 904. Imperat. Orientis ignauus fuit, luxui & magiæ deditus. Percontatus à præstigiatoribus suis, an diu victurus esset? Responsum accepit, si apro æneo in theatro dentes, & pudenda ademisset. Quo dicto significabant, eum gulæ & libidinibus deditum, à quibus nisi abstineret, eum sibi mortem acceleraturum esse: id quod euenit. Nam post balneum epulis & lusibus deditus, rupta vena, sanguinis effusione interijt. Idem quoq; Zonaras & Cedrenus.

Idem. Odo ex monacho Cluniacensi episcopus Ostiensis, contra Imperatorem Henr. 4. & Guibertũ 1063 fit Papa, & Vrbanus 2 nominatur. Hinc in Ecclesiâ scandala, & in regno augescunt dissidia: dum alter ab altero dissidet: dum regnum, & sacerdotium dissentit, dum alter alterum excommunicat: alter alterius excommunicationẽ aut ex caussæ, aut ex personæ præiudicio contemnit: dumq; alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex suo libitu, quàm ex iustitiæ respectu abutitur: auctoritas illius, qui dedit potestatem ligandi, ac soluendi, omninò despicitur. Nimirùm (vt pace omnium bonorum dixerim) hæc sola nouitas (non dicã hæresis) nec dum in mundo emerserat, vt sacerdotes illius, qui dixit Regi, Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quòd malis regibus nullam debeant subiectionem: & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem: nec periuri dicantur, qui contra regem senserint: imò qui regi paruerit, pro excommunicato habeatur: qui contra regem fecerit à noxâ iniustitiæ, & periurij absoluatur.

Idem. Henrichus ex Scholastico Treuerensi Episcopus Vercellensis, scripsit librum sub persona Theodorici Virdunensis Episcopi, ad Hildebrandum, siue Gregorium Papam, de discordia regni & sacerdotij: non eum increpans, sed vt seniorem obsecrans, & patrem,, & amicabili inductione & quasi affectu dolentis suggerens ei omnia, quæ contra ius legum, & fas religionis eum fecisse, & dixisse diuulgabat loquax fama.

Idem. Auxilius scripsit dialogum sub persona insensoris & defensoris, diuinis, & canonicis exemplis munitum contra intestinam discordiam Romanæ Ecclesiæ: scilicet de ordinationibus, exordinationibus, & superordinationibus Romanorum Pontificum, & ordinatorum ab eis exordinationibus & superordinationibus. A. D. 990.

Idem. Gregorium 7. Hildebrandum iactitant, multis post mortem clarere miraculis. Referunt Antoninus, & Vincentius, Hildebrandum illum in vltimo vitæ suæ articulo ad se vocasse Cardinalem quendam, ac esse professum, se grauiter offendisse, quòd suadente diabolo, simultates, inimicitias, odia, & bella inter multos excitauerit, Iussitque illum adire Imperatorem Henricum, & ab eo admissorum facinorum veniam petere.

Idem. Gregorius Papa celebrata synodo simoniacos anathematizauit, vxoratos sacerdotes à diuino officio remouit, & laicis Missam eorum audire interdixit, nouo exemplo & (vt multis visum est) inconsiderato præiudicio, contra sanctorum patrum sententiam, qui scripserunt, quòd sacramenta quæ in Ecclesia fiunt, baptismus scilicet, chrisma, corpus & sanguis Christi, spiritu

sancto latenter operante eorundem sacramentorum effectum, seu per bonos seu per malos intra Dei Ecclesiam dispensentur. Tamen quia Spiritus sanctus mysticè illa viuificat, nec meritis bonorum dispensatorum amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur, vnde est hic qui baptizat? Ex qua re tam graue oritur scandalum, vt nullius hæresis tempore sancta Ecclesia grauiori schismate scissa sit, his pro iusticia, illis conta iusticiam agentibus, alijs à simonia non declinantibus, alijs notam auaritiæ honesto nomine prætexentibus, dum hoc quod se gratis dare iactant, sub charitatis nomine vendunt, vt de Montanis dicit Eusebius, sub nomine oblationis artificiosius munera accipiunt. Porrò continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modò causa quæstus ac iactantiæ simulantibus, multis incontinentiam, periurio aut multipliciori adulterio cumulantibus, ad hoc hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines, & se ab omni Ecclesiastica subiectione excutientibus, laici sacra mysteria temerant, & de his disputant, infantes baptizant, sordido humore aurium pro oleo sacro & chrismate vtentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum & vsitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ à presbyteris coniugatis accipere paruipendunt, decimas presbyteris deputatas igni cremant, & vt in vno cætera perpendas, laici corpus Domini à presbyteris coniugatis consecratum, sæpe pedibus conculcauerunt, & sanguinem Domini voluntariè effuderunt, & multa alia contra ius & fas gesta in Ecclesia sunt, & hac occasione multi pseudomagistri exurgentes in Ecclesia, prophanis nouitatibus plebem ab Ecclesiastica disciplina auertunt.

Idem. Ratholdus dux Frisonum prædicatione VVulfranni Episcopi ad hoc adductus, vt baptizari deberet, cùm vno pede in lauacrum intrauisset, alterum pedum retrahens interrogauit, vbinam plures suorum maiorum essent, in inferno an in paradiso? Et audiens plures esse in inferno, intinctum pedem extrahens, satius est (inquit) vt plures quàm pauciores sequar, & ita ludificatus à dæmone promittente, quòd ei tertia die abhinc incomparabilia bona daret, ipsa tertia die subita & æterna morte obijt.

Idem. Istiusmodi decretum à Franciæ Episcopis datum est seruari subiectis sibi populis. Vnus eorum dicit, cœlitus sibi delatas esse literas, quæ pacem monerent renouandam in terra. Quam rem mandauit cæteris, & hæc tradenda dedit populis. Arma quisque non ferret, direpta non repeteret, sui sanguinis vel cuiuslibet proximi vltor minimè existens percussoribus cogeretur indulgere: ieiunium in pane & aqua omni sexta feria seruarent, & in sabbatho à carne & liquamine abstinerent, soloque hoc contenti ieiunio in omnium peccatorum remissionem nullam sibi scirent aliam adijciendam pœnitentiam, & hæc seruare sacramento firmarent. Quod qui nollet, Christianitate priuaretur, & exeuntem de seculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quàm plura dedêre mandata, quæ oneri visa sunt replicare. Hanc mandatorum nouitatem, cùm multi cupidi nouarum rerum iusto libentius amplecterentur, Gerardus Cameracensis Episcopus, qui solus Lothariensium appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc suscipienda, sed singula capitula refellebat, dicens: genus humanum ab initio trifariam esse diuisum, in orantibus, pugnatoribus, agricultoribus, & vnum duorum, & duos vnius egere auxilio, ideo debere arma ferri, & rapinas reddi pro autoritate legis & gratiæ, vltorem percussi vel occisi non exacerbari cogendo, sed secundum Euangelium ei reconciliari: ieiunium in sexta vel septima feria, nec omnibus vnum esse imponendum, quia non est vna omnibus possibilitas: nec omnes hoc vno contentos esse, quia non est vna omnium pœnitendi qualitas: hæc sacramento firmare vel sacramenti violationem periurio augere non esse vtile, his contradicentes excommunicari, infirmis visitationem vel mortuis sepulturam negari esse detestabile, sufficere authentica patrum decreta, & super his neglectis impositum congruenter pœnitentiæ modum.

Idem. Otho Imperator degens Romæ dum cum Romanis remissius agit, tractans qualiter iura regni, & Ecclesiæ ad antiquum statum reformaret, Romani per hoc ad contemtum eius adducti, subitò contra eum conspirant, & aliquot militum eius peremtis, eum in palatio obsident. Vnde per industriam Henrici ducis Baioariæ & Hugonis marchionis Italiæ simulato pacto vix extractus, Romà decedit cum Syluestro Papa.

Idem. In parochiâ Moguntinâ malignus spiritus euidens nequitiæ suæ dedit indiciũ. Nam primò lapides iaciendo, & parietes domorum quasi malleis pulsando, inde manifestè loquendo, furta etiam prodendo, discordias inter vicinos seminando, homines inquietabat. Deniq; animos omnium contra vnum hominem commouit, quasi propter eius peccata cæteri talia paterentur, cuius fruges in vnum coaceruatas incendit, qui vbicunq; intrasset, statim domus illa exurebatur, vt iam ei nisi in agris locus manendi nullus esset. Propter hoc presbyteris litanias agentibus, & benedictam aquam spargentibus, inimicus lapides iaciendo, multis cruentatis, tandem aliquandiu quieuit: presbyteris recedentibus, inimicus flebiliter vlulans, tandem presbyterum quendam nominatim exprimens, se quando aquâ benedictâ spargebatur, sub cappâ illius, quasi familiaris sui, latuisse professus est, accusans eum cum filiâ procuratoris concubuisse. Sic per triennium institit, donec ibidem cuncta ædificia incendio consumeret.

Idem. Anno Domini 851, fames grauissima afflixit Germaniam. Quidam à Rheno cum vxore & filio suo puero in Thuringiâ, vbi remissior erat annonæ caritas, proficiscens, in itinere de puero mactando, & comedendo deliberat. Mater tantum facinus marito dissuadet. Cùm autem ille famis non diutius ferre molestiam posset, & iam gladium in puerum strinxisset, conspicit duos lupos ceruum dilaniantes, eosque continuò abigit, & carne crudâ se à fame vendicat.

Idem reperies apud Nauclerum, Mutium & alios.

Idem. Quædam Pseudoprophetissa dicens: instare diem iudicij, Moguntiam sollicitabat, ita vt etiam aliquos sacri ordinis ad se inclinaret: quæ ab Archiepiscopo correpta, confessa est, se per suggestionem cuiusdam presbyteri, quæstus caussá hoc fecisse.

Idem. Heraclius ad Persas debellandos proficiscens, virilem Dei figuram in manibus accipiens, quam manus non depinxerat, sed in Iconiâ verbum quod omnia format, atque componit sine picturâ formam, velut sine semine partum eduxit.

Idem. Adrianus Papa ad tuendas res Ecclesiæ Carolum Romam accersit. Quò pergens Papiam obsidet, ibiq; relicto exercitu Romam peruenit, sanctam resurrectionem ibi peregit, postea rediens Papiam cepit. Iterumq; Romam redijt, synodum constituit cum Adriano Papa alijsq; 153 religiosis episcopis & abbatibus, in qua Adrianus Papa cum vniuersali synodo dedit ei ius eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoq; principatus: insuper archiepiscopos & episcopos, per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit, & vt nisi à rege laudetur & inuestiatur Episcopus, à nemine consecretur, omnesque huic decreto rebelles anathematizauit, & nisi resipiscerent bona eorum publicari.

Idem. Cùm pauper quidam circiter annum Domini 606. à nautis eleemosynam petijsset: illi verò respondissent, se nihil præter lapides habere: mendicus inquit: omnia ergò quæcunque manducabilia in naui sunt, vertantur in lapides, quod & factum est. Lapidum enim duritiem omnia sortita sunt, licet color, & forma rebus illis mansisset pristina.

Idem. Contentio inter Romanam Ecclesiam, & arrogantiam Ioannis Episcopi Constantinopolitani, vniuersalis patriarchæ nomen sibi vsurpantis, sub Pelagio Papa concepta, & à Gregorio iã inde non leniter exagitata, non antea quiescere potuit, quàm Ioannes ipse subitâ morte obijt.

Idem. Ioannes Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ab Alexandro Papá Constantinopolim, petente id Manuele Imperatore, missus, vt Græcorum Ecclesiam Romanæ subijceret, à Græcis occisus est: alligatumq; cadauer cani, cuius cauda ori Cardinalis inserta erat, per vicos ciuitatis magnâ immanitate pertractum, tandem igni traditur: sub annum 1182. Cuspinianus ab Andronico, Manuelis odio, hanc cædem perpetratam scribit.

Idem. Abbas Cistercij & fratres eius non immemores Sponsionis suæ, regulam beati Benedicti in loco illo ordinatá vnanimiter statuerunt tenere reijcientes à se quicquid regulæ refragabatur, forcos videlicet & pelliceas, estamina, caputia quoque & femoralia, pectinia & coopertoria stramina lectorum, ac diuersa ciborum in refectorio fercula, sagimen etiam & cætera omnia quæ puritati regulæ aduersabantur. Sicque rectitudinem regulæ supra cunctum vitæ suæ tenorem ducentes, tam in Ecclesiasticis quàm in cæteris obseruationibus regulæ vestigijs sunt adæquati seu confirmati. Exuti ergo veterem hominem, nouum se induisse gaudebant, & quia nec in regula, nec in vita sancti Benedicti eundem doctorem legebant possedisse ecclesias, vel altaria, seu oblationes & sepulturas, vel decimas aliorum hominum, seu furnos, molendina, aut villas, vel rusticos, nec etiam fœminas monasterium eius intrâsse, nec mortuos ibidem excepta sorore sua, sepelijsse: ideò hæc omnia abdicauerunt dicentes: Vbi beatus pater Benedictus docet, vt monachus à secularibus actionibus se faciat alienum, ibi liquidò testatur, hoc non debere versari in actibus vel cordibus monachorum, qui nominis sui eymologiam hæc faciendo sectari debent. Decimas quoque aiebant à sanctis patribus (qui organa erant Spiritus sancti, quorumque statuta transgredi sacrilegium est) committere in quatuor partitiones distributas, vnam scilicet Episcopo, alteram presbytero, tertiam hospitibus ad illam Ecclesiam venientibus, seu viduis & orphanis, siue pauperibus aliunde victum non habentibus, quartam restaurationi Ecclesiæ. Et quia in hoc computo personam Monachi, qui terras suas posidet, vnde & per se & per pecora sua laborando viuat, non reperiebant, idcircò hæc veluti aliorum ius iniustè sibi vsurpare detrectabant. Ecce huius seculi diuitijs spretis cœperunt noui milites Christi cum paupere Christo pauperes inter se tractare, quo ingenio, quo artificio, seu quo exercitio in hac vita se hospites & pauperes superuenientes, quos vt Christum suscipere præcipit regula, sustentarent? Tumque definierunt se conuersos laicos barbatos licentia Episcopi sui suscepturos, eosque in vita & morte excepto monachatu, vt semetipsos tractaturos, & homines etiam mercenarios, quia sine adminiculo istorum non intelligebant, se plenariè die noctéque præcepta regulæ posse seruare, suscepturos quoque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata, & syluas, aquasque ad faciendos molendinos, ad proprios tamen vsus & ad piscationem, & equos pecoraq; diuersa necessitati hominum vtilia, ad exercendas agriculturas decreuerunt, vt prædicti conuersi domos illas regerent, non monachi, quia habitatio Monachorum secundum regulam debet esse in claustro ipsorum.

Quia etiam beatum Benedictum, non in ciuitatibus, nec in castellis, aut in villis, sed in locis à frequentia populi semotis, cœnobia construxisse sancti viri illi sciebant, idem se æmulari promittebant. Et sicut ille per duodenos monachos manasteria constructa adiuncto patre disponebat, sic se facturos confirmabant.

Idem. Hieronymo sacras scripturas veteris testamenti de Hebraica veritate in Latinam linguam vertente, editio 70 interpretum, quæ tenebatur à cunctis & Græcis & Latinis, cœpit in secundis haberi: eò quòd à veritate Hebraica recessissent, vt multi testantur. Quod contra inueteratum vsum Ecclesiæ fieri, quamuis sancti & docti viri ægrè ferrent, præualuit tamen authoritas Hebraicæ veritatis, postquàm patuit, quantum ab ea discreparent 70 interpretes. Vbi obiter adscribendum duxi, à quibusdam referri, Hieronymum in profecta demum ætate conduxisse Hebræos, à quibus linguam illam addidicerit.

Idem.

Idem. Olim in sanctam congregationem viri nimirum sapientes altius de monachatu suo intelligentes, elegerunt potius studiis cœlestibus occupatos, quàm terrenis complicatos negotiis.

Idem. In pago Bracatensi juxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsecus congregatæ, prodigioso prælio inter se concurrunt, & multis vtrinque occisis, victa pars fugiens in cauo arboris se abscondit. Altera pars vincentium more insequens cum sibilo circumstrepat, donec circumiecto ab hominibus igne omnes crematæ sunt.


In Complemento Sigeberti.

ADfertur exemplum, quòd fuerint in Gallia duo fratres gemini, qui ambo sacerdotes facti, vno die Episcopi electi, & ambo eódem anno, & mense & die mortui fuerunt. Finis vtrique idem mensis & annus erat. Vnus erat nomine Medardus, Episcopus Nouionensis, alter Gilhardus Episcopus Neumagensis. Hi sine dubio ferè ambo vno momento nati sunt, alioquin fortunam, conditionem, dignitatem & longitudinem vitæ minimè æqualem essent adepti.

Horrenda & tremenda signa. 1117.

ANno millesimo centesimo decimo septimo, in octaua sancti Ioannis Euangelistæ terræmotus bis inter diem & noctem tam terribilis per totum orbem terrarum factus est, vt multa ædificia corruerent, & homines vix effugerent: sed maximè in Italia, vbi tam periculosus & horribilis fuit, vt manifestum Dei iudicium super se homines expectarent: cùm per diuersa loca Italiæ ciuitates, castella, villæ, cum hominibus inibi commorantibus subitò ab hiatu terræ deperirent. Nam & montes scissi, & flumina terra deglutiente exsiccata sunt, vt qui vellent pedibus transire possent. Nec non fluuius Padus de alueo suo se erigens, in modum fornicis in altum se extulit, vt via pateret inter terram & aquam, & apertè daretur intelligi, quòd elatis fluctibus mundo exitum minaretur.

Et cùm sic diutius aqua penderet, tandem in semetipsam tanto sonitu demittitur, vt murmur illius per aliquot milliaria audiretur. His tam mirandis, tamque tremendis signis circumquaque diuulgatis, & tribus diebus in ieiunijs & orationibus per totam Italiam, ab omnibus peractis: apud Cremonam quidam infantulus in cunis jacens, pannis obsitus, in primam loquendi vocem contra naturam os aperuit, matremque suam escas parantem fratri suo maiori, qui plorando panem petiuerat, à corporis curis compescuit, asserens apparuisse sibi Dei genitricem Mariam ante tribunal Christi stantem, instantissimisque precibus pro iudicio quod mundo propter peccata sua dare intenderat, ipsi supplicantem: ac post hæc deposuit eloquium vsque ad tempus humanæ conditioni congruum. Hæc autem tanta & tam horribilia mirabilia, hi, qui viderunt, pericula mortis vix euaserunt, & non sunt compuncti, nec gratias egerunt Deo pro euasione sua. Qui verò audierunt tam stupendum signum non glorificauerunt Deum, sed indurati in maliciis suis, maiora peccata prioribus addiderunt. Nam hoc eodem anno multa perpetrata mala, coniurationes iniustæ, incendia, homicidia, concremationes Ecclesiarum, & abstractiones bonorum inibi Deo seruientium, sed maximè in partibus Galliæ, vbi ciues contra ciues consurgunt, & sibi non consentientes capiunt bona, diripiunt ciuitates, castella, domos, villas destruunt, incendunt, homines non humano, sed pecudum more dilaniant, atque interimunt. Bis etiam hoc anno eclipsis Lunæ facta est, scilicet decimo sexto calendis Iulii, & tertio idus Decembris. Mirabile quoque signum decimo septimo calendas Ianuarii in cœlo apparuit, variis coloribus permixtum.



1118. ## *Ordo Bernhardinorum.*



HI cœperunt secundum Hospinianum circa annum Domini 1113. iuxta Francum autem annum Domini 1120. Sunt iidem eiusdem cum Cistertiensibus ordinis. A Sancto Bernhardo Burgundio ex nobili familiâ orto, originem trahunt. Qui relicto seculo Cistertium se primò contulit: ibique Abbas Claræuallensis factus fuit: cui cœnobio 36. annis præfuit, & libros illos, qui extant, magnâ cum laude scripsit. Recitatur ridiculum hoc loco de Abbate indocto, qui cùm in cœnobium quoddam Benedictinorum venisset, & ibi Abbas mensam his verbis inter alia consecraret: Benedictus benedicat, neque ille præ inscitiâ, intelligeret de Deo id esse intelligendum, rediens in suum monasterium ad imitationem illius, & quòd putaret quemlibet per authorem ordinis sui consecrare debere, dixit: Bernhardus bernhardat. Vestitus illorum est diuersus hodieà Cistercensium. Habent enim tunicam nigram super pallio albo. Festis tamen diebus Cistercensium habitu vtuntur: vt per eum significent, ordinem illorum ab istis fluxisse. Francus & Hospinianus. Ordinem hunc Francum præ aliis ait celebrem esse, & aliquot millium cœnobiorum. Habes in tomo 2. Concil. 2. epist. Alex. 3. Gaguinum hist. lib. 6. & Syluestrum Giraldum Episcopum, qui grauiter taxârunt Cistercensium & Bernhardinorum ambitionem, auaritiam, libidines, & alias eorum turpes enormitates. Non diu enim Regulam Authoris obseruâuerunt, vt apud illos. Imp. & PP. vt suprà.

1118. ## *Ostentum.*

IPso die Paschatis manè, adhuc lucente Luna, ex aperto cælo ad meridiem versus visa est crux quædam demitti, & descendere auro & gemmis splendidissima. Vrsperg. Nauclerus. Imp. 95. Henrico 5. PP. 168. Gelasio 2.

1119. ## *Monstrum apud Homelam.*

HOc anno iuxta Sparliacum natus est infans monstrosus in modum piscis, nec brachia habens, nec coxas. Meyerus in annal. Belg. Imp. vt suprà. PP. 169. Calixto 2.

1119. ## *Episcopus Fluentinus, seu Florentinus.*

CIrca annum Domini 1119. grassante per Italiam armis Paschale II. Papa, & inprimis affligente Ecclesiam Rauennatum, quæ nunquam adhuc se prorsus Papis subiicere voluerat, cœpit concionari & prædicare Fluentinus Episcopus (seu Florentinus, vt Molinæus vult) Antichristum aduenisse, ipsum nimirum Papam indicans. Adeò autem Papa id ad se pertinere, seque eo pestisensit, vt ea de causa, teste Sabellico, & Antonino eò in propria persona sit profectus, silentiumq; ei imposuerit. Haud dubiè non parùm ille Antichristus suo regno timuit: nec leui periculo motus fuit, quòd ipsemet eò profectus est. Imp. 95. Henrico 5. PP. 169. Calixto 2.

1119. ## *Ordo Præmonstratensium.*

ANno 1119. secundum Francum, & Sigeberti continuatorem cœpit. Vincentius verò cum Tritheymio, Antonino & Panuinio ei annum 1120. ascribunt. Martinus in Chronico hos de illo ponit versus:

Anno milleno, centeno, bis quoque deno,
Sub patre Norberto, Præmonstrensis viget ordo.

Auctor est Norbertus Lotharingus illustri familia natus. Auentinus Nordobertum dicit è Santhone Germaniæ inferioris oppido ortum. Nudis pedibus in hyemis asperitate, prædicationis gratiâ circumibat. De quo etiam in Meyero historico plura annotata reperies. Tandem Landugnensis Episcopus factus postmodum quoq; Lotharii Imp. & Innocentii 2. promotione, Magdeburgensis Ecclesiæ, Primatis Germaniæ titulum impetrauit. Bruschius. Viuunt sub Augustini Regula: Præmostratenses appellantur, quia diuinitùs visus sit Augustinus illis Regulam, & locum præmonstrare, præscribere, & tradere. Bal. Volat. Polyd. Calixtus 2. eos Canonicos Regulares exemtos

nomina-



nominauit. Vestitus est tunica alba cũ lineâ togâ sub candido pallio: quo potissimùm à Canonicis differunt. Sub Nicolao 4. Præmonstratenses Canonici, & Carmelitæ fratres dimicârunt propter albas cappas, quas Honorius 4. illis concesserat. Sed Carmelitæ Pontificis fauorem nacti, tandem vicerunt. Bal. Ioannes de Molinis in Speculo. Peculiare hunc Ordinem habuisse ferunt, vt non solùm vicinas, sed etiam contiguas habeat Nonnas. Bruschius. Fuit autem hæc consuetudo multarum libidinum causa. Quod animaduertens circa annos Christi 1273. Conradus Præpositus Martalensis cœnobii ordinis Præmonstraten: abrogauit bono & pio zelo, atque omnium fratrum consilio Monasterium Sororum sub Priorissâ viuentitium: quod eidem Martalensi cœnobio coniunctum erat. Extat decretum apud Bruschium de Monast. Germ. fol. 82. quod ita habet. Anno verbi incarnati 1273. Dominica, qua cantatur, Iudica me Deus, Nos Conradus præpositus de Martello cum vniuerso conuentu fratrum nostrorum Canonicorum attendentes, quòd mulierum nequitia superet omnes nequitias, quæ sunt in mundo, & quòd non est ira super iram mulieris, quodque venena aspidum & Draconũ sanabiliora sint homini, & mitiora, quàm familiaritas mulierum: Decreuimus pari consensu, & communi consilio, saluti tam animarum quàm corporum, & etiam rerum in posterum prouidere volentes, vt aliquas de cætero sorores ad augmentũ nostræ perditionis nullatenus recipiamus, sed eas quasi venenata animalia recipere deuitemus. Vt autem hæc firmitatis robur obtineant inconuulsum, Ego Conradus prædictæ Ecclesiæ tradidi fidem meam sanioribus & senioribus, nomine iuramenti, vt infra spatium 50. annorum nullam sororum recipiam, vel recipi patiar. Cæterorum verò Canonicorum iuramenta recepi, vt nullus ipsorum aliquam sororem recipiat intra terminum 50. annorum: vel recipi patiatur: post hunc terminum elapsum quid successoribus nostris complaceat, arbitrio eorum relinquimus. Consulimus autem, vt & ipsi prædecessorum vestigia, ob commodum, & salutem suam in his imitentur. Vtinam fiat.

De quibusdam locis iuris canonici: & de compilatoribus eiusdem. 1120.

Gratianus monachus Bononiensis seu Classensis Hetruscus: Canone Nullus: Distinct. 99.

Episcopi, qui Symmachum Pontificem Romanum apud Theodoricum Regem Gottorum accusarunt, inter reliqua crimen hoc velut maximum illi obiecerunt, quòd se ἀυτένεμορεσ ἀνυπεύθυνον, id est, à quouis homine & magistratu iudicabilem & damnabilem esse negârat. Imp. & Papa vt suprà.

Ibidem 23. quæst. 8. Quicunq; ex clero videntur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant: sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, & religioso habitu præbeant. Quod si contemserint, tanquam sacrorum canonum contemtores, & Ecclesiasticæ autoritatis profanatores proprii gradus amissione mulctentur: quia non possunt simul Deo, & seculo militare.

C. Principes seculi, 23. q. 5. Principis est in suo regno disciplinam Ecclesiasticam munire & defendere, etiam aduersus Prælatos Ecclesiasticos abutentes.

XI. quæst. 3. Absit. & ibi glossa. Clericus si amplectatur mulierem, interpretandum, quòd causa benedictionis hoc faciat.

C. Is qui, Dist 34. Is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur.

Cap. sequente: Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est: nisi vnam tantùm aut vxorem, aut certè loco vxoris (si coniux deest) concubinam.

In cap. 2. dist. 23. & c. si quis pecun. Dist. 79. Si quis vel pecuniâ, vel gratiâ humanâ, vel populari tumultu, vel quolibet ingenio (id est ambitione & malis artibus) Paparum adeptus erit: is non Apostolicus sed Apostaticus habeatur, & cum suis fautoribus & sequacibus à liminibus S. Dei Ecclesiæ separatus abiiciatur, sicut Antichristus & inuasor & destructor totius Christianitatis. In quam sententiam audacter canonistæ summo consensu scribere, ac palàm profiteri ausi sunt: Papam aliter quàm Canonicè electum, esse diabolum, & habere claues non cœli, sed inferni. Hæc sunt Felini verba in cap. Ego N. de iureiur.

Distinct. 63. C. Hadrianus, Dist. 63. c. in Synodo scribit Hadrianum 2. Papam in Synodo Lateranensi, cui centum quinquaginta quatuor Episcopi interfuerunt, ius eligendi Pontificis Romani, & ordinandi, atq; etiam Episcoporum per omnes prouincias constituendorum, consecrando-

rumque Carolo Regi Francorum solenniter attribuisse: & quicunq; contra hoc decretum sentiret, anathematis pœnâ, publicationisq; bonorum afficiendum sanxisse. Hoc ipsum Decretum Leo &. Papa cum toto clero, ac populo Romano, Ottone primo regnante, in perpetuum confirmâsse, & sub pœna excommunicationis, perpetuiq; exilii obseruandum edixisse, apud eum legitur.

Idem parte 1. dist. 15. can. 3. Sanctorum Martyrum gesta, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant: quis ita esse catholicorum dubitet, & maiora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratiâ, & adiutorio vniuersa tolerasse? Sed ideò secundum auctoritatem antiquam, vel consuetudinem singulari cautelâ in sanctâ Romanâ Ecclesiâ non leguntur: quia eorum, qui scripsêre, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut dictis superflua, aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicut cuiusdam Quirici, & Iulitæ matris eius, sicut Georgii, aliorumque passiones huiusmodi, quæ ab hæreticis probantur conscriptæ. Propter quod (vt dictum est) ne vel leuius subsannandi oriretur occasio, in sanctâ Romanâ Ecclesiâ non leguntur. Atque hîc vide Lector, vt labra sibi ipsis hoc decreto disciderint Papistæ, vtque eos incipiat fabularum & nugarum suarum pudere & pœnitere.

Forma Fulminis Papalis aduersus eos, qui curiæ Romanæ sese opponunt.

DIst. 23. cap. In nomine Domini: Quòd si quis huius nostræ sanctæ decretalis sententiæ temerator extiterit, & Romanam Ecclesiam sua præsumtione confundere & perturbare contra hoc statutum tentauerit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur: & cum impiis, qui non resurgent in iudicio, reputetur: omnipotentis iram contra se sentiat, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum Ecclesiam præsumit confundere, in hac vita, & in futura furorem sentiat. Fiat habitatio eius deserta, & in tabernaculis suis non sit, qui inhabitet: fiant filii eius orphani, & vxor eius vidua. Commotus commoueatur ipse, & filii eius mendicent, & eiiciantur de habitationibus suis. Scrutetur etiam fænerator omnem substantiam eius. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa sint ei contraria. Et omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant, & ni se hac vita decreti omnipotentis vinculis absoluat, super eum apertam vindictam eorum ostendant. Obseruatores autem huius, nostri gratia protegat auctoritas beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Similem execrationem habes suprà anno 1047.

Form. iuram. quod Papæ exigunt ab Episcopis, vt cogantur, velint nolint, papatum defendere: ex Decretali de Iureiurando c. Ego.

EGo N. Episcopus ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro, sanctæq; Apostolicæ Romanæ Ecclesię, dominoq; meo N. Papæ, eiusq; successoribus canonicè intrantibus. Non ero neq; in consilio, neq; in facto, vt vitam perdat, aut membrum, vel capiatur malâ captione. Consilium quod mihi aut per se, aut per literas, aut per nuncium manifestabit, ad eius damnum nulli pandam. Papatum Romanæ Ecclesiæ, & regulas sanctorum patrum adiutor ero ad defendendum & retinendum (saluo ordine meo) contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Legatum Apostolicæ sedis, quem certū esse cognouero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adiuuabo. Limina Apostolorum singulis annis, aut per me, aut per certum nuncium visitabo, nisi eorum absoluar licentia. Sic me Deus adiuuet, & sancta Dei Euangelia.

Alia iuramenti formula aucta in loco, de defendendo Papatu, vt Episcopi arctius obstringantur: seruatur verò Romæ in Archiuis, mittiturq; in Diœceses, si illic ordinandi sunt Episc: hæc enim est nunc in vsu, repudiata, tum præcedenti, cùm ea, quæ extat in Pontificali.

IN Dei nomine Amen. Ego N. electus N. Episcopus, ab hac hora inantea fidelis ero & obediens beato Petro, sanctæq; Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & domino N. suisq; successoribus canonicè intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto vt vitam perdant, aut membrum, seu capiantur, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriæ aliquæ inferantur, quouis quæsito colore. Consilium verò quod mihi credituri sunt, seu per se, aut nuncios, seu literas ad eorum damnum me sciente, nemini pandā, Papatum Rom. & regalia S. Petri, adiutor eis ero ad retinendū & defendendū contra omnē hominē. Legatū Apostolicæ sedis in eundo & redeundo honorificè tractabo & in suis necessitatibus adiuuabo: iura, honores, priuilegia, & autoritatem Rom. Ecclesiæ, domini nostri papæ, & successorum prædictorū conseruare, defendere, augere & promouere curabo. Nec ero in cōsilio, in facto, seu in tractatu, in quibus contra ipsū dominū nostrū, vel eandem Rom. Ecclesiā aliqua sinistra, vel præiudicialia personarū, iuris, honoris, status & potestatis eorū machinētur, & si talia à quibusdam tractari nouero vel procurari, impediā hoc pro posse, & quantò citius potero, cōmodè significabo eidē domino nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam possit peruenire: Regulas sanctorū patrū, decreta, ordinationes, setentias, dispositiones, reseruationes, prouisiones & mādata apost. totis viribus obseruabo, & faciā ab aliis obseruari. Hæreticos, schismaticos & rebelles domino nostro, vel successorib. prędictis, pro posse persequar & impugnabo. Vocatus ad synodū

veniam

veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorũ limina Romana curia existente citra, singulis annis, vltra verò montes, singulis triennijs visitabo, aut per me aut per meum nunciũ, nisi Apostolica absoluar licentia. Possessiones verò ad mensam meam pertinentes nõ vendam, neq; donabo, neq; impignorabo, neq; de nouo infeudabo, vel aliquò abalienabo, etiã cũ consensu capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano pontifice: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Idem Dist.40. Can.6. Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuperà bono taciturnus, quòd magis officit sibi, & omnibus nihilominus, innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternũ vapulaturos: Huius tamen culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius. Pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tantò instantius orat, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit propensius pendere.

Clementinæ lib.5. de hæret. Tit.3. canone Ad nostrum.

IN volumine Clementinarum Beguardis monachis, & Beguinis, ipso recensente Pontifice Romano, contra illud vulgare, Ecclesiam Rom: in omnibus esse concordem, octo hæreses flagitiosissimæ, & sacrilegiorum plenæ obijciuntur.

Gratianus, Lombardus, & Comestor ex adulterio nati: & de auctoribus censuraq; iuris Canonici.

A quibusdam prædicatur in populis, hos tres, Gratianum videlicet, Petrum Lombardum, & Petrum Comestorem fuisse Germanos ex adulterio natos. Quorum mater cùm in extremis peccatum suum confiteretur: & confessor redargueret crimen perpetrati adulterij, quia valdè graue esset, & ideò multùm deberet dolere, & pœnitentiam agere, respondit illa: Pater scio, quòd adulteriũ peccatum magnum est: sed considerans, quantum bonum secutum est, cùm isti filij sint luminaria magna in Ecclesia: ego non valeo pœnitere. Et confessor ad eam: Quòd tui filij sint notabiles viri, & opera vtilia fecerint Ecclesiæ Dei, non ex te, sed ex dono Dei est: ex te autem adulteriũ crimen magnum, & de hoc doleas. Et si non habes tantum dolorem, quantum exigit tam horrendum scelus: de hoc tamen doleas, quòd non potes dolere. 1120.

Alij tamen fatentur: eos nec germanos, nec contemporaneos fuisse, etsi tempore vicinos. Claruit enim Gratianus temporibus Henrici quarti, anno Domini 1120. Petrus Lombardus sub Conrado Imperatore tertio, anno Domini 1140. & Petrus Comestor sub Friderico Imp. primo, anno Domini 1160. Hæc habentur in præfatione Decreti, ab ipso Gratiano editi.

Post hunc edidit Gregorius IX PP. qui vixit anno Domini 1227 Decretalium libros 5. à Raimundo Monacho Hispano compilatos. Bonifacius 8. PP. anno 1300. illis quinq; addidit sextum. Clemens 5. qui vixit circa annum 1306. Clementinas: & Ioannes 22. qui vixit an. 1317 Extrauagantes ediderunt, & hæc volumina ius Pontificium siue canonicum appellamus: id quod publicè D. Martinus Lutherus Vuittebergæ cum bulla PP. Leonis 10. addita hac exsecratione cõbussit: Quoniam Sanctũ Domini cõtristasti, contristet te ac deuoret æternus ignis. De quo infrà, an. 1520.

Habentur autem in libris illis, glossis & cõmentarijs eorundem, multa blasphema & exsecráda: quæq; inuicem contrariantur, & horrenda absurditate sunt referta: quorum magnam quidem cõgessi seorsim copiam: sed iam referre plura nolui hoc loco, quanquam infrà quoq; non pauca recensentur in tractatu de Paparum in cœlis, inferno, & terris potestate & maiestate: cætera autẽ præsertim contrarietates illorum librorum, aliò reseruare visum fuit.

Vnum tantùm addere libuit Ioachimi Abbatis, qui ante trecentos annos vixit, de Decretalibus iudicium. Quid dicam (inquit) de summo Pontifice Aarone, qui modernos Præsules repræsentat ad instantiam populi, qui egressus fuerat de Ægypto, vitulum conflauit, & sculptile. Exod. 32. Quod totum ad librum Decretalium, siue legum referendum est: in quo omnis dolus, & calumnia perseuerat: ac per hoc curia sedis Petri nullum pontificat, qui huius simulachra non adorat.

Raimundus monachus Hispanus, & D. Hyperius Theologus.

DE Raimundo prius mentio facta est. Quid autem de iure canonico scribant & iudicent Marsilius Patauinus, & D. Hyperius in libro, quem de studio theologico edidit, vide apud eos.

De iure Canonico.

THeodoricus à Niem Episcopus VVerdensis scribit iura Canonica esse nefanda, quia malè considerata sunt per multos assentatores paparum, qui illis placere voluerunt, dicendo, quòd omnia possint & sint plus quàm Deus. Vide infrà anno 1418.

1120.

Calixtus II. Papa 169.

HIc sacerdotibus prohibuit vxores: quare in eum conscripta sunt carmina talia:

O bone Calixte, mundus totus perodit te.
Quondam presbyteri poterant vxoribus vti:
Hoc destruxisti, postquàm tu Papa fuisti.
Ergò tuum meritò nomen habent odio.
Item. Prisciani regula penitus cassatur,
Sacerdos per hic & hæc olim declinabatur:
Sed per Hic solummodò nunc articulatur,
Cùm per nostrum Præsulem Hæc amoueatur.
Ita quidam presbyter cœpit allegare,
Peccat criminaliter, qui vult separare,
Quod Deus coniunxerat, fœminam amare.
Tales dignum duximus fures appellare.
O quàm dolor anxiùs, quàm tormentum graue
Nobis est dimittere, quoniam suaue.
O Romane Pontifex statuisti prauè,
Ne in tanto crimine moriaris, caue.
Non est Innocentius, imò Nocens verè,
Qui quod facto docuit, verbo vult delere:
Et quod olim iuuenis voluit habere,
Modò vetus Pontifex studet prohibere.
Gignere nos præcipit vetus Testamentum:
Nouum quòd non retinet, nusquam est inuentum:
Præsul qui contrarium donat documentum,
Nullum necessarium his dat argumentum.
Dedit enim Dominus maledictionem
Viro, qui non fecerit generationem.
Ergò tibi consulo per hanc rationem,
Gigne, vt habeas benedictionem.
Nonne de militibus milites procedunt,
Et Reges à Regibus, qui sibi succedunt?
Per locum à simili, omnes iura lædunt
Clericos, qui Gignere crimen esse credunt.
Nobis adhuc præcipit vetus Testamentum,
Quod nostræ iam legis est verax fundamentum,
Vt mares & fœminæ sciant instrumentum
Tale, per quod habeant prolis incrementum.
Zacharias habuit prolem & vxorem,
Per Virum, quem genuit, adeptus honorem.
Baptizauit etiam nostrum Saluatorem:
Pereat qui tenet nouum hunc errorem.
Paulus ad cælos rapitur superiores,
Vbi multas didicit res secretiores:
Ad nos tandem rediens, instruensq; mores
Suas (inquit) habeant quilibet vxores.
Propter hæc & alia dogmata Doctorum,
Reor esse melius, & magis decorum,
Quisq; suam habeat, & non proximorum,
Ne incurrat odium vel iram eorum.
Proximorum fœminas, filias & neptes
Violare nefas est, quasi nil deceptes:
Verè tuam habeas, & in hac delectes,
Diem vt sic vltimum tutius expectes.
Ecce iam pro clericis multum allegaui,
Nec non pro presbyteris multa comprobaui:
Pater noster nunc pro me, quoniam peccaui,
Dicat quisq; presbyter, cum sua suaui.

Guilielmus Tyrius lib. 12. cap. 8. 1120.

CAlixtus 2. apud Sutrium, captum Gregorium Pseudopontificem pelle induit vrsinâ, ac ita degradatum camelo impositum, ad Cauensecœnobium perduxit. Imp. & PP. V. S.

Apud hunc libro 12. capite 13. mentio fit concilii Neapolitani in Samariâ habiti, Reformatorii, vt vocant, ad corrigendos mores, in omnibus ferè valdè deprauatos, Præside Patriarchâ Hierosol: & Balduino Rege Hieros.

In huius quoque autoris descriptione expeditionum Hierosolymitanarum affatim cernitur Romani Pontificis fides, & amor erga Christianos Imperatores.

Benedictus à Coltis, & Guilhel. Tyr: 1120.

SCripsit ille compendiosam historiam Regni Hierosolymitani: titulo de bello contra Barbaros gesto, in quo vnà cum Guilelmo Tyrio eiusdem regni res gestas decenter describit. Imperatore & Papa vt suprà.

Honorius Augustodunensis Ecclesiæ presbyter, in Chronico quod inscribitur: Flores temporum. 1120.

VErte te (inquit) ad ciues Babyloniæ, & vide quales sint. Intuere Principes & Iudices, ecce posita est in eis Bestiæ sedes.

Idem etiam libellum edidit de incontinentiâ Sacerdotum, quem OFFENDICVLVM appellauit. Imp. & PP. V. S.



Idem vt & Martinus in Chronico, Trithemius de rebus Hirsaugiensium, Marianus Scotus & Schaffnaburgensis. Hatto cognomento Bonosus, cùm Fuldensium monachorum cætui per duodecim annos non sine magna laude præfuisset, in Moguntina sede defuncto VVilhelmo surrogatus est.

Circa annum autem 970. fames vniuersam premebat Germaniam: Episcopus igitur ingentem Eleemosynas petentium mendicorum copiam in horreum quoddam amplum, quasi sua liberalitate eos alturus, conclusisse dicitur, ac igne subiecto eos concremari iussisse. Horum cùm in ipsis flammis vlulatus audirentur, mures esse dixit episcopus. Sed tertio sui pontificatus anno diuina eum vltio oppresit. Murium enim turba tantis eum molestiis affecit, vt nusquam ei tutus daretur locus, quantumuis munitus. Turrim denique in ipso Rheni flumine extruxit, ibi se liberum fore sperans. At bestiolæ illæ transnatando Rhenum (mirabile dictu) turrim conscenderunt, ipsumque episcopum suis morsibus enecuerunt. Pontificis quoque nomen, parietibus & chartis inscriptum, diuina vltione abraserunt. Multis hæc quidem fabulosa habentur: at turris illa, cui à muribus nomen est, in hunc vsque diem in Rheni flumine conspicitur, ac de tanta Episcopi immanitate testimonium dicunt suprà allegati autores.

Lupi spirituales. 1120.

HOc tempore plurimos homines lupi in Germaniâ dilaniauerunt, qui referebant lupos spirituales passim in Ecclesiam truculenter illapsos. Chronicon Germ.

Celsus Armachanus.

1120. CElsus Armachanus Archiepiscopus, & totius Hyberniæ Primas, vxorem ac liberos habebat in ipso etiam suo archiepiscopatu, vt moris tunc erat apud Hybernos, & est ad hanc ætatem vsq;. Balæus. Imp. & PP. vt suprà.

Ordo militiæ Calatrauæ.



1121. SVnt Ordinis Cisterciensis, & secundum Panuinium cœperunt anno 1121. Alii illis annnū 1160. attribuunt. Instituti sunt à Sanctio: Alij habent, ab Alphonso Hispaniarum Rege in Toletanâ Regione, à loco & prouinciâ Calatraue denominati, vbi cœnobiū Templariorum prius fuerat: qui cùm Saracenis resistere non possent, nouis his militibus cedere iussi sunt. Vestitus est niger cum assutâ cruce rubrâ: quorum Magister non minus quàm 40. millium aureorum redditus habet. Volat. Polyd. Panuinius. Panthal. Imp. & PP. vt sup.

Stellarum casus de cœlo.

1123. ANno 1123. in Aprili de manè quodam, iterum videbantur vndique de cœlo labi stellæ in toto terrarum orbe. Chronic. Cassin. & Saxon. Et hoc significabat casum Ecclesiasticorum, qui hisce temporibus vbique locorum ex cœlis deciderunt in terram, id est, de spirituali regno in seculare se ingesserunt: de quo etiam Apoc. D. Ioannis. Imp. & PP. V. S.

Rupertus Abbas Tuitiensis, vulgò Teutsch prope Coloniam, super Apocalypsin lib. 8, cap. 13.

1124. VIdi & legi vltra triginta doctissimorum virorum scripta, & commentarios in Danielem, Apocalypsin, & de Antichristo, qui valdè solicitè de Antichristo inquisiuerunt: Sed hic Rupertus catholicus, eum adeò suis depinxit coloribus, vt non opus sit vlterius de eo quicquam amplius scrutari.

Verba Apoc: (Et faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur) Hoc, inquit Rupertus, Christus non fecit, neque Prophetæ eius, neque Apostoli docuerunt, neque reges Christiani iam facti hoc acceperunt, vt occidant, & sanguine cumulandum existiment Christi seruitium. Verus namque Deus non coacta sed spontanea seruitia vult. Ergo & in hoc, imò maximè in hoc palàm faciet sensum habentibus, & ratione pollentibus, quòd verè sit Antichristus, quòd verè non Christus, sed secundum nomen suum Christo sit contrarius. Hic est Christus, qui sanguinem suum fudit. Hic est Antichristus qui sanguinem fudit alienum. Hactenus Rupertus.

Idem libro 2. capite 2. de Balaam loquens ait: Manifestè formam illorum exprimit, qui benedictiones & maledictiones in Ecclesia vendunt, & omnia quæstus causâ faciunt. Et postquàm verba Baalam recitâsset, addit: nónne Sacerdotum venalium hypocrisin in semetipso præpingit intolerabilem? an non hodie quoque talium sacrilegorum intestinâ peste omnia plena sunt? Et plura similia apud eum.

Idem libro 8. capite 13. Apocal. Diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur, locum nouit aptum, in quo radix omnium malorum oriri debuit, scilicet Ciuitatem Babyloniæ, vndosam populositatem malignantium. Nam vt vetus habet prophetia: Radix Omnium Malorum Auaritia.

Ostentum.

1125. TVllifeltæ in pago quodam, puero cuidam pes diu pure tumuerat, tandem verò eruptione factâ, pro pure omnis generis legumina exciderunt: fabæ, eruilia, hordea, milium, oryza, siligo, lentes, triticum, auena. Vrspergensis, Sigeberti appendix. Imp. 95. Henrico 5. Papa 170. Honorio 2.

Seder Olam, siue Annales Iudaici. 1127.

HOc tempore conscriptus est liber hoc titulo, sæpe à Iudæis hodie citatus, & in magno precio habitus: translatus postea à Genebrardo. Imp. & PP. V. S.

De Paparum cum Imperatoribus concordia. 1127.

Imp. 96. Lothario Saxone. PP. 170. Honorio 2, & 171. Innocentio 2.

HEinrico extincto, etsi Germania mutuis inter se viribus collisa atq; eneruata esset: in hoc tamen Pontifices incubuêre, ne vires colligeret, atq; à bellis ciuilibus respiraret. Quare post obitum Heinrici, Cunrado Sueuiæ duce, ex Heinrici quinti sorore nato, ad Imperium aspirante, ei Lotharium Saxoniæ ducem, quo antea in opprimendo Heinrico quinto auxiliatore vsi fuerant, arte archiepiscopi Moguntini Alberti, opposuêre. Ac cùm Cunradus iugo septimi montis transcenso, à Mediolanensibus honorificè susceptus, & ab eorum archiepiscopo Anshelmo Modœciæ sede Italici regni, rex vnctus esset: Honorius pontifex, qui Lothario faueret, ac familiam Heinrici Imperatoris oppressam cuperet: Anselmum, quòd Imperatorem coronasset, deposuit, ipsumque ex Italia, anathematis fulmine expulit: ita vt propter dissensionem ac factionum studia auxiliis Germanicis nudatus, spem omnem regni abiiceret, Lothario sibi per intercessionem sancti Bernardi Claræuallensis reconciliato. Lotharius ergò solus rerum potitus, cùm insigni obseruantia pro Saxonica simplicitate Romanam sedem coleret, de ea benè mereri non destitit. Nam cùm Innocentius II. qui Honorio in Pontificatu successerat, ab Anacleto Antipapa & Rogerio duce Apuliæ pulsus, ad eum pro restitutione Leodium venisset: Imperator eius precibus acquiescens, magno cum exercitu eum sedi Barlonææ restituit. Veruntamen nec officiis, nec potentia eius, pontificia auaricia frangi, molliriúe potuit. Nam cùm Lotharius Imperator à Pontifice renunciatus, vetera Imperatorum iura in conferendis Episcopatibus ac Abbatiis se repetiturum ostendisset: Pontifex ea inuncatæ harpyiæ instar, non solùm sibi minimè eripi passus est: sed & iis, quæ Lotharius siue Bernardi Claræuallensis (quem secum Romam duxerat) persuasione, siue metu maiorum motuum sedi pontificiæ remiserat, alia quoque in explebili cupiditate adiicere studuit. Siquidem cùm Lotharius, pulso Rogerio Apulo, ducatum Apuliæ comiti Raynaldo, exercitus sui duci, contulisset: de iure dandi ducatum Pontifex tanta contentione cum ipso disceptauit, vt, cùm neuter alteri totum ius cedere vellet, controuersia tandem hac ratione dirimenda fuerit, vt vterque manum apponeret vexillo dando nouo Apuliæ duci, quò declararetur, vtrique ius esse donandi ducatum Apuliensem.

Idne Christi, Pauli, aliorumque Apostolorum doctrinæ congruum, Episcopos minimè de dominando cogitare, Regibus honorem deferre, negociis secularibus minimè implicari, denique beatius esse dare quàm accipere, volentium? Verùm, cùm iamdiu Christi Apostolorumque doctrinâ neglectâ ac penitus irrisâ, Romana sedes imperare, quàm imperio subesse, honorari, quàm debitum honorem magistratui deferre, ac rapere, quàm dare, gloriosius ducat, hæc aliis prædicentur, ac interim Romanistæ vesana sua libidine ferantur.

Porrò, vt Lotharii Imperatoris, omni laude dignissimi, in sedem Pontificiam obseruantia cum insigni bonitate ac moderatione coniuncta, tum temporis emicuit: sic proterua & abominabilis Romanistarum malicia ex humilitate, seu potius superstitiosa religione Imperatoris, tunc intrepidè sese exerere cœpit. Nam cùm ille, coronam accipiendo, sese ad pedes pontificis abiecisset: Romanistæ, vt in præiudiciũ aliorum Imperatorum id contorquerent, & ad posteros instar trophæi de hoste deuicto transmitterent, post eius discessum in palatio Lateranensi picturam cum huiusmodi inscriptione posuerunt:

Rex venit ante fores, iurans prius Vrbis honores:
Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Hoc ipso & animi sui proteruam superbiam in Imperatore contemnendo prodentes: eiusque rerum gestarum magnitudine clarissimi, laudes fœdissimè obscurantes: vt qui cùm Polonorum ducem sibi tributarium fecerit, Pomeranos ac Rugios subiecerit: regem quoque Daniæ, vt ensem sibi sub corona deferret, ad decorem Imperialis dignitatis, compulerit, Cremonenses subiugârit, Papienses, Bononienses, atque Taurinos deuictos in formam prouinciæ redegerit, Rogerioq; Apuliæ duce eiecto amplissimas in eo regione vrbes expugnârit: Papæ tamen vilissimi mancipium fuerit. Quid enim Papæ hominem fieri aliud est, quàm eius mancipium vel seruum esse? O egregios seruos seruorum, quos ipsi Imperatores dominos agnoscere & colere coguntur. Schardius ex Fring. Nauclero, Radeuico, Cuspiniano & aliis.

Tanchelinus. 1128.

TAnchelinus quidam Antuuerpiæ, & alibi prædicabat: sacerdotium Papisticum nihil esse, neq; eorum sacrificium cuiquam prodesse. Ei tunc restitit, scripturis miserè detortis, Norbertus Præmonstratensium magister, cœnobiumq; in eadem vrbe condidit, vt ibi semper adessent, qui illam doctrinam suo more profligarent. Bal. Imp. Lothario. PP. Honor. 2. V. S.

Mon-

Monstrosa.

1128. ANno 1128. à Christo incarnato in Italicis terris pluit sanguine: & quædam fœmina in diocœsi Ligurina peperit procellum, vultum humanum referentem. Petermannus Etterlin. Imp. 96. Lotthario. PP. V.S.

Frater Felix Fabri monachus doctus Vlmæ.

1128. IN manu scripto sic ait: Ioannes Andreæ (in Decretali, ut Apost. priuileg. lib. 6.) prælatos nominat asinos cornutos. Ideo vulgò dicitur: Insignia Pontificalia in istis Prælatis tantum operari, quantum in mulis genitalia: quia scilicet habeant, & non generent: sic nec istos infulis coronatos fructificare. Hæc ille. Imp. Lotth. PP. Honor 2. V.S.

Hugo de sancto Victore.

1130. DE Clericis ita scribit: Clerici nostris temporibus legem nesciunt, nec discunt sed vanitates: ocio, commessationibus, ebrietatibus student: terrena capiunt: assiduè in plateis, tardò in Ecclesiis: tardi ad inuestigandum culpam peccatorum, parati ad insequendum vestigia leporum: velociores sunt ad congregandum canes, quàm ad conuocandum pauperes: citius porrigunt panem canibus, quàm pauperibus: citius extendunt manum ad taxillum, quàm ad Missæ librum. Ii sunt, quorum thalamus ornatior, quàm altaria: scyphus pulchrior calice: equus carior, quàm Missale: mappa pulchrior casulâ: camisia delicatior, quàm alba: imò, quod horrendum est dicere, & nefarium, femoralia pulcriora, quàm corporalia. Item Augustinus: Plus placet Deo latratus canum, & rugitus boum, grunnitus pecorum, quàm cantus clericorum lasciuè & luxuriosè cantantium, ut placeant amasiis suis. Videte, quam iniuriam faciant hi templo Dei. Faciunt enim ex eo tabernam & domum tripudij, ubi solent lasciui cantus exerceri.

Item: Restat, ut prædicatio eius contemnatur, cuius vita despicitur. Imp. 93. Lothario. PP. 171. Innocentio 2.

Idem in 4. c. Ioann. Nos in laboribus Apostolorum, martyrum, & confessorum luxuriamur.

Idem in cap. 10. Sed vtinam saltem vxores inde pascerent, sicut Iudas: sed ipsi pascunt concubinas de bonis Christi

Idem de officio quatuor Prælatorum. Affirmat Gratianus (ait) 62. dist. § verum est & hoc, Imperatores iuri suo in eligendis Papis renunciasse. Sed Leopoldus de laude Germanorum in c. 8. dicit, quòd nec in canonibus, nec historiis, nec Chronicis repererit, Imperatores huic priuilegio, vel mori renunciasse. Sed hoc repererit, quòd quidam Imperator pecuniam, quæ erat dari solita Imperatoribus in ordinatione Romani Pontificis, remittebat. Dist. 90. Agatho. Sic Ottho primus de natione Saxonum Germanorum tempore Leonis Papæ Octaui, cùm Romani Benedictum Romanæ Ecclesiæ diaconum de facto eligere in Papam præsumserunt, Romam venit cum magno exercitu, ac eam tam diu obsedit, quousque ciues Romani tame ac obsidione constricti portas urbis in vigilia præcursoris domini aperuerunt, ac imperatoriæ potestati Benedictum sacrilegum tradunt, quem Imperator à sede Apostolica deposuit, & prædictum Leonem in sedem Apostolicam restituit. De pòst prædictum Benedictum Archiepiscopo Bremensi commisit, à quo Saxoniam perductus vita decessit sub anno D. CCCC. LXIII. Hæc in historia Francorum ex Gotfridi & Martini Chronicis, leguntur.

Eckardus Abbas Dominicanus Teutonicus.

1130. SCripsit adhortationem ad monachos de emendandis moribus, quam vocauit: Laternam Monachornm: & chronicon etiam. Imp. & PP. V.S.

Idem. In scriptis suis quadam nouitate, contra Theologorum sui temporis consuetudinem, 17. errores introduxit, à Romano Pontifice damnatos.

Elmerus Monachus Malmasberiensis.

1130. STella insolita anno 1106. prima quadragesimæ hebdomada, feria sexta circa vesperum in austrum & Occidentem lucere visa est. Et per dies 25. eâdem hora semper splenduit, illi ingens trabs visa est ex oriente occurrere. Post hoc in cœna Domini, visæ sunt duæ lunæ parùm ante diem: vna in Oriente, & altera in Occidente. Non multò pòst Cometes longos & flammeos crines per manè ducens apparuit. De quo quidam monachus Malmasberiæ, Elmerus nomine, venisti, inquit, venisti multis matrib. lugendū malū, dudū est, quòd te vidi. Sed nunc multò terribiliorem te intueor patriæ huius (Angliæ) excidium supremum minantem. Circa idem tempus scribit Abbas sanguinem ex panib. fluxisse Spiræ, & Ordinem Monachorum Cistertiensium cœpisse. Schedelius. Imp. & PP. V.S.

Oliuerius iste magus (Elmerum Vincentius, & Nauclerus vocant) post secularium literarum studia, curiosis artibus, quod monachis commune tunc erat, & mente & animo se totum dedidit. De ipso scriptores referunt: quòd cùm adhuc iuuenis esset, dæmonum ludibriis illusus, assumserit sibi pennas ad manus & pedes: atque à cuiusdam altæ turris fastigio, instar Dædali, ad stadium volauerit. Sed quoniam in ipso volatu, turbinis violentia impeditus pertimescere cæpit, temerarij sui facti fortassis etiam conscius, præceps cecidit, effractisque cruribus exinde debilitabatur.

Ordo Robertinorum. 1137.



HVnc ordinem ortum feruntanno 1137. per Robertum quendam Eremitam Guaresburgi in agro Eboracensi: cuius sectatores Robertini dicti sunt. De quibus Bal. ex Capgrauo. Imperatore vt suprà. Papa 171. Innocentio secundo.

Helmoldus presbyter in Chron. 1138.

Sclauorum cap. 4.

LVdouico pio ex hac luce subtracto, orta sunt intestina bella, quatuor scilicet filiis eius propter principatum contendentibus. Tandem mediante Papâ Sergio, discordia sedata est, Regnumque diuisum in quatuor partes: ita vt Lotharius maior natu, cum Italiâ Romam, & Lotaringiam cum Burgundiâ possideret: Ludouicus Rhenum cum Germaniâ: Carolus Galliam: Pipinus Aquitaniam. Ex quo constat Romam adhuc fuisse subiectam Imperatoribus post Carolum Magnum. Imp. & Papa vt suprà.

Idem. Ludouicus pius amplissimas regni diuitias contulit ecclesiis, in tantum, vt Episcopos, qui propter animarum regimen principes sunt cæli, ipse eosdem principes efficeret Regni.

Idem. Archiepiscopus Hamburgensis Vnni omnes Insulas Danorum penetrauit, Euangelizans verbum Dei. Nota, Episcopos illorum temporum (Ludouici primi Imperatoris) fuisse prædicatores verbi Dei, non Satrapas, & bellatores vt hodie.

Idem capite 15. Missilaus Obotritorum princeps, Christum palàm confitens, persequens sororem suam, Deo dicatam virginem Hodicam, monasterio virginum, quod erat Mikilimburgi subtraxit: eamque cuidam sociauit coniugio. Cæteras virgines, quæ ibidem repertæ sunt, militibus suis nuptum tradidit. Singulari igitur consilio conjugium prætulit vitæ monasticæ. Quod tempore Ottonis tertij factum refertur.

Helmoldus cap. 41. Vrspergensis, Erphordiensis, Chron.

Casinense lib. 4. cap. 47. Platina, Frisingens. lib 7. cap. 14. VVilhelmus Malmesburiensis lib. 6. cap. 40.

ANno 1112. ad 15. Calend Aprilis, Romæ in Laterano in Ecclesia Constantiniana, synodus à Paschale 2. celebrata est, tali occasione. Vehementer Papam vrebat, quòd Henrico V. priuilegium vetustum tantis sacramentis confirmasset. Querebantur Ecclesiastici proceres, suo regno & potentiæ præcipuum neruum esse subtractum. Fuerunt igitur perpetui instigatores Paschali, vt synodo conuocata, fidem Imperatori datam retractaret. Peccatum enim esse dicebant ingens, vt refert Vrspergensis, quòd regem Henricum, tyrannicum Reipublicæ vastatorem & Ecclesiarum destructorem, imperiali benedictione sublimasset, atque insuper priuilegio sacrilego condonasset. Igitur circiter centum viginti episcopi, abbates, & id genus hominum, vt Helmoldus testatur, coëunt. Materia est, ius inuestituræ magistratui pollicito concessum & permissum à 63. Romanis præsulibus. Patres papam incusant, imprudenter factum esse, quòd regem sacrilegum ad culmen Imperiale euexerit. Deinde peius actum esse contendunt, quòd eidem episcoporum constitutiones priuilegio solenni stabiliret, de quoquidem aliquot præcursores, vsq; ad mortes & exilia decertârint. Pontifex se coactum necessitate extrema queritur, atq; ea in parte maiora pericula intercipere atq; amoliri voluisse: passim enim incendiis, rapinis, cædibus à Cæsare sæuitum esse. A Cardinalibus secum captiuis quoq; se permotum

ait,

ait, ut liberationis gratia ad tempus talia concederet. Peccatum igitur suum se non defendere, iamq; synodi iudicium de eo corrigendo expectare. Tandem cùm fidei suæ confessionem edidisset, surrexit Gerardus Engolismensis episcopus legatus in Aquitania, de communi consensu totius concilij, coram omnibus legit hanc scripturam: Priuilegium illud, quod non est priuilegium, sed verè debet dici prauilegium, pro liberatione captiuorum Ecclesiæ à domino Paschale papa per violentiam regis Henrici V. extortum, nos omnes hoc in sancto Concilio congregati, canonica censura & autoritate ecclesiastica, indicio sancti spiritus damnamus, & irritum esse iudicamus, & omninò ne quid authoritatis & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Et hoc ideo damnatum est, quia in eo priuilegio continetur, quòd electus canonicè à nemine consecretur, nisi prius à rege inuestiatur: quod est contra spiritum sanctum & canonicam institutionem. Perlecta charta, acclamârunt omnes: Amen Amen.

Mirum.

IOannes de temporibus nominatus (à Guazzo dictus, Giouanni de la stampe) ordinis equestris hoc anno obijt: annos trecentos & sexaginta vnum natus: qui Caroli Magni factus erat armi-
1139. ger anno 800. Christi, cùm esset annorum 15. optimâ corporis constitutione, & temperantiâ præditus. Henr. Pantaleon, & multi Chronici. Imp. 97. Courado 3. Sueuo. PP. 171. Innocentio 2.

D. Bernhardus Claræuallensis Abbas.

De luxu, hypocrisi, & fastu immodico Monachorum.

1140. DE immoderato luxu Monachorum sui temporis ita queritur: ô quantum, inquit, distamus ab his qui in Antonij diebus extitêre Monachis. Nobis conuenientibus nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ, & risus, & vana proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus; quibus totus intentus, modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumq; prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi nec dum gustasse pisces. Tantâ quippe accuratione, & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor, aut quinque ferculis deuoratis, prima non impediant nouissima, nec satietas impediat appetitum. Palatum quippe, dum nouellis seducitur condimentis, ad succos extraneos, veluti adhuc ieiunum, auidè renouatur. Venter quidem dum nescit oneratur: sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras (ut natura parauit) fastidimus epulas, dum aliæ alijs multifariè permiscentur, & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus: transitur nimirum meta necessitatis, sed nec dum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit, quot modis (ut cætera taceam) sola oua versentur & vexentur? quanto studio euertantur, subuertantur, liquantur, durentur, diminuantur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc singillatim apponantur? Vt quid autem hæc omnia, nisi ut soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, ut non minùs aspectus, quàm gustus delectetur: & cùm iam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, nec dum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur; infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec quem sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur quàm reficitur. Iam verò de aquæ potu quid dicam, quando ne vllo quidem pacto vinum aquatum admittitur? Videas vno in prandio ter, vel quater semiplenum calicem reportari, quatenus diuersis vinis magis odoratis, quàm potatis: nec tam haustis quàm attactis, sagaci probatione & celeri cognitione, vnum tandem è pluribus, quod fortius sit, eligatur. Quale est autem illud, quòd nonnulla monasteria ex more obseruare dicuntur, in magnis videlicet festis vina delibuta melle, pigmentorum respersa pulueribus in conuentu bibere? Nunquid & hoc fieri dicemus propter infirmitatem
Tim. 5. stomachi? Ego verò ad nihil illud valere video, nisi ut vel amplius bibatur, vel delectabilius, &c. Hæc D. Bernardus in epistola ad Guihelmum Abbatem. Ibidem quoque de aliorum cætuum monasticorum turpissimâ, ac sceleratissimâ, vita idem queritur. Miror, ait, vnde inter Monachos tanta intemperantia in comessationibus, & potationibus, in vestimentis, in lectisternijs, & equitaturis, & construendis ædificijs inolescere potuit, quatenus ubi hæc studiosius, voluptuosius, atque effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia: sobrietas austeritas creditur: silentium tristitia reputatur. Econtrà remissio discretio dicitur: effusio liberalitas: cachinnatio iucunditas: mollities vestimentorum, & equorum fastus honestas: lectorum superfluus cultus munditia. Cumq; hæc alterutrum impendimus charitas appellatur, &c. quærunt non vestitum, sed ornatum: non quod vtilius ad induendum, sed subtilius: non quod frigus repellat, sed quod superbiæ & Luxui seruiat: non denique iuxta regulam quod vtilius,

sed quod venustius, imò vanius ostentari queat. Ac vix, ait, in prouincijs nostris inuenimus, quo vestiri dignamur. Imp. 97 Conrado 3. Papa 171. Innocentio 2.

Ibidem. Hoc ergò consulo consideres maximè, quod maximè es, hominem videlicet, quod & natus es. Nec modò quid natus, sed & qualis natus oportet attendas, si non vis tuæ considerationis fructu, & vtilitate fraudari. Tolle proinde nunc hæreditaria hæc perizomata ab initio maledicta. Disrumpe velamen foliorum celantium ignominiam, non plagam curantium. Dele fucum fugacis honoris huius, & malæ coloratæ nitorem gloriæ, vt nude nudum consideres, quia nudus egressus es de vtero matris tuæ. Nunquid infulatus, nunquid micans gemmis, aut floribus sericis, aut coronatus pennis, aut suffarcinatus metallis? si cuncta hæc veluti nubes quasdam matutinales velociter transeuntes, & citò pertransituras dissipes, & exsuffles à facie considerationis tuæ: occurret tibi homo nudus, & pauper, & miser, & miserabilis: homo dolens, quòd homo sit, erubescens quòd nudus sit. Homo natus ad laborem, non ad honorem.

Ibidem. Salubris copula, vt cogitans te summum Pontificem, attendas pariter vilissimum cinerem non fuisse, sed esse. Imitetur cogitatio naturam, imitetur & quod dignius est, auctorem naturæ, summa, imaque consocians. Nonne natura in personâ hominis vilissimâ vitæl piraculum colligauit. Nonne auctor naturæ in sui personâ verbum limumq; contemperauit? Ita tibi sume formam tam de nostrâ concretione originis, quàm de Sacramento redemtionis, vt altus sedens, non alta sapiens sis: sed humilia de te sentiens, humilibusque consentiens.

Ibidem. Tene medium, si non vis perdere modum. Locus medius tutus est. Medium, sedes modi: & modus, virtus. Omnem extra modum habitationem, sapiens exilium reputat. Propterea non est illi habitare in longo, quod vltra modum sit: sed ne in lato quidem, quod extra sit: porrò nec in alto, vel imo, quod alterum supra, alterum infrà sit. Denique & longitudo exterminium habere solet, & dilatatio scissuram, & altitudo ruinam, & profundum absorptionem.

Ibidē. Superest, vt generaliter super vniuersum Ecclesiæ statum intendat consideratio tua, si plebes clericis, si clerici sacerdotibus, si sacerdotes Deo in eâ, quâ oportet, humilitate subiecti sunt: si in monasterijs, & religiosis locis seruetur ordo, vigilet disciplina: si super praua opera, & dogmata censura ecclesiastica vigeat: si floreant vineæ honestate, & sanctimoniâ sacerdotum: si flores fructus parturiant obedientiâ fidelium populorum: si demum vestra ipsorum Apostolica mandata, & instituta eâ, quâ dignum est, solicitudine obseruentur, ne quid in agro Domini tui, aut neglectu incultum, aut fraude surreptum inueniatur. Posse inueniri ne dubites. Mihi in promtu est (vt multa & innumera prætermittam, quæ passim neglecta iacent) nonnulla etiam ex his, quæ plantauit dextra tua, conuulsa monstrare. Nonne eos tuum in Remensi concilio subiecta capitula promulgauit? Quis ea tenet? quis tenuit? falleris, si teneri putas. Si non putas, ipse peccasti aut statuens, quæ non tenerentur: aut quòd non teneantur dissimulans. Præcipimus, aisti, vt tam Episcopi, quàm clerici, neq; in superfluitate, seu inhonestâ varietate colorum, aut scissurâ vestium, neq; in tonsurâ, intuentium (quorum forma, & exemplum esse debent) offendant aspectum: sed potius ita errata in suis actibus condemnent, & amorem innocentiæ conuersatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericorum. Quòd si moniti ab Episcopis suis intra quadraginta dies non obtemperauerint, Ecclesiasticis beneficijs eorundem pontificum auctoritate priuentur. Episcopi verò si præfixam pœnā irrogare neglexerint; quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque rectores: tam diu ab officio pontificiali abstineant, donec pœnam à nobis constitutam clericis sibi subiectis imponant.

Illud etiam duximus annectendum, vt nullus in Archidiaconum, vel decanum, nisi diaconus, & presbyter ordinetur. Archidiaconi verò decani, & præpositi qui infra ordines prænominatos sunt, si inobedientes ordinari contemserint, honore suscepto priuentur. Prohibemus autem ne adolescentibus, & infra sacros ordines constitutis: sed qui prudentiâ & vitæ merito clarescunt, prædicti concedantur honores. Verba tua: hæc tu sanxisti: quid effectui mancipatum? Adhuc adolescentes, adhuc qui infra sacros ordines sunt, in ecclesiâ promouentur. Quod ad primum capitulum pertinet, luxus vestium interdictus, sed non restrictus: pœna dictata, sed minimà secuta est. Iam quartus annus est, ex quo datum mandatum audiuimus, & neminem adhuc clericorum priuatum beneficio: neminem Episcoporum suspensum ab officio luximus. At luctu amarissimo dignum, quod secutum est. Quid hoc? Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix. Et beatus, si omni satagas curâ, malorum omnium primam parentem cauere Incuriam. Sed ad hoc tu operam dabis. Et nunc leua oculos tuos, & vide: si non æquè vt prius, fissura enormis penè inguina nudat. Solent dicere: Num de vestibus cura sit Deo, & non magis de moribus? At forma hæc vestium, deformitatis mentium, & morum indicium est. Quid sibi vult, quòd clerici aliud esse, aliud videri volunt? Et id quidem castum, minusq; syncerum. Nempè habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent. Nam nec vt ministri laborant, neq; vt milites pugnant, neque vt clerici euangelizant. Cuius ergo ordinis sunt? cùm vtriusq; esse cupiunt, vtrumq; deserunt, vtrumq; confundunt. Vnusquisq; inquit, in suo ordine resurget: Isti in quo? An qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? Aut si summè sapiens Deus veraciter creditur à summo vsq; deorsum nihil inordinatū relinquere: vereor non alibi ordinandos, quàm vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. O miserandam sponsam talibus creditam paranymphis, qui assignata cultui eius, proprio retinere quæstui non verentur?

Ibidem. Inter hæc tu pastor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate. Oues quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quàm ouiū pascua hæc. Scilicet sic factitabat Petrus? sic

Paulus ludebat? Vides omnem ecclesiasticum zelum feruere solâ pro dignitate tuendâ. Honori to-
tum datur: sanctitati nihil, aut parùm. Si causâ requirente paulò submissius agere, ac socialius tehe-
bere tentaueris, absit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, maiestati non conuenit, quam
geras personâ attendito. De placito Dei vltima mentio est: pro iacturâ salutis nulla cunctatio. Nisi
quod sublime est, hoc salutare dicamus: & quod gloriam redolet, id iustum. Ita omne humile pro-
bro ducitur inter palatinos, vt facilius qui esse, quam qui apparere humilis velit, inuenias. Timor
Domini simplicitas reputatur, ne dicam fatuitas. Virum circumspectum, & amicum propriæ consci-
entiæ calumniantur hypocritam. Porrò amatorem quietis, & sibi interdum vacantem, inutilem di-
cunt. Quid ergo tu? Euigilasne adhuc ad istos, qui circundederunt te laqueis mortis? Quæso, susti-
ne paulisper, & supporta me. Imò da veniam, non tam temerè, quàm timide loquenti. Æmulor te
æmulatione bonâ, & vtinam quàm vehementi, tam vtili. Scio vbi habitas, increduli & subuersores
sunt tecum. Lupi, non oues sunt: talium tamen tu pastor. Vtilis consideratio, qua forte inueneris,
quomodo si fieri possit, conuertas eos, ne ipsi subuertant te. Quid diffidimus posse reuerti in oues,
è quibus verti in lupos potuerunt? Hic, hic non parco tibi, vt parcat Deus.

Pastorem te populo huic certè, aut nega, aut exhibe: non negabis, ne cuius sedem tenes, te neges
hæredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis, non te-
ctus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque
his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum: si amas me, pasce oues meas. In his suc-
cessisti non Petro, sed Constantino. Consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito.
Ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens: non est
tamen, quòd horreas operam curamue pastoralem pastoralis hæres, non est quòd erubescas Euange-
lium. Quanquam si volens, Euangelizes inter Apostolos quidem: etiam gloria est tibi. Euange-
lizare, pascere est. Fac opus Euangelistæ, & pastoris opus implesti. Dracones, inquis me mones pa-
scere, & Scorpiones, non oues. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo, non ferro.
Quid tu denuò vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui
tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum domini dicentis sic: conuerte gladium Tuum
in vaginam. Tuus ergo & ipse tuo forsitan nutu, etsi non manu euaginandus. Alioquin si nullo mo-
do ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hic, non respondisset dominus satis
est: sed nimis est. Vterque ergò Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem
pro Ecclesiâ: ille verò & ab Ecclesiâ exerendus est. Ille sacerdotis, is militis manu: sed san: ad nu-
tum sacerdotis, & iussum Imperatoris.

Idem de consideratione libro 2. Paternam tibi vendicato hæreditatem Nam si filius, es & hæ-
res, vt probes hæredem, euigila ad curam, & non ocio torpeas, ne & tibi dicatur: Quid hic stas to-
ta die ociosus? Multò minùs inueniri oportet, aut delitijs resolutum, aut resupinum pompis. Nihil
horum tibi tabulæ testatoris adsignant. Sed quid si illarum tenore contentus sis, curam potius hæ-
reditabis, & operam, quàm gloriam, & diuitias Blanditur cathedra, Specula est Inde deniq; Super
intendis sonans tibi Episcopi nomine non dominium, sed officium. Quidni loceris in eminenti, vn-
de prospectes omnia, qui speculator super omnia constitueris? Enimuerò prospectus iste procinctum
parit, non ocium. Quandolibet gloriari, vbi ociari non licet? Nec locus est ocio, vbi sedula vrget so-
licitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? Quod habeo, in-
quit hoc tibi do. Quid illud? vnum scio, non est aurum neque argentum, cùm ipse dicat: Argentum
& aurum non est mihi. Si habere contingat, vtere non pro libitu, sed pro tempore. Sic eris vtens illis
quasi non vtens. Ipsa quidem, quod ad animi bonum spectat, nec bona sunt nec mala. Vsus tamen
eorum bonus, abusio mala, solicitudo peior, quæstus turpior. Esto vt alia quacunque ratione hæc
tibi vendices, sed non Apostolico iure. Nec enim tibi ille dare quod non habuit, potuit. Quod habu-
it, dedit, solicitudinem, vt dixi, super Ecclesias: Nunquid dominationem? Audi ipsum: Non domi-
nantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum solâ humilitate putes, non etiam veritate, vox
domini est in Euangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos
benefici vocantur. Et infert: Vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I er-
go tu. & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Planè ab al-
terutro prohiberis. Si vtrumq; similiter habere voles, perdes vtrunq;, alioquin non te exceptum il-
lorum numero putes, de quibus queritur Deus sic: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes exti-
terunt, & non cognoui eos. Iam si regnare sine Deo iuuat, habes gloriam, sed non apud Deum. At si
interdictum tenemus, audiamus edictum: Qui maior est vestrûm, ait, fiat sicut iunior: & qui præces-
sor est, sicut qui ministrat. Forma Apostolica hæc est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio.
Quæ & commendatur ipsius exemplo legislatoris, qui secutus adiungit: Ego autem in medio ve-
strûm sum, sicut qui ministrat. Quis se iam titulo hoc inglorium putet, quo se prior dominus gloriæ
præsigniuit? Meritò Paulus gloriatur in eo dicens: Ministri Christi sunt, & ego. Et addit: Vt minus
sapiens dico, plus ego In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in
mortibus frequenter. O præclarum ministerium. Quo non id gloriosius principatu? si gloriari opor-
tet, forma tibi sanctorum præfigitur, Apostolorum proponitur gloria. Paruáne tibi illa videtur?
Quis mihi tribuat similem fieri in gloria sanctorum? clamat Propheta: Mihi autem absit gloriari.
nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Hoc glorieris opto, semper optimo genere gloriæ, quod Apo
stoli, quod Prophetæ delegêre sibi, reliquêre tibi.

Ibidem. Et surrexerunt homines vani, cupidi gloriæ, & voluerunt sibi facere nomen & exeuntes
de Ecclesiâ diu eandem matrem suam afflixerunt in diuersis, & peruersis dogmatibus. Sed hæc quon-

pestis depulsa est in sapientiâ sanctorũ,sicut & prima in patientia martyrum.En tempora ista libera quidẽ Deo miserante,ab vtraq; illâ malitiâ, sed planè fœda à negotio perambulante in tenebris. Væ generationi huic à fermento Pharisæorũ, quod est hypocrisis,si tamen hypocrisis dici debet,quæ iam latere præ abundantiâ non valet, & præ impudentiâ nõ quærit. Serpit hodie putida tabes, per omne corpus Ecclesiæ: & quò latius,eò desperatius: eoq; periculosius,quò interius. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus,mitteretur foras, & arescere?: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò, quem eijciet,aut à quo abscondet se? Omnes amici,& omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici,& nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt,& seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus,regius apparatus: inde aurum in frenis,in sellis,& calcaribus: & plus calcaria, quàm altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ,& cibis & scyphis: inde comessationes & ebrietates: inde cithara, & lyra,& tibia: inde redundãtia torcularia,& promtuaria plena eructantia ex hoc in illud: Inde dolia pigmentaria: inde referta marsupia. Proh eiusmodi volunt esse, & sunt Ecclesiarum præpositi,decani,Archidiaconi,Episcopi,Archiepiscopi. Nec enim hæc meritò cedunt,sed negotio illi,quod perambulat in tenebris. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum: amarior pòst in conflictu hæreticorum: amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare,non fugere,eos potest,ita inualuerunt, & multiplicati sunt supra numerum. Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideò in pace amaritudo eius amarissima. Sed in quâ pace? Et pax est,& non est pax. Pax à paganis, & pax ab hæreticis: sed non profectò à filijs. Vox plangentis in tempore isto: filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me? spreuerunt & maculauerunt me à turpi vitâ,à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio deniq; perambulante in tenebris. Superest vt iam de medio fiat dæmonium meridianum ad seducendos, si qui in Christo residui sunt, adhuc permanentes in simplicitate suâ. Siquidẽ absorbuit fluuios sapientium,& torrentes potentium,& habet fiduciam, vt Iordanis influat in os eius, id est, simplices,& humiles,qui sunt in Ecclesiâ: ipse enim est Antichristus,qui se non solùm diem, sed & meridiem mentietur. Et extolletur supra id,quod dicitur, aut quod colitur Deus: quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, vtpote verus & æternus meridies, sponsus, & aduocatus Ecclesiæ,qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

Idem. Omnes quærunt quæ sua sunt, diligunt munera,nec possunt pariter diligere Christũ,quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietate, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam taliũ repentè eminus prodeuntẽ, aspiceres,sponsum potius putares, quàm sponsæ custodem? Vndè verò hanc illis exuperare æstimes rerum affluentiam,vestium splendorem,mensarum luxuriam, congeriem vasorum aureorum & argenteorum,nisi DE BONIS SPONSI? Interim hæc pauper,inops & nuda relinquitur facie miseranda,inculta,hispida & exanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare: non est custodire sed perdere, non est defendere,sed exponere: non est instruere sed prostituere, non est pascere gregem Domini,sed mactare & deuorare &c. In Monasterijs quoque opes luxu immoderato, inhonesto ac turpi, exhauriri, dissipari, consumi ac disperdi consueuêre.

Ibidem. Murmur loquor,& querimoniam communem Ecclesiarum: truncari se clamitant,& dimembrari. Vel nullæ vel paucæ admodũ sunt,quæ plagam istam aut non timeant,aut non doleant.

Ibidem. Omni penè horâ mundanis insudamus, sed quando oramus? quando docemus populos? quando ædificamus Ecclesiam? quando meditamur in lege? Et quidem quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani non.

Idem in apologiâ ad Guilhelmũ Abbatem ait: Mentior si non vidi Abbatem sexaginta equos, & eo amplius ducere in suo comitatu. Dicas si videas eos transeuntes, non patres esse monasteriorũ: sed dominos Castellorum: non rectores animarũ,sed Principes Prouinciarum. Tum deinde gestari iubentur mappulæ,schyphi,bacini,candelabra,& manticæ suffarcinatæ non ex stramentis,sed ornamentis lectulorum. Vix deniq; quatuor leucis à sua quispiã domo recedit nisi cum tota supellectili suâ,tanquàm sit iturus vel ad exercitũ,vel transiturus per desertũ, vbi nõ valeant inuenire necessaria.

Ibidem. Cùm sint quatuor tentationum genera,res aduersæ: laudes hominum: diuitiæ: & honores seculi: quartum & postremum occultum est,& periculosum, ac dæmonium meridianum, quod falso bono supplantare molitur etiam perfectos. Est autem Ecclesia Christi his tentata: primùm in persecutionibus: deindè à vanis hominibus & gloriæ cupidis, ex quibus hæretici, qui diu afflixerunt Ecclesiam, extiterunt. Sed hæc pestis depulsa est in sapientiâ sanctorum, sicut prima in patientiâ martyrum.

Ibidem. Episcopus acceptum talentum non ligat in sudario: sed partitur numularijs, à quibus vsuras recipit non sibi, sed Domino. Non habet foueam vt vulpes, non tanquam volucres nidum: non loculos quomodo Iudas,non denique (sicut nec Maria) locum in diuersorio. Imitatur profectò illum,qui non habebat vbi reclinaret caput.

Ibidem. Quamobrem, vt dixi, noueris te, vt inter angustias, quæ non desunt, fruaris conscientiæ bono. Magis autem vt scias quid desit tibi, nam cui non desit? Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat. Quòd si summus Pontifex sis? Nunquid quia sumus Pontifex, ideo summus, cui addi non possit? Grauiter erras, si te istũ existimes. Absit. Non tu de illis es, qui dignitates virtutes putant. Tibi antè experta virtus, quàm dignitas fuit. Augustis relinquito illam sentẽtiam, alijsq; qui diuinis coli honoribus non timuerunt. Verbi gratiâ: Nabuchodonosori, Alexandro, Antiocho, Herodi. Tu verò

considera non consummatione summum te dici, sed comparatione. Nec me putes dicere comparationem meritorum, sed ministeriorum. Sic te existimet homo vt ministrum Christi: & quod absq; præiudicio sanctitatis cuiuspiam dixerim, summum planè inter ministros. Aliàs niti te ad summum velim, non putare summum, aut velle putari antequam sis. Nam quomodo proficis, si iam sufficis tibi? Non sit proinde tibi aut pigrum vestigare quod desit, aut fateri quod desit verecundum.

Ibidem. Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in testimonium singularis primatus tui. At tu, si sapis, non primatu gaudebis, sed fructu. Apostolis dictum est: in hoc nolite gaudere, quòd spiritus subijciuntur vobis.

Ibidem. Noua res? quando hactenus aurum Roma refudit?

Ibidem. Nempe immoderata extensio extenuationem, sed extenuatio nimia scissionem facit. Iam verò alta præsumtio, quid nisi ruinosa præcipitatio est? Legistis namque: ante ruinam exaltatur cor.

Ibidem. Quem dabis mihi de totâ maximâ vrbe, qui te in Papam receperit, precio seu spe pretij non interueniente?

Ibidem. Addo tamen & hoc. Nam nullum ibi venenum, nullum gladium plus formido, quàm libidinem dominandi.

Ibidem. Et nunc experire paucis, nouerimne & ego aliquatenus mores gentis. Ante omnia sapientes sunt, vt faciant mala. Bonum autem facere nesciunt. Hi inuisi terræ, & cœlo, vtrique iniecêre manus: impij in Deum, temerarij in sancta: seditiosi in inuicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos: quos neminem amantes, amat nemo: & cùm timeri affectent ab omnibus, omnes timeant necesse est. Hi sunt qui subesse non sustinent, præesse non nôrunt: superioribus infideles: inferiobus importabiles. Hi inuerecundi ad petendum, ad negandum frontosi: hi importuni, vt accipiant: inquieti, donec accipiant: ingrati vbi acceperint. Docuerunt linguam suam grandia loqui, quum operantur exigua: largissimi promissores, & parcissimi exhibitores: blandissimi adulatores, & mordacissimi detractores: simplicissimi dissimulatores, & malignissimi proditores.

Ibidem. Quid de populo loquar? Populus Romanus est. Nec breuius potui, nec expressius tamen aperire de tuis parœcianis quod sentio. Quid tam notum seculis quàm proteruia, & fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta. Gens immitis & intractabilis, & vsque adhuc subdi nescia, nisi cùm non valet resistere. En plaga, tibi incumbit cura hæc, dissimulare non licet.

Ibidem. Mirum non est, inter duodecim Apostolos olim inuentum vnicum Iudam, quia hodie inter duodecim Ecclesiasticos vix vnum reperias Apostolum.

Ibidem. Stetisse quidem iudicandos Apostolos lego: sedisse iudicantes nunquam.

Ibidem. Sed est insipientia, quæ ipsam quoque iam propemodum stultam fecit sapientiam fidei. Quomodo & Ecclesiá catholicam penè totam hoc virus infecit? Nam dum & in ipsa quiq; quæ nostra sunt quærimus: fit vt invicem inuidentes, inuicem prouocantes exerceamur ad odia, animemur ad iniurias, armemur ad lites, cauillemur ad dolos, feramur ad detractiones, prorumpamus ad maledicta, opprimamur à fortioribus, opprimamus inferiores. Quàm dignè, & laudabiliter occupatur meditatio cordis tui aduersus tam pestilens insipientiæ genus, quod corpus Christi (quæ est multitudo credentium) occupasse consideras. O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotijs eius. An non limina Apostolorum plus iam ambitio quàm deuotio terit? An non vocibus eius vestrum tota die resultat palatium? An non quæstibus eius tota legum canonumque disciplina insudat? An non spolijs eius omnia Italica inhiat inexplebili auiditate rapacitas? Quid ita tua ipsius spiritualia studia non saltem intercedit, sed abscidit?

Ibidem de consideratione. Libet iam & hunc claudere librum: sed in calce aliqua velim, vel antè dicta quasi epilogando repetere, vel addere prætermissa. Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes, Ecclesiarum matrem esse, non dominam: te verò non dominum Episcoporum, sed vnum ex ipsis.

Idē in sermone de conu. Pauli, citante Hugone Cardinale in Postillis super 1. c. Ioannis, ait: Videtur, bone Iesu, aduersus te conspirasse vniuersitas Christianornm, & illi in persecutione tua primi sunt, qui in Ecclesia tua videntur primatum tenere & gerere principatum:

Heu Domine Deus arcem Sion occupauerunt: apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps liberè & potestatiuè tradunt incendio ciuitatem. Constantini equidem hodie, imò Romuli successores sunt non Petri Pontifices: & ex regimine Ecclesiæ sub Papa apertè concluditur: Ipsum esse Antichristum.

Idem de conuersione ad Christum cap. 30. Parcite obsecro fratres, parcite animabus vestris: parcite sanguini, qui pro vobis effusus est. Horrendum cauete periculum: ignem qui paratus est, declinate. Inueniatur tandem non irrisoria perfectionis professio, exhibeatur etiam filius in specie pietatis: non sit inanis cœlibis vitæ forma, & vacua veritatis. Quidni periclitetur castitas in delicijs, humilitas in diuitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio, charitas in hoc seculo nequam? fugite de medio Babylonis: fugite, & saluate animas vestras?

Idem in oratione ad Clerum in concilio Remensi congregatum. Quomodo verò, inquit, seculares non expenderent substantiam suam ad vitá luxuriosam, etiá pręsentib. sacerdotibus? quomodo non intenderent vanitatib. & lenocinijs huius seculi? quomodo non essent insolentes & elati, cùm tantū fastum, tantam insolentiam videant sacerdotū? Nonne in præsentiâ illorū irreuerenter abutimini

eleemosynis pauperum? De patrimonio crucis Christi non paratis codices in Ecclesijs, sed pascitis pellices in thalamis vestris, impinguatis carnes, adornatis equos phaleratos, pectora & capita deaurando.

Citantur etiam verba Bernhardi in libro inscripto: Stella clericorum, sequentia: O Domine (inquit) pastores tui mutati sunt in tonsores, & agni in lupos, defensores in dissipatores: Qui deberent esse sobrij quotidie, sunt ebrij: qui Prælati, Pilati: qui casti, incesti: qui pastores, seductores.

Idem de cœna Domini serm. 15. Adhuc te alloquor monache benedicte: O homo, velox es ad mensam, tardus ad Ecclesiam: potens ad potandum, sed æger ad cantandum: peruigil ad fabulas, somnolentus ad vigilias: procax ad loquendum, sed mutus ad psallendum: promtus ad iram, & detractionem, tardus ad orationem: inuidiæ amator, Christi persecutor: festucam respiciens, trabem non considerans: cæteros reprehendis, te ipsum non corripis: malitiæ inuentor, disciplinæ destructor: amicus vitiorum, hostis virtutum.

Idem in sermone 23. in Cantica. Timeant Clerici, ait, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, vt stipendijs, quæ sufficere debebant, minimè contenti, superflua quibus egeni sustentandi erant, impie & sacrilegè sibi retineant: & in vsus suæ superbiæ, atque luxuriæ, victum pauperum consumere non vereantur: duplici profectò iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus ac turpitudinibus abutuntur.

Idem super cantica serm. 33. Sunt quidem & alij pastores, qui dicunt se esse sodales tuos, & non sunt, habentes greges suos, & fines suos pabulo mortis refertos, in quibus pascunt nec tecum, nec per te, quorum vtique terminos non intraui, nec appropinquaui eis. Ipsi sunt, qui dicunt: Ecce hic est Christus, ecce illic est: promittentes sapientiæ pascua vberiora, & creditur eis, & confluunt ad eos multi, & faciunt eos filios gehennæ, duplo quàm se.

Idem in Serm. de conuers. ad cler. cap. 29. Vtinam, qui continere non valent, perfectionem temerariè profiteri, aut cœlibatui dare nomina vererentur. Sumtuosa siquidem turris est, & verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere, quàm vri: & saluari in humili gradu fidelis populi, quàm in cleri sublimitate: & deterius viuere, & districtius iudicari.

Multi enim, non quidem omnes, sed tamen multi (certum est, nec latere queunt præ multitudine, nec præ impudentiâ) libertatem, in qua vocati sunt, in occasionem carnis dedisse videntur: abstinentes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium effluentes.

Hic annotandum duxi, Bernhardum sic ad viuum statum Pontificiæ Ecclesiæ descripsisse, vt etiam ipsi Papistæ fateri cogantur, eum, si hodie viueret, tanquam Lutheranum anathematis iri damnatum.

Excerpseram autem cùm ex hoc autore, tum & reliquis patribus & scriptoribus vtilia & memorabilia plurima: sed cùm excrescere præter spem nimiùm videretur opus, quædam breuitatis studio in aliud tempus reseruare compulsus fui.

Cumprimis verò de contrarietatibus Patrum, conciliorum & iuris Canonici obseruatu dignissima collegi: nam probè notandum est, ea quæ quidam patrum annis primis agniti Euangelij scripserunt, valdè dissimilia esse posterioribus: & conciliorum etiam & Pontificum decreta plurimùm inuicem & à semetipsis dissidere, adeò vt sæpè hodie statuta cras iterum facta sint irrita: quod suo tempore proprio libello patebit.

Qualiter libidines compescuerit Bernhardus: & mulierem hospitam libidinosam, accedentem ad lectum profligârit, scribit in eius vita Guilielmus abbas, quod notandum bene.

Ioannes Saresburiensis Episcopus Carnotensis 1140.

in polycratico lib. 8.

PApam nulla vocat electio, sed repugnante in membris Christo, ambitio cæca & cruenta, non sine sanguine fraterno intrudit: quod quidem est Romulo succedere in parricidijs, non Petro in commissi dispensatione ouilis.

Idem. In saturitate disputant de ieiunijs, & quod verbis adstruunt, operibus destruunt. Si tyrannus secularis, iure diuino & humano perimitur, quis Tyrannum in sacerdotio diligendum censeat aut colendum? scire enim prælati debent, quòd cùm ipsi delinquunt, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos, perditionis exempla transmittunt. Quis ergò illum non repellat, aut saltem fugiat, qui ad hoc ouile ingreditur vt mactet, & occidat? Imp. Conrado 3. Papa Innocentio 2. vt sup.

Idem. Nunquid Christiani sanguinis procurant effusionem, vt eis præ cæteris liceat pro grege, quod pastoris est, animas ponere? Nunquid Ecclesiam diruunt, profanant sancta, vt fit quod ædificari & sanctificari oporteat? Concutiunt populos, regna sollicitant, Ecclesiarũ diripiunt facultates, fortè vt sibi faciant materiam promerendi, vt componant omnia, vt pauperibus miserendi, & prouidendi, alijs concurrentibus necessitatem præripiant. Si enim vt plura sibi impunè liceant, si vt pecuniam congregent, si vt carnem & sanguinem foueant, dilatent, & corrumpant, si vt familiam nobilitent, si deniq; vt gloriã suam quærant, in clero dominantes non forma facti gregis ex animo, licet labijs & simulatione officij pastorem induant, tyrannis quàm principibus facilius accedunt.

Idem. Sed esto vt his liceat, qui carnales sunt, contendere de primatu: viris ecclesiasticis hoc vsq; quaq; arbitror esse illicitum. Carnalium tamen exemplo sub imagine religionis obrepit impietas: & iam non modò contenditur pro sacerdotio, sed pugnatur. Antiqui quondam trahebantur inuiti: & proni ad martyrium, primas cathedras carcere peius & cruce fugiebant: contrà iam palàm loquuntur sacerdotes, & prouerbium nullum dicunt: Nolumus, inquiunt, martyres esse, sed tedium nostrarum gloriam non damus alteri. Misera quidem & miserabilis vox in ore sacerdotis qui Christum sic agnoscit, vt se nolle eum sequi palàm confiteatur. Dubitari poterit an verus moriatur confessor, qui persecutionem si opus fuerit, non expectat?

Idem. Laxant quidem omnes retia in capturam: sed hi in capturam animarum & rerum, illi res piscantur duntaxat, contemto periculo animarum. Et sæpe turbant omnia, quò piscandi ad vorum vberior succedat occasio. Miraberis variam supellectilem, & Crœsi, vt dicitur facultates apud eos, qui prædicant pauperem Christum, & quia suis non coguntur stipendijs militare, euangelizant, vt comedant, & Euangelistarum stipendijs abutantur. Calicem quidem, in quo Ioseph augurari consueuerat, in sacci sui ore reuoluunt, sed non descendit in manus.

Idem. ----- *Tantòne nouorum*
Prouentu scelerum quærunt, vter imperet orbi?
Vix tanti fuerat ciuilia bella mouere. &c.

Rectissimam eminendi viam docuit Christus, qui discipulos suos Regibus gentium noluit conformari, vt dominentur in subditis, & qui potestatem exercent, benefici dicantur: sed qui maior est, sponte minoretur, & solùm præ cæteris, iure, quiete, viribus, & contentione remotâ, sibi vendicet officium ministrandi. At isti aliam prætulerunt ascendentes ex aduerso fratrum, & ministrandi humilitate reiectâ appetunt præ Regibus gentium dominari. Nec dubium, quin refrigescente, immò extinctâ charitate, sedem suam & ipsi ponant ad aquilonem.

Idem Sarisburiensis ad Pontificem præsentem. Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitia immutentur, & quia Roma corrupta apud Deum his reperitur indigna. Tu ergò, quia id habes officij, quære & insere humiles vanæ gloriæ & pecuniæ contemtores. Sed timeo ne dum pergis quærere, quæuis, ab imprudente amico audias quæ non vis. Quid est pater quòd aliorum discutis vitam, & teipsum minimè perscrutaris? Omnes applaudunt tibi, pater omnium vocaris, & dominus, & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo pater es, quare à filijs munera & retributiones expectas? Si dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repressa, eos ad fidem non reuocas? At vrbem vis Ecclesiæ tuis muneribus conseruare. Nunquid eam sic Syluester muneribus acquisiuit? In invio pater es, & non in via. Eisdem est conseruanda muneribus, quibus est acquisita. Quod gratis accepisti, gratis dato. Iustitia regina virtutum est, & erubescit quouis pretio permutari. Si gratiosa futura est, sit gratuita. Nequaquam prostituatur ad pretium, quæ corrumpi non potest. Integra est, & semper incorrupta. Dum premis alios, & tu grauius opprimeris. Risit Pontifex, & tantæ congratulatus est libertati, præcipiens vt quoties sinistrum aliquid de ipso meis auribus insonaret, hoc ei sine mora nunciarem. Et cùm plurima nunc pro se, nunc contra se respondisset, apologum huiusmodi mihi proposuit, &c.

Idem de nugis Curialium. Memini me causa visitandi dominum Adrianum Pontificem quartum, qui me in vlteriorem familiaritatem admiserat, profectum in Apuliam. Mansique cum eo Beneuenti fermè tres menses. Cùm itaque, vt fieri solet, inter amicos, sæpe plurimis conferremus, & ipse quid de se & Ecclesia Romana sentirent homines, à me familiarius, et diligentius quæreret, ego apud eum vsus spiritus libertate, mala, quæ in diuersis prouincijs audieram, patenter exposui. Sicut enim dicebatur à multis, Romana Ecclesia, quæ mater omnium Ecclesiarum est, se non tam matrem exhibet alijs, quàm nouercam. Sedent in ea Scribæ & Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam, pretiosam supellectilem congerunt, auro & argento onerant mensas, sibi etiam ab auaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus, quàm vana gloria introducit. Concutiunt Ecclesias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miserijs afflictorum nequaquam compatiuntur, Ecclesiarum lætantur spolijs, & quæstum omnem reputant pietatem. Iustitiam non tam veritati, quàm precio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie, sed nec cras aliquid sine precio obtinebis. Nocent sæpius, & in eo dæmones imitantur, quòd tunc prodesse putantur, cùm nocere desistunt, exceptis paucis, qui nomen & officium pastoris implent. Sed & ipse Romanus Pontifex omnibus grauis, & ferè intolerabilis est. Præterea omnes arguuntur, quòd ruentibus & collabentibus ecclesijs, quas patrum construxit deuotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit, & ipse non modò purpuratus, sed deauratus incedit. Palatia splendent sacerdotum, & in manibus eorum Christi sordidatur Ecclesia. Prouinciarum deripiunt spolia, ac si thesauros Crœsi studeant reparare. Sed rectè cum eis agit altissimus, quoniam & ipsi alijs, & sæpe vilissimis hominib. dati sunt in direptionem. Et vt opinor, dum sic in inuio errauerint, nunquam deerit eis flagellum Domini. Os siquidem Domini locutum est, quia quo iudicio iudicauerint, iudicabuntur, & sua mensura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non nouit. Hæc, inquam, pater loquitur populus, quandoquidem vis vt illius tibi

senten-

ſententias proferam. Et tu, inquit, quid ſentis? Anguſtiæ inquam ſunt vndique. Vereor enim ne mendacij vel adulationis contraham notam, ſi ſolus populo contradixero. Sin autem, reatum vereor maieſtatis, ne tanquam qui os meum in cœlum poſuerim, crucem videar meruiſſe. Veruntamen quia Guido Clemens Sanctæ Potentianæ presbyter Cardinalis populo teſtimonium perhibet, ei vſquequaque contradicere non præſumo. Aſſerit enim in Romana Eccleſia quandam duplicitatis eſſe radicem, & fomentum auaritiæ, quæ caput & radix eſt omnium malorum. Neque id quidem in angulo, ſed confidentibus fratribus, ſancto Eugenio præſidente, quando aduerſus innocentiam meam Ferentini gratis excanduerant, hoc publicè proteſtatus eſt: & quæ ſequuntur.

EPIGRAMMA PRIMVM EIVSDEM.

De vrbe Roma Vaticinia.

IN diros crines è cœlo decidat ignis
Execranda lues: quæ lympha & glande relictis
Extenuans inopes, prægrandis opimaq; facta es:
Ac tibi iucunda eſt tot iniqua patrare voluptas.
O ſcelerum ſedes, & nidus proditionum,
Vnde hæc cernuntur totum diffuſa per orbem:
Ferclorum, Bacchiq; comes, lectiq; miniſtra,
In qua luxuries alta ceu regnat in arce.
Per conclaue ſenes, per turpe cubile cynædi
Ludunt, & Satanæ non deſunt vndiq; folles
Luxuriæ inflati ſpeculis, ſuccenſaq; flamma.
Non his delitijs olim nutrita fuiſti,
Sed proiecta noto, duris pede nuda ſalebris:
Nunc viuis, tuus vt conſcendat fœtor olympum.

Epigramma ſecundum.

NOn ſaturanda gerit vaſtum Babylonia ſaccum,
Plenum bile Dei, vitijs, immanibus auſis,
Quæ manant latè. Quæ numina ſuſpicit, haud ſunt
Iuppiter & Pallas, ſed amorum diua & Iacchus.
Pœnas expectans flacceſco, & duriter angor.
Sultanum at cerno venientem, & flagra ferentem.
Sed vereor ne quàm cupiamus ſerius adſit.
Vna fides cunctos cinget Babylonis in vrbe,
Impia per terras idola refracta iacebunt,
Flagrabunt turres & tecta minantia cœlo.
Turricolæq; cadent ardenti fulguris igne.
Felices animæ, virtutis & æmula turba
Incolet has terras: tandem ſpectare licebit
Aurea virtutum ſanctarum tempora reddi.

Epigramma tertium.

FOns ærumnarum, domus iræ, plena furoris,
Errorum ludus, ſectarum mobile templum
Roma quidem fueras, nunc es Babylonia fallax,
Ex qua tot luctus gemitusq; feruntur in orbem:
O fraudum mater, carcer teterrimus iræ,
Carnificina boni, ſed iniqui ſedula nutrix:
Viuorum infernus: miraclum inſigne futurum,
Si nunquam contra te CHRISTI ſæuiat ira.
Caſta in pauperie tua ſunt fundamina iacta,
Sed modò fundantes oppugnas cornibus altis.
Quidnam frontis habes meretrix? quo niteris audax?

Spes in adulterijs, spes est in diuite cista.
Non igitur redeat te Constantinus adaugens,
Protinus at miserum qui sustinet auferat orbem.

Idem cùm historiam recitasset de vxore quadam, quæ frigidum & impotentem maritum in iudicio accusârat, addidit: Bene agi cum clericis, quòd nemo eorum frigidus sit, proindeque impotentiæ causa nullus accusari posit.

Idem, est tamen (inquit) in quo videntur imitari constantiam martyrum, si pro cathedrâ sicilicet fuerit decertandum. Fertur à quibusdam, & verum est, quòd super Romano Pontificatu ab ambitiosis quandoque, imò sæpe litigatum, & non fine sanguine fraterno sancta sanctorum ingressus sit Pontifex.

Idem infaustum affirmat, & malum omen, si quis sacerdotem obuium habeat. Idem etiam Pol. Vergilius refert.

Idem ex Angliâ Romam veniens Hadriano 4 Papæ, cui familiaris amicusque fuit, interroganti, quid sui homines de Papâ, Romanaque curiâ sentirent, ac loquerentur? Respondit: eos dicere, non posse illum expleri omnibus totius Ecclesiæ opibus, quin semper plura expetat, queraturque se egere. Vide ipsa verba ad Papam apud eum.

Idem. Interim contineat Ecclesia manus suas, quoniam gladius Petri, qui sanguinem carnali sitiebat affectu, mandato domini ad præsens tegitur in vaginâ, & discipuli eradicare zizania properantes, præcipiuntur meliores angelos exspectare.

Idem. Alij quidem sine euangelio de euangelio viuunt, & benè si viuunt tantùm, vt non etiam luxurientur. Hos vix mercenarios dixerim, qui non laborant, vt manducent, sed fine labore non manducare, quod necessitatis est, sed ociari & luxuriari desiderant.

Idem. Si quis, Apostolus inquit, episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed nescio quo pacto res in contrarium versa est, vt cùm omnes ferè desiderent episcopari, cùm, quòd appetunt, adepti fuerint, ocio marcent: aut quod turpius est, in vanitatis operibus occupantur.

Idem in obiurgatorio clericorum, & in Polycratico, Papas spirituales Pharisæos: ipsum Papam Antichristum: Romam Babylonem dicit.

Idem. Sicut de horto deliciarum oriuntur quatuor flumina, quæ irrigant, & fœcundant vniuersa: sic de horto Ecclesiæ, & medio domus Dei erumpunt omnia vitia, quæ confundunt, & destruunt omnia. Ibi enim omnia currunt ad precium, domusque Dei fornicatoribus est commissa.

Idem. Basilius rogatus à muliercula, vt pro ea principi intercederet, chartam eius accipiens sic scripsit principi; Paupercula hæc accessit ad me, dicens, posse me apud te: Si ergò possum, ostende. Et dedit mulieri chartam. Quæ abiens dedit epistolam principi. Legensque eam princeps, rescripsit hæc: Propter vos ô pater sancte volui misereri mulierculæ, sed non potui, pro eo quòd tributis subiacet. Sanctus verò rescripsit ei: Si quidem volens non potuisti, benè vtcunque se res habet: Si autem potens noluisti, ducet Christus ad indigentium chorum, vt quando voles non posis. Sed organo suo quo semper electis adest veritas, nequaquam defuit. Nam in breui princeps idem imperiali indignatione tentatus, ductus est vinctus inter captiuos, vel pœna sua satisfaciens iniustè oppressis. Oratione tamen Basilij post sextum diem de abductione liberatus est.

Idem. Egregium quiddam in talibus accidit in Apulia temporibus meis, regnante Rogero Siculo: contigit vacare Ecclesiam Auellanam Campaniæ, Apuliæ, & Calabriæ. Robertus iam dicti regis Cancellarius præsidebat, vir quidem in rebus gerendis strenuus, & sine magna literarum copia acutissimus. Imprimis prouincialium facundissimus eorum non impar eloquio, verendus omnibus priuilegio potestatis, & morum elegantia venerabilis, eoque mirabilior in partibus illis, quòd inter Longobardos, quos parcissimos, ne auaros dicam, esse constat, faciebat sumtus immensos, & gentis suæ magnificentiam exhibebat. Erat enim Anglicus natione. Ad eum itaque viri tres accesserunt, Abbas quidam, alter Archidiaconus, tertius laicus quidam præpositus regis, fratris sui clérici causam agens, singuli clàm pro iam dicto Episcopatu grandem pecuniam offerentes. Quid multa? Adhibitis familiaribus seorsum, cum vnoquoque eorum conuenit de pretio. Emtio ergò & venditio vndique perfecta est, de solutione implenda sufficientissimè cautum, pignoribus & fideiussoribus datis, diesque præfixus est electioni solemniter celebrandæ. Cùm itaque ad diem Archiepiscopi, & multæ venerabiles personæ conuenissent, prætatus Cancellarius competitorum causas, & quid cum vnoquoque eorum egisset, exposuit dicens, se exinde ex Episcoporū sententia processurum. Damnatis ergò competitoribus simoniacis, pauper monachus & totius rei ignarus, canonicè electus, approbatus & introductus est. Illi tamen coacti sunt soluere id, in quo se obligauerant, vsque ad nouissimum quadrantem. Vtinam ita agatur cum procis nostris.

Idem in Epistola 42. In omnibus videlicet actis suis vel dictis nihil suum quærat Episcopus: sed tantùm aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut vtrumque. Hoc enim agens implebit non solùm Pontificis officium, sed & etymologiam nominis, pontem vtique seipsum faciens inter Deum & proximum. Pertingit pons iste vsque ad Deum ea fiducia, qua non suam sed illius gloriam quærit. Pertingit vsque ad proximum illa pietate, qua & ipsi non sibi prodesse desiderat.

Ibidem. Non quod sibi omninò vtile est quærat Episcopus, sed quod multis.

Idem in epistola 177. Adiutores esse deberent, & vtinam non aduersarentur: sed supersedeo, per alium malo, vt innotescant vobis mores eorum & studia, si nescitis. Dico tamen, ius, fas, honestas, religio in nostris episcopatibus perierunt.

Idem in epistolâ 230. Nunc nouum aliquid addidistis vsurpantes ampliùs & in ipsam religionem. Quid restat, nisi vt adijciatis & ipsis Angelis sanctis dominari?

Idem. Pontificis magni Legati, scribæ & Pharisæi ita debacchantur, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Satan è facie Domini. Nocent sæpius, & in eo sunt diabolo persimiles. Apud eos iudicium est nihil, nisi publica merces: iustificant pro muneribus impium, afflictas grauant conscientias, & exultant in rebus pessimis. Siquidem peccatata populi comedunt: eis vestiuntur, & in eis multipliciter luxuriantur, dum veri adoratores in spiritu adorant patrem.

Qui ab eorum dissentit doctrina, aut hæreticus iudicatur, aut schismaticus. Manifestet ergò seipsum Christus, & palàm faciat viam, qua nobis est incedendum &c. Testatur Petrus Parisiensis cantor, in suo Abbreuiato verbo, de quo postea, se in Lateranensi Concilio, Papæ ac Episcopis volentibus nescio quas nouas traditiones condere, restitisse, ac dixisse: Adeò non esse nouas traditiones condendas, vt etiam de veteribus aliquid potius diminuendum sit, etiamsi essent vtiles. Nam & illarum vtilium traditionum numero ac copia, nimium Christianos onerari. Illudque potius agendum esse, vt verbum Christi seruetur. Iam enim verè Christianis obijci posse, quòd propter hominum traditiones, Dei mandatum irritum fecerint.

Henricus Tholosanus Monachus. 1141.

Negabat oblationes pro mortuis aliquid prodesse: damnabat Sanctorum inuocationem: olei & chrismatis consecrationem, peregrinationes ad Sanctos & similia. Genebrardus. Vnde apparet, Lutherum non fuisse primum qui hisce ineptijs se opposuit. Imp. Conrado Sueuo. Papa Innocentio 2. vt sup.

Petrus de Bruis.

Ab hoc dicti fuerunt Petrobusiani. Hi primi post Berengarium negârunt Missam esse sacrificium. Imper. & Papa vt sup.

Guilhelmus Malmesburiensis. lib. 4. de regibus. 1141.

Surgit in Ecclesiam monstrum genitore Losingâ,
Simonidum sectâ, canonum virtute refectâ.
Petre nimis tardas, nam Simon ad ardua tendit.
Si præsens esses, non Simon ad alta volaret.
Proh dolor, Ecclesiæ nummis venduntur & aræ:
Filius est præsul, pater abba, Simon vterque.
Quid non speremus, si nummos possideamus?
Omnia nummus habet: quod vult facit addit, & aufert.
Res nimis iniusta, nummus fit præsul, & abba.

Idem. Aldhelmus Durotellus, adhuc Abbas, cum virginibus pro subigendo carnis æstu pernoctauit, illæso semper virginitatis earum permanente pudore. Lector quid credis? Imp. & Pp. vt sup.

Rupertus Lincolniensis Episcopus. 1141.

Affirmauit multa contra Papam, & inter alia: Papam nihil contra iusticiam, & veritatem posse. Et cùm id attentet, peiorem esse Lucifero, & Antichristo: à Papâ citatus, & damnatus, ab eo appellauit ad iudicem Christum. Quo moriente auditam esse vocem, aiunt, in curiâ Papæ: veni miser in iudicium Dei; repertumq; sequenti die Papam in lecto exanimem, & liuidam in eo plagam, tanquam fuste percussus fuisset. De quo Cestrensis lib. 7.

Idem. Cùm principale opus Christi, propter quod ipse venit in mundum, sit animarum viuificatio: & Sathanæ opus proprium, & maximè ab eo inuentum, vtpote homicidæ ab initio, sit animarum occisio, & mortificatio: ipsi pastores personam Iesu Christi induti, verbum Dei non annunciantes, etsi non superadderent malicias alias, sunt Antichristi, & Sathanas transfiguratus in Angelum lucis, fures, & latrones, mactatores ouium & perditores, facientes domum orationis speluncam latronum.

Idem, vt Hussus scribit, seuerè obiurgauit Romanæ Ecclesiæ auaritiam, vtpote quæ nullo quæstu satiari potuerit. Ad exitum verò vitæ vocatus: monachum quendam eruditum

grauiter accusauit, quòd neque ipse, neque alij monachi tantis Papæ expilationibus, ac tyrannidi acrius resisterent. Excommunicare eum voluit quidem Pontifex, sed de spe, conatuque depulsus est.

1144.

De Paparum cum Imperatoribus concordia.

Imp. 97 Conrado III. Papa 171 Innocentio 2. & 173 Eugenio 3.

LOthario, dum ex Italica profectione secunda domum rediret, prope Tridentum rebus humanis exemto, in Imperio successit Cunradus dux Sueuiæ: is, quem Honorij Pontificis maleuolentia, Imperij culmine deiectum, eque Italia pulsum fuisse retulimus. Etsi autem post obitum Lotharij, Confluentiæ à principibus Imperij Rex Romanorum, præsente Theodorico cardinale, legato Innocentij secundi, eoque assensum præstante, electus sit: non tamen assensum sperata Pontificis beneuolentia est subsecuta. Nam cùm Rogerio, Apuliæ duci, à quo cum aliquot Cardinalibus in pugna captus fuerat, Apuliam cum titulo regio, quò ex custodia liberaretur, contulisset: nec Cunradus id in præiudicium Imperij factum, ratum firmumque habere vellet: Nocentius cum Rogerio sentiens, Guuelfonem Bauariæ ducem, Cunrado regi, ob id, quòd fratris Heinrici Superbi ducatum ab ipso adipisci nequiret, rebellem, pecunia Italicoque exercitu iuuit: vt Imperator suis defendendis occupatus, de Sicilia Apuliaque recuperandis cogitationes abijcere cogeretur. En insignem Pontificis beneuolentiam in Imperatorem, eius cupiditatibus in Imperij detrimentum assentiri nolentem. Et hoc tempore ferales Gibellinorum atque Guelforum factiones, de quibus alij alia tradiderunt, in Germania initium suum habuêre. Nam vt ex Hermanno refert Nauclerus, dum prælio inter Cunradum & Guuelfonem commisso, hi, qui regiarum partium erant, hoc quasi symbolum haberent, Hie VViebling, regem intelligentes, quòd is in eo pago vetustæ nobilitatis nutritus ferebatur: qui verò Guuelfoni adhærebant, inter pugnandum clamarent, Hie VVelff: factum est, vt ea nomina ab auxiliaribus Guuelfonis copijs, postea in Italiam omnium factionum matrem illata, Gibellinorum & Guuelphorum factionibus occasionem præbuerint: quæ deinceps à Gregorio IX. Pontifice nutritæ, adeo latè serpsêre, vt nulla ciuitas, nullum oppidum, nullus populus ea labe perniciosissima intactus remanserit. Vrbs enim in vrbem, prouincia in prouinciam, hæc populi pars in alteram, nulla impellente alia quàm harum partium causa, vsque ad hæc nostra tempora miro furore inter se sæuiêre. Nec modò ipsæ partes inter se perpetua dissensione concertârunt: sed & ipsi Pontifices, quos contrariæ partis esse sciuerunt, implacabili odio sunt prosecuti. Nam cùm alij, tum verò Bonifacius ille octauus, quo vix tetrius monstrum, cathedræ Romanæ incubuit, quotquot Gibellinæ factionis nouit, eos, quocunque se contulêre, est insecutus, loca omnium, ad quæ se recipiebant, vastans ac populans. Vnde quidam eorum nullum locum sibi ab eo tutum videntes, nemora ac saltus incoluêre: quibus ex nobilissimis Italiæ familijs, cùm littora maris aliquandiu veluti feræ inhabitassent, cum piratis tandem ex Italia abierunt. Mitius enim se à piratis tractandos nouerant, quàm ab isto Malefacio Nerone octauo, si fortè in eius manus incidissent. Quin etiam eorum quosdam Genuam concessisse audiens, & illuc ipse se contulit, vt eos omninò destrueret, eorumque nomen ex hominum memoria ac orbe terrarum tolleret. Cumque in die, quem cinerum vocant, cineres populo pro more illic ministraret, Archiepiscopo vrbis Procheto ad pedes eius genibus flexis, ac aperto capite, vt cineres acciperet, prodeunti: ille, qui eum Gibellinæ factionis esse audierat, cùm dicere deberet, Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuertêris: mutatis verbis dixit, Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reuertêris. Nullaque loci sacri, nulla populi astantis, nulla religionis ratione habita, in oculos, non in caput (vti mos est) Archiepiscopi furibundus magnam cineris quantitatem coniecit: eundemque Archiepiscopum dignitate priuauit, licet postea restituerit. Hoccine erat benedicere, vel maledicere? scurram, an Pontificem in sacris agere? Hoccine erat, secundum Christi præceptum inimicos diligere, ijsque benefacere? O Pontificem, non Bonifacij, sed Malefacij nomine dignissimum. Tandem tamen diuino iudicio factum est, vt hi, qui Italiam deserentes cum piratis fugerant, rursus in Italiam à Deo veherentur: ac collectis paucis aliquot, qui Malefacij rabiem fugientes, modò hîc, modò illic delituerant, Anagniæ bestiam nihil tale metuentem, refractis valuis caperent, atque Romam ducerent: vbi triginta quinque dierum spacio, præ dolore ac rabiei magnitudine desperabundus, infelicem animam innumeris malefactis onustam emisit.

Schardius ex Nauclero, Bartoli peculiari libro de Gibellinis & Guelphis, Platina, Cuspiniano, & alijs.

Portenta. 1144.

MEnse Septembri conspecti sunt versus occasum tres Soles, durantes duarum horarum spacio: post confluxerunt in vnum solem. Visæ etiam fuerunt tres Lunæ simul in cœlo, & in medio earum spacio, magna quædam crux.

Eodem anno aliquot Ecclesiæ ministros sacra pro officij sui ratione facientes in templis extinxit tempestas.

Certissimè talia signa prodigiosa & monstrosa non in admirationem & suspectionem sui rapiunt tantùm simplex & rude vulgus: sed etiam doctiores quique & sapientiores asserunt, hæc portendere & præsagire miserias & calamitates superuenturas illicò Christianis. Hæc VVasseburgius. Imp. & Papa vt sup.

De Vuladislao Rege Poloniæ, Regina, & non esse Iocandum cum principibus. 1144.

TVm verò illud excogitauit Regina, vt homines oppidani & rusticani statis & solennibus ferijs honoraria quædam munera, nempe pullos gallinaceos, anseres, oua, mel, auenam, porcos, triticum in cellam Principis inferrent. Quod cùm semel atque iterum, ac tertiùm in gratiam Principis non inuiti fecissent: lege viri, vt id perpetuum deinceps esset, sanciuit.

Petrus verò Danus Comes Scrinensis monendo & obiurgando Principem ab instituto auocabat: quæ res ei, si non exitiosa, calamitosa quidem certè fuit. Nam Vuladislaus, vt omnibus de rebus cum vxore communicabat, ita de Petri quoque consilio ac studio ipsi narrauit.

Excanduit subitò in hominem iracunda mulier, alioqui etiam ipsi infensa, ex huiusmodi causa. Venatum fortè Vuladislaus Princeps, & Petrus hic in remotas syluas ierant: ibi totum diem inuestigandis & persequendis feris defatigati, ad vesperam ad focum constructa è cespite mensa, cùm se pane, & ferina carne, & aqua fontana vtcunque refecissent, & humi stratis penulis cubituri essent, Vuladislaus domesticarum lautitiarum, & mollium stratorum recordatus, ioco Petrum appellans: Mollius, inquit, nunc Petre vxor tua cum Abbate Scrinensi siue Sulcouiensi cubat, quàm nos. Petrus contrà, vt iocum ioco retunderet: Fortasse, inquit, & tua cum Dobesso. Erat autem Dobessus iuuenis ex equestri ordine non inelegans, quo familiariùs Christina vtebatur, ita vt mussitaretur vulgò, eum cum illa clàm consueuisse. Tetigit id dictum Principis animum, & sermonibus quidem tunc, iocisque finem fecit: vultu verò ne postea quidem satis dissimulauit siue dolorem, siue solicitudinem: incertum, liberiorine dicto Petri offensus, an de crimine vxoris ex verbis Petri, & superioris temporis coniecturis, quas non tam scrupulosè ad eam diem notârat, suspiciones colligens. Christina vbi tristiorem, cogitabundumque præter morem virum reuersum animaduertit, sciscitatur causam, dissimulat aliquandiu Vuladislaus: ad extremum victus blanditijs, & importunitate vxoris, detegit ei vulnus animi sui.

Inde grauiores ea in Petrum iras conceperat, occasionemque vlciscendi eius quærebat: quam cùm fortuna percommodam attulisse videretur in eo, quòd Petrus apertè cupiditati Principis aduersabatur, ibi verò instare violenta mulier apud maritum noctesque diesque, vt Petrus de medio tolleretur, eo enim viuo, nunquam animi compotem futurum Vuladislaum. Erat enim vir ingenti spiritu Petrus, summaque potentia præditus: quippe qui præter priuatas opes & facultates ampliss. Calisiensem, Crusuicienseмque tractum omnem, Boleslai Criuousti nomine, administrâsset. Subornat tandem Dobessum Christina, partim probri infamia irritatum, partim pollicitatione bonorum Petri illectum, vt eum quouis modo vel caperet, vel interficeret. Non est tamem ausus Dobessus hominem aperta vi aggredi: sed obseruabat tempus, quo per fraudem eum incautum opprimeret. Fortè Petrus nuptias filiæ, quam Laxæ Serborum, siue Vinidarum duci in matrimonium collocabat, Vratislauiæ insigni pompa atque celebritate apparabat: eò se Dobessus quoque magno comitatu confert, securumque & nihil eiusmodi suspicantem Petrum, solum fortè conspicatus, dum ministri circa apparandas nuptias, & hospites comiter accipiendos satagunt, correptum, celeriter paratis & dispositis ad hoc equis asportat, & ad Principem adducit. Diu, quid de eo faceret Vuladislaus, animi dubius fuit. Reuerebatur hominis dignitatem, gratiamque popularem: reminiscebatur, quo is honore apud patrem suum fuisset. Contrà suggerebat Christina, si incolumis Petrus dimittatur, acerbiorem eum, capitalemque hostem fore Principi, iniuria illa exacerbatum. Vbi cunctari virum videt, minatur se ab eo discessuram, vbi impunè probro prostitutæ pudicitiæ afficeretur. Vicit tandem, perfecitque, vt indicta causa, ei lingua præcideretur, atque oculi effoderentur. Sicci, & sæpe multis, liberior cum Principe iocus malè cessit. Vixit tamen post eam calamitatem Petrus quinque annos. Mercator & alij.

Lucius 2. Papa 172. 1144.

HIc bellator in prælio lapidibus contritus interijt. Martyr. Nauclerus generat. 39. & alij.

1148. Hoc anno, 22 Martij atroci tempestate ortâ, quidam sacerdos ictus fulmine perijt Gandaui, cùm ad altare staret, & celebraret missam. Idem accidit & alij cuidam sacrifico Remensi anno 1149. Sigeb. Vinc. Chron. Fland. Vt sup.

Tundalus Magus Carthusianus.

1148. REferunt: quòd à Deo morte subitâ percussus sit, quia templa territamentis infestârit ad implendas crumenas, & sacra neglexerit. Et affirmant preterea, reuersum demum ab inferis, & extruisse librum apparitionum suarum. Imp. Conrado Sueuo. Papa Eugenio 3. vt sup.

Ordo Gilbertinorum.



GIlbertus de Semphringa Anglus Iocelini equestris ordinis filius, deformis, in Galliam studiorum gratia profectus, & in patriam reuersus, Ordinem nouum 700 fratrum, & sororum 1100 Gilbertinæ sectæ, & sic contra naturam plures sorores instituit. Balæus ex Scropo, & Capgrauo. Eugenius 3 Ordinem approbauit.

De Gilbertinorum ordine, & castitate, Nigellus poëta in suo Brunello sic scribit:

Quid de Semphringâ, quantum vel qualia sumam
Nescio: nam noua res me dubitare facit.
Hoc tamen ad præsens nullâ ratione remittam,
Namque necesse nimis fratribus esse reor:
Quòd nunquam, nisi clàm, nullaq; sciente sororum
Cum quocunque suo fratre manere licet.

Item.

Canonici Missam tantum, reliquumq; sorores
Explent officij debita iura sui.
Corpora, non voces murus disiungit: in vnum
Psallunt: directo psalmatis absque metro.

Item.

Harum sunt quædam steriles, quædam parientes:
Virgineoq; tamen nomine cuncta tegunt.
Quæ pastoralis baculi dotatur honore,
Illa quidem melius, fertiliusq; parit.
Vix etiam quæuis sterilis reperitur in illis,
Donec eis ætas talia posse negat. Balæus.

De eorundem peruersâ vitâ, funestum exemplum recitat Ealredus Abbas Rhieuallensis, quod adeò turpe est, vt pudeat referre. Habet enim in se periurium, homicidium, infantium proiectiones in latrinas, & alia horrenda. Bal. & Hosp.

Arnoldus Brixiensis.

1150. HIc suâ ætate (hoc est Conrado Imperatore) Papæ, & Ecclesiasticorum tyrannidem, & luxum grauiter reprehendit, & alios quoque abusus. Docuit Brixiæ, inde Italiâ pulsus Tigurum venit, & post obitum Papæ Romam redijt, & tandem propter parrhisiam suam combustus est. Otho Frisingensis, & Guntherus Ligurinus eius meminêre. Imp. & Papa vt sup.

Idem damnauit ciuilem administrationem in clero, seu quòd sibi ius temporalis gladij vsurparent clerici: atque ob eam causam est ab Hadriano 4. hæreseos damnatus.

Idem.

Idem. Sub Honorio papa secundo, Romam venit iste Arnoldus, & cùm clericorum lasciuiam, libidinem, auariciam & nimium fastum reprehenderet, & paupertatem Christi & Apostolorum eius, integerrimamq; vitam ad imitationem omnibus proponeret, à Romana quidem nobilitate ut verus Christi discipulus laudatus est: sed Clericorum odio nimiùm est agitatus, à quibus & noctu captus, occultè est interfectus. Hoc suum martyrium antea cùm adhuc esset in eremo, diuinitus sibi fuit reuelatum, cùm per Angelum ad prædicandum Romam mitteretur. Vnde & publicè dixit: Scio quòd animam meam quæritis, scio quòd me breui iam occidetis. Sed quare? veritatem vobis dico: fastum, superbiam, auaritiam, luxuriam, nimiumq; studium, quod comparandis diuitijs miseri impenditis, reprehendo, propterea vobis non placeo. Ego testem inuoco cœlum & terram, quòd annunciauerim vobis ea, quæ mihi Dominus præcepit: vos autem contemnitis & me & creatorem vestrum, qui vos per vnigenitum filium suum redemit. Nec mirum, si hominem me peccatorem, vobis veritatem annunciantem, morti tradituri estis: cùm etiam si sanctus Petrus hodie resurgeret, & vitia vestra, quæ nimis multiplicata sunt, reprehenderet, ei minimè parceretis. Cùm hæc alta voce clamasset, subiunxit: Ego quidem mortem subire pro veritate non timeo: vobis autem in verbo Domini prædico, quòd omnipotens Deus non parcet impuritatibus vestris. Vos enim omni spurcicia pleni, plebem vobis commissam præceditis ad infernum. Deus vindex est. Cumq; odium cleri propter veritatem in eum sæuire cæpisset, eorum insidijs captus & submersus est. Quidam suspensum affirmant, tulisseq; id Honorium papam iniquo animo, sed tamen quæstione abstinuisse. Simoneta libro 5, cap. 7. inquit: Cùm licentius quàm par esset, in suggestu strepere consueuisset, clericorum insidijs, quorum lasciuiam, libidinem, pompam, divitias improbasset, inopinatè Romæ necatum. Stumpfius Adrianum à Friderico Barbarossa impetrasse ait anno 1154. ut flammis exureretur: cineres in Tiberim sparsos, ne reliquias colerent Romani. Referunt Trith. Martin. Polonus, Sabell. Platina, Stumpfius, Simoneta.

Anshelmus Auelburgensis.

Sic inter alia scribit: Solent plerique mirari, & quæstionem ponere, & interrogando non solùm oppugnare verum, sed etiam alijs scandalum generare. Dicunt, & tanquam calumniosi inquisitores interrogant: Quare tot novitates in Ecclesia Dei fiunt? Quare tot ordines in ea surgunt? Quis memorare queat tot ordines Clericorum? Quis non miretur tot genera Monachorum? Quis denique non scandalizetur? & inter tot diversas formas religionum disceptantium tædioso non afficiatur scandalo? Imò quis non contemneret Christianam religionem, tot vanitatibus subiectam, tot adinuentionibus imminutam, tot nouis legibus & consuetudinibus agitatam, tot regulis & moribus ferè annuatim monachorum fluctuantem? Quod modò inquiunt, à quibusdam propter regnum cæleste prohibetur, quod modò tanquam sacrilegium inhibetur, subitò tanquam sanctum & salubre conceditur. Tales homines odiosi sunt, inducunt quæstiones, & corda simplicium peruertunt dicentes: omnem religionem tantò esse contemtiorem, quantò mobiliorem. Quod enim inquiunt, est tam mobile, tam instabile, quomodo alicui sapientum dignè potest esse admirabile? Propterea, quippe sua varietate probat se respuendum esse. Ecce vidimus in Ecclesia Dei, ut aiunt, quosdam emergere, qui pro libitu suo insolito habitu induti, nouum viuendi ordinem sibi eligunt, & sive sub monasticæ professionis titulo, siue sub canonicæ disciplinæ voto, quodcunque volunt, sibi assumunt: nouum psallendi modum, & metas cibariorum sibi statuunt, & nec monachos, qui sub regulâ S. Benedicti militant, nec canonicos, qui sub regula Augustini Apostolicam vitam gerunt, imitantur: sed omnia pro libitu suo noua facientes, ipsi sibi sunt lex, ipsi sibi sunt authoritas: & quos possunt in suam societatem sub prætextu nouæ legis colligunt. Et in hoc religiosiores videri putantur, si ab omni religiosiori habitu, ac disciplinâ sequestrati, & tanquam præ cæteris notabiles, digito demonstrentur. Hæc & his similia dicunt, & crebris quæstionibus alios inquietant. Imp. 97. Conrado 3. PP. 173. Eugenio 3. 1150.

De gratiis & expectatiuis.

De his scribunt Gomezius, Albericus, & Laurentius Puccius Cardinalis. Gratiæ & expectatiuæ (aiunt) circa annum 1150 inceperunt, & priùs non fuerunt. Per illas autem multa incommoda in Ecclesiam irruerunt. Causam esse affirmant in verbo Præbenda, quia habeat in se lac, lanam, pellem, & carnes, id est abundantiam temporalium. Et hæc materia fuit propterea acceptior Romanæ Curiæ, quàm de pœnitentijs, & similes. Et Papa (qui aliàs sine peccato est) Cardinales, & religiosi in hac materia studiosè peccant. Hæc Albericus. Nil mirum igitur si dixerunt moderni in c. 1, in ij. coll. de electionibus, quòd propter istas expectatiuas totum jus Canonicum destructum videatur. De hac re scripsit Laurentius Puccius Cardinalis, ex quo auditum fuit, se exinde ducenta millia ducatorum lucratum fuisse. Imp. Conrado Sueuo PP. Eugenio. 3. V.S. 1150.

Vgetinus in lib. Visionum.

1150. IN Cœnobijs monachorum admonendum est: vt vitiorum radicibus arefactis, virtutum possint germina pullulare: quia maioris numeri frequentia reperitur eorum, qui mundanis necessitatibus, quàm qui Spiritu Dei acti, ad hæc Spiritualia castra se conferant. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Et ideò certandum est totis viribus, ne multitudine carnalium tepescat vita Spiritualium: ne abundante iniquitate, refrigescat charitas mulorum. Caueatur auaritia, qua dominante, ad paupertatem Spiritus non descenditur: qua cœlorum aditus obseratur. Ciborum, & potus ingluuies vertitur in vix sufficientem necessitatem victus. Aqua, inquit, valdè ad potandum vtilis est: quia naturalis potus est. Nitor vestium mutetur in necessarium arcendæ nuditatis, & frigoris temperamentum. Superbiæ tumor mutandus est in humilitatem non fictam, &c. Item in Epistola ad Hilarium Archiepiscopum Treuerensem: Sedes Apostolica obsessa est superbiâ, & colitur auaria.

Idem. Quòd si non indicaueris eis, quæ tibi sunt reuelata: & ipsi in suis peccatis morientur, & tu judicium Dei portabis. Imp. Conrado 3. PP. Eugenio 3. V. S.

Ex Visionibus virginis Elizabethæ Germanæ.

1150. ELizabeth virgo Germana floruit circa annum 1150. & fuit Diuæ Hildegardis familiaris. Scripta eius sunt Parisijs, cum præfatione Fabri, opusculis Hermis, Hildegardis, fratris Roberti, & Mechtildis, impressa. In eis illi propheticus Spiritus tribuitur, quòd quæcunque scripta reliquerit, in visione à Deo dicta, reuelataque acceperit. Inter alia Prælatos sic Deus, referente Angelo, per os eius alloquitur: hæc dicit Dominus: Ecce ego mitto angelum meum, vt annunciet vobis, qui in sublimi potestate irritatores estis. Dico autem vobis, quòd iniquitas terræ, quam absconditis propter aurum, & argentum, ascendit coram me, sicut fumus de igne. Nunquid non animæ sunt plus, quàm aurum & argentum, quas suffocatis in ignem æternum propter auaritiam vestram. Idcircò accusat vos religio vestra coram me. Ecce enim fœtere fecistis sanctificationem vestram in conspectu populi: & versa est in abominationem mihi. Occupastis principatum sanctorum meorum: & nesciui. Maculastis stratum meum: & silui. Quid mihi, & vobis exasperatores mansuetudinis meæ? Vnde ascendistis turbare ouile meum, & aggrauare cor meum super filios meos, quos genui in amaritudine animæ meæ, in die laboris, & angustiarum mearum.

Et adiecit iterum loqui ad me, dicens: Nonne pastores mei quasi in graui somno obdurati sunt? & quomodo euigilare eos faciam super greges meos, qui disperguntur, sicut oues, quando pascuntur in virentibus pascuis? Vagi facti sunt populi mei: vnusquisque sequitur cor suum: & discurrunt in impetu cordis sui singuli post concupiscentias suas: & non est vox, neque sensus pastoribus meis ad increpandum & colligendum dissipatos. Mihi obmutuerunt, dicit Dominus: mihi insipientes facti sunt. Sibi autem sapientes sunt, & diserti. Os eorum patens est: lingua eorum versatilis, & acuta ad vindemiandam vineam, in quâ non laborauerunt. Velox pes eorum: & discurrunt in tumultu, vt euellant, & absorbeant carnalia plebis meæ, cui spiritualia non ministrant. Qui digitum mouere pigri sunt ad eruendum ab iniquitate animas meas, pro quibus mortem gustaui: quasi gens, quæ ignorat nomen meum: ita me persequi non formidant, qui ambulant sub nomine meo, & iniquâ exactione cor populi mei contristant, & non apponunt auferre ab oculis meis iniquitatem adulteri, & fornicatoris, & percussoris, & violenti in proimum suum, & furis, & malefici, & periuri, & fœnorantis, & fallentis in penso, & mensurâ, & polluentis sabbata mea in turpitudinis lusu, & præuaricantis pactum sanctimoniæ, & incircumcisi inhonorantis altare meum, nec dijudicantis, quòd est mundum mundissimum, & vendentis, & ementis sanctificationem meam, & superbiam exercentis in hæreditate sanctuarij mei. Hæc & alia, quæ legibus meis prohibui, quasi flamma desolationis domum meam deuastant, & tædere me faciunt super filios hominum. Et pastores mei in moribus eorum obmutescunt: & quiescunt in desiderijs animæ suæ. Benè secundum plantationem suam gradiuntur: & gressus eorum dignam retributionem inuenient, dicit Dominus.

Hæc ita prosequente angelo, qui mecum per interualla temporum loquebatur: dixi ad eum: Domine, quæ est illa euigilatio, quam Dominus comminatus est pastoribus suis? at ille rursus, quasi in irâ verbum comminationis assumens, ait: Vos qui dormitis in increpationibus meis, & cor vestrum obcæcatum est in dormitione suâ: ego euigilare vos faciam, quando veniet super vos mors antiqua, & inueteratus ille serpens, & deuorabit vos cum magno impetu: quoniam thesaurizastis vobis thesauros in infernalibus pœnis. Infelices & insensati aperite oculos vestros: & legite scripturas. Et recordamini, quâ religione præcesserunt vos antecessores vestri. Iterum autem facta intermissione parui temporis addidit, dicens: Videte pontificem magnum & excelsum super omnia D. Iesum: quomodo in diebus obedientiæ suæ ambulauit in medio discipulorũ suorũ non in altitudine dominantis, sed humilitate ministrãtis, tanquã pius æmulator gregis sui, vsq; in cõsum-

mationem mortis pro eo. Respicite semen eius, quod est benedictum, ministros vocationis vestrę beatos Apostolos, & successores eorum: in quorum cætibus gloriamini, & pascitis voluntatem cordis vestri in laboribus eorum. Nunquid sicut Viæ vestræ viæ illorum fuerunt: nolite arbitrari ita: quia viæ illorum, viæ pulchræ & rectæ: Vestræ autem contaminatæ, & nullus ordo est in eis. Non ambulauerunt in altitudine spiritus sui: neq; in tumultu superbi comitatus. Non in cupiditate quæstus, non in magnificentiâ vestimenti: neque in dissolutione cordis. Non in crapulâ & ebrietate: & in maculis carnis. Non in vanitate ludentium. Neque post canem, & auem discursus eorum. In omni autem sinceritate vestigiis magni pastoris adhæserunt: Vigilantes vigilias fideles super gregem Domini die ac nocte, in laboribus & ærumnis, in penuriâ necessitatum, & quasi in angustia parientis ministerium suum impleuerunt, sustinentes abiectionem & contumeliam ab hominibus & persecutiones, quas dinumerare nemo potest. Et dederunt animas suas in mortem, vt implerent terram Euangelio Dei, & lucrifacerent animas electorum.

Caput Ecclesiæ clamat, & membra illius mortua: quoniam sedes apostolica obsessa est superbia: & colitur auaritia, & repleta est iniquitate, & impietate. Et scandalisant oues meas, & erraticas faciunt: quas custodire, & regere debuerunt. Verbum est Domino cum potentiâ suâ. Nunquid hoc obliuiscetur dextera mea? nequaquam procul dubio. Nisi conuersi fuerint & correxerint vias suas pessimas: ego Dominus conteram eos.

Rursus die altero addidit, dicens: Hæc dicit Dominus magnis prælatis Ecclesiæ: Recordamini, quam rationem reddituri estis in tremendo iudicio meo de ouibus meis, quas suscepistis regere, & custodire: quando appreciati estis dona spiritualia populi mei precio infelicitatis. Nunc ergo mitto ad vos paternas admonitiones: videte ne fortè iudicemini. Sed conuertamini à vitiis vestris pessimis: & mundate conscientias vestras, & reconciliabor vobis: alioqui ego Dominus delebo memoriam vestram de terra viuentium.

Posthæc, quasi in spiritu lenitatis verbum Dei annuncians, ait: Ego Dominus clamo & admoneo pastores meos: & quare non audiunt vocem admonitionis meæ? Sto & pulso ad ostium cordis eorum: & non aperiunt mihi. Audite, & intelligite verba admonitionis meæ, & delectamini in dilectione mea: quoniam admoneo pastores, & oues meas admonitione paternâ. Sunt enim inter pastores meos, qui mihi videntur boni & pacifici, heu quàm pauci: sunt & alii multi mali & peruersi, qui me prouocant ad iracundiam, propter quod oportet admoneri bonos, vt in melius proficiant: malos autem & peruersos, vt conuertantur, ne pereant de via iusta, Etc. Imperatore & Papa vt suprà.

Etmundus Cantuariensis & Albertus Rigiensis Episcopus. 1152.

DE illo hic refert, eum solitum esse à muneribus valdè abhorrere, ac dicere: Per munera quæ nunc data, nunc accepta sunt, corrupta est hodie Christianitas, deficietque priusquàm animaduertant: nisi se curare studuerint ab hac peste. Imperatore Conrado 3. Papa Eugenio 3. vt suprà.

Galfridus Monumetensis libro 8. capite 4. de Brittannorum gestis. 1152.

IN patriâ Britonum (inquit) adhuc vigebat Christianitas, quæ ab Apostolorum tempore nunquam inter eos defecerat. Postquàm autem venit Augustinus Monachus Romanus inuenit in eorum prouincia septem episcopatus, & archiepiscopatum vnum, religiosissimis præsulibus munitos: & abbatias complures, suarum manuum labore viuentes: in quibus grex Domini rectum ordinem tenebat, &c. Apparet etiam, pastores apud eos fuisse diligentes in retinendâ doctrinæ puritate, per Dionotum Auonium & socios: qui in ea fortiter ad mortem vsque perstiterunt, contemtis cominationibus. Intrabat Augustinus non cum Euangelio pacis Christianæ, sed cum Apostolatus sui vexillo, cruce argenteâ, letaniâ, processione, iconibus, simulachris, depictis, reliquiis, canticis, ac ritualibus libris. Cùm verò ad suum colloquium, in Occidentali Anglorum patriâ, Brittanorum episcopos & doctores anno Domini 602. regis autoritate conuocaret, vt Romanis ritibus communicantes, seipsos ei subiicerent: illi ad synodum ituri, solitarium quendam, ac prudentem virum, prius consuluerunt, an eius mandata sequi, suasq; à patribus sumtas traditiones deserere liceret? Si homo Dei est, (inquit) sequimini illum. Et vnde id probabimus interrogant: Scitis (ait) Dominum præcepisse: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Si talis ergò sit Augustinus ille, credibile est quòd Christi iugum & ipse portet, ac vobis portandum offerat. Si autem superbus & immitis fuerit, constat, quia non est à Deo, neque vobis est eius sermo curandus. Et vnde id sciemus, inquiunt: Permittite ait, vt ipse prior cum suis ad synodi locum veniat. Et si aduentantibus assurrexerit, scitote quia Christi seruus est, & obtempe-

rate illi. At si vos spreuerit, aut parui æstimauerit, & nullum benignitatis signum ostenderit in vultu, cùm numero plures sitis: spernatur à vobis & ipse. Cùm ergò venissent, & Augustinum in sellâ ambitiosè sedentem, nec eis amicitiæ signum aliquod præbentem vidissent: in iram mox conuersi, eumque superbiæ notantes, cunctis, quæ illis proposuit, contradicebant. Improperabat enim eis, quòd Vniuersalis Ecclesiæ consuetudini contraria in multis gererent: præsertim in Paschalis festi celebratione, in ministerio baptismi, & in prædicationis officio, & quòd hominum traditiones non curarent. Mandabatque vt in his atque aliis Romanæ ecclesiæ mores & ritus obseruarent. At illi nihil horum se facturos, neque illum pro Archiepiscopo habituros esse respondebant. Quibus ipse futura bella promisit, ac mortis vltionem quæ & mox sequebatur, ferociter minitabatur. De quibus etiam Beda in Ecclesiast. hist. Anglorum, & Mantuanus in Fastis:

Adde quòd & patres ausi taxare latinos
Causabantur, eos stultè, imprudenter, & æquo
Duriùs ad ritum Romæ voluisse Britannos
Cogere, & antiquum tam præcipitanter amorem
Tam stolido temerasse ausu. Concedere Roma
Debuit, aiebant, potiùs quàm rumpere pacem,
Humani quæ iuris erant, modò salua maneret
Lex diuina, fides, Christi doctrina, senatus
Quam primus tulit ore suo: quia tradita ab ipso
Christo erat, humanæ doctore & lumine vitæ, &c.

Imp. Conrado 3. Sueuo. Papa Eugenio 3. V.S.

Radeuicus de gestis Friderici primi Imp. lib. I.

Capite 8.

1154. At priusquàm ad eius prouinciæ negotia, seu ordinationem stylus se porrigat, de legatis Romani Pontificis Adriani, ad quid venerint, & quomodo recesserint, quia & authoritas eius partis maior, & causa grauior, dicendum nobis erit. Prolixitatem huius narrationis non causabitur, qui materiæ pondus, ac tempus, quo hæc tempestas protracta est, & protrahitur, diuturnitatem diligenter considerabit. Personæ nunciorum erant Rolandus, tit. S. Marci presbyter Cardinalis, & Cancellarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Bernhardus, tit. Sancti Clementis presbyter Cardinalis, ambo diuitiis, maturitate & grauitate insignes, & penè omnibus aliis in Romanâ Ecclesiâ auctoritate maiores. Causa verò aduentus eorum speciem sinceritatis videbatur habere, sed fermentum, & occasionem malorum latuisse, postmodùm euidenter deprehensum est. Principe ergò die quodam à strepitu, & populi tumultu declinante, in cuiusdam oratorii priuatiore recessu, prædicti nuncii in conspectũ eius deducti, ab eoque vt oportebat, sicut qui se boni nuncii baiulos assererent, benignè & honestè recepti sunt. Exordium sermonis illorum in fronte ipsa notabile comparuit, quod tale fuisse dicitur: Salutat vos beatissimus pater noster papa Adrianus, & vniuersitas Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Ille vt pater, illi vt fratres: paucisque interpositis, literas quas ferebant protulêre.

Quas & aliarum, quæ in hac turbulentiâ hinc inde discurrebant, rescripta literarum, idcircò huic operi interserere curaui, vt quiuis lector, qui in partem declinare voluerit, non meis verbis, vel assertionibus sed ipsarum partium propriis scriptis tractus & vocatus, liberè eligat, vtri parti suum velit accommodare fauorem. Tenor denique literarum talis erat.

Cap. 9.

Adrianus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, dilecto filio,

Illustri Romanorum Imperatori salutem, & Apostolicam benedictionem.

IMperatoriæ maiestati paucis retractis diebus recolimus scripsisse, illud horrendum, & execrabile facinus, & piaculare flagitium tempore nostro commissum, in Teutonicis partibus, sicut credimus aliquando intentatum, excellentiæ tuæ ad memoriam reuocantes: non sine grandi admiratione ferentes, quòd absque dignâ seueritate vindictæ vsq; nunc transire passus sis, tam pernitiosi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noster Londinensis Archiepiscopus, dum à sede Apostolicâ remearet, à quibusdam impiis & scelestis (quod sine grandi animi mœrore non dicimus) in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodiâ teneatur: qualiter etiam in ipsâ captione prædicti viri impietatis, semen nequam, filii scelerati, in eum, & in suos euaginatis gladiis violenter exarserint, & eos ablatis omnibus, quàm turpiter, atque inhonestè tractauerint, & tua serenissima celsitudo cognoscit, atque ad longinquas & remotissimas regiones fama tanti sceleris iam peruenit. Ad cuius vtique vehementissimi facinoris vltionem, sicut is, cui bona placere, mala verò displicere credimus, constantius exsurgere debuisti, & gladium, qui tibi ad vindictam maledictorum, laudem verò bonorum est ex diuinâ prouisione concessus, in ceruicem deseuire oportuit impiorum, & grauissimè conterere præsumtores. Tu verò ad ipsum ita dissimulasse diceris, seuitiam neglexisse, quòd eosdem non est, quare pœniteat commisisse reatum: quia impunitatem sacrilegii, quod gesse-

runt, iamiam sentiunt inuenisse. Cuius quidem dissimulationis, & negligentiæ causam penitus ignoramus, quoniam nos in aliquo serenitatis tuę gloriam offendisse, consciétię scrupulus nostrum animum non accusat: sed personam tuam sicut charissimi, & specialis filii nostri, & principis Christianissimi, quem in Apostolicæ confessionis petrâ non ambigimus per Dei gratiam solidatum, syncerâ sẽper dilexerimus charitate, & debitæ tractauerimus benignitatis affectu. Debes enim gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quàm gratanter, & quàm iucundè alio anno mater tua, sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractauerit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit, & honoris, & qualiter Imperialis insigne coronæ libentissimè conferens benignissimo gremio suo, tuæ sublimitatis apicem studuerit confouere: nihil prorsus efficiens, quod Regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obuiare. Neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus impleuisse, sed si maiora beneficia excellentia tua, de manu nostrâ suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesiæ Dei, & nobis per te incrementa possint, & commoda prouenire, non immeritò gauderemus. Nunc autem quia tam immensum facinus, quod in contumeliam vniuersalis Ecclesiæ, & Imperii tui noscitur etiam commissum negligere ac dissimulare videris: suspicamur vtique, ac veremur, ne fortè in hanc dissimulationem, & negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quòd suggestione peruersi hominis zizania seminantis, aduersus clementissimam matrem tuam sacrosanctam Romanam Ecclesiam & nos ipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis, vel rancorem. Ob hoc igitur & ob alia omnia negotia, quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus & charioribus quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros, Bernhardum Sancti Clementis presbyterum, & Rolandum Sancti Marci presbyterum Cardinalem, & Cancellarium nostrum viros vtique religione, prudentiâ, & honestate conspicuos, Serenitati tuæ de latere nostro, ad præsens duximus destinandos: excellentiam tuam rogantes attentius, quatenus eos tam honorificè quàm benignè recipias, honestè tractes, & ea, quæ ipsi super hoc, & super aliis ad honorem Dei, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ad decus etiam, & exaltationem Imperii pertinentia, ex parte nostrâ Imperatoriæ proposuerint dignitati, sicut si ab ore nostro procedant, absque vllâ hæsitatione suscipias, & ipsorum verbis tanquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

Cap. 10.

Qualiter Imperator talem legationem Papæ grauiter tulerit, & literæ per ambitum Imperii super hoc directæ.

TAlibus literis lectis, & per Reinaldum Cancellarium fidâ satis interpretatione diligenter expositis, magna principes qui aderant, indignatione commoti sunt: quia tota literarum continentia non parum acedinis habere, & occasionem futuri mali iam iam fronte suâ proferre videbatur: præcipuè tamen vniuersos accenderat, quòd in præmissis literis inter cætera dictum fuisse acceperant, dignitatis, & honoris plenitudinem sibi à Romano Pontifice collatam, insigne Imperialis Coronæ de manu eius Imperatorem suscepisse: nec ipsum pœnitere, si maiora beneficia de manu eius suscepisset, habitâ consideratione, quanta Ecclesiæ Romanæ per ipsum possent incrementa, & commoda prouenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem, atque præfatæ interpretationis fidem auditores induxerat, quòd à nonnullis Romanorum, temerè affirmari sinouerant, Imperium vrbis, & regnum Italiæ, donatione Pontificum Reges nostros hactenus possedisse, idque non solùm dictis, sed & scriptis, atque picturis repræsentare, & ad posteros transmittere.



Vnde de Imperatore Lothario in palatio Lateranensi super huiusmodi picturâ scriptum:

Rex venit ante fores, iurans prius Vrbis honores:
Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Talis pictura, talisque superscriptio principi, quando alio anno circa vrbem fuerat per fideles imperii delata, cùm vehementer displicuisset, amicâ prius inuectione præcedente, laudamentum à Papâ Adriano acceperis-

cepisse memoratur, vt & scriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana à summis in orbe viris litigandi, & discordandi præbere posset materiam.

His omnibus in vnum collatis, cùm strepitus & turba, inter optimates regni de tam insolitâ legatione magis ac magis inualesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferunt vnum de legatis: A quo ergo habet, si à Domino Papâ non habet Imperium? Ob hoc dictum eò processit iracundia, vt vnus eorum, videlicet Otto Palatinus comes de Baioariâ, vt dicebatur, propè exerto gladio ceruici illius mortem intentaret. At Fridericus autoritate præsentiæ suæ interpositâ, tumultum quidem compescuit: ipsos autem legatos securitate donatos, ad habitacula deduci, ac primo manè viam suâ proficisci præcepit: addens in mandatis, ne hac vel illac in territoriis Episcoporum seu Abbatum vagarentur, sed rectâ viâ, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, reuerterentur ad vrbem. Ipsis itaque sine efficaciâ reuertentibus, id quod factum fuerat, ab Imperatore per vniuersum regni ambitum prouidè literis declaratur, quarum hic tenor fuit: Cùm diuina potentia, à quo omnis potestas in cœlo & in terrâ, nobis Christo eius regnum, & Imperium, regendum commiserit, & pacem Ecclesiarum, Imperialibus armis conseruandam ordinauerit, non sine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni vestræ, quòd à capite Sanctæ Ecclesiæ, cui Christus pacis, & dilectionis suæ characterem impressit, causæ dissensionum, seminarium malorum, pestiferi morbi venenum, manare videntur. De quibus, nisi Deus auerat, totum corpus Ecclesiæ commaculari, vnitatem scindi, inter regnum & sacerdotium schisma fieri pertimescimus. Cùm enim nuper in Curiâ Bissuntii essemus, & de honore Imperii & salute Ecclesiarum debitâ solicitudine tractaremus, venerunt legati Apostolici, asserentes se talem legationem nostræ afferre maiestati, vnde honor Imperii non paruum acciperet incrementum. Quos cùm, primâ die aduentus sui honorificè suscepissemus, & secundâ (vt mos est) ad audiendam legationem eorum cum principibus nostris consedissemus, ipsi quasi de Mammonâ iniquitatis inflati, de altitudine superbiæ, de fastu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione, legationem Apostolicis literis conscriptam nobis præsentauerunt, quarum tenor talis erat: Quòd præ oculis mentis semper deberemus habere, qualiter Dominus Papa insigne Imperialis coronæ nobis contulerit, neque tamen pœnitentiâ moueretur, si maiora Excellentia nostra ab eo beneficia suscepisset. Hæc erat illa paternæ dulcedinis legatio, quæ vnitatem Ecclesiæ, & Imperii confouere debuit: quæ vinculo pacis vtrumque colligare studuit: quæ ad vtriusque concordiam, & obedientiam animos audientium allexit. Certè ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam, non solùm Imperialis maiestas debitam indignationem concepit, verùm omnes principes, qui aderant, tanto furore & irâ sunt repleti, quòd sine dubio illos duos iniquos presbyteros mortis sententiâ damnassent, nisi hoc nostra intercepisset sententia. Porrò quia multa paria literarum apud eos reperta sunt, schedulæ sigillatæ ad arbitrium eorum scribendæ, quibus (sicut hactenus consuetudinis eorum fuit) per singulas Ecclesias Teutonici regni conceptum iniquitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa Domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur: ne vltrà procedendi facultas eis daretur, eadem quâ venerunt viâ ad Vrbem eos redire fecimus. Cumque per electionem principum, à solo Deo regnum, & Imperium nostrum sit, qui in passione Christi filii sui, duobus gladiis necessariis regendum orbem subiecit: cumque Petrus Apostolus hac doctrinâ mundum informauerit, Deum timete, Regem honorificate: Quicunque nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papâ suscepisse dixerit, diuinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacii reus erit. Quia verò hactenus honorem, & libertatem Ecclesiarum, quæ iam diu, indebitæ seruitutis iugo depressa est, à manu Ægyptiorum studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum iura conseruare intendimus: vniuersitatem vestram super tantâ ignominiâ nobis & Imperio condolere rogamus: Sperantes ne honorem Imperii, qui à consuetudine vrbis, & Christianæ religionis institutione, ad vestra vsque tempora gloriosus, & imminutus exstitit, fidei vestræ indiuisa synceritas, tam inaudita nouitate, tam præsumtuosâ elatione imminui patiatur: scientes omni ambiguitate remotâ, quòd mortis periculum antè vellemus incurrere, quàm nostris temporibus tantæ confusionis opprobrium sustinere.

Idem & alii. Cùm in quadam epistola diceret Imperator, se iudicium de controuersia inter illos diiudicanda & daturum & accepturum, responsum accepit à Papa, debere solùm accipere. Neque enim Pontificem vllius hominis iudicio subiacere.

Reuerendissimo patri, & domino Eberhardo, Saltzburgensis Ecclesiæ archiepiscopo, Eberhardus Babenbergensis, gratia Dei si quid est, cum oratione qualicunque seruitium deuotissimum.

Ex eodem.

SCio pater sanctissime, sacræ pietatis affectu vos compati meis laboribus & animæ mihi salutẽ & corpori quietem concupiscere. Vt autẽ noueritis, quoad compati vos mihi oporteat, dico vobis, quòd iã tædet animã meã vitæ meæ, duo ferẽs onera in animo meo grauissima, quòd & cinctus ducor

quò

quò nolo,& quàm diu durare debeat ignoro: veltris & aliorum fidelium orationibus adiuuari desiderans,ut ab illis separes, quibus iurauit Dominus in ira sua: Si introibunt in requiem meam. Super hæc,tempora periculosa instare videntur, & propè est, ut inter regnum & sacerdotium moueatur discordia. Et quidem à Cardinalibus à domino Papa ad dominum Imperatorem transmissis, domino videlicet Octauiano, & domino VVilhelmo quondam Papiensi archidiacono, post lene principium,& ingressum quasi pacificum capitula durissima proposita sunt, verbi gratia: Nuncios ad vrbem,ignorante apostolico, ab Imperatore non esse mittendos.cùm omnis magistratus inibi B. Petri sunt cum vniuersis regalibus: de dominicalibus apostolici fodrum non esse colligendum, nisi tempore suscipiendæ coronæ. Episcopos Italiæ solùm sacramentum fidelitatis sine homagio facere debere domino Imperatori. Neque nuncios Imperatoris in palatijs episcoporum recipiendos. De possessionibus ecclesiæ Romanæ restituendis, & tributis Ferrariæ, Massæ, Foroiulij, totius terræ comitissæ Mathildis, totius terræ quæ ab Aquapendente est vsque Romam, ducatus Spoletani, insularum Sardiniæ,& Corsicæ.Domino autem Imperatore super his iustitiam & consilium constanter offerente, si & ipsi iusticiam vellent facere & recipere: illis verò recipere tantùm volentibus, & non facere hac ratione,quòd dominum Apostolicum causæ subijcere, ac iudicio sistere non possent: & è contrario domino Imperatore multa proponente de rupta concordia, quæ in verbo veritatis sibi compromissa fuerat, de Græcis, de Siculo, de Romanis sine communi consensu non recipiendis:de Cardinalibus quoque sine permisione Imperiali liberè per regnum transeuntibus, & regalia episcoporum palatia ingredientibus, & ecclesias Dei grauantibus: de iniustis appellationibus,& cæteris quàm pluribus breuitatem superantibus. Cùm Apostolicus per nuncium & literas Cardinalium prædictorum,ex consensu Imperatoris submonitus, cardinales alios ad hæc omnia complananda requisitus, his qui aderant nuncijs suis & curiæ principibus nollet adiungere, vnitatis & concordiæ verbum diu desideratum, peccatis nostris exigentibus,euacuatum est. Et dum hæc agerentur nuncij Romanorum superuenientes, & ea quæ pacis sunt rogantes, benè recepti ac dimissi sunt. Rogatu tamen Cardinalium dominus Imperator nuncios ad dominum Papam,& ad vrbem missurus est, ut cum Apostolico si ipse voluerit,primo loco pax fiat,sin autem, cum Senatu & populo Romano. Dominus Imperator in magna est gloria, dominam Imperatricem,& ducem Baioariæ, & Saxoniæ, cum alijs superuenturis principibus & copijs exercitus expectans, & quosdam de melioribus ex Mediolano & Brixia in vinculis retinens. Valete.

Imperator ad hæc verba Cardinalium tale dedit responsum: Quamuis non ignorem,ad tanta negocia, non ex animi mei sententia, sed ex consilio principũ me respondere debere, sine præludicio tamen sapientum, hoc absque consultatione respondeo, Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium,si tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano præsule,quid tibi & Regi? Consequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire: quid tibi & possessioni? Nuncios nostros non esse recipiendos in palatijs Episcoporum asserit: Concedo, ni fortè aliquis episcoporum habet in suo proprio solo, & non in nostro palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt palatia episcoporum, cùm profectò omne quod ædificatur, solo cedat, nostra sunt & palatia: Iniuria ergo esset, si quis nuncios nostros à regiis palatijs prohiberet. Legatos ab Imperatore, ad vrbem non esse mittendos affirmat. cùm omnis Magistratus inibi beati Petri sit, cum vniuersis regalibus: Hæc res, fateor, magna est & grauis, grauiorią; & maturiori egens consilio. Nam cùm diuina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar,& sim,speciem tantùm dominantis effingo, & inane vtique porto nomen ac sine re, si vrbis Romæ de manu nostra potestas fuerit excussa.

Ibidem.Per idem quoque tempus monstra quædam quadrupedia, aliaque fantasmata de nocte visa sunt tam à clericis veracibus, quàm à laicis, hincinde volare. Feræ bestiæ, utpote vulpes & lepores pastoforia ecclesiæ ac officinas canonicorum ingressæ, velut domesticæ,laqueum sibi captionis imponi non abnuebant. Pueri ac puellulæ per mediam ciuitatem sæpius processionem agentes, verasque litanias imitantes, iocis suis grauia seria portenderunt. Nam & sequenti anno locus ipse, vbi maior ecclesia, & cathedralis sedes fabricanda erat, fulmine ictus cælesti igne conflagrauit. Vlulæ, vpupæ, Bubones toto anno in tectis funebria personantes, lugubri voce aures omnium repleuerunt. Pilosi, quos Satyros vocant, in domibus plerunq; auditi.

Ibidem de alia simultate orta inter Principem, & episcopum vrbis Romæ.

PRinceps ergo & ipse accepta occasione,suam hoc modo solatur indignationem. Iubet notario, ut in scribendis chartis nomen suum præferens, Romani episcopi subsecundet,& dictionibus singularis numeri ipsum alloquatur. Qui mos scribendi cùm antiquitus, in usu esset communi, à modernis, ob quandam personarum reuerentiam & honorem putatur immutatus.

Aiebat liquidem Imperator, aut Papam debere seruare suorum antecessorum ad personam imperialem scribendi consuetudinem: aut seipsum antiquorum principum morem in suis epistolis oportere obseruare. Hæc itaque causa sermonum & nunciorum, maiorum inter eos simultatis fomitem ministrauit, in tantum, vt quædam literæ deprehensæ dicerentur à sede apostolica directæ, quæ Mediolanenses, & quasdam alias ciuitates rursus ad defectionem hortarentur. Huius negocij veritatem tenor subiectarum epistolarum declarabit, quæ à diuersis personis hinc inde missæ sunt.

De Paparum cum Imperatoribus concordia.

1155. *Imp. 98. Friderico Barbarossa. P P. 175. Hadriano IIII. & P P. 176. Alexandro III.*

CVnrado optimo regi, ac belli pacisque studio clarissimo, successit Fridericus, vulgò Barbarossa, à barba rubea cognominatus, filius Friderici ducis Sueuiæ, fratris Cunradi regis, Princeps fortunæ animique dotibus ornatissimus. Vt etenim de eius nobilitate nihil dicam, cuius germen totum ex illustrissimis in orbe Romano familijs Heinricorum de Gueiblingen & Guelforum de Altorff, in ipsum transfusum fuisse scribitur, omnium scriptorum testimonio, ingenio solers, consilio prouidus, memoria pollens, facundia dulcis, animo constans, manu ac robore validus, bello ferox, in armis exercitatus, supplicibus facilis, placidis tranquillus, iustis pius, superbis infestus, liberalitate celebris, multarumque rerum peritia nemini secundus fuit. Quare eo omnium Principum suffragijs Francofurti Imperatore designato, animi omnium in maximam spem erecti fuêre: fore, vt eius virtute, pace in Imperio constituta, Imperij vires accisæ restaurarentur, Italiaque rebellione insolens ad debitam obedientiam redigeretur. Sed cùm iampridem pontificiæ contentiones cum Imperatoribus, pessimo exemplo inoleuissent, Pontificibus imperatoriam Maiestatem, quam suo suffragio ratam facerent, nihili flocciique facientibus: principibus verò nostris præposteram ambitionem, fastumque immensum sacrifici Romani ægrè, idque non immeritò, ferentibus: tantò plura acrioraque certamina, quæ id impedirent, ei nata obiectaque fuêre, quantò sublimiore, generosioreque animo, fortissimus heros hominum profligatissimorum fastum retundendum esse censeret. Etsi autem digna essent vniuersa, quæ ab omnibus cognoscerentur: tamen cùm nec operis nec instituti huius sit, vt singula consecter, sed ea Iliada peculiarem requirant: ideo quædam breuiter saltem attingam, (meo iudicio) satis commonstratura, quæ obseruantia & fides pontificum eius temporis erga præstantissimum Imperatorem fuerit.

Anno itaq; ab electione tertio, Fridericus, rebus in Germania constitutis, & maximè discordia inter Heinricum iuniorem Saxoniæ, & Heinricum Austriæ duces, ob ducatum Bauariæ & Saxoniæ, multo admirandoq; labore composita, in Lombardiam, quæ suis confisa viribus, propter longam Imperatorum absentiam, ad insolentiam & rebellionem inclinare videbatur, valida manu mouet: ac in itinere rebellium Mediolanensium castris Rosato, Gailarda, Treca & Gaira destructis, Astam ciuitatem incendio vastat: & Derthonam, arte & natura munitissimam, obsessam vicepit, ac inde per Romaniam & Tusciam, citatis agminibus, Sutrium vsque pergit. Grauissimis contentionibus sedes Romana eo tempore implicita erat. Nam & Guilhelmus Siciliæ rex, qui mortuo Rogerio successerat, ei, de quo suprà in Cunrado mentio est facta, Hadriano quarto, natione Anglico, pontifice Beneuentana suburbia, Ceperanum, Baucumque in Hernicis Ecclesiæ Romanæ ademerat: & Romani instinctu Arnoldi Brixiani amissam libertatem eligendi senatus & administrandæ vrbis repetentes, eò contentionum contra pontificem processerant, vt Hadriano post electionem causa faciendæ consecrationis in Lateranum ituro, populus Cardinalem, sanctæ Pudentianæ ad Pontificem via sacra proficiscentem, vno atque altero vulnere affecerit. Hadrianus ob hanc rem grauissimè indignatus, regem graui anathemate notârat, eiusque ditioni subiectos omni sacramento liberârat, quò facilius à rege deficerent, nullo iureiurando adstricti. Romanos etiam acerba execratione persecutus erat, quoad mutata sententia Arnoldum vrbe pellerent: & consules, relicto pontifici libera administrandæ vrbis facultate, se magistratu abdicarent. Cæterùm, audito Friderici aduentu, ei, cum Cardinalibus, non honoris gratia, sed vindictæ de Romanis & Rogerio obtinendæ cupiditate, obuiam procedit. Fridericus sanctissimi patris aduentu gauisus venientem magna cum deuotione & honorificentia excipit, sinistram sellæ strepam de iumento descendenti tenens, eumque in tentorium Imperiale deducit. An maior reuerentia pontifici ab Imperatore exhiberi potuisset? An Christo Hierosolyma in die Palmarum ingredienti, Herodes atque Pilatus, sic etiam ministrauêre? An Petrum, Romam venientem, ita Nero suus excepit?

Porrò, cùm in tentorium ventum fuisset, tunc nomine Imperatoris Episcopus Bambergensis orationem exorsus, quanto Imperator desiderio colloquii Papalis fruendi flagrârit, commemorat: ac optimo maximo Deo gratiis actis, qui ipsum eius compotem fecisset, suppliciter atque submissè petit, vt Fridericum, orbis Christiani supremum principem & defensorem, prosolito more, diademate Imperiali insignire dignetur: causas, ob quas eo dignissimus sit, probè & eleganter adiiciens. Pontifex, Bambergensis oratione finita, præclarè ea dicta fuisse præfatur: sed

rem

rem orationi minimè congruere, ait. Etsi enim leue atque exile sit, de quo verba facturus esset: negari tamen non posse, quin, vt qui in minutioribus negligentior deprehendatur, ne talis quoque in maioribus sit, iustè timeatur.

Ad hanc Pontificis orationem omnium auribus arrectis, atque animis solicitis, quodnam peccatum esset? ille prosequitur: Descendenti, inquiens, ex equo sinistram sellæ strepam tenuit: id an in ludibrium nostrum, vel alia de causa fecerit, ignoramus. Siquidem si honore nos afficere voluisset, dextra sellæ strepa, eaque manu dextra contrectanda fuisset. Cæsar pontificis oratione nonnihil commotus, paulumque subridens, respondit: Minimè se studuisse apprehendendis strepis, Tu (inquiens) pater, primus es, cui tali officio deseruimus. Et bile inter orandum crescente, addit: Scire velim abs te, officii hoc genus an ex debito sit, an ex beneplacito? Quòd si ex beneuolentia descendit, quis causabitur causam in spontaneo? sin ex debito, parùm interesse putamus, quo latere accesserit, qui venerabundus accedit. Serius sic collocuti, discedunt vtrinque, non sine stomacho. Imperator tamen, princeps prudentissimus, dissimulans ea omnia, quæ de diabolico fastu pontificis audierat ac viderat, die postero Pontificem in castra ad colloquium reuocat. Pontifici itaque aduenienti, Imperator obuiam it: atque ex priore eius obiurgatione doctior factus, dextram sellæ strepam apprehendit, ac in tentoria sanctissimum patrem deducit. Considentibus ipsis, Hadrianus pontificio ore intonat: Priscæ (inquiens) ætatis principes, antecessores tui, qui ad petendam coronam venêre, solebant insigni aliquo officio Romanæ Ecclesiæ beneuolentiam promereri, vt suo velut officio præuenientes benedictionem & debitam coronam omnibus præclaro facinore testarentur. Sic Carolus, dum domuit Longobardos: Ottho, dum compescuit Berengarios: Lotharius, dum Normannos repressit, coronam Imperii meruêre. Quocircà, tua Serenitas Apuliam, Romanæ Ecclesiæ prouinciam, iam à Normannis occupatam, nobis Ecclesiæque restituat: deinde, quæ nostri officii sunt, facilè exequemur. Ecquis hunc sacerdotem seruum seruorum diceret, qui ab ipso Imperatore, regum rege, ac domino dominantium, tanquam mediastino, vel mercenario milite, gratuitam militiæ operam exigere non erubescit? Et nunquid hunc spiritum Papæ, pacis quis magis, an homicidii putabit? Cùm ergò Principes viderent, pontificem omninò animum obfirmasse, quòd Fridericum coronare nollet, nisi prius Apuliam, quæ tamen iuris Imperii esset, à Guilhelmo Siculorum rege occupatam, armis & impensis suis Apostaticæ sedi acquireret: pollicentur id futurum, collecto nouo exercitu à Cæsare, in Germaniam reuerso, cùm præsentes copiæ essent detritæ, & ex diuturno labore, longoque itinere defatigatæ. Etsi autem Pontifex, qui odio Guilhelmi arderet, inuitus ei spacium sui colligendi, dari permitteret: tamen cùm Principum postulata æqua cerneret, iis annuit, atque se Fridericum corona donaturum affirmat.

His ergò peractis, Imperator cum pontifice Sutrio discedit, ac Romam contendit. In itinere verò dum est, Oratores Romanorum obuios habet, non minore arrogantiæ fastu, quàm pontifex fuisset, tumidos. Hi namque antiquæ vrbis nobilitate, ac veteri statu Reipublicæ ad sidera vsque sublato, tandem gloriari cœpêre: per Romanum populum Fridericum è Germania trans Alpes euocatum, primò ciuem, pòst principem Romanum factum esse, hac cum conditione Romanos ad suscipiendum eum paratos esse, dicentes: si antiquas ipsorum leges confirmet: Romanis, à quibus ei in Capitolio acclamandum sit, vsque ad quinque millia librarum auri numeret: iniuriam à Republica etiam ad sanguinis effusionem propellat: & hæc omnia propria manu, & iuramenti interpositione confirmet. Fridericus tam vesana ipsorum iactantia accensus, dementiam ipsorum grauissima oratione redarguit, ostendens, non ex Romanorum beneficio, sed Germanorum virtute, sibi imperium obtigisse. Cumque hoc agi ab ipsis cerneret, ut sub prætextu postulatorum, censum à se elicerent: Non se, ut argentum in Italiam inueheret, sed ex ea asportaret, venisse dicit: eosq; id impudentius vrgentes à se repellit. Cumque dolo eos venisse sentiret, milites præmittit, qui Ecclesiam beati Petri, & arcem Leoninam munitam seruent. Subsequenti die, ipse Romam læta comitante caterua ingreditur: ac honorificè susceptus Imperij coronam cum benedictione, 4. Cal. Iulij. anno Regni sui quarto, ab Hadriano quarto suscipit. At dum in basilica beati Petri Imperator coronatur, interea Romani id ægrè ferentes, assumtis armis portas vrbis tenuêre clausas, ne qua vis ab Imperatore sibi inferretur. Ac cùm viderent Friderici copias in pratis Neronianis fixisse tentoria, per portam Hadriani erumpunt in Vaticanum, abacturi Cæsareanos ab ingressu vrbis. Cæterùm, Cæsareanis fortiter resistentibus, atque ferocem populum ex Vaticano in vrbem repellentibus, circiter mille Romani cecidêre, & sexingenti penè capti fuêre: quos deinde Imperator, sacris de more peractis, ad preces pontificis incolumes dimisit, reditumq; in Germaniam parauit. Antè tamen, quàm id fieret, rem talem cum pontifice tractasse scribitur, quæ hic minimè prætereunda videtur. Est verò hæc.

Innocentius papa secundus, is quem superius à Lothario in sedem pontificiam reductum fuisse diximus, cùm Lotharius complicatis manibus coronam Imperij à se suscepisset, imaginem

suam

suam, quasi in sede pontificali residentem, cùm Imperatoris figura, totum factum repræsentante, in muro depingi fecerat, hoc versiculo adiecto, vt suprà quoque retulimus:

Rex venit ante fores, iurans prius Vrbis honores:
Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Talis itaque pictura, talisque inscriptio, per fideles Imperij hoc tempore ei monstrata, cùm summoperè displiceret, obiurgatione præcedente cum Papa de ea tollenda agit: ita vt ipse postulatis Imperatoris subscriberet, ne tam vana res summis in vrbe viris, discordiæ materiam præbere posset.

Cæterùm post discessum Friderici, cùm Emanuel Imperator Constantinopolitanus Pontificem odio VVilhelmi Apuliæ regis ardere sciret: ipse, qui non minus exitiale odium erga eius parentem defunctum haberet, Pontifici per Palæologum oratorem & nuncium suum, quinque millia librarum auri sponte offert, seque Guilhelmum ex Italia eiecturum pollicetur, si rebus benè gestis tres maritimæ in Apulia vrbes ex fœdere sibi dentur. Ille verò, qui iampridem ad eas artes animum intenderat, quibus VVilhelmum, omnes diras & execrationes Pontificias extremè spernentem, Apulia priuaret, oblatas conditiones facilè acceptat. Id verò cùm Guilhelmus resciuisset, sibi malè metuens, pacem per legatos à Pontifice petit: promittens, se omnia Ecclesiæ ademta non tantùm restituturum, sed & quædam additurum: adhæc Romanos Ecclesiæ rebelles, se in officio retenturum. Splendidæ hæ conditiones erant: sed ne Papa eas admitteret, quidam Cardinales dissuadebant, sperantes plus lucri ex bello, quàm ex pace. Bellum igitur Guilhelmo denunciatur. Quo ille cognito, atque ex tota Sicilia exercitu contracto, Apuliam hostili classe petit: eaque ferro & igni deuastata, Emanuelem, qui castra prope Brundusium locârat, cum Græcis in fugam vertit: Beneuentum vrbem, vbi tum Papa cum suis Cardinalibus erat, ita oppugnat, vt de vita desperantes pacem peterent.

Concessit Guilhelmus, inque gratiam recipiebatur à Papa, & Rex vtriusque regni, tam citra quàm vltra Pharum positi, declarabatur: prius tamen iuramento præstito, se in posterum, quæ Ecclesiæ Romanæ essent, minimè infestaturum. Rebus itaque cum summa ignominia sic confectis, Papa per Casinates, Marsos, Reatinos, Narnienses, ac Tudertinos, tandem Oruetum peruenit, ibique cognoscit Romæ omnia turbarum plena, consulibus vrbem in antiquam libertatem asserere conantibus. Tum verò exitiale in Fridericum odium concipit, vehementissimè conquerens, se inter Romanorum & Guilhelmi gladios nuper versantem, ab eo præter magnifica eius promissa destitutum esse: & ita se modò agitari, vt Romæ tutò esse non liceat: quasi Imperator ad hoc sit constitutus, vt dementiæ pontificiæ patronus atque defensor magis quàm innocentiæ existat.

Verùm enimuerò Fridericus, qui cùm alias Pontificis actiones, tum verò Apuliam iuris Imperij, se inscio atque inuito, Guilhelmo concessam ægrè ferret: simulque ad animum reuocaret, quòd Papa prius ius inuestituræ, & prælatorum Cæsaribus eripuisset: & per legatos suos nationes Imperij non tantùm expilasset, sed & defectionis semina per istas bellorum faces in toto imperio sparsisset: his violentis iurium Imperij inuasionibus maturè occurrendum esse statuit. Itaque ab omnibus Germaniæ Episcopis, fidelitatis iuramentum exigit: legatos Pontificis in Germaniam à se non vocatos, excludi regno Teutonico mandat, & ad Romanam sedem suos appellare vel proficisci vetat, nomenque suum in literis suis, pontificio nomini præponit. Ea verò prohibitione facta, accidit, vt Lundensis quidam Episcopus à sede Romana rediens, nescio, an tanquam edicti Imperialis contemtor, vel alia de causa, interceptus à quibusdam, in custodiam conijceretur. Tunc ergò Pontifex nactus suæ sententiæ declarandæ occasionem, ratione capti Episcopi, ad Imperatorem superbam legationem mittit: simulatque se expostulare cum illo, quòd non liberet Episcopum ex captiuitate: sed tamen interea, ea & literis & oratione Legati effundit, quæ, qua ratione Imperatorem sibi subiectum esse velit, abundè testarentur. Nam & literis eum admonuit, vt præ oculis haberet, vt insigne Imperialis coronæ ab ipso accepisset: neque ipsum pœnitentia moueri, etiamsi Imperator maiora ab ipso beneficia suscepisset, & ex lectione literarum turba inter optimates regni exorta, legatorum aliquis dicere non dubitauit: Romanum Imperium à Græcis translatum est ad Alemannos, vt Rex Teutonicorum non antè, quàm ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur: ante consecrationem Rex, pòst Imperator. Vnde igitur habet imperium, nisi à Papa? Ex electione suorum principum habet nomen regis, ex consecratione Papæ habet nomen Imperatoris & Augusti & Cæsaris. Ergò per Papam imperat. Recolite antiqua. Zacharias promouit Carolum, fecit ei nomen grande, vt esset Imperator: & vt posthac perpetuò Rex Teutonicus esset Imperator, & aduocatus sedis Apostolicę: vt Romano Episcopo Apulia, per eum pacata, esset subiecta: quæ Papæ cum vrbe Romana est, non Imperatoris. Roma Papæ sedes est: Imperatoris est Aquis in Arduenna, quæ est sylua Galliæ. Imperator quod habet, totum habet à Papa: sicut Zacharias transtulit Imperium à Græcis ad Teutonicos, ita Papa potest id ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate eius est, vt det illud, cui vult. Propterea constitutus à Deo super gentes & regna, vt destruat, euellat, & ædificet, & plantet. Deinde Germanos imbelles vocat, imbecillitatem illis obijciens, qui Rogerium Italia pellere, Danos Frisos perdomitare nunquam voluerint.

His

His verò auditis, & Imperator iustam indignationem concepit: & omnes proceres tanta ira exarsêre, vt Otho de VVittelspach stricto ense, quem ante Imperatorem progerebat, in legatum irruerit, confossurus, nisi Imperator intercessisset: eas deinde rationes suscipiens, quibus hac vana iactantia Papæ grauiter offensum comprobaret. Nam & legatos ad sua habitacula deductos, primo manè viam ingredi iussit, cum mandato, ne hac vel illac in terris episcoporum seu abbatum vagarentur: sed recta via, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, ad vrbem reuerterentur: hanc nimirum ob causam, ne pro consuetudine Romanistarum, per singulas Ecclesias Theutonici regni, conceptum iniquitatis suæ virus spargere, altaria denudare, vasa Domus Dei asportare, cruces excoriare niterentur. Et ne quis aliquid præter meritum ipsis accidisse putaret, vel inde aliquis motus oriretur: Cæsar cum proceribus, literas per totum Imperium mittit, quibus rei gestæ seriem exponens, de Imperij honore violato, grauissimè conqueritur, cum declaratione: Per electionem Principum, à solo Deo regnum & Imperium esse. Quare, quicunque Imperatorem à Papa Imperialem coronam pro beneficio suscepisse diceret, hunc & diuinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarium, & mendacii reum, damnandum esse.

Legatis ergò pontificiis domum reuertentibus, & oleum quasi camino, exaggeratione iniuriarum, periculorumque, quæ sustinuissent addentibus: Hadrianus, qui antè fureret, tunc vesanior factus, cùm putaret tale facinus à Friderico perpetratum, quale à superioribus nullum: (quis etenim Romanistis vnquam regno Theutonico interdixisse legitur) acerrimas ad Imperatorem literas mittit, in quibus grauissimè, & verè pontificaliter, cum ipso de rebus omnibus expostulat: quas quia dignæ sunt lectione, & diligenti consideratione, adscribere hic libuit.

Adrianus Episcopus, seruus seruorum Dei, Friderico Romano Imperatori salutem & Apostolicam benedictionem. Lex diuina, sicut parentes honorantibus longæuitatem promittit: ita maledicentibus patri & matri, sententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur: quia omnis, qui se exaltat humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, super prudentia tua non mediocriter admiramur, quòd Beato Petro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non quantam deberes, exhibere reuerentiam videris. In literis enim ad nos missis, nomen tuum nostro præponis: in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris. Quid dicam de fidelitate, Beato Petro, & nobis à te promissa & iurata, quomodo eam obserues: cùm ab his, qui Dei sunt, & filii excelsi omnes, (episcopis videlicet) homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum sacratas manibus tuis innectis: & manifestè factus nobis contrarius, cardinalibus à latere nostro directis non solùm Ecclesias, sed & ciuitates regni tui claudis? Respice ergò, respice, tibi consulimus: quia dum à nobis consecrationem & coronam merueris, dum inconcessa aptas, ne concessa perdas, nobilitati tuæ timemus.

Quod verò indicium humilitatis & lenitatis Apostolicæ in hisce literis apparet? Annôn Luciferiana hæc arrogantia est, quòd nomen Cæsareum Papali præponi indignatur: quasi nec alii Imperatores Papæ scribentes id fecisse legerentur? 97. distinct. c. Victor. & 63. distinct. c. Tibi.

Imperator igitur literis, fastus pontificii plenissimis, acceptis, quò pro insigni Christianæ sapientiæ cognitione eum retunderet, ac clauum clauo (vt aiunt) truderet, in hunc modum respondet: Fridericus, Dei gratia, Romanorum Imperator, semper Augustus, Adriano Ecclesiæ catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere, quæ cœpit IESVS facere & docere. Lex iustitiæ, vnicuique, quod suum est, restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno debitum exhibemus honorem, à quibus videlicet primogenitoribus nostris, & regni dignitatem suscepimus, & coronam. Nunquid tempore Constantini Syluester regalis aliquid habuisse dignoscitur? Sed eius pietatis concessione, libertas concessa est Ecclesiæ, pax restituta est: & quicquid papatus vester Regalis habere dinoscitur, largitione principum obtinet. Vnde cùm Romano Pontifici scribimus, iure antiquo & nomen præponimus, & ad iustitiæ normam eidem nobis scribenti concedimus. Reuoluite annales: & si lectum neglexistis, quod asserimus, illic inuenitur. Ab his autem, qui Dei sunt per adoptionem, & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus: cùm ille noster & vester institutor, ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persoluit, & exemplum nobis dedit, vt ita faciatis, doceat vos, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Aut igitur regalia nobis dimittant: aut si hæc vtilia iudicauerint, quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari persoluant. Cardinalibus vtique vestris clausæ sunt Ecclesiæ, & non patent ciuitates: quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores. Cùm autem viderimus eos, quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate, necessariis stipendiis & commeatu eos sustentare non differemus. Humilitatis autem, quæ est custos virtutum, & mansuetudinis vestræ non minimam notam inuritis cùm huiusmodi quæstiones, religioni non multum conferentes, secularibus personis proponitis. Prouideat itaque paternitas vestra, ne dum talia mouet, quæ indigna ducimus: offendiculum

ponat illis, qui velut ad imbrem serotinum ori vestro aures suas arrigere festinant. Non enim non possumus respondere auditis, cùm superbiæ detestabilem bestiam vsque ad sedem Petri reptasse videmus. Paci Ecclesiæ benè semper prouidentes, benè semper valete.

Quis verò hasce Imperatoris literas improbet? Quis vel pietatem, vel æquitatem, vel iustitiam in ipsis desideret? Quis eum alia, quàm quæ verum fortemque Imperatorem decent, fecisse dicet? Fastum Pontificis retudit, iura Imperii tutatus est, humilitatem atque modestiam Christianam à Romanistis requisiuit, quam apud ipsos non inueniri totus mundus conqueritur. Atqui Pontifex legatis auditis, non contentus cum Imperatore per literas expostulasse: etiam ad vniuersos archiepiscopos & Episcopos Germaniæ scribit, & rei gestæ seriem commemorat, indignitatem facti exaggerat: eosque admonet, vt cùm omnium Ecclesiarum communis causa in hoc negocio versetur, (sic quippe existimant, Romanistis intereuntibus, totam Christianitatem pessum ituram) se tanquam validum murum, pro domo Domini opponant: & non tantùm Imperatorem in viam rectam reduci, sed & à Rainaldo cancellario Cæsareo, & Otthone comite de VVittelspach, qui magnas blasphemias in legatos Apostolicos & sacrosanctam Romanam Ecclesiam euomuissent, tam & tam euidentem satisfactionem exhibere studeant, vt sicut multorum aures amaritudo sermonis eorum offendisset, ita etiam satisfactio multos ad viam rectam reuocet. Verùm quia (vt quidam in commemoratione huius rei scribit) tunc temporis Episcopi nostri haud tam addicti sedi Romanæ erant, atque nunc sunt plerique: communicato in vnum consilio, Pontifici ita rescripsêre, vt non modò admodum hoc facto affici conspicerentur: sed & Arnoldus Moguntinus & Eberhardus Saltzburgensis, peculiaribus literis Romanos sacerdotes, cardinales, archiepiscopos, episcopos atque presbyteros admonerent, pertinaciam, fastum, superbiam eorum corrigerent, auariciam, perfidiam, aliaque facinora, quibus pauperes compilarent, imperiumque conturbarent, referrent. Vltimò obtestantes, vt Hadrianum ad pacem seruandam cohortarentur: Imperatorem, id quod bonum æquumque foret, facturum esse.

Etsi autem hæc Hadrianum pessimè haberent: tamen cùm audiret legatos Imperatoris, Rainaldum cancellarium & Otthonem de VVittelspach, Italiam ingressos, conuentus cum principibus & episcopis Italiæ agere, atque Imperij negocia potenter administrare: ipsum quoque Imperatorem, qui copiis collectis in procinctu esset, mox in Italiam aduolaturum: de consilio principum quorundam, nuncios ad leniendum animum Imperatoris, Augustam cum supplicibus literis mittit: & autoribus Heinrico Saxonum & Bauarorum duce, & Othone Frisingense, ei reconciliatur.

Non longo verò tempore pòst, cùm Italiæ ciuitates, Crema à Friderico durissimè obsessa, in eum pro vindicanda libertate conspirarent, Papa reconciliationis immemor, se perfidè ipsis coniungit, ac rebellium conspirationem his legibus firmat: Ne quis sine aliorum consensu in pacem cum Friderico redeat: nec quis mortuo Pontifice, nisi ex numero conspiratorum, creetur. Vtque speciosiorem rebellandi occasionem haberent, ab ipsis immensa pecunia corruptus Imperatorem execratur. Ast optimus maximus Deus, qui per os dilecti serui sui Dauidis, contra excommunicationem Papæ, pecunia corrupti, clamasse videtur: Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur, seruus autem tuus lætabitur: hic inquam Deus, hanc execrationem in maledictum Pontificis caput conuertit, hominemque ad omnem posteritatem confudit. Nam cùm Anagniæ, excommunicatione in Fridericum denunciata, fortè cum suis refrigerandi gratia expaciatus, aquam ex fonte hausisset, musca in os eius iuuolans gutturi ita adhæsit, vt, cùm nulla medicorum arte eximi posset, miserè suffocatus, ab ipsa vices carnificis agente, interiret.

Quis non miretur, Gigantem tanta conspiratorum factione stipatum, vt Imperatoris vires non reformidaret, à Musca interfici potuisse? Quis fortuitum magis, quàm diuinum existimet, gutture, quod in optimum ac innocentissimum Imperatorem, execrationem eructârat, animam exhalari debuisse? Non tamen Pontificii, tam mirabili Hadriani interitu, ab instituta conspiratione abduci potuerunt. Sed cùm Imperatori, valido exercitu Italiam tenenti, ac indies Mediolanenses variis cladibus proterenti, aperta vi sese obiicere non auderent: ad pessimas artes conuersi, insidias vitæ eius struunt. Nam Sinonia arte hominem robustissimi corporis, magno precio conducunt, qui sub simulatione stultitiæ vel maniæ Laudam, vbi tunc Fridericus hærebat, peteret, ac per occasionem ei violentas sceleratasque manus iniiceret. Ille ergò multis magnisque promissionibus animatus, ad scelus accingitur, Laudam pergit, castra ingreditur, & iocis ac ludicris accessum ad tentoria Imperatoris sibi patefecit. Erant verò ea super ripam Abduæ locata, ita vt labentem, aut conuexum obrueret præcipitium, aut vorago subterlabentis fluminis, esset exceptura.

Morio igitur obseruata occasione, qua conceptum scelus perficeret, Imperatorem pro more antelucano tempore, solùm sacra aditurum aggreditur: eumque trahendo & portando ad præcipitium deducere nititur. At Imperatore viriliter renitente, ita vt vterque funibus, quibus tabernacula suspendebantur, implicati, ad terram caderent: cubicularii, voce Imperatoris de mane excitî, accurrêre, scelestumque comprehensum eodem loco præcipitem in fluuium demersêre.

Hoc tanto scelere frustrati, aliud moliuntur. Octo ex suis, magno precio conductos, subornant, qui Laudam incenderent. Cùm autem vnus eorum nocte intempesta, facinus impleturus ædibus ignem iniecisset, à vigilibus comprehensus, vnà cum alio monachum mentito, criminisque eiusdem participe, patibulo affixus, attentati sceleris dignas pœnas subijt. Sic ergò & hac vice se à suscepti sceleris executione exclusos videntes, insignem quendam intoxicatorem, mortis contemtorem, cum aliquot socijs emittunt, ferentem in castra Imperatoris medicinas, annulos, frena, calcaria veneno illita, adeoque efficaciter intoxicata, vt si Imperator ea attingeret, mox lethaliter inficeretur. Sicam quoque latentem iuxta femur gestantem, vt si veneni facinus impediretur, ea ad peragendum scelus vteretur. Verùm Imperator, qui antè de hoc admonitus fuisset, venientem obseruari ac comprehendi, dein quæstionibus subiectum de fabricatore sceleris interrogari, postremò verbera & quæstiones irridentem in patibulum crucis adigi iubet.

Porrò Adriano pontifice musca deglutita, vt dictum est, suffocato, inter Cardinales de electione noui Pontificis, dissensio oritur. Duo siquidem & viginti Imperatori aduersi, Rolandum Senensem, Cancellarium antea vocatum, vnum ex illis Cardinalibus, quos superius ab Hadriano ad Fridericum missos retulimus, hic verò Germania exire iusserat: nouem autem alij, qui à parte Imperatoris steterant, Octauianum ciuem Romanum presbyterum Cardinalem S. Clementis, suffragantibus præfecto vrbis populoque Romano, Pontificem creant, atque Victorem vocant. Cùm autem hæ electiones magnum parituræ viderentur disidium, inter vtriusque partis electores conuênit, neutrum ex electis institui debere, priusquàm discordia sopita inter omnes conueniret. At Rolandini numero superiores, fide soluta, Rolandi electionem promulgant, eumque Alexandrum tertium dicunt. Vnde schisma maximum est ortum. Nam Victore Romæ manente, Alexander ad Siciliæ regem Vuilhelmum properat, ibique X I I. die post electionem Papa confirmatur. Deinde, ne seditio illa cum pernicie Ecclesiæ Romanæ protraheretur, Fridericum Imperatorem tum Cremam obsidentem, per legatos rogat, vt interposita authoritate Imperatoria seditionem tollat. Fridericus ancipiti malo exorientis noui schismatis permotus, cùm vtroque electo, in ordinem Episcopatus consecrato, litem legitimè citra authoritatem concilij, finiri non posse cerneret: eamque exemplo Constantini, Theodosij, Iustiniani, aliorumque Imperatorum, ad se pertinere sciret: conuentus diem Papiæ nominat, & vt vterque Papa istuc eat, monet, eò se quoque cognoscendæ disceptationis causa venturum promittens. Qua re cognita, Alexander Anagniam se confert: Fridericus verò indignatus, quòd dicto suo non obtemperasset, Danielem Pragensem, & Hermannum Verdensem Episcopos cum literis mittit, qui eum non Pontificem, sed Cardinalem appellatum, ad concilium citarent. At illo Cæsareos legatos contemtim reijciente, atque superbè dicente, Pontificem Romanum à nemine debere iudicari: ipsi re infecta abeuntes, Segniam ad Octauianum pergunt, eumque vt Pontificem venerantes, Papiam deducunt. Ibi concilio congregato, & causa ex testibus per omnes circumstantias cognita: Victor Papa declaratur, & ab omnibus Germaniæ Episcopis iussu Friderici agnoscitur. Qua iniuria Alexander commotus, Fridericum atque Victorem anathematis vinculo colligat: literasque mittit ad Christianæ Reipub. principes & populos, quibus intelligant, id à se meritò & iure fieri. Mox cùm in vrbem reuersus, ibi multos aduersarios inuenisset, in se cornua palàm erigentes, Tarracinam proficiscitur: ibique conscenso nauigio, iam antè ad eam rem, ex iussu Guilhelmi Siciliæ regis parato, in Gallias contendit. Conuentuque in Claro monte, ex permissione regis Galliæ Philippi habito, anathema in Imperatorem & Antipapam factum, statim enunciat atque promulgat. Imperator, licet mala ex hac dissensione oritura perspiceret, Mediolani tamen obsessionem continuat: donec id fame atque inedia perculsum, sine vlla conditione se eius potestati permittit. Eo autem capto, legatos ad Francum mittit: ac petit, vt concordiæ constituendæ causa, conuentu Didione indicto, ipse eò suum Papam abducat, & se quoque vnà cum Victore ibi compariturum pollicetur. Quid legatis responsum fuerit, haud satis constat. Hoc tamen memoriæ proditũ est, à comite Blesensi fidem Imperatori datam, regem Franciæ ad conuentum venturum. Imperator itaque die constituta venit, & tentoria cum Victore prope Diuionem fixit. Venêre etiam eò Henricus I I. Angliæ, & Vuilhelmus Scotiæ reges. Verùm non tantùm Alexander, vt veniret, adduci non potuit, eò quòd conuentũ ab Imperatore, non à se indictum prætenderet: sed & Galliæ regi Philippo persuasit, vt is locum ante Friderici aduentum accederet, & manu ex flumine præterlabente lota, voceque præconia Imperatore vocato, quasi hoc modo fidei datæ satisfecisset, recederet. Vnde Imperator, alijque reges & principes hæc ægrè ferentes, Victore ad sedem Pontificiam recipiendã ire iusso, ad sua rediêre.

Cùm Victor Lucam Hetruriæ vrbem peruenisset: morbo correptus, communis naturæ debitum, deposito carnis onere soluit. In cuius locum suffectus est Guido Cremonensis Episcopus, qui appellatus est Paschalis tertius: eique obedientiam præstiterunt Goslariæ Imperator, & post eum Heinricus dux Bauariæ & Saxoniæ, Cunradus Palatinus Rheni, Landtgrauius Thuringiæ, Magdeburgensis, Bremensis, Treuirensis, Coloniensis, Babenbergensis Archiepiscopi, & omnes ferè Theutonici. Alexander, qui adhuc in Gallijs esset, vt Romam retineret in fide, per vicarium suum Ioannem Cardinalem Romanis concedit, vt Consules liberè creent, modò Alexandri sint studiosi. Ipse interea ex Gallia in Siciliam delatus, mox Romam redit: & Cremensi Guidone spreto, à Romanis benignè recipitur. Tum verò ciuitates Italiæ aduentu Alexandri in spem libertatis denuò erectæ, contra iusiurandum Imperatori datum, Mediolanum, paulò antè ab Imperatore dirutum atque subuersum, restaurant: & suadente Alexandro, rebellionem parant manifestam;

Iudices ab Imperatore constitutos, aliosque fauentes Imperatori inuadunt, eosque partim pellunt, partim trucidant.

Deinde Alexandri consilio vsi, eiusque auxilio freti, nouam vrbem in gratiam Pontificis extruunt, in contemtum Imperatoris Alexandriam nuncupatam, inque eam ex omnibus ciuitatibus quindecim millia hominum ad incolendum mittunt, diuisis agris viritim, partitisque in vrbe locis ad ædificandum. Imperator cognitis his rebellionibus, & conspirationibus in se factis, collecto nouo exercitu, denuò in Italiam mouet: & quibusdam rebellibus ad deditionem compulsis, Alexandriam nouam obsessam oppugnat. Cæterùm hæc obsidio parùm ei feliciter successit, cùm quòd Alexandrini à socijs ciuitatibus adiuti fortiter sese defenderent: tum quòd Heinricus Leo Bauariæ & Saxoniæ dux, præter omnem Imperatoris spem, iure consanguinitatis spreto, abiectaque memoria beneficiorum acceptorum, per Pontificem pecunia corruptus, cum suis copijs eum perfidè desereret: ita vt Fridericus Italicis conspirationibus impar, exercitum dimittere, ac per montem Iouis in Burgundiam, maxima cum difficultate, sub habitu serui equos curantis, redire cogeretur. Non verò hanc inuidiam Leo inultam tulit. Nam Fridericus in Germaniam reuersus, viribus recollectis, diem Duci dicit, eum læsæ maiestatis accusat: ac sese vi tueri molientem, dominijs & ducatibus priuat.

Fuêre tunc principes Heinrico fauentes, qui eum ab Imperatore condemnari posse negarent, nisi intra terras Ducis sententia lata. At Fridericus, qui antè seuera exempla in rebelles ac violatores pacis statuisset, neglectis quæ à Principibus prætenderentur, ducatum Noricum Othoni de Vuittelspach, Saxoniæ Bernardo Anhaldino, & alia bona alijs confert. Qui auxilijs amicorum subnixi, Heinricum omnibus ferè terris, quas omnium amplissimas habuit, intra vnum mensem exuerunt: ita vt solo ducatu Brunsuicensi retento, insigne exemplum alijs reliquerit, non temerè Cæsaris, tanquam legitimi magistratus, authoritatem aspernandam, sed eam cum fide, obedientia ac reuerentia colendam esse. Et quidem vt huius exempli recordatione, animos sese contra legitimum magistratum contumaciùs elatiusque erigentes refrenari, quasique in gyrum obedientiæ reduci par est: sic & aliorum, quæ in alios rebelles Fridericus statuit, meminisse vtile erit. Hic namq; idem Fridericus, Hermannum comitem Palatinum Rheni, eiusque socios, quòd se in Italia absente, armis in Arnoldum Archiepiscopum Moguntinum motis, pacem publicam violassent, in natalicijs Domini Vormaciæ, canem pro satisfactione publicè circumgestare compulit. Et Gualfagum Angleriæ comitem, ac Mediolanensium principem, quòd post latam in Imperatorem execrationis sententiam, Alexandrum Papam recepisset, eiusque instinctu multa in vrbe Mediolanensi contra Imperium egisset, ea capta, triduo sub mensa instar canis tenuit, & flagellis cæsum, compeditusque vinctum in Germaniam relegauit. Hæc iusta rebellium pœna erat: quam si hodierno die similes transgressores susciperent, quis dubitat, maiorem tranquillitatem, legumque obseruantiam in Imperio futuram esse? Sed ad propositum reuertamur.

Fridericus Heinrico Leone mulctato, ac nouis in Germania copijs contractis, rursus in Italiam tendit. Varias quidem atque diuersas narrationes extare apud scriptores scio, quid eo tempore in Italia gesserit. Alij siquidem eum, cùm tanto discrimine contra Mediolanenses pugnasset, vt equo eius suffosso fermè interficeretur, minis Episcoporum eum sectantium compulsum scribunt, vt de pace cum Ecclesia componenda cogitaret. Alij eum suasu Brixiensis Episcopi in terram sanctam traiecisse, ibique proditione Alexandri Papæ post multas præclaras victorias Soldano proditum, eius tamen liberalitate tandem ad sua remissum esse.

Etsi autem hæc à quibusdam eleuari sciam, tamen cùm testimonio authorum nitantur, quorum diligentia, in vita præstantissimi Imperatoris describenda, meritò probatur: ad hæc, talia sint, quæ Pontificum sceleratis machinationibus in Imperatores verisimiliter respondeant, nec ab instituto nostro sint aliena, ea referre libet, cuique de his suum iudicium relinquendo.

Cùm ergò (vt traditur) Fridericus Brixiam venisset: Episcopus eius loci Hartmannus, quo Imperator secretario vtebatur, instinctu Pontificis eum à bello dehortatur: suadetque, vt potius in Turcas, Christianæ fidei hostes, quàm sanctissimum patrem & homines Christianos arma conuertat: Terram sanctam, quam Cunradus eius patruus olim magnis sumtibus & armis subegisset, rursus à Soldano Ægyptiaco occupari: precari se nomine salutis publicæ, vt de hisce terris recuperandis cogitet. Id si fecerit, se effecturum, vt rex Galliæ ad expugnandum Soldanum Ægypti regem, auxiliares copias mittat. Fridericus hac oratione in specie honesta motus, exercitum contra Pontificem aliosque conspirationis socios conscriptum, in Turcas ducit, & per Vngariam iter faciens, Constantinopolim contendit, transmissisque copijs oppida multa Turcis eripit: peruenitque in minorem Armeniam, ac Hierosolymam mouens, eâ eiectis paganis potitur. Verùm interea dum in Oriente esset, tantoque rerum successu vteretur, Alexander Pontifex iniquissimus proditor, cum suis conspirationibus sibi ab eo metuens, si victor in Italiam redeat, de eo perdendo cogitat. Viua itaque imagine Friderici, opera pistoris cuiusdam ad eam exprimendam destinati, confecta, eam ad Soldanum mittit cum hac commonefactione: vt si quietus viuere velit, de Imperatore, cuius simulachrum acciperet, perdendo cogitet.

Anno

Soldanus acceptis literis cum expressa Imperatoris imagine, studet sibi & Romano Pontifici gratum facere, & se de Imperatore aduersario suo vlcisci. Occasio in castris atque conflictu nunquam se offert, ad explendam proditionem Pontificiam. Cùm vero potitus Hierusalem exercitum reduceret, Cæsar securus, partitur copias in suos ordines, vt eò commodiùs emensum iter remetiri possent. In Armenia autem cùm Imperator ex Solis calore & itineris difficultate æstuaret, & nihil periculi in ea solitudine nemorum esse putaret, cum paucis equitibus & suo sacellano ab exercitu discedit: & non procul inde equo descendit, vestes parat exuere, sacellanum & se (equitibus discedere iussis) in amne loturus, ad restinguendum corporis æstum. Ibi Imperator (equitibus ignorantibus) cum sacellano ab insidiatoribus capitur, & per nemora abducitur ad Soldanum. Equites frustra expectant Imperatorem, quærunt diligenter in alterum vsque diem. Rumor venit ad exercitum, Imperatorem esse demersum. Ingens omnibus tristicia oboritur, ac ferè ad integrum mensem in eo flumine quærunt. Cùm autem non reperirent: electis nouis ducibus, domum redeunt.

Imperator ad Soldanum perductus simulat, se Imperatoris esse ostiarium. At Soldanus faciem, ex imagine à Pontifice accepta, agnoscens, iubet simulachrum proferri, & literas à Pontifice missas legi. Imp. ad istam proditioné stupefactus, videns negationi porrò non esse locũ, fatetur verum, & supplex misericordiam petit. Soldanus postquam de rebus multis cum Imperatore collocutus esset: includit eum ergastulo, vnà cum sacellano, alitque pro sua dignitate humaniter. Post tres menses iterum colloquuntur Imperator & Soldanus. Cùm verò Soldanus ex Friderici colloquio intelligeret, virum esse cum optimum, in quo nullam virtutem desideraret bono principe dignam, & cuius prudentiam, candorem, fidem & integritatem admiraretur, cogitat se Imperatore dimisso, plurimum sibi gloriæ & fauoris pariturum. Imperatorem igitur accersit, conditiones libertatis proponit: atque, vt daret obsides, & numeraret tercentum mille siclos, postulat. Imperator neutrum se posse facere respondet: & quòd ibi nullos haberet, quos obsides daret: & quòd fisco longo bello exhausto, tanti argenti vim non posset soluere. Soldanus videns æquum petere Imperatorem, dimisit eum ea lege, vt secum fœdera perpetuæ pacis sanciret, & numeraret millies centum ducatos, relinqueretque illic sacellanum vadem vsque ad solutionem.

Parantur pacti diplomata. Imperator accingit se itineri, iubet sacellanum bono animo esse: pollicetur se non quieturum, donec missa pecunia eum liberatum ac reducem viderit in Germania. Soldanus Imperatorem muneribus ornat, viatico prospicit, 34 equis & certis militibus Brixiam vsque deducit, ibi subsistit.

Principes certiores facti de reditu Imperatoris, frequentes eum adeunt. Cæsar Soldano suos varijs donis onustos remittit, adiunctis illis, qui deducerent eos vsque ad Imperij fines: deinde comitia indicit Norimbergæ, & vocat omnes Imperij principes, Alexandri proditionem aperit, proditoriam epistolam à Pontifice Soldano missam legit, & quibus modis liber dimissus esset, exponit. Principes pollicentur illi auxilium, vt fidem suam apud Soldanum liberet: indignantesque suppetias spondent aduersus Alexandrum Imperij proditorem.

Conscribitur exercitus per Italiam, (nemine repugnante) Romam mouet: missisque in vrbem legatis suis, à populo Romano postulat (dissimulata interim sua priuata iniuria) vt causà vtriusque Pontificis audita, restitueretur Ecclesiæ concordia, decerneretúrque Pontificia sedes vni ex electis Pontificibus. Id verò si facerent, promittit, se eis non solùm pacem concessurum esse: sed etiam omnia redditurum, quæ iure debebantur.

Alexander cernens Imperatorem istis consilijs sui compotem fore, nocte aufugit Caietam, deinde Beneuentum: postremò in coqui sui habitu Venetias venit: vbi in monasterio delitescens, & post aliquot menses agnitus, habito senatu, iussu ducis Sebastiani maximo honore exceptus, Pontificali pompa in templum diui Marci deducitur. Imperator Fridericus audiens Pontificem Venetijs esse, non parùm succenset Venetis, quòd communem hostem recepęrant. Postulat igitur ab illis, sibi restitui hominem perniciosum Reipublicæ. Quod cùm Veneti denegarent: Fridericus mittit Othonem filium cum armata classe, ad reposcendum Alexandrum: prohibens tamen illi, ne quid armis attentet, priusquàm ipse veniat.

Otho iuuenis princeps, feruens & cupidus gloriæ & famæ, congreditur cum Venetis, capitur, & deducitur in vincula. Quo capto, Alexander successu fortunæ felicioris elatus, pacem cum Cæsare inire renuit, nisi is priùs Venetias supplex veniat, & pacis conditiones præscriptas acceptet. Fridericus itaque non imbecillitate animi, aut desperatione Victoriæ fractus: sed partim filij capti philostorgia, partim cupiditate pacis in Europa constituendæ adductus, Pontifici cedit, seque statuto tempore venturum pollicetur. At cùm id die indicto faceret, & de pacis conditionibus conuentum esset: Alexander non priùs se Fridericum à vinculo excommunicationis absoluturum ait, quàm templum diui Marci accesserit.

Eò Imperatore humiliter ac religiosè veniente, Papa astante vniuerso populo, ei papaliter mandat, vt humi prostratus, veniam supplex petat. Fridericus, qui vt Germanus minimè suspicax, arbitrabatur, Pontificem, qui exemplum omnis modestiæ esse debet, nulla in se vel crudelitate vel contumelia visurum, Pontificis mandato paret, seque ad eius pedes suppliciter deuoluit. Is verò Imperatoris modestia neutiquam contentus, prostrati Cæsaris collum tyrannicè pede conculcat, igno-

minioſa acclamatione addita: Scriptum eſt, SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLABIS, ET CONCVLCABIS LEONEM ET DRACONEM.

O monſtroſæ & inauditæ tyrannidis exemplum. Tractârint Barbari quidam reges vi prælioque captos, reuerentia regij nominis ſpreta, durius: pedem ceruici Valeriani Imperatoris capti Sapores Perſicus equum conſcenſurus impoſuerit: Tamerlanes Tartarus, poſt hoc Papæ factum, Baiazetem Turcicum imperatorem cauea incluſum circumduxerit: tamen hæc Pontificis immanitas tantò illorum crudelissimorum tyrannorum ſuperbiam ſuperat, quantò inter hos & Pontificem diſsimilitudo maior apparet. Illi ſiquidem barbari, ſuæ ſæuitiæ aduerſus hoſtes, vi prælioque captos, eoſque pares, probabiles quodammodo cauſas habuêre: hic verò ſacerdos, omnis manſuetudinis atque clementiæ exemplum conſtitutus, Imperatorem in pacificatione humilimè iniuſtæ excommunicationis abſolutionem petentem, dominumque ſuum, Cyclopica immanitate beluinis pedibus ignominioſiſsimè obterit.

Sed quid contra præceptum hiſtoricorum, tento animos lectorum crudelitatis amplificatione ad commiſerationem, vel alios affectus moueri nolentium, cùm id tentando nihil efficiam: quippe cùm hæc cyclopica Pontificis rabies, orationem omnem ſuperet?

Fridericus itaque rei indignitate ad animum generoſum reuocatus, vt ſe ea moueri oſtenderet, palàm Pontificem interpellat. Non tibi, ſed Petro: ſignificans, ſe factum eſſe ſupplicem, non huic tyranno, ſed Apoſtolicæ authoritati. At Papa tyrannicè reuerendum Cæſaris collum rurſus vngulis vrſinis deprimens, reclamat: Et mihi, & Petro. Fridericus autem etſi de turpiſsima iniuria ſibi illata meritò doleret: tamen communem ſalutem dignitati propriæ præferens obmutuit: atque ab excommunicatione abſolutus, concordiam cum Pontifice redintegrauit.

Schardius ex Friſingenſi, Radeuico, Gunthero in Ligurinum, Nauclero, Platina, Funccio Barno Helmoldo, Ioanne de Cremona, Cuſpiniano, Chronico Hirſaug: Auentino, Spiegelio in Ligurinum, Abb. Vrſp. Authore vitæ Friderici, & alijs.

RHYTHMI E VETVSTO QVODAM CODICE deſcripti, Romanum quendam aduocatum cognomento le Franco taxantes, adeoque totam ſacroſanctam curiam Romanam depingentes.

Propter Sion non tacebo,
Sed ruinis Romæ flebo:
Quoadusque Iuſticia
Nobis rurſus oriatur,
Et vt lampas accendatur.
Iuſtus in Eccleſia
Sedet vilis, & in luto,
Princeps facta ſub tributo.
Quod ſolebam dicere,
Romam eſſe derelictam,
Deſolatam, & afflictam,
Expertus ſum opere.
Vidi vidi caput mundi
Inſtar maris, & profundi
Vorax guttur Siculi.
Ibi mundi δ'ιθάλασσος
Ibi ſorbet aurum Craſſus,
Et argentum ſeculi:
Ibi latet Scylla rapax,
Et Charybdis auri capax
Potius quàm nauium:
Ibi pugna galearum,
Et conflictus piratarum,
Id eſt Cardinalium.
Syrtes inſunt huic profundo,
Et Sirenes, toti mundo
Minantes naufragium.
Os hominum foris patet,
In occulto cordis latet
Informe dæmonium.
Habes iuxta rationem
Διθάλασσον per Franconem,
Quod ne credas friuolum.
Ibi duplex mare feruet
A quo non eſt qui reſeruet
Sibi valens obolum.
Ibi venti colliduntur,
Ibi panni ſubmerguntur
Byſſus, oſtrum, purpura.
Ibi mundus ſepelitur,
Imò totus deglutitur
In Franconis guttura.
Franco nulli miſeretur,
Nullum ſexum reueretur,
Nulli parcit homini.
Omnes illuc dona ferunt:
Illuc enim aſcenderunt
Tribus tribus Domini:
Canes Scyllæ poſſunt dici,
Veritatis inimici,
Aduocati Curiæ:
Qui latrando falſa fingunt,
Mergunt ſimul, & confringunt
Carinam pecuniæ.

Iste probat se Legistam,
Ille verò Decretistam,
Inducens Gelasium:
Ad probandam quæstionem,
Hic intendit actionem
Regendorum finium:
Vti reum prosequatur,
Hic Charybdis debacchatur,
Id est Cancellaria.
Ibi nemo gratus gratis,
Nulli datur absq; datis
Gratiani gratia.
Plumbum quod hîc informatur,
Super aurum dominatur,
Et massam argenteam.
Aequitatis phantasia
Sedet, teste Zacharia,
Super bullam plumbeam.
Qui sunt Syrtes vel Syrenes,
Qui sermone blando lenes
Attrahunt Byzantium.
Speciem prætendunt lenitatis,
Sed Charybdi parcitatis
Supinant marsupium.
Dulci cantu blandiuntur
Vt Syrenes, & loquuntur
Primò quædam dulcia:
Frater, benè te cognosco,
Certè nihil à te posco:
Nam tu es de Francia.
Terra vestra benè cœpit,
Et benignè nos excepit
In portu concilij.
Nostri estis, nostri, cuius?
Sacrosanctæ sedis huius
Spirituales filij.
Ita dicunt Cardinales,
Ita solent dij carnales
In primis allicere.
Sic instillant fel draconis,
Et in fine lectionis
Cogunt bursam vomere.
Tales regunt Petri nauem,
Tales habent Petri clauem,
Ligandi potentiam.
Hi nos docent, sed indocti:
Hi nos docent, & nox nocti
Indicat scientiam.
Cardinales, vt prædixi,
Nouo iure Crucifixi
Vendunt patrimonium.
Foris Petrus, intus Nero:
Intus lupi, foris verò
Sicut agni ouium.
In galea sedet vna
Mundi lues importuna,
Camelos deglutiens:
Inuoluta Canopæo,
Cuncta vorat sicut leo
Rapiens & rugiens:
Hic piratis principatur,
Et Io annes nuncupatur,
Sedens in insidijs,
Ventre grosso, lota cutè,
Grande monstrum: nec virtute
Sed rerum emtum vitijs.
Maris huius non est Dea
Thetis mater Achillæa,
De qua sæpè legimus:
Imò verò Carlinorum
Sancta soror loculorum,
Quam nos Bursam dicimus.
Nam si Bursa detumescit,
Surgunt venti, mare crescit,
Et carina deperit,
Sic à ventis circumlata,
Et à scopulis vexata
Periculo suberit.
Et occurrunt cautes rati,
Donec omnes sunt priuati
Tam nummis quàm vestibus:
Tunc securus fit viator,
Quia nudus & cantator
Fit coram latronibus.
Quòd si verum placet scribi,
Duo portus tamen ibi,
Duæ tamen insulæ,
Ad quas licet applicari,
Et iacturam reparari
Confractæ nauiculæ.
Petrus enim Papiensis,
Qui electus est Meldensis,
Portus rectè dicitur.
Nam cùm mare fluctus tollit,
Ipse solus mare mollit.
Et ad ipsum fugitur.
Est & ibi maior portus
Fætus agri, florens hortus,
Pietatis balsamum.
Alexander ille meus,
Meus inquam, cui det Deus
Paradisi thalamum.
Ille fouet literatos,
Omnes malè incuruatos
Si posset erigeret:
Verus esset cultor Dei,
Nisi latus Elisæi
Giesi corrumperet.
Sed ne rursus in hoc mari
Me contingat naufragari,
Dictis finem faciam:
Quia dum securus eo,
Ne submergar, ori meo
Posui custodiam.

Anno

Portenta.

1158. ANno hoc facti sunt vehementes terræmotus, tonitrua, & fulgura cum horrendis strepitibus & fragoribus. Fulminibus multorum gladij icti colliqueuerunt integris vaginis: Equitibus aduxebantur pedes illæsis ocreis : terræ autem fruges omnes funditus tempestates sunt depopulatæ. Chron. Her. Imp. 98 Frid. 1. Papa 175 Adriano 4.

Prodigium.

1158. HOc Christi, & septimo Cæsaris Friderici anno, die Septembris quinto, tres soles conspecti sunt in cœlo, ad Occidentem versus: tandem Parelij euanuerunt, & verus Sol in medio solus est relictus. Rudimentum Nouit. & Krentzheymius in Chronico. Imper. 98 Frid. 1. Papa 175. Adriano 4.

Ordo Carmelitarum.

1160. 

POlydorus & Sabellicus hunc ordinem circa annum 1160: Francus autem circa annum 1218 cœpisse: Panuinius circa annum 1141: Balæus anno 1121: reformatum scribit. A Carmelo monte Syriæ nomen habent.

Vestitum Francus dicit esse tunicam nigram, superinductâ cucullâ alba; eosque suam Regulam fallere & vinum bibere. Apud Pp. Ioannem 23. in summo honoris gradu fuerunt. Nam is se mirabilem ante Papatum de illis visionem habuisse testatur in Bullâ. Quòd nimirùm Maria virgo, in magnâ Cardinalium contentione ab aduersarijs illum liberauerit, ac Papam fecerit: hac tamen reseruata conditione, vt hos suos fratres Carmelitas à purgatorio seruaret immunes. Vidi, dixit Ioanni Papæ Maria, tuam ad me deuotionem: Veluti ergo ego te ab aduersarijs liberabo, & ad altissimum promouebo gradum: sic videas, vt similem fratribus meis Heliæ filijs, vicem rependas: insuper me & Filio meo iubentibus, priuilegium hoc dabis: vt quicunque ordinem meum intrauerit, à culpâ & pœnâ liberatus in æternum saluus fiat.

Cùm Minoritæ indulgentias semel in anno tantùm in die S. Francisci, vt populus cum oblationibus eo die confluerET, darent, Carmelitæ, vt plures oblationes reciperent, singulis septimanis suas erogabant indulgentias: quo dolo effecerunt, vt plurimi, deserto Francisco, illis se adiunxerint.

De vestitu aliter quàm Francus, sentiunt Polydorus & Antoninus: nam Honorium 3. vel secundum alios. 4. vestes illorum mutasse: & ob hoc Sultanum Ægypti irâ adeò exarsisse, vt Cœnobium eorum expulsis omnibus, incendio destruxerit, & totâ Ægypto eiecerit: qui priùs eleemosynis liberaliter illos fouit. Idem Honorius cum vestitu nomen illis quoque mutauerat, & B. Virginis Mariæ fratres appellari iusserat: Regulæ illorum peculiare hoc tradens, vt in remissionem peccatorum eam obseruarent.

Notandum & hoc est, Dominicanos & Carmelitas de antiquitate, & vtri inter illos Deiparæ virginis fratres potiùs dicendi sint, pugnasse: & Carmelitas ab Vrbano 6. pecuniâ obtinuisse, vt quicunque eos Mariæ fratres dicerent, pro qualibet vice haberent trium annorum indulgentias, ac totidem quadragenas. In contemtum huius priuilegij quidam (sine dubio Dominicani) statim asseruerunt, eos esse Ægyptiacæ meretricis Mariæ fratres: sed iterum Carmelitæ pecuniâ effecerunt, vt tales pro hæreticis sint damnati. Sed & maius interueniente denario obtinuerunt ab Vrbano, nimirùm, vt possent mutare vota, abiurataque bona recipere. Sic pater, inquit, Hospin. filios nutriebat ad furta, & periuria iuxta illud psalmi 49. Si videbas furem, currebas, & portionem tuam capiebas cum eo. Sed & vlterius impetrârunt, vt contra institutum ex eremis prorepere, & vrbes inhabitare possent. Contra tales & plures alias illorum fraudes, & impietatem, Nicolaus Gallus Narbonensis Carmelita Magister generalis sub titulo Igneæ sagittæ, vehementem & aculeatum librum in eos conscripsit: in quo deformatum sui Ordinis statum, pijs lachrymis deplorat: quòd sui fratres à probitate, & sanctis studijs in omnium vitiorum labyrinthum sint prolapsi: Et postquàm priuignos, reprobos, cauteriatos, errones, fabulatores, garrulos, inutiles Consiliarios, malignos discursores, SODOMÆ ciues, optimi testamenti contemtores, præsentium & futurorum seductores. Draconis caudam tertiam stellarum partem de cœlo trahentem, & in terram mittentem Apocalyp. 12. vocasset & similibus alijs encomijs ornâsset eos. In hæc tandem verba cap 5. prorupit: Dicite, inquit, quæ & qualis est ista religio noua in ciuitatibus adinuenta? Per plateas de mane

vsque

vsq; ad vesperam discurrentes à Pædagogo compulsi vestro, qui rugiendo circuit quærens quē deuoret: & sic in vobis prophetia, In circuitu impij ambulant, ad vestræ confusionis cumulum, veraciter est impleta. Est enim causa discursuum vestrorum præcipua, vt visitetis non pupillos, sed puellas: non viduas in tribulatione consistentes, sed fatuas iuuenculas? Beghinas, moniales, ac Dominas, vbi *Alter in alterius iactantes lumina vultus*, verba, quæ bonos mores corrumpunt, alternatim emittitis cordium allectiua, &c. Non est hæc religio munda & immaculata apud Deum, in qua oportet quemlibet immaculatum ab hoc seculo vtique custodiri. Heu me fratres charissimi, dum luto seculi estis involuti, cur vos creditis minimè maculari? Hæc & alia plura Nicolaus ille: & Bal. in App.

Cùm autem pijs admonitionib. suis se nihil proficere animaduerteret: illis relictis ad eremum iterum secesit.

Habebant autem semper sibi iunctas Moniales, ob quarum nimias consuetudines cùm malè audirent, eas amouerunt: sed hac famâ extinctâ, atque sopitâ, cùm illis carere nullo modo possent, iterum eas assumserunt non sine scandalo. Vnde versus:

Puto verò quòd prodesset,
Si in mundo nullus esset
Monachus, vel Monialis,
Siue secta Beghinalis &c.

De quibus etiam alibi in hoc opere. Pingebant Carmelitæ in suis Cœnobijs Baptistā Ioannem suo habitu indutum, vt sibi totique Ordini maiorem authoritatem conciliarent ex dicto Christi: Ioannes ipse est Elias, Matth. 11. Ob quam temeritatem Monachus quidam offensus, & pio zelo motus, picturæ pedibus sequentia carmina affixit:

Christi Baptista vestis te non decet ista:
Qui te vestiuit fratrem, maledictus abiuit.
Nunquam Messias frater (id est, Monachus) fuerat, nec Helias,
Non stas plebs læta, dum sit pro fratre Propheta.
Si fratrem Ionam fingis, Giezi tibi ponam,
Ac Iebusæum, ne iungas hic Helisæum. &c.

Creuisse scribit Sabellicus Ordinem Carmelitarum adeò, vt 7050 Cœnobiorum, & 180 initiatorum millia in eis reperiantur per orbem: de quo etiam alibi. De Carmelitarum Ordine ex professo scripserunt multi, vt Bernardus Olerius Hispanus, Ioannes Gluel Germanus, Philippus Ribotus, Nicolaus Simonis, Carolus Pharnaudus, & alij. Imp. & Papa vt sup.

Antonius du Pinet in Cosmographia. 1160.

PApa semper prædæ inhiat, & aliquid rapit: de Alexandro tertio loquitur. Imperat. Friderico 1.

Dodechinus. 1160.

PEr idem tempus Catholici in Ecclesia rari habebantur: schismatici verò multiplicabantur. Imp. Frid. 1. Papa 176 Alexander 3.

Romiith. 1160.

SI vocabulum ROMIITH hebraico modo scribitur, ex eo colligitur numerus in Apoc. 666. Idem numerus quoque reperitur in nominibus ALeXAnDer terCIVs, & BaLthasarVs DeCossa PontifeX. Imp. & Papa vt sup.

Monstrum. 1160.

HOc anno Gandaui natus est infans tria habens capita, caudamque pecuinam. Chron. Fland. Imp. & Papa vt sup.

Chronicon Saxoniæ, Mansfeldense, & Dodechinus. 1160.

MAgna olim fuit legum & disciplinæ imperialis acerbitas, rigiditasque, & mira, Electorum Ducum, & Principum erga Imperatorem suum Romanum reuerentia & obedientia. Nam cùm Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus, & Hermannus Comes Palatinus bellis mutuis totum penè Rheni tractum infestarent, & depopularentur aliquando: in ius vocauit ipsos VVormatiam ad Comitia Imperator: ibi cùm vterq; reus huius malefacti conuinceretur, ex lege consuetudinis Francorum & Sueuorum antiquæ, hæc pœna irrogata fuit pacis turbatoribus, & alijs decem Comitibus & Magnatibus eiusdem facti socijs: vt canē quisq; humeris gestarent per integrum milliare germanicū, ex suo territorio in aliud: reliqui autē nobiles eidem pœnę obnoxij suum dominū sequerentur

ferentes scabellum, in quo residere posset Princeps, si vel lassus ex via, aut onere cuperet, respirandi gratia, quiescere.

Hoc stricta lege tenendum erat, nec vlli hæc pœna, qui ea dignus erat, remittebatur, præterquàm vbi vel senio cuiusquam, aut alijs grauissimis ex causis alicui videbatur esse parcendum: tunc enim ipsimet quidé iudulgebatur reo, sed tamé pro illo alius quispiam optimatum summo loco natus legi satisfacere coactus fuit. Sic nobiles, quando ob petulantiam & peruicaciam suam pœnas merebantur, à Principibus ad stiuas fuerunt admoti, atque eos sub iuga aratri coactos, equorum vice terram sulcare oportuit, donec positis supercilijs didicerunt tandem continere se & humiliare. Hoc testatur historia Landgrafij Ludouici Ferrei in Chronico Saxoniæ, Mansfeldico, & Othonis Frising. Vixit Lud. ille anno 1149. vt sup.

VValdenses, ex historijs.

1160. FVit VValdus ciuis Lugdunensis, homo diues. Hic videns Ecclesiasticorum in docendo ignauiam, ipsemet sacras literas legere, in vulgarem Gallicam linguam vertere, & docere alios cœpit. Deinde etiam collegit patrum testimonia vulgari sermone, vt suos non tantùm scriptura, sed etiam veterum testimonijs contra aduersarios veritatis communiret. Cernentes itaque illius loci Episcopus, eius Pharisæi ac Scribæ Valdi, eiusque sectatorum in docendo ac discendo Dei verbo, constantiam, quam illi pertinaciam esse calumniabantur: dolentes etiam, suas turpitudines, inscitiam, negligentiam in docendo, & aliquos etiam errores ab eis taxari, excommunicauerunt eos omnes simul. Aliquantò verò pòst, cùm illos nec excommunicatione quidem moueri cernerent, vt à suo proposito desisterent, etiam exilio, carceribus, ferroque demum ac igni persequi, & crudeliter vexare cœperunt: vt necessitate, præsentique periculo coacti sint Lugduno discedere, ac in varias terras diffugere & dilabi. Discipulos docuit ac erudijt ita vt ei collegæ esse, officioq; docendi rectè fungi possent: & doctrinam, erroresq; ac superstitiones Papæ, ac Papistarum notauit, indicauit & refutauit. Appellati sunt non tantùm Valdenses illi homines, sed etiam pauperes de Lugduno, Leonistæ, & insabbathati: varia enim illis nomina ab aduersarijs indita sunt. Atq; hæc de ortu seu potius instauratione huius religionis ac doctrinæ.

Articuli VValdensium.

1. Solis sacris literis credendum esse in ijs, quæ ad salutem pertinent, & nulli præterea homini, aut scripto, firmiter sentiunt.

2. Sacras literas integrè continere omnia ea, quæ ad salutem sunt necessaria: eoque nihil penitus recipiendum aut admittendum in religione esse, nisi id solum, quod nobis Deus in sacris literis præcepit, indubitanter credunt.

3. Vnum esse tantùm mediatorem, nec esse inuocandos sanctos vlla ratione, statuunt.

4. Purgatorium neutiquam esse, sed omnes homines vel per Christum iustificatos in vitam æternam, vel non credentes in æternum exitium abire, tertium aut quartum locum supercilé nullum, aiunt.

5. Tantùm duo Sacramenta, Baptismum & D. Communionem recipiunt ac probant.

6. Omnes Missas, & præcipuè eas, quæ pro mortuis canuntur, impias, eoque abolendas penitus esse, affirmant.

7. Omnes traditiones humanas reijciendas, vel certè pro necessarijs ad salutem nequaquam habendas esse: eoque tollendum esse cantum ac recitationem officij, ieiunia ad dies certos alligata, superflua festa, discrimen ciborum, tam varios gradus ac ordines sacerdotum, monachorum ac monacharum, varias benedictiones seu consecrationes creaturarum: vota, peregrinationes & aliam omnem turbam rituum ac ceremoniarum ab hominibus inuentarum seu excogitatarum antiquandam esse.

8. Primatum Papæ super omnes Ecclesias, in primis potestatem eius supra omnes politias, seu vtrumque eius gladium penitus pernegant, nec censent alios gradus sacerdotales in Ecclesia retinendos esse, præter sacerdotum, diaconorum & Episcoporum.

9. Communionem sub vtraque specie & piam esse, & necessariam, vtpote à Christo ordinatam & præceptam, asserunt.

10. Romanam Ecclesiam esse Babylonem, de qua in Apocalypsi: Papam esse omnium errorum fontem, & verum Antichristum, contendunt.

11. Indulgentias quoque reijciunt: tametsi illæ infra quadringentos annos, nempe ante 250. primùm à Bonifacio excogitatæ sint.

12. Coniugium sacerdotum pium ac necessarium in Ecclesia esse docent.

13. Verbum Dei audientes, ac rectè sentientes, Ecclesiam eius esse, eique Ecclesiæ claues à Christo datas, eoque eam posse ac etiam debere lupos fugare, & veros bonosque Christi pastores vocare, eorum vocem audire, ac ab illis Sacramenta percipere.

Hi fermè sunt Valdensium articuli, tametsi alij eos per species latius diducant, pluresque faciant.

Profligati igitur aufugerunt Lugduno, partim in varias Galliæ partes, & præsertim in Narbonensem prouinciam: partim & quidem plures, in Lombardiam Italiæ prouinciam, quam Romani citeriorem Galliam vocarunt. Extant consultationes iurisperitorum Auinionensium, item Archiepiscoporum Narbonensis, Arelatensis & Aquensis, item ordinatio Albanensis Episcopi, de extirpandis VValdensibus, ex quibus apparet, plurimos passim in tota Gallia fuisse. Fuit & integrum concilium Tolosæ contra VValdenses celebratum, sed priùs in alio Romæ celebrato damnati fuere.

In eosdem VValdenses qualiter fuerit bellum motum, & illi extincti, proprio libro Gallico, & à Sleidano quoque descriptum est. Ibant ergò difficili & molesto itinere, gestantes pueros in humeris & brachijs, inque cunis, & quidem mulieres aliquot grauidæ: cumque ad constitutum locum venirent, iam eo confluxerant multi, qui rebus perditis fuga salutem quæsiuerant. Non multò pòst nunciatur, Minerium aggregare simul omnes copias, vt ipsos inuadat. Fuit hoc sub vesperam: itaque re deliberata, consilium ex tempore capiunt, & quoniam iter faciendum erat per loca impedita & aspera, mulieres, puellas & infantes ibi relinquunt, paucis quibusdam adhibitis, & in his Ecclesiæ ministro.

Cùm multi VValdensium aufugissent in Longobardiam, latius ibi suam doctrinam seminârunt. Nam inde per totam Italiam vsque in Siciliam suum dogma sparserunt, vt Fridericus II. Imperator in suo contra ipsos mandato testatur: & inde etiam in Germaniam, præsertim in Alsatiam, & circa Rhenum: item in Bohemiam, vnde porrò in Saxoniam, Silesiam, Morauiam & Poloniam ea doctrina est ante annos 400. disseminata.

Fuerunt in Longobardia veluti scholæ seu Academiæ quædam huius veræ Christi Theologiæ. Quæ omnia ex inquisitionum libris, alijsque minimè obscuris testimonijs probari possunt.

Extat inquisitio in Bohemia & Polonia contra VValdenses instituta, sub Rege Ioanne, circa 1330 Domini annum facta, vbi inter alia disertè fit mentio Collectarum, quas fratribus & præceptoribus suis in Lombardiam soliti sunt mittere: & in alia inquisitione inuenitur, eos esse solitos ex Bohemia, causa discendi Theologiam, ad suos præceptores VValdenses in Lombardiam proficisci, veluti ad scholam, seu Academiam quandam. Hermannus Mutius in sua Germaniæ historia dicit, circa annum Domini 1212, fuisse multos in Alsatia nobiles & ignobiles, qui affirmauerint, licitum esse vsum ciborum quorumuis quauis die, nec minorem esse in piscibus quam carnibus luxum, licitum etiam esse sacerdotum coniugium: damnâsse eos etiam Papam, qui talia prohiberet. Ob quam causam ait Papam & Episcopos ita in eos sæuijsse, vt aliquando centum vna die interficerentur. Nauclerus narrat, eodem tempore etiam Mediolani & circa, fuisse eiusdem sententiæ ac doctrinæ homines, misisseque Alsatos Mediolanensibus tanquam præceptoribus suis Collectas siue eleemosynas. Vnde licet conijcere, vtrosque fuisse VValdenses. Bruschius in sua Monasteriorum historia narrat, circa idem tempus 35. ciues Moguntinos Bingam adductos, ac ibi exustos propter Valdensium doctrinam. Valdenses & illos fuisse putant, de quibus Crantzius scribit lib. 8. cap. 78 Metropoleos: quòd sub Friderico secundo contra Papam & monachos in Hala Sueuiæ sunt concionati.

Extat quoque magnum processuum volumen, in quo 443 Valdenses nominatim examinati sunt in Pomerania, Marchia, & vicinis locis, circa annum Dom. 1391. & supra dictos articulos sunt confessi.

Multi eorum testantur, se 20 & 30 annos in ea secta fuisse: multi etiam affirmant, suos maiores quoque sic sensisse, sibi indicantes tamen, subinde doctores suos ex Bohemia ventitare solere. Vnde apparet, etiam istas Saxonicas regiones, iam ante Hussum, plenas Valdensibus fuisse.

Ex Æneæ Syluij Bohemica historia de dogmatibus VValdensium.

Romanum præsulem reliquis Episcopis parem esse. Inter Sacerdotes nullum discrimen: Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes aut in æternas è vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inueniri: vanum esse orare pro mortuis, & auaritiæ sacerdotalis inuentum. Dei & Sanctorum imagines delendas. Aquarum, palmarumque benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos dæmones inuenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna. Liberam cuique prædicationem verbi Dei patere. Nullum capitale peccatum, quantumuis maioris mali vitandi gratia, tolerandum. Qui mortalis culpæ reus sit, eum neque seculari, neque Ecclesiastica dignitate potiri, neque parendum ei. Confirmationem, quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam vnctionem, inter Ecclesiæ Sacramenta minimè contineri. Auricularem confessionem nugacem esse: sua quemque Deo in cubili suo confiteri peccata. Baptisma fluuialis vndæ, nulla interiecta sacri olei mixtura, recipiendum, cœmiteriorum inanem vsum, quæstus causa repertum: quacunque tangantur tellure humana corpora, nihil distare. Templum Dei latè potentis ipsum mundum esse: eius maiestatem coarctare, qui Ecclesias, monasteria, oratoriaque construunt, tanquam magis propitius in eis diuina bonitas inueniretur. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patinas, vasaque nihil habere momenti.

Sacerdotem quocunque loco sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusque ministrare: suf-
ficere, si verba Sacramentalia tantùm dicat. Suffragia sanctorum in cœlis cum Christo regnantium
frustra implorari, quia iuuare non possint. In canonicis horis cantandis dicendisque frustra tem-
pus teri. Nulla die ab opere cessandum, nisi quæ dominica nunc appellatur. Celebritates sanctorum
prorsus reijciendas. Ieiunijs quoque ab Ecclesijs institutis, nihil inesse meriti. Obserua, Syluium
Valdensibus non tribuere illos tetros errores de magistratu, deque indignitate personarum: item
de iuramento, &c. qui eis falsò tribuuntur. Quare procul dubio illis crimina temerè, & ex odio ac
inuidia, ab aduersarijs falsò adscripta sunt. Commodè quædam de Valdensibus annotauit etiam
Iacobus de Rebiria, olim Regius Secretarius, in suis collectaneis de vrbe Tholossa, quæ inde ad ver-
bum adijciam.

Valdenses siue Lugdunenses diu primum locum tenuisse in Gallia Narbonensi, Albiensi, Ru-
thena, Cadurcensi, Agennensique diocœsibus, celebrior est fama, eoque tempore nullo aut paruo
in precio fuisse eos, qui sacerdotes se, Episcopos, & ministros Ecclesiæ dici volebant. Hi enim omnes
rerum omnium ignari cùm penè essent, facilè fuit eruditione & doctrina præcellentissimis, primas
in populo partes sibi vendicare. Ex quibus cùm præcæteris Valdenses acutiùs de religione disputa-
rent, admittebantur sæpeà sacerdotibus publicè docendi causa, non quòd eorum sententiæ sibi pro
barentur, sed quòd Valdensibus ingenio pares non essent. Tanto verò in honore erat huiusmodi
hominum secta, vt & ab omnibus oneribus haberent immunitatem, & multò plura ex morientium
testamentis consequerentur sacerdotibus.

His verò temporibus sæpe disputatum fuit cum hæreticis apud ViridεFolium, semel & iterum
Apumeæ. Celebris verò disputatio extitit in monte Regali, cui tanquam arbitri præerant duo nobi-
les viri, Bernardus Villanoua, & Bernardus Arrensis, & duo plebeij, Raimundus Godius, & Arnol
dus Riberia. Nulla verò de re vnquam conuenerunt.

Qui hæretici existimabantur, eorum præcipua nomina hæc sunt: Ponticus Iordanus, Arnoldus
Aurisanus, Arnoldus Othonus, Philibertus Casliensis, Benedictus Thermus.

Constanter porrò affirmabant, Ecclesiam Romanam non esse sanctam Ecclesiam: nec spon
sam Christi, sed Ecclesiam diaboli imbutam doctrina, & Babylona illam, quam Ioannes descripsit
in sua Apocalypsi, matrem fornicationum & abominationum, obrutam sanguine Sanctorum
Domino non probari, quæ ipsi Ecclesiæ Romanæ probarentur. Missam neque Christum neq; Apo
stolos instituisse, sed hominum commentum esse. Id sic eos sensisse scripsit Iacob Rebiria. His ex ad
uerso oppositi erant Petrus de Castronouo, monachus Cisterciensis, & legatus Rom. Pontificis, &
magister Rudolphus missus & ipse à Pontifice Romano: Didacus Episcop. Erenensis, & Dominicus
eiusdem Ecclesiæ canonicus, homines Hispani, quorũ posterior sectam instituit Prædicatorũ, quan
sectæ aduersariorum obijceret. Tandem Innocentius Papa III. misit Arnoldum Almaricum, qui vn-
dique facta manu tantam molem à Tholossanis depelleret. Iam pridem enim insidijs fuerat interfe-
ctus Petrus de Castronouo Pontificis legatus. eiusque suspicio in Comitem Tholossanum non leuis
ceciderat. Almaricus igitur promisit passim omnibus peccatorum veniam, siquidem arma in hære-
ticos agri Tholossani sumerent. Sic igitur egit cum Rege & proceribus, vt armati milites mitteren-
tur. Qui anno 1209. primùm Biliterium, deinde & alia loca, facta multorum hominum strage, ex
pugnarunt. Hæc ex varijs Chronicis. Habentur quædam scitu digna de VValdensibus etiam in Pau-
lo Æmilio in vita Philippi II. Regis. Imp. Frid. 1. Barb. Papa Alex. 3. vt sup.

Ek de Repkau.

GLossauit ac declarauit ius Saxonicum EK REPKAV, qui non pauca pro veritate contra
Pontificem dicit. Nam libro secundo, articulo 24. commendans coniugium, inquit:
Fürwar wiewol wüste das Gott/daß er nit sprach in schöpffung der Frawen Eua/Es ist nicht gůt/
daß kein Münch noch Nonne sey: sondern er sagt/Es ist nicht gůt daß der Mann allein sey. Dann die
weil der Mann allein bleibt/so ist kein Ehe, sondern wir machen ihm ein Gehülffin/auff daß da werde
ein Ehe. In diesem Orden müssen sein alle die/die zu Gott gehören/entweder leiblich oder beweißlich: dan
die Ehe beweiset keuschliche liebe deß Vatters/die er hat zu seiner Braut der heiligen Christenheit. Es
beweiset es auch die reine enthaltnuß deß heiligen Geists in den außerwehlten Seelen.

Item lib. 3. articulo 63. disputat contra Donationem Constantini inquiens inter alia: Sage
aber dennoch/daß so gethane Gab durch recht nicht lang/vnd nicht tauge vmb jhn: Authen. de non. alie-
nan. aut permu. Eccle. reb. §. Si igitur. collat. 3. & c. de legib. & consti. Prin. & edic. leg. digna vox.
& instit. mod testamentum infirmatur. §. 1.

Dann von solcher Gab möchte er das gantze Reich vergeben/Ach Pfaffe/daß erzürne nur nicht
auff mich/sondern zürne auff Accursium. Dann diese wort Accursij/in der gemeinen Gloß/vt in Au-
thenti. vt determinatus sit numerus Cleri. §. 1. super verba bonum & competens Col. 1. Dann ob-
wol der König Constantinus gab dem Bapst Syluestro Weltlich Gewalt/er gab ihm darumb nicht al-
le Weltliche Gericht. Item lib. 3. articul. 57. pronunciat, Papam non habere ius vtriusque gladij, nec
esse supra Cæsarem.

Nun diß alles zu einem vnderricht/soltu wissen/daß der Bapst beyde Weltlich vnd Geistlich Ge-
richt haben soll/daß ist vnrecht. Dann hie wider ist 10. distinct. Quo iure. Da stehet/daß Gott habe das
Geistlich Gericht vnd das Weltlich gescheiden an zweyen Personen/das ist an den Bapst vnd an den
Keyser. Cat. Imp. Friderico 1. Papa vt sup.

Anno 1160.

Ekbertus Abbas Benedictinus.

ECbertus Benedictinus Abbas S. Florini, diœcæsis Treueren. & frater Elisabethæ, floruit circa annum 1160: multaque magno zelo nec etiam vulgari (vt tunc quidem fuerunt tempora) eruditione scripsit. In quadam epistola ad Coloniensem Episcopum ita de bonorum Ecclesiastico-rum profusione, deq; profligata monasteriorum pudicitia inquit:

Sed nondum mi Domine, intra viscera ecclesiæ pax vestra recepta est, adhuc mater passionis quasi torsiones intrinsecus sentiens in hunc modum gemebunda congeminat: ventrem meum doleo, foris pax, intrà prædatio.

Pacem negociatores habent, sed nondum super filios pacis pax requieuit. Ecce enim penè vbique ministri Ecclesiæ debita se consolatione priuari, conqueruntur. Sicut enim ipse nosti, ita à Domino ab initio ordinatum est, vt de altari viuerent, qui altari deseruirent. Et vt rata hæc esset ordinatio, per manus Regum ac Principum locupletem fecit Ecclesiam, vt absque solicitudine corporalis nutrimenti, milites Christi orationi ac lectioni scripturarum intenderent. Sed ecce in his temporibus ordinatio ista, vsq;quaq; euacuari cernitur, maximè per dispensatores ac dispensatrices Ecclesiarum, qui constituti sunt super familiam Domini vt dent illis cibum in tempore.

Hi enim dum curant, quæ sua sunt, bona Ecclesiarum aut per iniuriam negligunt: aut in suis voluptatibus consumunt, aut in laicas manus pro seculari fauore, aut obsequio conferunt, atque ita de absconditis filiorum adimplent ventres alienorum. Si quis autem filiorum petierit panem, pro pane lapidem, aut scorpionem, aut serpentem illi porrigunt, dum aut duram obiurgationem, aut prærurgentem læsionem ingerunt, aut versutam excusationem prætendunt. Vnde fit vt ministros Ecclesiæ aut proprijs stipendijs militare, aut si hæc non habent, aliena impudenter mendicare, aut siccis faucibus mœstas Deo laudes concrepare oporteat.

Atque hac occasione per omnes penè Ecclesias diuinæ laudis organa suspenduntur, & nemo considerat: vix in vnaquaq; Ecclesia tribus aut quatuor ministrantibus continuè, alijs vrgente necessitate ad cognatos & notos, siue ad negociationes suas discurrentibus.

Verti me aliò, & apposui cor meum, vt huius tam generalis ruinæ causas intelligerem. Inspexi clericorum Ecclesias, ac reperi in eis enormitates grandes & innumeras.

Vidi claustra virginum, quorum alia rectius viscarium, id est, aucupium Satanæ appellauerim: & ecce ignis alienus cuncta vastauerat, lilia castitatis aruerant, & deplorandus vniuerso orbi animarum interitus vbique apparuit. Omnia ergo considerans, & præfatæ ruinæ causas intellexi, & Domini patientiam vehementer admiratus sum.

Circumspexi autem & sustinui, qui simul mecum contristaretur super omnibus malis his, & vix vnum de mille reperi, qui dignus haberetur inscriptione T H A V. Si itaque in his diebus suscitauit nobis Deus Macchabæum, qui à finibus nostris gladium coërceat, vtinam & Patriarcham nobis suscitet, qui à sanctificatis Domino alienarum auium rostrum prohibeat. Vtinam & Phineam nobis suscitet, qui & enormitates & contaminationes tabernaculorum Domini, districti iudicij pugione confodiat.

Hæc autem omnia in vobis mi Domine, opto concurrere, vt vera & integra pax Ecclesiæ Dei per vos restituatur.

In alia Epistola ad eundem de antecessoribus eius Episcopis, deque schismate inter Romanos Pontifices scribit:

Multi sapientes secundum carnem,, multi nobiles, multi potentes in cathedra illa te antecesserunt, sed non in pluribus eorum beneplacitum erat Deo. Erant enim homines amantes seipsos, & non apposuerunt cor suum, vt iuxta debitum officij sui magnificarent coram hominibus eum, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.

Indulgere autem carni, deliciosè ociari, pompaticè incedere, quæstui intendere, magnificare parentes: hoc illis erat Episcopari. Monumenta sui quidam ex eis, ne nihil fecisse viderentur, reliquerunt in rupibus,, siue in turibus ad ocium electis, structuras lapidum modicæ vtilitatis, aut concupiscibiles formas cælijs, & penicillis curiosè laboratas. Beatius autem illis erat, ab ijs lapidibus, qui ædificio congruunt, supernæ ciuitatis testimonium sibi conquisisse pietatis & religionis, vt cùm defecissent, recipere eos possent in æterna tabernacula.

Melius, melius te Episcopari opto, ò inclyte dierum istorum. Feliciter vt dicunt incedis, vtinam benè. Non enim omne quod feliciter, benè. Felicitas mundi porrexit manum tibi, & amplexata est te, & inijsti fœdus cum ea, &c.

Et paulò pòst:

MOuentur omnes montes, qui stillare debuerant dulcedinem, & quomodo non commouebitur subiacens terra? Ecce enim effusa est contemtio super principes principalis Ecclesiæ, quæ omnium mater est, & sciderunt vnitatem summi sacerdotij, ruperunt vinculum pacis Ecclesiasticæ, ita vt inuicem mordeant & interficiant se, anathematizando alteruttum.

Est tamen incertum, quæ duarum partium percutiat in gladio Petri, cùm nec possit in partes diuidi, nec indiuisus sibi aduersari: vnde fit, vt non iam correctionis dulcedinem, sed dissensionis amaritudinem amarissimam propinent omnibus terris.

Et omnes, inquit, colles turbati sunt. Ecce enim ex illorum vesano motu, non modica turbatio deriuata est in omnes subditos illis Ecclesiarum patres, qui cui parti magis assentiendum sit ignorantes, ipsi quoq; sibi inuicem malitiosè aduersantur, alterutrum se abominantur, odijsque & detrectationibus se inuicem persequuntur. Catal. Imp. Frid. 1. Barb. Papa Alex. 3. vt sup.

Petrus Blesensis in epistolis.

1160. QVia te affectuosissimè diligo in visceribus Iesu Christi, proposui te salutaribus monitionibus adhortari, vt de Vr Chaldæorū, & de medio Babylonis tempestiuè exeas: vt ministerium damnatissimæ villicationis omittas. Scio quia munerum cupiditas subuertit cor tuum, vt fieres officialis Episcopi. Cumq; legeres, fortasse negligebas verbum illud Iob: Ignis deuorabit corpora eorum, qui libenter accipiunt munera. Igitur beatus est, qui excutit manum suam ab omni munere. Credo hominum officiales non ab officio nomine, sed ab officio verbo mutuasse vocabulum.

Nam genus est hominum, quod dicitur officiperda: officit, est verbum crudele nimis & acerbū. Dictio plena malis, hinc dicitur officialis. Tota enim intentio officialis est ad opes Episcopi suæ iurisdictioni commissas, vt miserrimas oues quasi vice illius tondeat, emungat & excoriet. Isti enim sunt Episcoporum sanguisugæ euomentes alienum sanguinem, quem biberunt. Diuitias quas congregauit impius euomet, & de ventre eius extrahet illas Deus. Isti sunt quasi spongia in manu prementis: quasi quædā collatoria diuitias suis Dominis influentia, & execrandis acquisitionibus nihil sibi præter peccati sordem & fætulentiam retinentes. Quod enim aggregat per oppressionem pauperum, Episcopis cedit quidem ad delicias, officialibus autem ad tormentum.

Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis accumulatis opes.

Isti sunt secretiora hostiola, per quæ minister Belis sacrificia, quæ super mensam ponebantur à Rege, clanculùm asportabat. Sic Episcopus longa manu bona aliena diripit, & notam criminis à se remouens suis officialibus culpæ & diffamiæ discrimen impingit. Ideo quasi sub vmbra Episcopi & obtentu iustitiæ palliatæ subditos opprimunt, Ecclesias grauant, redditus alienos violenter inuadūt. Oculos habent ad munera, pupillo & viduæ non intendunt. Verba sunt filij Syrach: Concupiscentia spadonis deuirginauit iuuenculam: Ita & qui facit per vim iudicium iniustum, spado virginem opprimit: & prolem in oppressione non quærens corrumpit, non gignit. Sic prælatus iracundiæ aut auaritiæ suæ satisfaciens, nec fructū iustitię quærens corrumpit, non corrigit, exasperat non emendat. Quod enim fit prætextu fucatæ religionis ac simulatæ iustitiæ, non fructificat ad vitam, non ædificat ad salutem. Parcit Saul optimis gregibus Amalech, quasi sacrificaturus ea Deo, & incurrit in diuinam offensam. Gedeon quidem de præda Madianitarum fecit Ephot, & hoc sibi & domui suæ versum est in ruinam.

Hanc administrationem quam tibi damnabiliter vsurpasti, patientius ferrem, si in sacrarum literarum scientia præemineres. Causæ & iudicia, quibus te imprudenter, ne dicam impudenter, immiices, potius consuetudinario & seculari viro destinantur. Virum literatum & ecclesiasticum non sic decebat secularibus negotijs implicari. Apostolus ad Corinthios scribens ait: Secularia negocia si habueritis, eos qui contemtibiliores sunt inter vos, constituite ad iudicandum. Officium officialium, quorum te numero aggregasti, hodie est iura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, iniectare dilationes, supprimere veritatem, fouere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias continuare. Isti sunt, qui hospites suos grauant superflua comestione & multitudine clientelæ. Quærunt delicatos & superfluos cibos, cùm scriptum sit: Comedentes & bibentes quæ apud illos sunt. Ex alieno enim prodigi, de proprio sunt auari, verborum insidiatores, & aucupes syllabarum, tendunt laqueos & pedicas in capturam pecuniæ, iura interpretantur ad libitum, & ea pro voluntate sua nunc abdicant, nunc admittunt, benè dicta deturpant, prudentes allegata peruertunt, rumpunt fœdera, nutriunt simultates, fornicationes dissimulant, matrimonia distrahunt, adulteria fouent, penetrant domus, & mulierculas oneratas peccatis captiuas ducunt: diffamant innoxias & nocentes absoluunt. Et vt multa sub verborum paucitate concludam, dum omnia venaliter agunt, filij Mammonæ, se diabolo venales exponunt.

Dominus in Euangelio dicit: Gratis accepistis, gratis date: & Salomon in parabolis: Veritatem eme, & noli vendere sapientiam, iustitiam & doctrinam. Vereor, ne rapiat spiritus elationis, & dominandi cupido ad vanitates & insanias falsas: vtinam attenderes verba sapientiæ talia comminantis: O vos qui complacetis vobis in turbis, data est vobis potestas à Deo, qui interrogabit opera & cogitationes vestras, qui cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis.

Horrendè autem apparebit, & iudicium durissimum his qui præsunt, fiet, & fortioribus fortior instat cruciatus. Amice, in arena huius seculi periculosissimè pugnas: Mors te sequitur, vita fugit, caro palpat, mundus allicit, leo rugiens, & quærens quem deuoret, circuit, currit.

Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Vtinam ab omnibus seculi huius noxijs abstineres, vt in te quod suum est, non inueniat Princeps huius mundi: & in palæstra qua curritur ad brauium, nihil haberet aduersarius, quo te caperet, aut teneret, aut à brauio retardaret.

Si mihi credis, imò si credis in Deum, relinque maturius officialis officium, ministeriū damnationis, rotam malorum, spiritum vertiginis, qui te ad inania circumuoluit. Miserere animæ tuæ placens Deo, cui placere non potes cum isto damnationis officio.

Clerum sæpe alioqui nominat, Syriam, Edom, vitulos Bethel, idola Ægypti, pingues Samariæ, sacerdotes Baal, iudices qui condunt leges iniquas, & multò plura. Episcopi domo (inquit) vt cum familia dominum comprehendam, nihil est damnabilius ad meritum, nihil inhonestius ad mores, nihil sordidius ad conscientiam, nihil culpabilius ad famam, nihil perniciosius ad exemplum.

Aufer Domine de domo tua idolum, & confringe cornua peccatoris. Munera Romæ omnia peruertunt, omnia monachis licere permittunt; imò ad omnes carnis illecebras, quas annua redimunt pensione. Cantantur eorũ turpitudines in tentoriis Geth, & in Compitis Ascalonis. Sic factus est Princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilentiæ sedentibus, &c. Imp. Frid. 1. PP. Alex. 3. V. S.

Bernardus Cluniacensis. 1160.

INter alia etiam scribit:

Lex mala furibus his subeuntibus intrat abundè.
O mala secula, venditur infula Pontificalis.
Infula venditur, haud reprehenditur emtio talis.
Venditur annulus, hinc lucra Romulus auget & vrget,
Est modò mortua, Roma superflua, quando resurget?
Roma superfuit, arida corruit, afflua, plena
Clamitat, & tacet, erigit & iacet, & dat egena.
Roma dat omnibus omnia, dantibus omnia Romæ,
Cum precio: Quia iuris ibi via, ius perit omne.
Vt rota labitur, ergo vocabitur hinc rota Roma,
Quæ solet vbere laude fragrescere sicut aroma.
Roma nocent nocet, atque viam docet ipsa nocendi,
Iura relinquere, lucra requirere, pallia vendi.
Sæpe notarius est tibi carius emtus, vt illa,
Quæ cupis exaret, & sacra præparet ipsa sigilla,
Si tua nuncia præuenit vncia, surge sequaris:
Expete limina, nulla grauamine iam verearis.
Quam sapientia non valet, uncia dat tibi pacem
Vncia fœderat, vncia temperat ore minacem,
Ærea lamina dat tibi lumina cæca Quiritum:
Ostia pervia, verbaq; Tullia, cor stabilitum.
Si datur vncia, stat propè gratia Pontificalis:
Sin procul hæc valet, hæc tibi lex manet, & schola talis,
Ergò prior tua dextera mortua Roma probatur,
Sparsa per extera iam tua dextera læua vocatur.
Diues indigena, pinguis es arida, libera seruis,
Libera subderis, æreq; venderis ipse proteruis.
Sæpe reuenderis, hinc reprehenderis ore Iugurthæ.
Scylla vorax rapis, & cupis, & capis, & trahis ad te,
Roma ruens, rota fœda, satis nota cauteriat te.
Gurges es altior, arca voracior, alta lacuna,
Insociabilis insatiabilis, omnibus vna.
Quò bibis amplius, hoc inhiantius, huc date clamat.
Dic rogo, sufficit: at mihi deficit, ipsa reclamas.
Si tibi det sua, non repleat tua guttura Crœsus.
Marca vel aureus amodò, non Deus est tibi Iesus.
Paulò pòst. *Primitus elige, postea dirige iuris amantes,*
Non lucra grandia, sed synodalia iura parantes,
Qui tua nuncia per pereuntia secula clament.
Nostraq; frigida pessima, feruida facta reflamment.
Sed facio hoc secus Ecclesiæ decus extenuantes,
Mittis in extera tollere munera sola flagrantes,
Quem tua dirigit huc manus, eligit ille tributum.
Nec bona secula, sed bona fercula, molleq; fulcrum.
Suetus ab vbere non nisi currere, vel peditare,
Celtica curribus exit equestribus arua meare.
Qui modò gressibus ibat ouantibus incomitatus,
Militet arduus, & sibi confluus est equitatus.

Consiliarius, ipseq́, nuncius & literalis,
Papa tuus præit, acta libri vehit huc synodalis.
Hoc fremit hospite siue satellite regia plena,
Clerus equestria vix animalia pascit auena.
Serica pallia dat sibi Gallia, Roma caprinum,
Errat ibi pedes, ambulat hìc eques in resupinum.
Gens flat, obuia fit sibi gloria pulchra videri.
Vrbs strepit, æs sonat, atq; modos tonat huc schola cleri.
Ductus in atria Pontificalia molle recumbit,
Pocula præcipit, agmina suscipit, oscula iungit,
Concilium vocat, in solii locat aggere sese
Imperiosior ambit, & altior esse, præesse.
Audit amantius impia, surdius æqua subaudit,
Nam lucra terrea clausa aperit rea, non rea claudit.
Roma quid exequar, imò quid eloquar, aut tibi promam,
Vncia te rotat, vncia te notat, haud fore Romam.
Tu populos tibi, te rutilans sibi marca subegit.
Semper enim lucra progenies tua vult, agit, egit.
Dum lucra Parthica, dum tuus hostica munera Crassus
Vult, sitit, inspicit, heu sibi deficit, æs bibit assus.
Hæc sitis ebria stat tibi propria marte togaq́.
Te cremat, impiat, vrit, inebriat, excruciatq́.
Das sacra culmina, das moderamina sacra probrosis,
Arida mitibus, affluа ditibus ambitiosis.
Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma fuisti:
Ecce relaberis, atq; resolueris ordine tristi.
Clauda ruis foris à pede roboris, intus ab æqui,
Irreparabilis hìc, ibi labilis, inscia recti.
Vrbs sine iuribus, & sine patribus obruta marces
Dardanias premit, Ausonias emit aureus arces.
Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma peristi,
Obruta mœnibus, obruta moribus occubuisti.
Vrbs ruis inclyta, tam modò subdita, quàm prius alta:
Quò prius altior, hoc mihi pressior & labefacta.
Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma peristi:
Sunt tua mœnia, vociferantia, Roma peristi.
Clauda redis, caput alta iaces apud omnipotentem.

Cat. Imp. 98. Frid. 1. PP. 176. Alex. 3

1161. *Otto Frisingensis Episcopus Imp. Friderici primi patruus lib. 2. cap. 21.*

AT Romanorum ciues de principis (Friderici) aduentu cognoscentes prætentandum ipsius animum legatione adiudicârunt. Ordinatis ergo legatis industriis & literatis, qui eum inter Sutrium & Romam adirent, accepto prius de securitate viatico, sicque præsentatis regalis excellentiæ consistorio viris, taliter exorsi sunt.

Vrbis legati nos, vrbis non paruum in momentum Rex optime, ad tuam à senatu populoque Romano destinati sumus excellentiam. Audi serena mente, benignis auribus, quæ tibi ab alma orbis domina deferuntur vrbe, cuius in primo, adiuuante Deo, futurus es princeps, Imperator & dominus. Pacificus si venisti imò quia vt arbitror, venisti, gaudeo. Orbis Imperium affectas, coronam præbitura gratanter assurgo, iocanter occurro. Cur enim suum visitaturus populum non pacificè adueniret, non gloriosa munificentia respiceret, qui indebitum clericorum excussurus iugum, ipsius magna ac diutina expectatione præstolatus est aduentum? Reuertantur opto pristina tempora, redeant rogo inclytæ vrbis priuilegia, orbis vrbs sub hoc principe recipiat gubernacula, refrenetur hoc Imperatore, ac ad vrbis reducatur monarcham orbis insolentia. Tali rector Augusti sicut nomine, sic induatur & gloria. Scis quòd vrbs Roma ex senatoriæ dignitatis sapientia, ac equestris ordinis virtute & disciplina, à mari vsque ad mare palmites extendens, non solùm ad terminos orbis dilatauit, quin etiam insulas extra orbem positas orbi adiiciens, principatus illic propagines propagauit. Non illos procellosi fluctus æquorum, non hos scopulosæ & inaccessibiles rupes Alpium tueri poterant, Romana virtus indomita cuncta

perdo-

perdomuit. Sed exigentibus peccatis, longè positis à nobis principibus nostris, nobili illo antiquitatis insigni, senatum loquor, ex inerti quorundam desidia neglectui dato, dormitante prudentia, vires quoque minui necesse fuit. Assurrexi tuæ, ac diuæ reipublicæ profuturus gloriæ, ad sacrum sanctum vrbis senatum, equestremque ordinem instaurandum, quatenus huius consiliis, illius armis, Romano Imperio, tuæque personæ, antiqua redeat magnificentia. Nunquid hoc placere non debebit tuæ nobilitati? Nonne etiam remunerabile iudicabitur tam insigne facinus, tamque tuæ competens auctoritati? Audi ergo princeps, patienter & clementer pauca de tua, ac de mea iustitia, prius tamen de tua quàm de mea.

Etenim

Ab Ioue Principium.

Hospes eras, ciuem feci, aduena fuisti ex Transalpinis partibus, principem constitui. Quod meum iure fuit, tibi dedi. Debes itaque primò ad obseruandas meas bonas consuetudines, legesque antiquas mihi ab antecessoribus tuis, imperatoribus idoneis instrumentis firmatas, ne barbarorum violentur rabie, securitatem præbere: officialibus meis, à quibus tibi in Capitolio adclamandum erit, vsque ad quinque millia librarum expensam dare, iniuriam à Republica etiam vsque ad effusionem sanguinis propellere, & hæc omnia priuilegiis munire, sacramentique interpositione propria manu confirmare.

Ad hæc Rex tam superbo quàm inusitato orationis tenore iusta indignatione inflammatus, cursum verborum illorum de suæ Reipublicę ac Imperii iustitia, more Italico longa continuatione, periodorumque circuitibus sermonem producturum interrupit, & cum corporis modestia, orisque venustate regalem seruans animum, ex improuiso non improuisè respondit:

Multa de Romanorum sapientia seu fortitudine hactenus audiuimus, magis tamen de sapientia. Quare satis mirari non possumus, quòd verba vestra plus arrogantiæ tumore insipida, quàm sale sapientiæ condita sentimus. Antiquam tuæ proponis vrbis nobilitatem, diuæ tuæ reipublicæ veterem statum ad sydera sustollis. Agnosco, agnosco, vt & tui scriptoris verbis vtar: fuit, fuit quondam in hac Republica virtus. Quondam dico, atque ô vtinam tam veraciter, quàm libenter nunc dicere possemus. Sensit Roma tua, imò & nostra vicissitudines rerum. Sola euadere non potuit æterna lege ab auctore omnium sancitam cunctis sub Lunari globo degentibus sortem. Quid dicam?

Clarum, est, qualiter primò nobilitatis tuæ robur ab hac nostra vrbe translatum sit ad Orientis vrbem regiam, & per annorum curricula, vbera deliciarum tuarum Græculus esuriens suxerit. Superuenit Francus, verè nomine & re nobilis, eamque quæ adhuc in te residua fuit, ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoscere antiquam tuæ Romæ gloriam, senatoriæ dignitatis grauitatem, tabernaculorum dispositionem, equestris ordinis virtutem & disciplinam, ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Nostram intuere Rempublicam. Penes nos cuncta hæc sunt. Ad nos simul omnia hæc cum Imperio dimanârunt. Non cessit nobis nudum imperium: virtute sua amictum venit, ornamenta sua secum traxit. Penes nos sunt consules tui, penes nos est Senatus tuus: penes nos est miles tuus. Proceres Francorum ipsi te consilio regere, equites Francorum ipsi tuam ferro iniuriam propellere debebunt. Gloriaris me per te vocatum esse, me per te primò ciuem post principem factum, quod tuum erat à te suscepisse. Quæ dicti nouitas quàm ratione absona, quàm veritate vacua sit, æstimationi tuæ, prudentumque relinquatur arbitrio. Reuoluamus modernorum Imperatorum gesta, si non diui nostri principes, Carolus & Otto nullius beneficio traditam, sed virtute expugnatam Græcis seu Longobardis vrbem cum Italia eripuerint, Francorumque apposuerint terminis. Docet hæc Desiderius & Berengarius tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus tanquam principibus innitebaris. Eos à Francis nostris, non solùm subactos & captos fuisse, sed etiam in seruitute ipsorum consenuisse, vitam finisse vera relatione didicimus. Cineres ipsorum apud nos reconditi euidentissimum huius rei repræsentant indicium. Sed dicis, Vocatione mea venisti. Fateor, vocatus fui, redde causam quare vocatus fuerim. Ab hostibus pulsabaris, nec propria manu, Græcorumue mollitie liberari poteras, Francorum virtus inuitatione adscita est. Implorationem potius quàm vocationem hanc dixerim. Implorasti misera felicem, debilis fortem, inualida validum, anxia securum. Eo tenore vocatus, si vocatio dicenda est, veni. Principem tuum militem meum feci, teque deinceps vsque in præsentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus possessor sum. Eripiat quis, si potest, clauam de manu Herculis. Siculus in quo confidis, fortè hæc faciet? Ad priora respiciat exempla, nondum fracta est Francorum siue Teutonicorum manus inualida. Deo largiente, vitaque comite, & ipse temeritatis suæ, quandoque capere poterit experimenta. Iustitiam tuam quam tibi debeam, exquiris. Taceo quòd principem populo, non populum principi leges præscribere oporteat. Prætermitto, quòd quilibet possessor possessionem suam ingressurus nullum conditionis præiudicium pati debeat. Ratione contendamus. Proponis, vt mihi videtur, trium Sacramentorum exactionem. De singulis respondeo. Dicis me debere iurare, vt leges antecessorum meorum Imperatorum, eorum priuilegiis tibi firmatas, & bonas con-

suetudines tuas obseruem. Apponis etiam, quòd patriæ vsque ad periculum capitis, tuitionem iurem. Ad ista duo simul respondeo. Ea quæ postulas aut iusta sunt, aut iniusta. Si iniusta sunt, nec tuum erit postulare, nec meum concedere. Si iusta, recognosco me hæc & debendo velle & volendo debere. Quare superfluum erit voluntario debito, & debitæ voluntati sacramentum apponere. Quomodo enim tibi tuam iustitiam infringerem, qui quibuslibet infimis etiam quod suum est, seruare cupio? Quomodo patriam & præcipuè imperii mei sedem, vsque ad periculum capitis non defenderem, qui & ipsius terminos non sine eiusdem periculi æstimatione, quantum est in me, restaurare cogitauerim? Experta est hoc Dania nuper subacta, Romanoque reddita orbi, & forte plures prouinciæ, pluraque sensissent regna, si præsens negotium non improbari à mea debere persona. Proh nefas. A tuo Roma exigis principe, quod quilibet lixa potius petere deberet ab institore. A captiuis hæc penes nos exiguntur. Num in captiuitate detineor? Num vinculis hostium vrgeor? Nonne multo & forti stipatus milite inclytus sedeo? Cogetur princeps Romanus contra suam voluntatem cuiuslibet præbitor esse, non largitor? Regaliter & magnificè hactenus mea cui libuit, & quantum decuit, & præcipuè benè de me meritis dare consueui. Sicut enim à minoribus debitum ritè expetitur obsequium: sic à maioribus meritum iustè rependitur beneficium: hunc quem alibi à diuis parentibus meis acceptum seruaui morem, ciuibus cur negarem? Vrbemque meo introitu lætam non facerem? Sed meritò non iusta iniustè petenti, cuncta iustè negantur.

Hæc dicens, & non sine condigna mentis indignatione orationem terminans, conticuit. Porrò quibusdam ex circumstantibus inquirentibus ab his qui missi fuerant, an plura dicere vellent, paulisper deliberantes in dolo responderunt, se priùs ea quæ audierant, conciuibus suis referre, & tunc demum ex consilio ad principem redire velle, Sic accepto commeatu, à curia egredientes, ad vrbem cum festinatione reuertuntur. Cætera vide apud authorem. Imperatore 98. Frid. 1. Papa 176. Alex. 3.

Idem libro 2. Superiore libro promisisse me recolo de rerum mutatione ac miseriis scripturum, quam quidem historiam vsque ad defectum primæ sequentis initium, quam Romam dico, Babyloniæ, Deo opitulante vt cunque compleui. Has enim Germanas esse ciuitates, non solùm ex historiographorum dictis, qui huius illi regnum quasi patri filium, mediis ac breuibus Medorum, seu Persarum ac Macedonum regnis, tanquam paruuli filii tutoribus non iure hæreditatis, sed successione temporis interuenientibus, successisse tradiderunt: sed & ex principis Apostolorum epistola, qui à Roma scribens, eam Babyloniam vocat: Salutat vos (inquiens) ecclesia, quæ est Babylone, coniici potest. Denique dum præteritorum temporum calamitatum reminiscimur instantis quodammodo pressuræ quoquo modo obliuiscimur.

Idem libro 4. capite 28. Cæterùm Atila ab Italia digrediens, Honoriam Valentiniani principis sororem sibi dari cùm rogasset, nec impetrasset, in terram suam cum indignatione reuersus, puellam sibi speciosissimam copulauit. Ob cuius amorem, dum luxuriosa celebrat conuiuia, inebriatur, nocteque proxima iuxta puellam resupinus iacens, sanguine proprio effluente de naribus suffocatur, maneque facto à suis mortuus inuenitur. Iusto Dei iudicio id factum arbitror, vt qui semper humanum sanguinem sitiuerat, proprio quoque sanguine suffocatus interiret. Eadem nocte Martiano in somnis apparuit arcus Atilæ fractus. Hic est Atila, qui (vt quidam ait) in concussionem gentium natus in mundo terrarum omnium metus, superbus incessu, oculos circumferens, bellorum amator, manu ipse temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius semel in fide receptis, forma breuis, lato pectore, capite grandiore, minutis oculis, rarus barba, canis aspersus, simus naso, teter colore fuit. In exercitu eius fuisse quingenta millia fordanis scribit. Hic etiam dum vbique terrarum discurreret, XIM virginum collegium apud Coloniam Agrippinam martyrio coronauit.

Idem. Ex his ergo liquet, nullam caducis rebus fidem habendam, nec in se labentē alium quemlibet sibi inniti volentem, sustentare posse. Vnde apertè Propheta ait: Maledictus qui spem suam ponit in homine, & qui ponit carnem brachium suum. Quomodo enim te sustentabit, qui stare non potest? Vel qualiter te confirmabit, qui in se infirmus est? Cùm ergo mundus transeat, & concupiscentia eius, ab ipsa migrandum ad Deum viuum, qui immobilis & in commutabilis manet, ad eiusque beatam & æternam ciuitatem, quis dubitauerit?

Idem libro 6. capite 34. & 35. Anno Domini 1057. Henricus quartus penè puer patri in regno successit. Hic excommunicatus per Papam Gregorium 7. si rectè videat ipse. Lego & relego Romanorum regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum: nisi quis pro anathemate accipiat, quòd Philippus ad breue tempus à Romano episcopo inter pænitentes collocatus, & Theodosius à beato Ambrosio propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sequestratus est.

Idem. Anno ab incarnatione domini M.C.LX. Fridericus Imperator conuocatis omnibus Italicis Baronibus generalem Curiam apud Roncaliam, cum maximo Principum conuentu celebrauit: ibique renouatis antiquis legibus nouas de suo promulgauit, ac diuersis Imperii negotiis expeditis, iura desueta in consuetudinem reduxit & quo iuris genere ciuitates Italiæ subiacerent imperio, iudicialiter exquisiuit.

Quod à Principibus & legum dominis diligenter examinatum, generali omnium sententia iudicatur: omnia regalia ciuitatum, vtpote monetas, telonia, nauigia, nec non & dignitates potestatum, consulum, iudicium ad ius spectare imperij, electasque a ciuibus ad has dignitates personas, de manu Imperatoris iure beneficij easdem suscipere, nec sine eius consultu suspectas deponere. In hac etiam Curia, iam per multa tempora obliuioni & neglectui datos ad XX. millia talentorum annuos reditus imperio acquisiuit. Præterea vectigalia antiquitus constituta, nec non exactiones pro imperij necessitate exigendæ in rationem Cæsaris, vbi, quando, & à quibus & quomodo tractentur, decretum est, & edicto confirmatum.

Idem lib. 2. cap. 2. testatur, Romulum & Remum non Martis sed Sacerdotis filios fuisse, nec à Lupa contra naturam, sed à meretrice, quam ob vitæ turpitudinem, Lupam (quarum Romæ plena sunt omnia, & vnde tot ibi lupanaria nomen habent) vocamus, enutritos, certum esse. Quæ omnia mysterio non carent.

Idem. Circa annum incarnationis Dominicæ DCCCCX. Albertus nobilissimus Francorum comes, Ottonis Saxonum Ducis ex filiâ nepos, Conradum, qui à quibusdam Ludouici Regis frater fuisse creditur, occidit. Ob ea Rex prædictum Heroëm in castro Babenberg, vbi nunc nobilis episcopatus fundatus cernitur, bello petijt. Cumque viribus se proficere posse non videret, Hattonis Moguntini Archiepiscopi consilio, ad dolum se contulit. Itaque (vt non solùm in Regum gestis inuenitur, sed etiam in vulgari traditione, in compitis, & curijs auditur) præfatus Hatto Albertum in castro suo Babenberg adijt, eumque pietatis diuinæ obtentu, de gratiâ Regis adipiscendâ conuenit. Ille deuotè monitis eius obtemperans, humiliter conductum de personæ propriæ incolumitate petijt. Ac ne multis morer, interpositâ sacerdotis præfati fide, iter carpunt: vix castro exierant, iam proximi vico, qui Teurstat dicitur, appropinquabant, & Episcopus graue (inquit) erit nobis ieiunium sustinere: si placet antequàm Regi præsentemur, ad prandium diuertamus. Tum ille simplices aures, more antiquorum primorum habens, dolumque minimè persentiens, gratanter eum ad prandendum in castro, vnde digressi fuerant, reduxit. At postquã refecti sunt, ad curiam veniunt: in causa princeps ponitur, ac tanquam reus Maiestatis capite plectendus adiudicatur. Monet ille Episcopum de fide datâ: quam econtrà ille se benè in hoc, quòd sanum, & incolumem eum in castrum reduxerat, seruasse respondit. Sic præfatus Albertus capite plectitur, possessionesq; eius, è quibus postmodùm Babenbergensis Ecclesia locupletata dicitur, in fiscum redactæ sunt. Ex huius Alberti sanguine Albertus, qui postmodum Marchiam orientalem, id est Pannoniam superiorem Vngaris ereptam, Romano Imperio adiecit, originem duxisse traditur. Iudicent de hoc sacerdotis facto alij qui velint, & tanquam pro regni vtilitate commissum tueantur: ego omninò nullius emolumenti gratiâ non solùm quemlibet Christianum fraude circũvenire, sed etiam in corde, & corde in causâ capitali loqui non debuisse arbitror Episcopum.

Idem. Athenienses cùm Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentque vt vrbe relicta, coniugibus & liberis Trœzene depositis, naues conscenderent, libertatemque Græciæ classe defenderent, Cyrsilum quendam suadentem, vt in vrbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt. Quorum virtutem rursum in extremo discrimine positorum, idem commendans Themistocles, post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, se habere consilium reipublicæ salutare, sed id sciri non opus esse: postulauit, vt aliquem populus daret, quî cum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille: classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum, clàm incendi posse, quo facto frangi Lacedæmoniorum vires necesse esse. Quod Aristides cùm audiuisset, in concionem magna expectatione venit, dixitque perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minimè honestum. Itaque Athenienses quod honestum non esset, id ne vtile quidem putauerunt, totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiauerunt. Rarum exemplum.

Idem. Augustinus, & Varro referunt, quasdam aues ex Græcia venientes, tanquam ciues se inuicem cognoscere, alienas diris à se morsibus repellere. Quod vt probabilius idem Varro faciat, de famosissima Circe, quæ socios Vlysis mutauit in bestias: & de Arcadibus qui transnatando stagnum, in lupos conuertebantur, & quasi humana non vescerentur carne, quoad post octo annos transmisso amne, rursum reuerterentur ad humanam formam, commemorat. Exprimit etiam nomine, quẽdam Demenutum de sacrificio Arcadum gustasse, & in lupum mutatum, decimo tandem anno in propriam figuram, reuersum fuisse. Vnde & dicit deum eorum Lycæum dictum, Græci enim lupum λύκον dicunt. Romanorum quoque lupercos ab eis originem duxisse narrat. Quæ omnia vtrum Deorum suorum amore fingant, an ita ludificatione dæmonum, ac quibusdam abditis naturæ seminibus fieri possint, dicere non est præsentis operis. Augustinus tamen suis temporibus Præstantium quendam nomine, de patre suo retulisse dicit, quòd venenum in caseo sumserit, vnde in lecto quasi dormiens multis diebus iacuerit. Euigilans autem caballum se factum, ac annonam se portasse retulerit. Narrat etiam idem pater, cùm in Italia esset, se de quibusdam mulieribus audisse, quæ in caseo dare solerent viatoribus diabolica machinamenta, vnde in iumenta verti viderentur: qui dum peractis operibus ad se redirent, mentem se rationabilem habuisse testarentur. De Macario quoque eremita scriptum inuenitur, quòd puella ad eum, quam amici in equam à maleficis mutatam dixerunt, ducta fuerit: quam ille intuens, puellam dixit se videre, non equam. Itaq; amicis equa visa fuit, sed homini dei puella apparuit. Vnde ad Deum fusis precibus, tam puellam, quàm amicos eius à præstigijs dæmonum liberauit. Ex his ergo ac similibus apparet, dæmo-

nes quidem hominum naturam mutare non posse, sed occupatis illis corporis partibus, per quas ratio operari solet, mentem hominum obfuscare, ternentiumque oculos, vt hæc putent, occultis machinamentis ac abditis naturæ seminibus fascinare. Vnde ad Galatas Paulus dicit: ô insensati Galatæ quis vos fascinauit? Dæmones quippe multa tam ex subtilitate naturæ, quàm ex antiquitate temporis, & experientia rerum permissu Dei scire ac posse dicuntur: vnde non solùm mundi ciues decipiant: sed & ciuibus Christi si ab ipso non prohiberentur, noceant. Ex quo liquidò probari potest, quòd Balaam, qui vtique gentilis & ariolus fuit, tantam ex præstigijs dæmonum efficaciam habuit, quòd etiam populo Dei, si ab ipso prohibitus non fuisset, maledicere potuisset. Non enim, vt quidam putant, propter hoc quod de ipso dicitur, Loquor Domino, Dominum & Deum verum colebat: sed cùm dæmoni, quem ipse dominum vocabat, se loqui putaret, Dominus, vt hoc quod ipse malitiosè proposuerat impediret, sapienter se interposuit, vt non iuxta voluntatem suam populo suo nociua, sed iuxta nutum Domini profutura diceret. Cui sensui & hoc fidem facit, quòd crebris eum sacrificijs & hostijs à proposito inclinare tentabat: quod de incommutabili diuinæ maistatis essentia credere vel præsumere absurdum esset.

Idem. Cyrus post tot triumphos in superbiam elatus, Scythiam, cui tunc Tomyris regina præsidebat, cum exercitu ducentorum millium petit. Cumque Araxim fluuium transisset, castra posuit, vbi callidè euocatis Scythis, tertiam partem exercitus reginæ cum filio eius interfecit. Ob quam rem Cyrum in insidias astutè vocatum, mulier cum toto deleuit exercitu adeò, vt nec tantæ cladis remansisse feratur nuncius. Capite quoque eius in vtrem humano sanguine plenum misso, sexus sui immemor dixisse fertur: Satia te sanguine, quem sitisti. Res miranda, nec fatali euentui, sed Dei occultis iudicijs tribuenda. Quis hæc audiens non stupeat: cuius vel saxeum pectus factum tam miserabile ad amorem Dei, contemtumque mundi non emolliat? Ecce enim vir totius Orientis, ac ipsius triumphator Babyloniæ, quem propter eximiam virtutem Esaias longè antè Christum vocauerat, cui iuxta eundem prophetam Dominus gentes subiecerat, dorsa regum verterat, portas æreas, ac vectes ferreos confregerat: hic, inquam non solùm terris, sed & aquis formidabilis ab infima fragilisq; conditionis muliere decipitur, ac cum tam infiniti exercitus multitudine funditur & deletur. Quid ad hæc dicemus qui mundo inhærere volumus, ne dicam cernere, palpare etiam quàm misera sit mortalium conditio, possumus, & ipsis tamen caducis ac transitorijs, tanquam robustis ac permanentibus adhæremus? Nec duritiei id, sed bonitati ac misericordiæ omnipotentis Dei ascribendum dixerim, qui, vt ad amorem sui, permanentemque in cœlo ciuitatis mansionem nos vocaret, hanc inesse miseriam rebus mortalium voluit. Hic est Cyrus, qui dum à Iudæis allatum Esaiæ vidisset (hoc quod posuimus) testimonium, captiuitatem ex parte (vt Hieronymus ait) relaxauit, finitis à prima captiuitate Iudæ sub Iechonia (iuxta supputationem præfati Hieronymi in prophetiam Ezechielis) 40. annis, qui à desolatione templi tricesimus erat.

Idem. Pythagoras ex malleorum ictibus diuersè concrepantibus, Musicæ septem discrimina vocum inuenit: Socrates discipulos habuit Platonem & Aristotelem quorum alter de potentia, sapientia, bonitate creatoris, ac genitura mundi, creationeque hominis, tam luculenter, tam sapienter, tam vicinè veritati, disputat, vt ob hoc à quibusdam ex nostris Hieremiam in Ægypto audisse & ab eo de fide nostra imbutus fuisse credatur: alter verò Dialecticæ libros artis vel primus edidisse, vel in melius correxisse, acutissimeque ac disertissimè inde disputasse inuenitur. Sed Platonem (qui præfati Aristotelis non solùm apud Socratem condiscipulus, sed & post mortem Socratis, præceptor fuit) longè post Hieremiam fuisse ex hoc, quòd circa tempus captiuitatis σόφοι, id est sapientes, qui philosophos præcessêre, fuerunt, innuitur, vnde non inconuenienter arbitrati sunt, qui eum cum cæteris philosophis, naturali ingenio per visibilia mūdi inuisibilia comprehendisse dixerunt.

Omnia enim quæ de diuina natura, humana ratione inuestigari possunt, inuenerunt: exceptis his in quibus summa salus consistit, quæ per gratiam Iesu Christi à mansuetis corde cognoscuntur. Vnde Augustinus: In principio erat verbum, & omnia quæ in profundissimo sermone Euāgelista prosequitur, vsque ad illum locum, vbi de mysterio incarnationis agere incipit, in Platone se inuenisse dicit. De Platone & de eius de Diuinitate notitia dictum est suprà Anno 432.

Idem Lotharius Ducem Polonorum in conspectum suum non admisit, priusquàm 12. annorum tributum, hoc est 500. libras ad singulos annos persoluisset, & subiectionem perpetuam Sacramento promisisset: Regemque Daciæ in signum subiectionis ad decorem Imperialis reuerentiæ gladium sibi sub corona deferre: & Belgicam prouinciam imperio subesse fecit. lib. 6.

Idem c. 3. lib. 8. Sed quærendum est, quare Dominus ciuitatem suam tam immaniter tribulari permittat, cur eius hosti tantam malefaciendi efficaciam tribuat? At non est mirum, si Dominus Ecclesiam suam de nihilo suscitatam, & ad summum fastigium in terrâ exaltatam, ante vltimæ tribulationis brauium, ne longo dissoluta ocio in amore sui conditoris torpeat, excitatam grauissima prius exerceat palæstra.

Idem. Sicuti Pharao insequendo populum Dei ad mare rubrum (quæ 11. persecutio fuit) cum exercitu suo funditus est deletus: sic ciuitas mundi, quæ modò multis modis diuinâ vltione percussa est, & percutitur, cum capite suo Antichristo vndecimam, id est, nouissimam, ac omnium periculosissimam persecutionem mouebit: ibique percusso Antichristo funditus delebitur. Ciuitas autem Christi exaltata exaltabitur, ac in æternum cum ipso regnatura feliciter consummabitur.

Idem. Dominus humiliandam ad tempus exaltauit Romam.

Idem

Idem. Et sic toto orbe Romanis subiecto & descripto, tertiò sub Augusto Ianus clauditur, ac per 12. annos clausus mansit. Ipse verò Augustus, quamuis iam totius orbis esset dominus, nunquam tamen seriò, vel ioco dominum passus est se vocari. Vbi profectò superbiæ nostræ obuiatur, qui hoc summopere Christi sacerdotes exposcimus, quod rationis intuitu etiam gentes declinârunt.

Idem, Romanorum regnum Babylonico simile esse: libro 6. capite 22. de creatione Othonis Regis, & translatione Imperii ad Teutonicos, vel ad orientales Francos, scribit. Ex hinc Regnum Romanorum, quod post Francos, & Longobardos ad Teutonicos, vel (vt aliis videtur) rursum ad Francos, vnde quodammodo elapsum fuerat, translatum est. Cui scilicet opinioni accommodatum videtur, quòd Regnum Romanorum, iuxta maiores nostros, Babyloniorum Imperio similem ortum, & progressum habere dicitur. Sicut ergò illud duabus famosis mutationibus, Medorum scilicet & Persarum succubuisse constat: sic & istud item duabus tantùm, Græcorum & Francorum, subiacere debere volunt.

Idem. Ex hinc Romana Ecclesia Occidentalia regna, tanquam sui iuris à Constantino sibi tradita affirmat, in argumentumque tributum (exceptis duorum Francorum regnis) vsque hodie exigere non dubitat.

Idem. Ex quo apparet, Romanos quidem creuisse in diuitiis, & potentiâ, sed decreuisse, ex quo auaritiam sequi cœperunt, in veritate & iustitia.

Idem. Discant ergò Principes orbis in summo positi, omnium summum creatorem suum præ mente habendo, moderantiam seruare: & iuxta Ciceronem, quantò maiores sunt, tantò se gerant summissius. Optimè enim à Physicis fallaciam complexionum considerantibus, dictum cognoscitur: Melius ad summum est, quàm in summo.

Ex tertia parte Opusculi Tripartiti, in secundo Conciliorum tomo impressi c. 1. 1126.

CIrca hoc sciendum est, vulgare esse, quod malæ mulieres dicunt, quòd plus lucrantur in vno festo de peccato suo, quàm per totam septimanam, vel quindenam ferialem. Similiter constat de multis aliis peccatis, quòd plura fiant innumerabiliter in festis, quàm in aliis diebus. Et ideo videtur, quòd acceptum esset Deo, quòd pauciora festa essent in Ecclesia Dei, cùm in ipsis Deus plus offendatur: vel saltem quòd liceret operariis, post auditum diuinum officium, in aliquibus festis minoribus ire ad opera sua, præcipuè cum plurimi non habeant, vnde se & suos sustentent nisi de labore suo: & illi qui iam abundant & habent, plus expendant in tabernis diebus festis, quàm aliis ferialibus. Propter quod tanta festorum multitudo plurimùm cedit in populi grauamen.

Iterum. In quibusdam Ecclesiis cathedralibus est consuetudo, quòd quando Canonici aliqui non reddunt clericis, quod debent, clerici faciunt eos cessare à diuinis. Vnde & sæpe cessatur in istis Ecclesiis; imò quandoque ex causa modica & occasione. Videtur autem, quòd multò melius esset, vt aliæ pænæ contra huiusmodi canonicos constituerentur, ne cultus diuinus in huiusmodi Ecclesiis annihilaretur.

Iterum: Etiam in quibusdam diocæsibus est consuetudo, quòd non cantatur per artem quæ potest addisci ferè per annum: sed per vsum, qui vix potest sciri per 6. annos. Et ideò sunt multi clerici in huiusmodi locis valdè illiterati: quia tempus, quod deberent expendere in literis addiscendis, oportet eos expendere in huiusmodi vsu addiscendo. Et ideo multò melius videretur, quòd vbique cantaretur per artem.

Iterum: in multis Ecclesiis cathedralibus est consuetudo, vt quò totam Bibliam legant per annum, faciunt lectiones adeò prolixas in matutinis, quòd ferè nullus audit totas matutinas: & si qui remanent ibi, dormiunt frequenter. Et ideò videretur melius, quòd in istis Ecclesiis omnes lectiones tam de tempore, quàm etiam de festis fierent ita temperatæ, quòd fragilitas humana posset audire eas vsque ad finem.

Item in multis Ecclesiis cathedralibus ita pauci clerici veniunt ad horas canonicas, quòd quandoque vix sunt in choro plures quàm quatuor aut sex, cùm tamen sit magna multitudo clericorum in istis Ecclesiis, & de nullo alio seruiat, nisi de officiando Ecclesiam. Porrò remedia contra hæc omnia possunt haberi per statuta, in quibus dicatur breuibus, & decentibus, quòd in festis hactenus consuetis liceat operari post auditum officium, præterquàm in talibus. Et quòd de cætero non cogantur homines ad alia festa noua.

Et paulò pòst ex capite secundo. Quia nemo inferior audet ponere os in Ecclesiam Romanam, tantò magis deceret, vt ipse dominus Papa, & domini Cardinales attenderent diligenter corrigenda in Ecclesia Romana, & inciperent ab illis, vt correctio aliorum, quæ ad eos summè pertinet, maiorem haberet efficaciam. Ecce enim quantum damnum, & quantum scandalum emanauit per totum mundum, vt de aliis taceatur, in tantis vacationibus Papatus, quæ contigerunt in diebus nostris.

C. 3. Totus ferè mundus obloquitur, & scandalizatur de tanta multitudine religiosorũ pauperũ, qui introierunt in mundum: qui non iam religiosi, sed trutannii vocantur à multis, quod cedit in maximam uilipensionem religionis sacræ. Et licet istorum status bonus posset dici, & adhuc possent in huiusmodi statibus bonis multi boni inueniri, tamen non videtur expediens, istos pauperes multiplicari, nisi tantum, quantum potest mundus commodè portare, & quòd honor religionis seruetur: sicut non fiunt Episcopatus vel parochiæ, vel canonici in eadem Ecclesia, nisi quantum rationabile videtur.

Iterum, sunt quædam mulieres religiosæ pauperes, quæ occasione quærendi necessaria discurrunt per villas & castra: quod est valdè indecens, & etiam periculosum in mulieribus. Et paulò pòst ex

C. 4. Cùm innumerabilia mala sequantur ex malis prælatis, videtur quòd in eorũ promotione deberet apponi maxima cura, per intelligentem inquisitionem de persona, à personis, quæ non consueuerunt mentiri. Iterum, tanta difficultas est in depositione prælatorum secundum iura propter multitudinem testium, quæ ad hoc requiritur, quòd nullus, quantumcunq; sceleratus, depositionem timet. Et ideo Ecclesiæ innumerabiles sub vno prælato pestifero stante multis annis, destruuntur & temporaliter & spiritualiter. Et ideò bonum videretur, quòd ordinaretur per aliquod ius, quòd prælati mali facilius possent remoueri. Et sequeretur ex hoc fructus duplex: scilicet Liberatio Ecclesiarum, quæ sub ipsis pereunt: & incussio timoris in aliis malis prælatis. Nec videtur, quòd in diebus istis sit eadem ratio prædictæ difficultatis seruanda, quæ fuit olim: quia tunc ferè omnes prælati erant boni: & qui contra eos mouebantur, malè mouebantur. Nunc autem ferè nullus mouetur ad accusandum prælatũ, nisi boni qui habent zelum Dei accendentem eos contra malos prælatos.

Iterum, tanta est omissio in prælatis circa correctiones, quòd rarò sit aliquis qui corrigat, etiam de illis qui boni esse reputantur. Et cùm ex hoc proueniant mala innumerabilia, esset circa hoc magnum consilium apponendum.

Iterum, tanta vanitas & lasciuia apparet in familia prælatorum multorum, in vestibus, paritis, & virgatis, & capellis de floribus, & corrigiis deauratis, & similibus multis, quòd non est Rex neque Princeps secularis, in cuius familia maior vanitas inueniatur: & benè deceret, quòd in familia successorum Apostolorum maior disciplina appareret in habitu & ornatu: sicut iura ordinauerunt de habitu clericorum, quòd sit honestior, & magis disciplinatus quàm laicorum.

C. 5. In curiis multorum prælatorum tanta fit extorsio pro sigillo, quod vltra omnes expensas, quas requirit sigillatio, habent prælati multi de lucro sigilli modò mille libras, modò duo millia, & similia: quod non videtur posse fieri sine magno animæ periculo, cùm ordinarii, qui sunt competenter stipendiati, gratis ea quæ sunt iustitiæ, debeant exhibere.

Iterum, multi vsurarii ad hoc inducunt debitores, quòd faciant sibi literas dari, & recognoscere eos cum iuramento, quòd tantum sibi debent de sorte, quod falsum est, quò faciant sibi vsuram in sortem computari. Et officiales multi, licet sciant istam fraudem, sigillant tales literas, propter lucrum sigilli. Et expediret multum, contra fraudes istas, quæ multùm sunt multiplicatę, remedia inueniri.

C. 6. Iterum, diuites parochiæ dantur vtfrequenter talibus personis, quæ nunquam resident ibi: & rarò inuenitur Episcopus, qui circa residentiam huiusmodi nimis facilè & cum multis non dispenset, in damnum maximum animarum, & destructionem Ecclesiarum.

Iterũ, quando ponuntur vicarii à personis curatis in suis parochiis, non habetur vtfrequenter respectus ad bonitatem & sufficientiam personæ sed ad illum, qui pro minori salario habetur. Et fiunt innumerabilia mala in extorsionibus, & aliis per huiusmodi vicarios.

Iterum, parochiæ frequenter non dantur secundum Deum, sed per preces & familiaritates, personis omninò indignis, & quæ nihil valent ad regimen animarum. Et quod peius est, tanta est hodie remissio in multis prælatis, quòd sacerdotes parochiales, qui in immunditiis, & aliis criminibus notoriis sunt exempla & via perditionis suis subditis, non corrigunt: etsi interdum fortassis puniunt in pecunia, in sceleribus suis dimittendo eos. Iterum, tanta est ignorantia in sacerdotibus innumerabilibus, quòd in soluendo & in ligando, & in huiusmodi indiscretè multos ad infernum mittant: & ideò expediret, &c.

C. 7. Tanta immunditia luxuriæ notoria est in multis partibus mundi, non solùm in clericis, sed etiam in sacerdotibus, imò (quod horribile est audire) in prælatis maioribus.

Iterum, tam malè expendunt illi bona Ecclesiæ modò in vanitatibus, modò in superfluitatibus, modò in ditandis & sublimandis consanguineis, modò in suis luxuriis & peccatis. Iterum, sunt tot & tanti, qui nihil boni faciunt in Ecclesia, nisi quòd bonis Ecclesiæ ducunt dies in deliciis: quòd valdè timendum est, ne Deus propter huiusmodi & alia scelera nimis grandia & multa, & quę diu durauerunt, confundat, vel confundi permittat statum Ecclesiasticum, nisi aliqua correctio subsequatur: sicut factũ est de Iudæis à Deo primùm exaltatis & pòst destructis in perpetuũ, & confusis.

C. 10. Item, concilia antiqua, & etiã posteriora, vix inueniuntur, & est mirabile, quomodo hoc ita neglexit Ecclesia Romana: & quomodo non ordinauit, quòd in Ecclesiis cathedralibus, vel etiam Metropolitanis saltem semper haberentur. Multa enim sunt in eis valdè vtilia, quæ non sunt redacta in ius, sicut patet in Lateranensi concilio, in quo data est forma indulgentiæ, quæ datur sumentibus crucem: & mandatur prælatis, quòd non habeant nisi tria fercula: & alia multa bona, quæ non sunt scripta in iure.

Item cùm tota Ecclesia regatur hodie per iura canonica, & non excusentur illa nescientes, in multis casibus: valdè bonum esset, quòd fieret, &c.

C. 12. Quia plurimi prælati (proh dolor) sunt tepidi circa ea, quæ Dei sunt, imò etiam contrarii ferè omni bono, non videtur modo aliquo expedire.

Item dicitur, quòd ciconiæ congregatæ, quando instinctu quodam naturæ sentiunt, quòd aliqua de illis, relicto compare suo, commixta est alii, omnes insurgunt in eam, & cum rostris deplumant eam, & in eam deseuiunt: quid ergò debent facere prælati boni congregati de illo socio suo, cuius luxuriæ turpitudo innumerabiles inficit, & fœtet in tota sancta congregatione?

Item 2. Esdræ 9. capitulo legitur, quòd Esdras purgando Israël à mulieribus alienigenis, incepit à sacerdotibus, propter quod videtur, quòd purgatio istorum omnes alias debeat præcedere, etiam iuxta illud Ezechielis, à Sanctuario meo incipite, &c.

Item, dicitur, quòd tempore Regis Philippi, totum regnum Franciæ fuit suppositum deuotioni, quia tenebat quandam mulierem pro vxore, quæ non poterat iustè esse eius vxor. Quid ergò est faciendum de prælato, qui non solùm mulieribus maritatis abutitur, sed & monialibus & abbatissis euidenter? Item, temporibus modernis duo Imperatores depositi sunt in conciliis, propter temporalia damna, quæ Ecclesiæ inferebant. Rex etiam Portugaliæ remotus est per Ecclesiam, ab administratione proprii patrimonii, quia ad regimen ineptus videbatur. Quomodo ergò Ecclesia potest dissimulare, quin prælatus, qui etiam innumerabilia mala infert Ecclesiæ, & ineptus est penitus ad regimen animarum, solenniter deponatur? Imp. Frid. 1. PP. Alex. 3.

Simeon Dunelmensis l. 2. Chronicorum. 1164.

ANno Domini 1099. Vrbanus Papa in concilio Romæ, hanc inter cæteras sententiam valdè execrabilem habebat, contra principes illos, qui prælatorum inuestituras darent: Nimis execrabile videtur vt manus, quæ Deum cuncta creantē (horrenda blasphemia) suo signaculo creent, in hanc ignominiam detrudantur, vt ancillæ fiant earum manuum, quæ die ac nocte obscœnis contactibus inquinantur. &c. Imp. & PP. V. S.

Gualo Brittannus. 1165.

HIc in quosdam monasticę professionis sacrificos scripsit inuectiuas, in quibus reprehendit eorum petulantias, pompas, fraudes, philargyrias, & imposturas: ac in libro quem in Monachos auaros scripsit, à principio statim eos sacrilegos Monachos, Ecclesiarum emtores &c. vocat. Balæus cent. 3. c. 5. Imp. & PP. V. S.

Ealredus Rhiuallensis Monachus. 1166.

SCripsit librum de Prælatorum moribus, & abusionibus claustri. Item super onus Babylonis, & de institutione inclusarum. Imp. & PP. V. S.

Fridericus Barbarossa Imperator, ex Chronico Carinthiæ. 1170.



FRidericus Barbarossa Imp. in ducatu Carinthię ædificauit templum, cui nomen ad Ingingam. Vt verò de miraculo quodam vobis dicam: idem Barbarossa Magnus templum illud quibusdã statuis decorauit lapideis multifariis. Earum quædam (autore sine dubio docto quodam & futurorum, ac quòd aliquando Ecclesia reformanda foret, haud ignaro) repræsentauit Monachum cingulo præcinctũ, discooperto capite, vt Monachus consueuit esse: supra caput autem illius scriptum erat literis maiusculis sic: LVTERVS. Hoc tamen ex parte iniuria tempestatum & antiquitatis vix amplius agnosci potest, nisi oculis acutè intuearis & diligẽter lustres. Quid verò portendat, coniicere facile est cuilibet, dicit Theoph. Paracelsus in Chronicis Carinthiæ.

Petrus Comestor Cantor Pariens. 1170.

HIc scholasticæ historiæ autor, in quodam quadragesimæ sermone in clericos inuehitur, dicens. eos in studio scripturæ esse negligentes: bona Ecclesiæ, quæ pauperibus debebãtur, luxuriosissimè in exquisitas delicias, & nimiam crapulam, ac ingurgitationẽ consumere. Vocat eos falsos fratres, ac prolixè eorum luxu perditam vitam depingit, addens seuerissimam comminationem iræ diuinæ.

Ordo militum D. Iacobi de Spatha.

1170. IN Hiſpaniâ hic Ordo inſtitutus fuit ſub Regula D. Auguſtini, Pontifice Alexandro 3. qui eum aprobauit. A Rege illi vectigal 170. aureorum millium attributum. Volat. Polyd. Panuinius. Initium eius fuit anno 1170. vocatur & Compoſtellanus ordo. Eius ſummus Magiſter habet apud Regem primum locum ſummi Magiſtratus. Signantur purpureâ cruce, quæ ante pectus militaris Spathæ capulum exprimit. Militant præcipuè contra Mauros. Iovius in Conſaluo. Fuit huius Ordinis, ut etiam ſuperiorum militum, inſtitutio ſanctiſsima, & ſalutaris: utpote quâ nihil aliud ſpectatum fuit, quàm plantatio & propagatio Eccleſiæ, & Imperij Chriſti, ad Dei gloriam, & Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem. Vt autem nihil eſt in rebus humanis perpetuum; ſic etiam quidam ex his, ut & alijs ordinibus degenerârunt, & à maiorum inſtituto defecerunt. Ex opum enim abundantiâ, à pietate, integritate, & fortitudine in Epicuræam ſecuritatem, luxum, molliti emque prolapſi nihil aliud agunt, quàm ut Seb. Francus ſcribit:



Kleyder auß/ Kleyder an/
Eſſen Trincken vnd Schlaffen gan/
Iſt die arbeit/ ſo viel Orden han.
Imp. & PP. V. S.

Moguntinus Archiepiſcopus Bellator.

1170. HOc tempore, mirum dictu, Chriſtianus Archiepiſcopus Moguntinus pro Imp. bellum gerebat in Italia: Homo Theutonicus, natione Turingus, non minor facundiâ quàm rerum geſtarum gloriâ, Latina, Græca, Italica, & Brabantina lingua mixta vtebatur. Ferunt, quòd aſini & meretrices in exercitu eius, maioribus vterentur ſumtibus, quàm tota Imperatoris familia, quæ tum opulentiſsima videbatur. Crantzius & Meyerus. V. S.

Annales Michaëlis Glycæ Siculi,

in Byzantina hiſtoria lib. 4.

1172. PHocas Imperator cùm eo die, quo ludi equeſtres peragebantur, in edendo ac bibendo modum exceſsiſſet, à plebe per ignominiam verbis huiuſmodi notatus eſt: Rurſus è cauco bibiſti, rurſus mentem amiſiſti? Ob id conuitium complures morte multauit. Itaque cùm viderent proceres ac magiſtratus Reipublicæ, magnam hominum multitudinem multis affici malis, bona per publicationem adimi, capita præcidi: ad Aphricæ prætorem Heraclium literas mittunt, qui precibus eorum motus, continuò claſſem parat, & contra Phocam proficiſcitur, adferens ſecum illam imaginem Chriſti, quæ manibus facta non erat. Hoc modo Phoca ſuperato, Photinus quidam vnus ex magnatum numero, cuius vxoris pudicitiæ Phocas antea ſtruxerat inſidias, ſubitò in palatium irrupit, & Phocam Imperatorem pulla veſte indutum mox ad Heraclium deducit. Qui cum Phocam verbis hiſce compellaret, Itáne miſer rempublicam adminiſtraſti? reſpondit Phocas: Tibi verò per me licet, vt rectius eam geras. Hinc ei rectâ manus & pedes amputati, cutis dorſo detracta, exſecta verenda, & haſtæ affixa, caput denique gladio reciſum, reliquus corporis truncus in foro, quod Boarium nuncupant, per contumeliam hinc inde tractus, tandem igni traditur. Alii, vt etiam Cuſpinianus ad bouem fuiſſe combuſtum tradunt. Is erat locus, qui ex eo quòd æneus eſſet caminus forma bouis, quem Pergamo allatum ajunt, vbi erat poſitus, bouis appellatione nuncupabatur: de quibus etiam ſuprà apud alios. Imperatore & Papa vt ſuprà.

Idem. Aliquid præuidere, deque ſignis quibusdam id, quod futurum ſit, obſcuriuſculè coniectare nos poſſe citra contradictionem omnem fatemur. Nam in rebus adeò manifeſtis reſiſtere diu ſanè nequimus. Quanquam enim homo in Paradiſo peccauit, quanquam conceſſum ſibi vaticinandi munus, atque beneficium amiſit: non tamen Deus ille miſericors eum prorſus ſimilem euadere brutis iumentis permiſit. Quò fit vt ſigna quædam ei ſuppeditet, de quibus interdum futura proſpiciat, eoque pacto ſecuritati ſuæ conſulat.

Idem. Gregorius Papa Romanus ob imagines Italiæ, Romæque vectigalia Imperatori amplius pendi vetuit: adeoque totam illam regionem ab hoc imperio prorsus auulsit.

Idem. O casum incredibilem: in hostium denique potestatem venit Diogenes, & vinctus ad Sultanum deducitur. Ille verò solio suo desiliens, pro more calcata Diogenis ceruice, mox eum de terra erigit, & amanter complexus: Formidinis, inquit, expers esto Imperator. Non enim corpori vitæque tuæ periculum creabitur, sed ex dignitate maiestatis tuæ præstantissimæ à nobis honorabere. Nam stultum equidem esse arbitror eum, qui fortunæ casus improuisos secum ipse non expendit, ac reueretur. His dictis, solii sui, mensæ, gloriæque participem Diogenem facit: eumq; ad octauum vsque diem apud se retentum, variè recreat, & consolatur. Cumque Sultanus Imperatorem interrogaret aliquando: Quid obsecro facturus de me fueras, si me tuam in potestatem redactum habuisses? Imperator sine fuco & adulatione respondit: Multis equidem flagris corpus tuum cæcidissem. Ad quæ vicissim Sultanus: Ego verò, inquit, sæuitiam rigoremque tuum nequaquam imitabor. Quinetiam audio Christum illum vestrum pacem inter homines, & obliuionem injuriarum sancire, ac præcipere, superbisque resistere.

Secundum hæc fœderibus initis, pace perpetua constituta, inter liberos affinitate contracta, discessum vtrimque non sine multis complexibus, & honoris exhibitione, qua alter alteri faustissima quæque precaretur. Hoc pacto reuertitur intra fines Romanos Imperator.

Idem. Isaacius Comnenus imperator superfluos ædium religiosis exercitationibus destinatarum redditus præscidit, relictis tantùm ijs, quæ vsibus hominum illorum sufficerent: quo facto docebat eos, vitam inopem agendam esse, non delitijs affluentem. Cæterùm patriarcha nimium erga Imperatorem confidens & audax, nonnunquam illum ad postulata quædam aliquantò duriora grauioraque, parùm propitium, & facilem habebat. Quapropter eum pœnis diris subiecit, additis etiam comminationibus, hæc vulgò jactata verba proferens: Ego te Furne condidi, ego te quoq; destruam.

Cæpit etiam consilium induendi tinctos coccineo colore calceos, cùm diceret, ita Pontifices priscos factitare solitos, adeoque confirmaret, idem iuris in vsurpandis illis, sibi Pontificem noui quoque sacerdotii non abs re vendicare posse. Nihil enim esse discriminis inter regnum & sacerdotium, volebat. Hæc vbi cognouisset Imperator, potius aliquid in illum agendum, quàm expectandum ab eo statuens, hominem exilio multat: dumque moliretur amplius, ut solio prorsus deturbaretur, diem suum patriarcha obijt.

Ioannes Comnenus in continuatione
Annalium Glycæ.

CVm Manuelus sectatores vitæ solitariæ, propter possesiones & mundana negocia, parùm religioni cultuique diuino deditos videret: nullas eis vineas, nullos agros, nullas possessiones adsignauit: sed ex fisco tantum pendi iussit, quantum ad victum cultumque corporis satis esset. Videtur nimirum cupiditatem immodicam struendi monasteria improbâsse, ac posteris exemplum prodere voluisse, quo pacto templa condenda, & quæ hominibus eiusmodi ratio viuendi sit præscribenda.

Tantum autem abfuit, vt eorum institutum probaret, qui solitariam vitam professi, & opibus affluunt, & multitudine curarum magis distrahuntur, quàm ii, qui huius vitæ deliciis occupantur: vt sanctionem Nicephori Phocæ, fortissimi Imperatoris, olim abolitam, de non augendis monasteriorum latifundiis, quasi postliminiò reuocârit. Mortuus est tandem, parùm constitutis ordinatisque rebus Imperii, cùm Astrologis fidem habuisset, qui victurum adhuc 14. annos prædixerant. Imperauit annos 38. tribus mensibus demtis: ad quod Imperii spacium vetustum oraculum alludere videtur:

Tui prehendet te postrema nominis.

Nam in græco Manueli nomine postrema syllaba tantum numerum complectitur.

Ibidem. Alexius, Imperator in castris designatus, omisso contra Vlachos bello, Constantinopolim redit: vbi cùm inauguratus esset, quiddam memorabile contigit. Templo enim egressus, cùm conscensurus esset equum Arabicum, sessorem ille non voluit admittere, sed oculis sanguine suffusis, auribus erectis, crebrò solum pulsans, & anterioribus vngulis cum fremitu sublatis indiciū præbuit, quasi Alexium tergo recipere dedignaretur. Vbi uerò post multos popysmos, & ceruicis palpationes placatus, crebros illos gyros & calcitrationes omissurus videbatur: Imperator in eum insiliit, & habenas prehendit. Nihilominus ille ferocit, nec prius importunè saltare desistit, quàm gemmata corona capite imperatoris excussa, & ex parte comminuta, ipsum quoque deiecisset. Alio equo adducto, fracta corona inauspicatum omen visa est Imperii cladium non expertis, & imminentis ruinæ, noxæque hostilis.

Mon-

Anno

Monstrum.

1172. ANNO 1172. peperit quædam fœmina apud Xanthum, infantem bicipitem, tria habentem brachia, totidemque pedes. Chron. Cosmodromij. Imp. & PP.V.S.

1173. ## *Nicolaus ab Aragonia in Compilatione registri pontificum.*

FRidericus anno 1150. cùm Hadriani 3. stapendam sustinere noluisset, Pontificis auctoritate, & omnium Cardinalium consensione, ab osculo pacis exclusus est: videbat namque Pontifex, illum ab antiqua consuetudine defecisse, qua omnes Imperatores Petri Successori, ut pedisse qui obsequuntur. Quare ultrò citroq; exagitata disputatione, cùm hinc inde quisque suas partes pro viribus tueretur, tandem, more maiorum, varijs rationibus atque suffragijs impulsus est Federicus, ut stapendam Pontificis teneret, eiq; ex equo descendenti, demisso atq; detecto capite, famularetur. Imp. & PP.V.S.

Itinerarium R. Beniamin Tudelensis.

1175. IN hoc res memorabiles, quas ante quadringentos annos totum ferè terrarum orbem notatis itineribus dimensus vel ipse vidit, vel à fide dignis suæ ætatis hominibus accepit, breuiter atq; dilucidè describuntur.

A Luca sex dierum inquit, iter Romam usque est, maximam olim vrbem, gentiumque imperij caput. Ibique erant Iudæi ducenti ferè honesti viri, nulli mortalium tributum pendentes: ex quibus aliqui Alexandri 3. Papæ ministri sunt Pontificis maximi totius religionis Christianæ. Erant autem ibidem doctissimi viri, in primisq; Dauid Magnus, & Iehiel Papæ minister, iuuenis elegans & prudens, frequens in domo ipsius, utpote domus & vniuersæ rei familiaris præfectus. Imp. & PP.V.S.

Robertus Abbas de Monte S. Michaëlis Normannus, autor additionum Sigeberti.

1170. ANno 1163. Ludouicus Rex Francorum, & Henricus Rex Anglorum, super Ligerim, apud Tociacum cõuenientes, Alexandrum Papam Romanum honore congruo susceperunt, & vsi officio stratoris, pedites dextra læuaq; frenum equi ipsius tenentes, eum vsque ad præparatum Papilionem perduxerunt. Federicus, reiecto pallio, pedes tenuit. Hinc viguit consuetudo, quæ etiam nunc in communi vsu seruatur, ut in literis ad Pontificem missis, omnes pedum oscula inter salutandum conscribant. Extat exemplum donationis insularum, anno Domini 1219. in quo Rex Angliæ Papam salutat his verbis: Beatissimo Patri, & Domino Honorio, Dei gratia, summo Pontifici, Reginaldus rex Insularum, commendationem cum osculo pedum. Adhæc Carolus rex Siciliæ, anno Domini 1266. ita scripsit: Sanctissimo in Christo Patri, & domino suo, domino Clementi, diuina prouidentia sacrosanctæ & vniuersalis Ecclesiæ summo pontifici, Carolus, Dei gratia, Rex Siciliæ, cum omni reuerentia & honore, beata pedum oscula beatorum. Anno 1324. Rex Poloniæ Pontificem his verbis salutauit: Sanctissimo in Christo patri, & domino suo reuerendo, Domino Ioanni, Dei prouidentia, summo Pontifici, Henricus Dux Heluiæ, hæres regni Poloniæ, Dux Glogoniæ, & Posnaniæ, cum recommendatis ipsius pedum oscula beatorum: & alibi, anno 1327. Sanctissimo domino Ioanni, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, Vladislaus Rex Poloniæ, deuotus filius ad pedum oscula beatorum. Tandem Rex Angliæ, anno 1343. Pontificem Romanum vniuersalem omnium Ecclesiarum pastorem agnoscens, cum summa animi demissione patrem ac dominum appellans, illi plurimam salutem dixit. Sanctissimo patri ac domino, domino Clementi, digna Dei prouidentia, sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ, summo Pontifici, Eduardus, Dei gratia, Rex Franciæ, & Angliæ, & Dominus Hiberniæ, deuota pedum oscula beatorum. Imperatore 98. Frid. 1. Papa 176. Alex. 3.

Idem. Mulier quædam reuelauit Pontifici Alexandro tertio, quòd in quinto anno ab illo maxima fames ingrueret: quòd ex corruptione aëris innumerabilis hominum multitudo moritura esset, & quòd Clerum Romanum grauis animaduersio correptura foret, nisi ab exercitio doli resipiscerent, sub quo à multis retrò temporibus vsque in hodiernam diem laborauerunt.

Idem. Obiit Stephanus vir honestus & literatus, episcopus Rhedonensis. Huic accidit quædam visio mirabilis, quam ipse cuidam monacho familiari nostro ante mortem suam manifestauit. Quædam enim persona ei apparens leui sibilo hos versus ei dixit: Desine ludere temerè, nitere surgere properè de puluere. Ipse enim multa rhythmico carmine, & prosa iucundè & ad plausus hominum scripserat. Et quia miserator hominum eum in proximo moriturum sciebat, monuit eum, vt à talibus abstineret, & pœnitentiam ageret.

Almaricus Gallus. 1180.

ALmaricus Gallus incepit hoc tempore docere sacras literas: quòd simulachra, altaria & templa diuorum, nec non & Missæ sint mera idola, & humani delirij inuenta, nec fuerint tempore Apostolorum: nec ipsorum authoritate & constitutione introducta: sed tantummodò Sacrificum quendam Magnum Romæ ea excogitasse: sinceriores religionis Christianæ Doctores hæc omnia penitus ignorasse: & cœna Domini eos vsos fuisse secundum institutionem Christi, in vtraque specie. Sed propter parrisiam ô Almarice, corpus tuum exhumatum, & cum libris, quibus Romanorum infandos errores detexisti, combustum fuit. Sigebertus, Pontius Paulinus de Gazophylacio. Imp. & Papa vt sup.

Vaticinium beatæ Hildegardis, cui partim hoc seculo respondit euentus: partim futuro tempore respondebit. 1180.



HOc est vaticinium D. Hildegardis, quæ cùm multas prædictiones, tum septem vtiles valdè libros ædidit, qui manifestis scriptoribus in Treuirensi Concilio, nouem Archiepiscopis, inprimis verò Moguntinensi, Coloniensi, & Treuirensi approbati fuerunt. Huius mulieris cùm volumina, tum quibus ea approbata sunt, Instrumenta, in Monasterio D. Ruperto consecrato prope Bingam reperiuntur.

Hæc verò prophetia pertinet ad Sacerdotium, aperitque calamitates, quæ vt grauissimæ, ita quoque iustissimæ nostris peccatis imminent. DEVS OPT. MAX. in cuius manu, quicquid est rerum consistit, mutare illas pro sua diuina voluntate potest.

Cùm olim die quodam, propter aduersam valetudinem lecto affixa essem, nec non corporis, animique vigilijs maiorem in modum laborassem: videnti mihi, fœmina venustissimæ formæ apparuit quæ & suauitate, & voluptate tantà præstabat, tamque insignem corporis elegantiam referebat, vt nullius eam hominis capere mens posset. Eà quoque proceritate prædita fuit, quæ ad cœlum vsque pertingebat: splendore faciei cuncta illustrabat: & ad astra suos oculos sursum eleuabat. Quin etiam candidissima veste, quæ holoserica fuit, coruscabat: & pallà pretiosissimis quibusque gemmis (puta Smaragdo, Sapphyro, margaritâ, & alijs) ornata cingebatur: nec non calceos nobilissimo vnione, cui Onychio nomen, condecoratos gestabat. Erat tamen facies illius puluerulentis quibusdam maculis respersa: vestimentum à dextrâ parte lacerum: eximio suo decore palla spoliata: calcei denique supernè infecti nigredine squalescebant: ipsa verò ingenti ploratu, ac lamentabili vociferatione cœlum inclamabat dicens: Audi cœlum faciei meæ sordes, ac spurcitiem: lachrymare terra, quòd vestis mea lacerata: quodque calcei nigrorem ostendunt, inferne freme: suæ vulpeculis sunt cauernæ: & volatilibus cœli nidificare licet: mihi verò nec auxilium, nec consolatio vlla suppetit: imò ne baculus quidem restat, cui innixa quietem agere possem. Præterea dicebat: Ego delitui in patris corde auscultans, donec hominis filius in virginis vtero conceptus, inde in lucem æditus, ac postmodùm sanguine profuso, è viuorum numero exturbatus esset. Qui me sanguine isto sibi despondit, ac dote maritali perquàm liberaliter instruxit: vt sibi purâ, & simplici regeneratione spiritus, & aquæ commaculatos, ac serpentis spumâ hæreditarioque malo damnatos denuò parerem. At verò liberi mei, videlicet sacerdotes, quorum officij fuerat, instar auroræ splendidum reddere vultum, & vestimento nitorem fulgurum æmulum conciliare: pallam velut gemmis micantem illustrare: calceos denique tam lucidos repræsentare, vt cum albicantibus certare fulguribus possent: illi inquam vultum meum fœdè commaculârunt, vestem disciderunt: pallam tenebricosam reddiderunt: & calceos meos nigrore oblinere non dubitârunt. Quos muneris sui ratio iubebat, vt me vndique exornarent, ijdem me neglectam turpissimè deformârunt. Nam adeò vultum meum commaculauerunt, quòd & corpus, & sanguinem sponsi mei, summâ impuritate, indecoris ritibus, absque omni castitate, scortatorum more, per extremum auaritiæ crimen emunt, vendunt, & ad omnes illicitas actiones adhibent, tantâ nimirùm immunditie, ac si quis infantem porcis in cœnum proijceret, eodemque suam pulcherrimam faciem confœdaret, atque illineret. Quemadmodum enim homo, simulatq; formato eidem ex rudi terra Deus vitæ spiraculum indidit, caro & sanguis est factus: ita hodierno etiam die adhuc diuinum numen agere solet cum pane, ac vino diluto super altari. Recitatis enim vsitatis à sacerdote verbis, ac inuocatâ sanctissimâ Trinitate, transmutatur ea in veram carnē ac sanguinem sponsi mei:

quamuis hæc nemo hominum propter Adami lapsum, corporali oculorum acie tueri queat. Nam quoad peccatorum vulnera recentia hiant: sponsi quoque vulnera tanquam recenter inflicta putescunt. Has Christi plagas auaritiæ suæ sordibus sacerdotes inquinant,& aliam atque aliam Ecclesiam circumuagationibus obeundo renouant. Deinde vestem meam discindunt, qui me candidam, ac venustam reddere, purisq; cultibus honestare debebant: cùm & legem, & sacrosanctum Euangelium violant, nec sacerdotalem dignitatem sartam tectamq; conseruare student. Sic autem tenebris meam inuoluunt pallam, quando traditas sibi leges negligunt; nec easdem ieiunijs tanquam nobilissimâ Smaragdo seruant: nec eleemosynis velut insigni sapphyro custodiunt: nec denique alijs bonis operibus, quibus Deum ceu preciosis gemmis honoramus colunt: cùm tamen illas prompto animo, absolutis & perfectis actionibus complere deberent. Porrò calceos meos denigrarunt, quia nec iustitiæ vel æquitatis, nec aliarum honestarum virtutum exemplis auditoribus suis præluxerunt: quanquam eos in calceamentis meis, velut in mysterijs, pulcherrimum splendorem, coram quotidianis oculis, excitare fas erat. Falluntur pseudosacerdotes, dum sacerdotalem dignitatem, neglecto munere, sibi vendicant: quod tamen fieri minimè potest: siquidem nemo nisi laborando priùs sit meritus, mercedem reportat. Si quem verò gratia diuina tangit, is ad opus faciendum sic instigatur, vt mercede non indignus iudicetur. Cœlum igitur varijs pluet doloribus & ærumnis, quibus humanum genus D E V S omnipotens vlciscetur: ac nebula totum terrarum orbem ita obscurabit, vt omnes eius fruges exarescant, & decora illius, ornamentaq; omnia, vellut pallida reddantur: profunda etiam terrarum loca frement: & ad iustam iracundiam, vindictam, ac dolorem, cœlum & stellæ commouebuntur. Quinetiam vniuersorum principū furor,& temeritas vulgi, magno in vos sacerdotes impetu ruet:& quibus ego neglectui fui, dissipatos in fugam conijcient: nec non omnibus fortunis, atq; opibus exuent: propterea quòd sacerdotale munus, quantum in vobis fuerat, prophanastis. Idcircò de vobis sic loquentur: qui cùm adulterij, tum latrocinij, omniumq; scelerum maculis sunt referti, eos è Christiani nominis consortio delebimus, & munere stipendioque abdicatos relegabimus:&hac in re quàm optimè se de cœlesti numine mereri putabunt,& sacrosanctam à vobis contemeratam esse Ecclesiam, ac mirificè deformatam dicent. Hinc scriptura inquit. cur tanto fremitu ringuntur gentes, & populus vanitatem corde suo machinatur? His intersunt consilijs reges: & principes terræ contra vnctum Domini factiones ineunt. Fit enim prouidentiâ, & fato Diuino, quòd iudicijs suis iram in vos distringunt: & inanes aduersus vos molitiones plurimæ gentes suscipient: quæ sacerdotales vestras lustrationes, & religionem pro nihilo putabunt. Tunc etiam vestræ deuastationi, seculari suâ potentiâ, terræ reges assistent: & quibus estis subiecti, principes aliquo die, in vos omnes conspirationem facient: vt quemadmodum innocentissimum agnum nefarijs vestris sceleribus expulistis, vos etiam similiter suis finibus exterminent.

Adhæc omnia vox cœlitus ad meas aures deferebatur inquiens: Muliebris hæc forma sacram Ecclesiā repræsentat. Proinde tu homo, quæ cernis hîc oculis,& quas miserabiles voces auribus hauris, sacerdotibus quibus & moderandæ,& docendæ plebis munus est commissum, aperito. His perinde ac duodecim Apostolis negocium est datū: vt egressi in omnes terræ fines Euangelium omnibus creaturis, vel hominibus annunciarent. Postquàm enim summus rerum conditor Deus hominem ornauit: in eodem omnes creaturas notauit, haud secus atq; in paruulo calendario tempus, ac numerus anni totius exprimitur: ideoq; Deus hominem intelligens, omnes creaturas dixit. Addidit etiam hæc sequentia: Misera ego fœmina præter hanc ipsam formam vidi nudum in aëre gladium pendentem, cuius superior acies cœlum, inferior terram respiciebat: & dirigebatur gladius iste aduersus Ecclesiasticum ordinem, quem propheta quondam conspicatus, cum admiratione rogauerat: Qui sunt isti, per nubes instar columbarum ad fenestras volitantes? scilicet qui sublati à terrâ in altum,& à vulgi consuetudine segregati, cùm sanctè viuere, atq; in verâ simplicitate, tum morum, cū operum, velut columbæ se tueri deberent: malitiæ potius dediti, prauis ac sceleratis moribus factisq; reprehendendis improbè student. Vidi etiam porrò angelum, qui nonnullas vrbes sacerdotū adeoq; supremorum præsulum velut rescidit; sicut Ierosolymam post Christum morte sublatum, rescissam legimus.

Veruntamen & hoc vidi, quòd D E V S in tantâ rerum aduersitate, permultos sibi sacerdotes, & timidos vitæ,& simplicitate, atq; castimoniâ præditos reseruasset. Quemadmodum Eliæ temporibus fecerat, cùm eidem respondisset: septies adhuc mille homines, inter Israëlitas, qui sua coram Baal non curuassent genua, se retinuisse. Vobis autem perennis spiritus Sancti ignis infundatur, vt ad partem meliorem conuerti queatis. Quòd si accusationem suam ad supremum iustitiæ iudicem miserit: admittet eam iudex, & pro iusto suo iudicio vindicabit iustitiæ violatores: atq; sæuorum hostium eos truculentiâ grauiter opprimi, ac vexari fatali calamitate patietur: qui talibus mutuò verbis vtentur: Quousq; demum raptores hos lupos tolerabimus? qui, cùm animarum ijs, tanquam medicis cura sit concessa, earum salute nihil minus tamen cogitant. Quinimò quia & ligandi & remittendi peccata ius habent, rapacissimas quasq; beluas imitantur: nec eâ, quâ par erat, clementia, & mansuetudine, nostra delicta admittunt: sed ipsorum in nos quoque deriuantur peccata: & vniuersum Christiani nominis Imperium propter eos labascit. Porrò nihil, quod iustitiæ contentaneum foret, scribunt: leges destruunt: nos velut agnos deuorant: & perpetuis comessationibus turpique crapulæ iugiter indulgent: licet absque vlla commiseratione, nos propter ea ipsa vitia, judicijs grauissimè vexent. Adde, quòd sacrilegijs etiam se nefariè polluunt: & quæcunque per auaritiâ corradere possunt, decoquunt: nec non præter inopiam, ad quam nos suis functionibus re-

digunt, cùm semetipsos, tum nos quoque condemnant. Quare iustis eos iudicijs damnatos à nobis segregabimus: vtpote qui non tam doctorum, quàm ductorum ad quæuis vitiorum genera nominibus digni censeantur. Quod me herculè tantùm extremæ perniciei vitandæ causa, faciendum nobis erit: siquidem aliàs quælibet regna suæ potestati subijcerent, subiecta miserrimè perturbarent. Igitur dicamus ad illos, vt in verà sanctimonià viuant, suoque munere piè ac ritè fungantur: sicut sancti patres iam olim præceperunt: aut longè à nobis, relictis omnibus, quæ possederunt, abeant. Hæc & id genus alia, subitò ipsis libero, præsenti, ac diuinitus excitato animo proponent, nec non impetu quodam eos inuadent dicentes: nolumus illorum diutius imperio parere, quod agrorum pratorumque multitudine stabilitum, promontorijs, ac cæteris mundanis opibus, quæ seculari nostræ potestati diuinitùs alioqui cesserunt, fulcitum est. Nunquid rasum hoc genus hominum, cum suis stolis & casulis equitum multitudine ac insigniorum nos superaret decet? Anne simul hominem equitis, ac sacerdotis munus obire conuenit? Quin auferamus illis, quæ non iustis rationibus, sed per summum nefas & iniuriam posſident: dummodò accuratam rationem habeamus eorum, quæ propter animas discedentiũ ex hac vita Reipub. sacræ selegantur, aut eidẽ per sacrificia offeruntur. Illa enim cùm nequaquam sub prædæ nomen cadant, intacta sunt relinquenda. Omnia præpotens rerum humanarum moderator DEVS legitimè, ac æqualiter distribuit: cœlum cœlitibus, terram mortalibus habitandam concessit: quæ partitio respectu proportionis, seu mensuræ iusta est: cùm nimirùm Ecclesiasticus sua bona, sua item politicus ordo tenet: ac neutrà pars alteram prædas agendo dispoliat. Non enim præcepit Deus, vt vni ex filijs soli & pallium & tunica detur: alter verò nudus dimittatur: sed hic tunicam, pallium ille accipiat oportet. Sic etiam ciuilis magistratus, cùm propter amplitudinem, & magnitudinem aulæ, tum propter subinde crescentem sobolem pallium obtineat: sacerdotalis verò chorus tunicam sibi retinere debet: ne aut ciborum, aut vestium indigentià laboret: neu plus quàm necessitas requirit, diuitiarum possideat. Ex hoc iudicamus nos, ac decernimus, vt omnia prædicta bona ritè diuidantur: & si qui sacerdotes cum tunica pallium quoque habuerint, auferendum illud, nec non illis tribuendum statuimus, qui necesse habent, ne propter egestatem fortassis miserias quoque nonnullas persentiscant. Et sic omnia de sententia & voluntate eorum, iusto Dei iudicio dispensabuntur. Cæterùm, qui primùm sese huic æquitati opponent, suprema erunt capita Ecclesiæ: Papa videlicet, Cardinalium, Episcoporum, & Abbatum caterua: nec non cætera præsulum ac prælatorum turma prioribus subiecta: qui omnes, ac singuli hoc sedulò agent, vt excommunicationis suæ fulmine, ac dirà comminatione, quà cœlum se præclusuros fabulantur, principes absterreant. At verò cùm animaduerterint, se neque ligandi, aut soluendi potestate, neque Eleemosynis ac sacrificijs: nec armorum multitudine, nec denique vllis vel blanditijs, vel minis propter diuinum iudicium ijs resistere, ac terrorem incutere posse: tum demum inanem illum fastum, ac superbiam, quà supra modum semper efferebantur, deponent: & postquàm in seipsos descenderint, miserabiles quæstus, & lamentationes ædent dicentes: propterea quòd omnipotentem Deum in offcijs nostris eorundemque ordinatione reiecerimus, ideò turpitudo ac dedecus omne nunc ad nos redundat, vt videlicet ab ijs iam supprimamur, erga quos nos hactenus submissos gerere debebamus. Etenim qui principibus iam olim præpositi eramus, & humilem eorundem obedientiam, ceu subditorum experiebamur: illis iam seruile iugum Deus detraxit, ac nobis imperare permisit. Idcircò præclarè intelligimus, iusto nos Dei iudicio affligi: siquidem aliàs vniuersi mundi regna nobis subiecissemus, haud aliter, atque iam ipsi eiusdem imperio iubesse, & seruitutis triste onus portare cogimur. Quin etiam iustum Dei iudicium ideo pronunciare opus habemus: quià omnibus carnalium voluptatum lenocinijs, ac blandimentis dediti fueramus, nec vllus mortalium pœnas à nobis exigere ausus erat. Præceperat Deus Israëlitis, vt animalium sibi victimas offerrent: sed illi mandatum diuinum aspernati se ab eo auerterunt, & omni sceleratarum libidinum generi sese consecrârunt: proinde ceruicibus illorum Ethnici, ac peregrini hostes diuinitus immittebantur. Nobis autem hoc in mandatis Deus dedit, vt vini & panis sacrificio sibi litaremus: sed contaminatis nostris, ac impuris manibus illud attrectare non religioni habuimus. Coronauit etiam nos sceptri sui diademate: atqui nos eodem tumefacti, rebus vniuersis dominari præsumsimus: & carnis voluptatibus in toto mundo fœdè indulsimus. Hac de causâ hostilibus incursationibus grauamur, perinde ac legis violatoribus illis olim accidit, cùm hostium dominio supprimerentur. Veniente autem isto tempore, vtriusque tam iuuenilis, quàm senilis ætatis homines, tam masculini quàm fœminei sexus ita sacrum ordinem instituent, ac ordinabunt, suæque tam diligenter necessitati prospicient: vt neque ciborum, nec vestium inopiam deueniant: nec posthac tantas molestias, & contumelias ciuilis magistratus deuorare cogantur. Et hæc quidem ab vtroque politico, & sacro ordine vel ut primo diei tempore incipientur: tertiam verò circiter horam in plenum actum producentur: vltimò demum sub horam sextã suprema manus operi addetur. Tunc cuiuslibet ordinis ac loci homines, secundum beatam illam horam æstimabuntur: nec non in aliam viuendi formam, quàm prior erat, redigentur: vt quiuis in suâ iustitiâ maneat ordo: ac liberi libertatis honorem: serui verò iustam seruitutis conditionem consequantur. Amen.

Eadem. Cùm peccata odij, homicidij, & Sodomiæ se inuicem iunxerint, tunc constitutio legis Dei diuidetur, & Ecclesia quasi vidua concutietur, ac principes, nobiles, & diuites per suos subditos de locis proprijs expellentur, & de ciuitate in ciuitatem fugabuntur. Nobilitas quoque generis eorũ ad nihilum deducetur, & de diuitijs in paupertatem redigentur. Ista omnia tunc fient, cùm antiquus serpens varietatem morum, & vestimentorum in populos sibilabit. Et infrà: Ventura sunt mala

guerrarum,& bellorum victoriæ super populum Christianorum propter tyrannidem principum,& cupiditatem prælatorum. Et infra : Cadetq; populus Christianus in manu hircorum, & bestiarum. Per quas bestias intelliguntur feroces Turcæ aliiúe Saraceni. Omnes noui Prophetæ de casibus,& flagellis futuris reuelârunt pleraq; varia, sed penè in vnum consonantia, quæ iam nostris temporibus instant iuxta eorū reuelationes, quibus plures veteres Prophetiæ vtriusq; testamenti accommodantur. Concorditer namq; insinuant, quòd in fine quinti status Ecclesiæ, & in decursu sexti status, in quo nunc sumus, Ecclesia præsertim Latina, tantam patietur tribulationem, quantam hactenus non sit perpessa. Imp. Frid. 1. Barb. Papa Alex. 3.

Ibidem. Vnum moneo : cauete Antichristum : malè enim vos parietum amor cepit : malè Ecclesiam in tectis, ædificijsq; veneramini : malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi & syluæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores : in his enim Prophetæ, aut manentes, aut demersi, Dei spiritu prophetârunt.

Eadem. In diebus,inquit, illis exurget gens insensata,pomposa,cupida,perfida, & dolosa, quæ peccata populi comedet, ordinem quorundam timentium deuotariorum sub dissimulatâ mendicantium specie tenentes, seq; cæteris fictâ deuotione,inflatâ scientiâ ac prætensâ sanctitate præferentes,sine rubore ac Dei timore ambulantes, multa noua mala adinuenientes, fortes & validi, à sapientibus & Christi fidelibus ordo ille maledicetur : à laboribus cessabunt, & ocio vacabunt, assumentes potius ordinem adulantium,quàm mendicantium: studebunt insuper omnes nimiùm,qualiter doctoribus veritatis peruersè resistant,& eosdem cum potentibus interficiant,& potentes seducant & decipiant,propter necessitatem vitæ, & delectationem mundi. Diabolus namq; in eis quatuor vitia radicabit, videlicet adulationem,inuidiam, hypocrisin,& detrectationem : adulationem,vt eis largè detur : inuidiam,quando alijs dabitur,& non ipsis : hypocrisin,vt per falsam simulationem alijs hominibus complaceant : detrectationem, vt se ipsos commendent,extollant, & alios vituperent,propter laudem hominum,& seductionem simplicium : ac sine deuotione & exemplo martyrū prædicabunt instanter: detrahent principibus secularibus: Ecclesiarum sacramenta veris Pastoribus subtrahentes: recipientesq; eleemosynas pauperum,infirmorum & miserorum : nec non se in multitudinem populi trahentes : familiaritatem cum mulieribus habentes, easque instruentes, qualiter maritos & amicos suos blandè, & per verba dolosa decipiant : nec non res proprias eiusdem furtiuè subtrahant, & ipsis tribuant. Tollent namq; res furtiuas, & male acquisitas, ac dicent : Date nobis, & nos orabimus pro vobis: sic, vt aliorum vitia curiosiùs tegant, & suorum penitus obliuiscantur. Heu etiā tollent res miseras à raptorib. prędonib. spoliatorib. furib. latronib. aut sacrilegis, ab vsurarijs fœneratoribus, adulteris, hæreticis, schismaticis, apostatis, mulierib. luxuriosis, lenis & lenonibus, à potentibus, periuris mercatoribus, falsis iudicibus,militibus,tyrannis : & à principibus contra legem viuentibus, & à multis peruersis, persuasionem diaboli, & dulcedinem peccati ac vitam delicatam,transitoriam & breuem, nec non satietatem in cōdemnationem æternam sectantes. Hæc autem omnia in eis aperta, & manifesta erunt populis vniuersis. Ipsi verò de die in diem duriores,& nequiores efficiuntur : & cùm seductiones & iniquitates eorum exploratæ fuerint, tunc cessabitur eis dari : & tunc ibunt circa domos famelici, & vt canes rabidi, submissis in terram oculis contrahentes ceruices suas, veluti turtures,vt pane satientur. Tunc clamabit populus super eos : væ vobis miseri filij mœroris: vos mundus seduxit,diabolus ora vestra infrenauit! caro vestra lubrica,& corda vestra sine sapore! mens vestra vaga fuit, & oculi vestri delectabantur in vanitatibus, & in insanijs multis. Venter vester delicatus dulcia fercula appetit : pedes vestri veloces ad currendum in malum. Mementote, cùm eratis apparenter beati æmulatores, pauperes diuites, & simplices potentes, deuoti adulatores,perfidi traditores, peruersi detractores, sancti hypocritæ, veritatis subuersores, nimis directi,superbi, effrontes, doctores instabiles, martyres delicati, confessores lucri, immites calumniatores, religiosi auari, humiles elati, pij duri, mendaces dulces, pacifici persecutores, simplicium oppressores, malarum sectarum per vos de nouo excogitatarum adinuentores, misericordes nequam, amatores mundi, venditores indulgentiarum, spoliatores beneficiorum,oratores incommodi,conspiratores seditiosi,suspiratores crapulosi,desideratores honorum,zelatores criminum,mundi raptores, insatiabiles prædicatores,applausores hominum, seductores fœminarum,seminatores discordiarum. Benè etenim de vobis gloriosus Propheta Moyses in cantico suo cecinit : Gens absque consilio & sine prudentiâ : vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Ædificatores in altum, & dum altiùs ascendere non poteratis, tunc cecidistis: sicut Simon magus, quem Deus contriuit, & plagâ crudeli percussit: sic & vos per seductionem,nequitias,mendacia,detractiones & iniquitates vestras corruistis. Et populus dicet illis : Ite doctores peruersitatis, subuersores veritatis, fratres Sunamitidis,patres hæreticæ prauitatis, pseudoapostoli : quia simulastis vos vitam seruare Apostolorum, nec tamen in minimo vitam illorum impleuistis. Filij iniquitatis, scientias viarum vestrarum nolumus. Nam præsumtio elata vos decepit, & insatiabilis concupiscentia subuertit erroneum cor vestrum. Et cùm in altum vltrà quàm decet ascendere voluistis, iusto Dei iudicio deorsum in opprobrium sempiternum cecidistis.

Lucius 3. Papa 177.

1182. HVic ob tyrannidem oculi effossi fuerunt, & ipse Româ eiectus est. Simoneta libro 5. cap. 81. Imp. vt sup.

Cle-

Clemens 3. Papa 179. 1188.

HIc etiamsi bellator, pium tamen opus sanxit, & veniam peccatorum, beatitudinemq; mereri dixit, si quis meretricem ex prostibulo ducat in vxorem. Lib. 4. tit. 1. cap. 20. Imp. vt sup.

Miraculosum. 1189.

AD Dunstabulum Richardus interdiu vidit pendentem in aëre crucem, & in hac affixum quendam hominem: id quod pro felici habebant omine. Hist. sacra lib. 2. cap. 8. Naobrigensis lib. 4. cap. 6. Ranulphus lib. 7. cap. 25. in Polychronio. Imp. vt sup. Papa 179. Clem. 3.

Angela Virgo. 1190.

PRopheticum spiritum habuisse fertur: scripsit enim contemplationes de Christo, & librum reuelationum. Imp. 99. Henrico 6. Papa 179 Clem. 3.

Ordo Teutonicorum Marianorum. 1190.



HVnc Ordinem communem faciunt cum similibus huius generis Volat. Polyd. & Æmilius: sed malè. Nam certum est, illum diuersum esse à cæteris, ut habent Tritheym. Crantz, Funccius & Peucerus. Statuunt enim, anno 1190 Imperante Henrico 6. cùm ad Ptolemaidem obsidio longiùs proposito protraheretur, & dissenteria laborantium, vulneratorũq; magna esset copia, bonos quosdam viros, cives ex vrbe Lubecensium & Bremensium, qui cum Adolpho comite ab Holstein instructa classe Christianis contra Sarracenos Ptolemaidem oppugnãtibus auxilio venerant, militum miserijs motos, malè affectos tabernaculis erectis recepisse, & curâsse. Aderat huic expeditioni filius Friderici Ducis Sueuiæ, Fridericus. Hic cùm quadam die tentoria illa Lubecens. & Bremens. præteriret, & pietatem, eleemosynas, & alia officia erga pauperes & ægrotos præstita videret, suspirijs dixisse fertur: Ciues hos beneficentiâ & pietate omnes Principes superare: Principum & Baronum dicens hoc erat officium, qui alios opibus superant, si modò aliquo pietatis mouerentur affectu. Victus ergo virtute prædictorum ciuium, communicato consilio cum reliquis Ducibus, & primarijs viris, Ordinem S. Mariæ instituit, domumque hospitalem Hierosolymis, à qua nomen haberent, illis attribuit: vt eis esset curæ pauperum, & infidelibus se opponerent. Hoc propositum Henricus 6. Imp. & Cœlestinus 3. Papa confirmârunt. Pro vestitu dedit illis pallium album nigrâ cruce insignitum: clypeum etiam album cum cruce nigrâ: & vt barbam alere possent. Potestatem quoque equites creandi concessit (quod tantùm Regibus licet: & hodie etiam Papa, vt alia omnia adscribit sibi) & Regulâ Augustini. Francus Norimbergæ & alibi, Lubecensium & Bremensium clypeos, signa & arma picta extitisse: sed à Nobilibus cum causâ quare hoc factum sit, ablata fuisse, aliosque eorum ritus, leges, abususq;, qui in hunc ordinem irrepserint, scribit. Et ponit inter alia hæc verba: Wer ein schön Weib hab wo Teutsche Herren seind/einn Metzen Korn/vnd ein Hinderthür/der hab ein Jahr daran zu essen.

Francus verò, quæ ad ciuitatem Ptolemaidem à Lubecensibus & Bremensibus ciuibus facta fuerunt, in Prussiâ contigisse asserit: vt apud eum. Occupatâ terrâ sanctâ hic Ordo in Germaniam redijt, & Prussiam cum alijs anno 1226. subegit: & constituto Ordinis Magistro, à Rege Poloniæ ita vexatus fuit, vt tandem Albertus Marchio Brandeburgicus Ordinis tum Magister desertus ab Imp. & Statibus, se Polono totum subiecerit, anno 1511.

Anno 1393 VVenceslaus eos ex Bohemiâ eiecit. Vrsp. Paral.

Apud Francum & Hosp. habes ritus recipiendi, & inaugurandi equites Teutonicos: vt ibi. Imp. 99 Hen. 6. Papa 179 Clem. 3.

Petrus Cantor Parisiensis in verbo abbreuiato. 1190.

HIc scripsit librum sub titulo verbum abbreuiatum. Citatur ab Alliaco & alijs. Appellat indulgentias pias fraudes. Accusat vehementer Sacerdotes, quòd verbi Dei prædicationem omiserint, ac canes muti facti sint. Reprehendit traditionum Papisticarum copiam & impietatem,

dicitque, per eas effectum esse, vt secundum Christi dictum, propter hominum mandata Dei mandatum sit irritum factum & neglectum. Ait quoque, instauratores ceremoniarum velum templi semel laceratum resarcire: id est, Iudaismum instaurare. Precum battologias, & prolixos vlulatus è templis tollendos censet. Obiurgat etiam concionatores, quòd omissa sana doctrina, ad fabulas, & curiosas ociosasque cogitationes sese conuertant, easque prædicent ac doceant. Obijcit eis quoq; obscurationem, elusionem, deprauationem gennini sacrarum literarum sensus. Dicit rectè de eis illud scripturæ dici, quòd verbum Dei admixta aqua adulterent, & cauponentur. De fide item iustificante non malè sensit. Abusus in Ecclesia ac religione in immensum excreuisse, & omnia oppresisse asserit: vt verè possit dici, à capite vsque ad plantam pedis sanitatê in ea non esse. Omninò fuit vir pius ac eruditus, multaque vitia, abusus, & impietates in Ecclesia & religione grassantes taxauit: Vt apud eum. Imp. 99 Henr. 6. Papa 180 Celest. 3.

Idem in scholijs verbi abbreuiati. Legimus, S. Lucam de Hungariâ excommunicasse quendam hominem, nescimus ob quod scelus, qui mox ad Papam Alexandrum 2 profectus facilè pecuniâ absolutionem emit. Verùm S. Lucas nihil absolutione, autoritate, & minis Papæ, tamquam iniustis motus, secundò & tertiò eundem, quandoquidem sibi non satisfecerat, excommunicauit. Quâ re offensus Papa primùm suspendit illum B. Lucam, mox etiam excommunicauit. Adeò autem non motus est de suâ sententiâ Lucas, vt & mortuus sit in eâ excommunicatione: sequuta verò sunt non pauca miracula post Lucæ mortem, quibus Deus pietatem & sanctitatem eius testatus est.

Idem cap 69. affirmat monasticam vitam esse erectam ex fœnoribus, & vsuris auarorum, ex mendacijs deceptionum, & deceptionibus mendaciorum, prædicatorum mercenariorum, &c.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

1191. *Imp. 99 Henrico VI. Pp. 180 Celestino 3.*

POrrò immanissimarum beluarum rabies in Fridericum Imperatorem sic pedibus conculcatum effusa, aliquandiu resedit, vsque ad Celestinum tertium: qui etsi Heinrico sexto coronato Constantiam monacham, Rogerij quarti Siciliæ regis filiam, è monasterio Panormitano eductam, vxorem dederit; ea conditione, vt ex vtriusque Siciliæ regno, Tancredo Rogerij notho, quem Clemens tertius frustra inde eijcere tentârat, pulso, regnum vtrumque peteret, ac possideret: sunt tamen, qui scribunt, Henricum non tantùm in Apulos, Siculosque laicos, sed & clericos atque episcopos defectionem molientes, seueriùs animaduertentem, nonnullis eorum excoriatis, alijs excecatis, & in palos actis, nonnullis etiam corona ignita redimitis, ab eodem Celestino anathemate notatum, nihil aliud machinante, nisi vt tam imperio, quàm Siciliæ regno Henricus sextus excuteretur. Schardius ex Platina, Bergomense, Nauclero & alijs.

Gotfridus Viterbiensis.

1192. TAciana hæresis tum emersit pestifera, quæ nuptias refutabat, accusans Deum, qui eas ad restaurationem humani generis fecit. Aduersus quem (nota, olim Papam pro matrimonio scripsisse) Clemens scribens sic dicit: An & Apostolos improbas? Petrus enim, & Philippus vxores habuerunt, & filias etiam virgines nuptum dederunt. Imp. 99 Henrico 6. Papa 180 Celestino 3.

Regalia insignia, crux, gladius, lancea, sceptrum, pomum aureum, diadema, corona, gemma, aurum, & crista in coronâ, quid omnia significent, habes apud Viterbiensem illum.

Fuit a. hic Gotfridus Cancellarius Conradi 3. Friderici 1. & Henrici 6. Imppp. Vir Latinæ, Grææ, Hebrææ, & Chaldææ linguæ peritissimus. De Ecclesia sic scripsit: Ego autem vt de sensu meo loquar, vtrùm Deo magis placeat gloria & exaltatio Ecclesiæ, quæ hoc tempore est: aut humilitatio, quæ primitus fuerat, confiteor me ignorare. Videtur tamen multis primus ille status sanctior: iste felicior.

Idem His temporibus Romani cœperunt innouare senatum, qui longis antè temporum curriculis ita cessauerat, vt nec mentio eius Romæ haberetur: quem Papa Innocentius ingenio, precio, & minis soluere conatus, non potuit. Morboque præuentus, sub ea discordia, diem vltimum clausit: cui sacerdos laudabilis Celestinus successit.

Quo infra annum defuncto, in cathedra Lucius Papa consedit. Lucius secundus itaque intendens Senatum extinguere, cum ingenti militia Capitolium Romæ conscendit, vt sedentes ibi tunc senatores, cum dedecore remoueret.

Senatus autem Populusque Romanus ad arma conuersus, Papam cum suis omnibus à Capitolio in momento repellunt. Vbi Papa (sicut tunc audiuimus) lapidibus magnis percussus, vsque ad obitus sui diem, qui proximè secutus est, non sedit in sede.

Idem. Gregorius Papa cùm videret Leonem incorrigibilem in statuis restituendis, Italiam à suo Imperio discedere persuasit. Vides ergò quis Imperatores ad tantam paupertatem redegerit, vt à Turcis Constantinopolis, & totus Oriens fractus sub Turcis hodie sit.


Idem. Luxuriæ tam effrenis fuit Nero, vt aurea sibi retia ad piscandum, & domum auream ad habitandum pararet. Vrbem fecit in duodecim partibus succendi. Quæ cùm per septem dies arsisset, ipse in altissima turri stans, cantilenas de incendio Troiæ quondam compositas, lætissimus decantabat. Matrem & sororem stuprare non abhorruit: Senecam magistrum suum interfecit. Nero primus in Christianos mouit seditionem. Matrem suam euiscerauit. Nero audiens Galbam in Hispania ab exercitu Imperatorem esse creatum, animo fractus à senatu hostis pronunciatur. Ipse fugiens apud quartum lapidem ab vrbe, seipsum occidit, & (vt dicitur) à lupis est deuoratus.

Idem. Phalaris Siculus Tyrannus, dum innocentes homines varijs tormentis crudeliter assiduè affligeret, quidam faber ærarius, nomine Berillus, volens placere illi regi & aptum suæ crudelitati munus offerre, taurum æneum fecit, cui ex latere ianuam composuit, vt per eam homines crucianḋi inducerentur, & dum ignibus suppositis vrerentur, non gemitum hominis, sed mugitum bouis emittere viderentur. Eundem itaque taurum æneum tyrannus gratanter accepit, & ipsum fabrum in eum primitus posuit, vt ipse auctor huiusmodi tormentum primus experiretur, & vbi alios extinguere proposuit, ipse mereretur extingui.

Idem. Zacharias Papa Hildericum Regem cùm ad nutum Pontificum viuere nollet, Regno deiecit, & Pipinum Regis seruum, qui se ad id offerebat, constituit, & ab hoc scelere eum cum omnibus Franciæ subditis absoluit, & bene fecisse declarauit. Ex quo facto Historici Romanos Pontifices regna mutandi authoritatem traxisse perhibent. Habes ergò, vnde Papa potestatem sibi in omnia regna sumserit.

Idem. Regnante Anastasio in Oriente: Theodorico verò Ariano Romam premente: Symmachus & Laurentius pro Papatu in vrbem contendunt, cui controuersiæ cum effusione sanguinis multorum tam clericorum, quàm laicorum, tribus annis protelatæ, Theodoricus synodo conuocatâ, finem imposuit.

Saladinus Imp. Asiæ. 1192.



TEmpore Henrici 6. mortuus est Saladinus, vir omni eius seculi virtute, gestarum rerum gloria, & potentia facilè princeps: qui iusserat interiorem tunicam lanceam palo suspendi, & deferri ante funus, præconemque clamare: Et Saladinus Asiæ dominator, ex tanto Regno, tantisque opibus nihil aliud secum fert.

De hoc vide Naucierum, & Iouium in Saladino: & apud Bocatium habentur hi versus:

Vixi diuitijs, regno, tumidusq; trophæis:
Sed pannum nigrum nil nisi morte tuli.

Episcopus Bellator. 1198.

EXuberat, & exuperat in omni terrâ malorum turba gregem dominicum. Episcopus arma contraxit quanta potuit in Saxoniâ: & vbi iam ad conflictum ventum fuit, ipse ferociori, quàm regere posset, equo deiectus, fertur inuitus in medios hostes, ibique confoditur. Crantzius. Imp. 100 Philippo. Papa vt sup.

Bertholdus de Osinberg. 1198.

HIc de Volcone quodam Sacerdote Gallo admiranda scripsit miracula, quorum multa recensset. Et inter cætera, quòd meretricum sectam Parisijs abstulerit, Theologosque & Decretistas & alia reformauerit: sed quò tandem peruenerit nescitur, nam disparuisse dicitur. Otho de S. Blasio. Imp. 100 Philippo. Papa 180 Celestino 3.

Ordo Franciscanorum, seu Minorum.

HOspinianus ex manuscripto Chronico Minoritarum eorum initium refert ad annum 1198: Martinus Polonus ad annũ 1206: Panuinius ad annum 1209: Guido Bonatus ponit annum 1211: Francus 1224. Franciscus quidam Asisij natus, quæ vallis Spoletanæ ciuitas est, Ordinis huius origo exiſtit, de quo Bonauentura & Vinc. in eius vitâ. Martinus Capellanus, Iacobus de Voragine, & Volateranus scribunt, eum priùs Ioannem fuiſſe dictum: sed quare postea Franciscus appellari voluerit: causas referunt. Bonauentura eum visione quadam, quam recitat, ad monasticam vitam pertractum tradit: vt apud eum. In dicto loco, quo natus fuit, ordinis sui initium fecit: sed cùm de Regulâ cum alijs disputaret, Bibliorum textum, præmissâ oratione, & precibus, aperuerunt: vt quicquid ibi primò obueniret, pro Regulâ haberetur. Aperto igitur libro, locus se obtulit: Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Secundò iterum aperientes inuenerunt: Nihil tuleritis in viâ. Tertiò obuenit hoc: Qui vult venire post me, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & me sequatur. Tum Franciscum dixiſſe: Hæc ergo nobis sunto pro Regulâ. Regula eius scripta, & testamentum extant apud Hospinianum.

Innocentius 3. Pontifex eo tempore somnium habuit, quo vidit Lateranensem basilicam ruinam nutare, & à quodam homuncione dorso subiecto subleuari: quod de Francisco intelligi, reuelatione accepit. Bonauentura. Regulam autem, quam conscripserat, obtulit Pontifici confirmandam, quæ cùm nimis dura videretur, Papa ei dixit: Vade frater, & quære porcos, quibus potiùs debes quàm hominibus comparari: & inuolue tecum eis in volutabro, & regulam illis à te commentatam trade: officium tuæ prædicationi impende. Quod audiens Franciscus, Inclinato capite in luto secum porcis inuoluit, & ad Papam reuersus dixit: Domine feci quod præcepisti: obsecro exaudi petitionem meam. Quod factum Papa admiratus exaudiuit eum, & cum benedictione dimisit. Matth. Paris. Cùm post obitum Francisci & Monachis quoque nimis dura & stricta videretur hæc Francisci Regula, (voluit enim illam non minus quàm ipsum Euangelium seruari) cœperunt subducto colore aliquo dicere, consilium tantùm, ad quod nemo obligetur, non legem esse illam Regulam Francisci: & hoc fuco se liberârunt.

Franciscani alio nomine etiam Minores ab humilitate, & Barfüſſer / quòd nudis incedant pedibus, & cordigeri, & funigeri, à corda & fune, quibus cinguntur, appellantur.

Sub Minoribus comprehenduntur fratres de Obseruantiâ, Conuentuales, Minimi, Capucini, Collectanei, Amadeani, Reformati, de Euangelio, Chiacini cum barbâ, de Portiunculâ, Paulini, Bosiani, Gaudentes, de Augustinis cum perforatis calceis, Seruientes. Vestitum mandauit Franciscus humilem, & vilem: calceos nullos. Sed posteri fenestratis vsi sunt: hoc est, non verè calceis, sed soleis tantùm.

Grauis inter Ordinis huius fratres disputatio tùm orta fuiſſet de vestitu, super eâ primùm Nicolaus 3. & tandem etiam Clemens 5. rogatus, sententias tulerunt, quarum vna est apud Hospinianum: altera extat in Clement. de verb. sig. Quibus tamen non contenti, aliam à Ioan. 22. petunt: quam habes in Extrauagante Ioan. 22. de verb. sign.

Vtuntur hodie omnes Minores demissis ad talos vestibus, & grandibus cucullis grisei coloris, qui ex albo & nigro quodammodo compositus est, cincti sunt funibus, & nudis pedibus incedunt. Alij tamen manticas patulas, alij strictas gestant.

Minores Franciscus ideo dici voluit: vt maiores fieri non præsumant: quæ lex post mortem eius non diu stetit. Nam fratres præterito Fratre Eliâ, qui Francisci vicarius fuerat, Ioannem Florentinum elegerant. Quem æmulus Elias cùm Ioannes congregatum haberet capitulum, deturbauit, & effractis portis vi generalis Magister à suâ factione creatus est: atque hoc factum à Gregorio 9. comprobatum. Anton. & Volat.

Cùm hic Ordo per magnificas structuras, pretiosas vestes, & alios abusus, à veteri pietate receſſiſſet, Fr. Gondisaluus factus Generalis, ædificia talia destrui, vestesq; reijci, & omnia ad pristinum statum reduci iusſit. Et sententias excommunicationis in omnes sui ordinis fratres & Prælatos tulit, nisi infra certum tempus illis, à quibus poſſeſsiones, & reditus accepiſſent, restituiſſent, quod etiam factum fuit teste Antonino: Primus certè & Vltimus ex omnibus Ordinibus, qui hoc fecit: Ideoque quia rarum, immò inauditum hoc seculo, prætereundum non putaui. Magnum verò chaos blasphemorum miraculorum referuntur à Bonauenturâ, & in libro Conformitatum de Francisco confictorum. Inter alia: totidem plagis ac stigmatibus ijsdem à Christo compunctum fuiſſe, quot Christus in cruce pendens affectus fuerat: ob eamque causam appellatum IESVM Typicum, quasi IESV crucifixi antitypum. Vt quemadmodum character in cerâ signum imprimit, ita CHRISTVS in Francisci corpore sua vulnera impreſſerit. Et sicut

Anno

Iesus Christus est imago Patris: ita Franciscus sit imago Christi. Denique vt Christus in Francisci corpore tanquam imago in speculo appareat. Vnde illud nefarium, & abominandum ei libro à fronte præfixum:

Francisce, Iesu typice, dux, norma Minorum,

Perpetuas nobis da sedes regni cœlorum.


Vlterius idem lib. conf. refert: Ioannem verbum de pœnitentiâ accepisse à Domino: Franciscum autem à Domino, & Papâ: quod plus est. S. Ioannem amicum sponsi: Beatum Franciscum similem Domino Iesu Christo: & in locum Luciferi substitutum. Ibidem legitur: Quidam raptus in cœlum, vidit Christum, & Mariam, & alios Sanctos: & cùm B. Franciscum videre quoque cuperet, Christum eleuasse brachium dextrum, & de vulnere exiuisse Franciscum cum vexillo crucis explicito in manibus, & post ipsum maximam multitudinem fratrum.

Blesæ vrbe Galliæ de Francisco palàm pro templi foribus inscriptum extat: Quæretur peccatum illius: & non inuenietur.

Breui temporis spacio adeò creuisse hunc ordinem scribunt, vt cœnobia hinc inde plus quàm 1500 extructa fuerint. Initiatorum 60000, Minoritarum verò 90000: Sabellicus refert, Magistrum Generalem Ordinis pollicitum quandoque Pio Pontifici expeditionem contra Turcas paranti, ex Minoritarum familiâ 30000, qui bellica munera gnauiter obire possent, nihil impedito sacrorum cultu, vel interpellato. Vrstisius ex Sabell. in Chron. Bas. & ex Bartol. de Pisis.

Cùm Regula Francisci principalis esset: Ne quid proprij haberent, sed ex eleemosynis viuerent: eam diutius ferre non valentes miserunt ad Nicolaum 3. Pontificem, vt eam vel omninò tolleret, vel mitigaret. Nicolaus vsum rerum donatarum permisit, proprietatem autem minimè. Hos deinde conciliat Sixtus 4. Diuites ergo contra votum suum facti, multos habuerunt in ipso Papatu, qui contra ipsos calamum strinxerunt, & eorum dolos, fraudes, hypocrisin, impietatem, & scelera omnis generis detexerunt, de quibus passim mentio fit in hoc opere. Sunt autem præcipui Bernhardus Potho, Annales Nicetæ Choniatæ lib. 7. Hildegardis, Godefridus de Fontanis, VVilhelmus de S. Amore, Liber scholæ Parisiensis de periculis mundi, Desiderius Longobardus, Ioannes de Poliaco, Ioan. Treuisa, VValdenses, Richardus Armachanensis, Balæus, Gerhardus Ritter, Petrus de Alliaco, Hussitæ, Fasciculus Speculi Hierarchiæ Ecclesiasticæ, Ioannes Gerson, Fælix Malleolus, VViclcuus in lib. de hypocrisi, Nicolaus Quodus, Laurentius Agricola, Lud. Viues in August. de ciuitate Dei, Albertus Krantz, Polyd. Vergilius, Agrippa, Sleidanus, Stumpfius. Alexander 6 de illis dixit, malle sibi cum potentissimo Rege bellum esse, quàm cum vno ex Mendicantium Ordine. Omnia enim habere, qui nihil habeant. Inexpugnabile esse genus hominum, quacunque certandi viâ eos adoriaris.

De his quoque N. Clemangis, Attendite inquit, à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Annon lupi rapaces sunt velamina ouium gestantes, qui omnia, quæ huius mundi sunt, verbo se deseruisse asseuerant, facto tamen ipso temporalia incredibili ardore concupiscentiæ, insidijs, fraudibus atque mendacijs vndique exquirunt? Annon lupi rapaces sunt ouicularum vellere amicti, qui vitæ austeritatem, castitatem, humilitatem, sanctam simplicitatem exteriori specie simulant, intus verò exquisitissimis delitijs, & variarum copiâ voluptatum vltra omnem mundanorum luxuriam exuberant? Annon lupi rapaces sunt sub ouili imagine latitantes, qui more Sacerdotum Belis in suis penetralibus oblata deuorant, mero se ac lautis epulis cum non suis vxorib. licet sæpè cũ suis paruulis, auidè satiantes, cunctaq; libidinib quatũ torrentur ardore polluentes? Annon lupi rapaces sunt foris ouem mentientes, qui ea quæ facienda sunt, dicunt & non faciunt: & cũ alijs prædicauerint, suâ ipsâ prædicatione reprobi efficiuntur? An non lupi rapaces sunt ouiũ similitudinẽ falsò prætendẽtes, qui cùm Angeli lucis primo aspectu appareant, satanæ tamen (vt Pauli verba sunt) & non Christo Domino, sed suo ventri seruiunt, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentiũ? Sed audi adhuc, quid de illis ad propositum Saluator dicat: Væ vobis ô Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ, & immundiciâ: qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ. Quid de eis verius dici potest? quid aptius? quid lucidius, quàm quod cœlesti ore dictum audis? Hospin.



Tandem

Tandem regnum eorum inter se diuisum visum fuit: nam Mendicantes mordacibus scriptis, picturis, atque concionibus diris se mutuò impugnârunt. Prædicatores accusabant Minores hypocriseos: quòd pecuniæ tactum lege vetuissent, quam expansis vlnis acceptarent. Et ne Christum pro se habere possent Franciscani, Dominicani curârunt sculpi, pingi, atque parari per templa passim crucifixi Christi (quarum adhuc hodie quædam visuntur) non nudum corpus cruci affixum, neque ornatum in capite coronâ spineâ, vt Franciscani eum pingebant: sed redimitum coronâ Regiâ, & aureâ: indutum verò prætextâ, id est togâ, vel purpurâ ad talos vsque demissâ, & limbis auteis prætextatâ: cinctum insuper zonâ aureis preciosâ bullis: sed & imaginis pedibus calceos induerunt auratos, vel bracteatos.

Quin in nonnullis Prædicatorum monasterijs, & Ecclesijs pictæ, & sculptæ sunt in Franciscanorum contemtum, & odium crucifixi imagines, altera quidem manu cruci affixâ: altera verò missâ in crumenam, quæ ex zonâ pendebat, veluti inde pecuniam prolaturâ: vt à Ioanne Vitodurano Minoritâ in Chronico traditur.

Quàm proiectæ & desperatæ impietatis & exsecrandæ blasphemiæ sit hoc audax & sacrilegum facinus, (exhorresco referens) hisce diabolicis sannis ludere, & persequi Christum: cuius authori, non mirum foret, si vel ima tellus dehisceret, aut centum fulmina eum ad tartara proturbarent: quamque horrendum, & abominabile sit dictu & auditu, homines Christianos, & quidem ex eo ordine, qui præ reliquis sanctam, spiritualem, & diuinam videri volunt degere vitam, huiusmodi se inuicem proscindere calumnijs, vt Deum quoque ipsum talibus afficiant, Filiumque eius de nouo crucifigant, quilibet pius æstimare potest.

Vestitus Minorum, virtus & sanctitas.

HVic vestitui progressu temporis tantam sanctitatem, & vim diuinam adscripserunt superstitiosissimi homines, vt eum ad æternam salutem non parùm conferre existimarent: ideoque non modò mediocres, sed magni etiam viri, optimates ac Principes in eo sepeliri voluerunt, existimantes se hoc pacto à diabolo tutissimos fore. Sic enim legimus de Marchione Mantuæ Francisco II. quòd testamento cauerit, vt in Seraphici veste sepeliretur. Fecit idem Albertus Pius Carporum Princeps Lutetiæ: Christophorus item Longolius Belga Patauij sepultus, vir cumprimis eruditus: & Robertus rex Siciliæ, vt Antoninus indicat tit. 24. cap. 9. §. 16. & Sleidanus lib. 22. Comment. Miror autem quis author fuerit superstitionis huius: nam ad Franciscum eam referre non possunt, qui moriturus exuit suas vestes, & nudum se humi prostrauit, vt in illo etiam Christo conformis esset, qui nudus pependit in ligno. In illum verò habitum Minorum quidam tali carmine lusit:

Cordula nodosa, pes nudus, cappa dolosa:
Hæc tria nudipedes ducunt ad tartara fratres.

Balæus de Scriptor. Britan. Centur. 3. cap. 57. in Appendice. Et de cingulo, seu canabino fune, quo cinguntur fratres isti, Buchananus Poëta ad Pantalabum ita lusit:

En tunicam fluxam nodosa cannabe cingis,
Cùm meliùs fauces stringeret illa tuas.

Manlius tom. 3. Loc. commun. fol. 21. de fune, quo se Minores præcingunt, talem iocum, sed tragicum planè, recenset: Parisijs, ait, diues mercator, & quidem Papista, ioco dixerat ad Franciscanos: Vos geritis funem circa corpus, quia cùm Franciscus suspendendus esset, Papa redemit eum ea lege, vt per omnem vitam funem gereret. Franciscani Parisien. comprehenderunt eum, & in carcerem coniecerunt, iudicatumque est, vt suspenderetur. Ille verò periculum mortis euadere cupiens, cecinit palinodiam, ac dixit: Lutherus est hæreticus, & ex diaboli instinctu docet. Monachi audientes hæc, rectè inquis, dicunt, & si hac in sententia manseris, saluus fies. Igitur iubent pergere & properare lictores ad patibulum, dum esset in confessione verâ, ne iterum deficeret. Sicque suspensus est, quòd per iocum dixerat, cur Franciscani funem gererent. Hospin. Plura scelerosa, cruentaque facta horum Monachorum reperies quoque in hoc libro, sub anno 1370: de quo Stumpfius, & alij. nimirum Bernæ: & anno 1534 quoq; Aurelijs. Item circa annum Domini 1250 per Minoritas & Prædicatores tanta est facta defectio à Christo, qualis nunquam in orbe fuit. Pro vero enim Christi Euangelio aliud ad mores suos magis congruum finxerunt: quod Euangelium Spiritus sancti vocârunt. Quod comparatum, inquiunt, ad Euangelium Christi, tantò plus perfectionis & dignitatis habet, quantum Sol ad Lunam collatus & ad nucleum testa. De quo apud Guilhelmum de S. Amore integram habes historiam. Quàm horrendis etiam prodigijs aduentus Mendicantium per Deum hominibus significatus sit, eorum plurima recitat Hospinianus, Funccius, Bal. Ranulfus, Erfordiensis, Tritheymius, Antoninus & alij.

1199.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

Imp. 100. Philippo Sueno. Pp. 183. Innocentio 3.

VTut verò hæc res sese habeat, mox ab Henrici morte Pontificum vesana perfidia rursus efferbuit. Cùm etenim Heinricus iam moriturus, Innocentium tertium Celestini successorem

filio

filio Friderico, quadrimo adhuc ferè in cunis vagienti, ad Imperium tamen principum electione assumto, tutorem dedisset: eique vxore Constantia obnixè commendata, fratri germano Philippo, Hetruriæ & Sueuiæ duci, Romani Imperij & Siciliæ regni, quousque pupillus adolesceret, administrationem commisisset: Pontifex tutelæ fide in perfidiam atque hostilem oppugnationem conuersa, Sueuicam familiam, adeoque totam Germaniam nouis motibus atque bellorum incendijs inuoluit. Siquidem cùm Philippus ad fratrem ægrotantem è Germania properans, in monte Flasconis, non longè à Viterbio sito, de morte fratris Imperatoris inaudijsset, ac imperij retinendi cupiditate festinabundus Haganoam, vbi Principum conuentus erat, recurrisset, complurium animis sibi conciliatis: Nocentius iste, qui Sueuos nomine quidem tanquam Ecclesiæ persecutores, re autem vera ob Siciliæ dominationem, quam ipse ambiebat, infensissimo odio prosequeretur: initiò, quò Philippum impediret, friuolis exceptionibus excommunicationis, cui à Celestino fuisset subiectus, insistere: dein, quò eum non parentem irreligiosum ostenderet, Episcopum Sutrinum ad repetendum ab eo obsides, quos olim frater ipsius Heinricus exocularat, mittere. Ac eo a legato humilitate sua absolutionem obtinente, ac vades Nocentio remittente: ille viros excæcatos in inuidiam Philippi turbæ ostendere: Episcopum Sutrinum, quòd citra mandatum Philippum absoluisset, officio priuatum, in quandam insulam maris relegare: mox Bertholdum Zaringiæ ducem, quem neruis belli valere, & Sueuis, ideò quòd antè à Cunrado Pilippi fratre bello petitus esset, minimè amicum nosset, ordinibus Imperij obtrudere, de eius electione prolixe literis scriptis, quæ adhuc extant C. venerabilem. de electi. potestate.

At Bertholdo, quòd se virtute bellica Philippo à Sueuis, Saxonibus, Bauaris, Bohemis, Rhenique principibus electo, multò inferiorem esse agnosceret, cum legitimo rege in gratiam redeunte, ita vt ei etiam obsides, nepotes suos, Cunonem & Bertholdum comites de Vrach daret, simulque fidelitatem iuraret: tanta indignatione, sui elusione Innocentius exarsit, vt in hæc verba proruperit: Aut Pontifex Philippo diadema regium, aut Philippus Pontifici insigne regium auferet. Ac ideò Othonem Heinrici Leonis filium, principem audaciæ atque superbiæ, quam prudentiæ maioris ex Anglia euocatum, contra Philippum, corona Imperiali ei missa conciriat: & Philippo, vt ab eo alios abstraheret, ius fasque omne interdixit. Ex quo pestiferum quidem Imperio, curiæ verò Romanæ rationibus perquam commodum ac vtile schisma exortum est.

Nam cùm Philippus & Otho sæuissimis bellis de imperio inter se decertarent: vix aliqua dignitas Ecclesiastica, vel etiam parochialis remansit, quæ non per artes curiæ Romanæ litigiosa effecta, Romamque deducta, fœdissimis harpyijs Romanis pro compositione litium celeriter expilanda, prout Abbas Vrspergensis in fine narrationis huius testatur, occasionem, qua curia Romana tantas diuitias corraserit. his verbis ostendens: GAVDE (inquit) mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, vt ad te confluant riui & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi precium. Iocundare super adiutrice tua Discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes, quod semper sitisti, decanta canticum: quia per maliciam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipsorum deuotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio precio comparata.

Etsi autem Bohemiæ rex Odoacer, Landgrauius Thuringiæ Hermannus, & Episcopus Argentinensis, vnà cum Adulpho Coloniensi archipræsule, Pontificio anathemate moti, ad Othonem auunculi regis Anglici Richardi auxilio fulsultum, deficerent: non tamen Philippus animum abijcit, sed Hetruria in Italia, & Sueuia in Germania firmo validoque præsidio munita, Alsatiam tanquã Sueuiæ viciniorẽ initiò vastat: deinde Thuringum, cui Bohemus sese coniunxerat, ad pacẽ & deditionem compellit, Bohemo fugato. Postea per Coloniensem reconciliatum, Brabantiæ & Lotharingiæ duces Confluentiæ fœdere sibi iungit: ijsque peractis, cum exercitu socijsque Aquisgranum descendit, ibique magna cum solennitate à Coloniense coronatur. Ad extremum, prope Coloniam cum Othone congrediens, eum superatum in fugam vertit: ita vt is ab omnibus desertus in Angliam secederet.

Principes, cùm felices prosperosque Philippi successus viderent, & ciuili regum discordia defatigati essent: communi consilio legationem splendidam ad Pontificem mittunt, quæ Philippo in gratiam Pontificis reducto iurium Imperij confirmationem impetret. Ille verò legatione audita, non alia conditione se iura Imperij Philippo confirmaturum ait, quàm si filia regis Philippi, filio fratris sui Richardo, recens comiti Thusciæ, Spoleti & marchiæ Anconitanæ creato, vxor detur, sperans nepotem suum hac ratione terras istas hæreditario iure perpetuò obtenturum.

Sic sanctissimi patres, iam longo tempore, sede piscatoris conscensa, magis de suis nepotibus, propinquis, atque mansoribus ditandis, quàm de Ecclesiæ vel Reip. commodo soliciti esse consueuère: bella quoq; interdum ob id suscitantes, vt cùm pax constituenda est, spe firmioris amicitiæ, potentiores suos Pontificijs coniungant. Legatis quidem hæc conditio à Pontifice proposita perquàm peregrina & aliena à negocio esse videbatur, filiã regis Papæ vilissimi nepoti in matrimonium tradi debere. Ne tamen eũ offenderẽt, modestè ciuiliterq; sese excusant, nihil de hoc sibi in mandatis

esse datum dicentes: ac consulunt, vt Papa suos super hoc ad regem mittat. Ille itaque, qui cupidi-
us, quàm prudentius nepoti suo filiæ regis matrimonium quæreret: Hugolinum Hostiensem &
Leonem sanctæ crucis in Hierusalem Cardinales, Philippi legatis in Germaniam reuertentibus ad-
iungit. Etsi autem Augustam venientes honorificè suscepti, benigneque sint habiti: tamen præpo-
stera Papæ ambitione cognita, quæ legem domini sui temerare non erubesceret: Rex & Principes
tacitè in risum soluti, cùm à legatis proposita nihil ad rem quadrare viderent, Augusta Spiram, ac
inde Northusium mouêre: ibique post longas actiones pax hac conditione est facta, vt Pontificis
nepote spreto, repudiatoque, filia Philippi, quam stultus Pontifex tanto studio ambiuerat, Othoni
desponsaretur: & hic, dum Philippus viueret, regno cedens, post mortem eius regnaret.

Non diu verò post hanc pacem Philippus superfuit. Cùm enim relicta Saxonia iter in Sueui-
am maturaret, atque Babenbergæ ocij gratia subsisteret, ab Othone de Vuittelsbach (nepote eius,
cui Bauariam à Friderico collatam diximus, è fratre) in cubiculo, in quod solus vena incisa secesse-
rat, proditoriè atque nefariè trucidatur: ipso indignante, quòd sibi perfidiæ infamia notato, Im-
perator filiam Othoni desponsatam dare renuisset. Igitur post Philippi miserabilem interitum
Principibus Francofurti conuenientibus, Otho vnanimi eorum consensu Rex eligitur. Schardius
ex Vrsperg: Nauclero, & alijs.

1199. Ganfredus de statu curiæ Romanæ, & eius recommendatione.

NVper Apostolica Ganfredus sede relicta
In patriam rediјt, cuncta peracta tenens.
Obuiat Aprilis Hispana gente profectus,
Obuiat, inq; vicem verba salutis agunt.
Iste locum nondum Romanæ viderat vrbis,
Alter erat tota cognitus vrbe diu.
Postulat Aprilis, vt se de gente, locoq;
Moribus expediat: postulat: ille fauet.
Gan. Quid Romæ facture, quid est quod quæris in vrbe?
Cur te sub longo climate mundus habet?
Apr. Ille refert: Studui lustris ter quinque, nec vlla
Respondit meritis Philosophia meis.
Papa meos solus poterit releuare labores,
Et remouere sitim fonte perennis aquæ.
Hunc peto, si forsan nostri miserebitur, & si
Pauperatis hyems tanta mouebit eum.
Ampla tenent alij stipendia diuitis aræ:
Hic tribus, hic senis, diues at ille decem.
Sed mihi sufficeret præbendula pauperis aræ
Quinque talenta valens, quinque, parùmue magìs.
Credo, quòd vrbis apex, sanctissimus ille virorum
Si me cognoscat, non neget ista mihi.
Ditat eos, qui pauca sciunt, vir sanctus, & à me
Forsitan excutiet pulueris istud onus.
Sed precor incipias, Romæ quis sit status vrbis:
Et si sint illic tempora dura, refer.
Fama refert, quòd res nummis prius empta duobus,
Patre duplum valeat adueniente sacro.
Fers aliquid? Ganfredus ait, Fero, subdidit alter,
Sit licet exiguum, non tamen ære vaco.
Rumor enim loquitur, quòd curia sacra requirat
Munus, & absq; illo littus aretur ibi.
Nescio, si sic est: tu cùm sis cognitus vrbi,
Hærentem dubiè non dubitare sinas.
Gan. Frater amice, tibi res est narrata sinistrè,
Falleris, & non sic erudiendus eras.
Peccat, Romanæ quisquis sic derogat vrbi.
Sed linguas hominum quis domuisse potest?
Ventus per celsos sua dat spiramina montes,
Nec liuor claris nouit abesse viris.

Aurea

Aurea sunt illic, Aprilis, secula Romæ,
Vrbs sacra, prædulci venaq; melle fluit.
Nulla queri poteris, postquàm perueneris illuc:
Omnibus hæc est vrbs deliciosa bonis.
Non placeat superis Papa præsente beato?
Deterius solitò qui sit in vrbe forum?
Non aliter lueret pœnas Vir talia tentans,
Quàm solet inuentus vir nocuisse volens,
Omnia de circum veniunt regione iacenti,
Protinus vt Papam Roma beata videt.
Grana Ceres mittit, & grandia dona Lyæus,
Transmittit fœtus pinguis oliua sacros.
Byssus ab Æthiopum Romam deducitur oris,
Et tellus alias barbara mittit opes.
Cocco bis tinctos vrbi dat Græcia pannos,
Quid moror? huic vrbi seruit vterq; polus.
Deliciæ si quis vbi sint ignorat, in vrbem
Tendat, & inueniet omne quod orbis habet.
Apr. Insolitus timeo ne me distemperet aër,
Et mea tristis ibi presbyter ossa tegat.
Gan. Si pietatis adhuc opus est in climate nostro,
Si perfectus amor, vrbs habet ista duo.
Esto quòd arripiat te febris in vrbe, quod absit:
Physicus est illic, quem tibi Roma dabit.
Roma tenet medicos pro febricitantibus aptos,
Qui res exiguas de patiente petunt.
Apr. Si forsan moriar, quali tumulabor honore?
Exulis exequias quis celebrare solet?
Gan. Tot digitos in vtraq; manu, tot in ore rotundo
Non niueos dentes dinumerare potes:
Quot tibi missarum solemnia sacra dabuntur,
Clauserit extremum si tibi Roma diem.
Ante tuum corpus summo reuerenter honore
Compositum clerus lumina mille feret.
Thuris odor fragrans myrrhæ iungetur odori,
Purpura defunctum te preciosa teget.
Apr. Quis rerum diuisor erit, Ganfrede, mearum?
Si fuero gressus carnis in vrbe viam?
Quis mihi promittet, ne si mea lumina condam,
Diripiat nostras hospes auarus opes?
Gan. Non tibi pro capitis oculo, quicunq; sit hospes,
Senseris in cuius vltima fata domo.
Non trahet è marcis, quamuis sint mille valorem
Festucæ, vel si res minor esse potest.
Hospes, in hospitio cuius decesseris illic,
Diuidet in requiem cuncta relicta tuam.
Sic etenim cautum est, sic vrbis prouida virtus
Constituit, lex est inueterata loco.
Apr. Lætus eo. Sed dic, num sit procurator in vrbe, De procuratoribus.
Consequar optatas quo mediante preces?
Gan. Deseret infantem mater prius, herba virorem,
Piscis aquas, virides garrula rana lacus,
Sponsa virum tenerum, tener infans vbera matris,
Quàm procurator non sit in vrbe sacra.
Apr. Estne fides etiam procuratoribus illis?
Qui se credet eis, num benè tutus erit?
Audiui, quòd dent aduersis partibus arma,
Et sic occultè munus vtrinque petunt.

Spem faciunt illi, quòd Vincere debeat in re
Proposita, & litis ferre trophæa suæ.
Mox redeunt, & idem promittunt illius hosti:
Et sic exhaurit tertia bursa duas.
Gan. Nescio, nec credo: sed talia verba frequenter
Audio, nec pœnas res habet ista breues.
Apr. Præterea didici, quòd lites, probra, tumultus
Exagitant illos, sed malè credo, viros.
Dissimulanda tamen sunt talia, dummodò litem
Contestando suam verbera nulla ferant.
Gan. Frigida mendaces compescat passio linguas,
Quæ ferit innocuos & sine labe viros.
Hoc genus est hominum, fallacia nulla reperta
In quibus esse solet, & nota nulla mali.
Fraus, dolus, impietas à mentibus exulat horum:
Longius exagitant pectoris omne nefas.
Simplicibus contenta modis hæc turba virorum est:
Ignorat penitus iurgia, verba, minas.
Quando sedent illic, sine Marte negocia tractant,
Et cessant linguæ murmura cuncta malæ,
Nemo loqui præsumit ibi, nisi quicquid honestum
Aut iustum fuerit, cætera verba vacant.
Ambitus vt seruat consueta silentia claustri,
Vocibus exclusis sic locus ille tacet.
Petrus ab Assisio, subitam quia nuper in iram
Surrexit, grauius litigiosa mouens:
Turpiter eiectum pepulerunt, & locus ille
Non potuit strepitum dissimulare viri.
Inter eos fraterna fides liuore remoto
Regnat, & è puro pectore manat amor.
Si quid promittunt triplici quasi fune ligatum,
Alludunt rebus consona verba suis.
Spondeat, aut iuret tibi rem Cistertius Abbas,
Illorum superat sponsio nulla fidem.
Tempore res aliquas promittunt soluere certo:
Persoluunt citius, præueniuntq́; diem.
Dedecus esse putant, contendere iudice coram:
Vtq́; alibi mos est, verba probrosa pati.
Lite recens orta nôrunt sopire querelas,
In radice mali quæstio mota perit.
Si duo contendunt verbis quandoq; parumper,
Tertius in medium commoda pacis agit.
Apr. Quis breuiore via, quis pro mercede minori
Expediet factum, dic vir amice, meum?
Gan. Eligito, quemcunq; velis, valet vnus vt alter:
Quilibet ex illis vt tibi frater erit.
Sed tamen illius vites consortia Petri,
Cuius nequitiam publica fama refert.
Apr. Pande dies igitur Ganfrede, & tempora narra,
Quæ cedent factis expedienda meis.
Gan. Quarta dies, quæcunque tenes Aprilis agenda,
Terminat, & reditum lux tibi quinta dabit.
Hoc tamen excepto: si sit tua maxima causa,
Tunc cedunt factis tempora plura tuis.
Apr. Qualiter istud erit, cùm non ego solus in vrbem
Ante pedes sacros expediendus eam?
Nonne, velut pelagus terrarum colligit vndas,
Roma frequens hominum sic genus omne capit.

Nonne velut pisces veniunt, redeuntq; su b vndis,
Sic huc diuerso longiùs axe meant?
Gan. Sic equidem, Ganfredus ait: sed curia sacra
Officiatorum plena iuuante manu est.
Vt multæ cernuntur apes in vallibus Hyblæ,
Sic ope multorum curia fulta viget.
Sunt ibi, qui nôrunt formare negocia quæq;
Et sunt, qui formas abbreuiare sciunt.
Scriptorum clara non nomina voce recordor,
Sed mihi cum quadam nube venire solent.
Nec facile esset eos numero comprendere certo:
Sed possunt decies, vt reor, esse decem.
Istorum labor est chartas grossare notatas,
Et grossas cameris restituisse suis.
Sunt ibi, qui referunt sacri pastoris ad aures
Ardua vota hominum, sollicitasq; preces.
Quis stupor est igitur, aut admiratio mentis,
Absoluat si te tempus ab vrbe breue?
Crede mihi, si mille viris comitatus ad vrbem
Ibis, adhuc plures vrbs habet illa viros:
Omnibus vna quibus mens est, ac vna voluntas,
Conterat ingentem ne quis in urbe moram.
Protinus expediunt, quicquid datur expediendum,
Et mora sollicitos non tenet vlla viros.
Festinant, vrgentq; die noctuq; labores,
Inceptum donec perficiatur opus.
Res quandoq; datur tribus expedienda diebus,
Quam tamen instanter expedit hora breuis.
Prima dies igitur scribet quodcunq; petendum;
Et tua portabit vota secunda patri.
Tertia grossabit bullatum, quarta videbit:
Et potes in quinta dicere, Roma vale.
Forsitan horrebas, quòd te Romana teneret
Sumtibus innumeris curia sacra nimis.
Non est quod timeas: & ni loquor omnia vera,
Hanc frontem videat nullus in vrbe magis.
Apr. Litera, quid dices, si rescribenda bis aut ter
Extiterit, Romæ nónne morabor adhuc?
Gan. Hoc factum fortuna regit, casusq; gubernat:
Errorem tamen hunc quisq; cauere studet.
Scriptor enim studio scribenda Volumina tanto
Exarat, vt nulla parte notanda putet.
Et tibi si tua res ipsi facienda daretur,
Posset in obliquas currere penna vias.
Deterius forsan per te tua facta venirent,
Quàm per scriptores, quìs viget arte manus.
Si tamen à capite forsan tua litera scribi
Debeat, hic error à tribus esse potest.
Aut malè narrabis narranda, vel abbreuiator
Apponet factis plusue minusue tuis.
Ipse vel interea scriptor dum scripsit, Aprili,
Chartam subrosam fonte lauabit aqua.
Quiq; nocens fuerit discussa lite repertus,
Huic incumbit onus, vt reparetur opus.
Sacramenta putes quis scriptor frangere vellet,
Et violare patri, quam dedit ipse, fidem?
Sponte sua nullus commissa negocia turbat:
Si tamen excedit, dextera, crede, gemit.

De correctoribus.

Hoc Correctoris factum dependet ab arte,
Qualibet vt redeat charta sapore nouo.
Ille tibi apponet per se, vel demet amicè
Rem, quam non poteras consuluisse tibi.
Ille oculus tuus est: & ne qua parte vacillet
Res tua, subtili lumine lustrat opus.
Illius officium est, vt sal tibi mittat in ollam,
Ad mensam vacuum ne salis intres olus.
Ille piper dapibus, & condimenta ministrat,
In quorum gustu lingua stupere potest.
Ille quidem mihi ceu faber esse videtur, & omnes
Fabrorum ritus officiumq; sequi.
Si producta nimis sit litera, ponit in ignem:
Ingemit. & crebro verbere cudit opus.
Si breuis est, & eget quid producenda, fauillas
Excitat, & rursus massa sub igne calet.
Malleus eductam tandem sic concutit illam,
Longiùs vt crescat, amplificetq; viam.
Litera limata tua non est cassidis instar,
Quæ facit vt radiet cura fidelis adest.
Apr. Chartula, quid faciam, si cassa reuertitur ad me?
Fortaßis perdam, quis reparabit opus?
Gan. Nonne patrum pater est totius pastor ouilis?
Et superat cunctos compatiendo patres?
Ipse suas ita pascit oues, & prouidet illis,
Vt de pastura nulla queratur ouis,
Grandia dat magnis, & paruis parua, secundum
Quod pollent meritis iste vel ille suis.
Doctus es, & magno didicisti multa labore:
Cur cassarentur ergò petita tibi?
Spem teneas igitur: tanta ac fiducia tecum
Firma sit, vt nulla parte timere velis.
Illud Apostolicum nimirum munus habebis,
In patriam gaudens inde redire potes.
En ego qui nondum tanto sum dignus honore,
Quo contentus eo, munus ab vrbe fero.
Ad duo Papa videt: ad se qui maximus extat,
Et simul ad meritum suscipientis opem.
Et quid perdit in hoc, si dat res Ecclesiarum,
Quas emit moriens in cruce verus homo?
Certè sicut aquas in se mare colligit omnes,
Vt rursus certo tempore reddat eas.
Sic res Ecclesiæ pater omnes poßidet almæ
Sanctus, & acceptas spontè refundit opes.
Apr. Si contradictum fuerit mihi forsitan illic,
Absolui per quem litera capta potest?

De auditore contradictarum.

Gan. Contradictarum certus sedet arbiter illic,
Officio cuius discutietur opus.
Si res est simplex, & non præiudicat vlli,
Expediet cursus absq; labore suos.
Si verò talis fuerit, quòd fortè grauari
Inde potest aliquis, altera forma datur.
Tunc sub dißimili ponetur iudice causa,
Tunc poteris ventis ad tua vota frui.
Sic etenim seruat sua curia iura cuiq;,
Ne quisquam verè poßit ab vrbe queri.
Cùm fuerit concors conuentio factaq; repentè
Mittitur ad bullam charta refecta sacram.

Auditor litis, qui prælia temperat, & qui
Oppositas partes fœdere sæpè ligat:
Ille, nec inficior, superat genus omne metalli,
Duritia par est nullus in vrbe viro.
Non faciet pro fratre magis vir ferreus ille,
Quàm si mittat ei barbara terra virum.
Iudiciam subitò sic omnibus arbiter ille
Exhibet, vt neutro claudicet illa pede.
Obiice perpetuò clausas sub vecte perenni
Inferni portas quis reserare potest?
Scilicet haud aliter constantia pectora iudex
Hic immutato robore semper habet.
Apr. Dic reuerende comes, Vicecancellarius vrbis
Ducere quo studio tempora longa solet?
Gan. Ille secunda manus Papæ est, mediæq; diei
Pondus, & æstatis ferre laborat onus.
Surgit ad auroram, graditurq; ad prælia primus:
Pugnaq; sub tali iudice prima sedet.
Inde iubente viro, quæ littera Marte triumphans
Vicerit, ad bullam post ius bella datur.
Huius & hoc opus est, & regula certa legendi,
Vt ferat ante sacrum, cùm vacat hora, Patrem.
Plus aliis candoris habens hæc vltima fornax
Feruet, vt ad purum quodq; reducat opus.
Ignis & impositum non sic examinat aurum,
Nec medicinales sic rosa colat aquas.
Apr. Dic precor, vt possim voto breuiore potiri,
Lectorem precio conciliare licet?
Thuris odore Iouem placari sæpè videmus:
Mitior est frugum mater ad exta suis.
Bacchus ab incepta pro capro desinit ira,
Cùm videt in templo viscera fusa suo.
Omnia muneribus placantur numina sumtis,
Et diuina manus quærit honoris opus.
Præterea video, quòd si non vngitur axis,
Tardius inceptum continuatur iter.
Cera ligat tabulas, & eas confœderat aptè,
Et cerata ratis tutius intrat aquas.
Gan. Ille modus non est, Aprilis, in vrbe: sed illic
Muneris illiciti quisq; recusat opus.
Hoc quod habent gratis de cœli munere puro,
Non dant pro rebus, quæ niuis instar eunt.
Præterea sic ditat eos clementia Papæ,
Ne cuiquam sit opus, quòd malè quærat opes.
Gutta quid immenso confert breuis addita fundo?
Quid iuuat accensos flamma minuta rogos?
Sic nihil est, quodcunq; potest vir pauper in illos
Fundere, nec breuis est apta crumena viris.
Papa satis largitur eis: postponite curas
Vos, quibus hæc sacra est vrbs adeunda, viri.
Nullus in vrbe solet contingere munera Lector,
De quibus ante Deum pectora læsa ferat.
Disce, quid acciderit famosa nuper in vrbe,
Disce, nec in vanum verba notanda cadant.
Gratia Lectoris quendam promouit in illa,
Hoc duce & ad sacros venerat vsq; pedes.
Ille velut simplex, & qui non nouerat vrbem,
Quid faciam, dixit, clamne redire decet?

Estne boni species io laudatur honestas,
Vt nihil accipiat, qui mihi multa dedit?
Hic mihi pro tanto seruiuit, & omnia dudum
Quæ volui finem iußit habere suum.
Non igitur malè gratus ero, qui grandia pro me
Fecit, & ad portum carbasa nostra tulit.
Quamuis ille nihil hac pro mercede requirat:
Non tamen idcircò munera nulla feret.
Excitat in prædam, cogitq; sitire cruorem
A sue deprensa portio iacta canem.
Dixerat, & cautè rediit Lectoris ad ædem,
Imposuitq; viri quinq; talenta thoro.
Aere dato gressum tacitè dimouit: at hospes
In cameram rediens condita dona videt.
Vnde venis, inquit, inimica pecunia, quæ te
Imposuit lecto dextra nefanda meo?
Quid facis in nostris penetralibus ô maledicta
Aeris imago, mihi morte perosa magis?
Ecce tot horrendos mallem reperisse colubros,
Et quæcunq; homini monstra nocere solent.
Ille meo, quicunq; fuit, detraxit honori,
Qui posuit laqueos in mea damna suos.
Ite, ait, & subitò hunc inuestigate prophanum,
Qui studuit famæ prodigus esse meæ.
Verùm si latitat, quoniam latitare latronum
Est proprium, quod vox nominis ipsa docet,
Continuò nummos inter spargamus egenos:
Nesciat hospitium gutta minuta meum.
Hoc factum Papæ sacras peruenit ad aures,
Censuit & dignum laude, fauore virum.
Apr. Audio, quòd cassat quàm plura negocia Lector,
Quorum nulla fuit mentio facta patri:
Quæ si lecta forent aliquo mediante fauore,
Forsitan optatam Papa tulisset opem.
Pinguia dum veniunt, & macra negotia mixtim,
Hæc læta facie suscipit, illa graui.
Quod videt insipidum, communem mittit in ollam:
Quod sapit, & pingue est, decoquit olla minor.
Hoc tantùm dominis & conseruatur amicis,
Sed de communi quilibet haurit homo.
Illa minor factis detur, comes optime, nostris:
Exhorret stomachus vas generale meus.
Quid tibi, si sic est, sacra de sede videtur?
An res est, quæ sit laude notanda graui?
Gan. Dum sic distinguit ablata negocia Lector,
Non fuit, & non est vir ratione carens.
Omnia longinqui cognouit temporis vsu,
Quæ pater admittit, quæq; negare solet.
Ne sacras ergò teneat sermonibus aures,
Et det inutilibus tempora multa sonis.
Cassat eas quas Papa preces transire negaret,
Quàm citò prodiret primus ab ore sonus.
Quæ verò retinent formam cursumq; probati
Tramitis, has nunquam supprimit, imò legit.
Cumq; laborauit commissa negocia Papæ,
Mente legens pura, præmia nulla petit.
Nec terrena cupit, sed quæ sine tempore durant
Munera, res alias pulueris instar habet.

Apr. Si sermo Ganfrede tuus non deuiat à re,
Romulea nullus regnat in vrbe Simon.
Gan. Ista vetus miseri comes est insania vulgi,
Hæc stolidos semper crede referre viros.
Nullus in vrbe Simon, sed nec Simonia moratur,
Nec speciem, nec habet vrbs benedicta genus.
Res indiuiduas etiam non poscimus illic:
Nullus enim precio spirituale petit.
Eloquio testante sacro, Samaria vidit
Sola viri fraudem, pertimuitq́ nefas.
Sed multis, vt fama refert, terraq́ mariq́
Distat ab vrbe sacra millibus ille locus.
Ex quibus arguitur, & sic concluditur, amens
Ille quòd hac dicta non sit in vrbe Simon.
Roma virum, factumq́ viri non nouerat vnquam,
Re nisi quòd gesta rumor in vrbe fuit.
Mercator tanti sceleris mercede relicta,
In puncto Stygias raptus adivit aquas.
Vox Petri percussit eum: Tua proditor, inquit,
Munera sint tecum, perniciemq́ trahant.
Quod petis argento, nec fuluo quæritur auro:
Non Deus hoc fragili munere diues eget.
Huius ad exemplum noster se Papa retorquet,
Et comitatur in hoc curia tota patrem.
Simonis ingratum valeat quid nomen in vrbe?
Barbara nulla magis nomina Roma putat.
Si tamen est aliquid tali de nomine restans,
Nolo petas vbi sit, nam didicisse nocet.
Apr. Istud habes Ganfrede, meum quod fortius vrit
Pectus, & interior scire laborat homo.
Nulla meam mentem potius doctrina iuuabit,
Quàm mihi si pateat, qua sit in vrbe Simon?
Gan. Hæc tua supponit vir simplex quæstio falsum:
Vrbis enim Simonem mœnia nulla tenent.
Relligiosus erat, & spiritualia quærens:
Regales illi displicuère domus.
Sed mihi plura loqui de re non expedit ista,
Ne super astra ferar labra tulisse loquens.
Non adeò sum stultus adhuc, vt claustra, Priores,
Abbates, Monachos in mea fata vocem.
Placatos habuisse bonos, non gloria parua:
Qui prodesse sciunt & nocuisse simul.
Sufficiat nouisse tibi, ne plura require,
Quod Simon exemplo ducit ad ima suo.
Non tibi suspectus Cistertius ordo, vel abbas,
Non magis aut illi, qui crucis arma gerunt.
Excludo muliebre genus, velamina quarum
Horrent peruersi facta nefanda viri.
Pontificumne putes quòd mystica facta recusent?
Absit, & insanus talia credat homo.
Iam non præpositos, iam non inuoluo decanos,
Pectora me quiuis iudice pura tenet.
Alter in vrbe fuit magica perfectus in arte,
Roma sed hunc Simonem dixerat esse Magum:
Æthereas qui dum signum facturus ad arces
Iret, & in cœlum penna leuaret eum:
Ad partes redijt sanctis orantibus imas,
Et malè præsumtum continuauit iter.

Namq; cadens solidæ collisit corpora petræ:
Et stat in indicium petra perenne rei.
Apr. Melleus iste mihi sermo Ganfrede videtur,
Melleus est inquam, pocula lactis habens.
In causam fortassè traham, vel me trahet alter:
Aut grauor, aut alium fortè grauare volo:
Quis poterit, Ganfrede meam defendere causam?
Quem mihi tutorem curia sacra dabit?
Gan. Troia viris caruit nunquam, qui bella mouerent
Hostibus, & quorum laude superba foret.
India nec fortes quæ ceruos vincere posset,
Atq; feras alias, tigribus orba fuit.
Sed neq; Romulea domus est doctoribus expers:
Fons vtriusq; sacri iuris in vrbe viget.
Legibus armatur & Canone Roma frequenter,
Ecclesias alias riuus ab vrbe rigat.
Ars alibi speculata viget, sed practica Romæ
Nouit, & ex rerum fonte resultat honor.
Parthus retrogradus priuabitur antè sagittis,
Quàm desint linguæ spicula Roma tibi.
Auditore dato vel iudice longius ite,
Me monitore, preces & manus ære grauis.
Iudicij libra non munere flectitur illic,
Constantes animos præmia nulla mouent.
Ista vetus Romæ solùm mensura remansit,
Quæ cumulat medium, cuiq; refertq; suum.
Et quæcunq; alibi iuris scintilla relucet,
Hic, nisi decipior, stillat ab vrbe vigor.
Illic iustitia, dextra læuaq; relicta,
Aspicit in mediis scandala nulla viis.
Si tua causa bona, dabitur sententia pro te:
Si minus, orbis eam iustificare nequit.
Quod nuper factum, res est formidine plena,
Res est quæ reliquos admonuisse potest.
Causidicus quidam fuerat corruptus in vrbe,
Iniustæq; rei ferre spopondit opem.
Quid factum est? Dum nocte daret sua membra sopori,
Digna super sontem iudicis ira ruit.
Dæmon adest, oculoq; virum condemnat in vno,
Dicens: Nequitiæ sint ea signa tuæ.
Si magis in causa fueris deprensus iniqua,
Latro ferox reliquo lumine cæcus eris.
Prouisum est, & sic Erebi statuère potentes,
Sic placuit Stygiis qui dominantur aquis.
Ille sequente die factum manifestat, & omnis
Concussa est subitò Roma stupore viri.
Penè viri nomen lapsum fuit ore sequentis:
Sed satis erepto lumine notus erit.
Præterea, Aprilis, factum memorabile quoddam,
Quod Romæ nuper accidit, istud erat.
Ecce Casertanum Comitem submouit ad vrbem
Cuiusdam Viduæ longa querela bonæ.
Causa super mansis centum tangentibus orta,
Ac aliis rebus, vtpote prata duo.
Ille Comes multos pro se conduxit: vtrinq;
Traditus vt poscunt iura, libellus erat.
Obtinuit pauper in causa fœmina tandem,
Confususq; abiit lite cadente Comes.

Vnde patet, quòd Roma libram sic dirigit æquam,
Vt passus faciat diues inopsq; pares.
Apr. Perge per inceptum comes ô fidissime callem,
Et dubiæ menti luminis affer opem.
Sit benedicta dies, sit felix hora diei,
Quæ me felicem te recitante facit.
Hospes, & hospitium quæ nos iunxêre, per æuum
Durent, & stabili sint cumulata bono.
Ardeo plus & plus, magis & magis æstuo Romam
Aspicere, & pedibus oscula ferre sacris.
Iam mihi ab vrbe procul quædam redolentia surgit,
Iam locus ille mihi spirat aroma nouum.
Disco, sed & lætum tua me solatia reddunt,
Et mihi iam videor vrbe potente frui.
Dic age quid faciunt, quibus est à cardine nomen?
Post Papam quibus est immediatus honor.
Gan. Expediunt causas, magniq; negocia mundi,
Extinguunt lites, fœdera rupta ligant.
Isti participes onerum, Papæq; laborum,
Sustentant humeris grandia facta suis.
Atq; aliquem si Papa iubet, petit æquoris vndas,
Ecce & inhumanas non timet ire vias.
Hic partes Siculas, hic te Germania gaudent,
Visitat hic flauos patre iubente Dacos.
Sed cur enumerem totius climata mundi?
Diuersosq; situs, & loca ab vrbe procul?
Omnibus vna sedet Patri parêre voluntas,
Et facere vt Christi multiplicetur honor.
Hi sunt (quis dubitat?) qui portant fœderis arcam,
Aspectus quorum fulguris instar erat.
Istæ sunt statuæ, totus quibus incubat orbis:
Hæ sunt, quas curvant pondera nulla, bases.
Nec ratione vacat, quòd habent à cardine nomen:
Deseruire solent nomina rebus in his.
Porta suos postes sine cardine claudere nescit,
Non benè præter eos pastor ouile regit.
Cardo tenet portam, nec quid valet illa remoto
Cardine, sic Papa his nil valet absq; viris.
Isti sunt flores, quos matris protulit hortus,
Ecclesiæ quorum germine vernat ager.
Crescit in hoc horto florum genus omne, sed istos
Præcipuos flores nulla pruina premit.
Munere perpetuo gaudentq; virescere veris,
Et semper rutilis præradiare comis.
Si dicam, quòd sint violæ non mentior ex hoc:
Nam cœlo similes vita colorat eos.
Fortè rosas dixisse placet, mirabile non est:
Vulnera nam Christi pectore semper habent.
Lilia candoris niuei dixisse licebit:
Nam carnis stimulo ponere fræna solent.
Apr. Vnde viros potero, quando me Roma videbit,
Noscere Ganfrede, quæ mihi signa dabis?
Gan. Vestibus incedunt communibus: ac tamen illud,
Quod caput insignit, vt rosa verna rubet.
In vultu macies, in corpore languor, in ipso
Gestu nescio quid spirituale sedet.
Apr. Et quid habent, quo sic facies ieiuna videtur?
Squallorem quare carceris ora tenent?

Nunquid deficiunt quæ sunt ad corporis vsum?
An rebus, quibus est vita iuuanda, carent?
Gan. Non sic Aprilis, non sic comes optime, verùm
Præparat egregias larga coquina dapes.
Quando vocat tempus patres ad prandia sacros,
Adstat diuersis mensa repleta cibis.
Quid credis? comedantne putas Aprilis amice,
Omnia quæ diues fercula mensa gerit?
Non ita, sed ratio pactum diuersa reformat:
Mos est Angelico viuere more viris.
Decipiunt carnem, nolentes carnibus vti,
Decipit & Bacchum vitis aquosa senem.
Asperiore cibo contenti pinguia mandant,
Cæcis, debilibus, pauperibusq; dari.
Si tamen interdum digitos carnalibus escis
Apponant, timor est apposuisse manus.
Protinus absistunt, & primus gustus in ore
Desipit, & carni displicet ipsa caro.
Sacra meam quoties versant hæc omnia mentem?
Nam sum rimatus vrbis aperta sacra.
Vnde tibi, cùm sim toti notissimus vrbi,
De rerum serie verba referre scio.
A causis si quando patres, & litibus aures
Expediunt, studij protinus arma petunt.
Hinc vt librorum pertransiit hora, perorant
In terra posito pectore claustra poli.
Cœlestes speculantur opes, mundoq; labanti
Succurrunt humili sedulitate precum.
O quoties meritis istorum iusta Tonantis
Dextera placata est, continuitq; minas?
Iudicis assumtam ieiunia longa securim
Impediunt, & nox longa soporis egent.
Et quàm sæpè putas curuato poplite regem
Orant, vt miseris parcat ab arce reis?
Apr. Continua venerande comes procede loquela,
Æquoreas nondum Phœbus adibit aquas.
Magna dies nostris superest narratibus, & me
Leniret cantu fistula nulla magis.
Quid facit antistes Pastor sacer orbis & vrbis,
Quid facit, & studium quod solet esse viro?
Estne adeò sanctus, ceu prædicat orbis eundem?
Si sic est, meritò mundus adorat eum.
Gan. Ista meas vires, Aprilis, quæstio vexat,
Res est ingeniis altior ista meis.
De Papa. *Non, quid sit Papa, facile est euoluere verbis:*
Exiguum pectus quomodo magna premunt.
Papa breuis vox est, sed virtus nominis huius
Perlustrat, quicquid mundus vbiq; tenet.
Hic est Helias, magni de uertice montis
Cælesti tumidos qui ferit igne viros.
Hic Samson typicus, quo percutiente Philistim,
Strauit millenos faux asinina viros.
Liberat hic idem deprensis Vulpibus agros,
Nec iam schismaticis vexat ouile lupus.
Non dubitat forti pater obuius ire leoni,
Maxillisq; graues imposuisse manus.
Iste nouus Dauid, cuius virtute Golias
Concidit à funda vulnera mortis habens.

Herculis exemplo, mundi ne corruat axis,
Hic cauet, atq; humeris grande retentat opus.
Præ cunctis aliis sacro desudat in agro
Ecclesiæ, & cunctos Papa labore præit.
Eiicit arentes herbas, circumfouet illas,
Quæ proferre boni germen odoris habent.
Ecclesiæ muris hortum complectitur altis,
Et spaciantur oues absque pauore lupi.
Pro grege multotiens animam sanctissimus ille
Exposuit pastor, nulla pericla timens.
Ista procul tenebras depellit in orbe lucerna,
Lucet & à cœli lampade lumen habet.
Non est hac lucens modio candela sub arcto,
Sed nitet in media præradiatq; domo.
Hoc mundi commune iubar, generaleq; sidus
Omnibus in media nube reuelat iter.
Nec tenebris noctis, nimioue absumitur igne:
Fulget in aduersis casibus, inq; bonis.
Non ventus, non aura potest extinguere lumen
Istud, & æterno numine flamma calet.
Nocte pater media, quando sopor occupat omnes,
Fessaq; membra tenet fortius alma quies:
Surgit ad arma precum, totoq; è corde Tonanti
Supplicat, vt miseras intueatur oues.
Non videat, quæ sint mundi delicta fluentis,
Sed quali sit homo conditione miser.
Et magis ad fontem veniæ, quo semper abundat,
Aspexisse velit, & tumulare nefas.
Cumq; thorum lachrymis sic humectauit obortis,
Sollicitoq; Dei corde rogauit opem:
Lux subit, & sacrum poscunt altaria numen,
Officiumq; pater audit, aditq; tremens.
Egreditur posthæc in consistoria, causas
Audit, & à longis tractibus orbis adest.
Res sit in exemplo, quendam te finge leonem
Cernere, & in mediis sceptra tenere feris.
Et veniunt, abeuntq; feræ, regemq; precantur
Dulcibus & pauidis, vt venerentur herum.
Sic Papam venerantur oues, sic poplite flexo
Ante pedes almos procidit omnis homo.
Inde potest aliquis, quicunque sit ore soluto,
In serie verbi dicere quicquid habet.
Et quod multotiens mirabar, maximus ille
Quemlibet alloquitur, verba recepta notans.
Sæpe aliquem tenuit frustra longissimus annus,
Nec potuit finis litibus esse suis.
Protinus at fuerat cùm facta relatio Papæ,
Explicat impliciti ritè laboris opus.
Non longè suspendit opus, non hæsitat in re,
Non quærunt tardas pectora clara moras.
Sic sit, ait, vel non: sic res determinat omnes:
Sic longas causas finiet hora breuis.
Sed quanquam Papæ superet prudentia fratres,
Vnus vt ex illis est tamen inter eos.
Nil proprio facit arbitrio, licet omnia possit:
Consilium prudens sæpè minoris amat.
Sufficiat quamuis immenso prouidus orbi,
Vult tamen externo dogmate Papa regi.

Ac ita dum residet, mundumq́ gubernat ab alto,
Nil tamen absq́ suo cardine porta valet.
Sæpe preces aliquas timidè quis porrigit illi,
Accipit: & pauper exhilaratus abit.
Sic mihi, dum pauidis accessi gressibus illum,
Quam non sperabam, gratia facta fuit.
Ille tamen, qui me promouit, & ante tribunal
Duxit, & adiecit, flecte poëta genu:
Caietanus erat, qui cardinis instar habendus
Crescit, & impositis ædificatur opus.
Cui nisi defuerint à me sua carmina missa,
Tempus in omne suum fama celebris erit.
Immò post obitum faciam, ne viuere cesset,
Carmine perpetuo busta nouabo viri.
Apr. Iam stylus accepto declinat themate, iamq́
Carpere diuersum velle videris iter.
Proposita discurre via, Ganfrede fidelis,
Et sine felle comes differe facta patris.
Gan. Cumq́ fatigatur vario luctamine tandem,
Perdita restaurans submouet hora patrem.
Quamuis lauta sacræ ponantur fercula mensæ,
Contentus tamen est asperiore cibo.
Si mare transmittat pisces, si sylua ferinam,
Si veniant, quas vir arte fefellit, aues:
Pauca pater timido tentat gustare palato:
Cætera mittit eis, nulla coquina quibus.
Non mora longa placet, subitò sacra mensa leuatur.
Redduntur grates, qui dedit illa, Deo.
O quot in vrbe scio, quorum prolixior esca,
Maior in appositis, quos tenet hora, cibis:
Qui quando comedunt, hoc quo vescuntur, adorant,
Et clauso inclinant lumina sæpè mero.
Prandia non satiant, alios geminata, sed almo
Quotidie satis est vnica mensa patri.
Inde petit solui cum commensalibus, aulæ
Intrat & in medium, quomodo pulchra datur.
Hic aliquis quærens non dedignatur in ipsis
Grammaticè dubiis opposuisse viis.
Cur in transpositos tres verba gerundia casus
Declinare solent, curq́ supina duos.
Cur numerus talis accessit partibus istis.
Et casus plures non habuêre, rogat:
Aut sint in genere verborum, nominibusúe,
Grammaticus certis associanda putat.
Alter adest quærens, Vniuersalia quare
Septem sint numero, si trahis inde duo.
Sint in corporeis ea subsistentia rebus,
An mentis ratio separat illa procul.
Subiectumq́ tribus cum sermo sit artibus idem,
Qualiter à reliquis differat vna trium.
Alter ab eloquio sic incipit ore diserto,
Ponit & in medios hoc breue thema viros.
Artis Rhetoricæ cùm sit persuasio finis,
Quis color ad finem pronior esse potest?
An quo sermo nitet, vel quo sententia fulget,
An magis irradiet mixtus vterq́ color?
Rursus adest aliquis, qui nouit carminis artem,
Cui de natura constat & arte pedum.

Cur

Cur tantùm pedibus senis vel quinque laborat
Metricus, & plures nescit habere pedes?
In pedibus mediis cur est cæsura, nec illud
Primus & extremus commoditatis habet?
Obijcit hîc aliquis contra te Musica, sicq;
Arguit, & verum de ratione trahit.
Cælestis cùm sit, quidam ceu Musica, dicunt,
Cùm sese feriunt corpora magna poli.
Quæ ratio, quòd non vox talis peruenit ad nos,
Cùm tamen ex sonitu concutiatur humus?
Quærit Arithmeticus, cur septenarius inter
Res numeri solus mystica sacra gerit?
Ius dominum trahat inde suum de partibus ipsis,
An magis à specie, qua datur esse rei?
Cur non est æquè satis octonarius, aut sex,
Augmentum monadis cùm superaddit ei?
Quærit item ratio, quæ sit describere terram
Mensura, cuius portio nulla latet?
Si terræ & magno quo claudimur vndiq; cælo,
Ex æquo centrum participetur idem?
Linea si maior fuerit coniuncta minori,
Efficere hanc illi qua potes arte parem?
Astronomus loquitur, cur tempus noctis opacæ
Plus madeat pluuijs, quàm radiosa dices?
Quærit item, quare vernali tempore semper
Plus solito pluuiæ multiplicentur aquæ?
Quæritur hoc etiam, quæ constellatio regnet,
Cùm generatur homo prospera nulla videns?
Quisue sit ascendens tunc, cùm post bella potimur
Laudibus, & cingit laurea summa caput?
Quoue sub aspectu connubia talia fiant,
Nulla quibus flamma est, nec generalis amor?
Hinc Naturalis ad naturalia sese
Torquet, & in turba tale volutat onus:
Cùm nihil ex nihilo, sed sit res omnis ab ente,
An sit ab æterno primula massa rei?
Præterea cùm sit generatio continuorum,
Si mundus duret tempus in omne, rogat?
Et quæ sit ratio, quòd ab vno fonte ferantur
Tot species pluuiæ, grando, pruina, niues?
Disputat hæc etiam, qui Physica corpora nouit,
Physicus, & socium comparis artis habet.
Cùm sint humores in corpore quatuor omni
Organico, sumtus quos alit vsque cibus,
Quæritur, an pariter omnes generentur, an vnus
Per prius, & reliqui posteriore loco?
Instat adhuc alius præcinctus dogmate legum
Doctor, & his iuris insinuare solet.
Fœmina si qua suo quæsiuit toxica sponso,
An sit legitimo iure fuganda thoro?
Hunc Titius fundum possedit pluribus annis,
Nec meminit, quòd ei quæstio mota fuit.
Si iuuet hunc, quærit, præscriptio temporis ampli
Semper an actori iusta querela patet.
Disputat inde sacro, formant cui Biblia pectus,
Dogmate, quiq; valet sensa profunda sequi,
Cur tentauit Abram scrutator pectoris alti,
Aspectu cuius nulla latêre queunt?

Anno

Quærit item, proprio si Christus sanguine mundum
In cruce saluauit, quid sacra lympha lauat?
Vel quoque si verbo potuit succurrere mundo,
In cruce quapropter vulnera dira tulit?
Aut ita dum tenuit crucifixi membra sepulchrum
Condita, vbi interea spiritus eius erat?
Rursus ait, si mundus erat redimendus, olympo
Cur Deus extremo tempore venit homo?
Omnibus his vigiles præbet sacer arbiter aures:
Quod durum reliquis, hoc leue Papa gerit.
Talibus ecce viris solium Papale refulget,
Et tales gemmas ardua tigna ferunt.
Apr. Eloquio superas magnum recitator Vlyssem:
Mira refers, quæ sint omnia vera precor.
O mihi si tali mensa residere liceret,
Diceret & Princeps, sit mea mensa tibi.
Non loquor hoc, quòd deficiat mihi potus & esca,
Sed vellem studijs iunctus adesse bonis.
Spicula fortè meis facerem prodire pharetris,
Dura mihi fieret quæstio quæque leuis.
Nunc responderem, nunc rursus ad arma venirem,
Opponens doctis absq; pudore viris.
Gan. Inuenies quodcunque sitis, si veneris illuc,
Omnibus ornata est artibus illa domus.
Est illic aliquis, quo si combusta iaceret
Vindice, mox esset Philosophia redux.
Erigeret, meliore modo nouus editor illam
Vinceret, & veteres artis honore viros.
Ap. Inceptam percurre viam, iam terminus instat:
Iam tibi plura mouens non onerosus ero.
Estne locus cum Patre loqui, pedibusq; sacratis
Concedi speras oscula ferre mihi?
Audiui, quòd sæpè viros intrare volentes
A foribus remouent verbera iuncta minis:
Quodq; sacros postes per dura respagula firment,
Fitq; per angustum transitus ille locum.
Quis mihi consilium, quis opem præstabit amicam,
Vt sine fuste queat porta patêre mihi?
Expediensùe putas, si cautè munera quædam
Illis, qui seruant hostia sacra, feram?
Munere nonne dato vaccas Ioue natus abegit?
Viuit adhuc regnans Bacchus vbiq; senex.
Gan. Omnia temporibus distinguit curia certis,
Et poscunt horas quæq; gerenda suas.
Quisquis manè, patri postquàm sacra missa peracta,
Venerit, admittit paruula porta virum,
Dummodò compositis veniat sub moribus, & sit
Vir placidi vultus, suspicione carens.
Non ibi percussum vidi sua vulnera flentem,
Nec malè distractas diripuisse comas.
Nec tibi, crede, opus est, vt quenquam munere flectas:
Omnia, qui sacris postibus instat, habet.
Sic etenim ditauit eos pia dextera Papæ,
Muneris vt species nulla perurat eos.
Cumq; fores ingressus eris, formidine pulsa
Securè poteris comminus ore frui.
Disce tamen pedibus inprimis oscula ferre
Sacris, & post hæc surge, loquenda loquens.

Anno

Papa tuis placidas præbebit vocibus aures,
Et tibi cum solita se pietate dabit.
Esto tamen breuis, & succinctis vtere verbis:
Multa vident paucis pectora magna notis.
Sermo diu teneat stultos sermonibus, audit
Sola libens varios rustica turba sonos.
Ap. Fortè loqui possum, mihi quod placet, ac tamen aruis
Non benè fertilibus semina mando ferens.
Sic vellem sermone frui, ne ventus & aura
Deferrent voces & mea vota simul.
Gan. Hic tibi nostra manus (tibi nam secreta licebit
Cernere corda procul) non dabit artis opem.
Solus habet secreta Deus cognoscere mentis.
Talibus in factis quis tuus augur erit?
Rebus at in dubiis exponens carbasa ventis,
Et tua vult illic gratia fortè regi.
Spes tamen est, constans aliquis de sanguine Papæ
Si tecum fuerit, dona petita feres.
Si potes, efficias Papæ venturus ad aures,
Proferat illius vt tua verba nepos.

De Cognatis Papæ.

Papa facit, quod sæpè volunt: veruntamen illi
Iusta petunt, non rem, quæ ratione caret.
Ap. Dic Ganfrede precor, dic vir clarissime, quales
Hi sunt, quos Papæ sanguinis vnit amor?
Suntne viri, quorum bona conuersatio, suntne
Tales virtutum forma, lucerna boni?
Nunquid in afflictos pietatis viscera ponunt,
Oppressosq́ iuuant Principis ante thronum?
Gan. Sic equidem, quorum genus est de sanguine tali,
Naturæ fas est semina ferre suæ.
Non homines vidi, quorum perfectio maior,
Omnibus inspectis nec reor orbis habet.
Sic dotes natura suas exhausit in illis,
Penè quòd hæc alios non habet, vnde iuuet.
Semper habent vultum, quasi desuper angelus adsit,
Euentusq́ bonos significare solent.
Hos facile est nouisse tibi, procera statura:
Et formæ candor indice prodit eos.
Quilibet illorum de vita & moribus altis,
Iure sacer fieret vrbis & orbis apex.
Sunt faciles, vt rem faciant pro paupere magnam,
Et tantum cœli munus ab arce volunt.
Nemo redit vacuus, non exauditus ab illis,
Conspicua cunctos de bonitate iuuant.
Quid moror? ipsa viros complexio clara coërcet,
Ne quid agant præter nobilitatis opus.
Hos adeas supplex, & te tua vota sequantur:
Et me fata trahant, si tibi falsa loquor.

De Pœnitētiariis.

Ap. Quid si pœniteo, si me mea culpa remordet,
Quis mihi consilium spirituale dabit?
Quis poterit tunc me, tanquam baptismatis vnda
Lauerit, ad primos restituisse gradus?
Gan. Alma viros posuit discretio Patris in vrbe,
Qui purgant monitis sordida vasa sacris.
Explanatur ibi, quod magni pagina vatis
Ore sacro longos dixerat ante dies:
Coccinei fuerint si crimina vestra coloris,
Induet bis niueum forma nouella decus.

Si quasi vermiculus fuerit rubefacta, recentes
Et vultus alios candida lana dabit.
Multotiens illic durissima pectora primùm,
Tandem sunt monitis mollia facta pijs.
Sæpè dedit lachrymas vir desperatus amaras,
Et sensit, quam non ferre putabat opem.
Ap. Dic facunde comes, de quo sit bulla metallo?
Non est visa oculis, proh dolor, illa meis.
Credo, quòd ex fuluo nimirum splendeat auro:
Conueniens tanto est aurea bulla patri.
Aurea si non est, argento clara refulget:
Aere figurari non leuiore potest.
Gan. Te tua, vir simplex Aprilis, opinio fallit:
Res est à tali credulitate procul.
Non auro, non argento sacra bulla refulget:
Insignit chartas plumbea bulla sacras.
Vix aliquis baculo Romanam deserit vrbem,
Tutus & ad patrios peruenit inde lares.
Et quibus insidiæ fierent redeuntibus auro,
Vndiq; nocte, die semita clausa foret.
Vix plumbum retinent (retinerent qualiter aurum?)
Cautiùs abstinuit talibus ergò pater.
Ap. Quò magis affecto cœpto sermone perores,
Quales sint, quibus est credita bulla, viri.
Suntne aliqui precibus, & qui sine munere bullam
Illic mendico dant veniente viro?
Gan. Accipe, quæsiti quæ sit responsio verbi:
Omnia scire volens singula ritè feres.
De bullatoribus. *Peruenit ad bullam planè quoq; pauper & exul,*
Promeruisse potest fortè salutis opem.
Alter ab excelso si sit transmissus Olympo,
Ni prius enumeret munera, littus arat.
Bulla reclamatur, nisi soluat tempore certo,
Dentibus horrendis dilaceratur opus.
Et nisi legales sint & sine crimine nummi:
Littera de bulla nulla sequetur eos.
Hanc ego fornacem credo (quia lumine vidi)
Semper in intuitu mentis habebo meæ.
Ponitur incudi pars quædam paruula plumbi,
Et redit argenti tempore forma breui.
Malleus impositæ vix dat tria verbera massæ,
Et subitò plumbum se nouat ære nouo.
Ap. Forsitan alchimia: nam talia plura videmus,
Quòd melior species surgit ab ære rudi.
Gan. Non ita: sed virtus Papalibus insita verbis
Naturæ speciem sic variare solet.
Virtus verborum Papæ sic imperat æri,
Vt faciat, quicquid verba sacrata iubent.
Sæpius audisti, quæ vis sermonibus apta:
Omnia, quæ mea mens callet, aperta dabo.
Ap. Non video, quæ plura mihi quærenda supersint,
Iamq; patent oculis mœnia sacra meis.
Si iuuat ergò preces in cœlum fundere quicquam,
Dij referant monitis præmia digna tuis.
Hic patriam repetit, hic sacram tendit ad vrbem:
Hunc loca nota vident, hunc peregrina domus.
Apr. Opto Ganfrede, quòd sint tibi mille valete.
Gan. O miser Aprilis, hic fuit antiphrasis.

Imp. 100 Philippo. Papa 181 Innocentio 3.

Anno

Richardus Rex Angliæ. 1200.

Circa annum 1200 regnauit in Anglia Richardus Rex, is teste Engelhusen, admonitus fuit à quodam sancto sacerdote Sulcone, vt filias suas nuptui daret, ne Deus eum adhuc grauiùs puniret. Cumque ille negasset, se vllas habere filias, respondit Sulco: imò tres, easque pessimas habes: Superbiam, Auaritiam, & Luxuriam. Quare consentiens Rex, conuocatis suis proceribus, dixit: Do Superbiam templarijs, & hospitalarijs: Auaritiam monachis: & Luxuriam Ecclesiasticis Prælatis cùm Clero. Vnde apparet, quid & illi homines de Clericorum probitate & pietate senserint. Imp. & Papa vt sup.

Nigellus VVirecker Cantuariensis. 1200.

Scripsit libros aliquos de hypocritarum simulatis moribus, & sanctimoniâ fucatâ: item de abusu rerum Ecclesiæ, & alia similia. Imp. 100 Philip. Papa 181 Innocentio 3.

In libro qui Brunellus, vel speculum stultorum inscribitur, sceleratos mores monachorum sui temporis his carminibus graphicè depingit:

Qui duce Bernhardo gradiuntur, vel Benedicto,
Aut Augustini sub leuiore iugo:
Omnes sunt fures, quocunque charactere sancto
Signati veniant, magnificentq; Deum.
Ne credas verbis, ne credas vestibus albis,
Vix etenim factis est adhibenda fides.
Quorum vox lenis vox Iacob creditur esse:
Cætera sunt Esau, brachia, colla, manus.
Rursus in Ægyptum, quam deseruère, reuersi,
Dulce sibi reputant à Pharaone premi.
Carnis ad illecebras, nullo retinente, ruentes
In foueam mortis, carne trahente cadunt.

Bal. L. 3. cap. 30. in Appendice scriptorum Brittanniæ.

Ibidem ampliùs ait, tot esse ordines, quot iam mundus vix numerare queat: & de canonicis:

Hi sunt, qui faciunt, quicquid petulantia carnis Imperat, &c.

Et paulò pòst: *Totus in errores mundus, præeuntibus istis, Ducitur, &c.*

Hi sunt, iustitiam qui prostituère pudicam,
Falsa loqui linguas qui docuère suas.

Pastores dicit factos esse lupos. Præcipuè tamen obijcit toti isti pseudospiritualium turbæ, sceleratam turpemque vitam, & neglectionem verbi Dei, ac curæ salutis animarum. De Pontifice & Roma inquit:

Si caput à capio, vel dixeris à capiendo,
Tunc est ipsa caput: omnia namq; capit.
Si declinando capio capis, ad capiendum
Retia laxauit, retia larga nimis.

Et paulò pòst Romæ crudelitatem, piorumque persecutionem his verbis obijcit:

Quondam larga fuit, proprij nec auara cruoris:
Nunc vice conuersa, sitiens sitit, atque cruorem
Fundat vt alterius, ebibit ira suum.

Et paulò pòst inquit, eam suppeditare alijs pocula pro mellè, felle referta suo. Obijcit ei & auaritiam, & clauium abusum, inquiens:

Bursa referta reos soluit, peccata relaxat,
Quæ non peccantes euacuata ligat.
Nil tam difficile est, nil tam prauum, nec amarum,
Quod non emendet bursa referta benè.
Hoc facit, vt licitè faciat, quodcunque libebit,
Reddit & illicitum, quod libet, arte pari.

Dicit quoque Romam esse fontem & caput vitiorum, ac inde omne malum ad Christianos fluere.

Negat se omnia Romæ scelera describere posse, etiamsi Nestoris annos viueret. Denique concludit duobus versibus totum cleri corpus, & præcipuè Romanam curiam graphicè depingit.

A summo capitis, pariter pedis vsque deorsum
Ad plantam, sanum nil superesse reor.

Nec solùm sceleratam turpemque Papæ aliorumque omnium spiritualium vitam vituperat, & abusum clauium, ac officij neglectionem: sed etiam damnat prohibitionem esus carnium, inquiens: Carnem non esse prophaniorem pisis, aut piscibus, sed abusum eius aliorumque ciborum malum prophanumque esse. Coniugium quoque sacerdotum defendit, dicens: Coniugium & à Deo in Paradiso institutum esse, & inde genus humanum propagari, eoque rem piam ac licitam esse.

Omninò, plurimùm ab Antichristi eiusque spiritualium hypocrisi & impietate dissensit. Illyricus.

1200. *Ordo Cruciferorum.*



Volateranus & Genebrardus ordinem hunc in Italiâ circa annum Domini 1200 ortum dicunt: Panuinius verò anno 1169. Sabellicus, Polyd. & Francus originem eius referunt ad Innocentium 3. qui contra hæreticos Albigenses (quos felici sidere extinxerunt) profectos, cruce reuertentes dedecorauit. Sabell. ortum illorum ad Cletum vsque Petri Apostoli discipulum inconsideratè reijcit: vt ibi. Ab Innocentio 4. & Alexandro 3. deinceps iterum restitutus, & magnis priuilegijs auctus fuit. Vestitus illorum est cuculla nigra ampla, in qua crux: vt & in manibus. Francus & Rolvvinck in Fasciculo. Polyd. & Cromerus de alijs quoque Crucigeris scribunt: vti apud illos. Imp. & Papa vt sup.

Innocentius 3. Papa 181.

1200. Hoc anno Innocentius tertius Papa sancit caput Venerabilē, in parte secunda legum spiritualium, quas vocant Decretales: quib. inter alia statuitur & concluditur: Papam debere Principes seculares imperio suo regere, eumque solum esse agnoscendum & habendum Cæsarem Romanum, quem Papa coronauerit. Titul 6. cap. 34. Imp. Philippo. Vt sup.

Idem de consecratione Pontif. Maximi, serm. 3. Ego facilè non crediderim, vt Deus permitteret Romanum Pontificem contra fidem errare, pro quo specialiter orauit in Petro.

Idem. Heu, quot hodie tales in Ecclesia prælati, qui dum deberent esse odor vitæ ad vitam, facti sunt odor mortis ad mortem: & cùm deberent esse dispensatores, ipsi sunt dissipatores effecti.

Idem affirmauit, Papam esse membrum Christi: atque id esse vnum ex fidei articulis, sine quo nemo animæ salutem consequi possit.

Idem Serm. 1. in festo Gregorij Papæ. Beatus Petrus principaliter claues regni cœlorum accepit, ac per hoc factus est successor eius, vt ipse possit ligare cæteros, sed ligari non possit à cæteris: ei namque singulariter dictum est: Tu vocaberis Cephas, id est, caput.

Idem Serm. 2. in die cinerum. Sed & funiculus superbiæ, peccatis exigentibus, ita nos clericos detinet alligatos, vt iam magis velimus superbi, quàm humiles apparere, incedentes extento collo eleuatis oculis, erectâ ceruice, magnificantes fimbrias, phylacteria dilatantes, quærentes primos recubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi. Sic iam ornati prodimus, vt magis sponsi, quàm clerici videamur.

Idem. Tanta superbia est clericorum, vt numquam ad satisfactiones priores possint humiliari, non imitantes eum, qui dicit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: qui non venit ministrari, sed ministrare: sed illum, qui posuit sedem suam ad aquilonem, vt esset similis altissimo: qui est rex super omnes filios superbiæ.

Idem libro 1. Decr. const. 86. Sanè postulasti per sedem Apostolicam edoceri: si presbyteri plures concubinas habentes, bigami censeantur? Ad quod duximus respondendum, quòd cùm irregularitatem non incurrerint bigamiæ, cum eis, tanquam simplici fornicatione notatis, quod ad executionem sacerdotalis officij, poteris dispensare.

Idem. Turpe dictu, sed turpissimum actu: dici liceat, vt agi non libeat. Quidam nocte filium veneris agitant in cubili: manè filium virginis offerunt in altari. Nocte venerem amplexantur: manè virginem venerantur. At si verum est, imò quia verum est, quod dicit Apostolus: Fornicatores & adulteri regnum Dei non possidebunt.

Ioannes Salobriensis in Polycratone libro 2. 1200.

REfert de illis, qui ex diuersis stellarum positionibus dicunt, imaginem ab homine posse formari, quæ si per interualla temporum, & quadam ratione propositionum in constellatione seruata formetur, stellarum nutu recipiat Spiritum vitæ, & consulentibus occultè veritatis manifestet arcana. Thomas dicit tales imagines effectum habere non à corporibus cœlestibus, sed diabolo. Vt sup.

Annales Constantini Manassis. 1200.

PRodijt hic liber ex Bibliotheca Ioannis Sambuci, Lövvenklavvo interprete, cui in fine additum est vaticinium Leonis sapientissimi doctissimique Imperatoris tale:

Byzantis aula, pij Constantini domus,
Roma, atque Babylon, & Syon quædam noua,
Regno ter & ter centenis tibi fas frui,
Saltem vicenis annis deficientibus.
Ceu puluerem aurum collectura es gentium,
Simul vicinis imperatura omnibus.
Sed te perustum ab igne, te flauum genus
Totam incinerabit, & regnum euertet tuum,
Eris quasi non vnquam fuisses antea.
Donec ab Oriente conspectus digitus Dei
Digitos manus iam perdicæ implebit duos,
Hastas gerentes è camino aureas velut,
Fatum quibus paternum vlturi sunt graue.
Tunc liberi venturi sunt tui vndique,
Rectà velut ad centrum de circuli ambitu,
Ius exsequeris per quos iustos, ceu decet,
Adeoq; tunc rursum futura tu noua es,
Meliusq; nationes rectura, at priùs.
Nam gloriæ Dei domus vocaberis,
Vbi se ad pedes tuos vicini abiecerint.

Gilbertus Cistertiensis monachus. 1200.

CItatur à Ioanne Husso Cistercienfis monachus dicens: Fastum esse in clero abominabile monstrum super terram, quia sit gradus summus, animus infimus: sedes prima, vita ima: lingua magniloqua, manus ociosa: sermo multus, fructus nullus: vultus grauis, actus leuis: ingens autoritas, nutans stabilitas: speculator cæcus: præco mutus: pugil mancus: præcursor lentus: medicus morbi ignarus. Imp. Philippo Barbarossæ Filio. Papa Innocentio 3. vt sup.

Petrus Cluniacensis Abbas. 1200.

DE perditâ Monachorum vitâ Petrus Cluniacensis lib. 4. epist. 2. ad Lugdunensem Archiepiscopum ita scribit: Hoc planè ferè de vniuersis Prouinciæ tibi à Deo commissæ monachis, ac monasterijs loquor, qui se dicunt monachos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Sathanæ. Quid enim illi sibi de monacho præter nomen, & habitum vendicant? Vbi enim in eis vel est, vel apparet monachi humilitas? vbi charitas? vbi illa, quæ beatos facit, paupertas? Dicunt huiusmodi homines se monachos, hoc est, singulares & vnicos in mundo esse, cùm turbis, & tumultibus hominum corde & opere misceantur. Imp. Philippo. Papa Innocentio 3. vt sup.

Idem. Nostri Cluniacensis ordinis monachi progressu temporis strictum suum viuendi genus prorsus abiecerunt. Fratres spreto Deo, abiecto pudore, totum (vt dicitur) annum nullâ, præter [illegible], excepta feriâ, in absumendis carnibus continuant: nec hoc saltem occultè, sed palàm, & [illegible] facientes peccatum suum iuxta Prophetam, quasi Sodoma prædicant. Discurrunt de locis ad loca, & vt miluij, aut vultures, vbi vel fumum coquinarum viderint, vel nidorem assæ, vel vstæ carnis naribus hauserint, celeriter aduolant. Et quia ab ista videntibus prauo eorum exemplo

sacer ordo blasphematur, ore illorum nomen Domini ipsi blasphemant. Deridetur iam à talibus, si quis timore Dei ductus à tali esu abstinere voluerit, & hypocrita, simulator ac prophanus vocatur: reputatur ab eis sicut ethnicus, & publicanus, cauendum esse ab illo, sicut ab hoste publico, prædicant. Faba, caseus, oua, ipsi etiam pisces iam in nauseam versi sunt. Solæ ollæ Ægyptiorum placent. Assus, aut elixus porcus, iuuenca pinguis, cirogrillus, & lepus, anser ex anserum grege electus, gallinæ, & prorsus omne quadrupes, aut volatile domesticum, sanctorum monachorum mensas operiunt. Sed viluerunt iam & ista. Assiduitas multa fastidium ingessit. Ad regales, & peregrinas delicias transitus factus est. Satur monachus iam non nisi capreâ, ceruo, apro, vel vrso agresti vesci potest. Lustranda sunt nemora, venatoribus opus est, aucupum arte fasiani, perdices, turtures capiendi sunt, ne seruus Dei fame pereat, &c. lib. 6. Epist. 17.

Ibid. Sicut Pharisæi iactabant se coram hominibus de iustitiâ suâ: ita nonnulli monachorum arbitrantes in religioso habitu, & non potius in humilitate, & charitate esse perfectionem iustitiæ, & æternam salutem, iustificant semetipsos coram hominibus, non attendentes, quid dixerit Dominus de duobus hominibus, qui ascenderunt in templū, vt orarent. Veruntamen fides Pharisæorum vera erat, Sadducæorum falsa.

Idem in epistola ad Rotomagensem Episcopum describit cuiusdam amici, nomine Guilhelmi, morbum ac mortem, indicatque eum ante communionem inunctum esse, sicut veteres Agendæ præcipiunt, contra hodiernam Papistarum consuetudinem. Fuit verò huius viri tempore grauissima contentio Cluniacensibus cum Cistertiensibus, cùm quidem eorum Abbas D. Bernhardus huic Petro amicus & familiaris, viueret nescio de quibus decimis, quibus Cistertienses volebant priuare Cluniacenses.

Fuerat is Abbas Petrus in bona gratia apud Papam, vt ex multis eius epistolis apparet: & tamen illi impetrauerant, vt Papa Cluniacensibus seueriter mandaret, vt in decimis illis cederent Cistertiensibus. In Epistola igitur ad Emerum Cardinalem, & Cancellarium Papæ, quæritur grauiter, accusatque Romanistas, quòd seuera sententia sit contra ordinem suum nec auditum, neque etiam vocatum, incognitâ causâ nulloque processus ordine seruato, lata. In epistola ad Innocentium Papam de eadem re scripta queritur, adeò auctum esse numerum monachorum ac Monasteriorum Cistertiensium passim, quin etiam in vicinis locis circa eorum monasterium, idque contra canones, vt si ipsi de suis decimis eos alere ac sustentare debeant, necesse sit vel minuere suorum numerum, vel etiam penitus cedere. At Deus bone, quantùm ab eo tempore mundus istis fucorum aluearibus, accedentibus Franciscanis, & Dominicanis, Augustinianis & Marianis, aggrauatus est? In eadem epistola inquit ad Papam: Si aliter res processerit, salua patris gratia dico, aut sua me cum Ecclesia retinebit, aut sine me hucusque possessis carebit. Vnde potes pie lector animaduertere, quàm acriter illi sanctissimi patres, mundi desertores, paupertatisque voluntariæ possessores, de huius mundi opibus sint digladiati?

In epistola ad Claræuallensem Bernhardum, grauiter cum eis de eadem re expostulat. Dicit inimicum hominem illa zizania in eos seuisse. Exclamat etiam hisce verbis: Quis credat, semel mundo mortuos ei iterum viuere velle? Quis credat, sanctum collegium vestrum, luxum & seculi delicias pro Christo spreuisse, & nunc pro egestate sordibus, ac miserijs litigare? Et paulò post: Nam vt quod verum est, fratribus & amicis fatear, hoc vno verbo, veluti iaculo, amicorum pariter & æmulorum pectora terebrastis: & episcopos, clericos, abbates, monachos ipsos, ad quos etiam peruenire potuit, laicos, aduersus vos vnanimiter concitastis. Nec potuit Satanas nequitiæ suæ vtilius inuenire consilium, &c. In quadam admodum prolixa epistola ad S. Bernhardum, hortans eum, vt adiuuet concordiam inter Cistertienses & Cluniacenses monachos, ostendit, non debere inter eos esse ordines dissidium, propter rituum aut vestis diuersitatem, quia illa sint libera.

Et citat ex Benedictina regula admodum bonas sententias, quarum prima hæc est: Sic (inquit regula) Abbas omnia temperet atque disponat, vt animæ saluentur: & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant. Qui canon indicat, omnes ritus ac ceremonias obseruationesque monachorum, vbique ad timorem Dei & charitatem attemperandos esse. Quare exponens iste Abbas prædictam sententiam sic concludit: Monachus ergò patris Benedicti regulam profitens, tunc eam verè seruat, quando in seruatis & mutatis quibuslibet eius capitulis, charitatis legem vbique conseruat. De libertate quoque vestium hunc canonem ex regula profert: Regula præcipit, vt de vestium colore ac grossitudine non causentur monachi: sed illius coloris aut qualitatis vestibus vtantur, quæ in prouincia, in qua habitant, vel faciliùs inueniri vel leuiùs comparari possunt. Quæ regula clarissimam libertatem vestitus indicat. At nunc monachi adeò statuunt necessarium sibi ad salutem sui generis cucullum esse, vt si vel dormirent sine eo, iratum se habituros Franciscum putarent. Quare semper pectori paruum cucullum alligant.

Testatur item, summam fuisse varietatem ceremoniarum in Ecclesijs suo tempore. Sic enim inquit: Si lex Christi, id est, charitas, ab omnibus diuersos vsus sequentibus relinquenda est, nusquam planè quærenda est. Nusquam enim inueniri poterit, postquàm ab omnibus morem

diuer-

diuersum sequentibus exclusa fuerit. Nonne charissimi, totus orbis terrarum Christi Ecclesia iam ab antiquo refertus est? Cumque omnem penè numerum excedat multiplicitas Ecclesiarum, sub vna fide & eadem charitate Deo famulantium, tanta penè apud eos inuenitur varietas vsuum, quanta infinitas est locorum. Hoc in cantibus, hoc in lectionibus, hoc in omnibus Ecclesiasticis officijs, hoc in vestitu vario, hoc præter autentica quæ mutari non possunt, ieiunia, in ieiunijs diuersis: hoc in vniuersis similibus, quæ pro temporum, locorum, gentium, regionum varietatibus à prælatis Ecclesiarum, quibus secundum Apostolum, quantum ad talia pertinet, in suo sensu licet abundare, instituta sunt. Relinquent ergo omnes istæ Ecclesiæ charitatem, quia mutauerunt consuetudinem: cessabunt esse Christiani, quia videntur in diuersis vsibus varij. Peribit ab his summum pacis bonum, quia vnusquisque modo vario operatur bonum. Non ita sensit vita & verbo doctor Ecclesiæ Ambrosius, qui de ieiunio sabbathi scribens, quod Romæ viderat seruari, & Mediolani Episcopus factus seruari non inuenerat, ait: Quando Romæ sum, ieiunium à Romana Ecclesia seruatum custodio: quando Mediolani, morem eiusdem Ecclesiæ sequens non ieiuno.

In alia epistola ad Papam Eugenium sic scribit: Non pertinet quidem, quod dicturus sum, ad proprium negocium: sed quoniam alienum est, quod vestrum quolibet modo est. Est autem vestrum, totius Ecclesiæ Dei in hac valle lachrymarum peregrinantis causas audire, auditas discutere, discussas iudicio Apostolico diffinire. Et licet persona vestra constituta sit super gentes & regna, vt euellat & destruat, & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet: tamen quia nec Deus, nec Ieremias Propheta cui hoc dictum est, estis, potestis falli: potestis ab his, qui ea quæ non Iesu Christi, sed sua sunt, quærunt, decipi. Hoc ne fieri possit, oportet vt fidelis si quis fuerit filius, quæ sibi nota, vobis fortè ignota sunt, patri fideliter pandat: & ne hi de quibus legitur: venenum aspidum sub labijs eorum, synceritatem vestram toxico suo inficere valeant, modo quo potest, præmuniat. Nam non est paruum Dei munus, à talibus liberari. Vnde apparet, hunc patrem longissimè ab eorum Papæ adulatorum errore ac mendacio fuisse, qui negant Papam errare posse.

In eadem epistola commendans Pontifici quosdam monachos inquit: Intellexi, nec me falli putaui, cunctorum latinorum institutis eorum propositum præferendum, qui non sunt de illis, qui liquant culicem & camelum glutiunt: hoc est, qui irritum faciunt mandatum Dei propter traditiones hominum, & decimantes mentam & anetum & ciminum & (iuxta vnum Euangelistarum) omne olus, dimittunt quæ sunt grauiora legis, iudicium, misericordiam & fidem. Non enim præcipuè in cibis, in potibus, in vestibus, in laboribus vel similibus regnum Dei consistere putent, licet hæc discretiuè facta multùm eidem regno Dei militent: sed in pietate illa, de qua ait Apostolus: Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia, promissionem habens vitæ, quæ nunc est pariter & futuræ.

Ex his licet cognoscere, iam tum monachos in superstitiosa dierum, ciborum, vestium ac gestuum obseruatione pietatis summam constituisse: sed hunc patrem, aliosque saniores longissimè ab ea opinione fuisse. Catal.

Gualterus Mapes Archidiaconus Oxoniensis. 1200.

ROmæ hic vbi vidit Pontificum fastum: non poterat, cùm redijsset domũ, tam exsecrabilium vitiorum obliuisci, quin postea illa, quàm diu vixit, vehementissimis criminationibus satyricè vellicaret: Pontificem Plutonem, atque Asinum, Prælatos animalia bruta, & stercora vocabat. Vnde scripsit varios libros super enormitatibus cleri, ad malos pastores: planctum super Episcopis in Papam & curiam: ad impios Prælatos: de malis Romanæ curiæ: de malis monachorum: in Cistertienses monachos, & alia. Habebat Oxonij scurram, seu bomolochum doctum, sub cuius nomine, & vmbrâ, quædam edidit. Syluester Giraldus (qui & ipse suæ eiusdem ætatis abusus manifestissimos in clero apertè quoque dictis scriptisque taxabat: librumque etiam reliquit de Cistertiensium nequitijs, & vaticinalem quandam historiam) de vtroque, & Mape, & Bomolocho hæc scribit in speculo Ecclesiæ. Primùm de Mape, lib. 3. cap. 1 & 14. Gualterus cognomento Mapus, vir celebri famâ conspicuus, & tam literarum copiâ quàm curialium verborum facetijs præclarus, Oxoniensis archidiaconus, facetias plures in Cistertienses monachos euomebat, quòd illos ob eorum ambitionem, & auaritiam odio habuisset: Iudæis (inquit) & albis monachis, nulla fidelitas seruanda, cùm nec ipsi seruent, &c. De Bomolocho, vel scurrâ, vt quem putabat rhythmorum auctorem, lib. 4. cap. 16. eiusdem operis sic scribit: Parasitus quidam Golias nomine, nostris diebus gulositate pariter & dicacitate famosus, qui Gulias meliùs, quia gulæ & crapulæ per omnia est deditus, dici potuit, literatus tamen affatim, sed nec bene morigeratus, nec disciplinis informatus, in Papam & curiam Romanam carmina famosa pluries & plurima tam metrica quàm rhythmica non minùs impudenter quàm imprudenter euomuit, &c.

APOCA-

Anno 1200.

APOCALYPSIS GOLIAE PONTIFICIS, SVPER corrupto sui temporis Ecclesiæ statu, edita rhythmis facetis, per Gualtherum Mapes Oxoniensem archidiaconum.

A Tauro torrida lampade Cynthij
Fundente iacula feruentis radij,
Frondosas latebras nemoris adij
Explorans gratiam lenis Fauonij,
Æstiui medio diei tempore,
Frondosa recubans Iouis sub arbore
Astantis video formam Pythagoræ,
Deus scit, nescio vtrum in corpore.
Ipsam Pythagoræ formam inspicio,
Inscriptam artium schemate vario:
An extra corpus sit hæc reuelatio,
Vtrum in corpore, Deus scit, nescio.
In fronte micuit ars Astrologica.
Dentium seriem regit Grammatica,
In lingua pulchrius vernat Rhetorica,
Concussis æstuat in labijs Logica.
Est Arithmetica digitis socia,
In caua Musica ludit arteria,
Pallens in oculis stat Geometria,
Quælibet artium vernat vi propria.
Est autem ratio totius Ethicæ:
In tergo scriptæ sunt artes Mechanicæ.
Qui totum explicant corpus pro codice
Volam exposuit, & dixit: Inspice.
Manus aperuit secreta dexteræ,
Cumq; perspexeram, cœpiq; legere,
Inscriptum reperi fusco charactere:
Dux ego præuius, & tu me sequere.
Citò prælabitur, quem sequi cœperam,
Et ducor citius in terram alteram.
Simul deuoluimur, quà multa videram
Inter prodigia plebem innumeram.
Dum miror, dubius quæ sint hæc agmina,
Per frontes singulas traducens lumina,
Vidi quorumlibet inscripta nomina,
Tanquam in silice, vel plumbi lamina.
Hic Priscianus est dans palmis verbera,
Hinc Aristoteles conculcans aëra,
Verborum Tullius vi mulcet aspera,
Fert Ptolemæus se totum in sidera.
Tractat Boëtius numerabilia,
Metitur Euclides locorum spacia,
Frequent Pythagoras circa fabrilia
Trahit à malleis vocum primordia.
Lucanum video ducem bellantium,
Formantem aëreas muscas Vergilium,
Pascentem fabulis turbas Ouidium,
Nudantem Satyros dicaces Persium.
Incomparabilis est status statio,
Cuius detinuit res comparatio.
Saltat Terentius plebeius histrio,
Agrestes Hippocras potat absynthio.
Dum vulgi sentio gestus innumeri,
Accessit angelus præfulgens sideri,

Qui

Anno

Qui dixit: Suspice, oculos aperi,
Et vide citò, quæ oportet fieri.
Suspexi celeri cœlos intuitu,
Et fui postea statim in spiritu
Tractus per æthera miro circuitu,
Cœlorum positus tandem in aditu.
Mox fulgur fulgurans, quod circumfulserat,
Primos intuitus mihi reuerberat:
Et dixit angelus, qui mecum aderat:
Siste, videbis quæ Ioannes viderat.
Visa conscripserat ille mysteria
Septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia:
Tu scribes etiam, forma sed alia,
Septem Ecclesiis, quæ sunt in Anglia.
Dum inter dubia figor immobilis,
Quædam intonuit, tanquam volubilis
Rotæ, tonitrui siue terribilis,
Vox tubæ corneæ, vel tubæ ductilis.
Vidi post sonitum pulsantem æthera,
Septem candelabra, septemq́ sidera,
Quæ vir eximius tenebat dextera.
Et dixit angelus: frater considera.
Sunt hæc candelabra septem Ecclesiæ,
Et stellæ præsules sunt omnes hodie,
Debentes aliis formam iustitiæ
Ponunt sub modio lucernam gratiæ.
Post hæc apposuit cum septem titulis,
Signatum codicem septem signaculis,
Dicens: respicias intentis oculis,
Quæ nota facies terrarum circulis.
Est vitæ præsulum codex hic conscius,
Qui per signaculum videtur clarius.
Nam intus clauditur detestabilius,
Et laudabilia ponit exterius.
Primi capituli quædam potentia
Signum aperuit: & animalia
Conspexi quatuor, quæ reddit varia
Formæ diuersitas, gestus æqualia.
Est primum animal leoni simile,
Secundum vitulo, tertium aquilæ,
Et quartum homini: quodq́ volatile
Repletum oculis, iocis volubile.
Cùm primi soluitur nexus signaculi,
Detecta serie primi capituli,
Totius aciem luminis intuli,
Hunc tamen perlegens tenorem tituli:
Est leo Pontifex summus qui deuorat,
Marcam respiciens, Marcum dedecorat:
Qui libras sitiens, libros impignorat:
In summis nauigans, in nummis anchorat.
Est iste vitulus Præsul, qui preuius
In loco pascuæ præcurrit citius,
Roditq́ ruminans, quod nouit melius,
Et saginatus est bonis alterius.
Est alter aquila, quæ alis nititur,
Archidiaconus, qui prædo dicitur:
Qui videt à longè prædam quam sequitur.
Et cùm circumuolat, ex rapto viuitur.

Est quod induitur humana facie
Decanus tacitæ plenus versutiæ,
Qui fraudes operit forma iusticiæ,
Piumq; simplici mentitur specie.
Ista sunt quatuor alas habentia:
Quia circumuolant rerum negocia.
Plena sunt oculis, eò quòd præuia
Lustra prospiciunt, & subsequentia.
Incedit quilibet cum rota mobili,
Dum mens reuoluitur axe volubili,
Et circumflectitur voto mutabili,
Intusq; sequitur rotam à simili.
Postquàm perlegeram præmissum titulum,
Subscriptum legere cœpi capitulum:
Quo mores didici, vitamq; præsulum,
Qui duces populi seducunt populum.
Væ genti inutili, cornutis ducibus,
Qui mulctant mutilos armatis frontibus,
Dum habet quilibet ferrum in cornib.
Non pastor ouium, sed pastus ouibus.
Non tantum cogitat ille de miseris,
De claudis ouibus, ægris vel teneris,
Quantum de computo lactis aut velleris,
Sic ouem perditam refert in humeris.
Si vulgi nouerit excessus pauculos,
Causatur fidei læsos articulos,
Trahit ius ouium in causæ tribulos,
Vellens exuuias, & mulgens loculos.
Errantem sequitur grex errans præuium,
Quem pastor deuius ducit per deuium,
Post lac & vellera dat carnes ouium
Luporum dentibus, & rostris auium.
Malè sponsalium nexus in annulo,
Gregisq; regimen pensat in baculo,
Cui soli canones pendent in loculo.
Sic lecto substiti primo capitulo.
Concussu nubium cœlum accenditur,
Fit coruscatio, aër concutitur,
Et vox tonitrui in rota voluitur,
Ad hoc signaculum secundum soluitur.
Ecce capitulum legi de moribus
Archidiaconi, qui suis viribus,
Quicquid à præsulis euadit manibus,
Rapit, & lacerat rostris & vnguibus.
Hinc plenus oculis sedet ad synodum,
Lynx ad insidias, Ianus ad commodum.
Argus ad animi scelus omnimodum,
Sed Polyphemus est ad iuris methodum.
Doctorum statuit decreta millium,
Quorum est pondus supra ius iurium:
Vnum qui soluerit, reus est omnium,
Nisi resoluerit prius marsupium.
Dum causas ventilat personis dissonis,
Formans fallacias sub forma canonis,
Transformat canonem in formam Simonis,
Qui est Mercurius Archidiaconis.

Eccle-

Ecclesiastica iura venalia
Facit propatulo: sed venalia
Cùm venum dederit, vocat à venia,
Quam non inueniens venit Ecclesia.
Seductam nuncij fraude praeambuli
Capit focariam, vt per cubiculi
Fortunam habeat fortunam loculi,
Et per vehiculum omen vehiculi.
Decano praecipit, quòd si presbyteri
Per genitiuos sint, datiuos fieri,
Accusans faciat vocatum conteri,
Ablatis fratribus à porta inferi.
Corpus interpolat lunare Cynthium,
Inuoluit aëra caligo nubium
Concretis tenebris ad instar noctium:
Ad hoc signaculum se soluit tertium.
Et dixit angelus, Lege quae reperis.
Qui legens reperi de viro sceleris,
Qui loca circuit venator veneris,
Auceps infamiae, piscator muneris.
Hic vir Decanus est, qui viri specie,
Non vir, sed virus est virosa sanie,
In viros viribus virens malitiae,
Humanum mentiens humana facie.
Decanus canis est archidiaconi,
Cuius sunt canones latratus dissoni.
Canens de canone discors est canoni,
Dandisq; venditis concors est Simoni.
Decanus canis est, qui sequens praeuia
Nare cupidinis lucri vestigia
Inducit callidè cleri marsupia,
Qua prius fixerat magistri retia.
Spondet auxilium danti munuscula:
Sed postquàm feruida, rerumq; bibula
Corda sedauerit monetae crapula,
Pòst datum nihil est, quòd laudes poecula.
Spondet auxilium, si quid contuleris.
Sed cùm chiragricae feruentem vnxeris,
Palmae pruriginem vnguento muneris,
Ibit podagricè ad opem operis.
Iussus dirimere lites, quas suscitat
A veris profugus, falsis inhabitat.
Certus in dubijs, in certis dubitat,
Qui piè loquitur, dolosè cogitat.
Iniustum promouet, & iustum conterit
Spretor iustitiae, si lucrum viderit
Amator Titij: si ius adiunxerit,
Praefectus sceleris sese remouerit.
A summis aurea manus emicuit,
Quae tribus digitis librum aperuit.
Signum subitò soluens euanuit:
Ad hoc capitulum quartum apparuit.
Hic scriptas reperi consuetudines,
Officialium raptus, voragines,
Fraudes, furias, & turpitudines,
Quae magni codicis excedunt margines.
Hi sunt, quos retinens mundus inhorruit,
A quorum facie terra contremuit,

Quos dum in cautibus Rhodope genuit,
Ad omnes scelerum motus exacuit.
Quantum ex sibimet innato scelere,
Vel ex officio possint officere,
Quis scribet calamus scribentis properè?
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere?
Defamant alios commissa leuia:
Hi nempè furijs atq; ferocia
Cùm insanierint, fiunt silentia,
Non murmur resonat, nec querimonia.
Hi venatores & aucupes Præsidis
Ponunt fallacias tutis & timidis,
Ignaris retia, spicula prouidis,
Incautis laqueos, & viscum callidis.
Sic sæpè Præsulum lucrantur cameræ
Mille denarios emuncto paupere:
Sed decem millia cadunt à latere,
Quæ nunquam Præsulum propinquant dexteræ.
Summo Ecclesias venantur studio:
Si quam extorserint, nunquam fit quæstio,
In cuius nomine sit dedicatio,
Sed quantum loculis infundat pensio?
Hoc suis semper est adiunctis obuium,
Quo semper aliquid fit in contrarium:
Hinc nomen ducitur Officialium,
Qui vt officiant, habent officium.
Dum fiunt turbines & terræmotio,
Vox clara intonans à cœli solio
Exclamat Ephphata, quod est apertio,
Fitq; signaculi quinti solutio.
Viso capitulo legi procemium
Morum & actuum sacerdotalium:
Væ qui dedecorant rerum principium,
Dum pro denario vendunt ternarium.
Diuinis interest sacerdos turpiter
Diuina celebrans, de vino ingiter
Qui Deo crapulam aspirat, aliter
Sacerdos, aliter dicendus presbyter.
Sacerdos rarius de iure poterit
Dici, quàm presbyter, qui bene dixerit.
Nam tunc sacerdos est, cùm sacra dederit:
Tunc verò presbyter, cùm ter præbiberit.
Peccat audaciùs eò, quòd pessima
Peccandi genera, totq; grauissima
Discit à plurimis in Quadragesima,
Sic sua reputans commissa minima.
Abominabilis Deo vir sanguinum,
Plus mortem cupiens, quàm vitam hominum:
Vnam puerperam capacem seminum
Mallet, quàm sedecim millia Virginum.
Post missam presbyter relinquens infulam,
In meretriciam descendit insulam:
Sic fecit Iupiter, qui iuxta fabulam
Cœlum deseruit sequendo vitulam.
Hanc mulieribus proponit maximam:
Quòd nulla saluabitur ad horam vltimam,
Cœlorum nec ingredi poterit ianuam,
Ni de corpore det suo decimam.

Sicq; Vulpecula foueas fodicat,
Non causa Veneris infantes procreat:
Sed vt de proprio animas habeat,
Quibus, quas perdidit, reddere valeat.
Posthæc à thalamo prodit æthereo
Virago nobilis, vultuq; roseo:
Quæ librum digito dissoluit niueo,
Sextum signaculum solutum video.
Istud capitulum figuris breuibus,
Minutis literis, & cohærentibus,
Arctisq; texitur interlinearibus,
Clerią; plenum est crebris excessibus.
Torpens ignauia, fumans elatio,
Libido sordidans, feruens ambitio,
Voluptas indecens, & turpis actio
A turpi prodeunt cleri contagio.
Ecce Vicario persona primitùs
Committit animas, & iura spiritus,
Sibiq; retinet causas & reditus,
Quos audax deuorat & imperterritus,
Errantem animum in plura diuidens.
Decem Ecclesias, vel plures possidens,
Est malè singulis subiectis præsidens,
Dum adest & abest semper vt accidens.
Est suæ celsius aulæ fastigium,
Quàm sit Ecclesia sanctorum omnium,
Suæq; pluris est puellæ pallium,
Quàm opertoria decem altarium.
Facit imagines & ædificia,
Vestes & annulos, ac mutatoria,
De patrimonio regentis omnia,
Quem stare patitur nudum ad ostia.
Commissas animas fouet Vicarius,
Vt suam propriam. Nam vt liberius
Amittat alias, de sua potius
Perdenda cogitat ad mala præ iius.
Omnis à clericis fluit enormitas,
Cùm Deo debeant mentes sollicitas,
Tractant negocia, labesq; vetitas,
Et rerum turpium vices indebitas.
Hic sulcat maria præcepto Domini,
Hic colit nundinas credendo nemini,
Hic arat socius bouis & asini,
Vt sors cuiuslibet repugnet ordini.
Hic generosior tonsuram respuit,
Alter ad clerici nomen erubuit:
Hic librans liberos, libros deseruit.
Sic inter clericos clerus defloruit.
Post hæc Æthiopum turba cum turbine
A quodam prodeunt fusco bitumine,
Qui longo veniunt passim examine
Clamantes septies, Tu autem Domine:
Clamantes horrida voce teterrimi.
Tremore miserum dux me videt comprimi,
Stetiq; corpore tanquam exanimi,
Cùm fit solutio sigilli septimi.
Abbatum video mores & opera,
Quorum est quisq; dux gregis ad infera,

In claustro mobilis, fixus in camera,
Et in capitulo tanquam ephimera.
Hi mundi gaudia spreuêre penitus,
Quod probat paßio silentis spiritus,
Cordis contritio, aquarum exitus,
Tonsuræ vilitas, & vilis habitus.
Sed cùm sit habitus ipsorum turpior,
In ipsis habitat Venus securior:
Si malè conuenit tonsura celsior,
Frons est ad calicem prona liberior.
Si flentes habeant cor contritum solito,
Arrident calici semper apposito,
Sed linguam spiritu refrenant tacito,
Multa conuicia loquuntur digito.
Quibus prandentibus voto præcipiti
Fauces celerrimæ, dentes soliciti,
Sepulchrum patens est guttur, par gutturi
Spumoso stomachus, & rastris digiti.
Dum cœnas celebrat Abbas cum fratribus,
Torquentur calices à propinantibus:
Vinumq; geminis extollit manibus,
Et sic grandisonis exclamat vocibus:
O quàm glorifica lucerna Domini,
Calix inebrians in manu strenui.
Ho Bacche, ho dux sis nostro conuentui,
Stirpis Dauidicæ prole nos prolui.
Hic sumens poculum tractum à Cerere
Clamat, hunc calicem in suo genere,
Quem bibiturus sum, potestis bibere?
Respondent, poßumus, ha, sic fac properè.
Sed ne potandi sit illa conditio,
Vt qui fert, teneat, donec de medio
Fiat, hinc esset lis & contradictio:
Sed totum bibitur sine litigio.
Tunc legem statuunt, pactumq; mutuum,
Ne sit in calice quicquam residuum:
Sic sine requie ventris & manuum
Vas plenum vacuant, & replent vacuum.
Quisq; de monacho fit dæmoniacus,
Et cuiq; monacho congarrit monachus,
Vt picæ pica, vel psittaco psittacus,
Cui dat ingenium magister stomachus.
His mola dentium tumorem faucium,
Lagena gutturis ventris diluuium,
Oris aculeus dat flammas litium,
Et fratrum malleus colorem noctium.
Cùm inter fabulas & Bacchi pocula
Modum & regulam suspendit crapula,
Dicunt, quòd dicitur fauor à fabula,
Modus à modio, à gula regula.
Et sic fit ordinis frequens transgreßio,
Fraudes, periuria, liuor, detractio,
Mentis esuries, rerum destructio,
Ventris ingluuies, renum concußio.
Est nullum monacho maius dæmonium,
Nihil auarius, nihil magis varium.
Cui si quid datur, est poßessor omnium:
Si quicquam petitur, nihil habet proprium.

Si prandet, competit, vt loqui nesciat,
Ne lingua dentium opus impediat:
Si bibit, expedit, vt sedens hauriat,
Ne pes sub pondere ventris deficiat.
Die deuotiùs adorat dolia,
Nocte cum bipede laborat bestia:
Tali discrimine, tali molestia
Meretur vir Dei regna cœlestia.
His mihi pleniùs visis & cognitis,
Dux meis manibus me capit insitis,
Et caput quatuor decerpens digitis,
Soluit in quatuor compagem capitis.
Et ne mysteria vidissem perperam,
Rigentem stipulam siccam & asperam
Figens occipitis in partem teneram,
Scripsit in cerebro cuncta, quæ videram.
His gestis deferor in summa nubium,
Cælumq; raptus sum vsq; ad tertium,
Vbi mirabile vidi mysterium,
Et ineffabile cuiq; mortalium.
Ad summi iudicis tractus concilia,
Inter tot millies centena millia
Profundè didici Dei consilia,
Humanis mentibus inscrutabilia.
Quæ postquàm videram, statim esurij:
Mihiq; proceres magni consilij
Panem papaueris proponunt, alij
Lethæi laticem propinant fluuij.
Cumq; palpaueram panem papaueris,
Labrisq; laticem infudi miseris,
Statim oblitus sum diuini muneris,
Nec quicquam potui nosse de superis.
De cælo cecidi vt Cato tertius,
Nec summi venio secreti nuncius,
Sed meus mihi quod inscripsit socius,
Hoc vobis dicere possum fideliùs.
O quanta dicerem, ô quàm mirifica
De rebus superis, & sorte cælica,
Nisi papaueris cæna sophistica
Mentis vestigia fecisset lubrica.

Sermo Goliæ Pontificis ad Prælatos impios.

Dilatatur impij regnum Pharaonis,
Plebs Hebræa premitur, spoliatur bonis:
Saul non compescitur musicorum tonis,
Infulatus Aaron delectatur donis.
Templum Dei violat ordo Prælatorum,
Dum furantur filij carnes cacaborum,
Hi sunt semen Canaan, duces reproborum,
Per quos dona Spiritus fiunt iugeforum.
Patrum princeps, Isaac olim vocitatus,
Iacob munus recipit, eo satiatus
Benedixit Israël: inde primò natus
Longum fleuit Esau, quasi reprobatus.
Excitati Præsules rectam linquunt viam.
Iacob Rachel fugiens amplexatur Liam

Inde læ, us claudicat, vulneratus sciam,
Quòd futuri legitur fore prophetiam.
Terminabit Dominus Præsulum sophisma,
Per quos venit scandalum, per quos venit schisma:
Sacros vendunt ordines, sacrum vendunt chrisma,
Vendunt, in se quantum est, Spiritus charisma,
Præbendæ tunc temporis ducuntur ad forum,
Simonia pullulat, & dilatat chorum:
Sed disperdet Dominus iter impiorum,
Conquassabit capita in terra multorum.
Inaudita dicerem, si liceret fari:
Pauper omnis pellitur procul ab altari,
Postquàm sentit Pontifex nihil posse dari,
Non est qui pro paupere spondeat scholari.
Iam mendicat miserè chorus poëtarum,
Nulli prodest imbui fonte literarum:
Huic, qui parùm possidet, datur nihil aut parùm,
Nihil absq; munere præsul ducit carùm.
Iam columnæ titubant templum sustinentes,
Nam peruertunt munera sacerdotum mentes,
Credo, quòd hos sorbeat Tartarus viuentes,
Qui nihil gratis tribuunt Simonem sequentes.
Aurum templi penitus redditur obscurum,
Plures reædificant Babylonis murum,
Per quos Domus domini fit spelunca furum,
Quibus contra stimulum calcitrare durum.
Euangelizantium sordidantur pedes,
Sed nil credunt sordidum Simonis hæredes,
Alienas vacuant, suas implent ædes,
In tribunal vertitur pastoralis sedes.
Aret sicca penitus ficus absq; flore,
Gedeonis area dulci caret rore:
Iam prælatos miseri fata moueant Chore,
Vnà ne consimili pereant dolore.
Cùm secare nequeam, fungar vice cotis:
Imitantur Præsules Christum à remotis.
Horum nullus circuit orbem in melotis,
Imò mundum viribus amplexantur totis.
Non, vt verum fatear, loquor causa mei,
Sic me cogit scribere zelus domus Dei:
Quam non regunt Præsules, imò Pharisæi,
Qui subiectos faciunt reos, iam sunt rei.
Multa ferunt aspera, multos cruciatus,
Hic secretum thalami paucis comitatus
Intrat, ibi recubans cibis crapulatus
Delet vino veteri populi reatus.
Alter magis patitur nomine prætrino
Hyemali tempore proximus camino,
Vinum forte redolet ore resupino,
Posses sine poculo satiari vino.
Quisquis eris Pontifex, hic nunc semper ora:
Tempus, mare, flumina fluunt absq; mora:
Viros, senes, pueros mortis capit hora,
Cuius nemo poterit retinere lora.
Exoramus igitur summum creatorem,
In quo solo vincimus prauum exactorem,
Vt nobis exhibeat spiritus amorem,
Extinguendo penitus criminum ardorem.

Exoremus itaq; fontem pietatis,
In quo lumen latuit summæ deitatis,
Vt subiectis tribuat simul & prælatis
Viuo semper perfrui pane charitatis.

Sermo Goliæ ad Prælatos.

A legis doctoribus lex enacuatur,
Clerum odit laicus, pax periclitatur:
Non in cruce Domini quisquam gloriatur,
Pugna, lis, discordia per crucem sedatur.
Vitam claudit hominum paucitas dierum,
Vix est inter homines, qui discernit verum.
Iam plebs iustè murmurat contra Dei clerum;
Fraus est & confusio, perit ordo rerum.
Puer senem arguit dignitate pari,
Rachel plorans filios non vult consolari.
Iam ruinam Hiericho videt reparari,
Res mala dum Sodomæ nequit extirpari.
Circa mundi vesperam mala conualescunt,
In senili corpore sordes iuuenescunt:
Suis in stercoribus pecora sordescunt,
Et languente capite membra conlanguescunt.
Væ qui propter munera vitam condemnatis,
Glutientes bubalum, culicem colatis:
Per errorum deuia malè deuiatis,
Nec iam dona Gratiæ gratus habet gratis.
Væ pastores Israël gregem non pascentes,
Et à grege Domini lupos non arcentes,
Qui se dedit precium ad saluandas gentes:
Erratis in inuio Christum non sequentes.
Væ qui super Moysi cathedram sedetis:
Lex à vobis dicitur, quam vos non impletis.
Eius in Ecclesia speciem tenetis,
Cuius procul dubio vitam non habetis.
Væ vobis hypocritæ, filij mœroris.
Qualis quisq; fuerit, non apparet foris:
Qui dux esse debuit vitæ melioris,
Per errorem factus est laqueus horroris.
Væ qui donis hominum faues in personis,
Et ad voces pauperum aures non apponis:
Hic eclipsin patitur lumen rationis,
Cùm in iure prior est potior in bonis.
Cùm ad bona curritur manibus contentis,
Sæpè fit, vt pereat ius nihil habentis:
Furit manus iudicis in causa potentis,
Codri tamen claudicat æris nil ferentis.

Golias ad Christi sacerdotes.

Viri beatissimi, sacerdotes Dei,
Præcones Altissimi, lucernæ diei,
Charitatis radiis fulgentes & spei,
Auribus percipite verba oris mei.
Vos in sanctuario Dei deseruitis,
Quos vocauit palmites Christus vera vitis,
Cauete, ne steriles aut amari sitis,
Si cum vero stipite viuere velitis.

Vos estis Catholicæ legis portatores,
Sal terræ, lux hominum, ouium pastores,
Muri domus Israël, morum correctores,
Iudices Ecclesiæ, gentium doctores.
Si desit protectio legis, lex labetur:
Si sal euanuerit, in quo salietur?
Nisi lux appareat, via non scietur:
Nisi pastor vigilet, ouile frangetur.
Vos cœpistis Vineam Dei procurare,
Quam doctrinæ riuulis debetis rigare,
Et spinas & tribulos prorsus extirpare,
Vt radices fidei poßint germinare.
Vos estis in area boues triturantes,
Prudenter à paleis grana segregantes:
Vos habent pro speculo legem ignorantes
Laici, qui fragiles sunt & inconstantes.
Quicquid vident laici vobis displicere,
Credunt procul dubio sibi non licere.
Sed quicquid vos opere vident adimplere,
Credunt esse licitum, & culpa carere.
Cùm pastores ouium sitis constituti,
Non estote desides, neq; canes muti,
Sonum vestrum mutant latratus arguti,
Lupus rapax inuidet ouium saluti.
Grex fidelis triplici cibo sustentetur,
Corpore Dominico, quo fides augetur,
Sermonis compendio, vt discretè detur,
Mundano cibario, ne periclitetur.
Omnibus tenemini viris prædicare,
Sed quibus, quid, qualiter, vbi, quando, quare,
Debetis sollicitè præconsiderare,
Ne quis in officio dicat vos errare.
Spectat ad officium vestræ dignitatis,
Gratiæ petentibus dare dona gratis:
Quæ si contra fidei regulas vendatis,
Vos lepram miseriæ ferre sentiatis.
Gratis Eucharistiam plebi ministrate,
Et gratis conficite, gratis consecrate:
Secundum Apostolum omnia probate,
Solum hoc, quod fuerit bonum, approbate.
Vestra conuersatio sit religiosa,
Munda conscientia, vita virtuosa,
Regularis habitus, fama speciosa,
Nulla vos coinquinet labes criminosa.
Estote pacifici, sobrij, prudentes,
Iusti, casti, simplices, pij, patientes,
Hospitales, humiles, subditos docentes,
Consolantes miseros, prauos corrigentes.
Estote beneuoli, ne vos ducat ad reatum,
Verbum, quod proponitis, sit abbreuiatum,
Per vos inter simplices benè adaptatum,
Nam in multiloquio non deest peccatum.
Nullos fastus exprimat signum vestræ vestis,
Grauitatis vestium habitus sit testis:
Nihil vos illaqueet curis inhonestis,
Quibus claues traditæ regni sunt cælestis.
Vtinam sic gerere curam pastoralem
Poßitis in seculo per vitam actualem,

Vt cùm exueritis chlamydem carnalem,
Induat vos Dominus stolam æternalem.

Prædicatio Goliæ ad terrorem omnium.

Tempus acceptabile, tempus est salutis,
Tempus est discutere iugum seruitutis,
Accingamur igitur gladio virtutis,
Resistentes fortiter hostibus hirsutis.
Quasi leo rugiens hostis inuestigat,
Quærit quos decipiat, & deceptos ligat:
Varijs contagijs animas fatigat,
Vt æternis morsibus miseras affligat.
Grauiter offendimus Regem Maiestatis,
Sed nos indulgentiæ summæ Trinitatis,
Suam nobis gratiam conferendo gratis,
Sanet à langoribus, mundet à peccatis.
Carnis pestilentiæ restringamus ora:
Si iam bona facta sunt, fiant meliora.
Eligamus citiùs & honestiora:
Nam nos ad periculum trahit ista mora.
Et ne fortè cogites, viuam decem annis,
Tunc me vilioribus castigabo pannis,
Tunc induar vestibus Pauli, vel Ioannis:
Sic expectat rusticus, dum defluat amnis.
Res infelicißimas, cur non confiteris?
Dic tuas malicias, vt iustificeris,
Steriles inducias, & inanes quæris:
Expectans decennium fortè cras non eris.
Quisquis ergò pœnites, lachrymis abunda,
Ore, corde, corpore tua facta munda.
Istos Dauid, lapides posuit in funda.
Hæc est post naufragium tabula secunda.
Quid dicturi miseri sumus ante thronum,
Ante tantum iudicem, ante summum bonum?
Tunc non erit aliquis locus hîc præconum.
Cùm nostrarum præmia reddet actionum.
Cùm peruentum fuerit ad examen veri,
Ante thronum stabimus iudicis seueri,
Non erit distinctio laici vel cleri,
Nulla nos exceptio poterit tueri.
Hic non erit licitum quicquam allegare,
Neq; ius reijcere, neq; replicare,
Nec ad Apostolicam sedem appellare:
Reus tunc damnabitur, nec dicetur quare.
Cogitate diuites, qui vel qualis estis,
Quid in hoc iudicio facere potestis:
Tunc non erit aliquis locus hîc Digestis,
Idem erit Deus hîc iudex, autor, testis.
Iudicabit iudices generalis,
Nihil ibi proderit dignitas regalis:
Sed fœtorem sentiet pœnæ gehennalis,
Siue sit Episcopus, siue Cardinalis.
Nihil ibi dabitur bullæ, vel scriptori,
Nihil camerario, nihil ianitori:
Sed dabuntur præsules peßimo tortori,
Quibus erit viuere sine fine mori.

Apud nostros iudices iura subuertuntur,
Et qui legem faciunt, lege non vtuntur.
Sed attendant miseri mala quæ sequuntur:
Hi qui damnant alios, primò damnabuntur.
Vobis ergò præcipit conditor cœlorum,
Vt vos sitis quilibet socij iustorum,
Vt columbæ simplices ad exempla morum,
Si consortes fieri vultis angelorum.
Vos, vt ait Dominus, lumbos accingatis,
Quod est procul dubio signum castitatis:
Hanc lucernam manibus vestris sufferatis,
Vt exemplum populo bonum præbeatis.
Vos qui vultis populo Domini prodesse,
Et qui vultis Domini populo præesse,
Cuius vitam agere decet indefessè,
Pios, largos, humiles, dignos interesse:
Viri venerabiles, seruientes aræ,
Vobis mandat Dominus plebem castigare,
In feruore, moribus, & spe radicare,
Vt & vos cum populo possit luminare.
Sacerdoti conuenit legem sacram scire,
Plebem vita, moribus, verbis erudire,
Vt cùm tandem venerit illa dies iræ,
Piam vocem Domini possint hanc audire:
Benedicti filij regnum possidete,
Quod vobis paratum est sine meta metæ,
Sacri vos presbyteri, sicut & prophetæ,
Benedicti filij mecum congaudete.

De his, qui regnant in Romana curia.

Vtor contra vitia carmine rebelli,
Mel proponunt alij, fel supponunt melli,
Pectus subest ferreum deaurati belli,
Et leonis spolium induunt aselli.

Leo Ioannes rex, aselli Episcopi sunt.

Disputat cum animo facies rebellis,
Mel ab ore profluit, mens est plena fellis:
Non est totum melleum, quod est instar mellis,
Facies est alia pectoris, quàm pellis.
Vitium est in opere, virtus est in ore,
Tegunt partem animi niueo colore:
Membra dolent singula, capitis dolore,
Vt radici congruit ramus in sapore.
Idem. *Roma mundi caput est, sed nil capit mundum:*
Quod pendet à capite, totum est immundum.
Trahit enim vitium primum & secundum:
Et de fundo redolet, quod est iuxta fundum.
Roma capit singulos, & res singulorum.
Romanorum curia non est, nisi forum:
Ibi sunt venalia iura Senatorum:
Et soluit contraria copia nummorum.
In hoc consistorio si quis causam regat
Suam, vel alterius, hîc inprimis legat:
Nisi det pecuniam, Roma totum negat,
Qui plus dat pecuniæ, melius allegat.
Romani capitulum habent in decretis,
Vt petentes audiant manibus repletis.

Dabis, aut non dabitur: petunt quando petis,
Quâ mensurâ seminas, eadem tu metis.
Munus & petitio currunt passu pari:
Opereris munere si vis operari.
Tullium ne timeas, si velis caussari:
Munus eloquentiâ gaudet singulari.
Nummus in hac curiâ non est, qui non vacet,
Crux placet, rotunditas placet, totum placet.
Et cùm ita placeat, & Romanis placet,
Vbi nummus loquitur, ibi lex omnis tacet.
Cùm ad Papam veneris, habe pro constanti,
Non est bonus pauperi: soli favet danti.
Et si munus præstitum non sit aliquanti,
Respondet hic tibi sic: Non est mihi tanti.
Papa quærit, chartula quærit, bulla quærit,
Porta quærit, Cardinal quærit, cursor quærit:
Sed si dares omnibus, at vni deerit,
Totum mare salsum est, tota causa perit.

ABBAS IOACHIMVS.

Hic vixit circa annum Domini 1200. Eius scripta, & prophetias primùm in Germaniam misit Cardinalis Portuensis, cum subsequentibus versibus de Cardinalium discordiâ, circa annum 1250.

Non concordamus, nec concordare putamus,
Et tamen hîc stamus, cùm nîl pietatis agamus.
Vt consumamus nos, insimul & pereamus.
Sed non curamus de famâ, quam lapidamus,
Nec bene pensamus de mundo, quem laniamus.
Ergo cogamus nos ipsos, & faciamus,
Quò non perdamus hæc tempora, nec repetamus.
Quæ formidamus, hoc casu præueniamus.
Sponsum condamus, quem sponsæ præficiamus.

Hæc ex Conradi Halberstadensis Chronico.

Deinde circa annum 1520. reperta sunt exemplaria Prophetiarum cum imaginibus huius Abbatis: vnum in Carthusianorum monasterio: alterum in Bibliothecâ Illustrissimi Senatus Norimbergensis, pictum ante annos 200. tertium editum est à Theophrasto Paracelso: quartum à Ioanne Adrasder: quintum typis Venetianis anno 1589. à Paschalino Regiselmo: omnia cum annotatis, vt in sequentibus constabit. Sed & Scalichius Apostata non veritate sed ventre impellente contra mentem authoris super eas pro papa glossas mendaces edidit: vt apud eum.

Vitam & acta huius Abbatis Ioachimi reperies post sequentes tractatus paulò infrà: sunt enim aliquot, qui commendârunt eum scriptis suis, autores.



Stellas congregabit, vt luceant in firmamento cœli.

VATICINIVM I.



AScende Calue, vt a ne ampliùs decalueris, qui non vereris decaluare Sponsam: vt comam vrsæ nutrias. Vade, & pasce columbam granis purissimis à fera pessima conculcandis. Sed caue, ne fatua pietate delusus grana infecta, quibus vrsam pascis, columbæ b non propines, c quæ cibo infecta grauiter infirmetur, tardè & difficulter curanda.

a al. aliqui adimunt negationem. b al. hic quoque negatio in aliquibus deest. c al, ne tali cibo, &c.

Clauibus claudet, & non aperiet.

VATICINIVM II.



POst Lunam ascendet Mars sitiens sanguinem baptismalem, ascendet autem de turri ad altissimum solium, qui a Solem clarissimum obfuscabit. Cum Lilio & Cruce Aquilam cruciabit. b Minimè ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es, zelo immoderato, virtute simulata denigrans, & dissipans superflua, solus coarctans pacem, deuorans vniuersa.

a al. solium. b al. Minimè ædificabit mihi templum, quia vas sanguinis est.

Duros corporis ſuſtinebit labores.

VATICINIVM III.



ACcipe ſupplantator excelſos honores, arbos inutilis, & infructuoſa, quid cogitas te facturum ingentia, cùm ſis corpore, & mente debilis: implere, quæ cogitas, non valebis, quia modicum vigilabis, citò dormies, & non ſurges, ſemper in tribulatione viues, quamuis parùm.

In hac prophetia, & tribus ſequentibus variatur ordo in quibuſdam libris.

Vox vulpina perdet principatum.

VATICINIVM IV.



BEnedictus qui venit in nomine Domini cœleſtium omnium contemplator, qui ſimplex eductus de terra tenebroſa aſcendit, & deſcendit: nam vox gemina, & vulpina ipſius Principatum vorabit, & tribulatus peregrè morietur. O quantum dolebit Sponſa de caſu legitimi Sponſi ad deuorandum tradita Leoni. Cur ô ſimplex homo Sponſam dimittis truculentis canibus latrantibus tribuendam? Cogita nomen tuum, & prima opera fac, vt recipiaris in partibus Orientis.

Hæc in quibuſdam libris poſt ſequentem collocatur.

Oriens bibet de Calice iræ Dei.

VATICINIVM V.



De minimo ad maximum gradũ ascendisti miser de cælo stellato regnans Planeta, descendisti in barathrum vanitatis, primam sponsam viduam relinquens: heu, heu imprudens, & inutilis, qui es totus circa turpe nutrimentũm Veneris occupatus, ad terram benedictionis non cogitas b tua in parte negligentia c perdendam, cùm hæc audis, irremediabiliter luge: erit enim tribulatio, qualis non fuit ab initio vsque modò, quadratè viues, & subitò in Babylone morieris, vir mortis es, sed aliqua bona inuenta sunt in te. Cede igitur maiori, & meliori te: quia Dominus transtulit regnum tuum. d In Oriente commotio, & post commotionem ignis deuorans vniuersa.

a al. Omninò b al. tuam propter negligentiam perditurum. c al perdurat. d al, additur à te.

Fraudulenter intrasti, potenter regnasti, gemens morieris.

VATICINIVM VI.



Ecce homo de Scarsothis progenie occultum Principatum habens, a quo Agnus fuit, Neronicè regnans, morieris desolatus, abbreuiabuntur dies illi, qui totum mundum tyrannus terribilis conturbabit, Gallum ferit, Aquilam deplumat. Gallus, & Aquila eius superfluam auferent potentiam. Columba non timebit ramum portans oliuæ, & in petræ foraminibus nidificans, cuius securitas est in Angelo testamenti, quid tantum affectas Babylonicum principatum, quem obtinere non poteris? contra iustum insurget, & ipsum vinculis alligabit.

a al. quò Agnus ascendit.

Viri fortes inuidia orbabuntur.

VATICINIVM VII.



HÆc eſt auis nigerrima Coruini generis, nigra Neronis opera diſsipans, ſubitò morietur in terra petroſa, cùm videbit fructum pulchrum, ad veſcendum ſuauem, tunc nutriet a in gemma, qui ſibi initium miniſtrabit mortis.

a al. in gremio.

Mobilis & immobilis fiet, & maria plura vaſtabit.

VATICINIVM VIII.



VIde hic mulieris Babylonicæ Sponſum fugientem Sponſam ſuam ſibi abominabilem, quaſi viduatam a relinquens. Nomen eius diſſonum, crudelis, immundus, iniuſtus, virtute carens, appetens vanitatem immoderatè, relaxans claues, curſor, gladiator, congregans & corrumpens b lucidiſsimas ſtellas. Qui perdet fulgorem contra Solem tenebroſum. Finaliter pugnatura Luna ipſum perſequetur, in altum corruet, excelſa obſcurabit.

a al. hæc omnia in caſu Accuſatiuo leguntur vſque ad corrumpens.

b al Lucidiſsima ſtella perdet fulgorem, contra Solem tenebroſum finaliter pugnatura Lunam perſequetur.

Contra Columbam hæc imago turpissima Clericorum pugnabit.

VATICINIVM IX.



DE infimo genere ascendet cruenta bestia
prima, & nouissima, quæ filium minimum,
x innoxium crudeliter deuorabit. a Vnus es, &
parem non inuenies ad innoxium sanguinem ef-
fundendum. Idcirco tempore tuo surget Pseudo-
propheta, & seducet multos: quia tu malis tuis
agnum mitissimum plagis crudelissimis vulnera-
sti, ponens os tuum in Christum Dominum, ob-
scurans stellas cœli, malitia tua tibi opprobrium
ministrabit, qui es Solus nomine gratiosus.

a al. omnia subsequentia leguntur in tertia persona, & non in secunda.

Sex lucidabit Planetas, & vnus finaliter[a] ipsorũ fulgorẽ[b] excedet.

a al. ipsius. b al. extinguet.

VATICINIVM X.



DE suburbanis montuosis, & solidis, de ter-
ra candida vir ascendet actus faciens singu-
lares, Stellas in parte lucidabit, & obscurabit, sed
excelsa non auferet, quæ prædicta bestia obfusca-
uit, sed remanebit agnus grauiter vulneratus.
Pauca sparget, multa congregabit, egenus mo-
rietur, & propria sepultura carebit. Coruum co-
lumba persequetur, regnabit totus solus, totus a-
lienus, multas Sponsas viduas relinquens.

Stolam ſuam in ſanguine Agni dealbabit.

VATICINIVM XI.



ALta aſcendet duplici benedictione præuentus amator Crucifixi, cultor pacis, altus ingenio: veruntamen quæ cogitat, non implebit, alta corruent, infima ſublimabit, ornabit cœlum, nemora ſuccidentur, extendens manus ad pauperes, viduas deſponſabit. Et tunc caue ſphæra volubilis, & nigra, ne impediaris à vento Aquilonis in tribulatione, cum [a] Cruce te defende.

a al, cum Lilio, & Cruce.

Lupus habitabit cum Agno, pariterq́ cibabit.

VATICINIVM XII.



AD honores aſcendet duplices homo iſte, veniens de centro nebuloſo, concordans diſcordantes, Lunam reuoluens, nouaculam in manu geſtans ad ſuperflua reſecanda, carnes comedet aſſas, & vinum bibet myrrhatum, pauper ingrediens, alta conſiderans, infimis condeſcendens.

Iſte ſolus aperiet Librum ſcriptum digito Dei viui.

VATICINIVM XIII.



AD alta vocatis ô Princeps mente canus, quid agonizas? Surge, & eſto robuſtus, interfice Neronem, & eris ſecurus, ſana vulneratos, accipe flabellum, interfice muſcas, eijce vendentes de templo, doctrinam illuminatam aſſume, annunciatia iuſtiŭ, vita circumciſos, dirige Columbam, reprime ſitibundos.

Flores rubei aquam odoriferam diſtillabunt.

VATICINIVM XIV.



OBſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, rubigo te conſumet, dulce principium inueniſti, ſed finem [a] tribulantem, væ primum abijt, & ecce væ ſecundum, fugiamus à facie eius. Clama in fortitudine, quia iam incipiunt vltimi cruciatus. Ah, ah, vbi eſt Lucifer? quò abierunt ſtellæ? curramus & non reſpiciamus retrò, quia ab Aquilone pandetur omne malum. [b] Obſecro, mi Domine mitte, quem miſſurus es.

a al. tribulatum. b in aliquibus hæc vltima verba deſunt.

Terribi-

Terribilis es, quis resistet tibi?

VATICINIVM XV.



Hæc est vltima fera a aspectu terribilis, quæ detrahet Stellas. Tunc fugient aues, & reptilia tantummodò remanebunt. Fera crudelis, vniuersa consumens, infernus te expectat. b

a al. à spiritu terribilis. b al. aliqui hîc addunt: Terribilis es, & quis resistet tibi?

a Occisio, filij Balaël sectabuntur.

a al. Incipit principium malorum, Hypocrisis abundabit.

VATICINIVM XVI.



Genus nequam vrsa catulos pascens, & in quinq; Romæ sceptrum conturbantes a nouæ, & in XXXVI. annos in terè ambulabit primus finis sectæ habentis quinque filios, à figuris enim medius est. Aerea quoq; ciuitas barbaros b item recipiet. Cùm autem videris vrsam matrem canum miserabiliter luge in altitudine cœli, vt à Deo consequaris auxilium. Multos decipies nequissime sub aliena pelle immutata enim visum fallacem conuertis in terra abicondens, & deceptionem in multis faciens.

a al deest nouæ. b al idem.

Hæc reuelatio ita in quibusdam libris legitur.

Genus a nequam vrsa catulos pascens, b in quinq; Romam sceptra conturbat nouam, & in XXXVI. annis miser ambulabit. Primus c filius feræ habens quinque filios, à figuris enim d medius tibi est. Aerea autem ciuitas Barbaros in se recipiet. Cùm autem e videris vrsam matrem Canum miserabiliter f luge in altitudine cœli, g vt à Deo h consequaris auxilium. Multos decipis misera, nequissima sub aliena pelle vnita: i nam falcem conuertis intrà, abscondis deceptionem, immunitas faciem, sic autē benè manes, canes nutris nouos, vt habeas ipsos

in medio tempestatum. Sed Christus manifestabit cogitationes, serpens autem omnes velociter consumet, cum his, quos lactas, lactaberis pœnaliter, & manus expandes, cùm pedes peruertes, k sic abijciens teipsum extra te: sed Dominus hypocrisin tuam ostendet. l Quid enim mali facies ô tu habens faciem canis admixtam alieno morsu? quid tu feris? quid mundo aperis os tuum ad pusillos? quomodo eructabit cor tuum verbum bonum ciuitati?

a al. Neque Zelus, neque Vrsa, &c. b al. in quinto Romam sceptri conturbat, &c. c al. finis feræ habentis quinque oculos. d al. modus est. e al viderit Vrsa. f al. fugebit. g al. additur pete. h al. consequatur. i al. falcem conuerte intra, absconde deceptionem, immuta faciem, sicut benè manens. k al. sicut abijciens te ipsum extra. l al. Quid mali facis ô tu, &c.



Decimæ dissipabuntur in effusione sanguinis.

VATICINIVM XVII.

SEcundus Filius, alia fera volans, serpens ad meridiem a victus, magnus, & niger totus, priuatus lumine à Coruis, b manifestans tempus à figuris literalibus, qui c succedit paterno fini, d existens serpens miser, & destructio Vrsæ. e O quomodo es esca miserorum Coruorum, existens genus abominabile eorum, f ab Oriente miserabiliter turbaberis te ipsum similem ciuitatis lumen gentium dabis in tempore metus.

a al. iunctus vel vinctus, nigro & niger, &c. b al. manifestatus, tempore, & figura localibus. c al. succedunt. d al. Serpens niger, & destructor Vrsæ. e al. O quæ, vel quanta esca miserorum Coruorum existes. f ab Oriente miserabiliter turbabis, vel turbabunt te, simul & ciuitatem tuam gentibus, vel turtum gentium dabis in tempore messis.

a Pœnitentia vestigia Simonis Magi tenebit.

a al. Potentia.



VATICINIVM XVIII.


DVplum tertium, & est auis crucifera, equus (vel vt legitur in quibusdam libris, eques) lasci corniger sic multùm velox sicut promtus, & finem b vnius principium habens vnitatem, & nutati duplici vacationis primæ recuruæ figuræ numerorum extremum c in tempore sicut boni anni. Venit dies in qua tenebit medietatem curuæ figuræ multùm quidem magnus Rex volucrum Solis. Iste enim recipiens principium à meridie, in quo explebit cornuto die mediante Stella Poli Vespere, & punitus vt multùm velox existens, & ad bella præparatus. O genus Byzantij habens d auditus vobis inclinatos, ligna sine fructibus. O amice sed e vltima syllaba vulnus lucrabitur te in locis irriguis præter spem cadens in te principium, & finis Corvi est.

a al supplicium tertium auis crucifera equus corniger principium &c. b al. vocationis, vnius recuruæ figuræ numerorum extremæ. c al. sicut in tempore boni anni veniet dies, in qua tenebit immediatè figuræ curuæ multùm, magnus quidam Rex volucrum. Solus enim recipiens principium, media die explebit in cornuto, mediante Stella Poli vesperi, & propterea multùm velox existens ad bella paratus. d al. aditus. e al. syllaba lucrabitur te in locis irriguis, propter spem, & finis cornu est.

Confusio & error [a] vitiabitur.

a al. incitabitur.

VATICINIVM XIX.



[a] ISte Collateralis quartus ab Vrsa, carens gladijs, & homo mouens incisionem rosæ: tamen [b] siccabitur sicut rosa, & [c] incidens rosam annis mortuus tribus, etenim litera tertia, & tertium elementum illud videt. Recipiens enim principium, vt incideret florem, non miserebitur tui, quamuis in principatu maneas. Vide enim iste incipit colligere rosam, ante ferens in hominibus, habens finem, in quo lætare multum frustra.

a Iste ab Vrsa carens &c. b al. siccabuntur. c al. incidet rosam, cuius motus tertius, & est tertia litera, & tertium elementum significat, manus falx illa in prima litera incidit rosam, miserum elementum illud, inde recipiens eum, non miserebitur.

[a] Elatio [b] paupertatis, obedientia, castitas, Gastrimargiæ, & Hypocritarum destructio.

a al. legitur solummodò vox Elatio pro titulo, & nil aliud. b al. paupertas.

VATICINIVM XX.



VIde iterum alienum [a] existentis [b] medium, falcem magnam, [c] & rosam quam fert tertium ante duplicatum in primo elemento diuisa sunt. Item coniuncta falciferi quatuor mensium scribo erit, S. Principatus autem omnis quem consumsisti cum gladio in templis idolorum post paululum resuscitabis, tres annos in mundo viues senex valdè in [d] infimum duabus tribulationibus in medio corrues.

a al. modum. b al. supra entis. c al. & rosam manu ferentem tertium autem duplicatum primum elementum. Item coniuncta tore 4. mensium, te scribo, & principatus ante omnia, templa Idolorum, post paululum resuscitabo, tres ante tres annos in vnum. Viues senex valdè præcipitaberis in infernum. duabus tribulationibus in medio, d al. infernum.

Incisio,

Incisio, Hypocrisis in abominatione erit.

VATICINIVM XXI.



VAcca a autem quintum, & b finis vrsos pascens, signa manifestat, & modum, & locum, vnde aduениens solus manifestabit mihi amicos primos, c habes virtutes aliorum, plus dispensas circa amicos, propterea inuenisti dulcissimum finem. Solus sublimaberis d à gloria, & mortuos relinques potentissimè potentias, sicut enim imbrem bene inuenies. e

a al. ante. b al. filii Vrsæ pascentis figura.
c al. & habens virtutem dispensa circa amicos.
d al. ad gloriam, & mortuo relinques.
e al. addunt aliqui libri: Potentias.

a *Occisio, Filij* b *Balaël sectabuntur.*

a Occasionem. b al. Balac.

VATICINIVM XXII.



ALia Vrsa a pascens Catulos, & in omnibus b præterquàm in vmbra c tantùm, scripta similis natura templorum. Natiuitas abortiua præfigurat. In vltima enim scribuntur vltimæ subsolares, ante, d retroque coronæ manifestantes diuisionem totius e pœnitentiæ.

a al. addunt, secunda, vel secundò. b al. addunt, illa. c al. habent, tantùm natura temporum, natiuitas abortiua. d Vtrisquecoronis manifestantur diuisiones. e al. potentiæ.

[a] *Potestas, cœnobia ad locum Pastorum redibunt.*

a al. habent aliqui pro titulo, Sanguis, & nil aliud.

VATICINIVM XXIII.



[a] HEu heu misera ciuitas sustinens dolores, & passiones. Ciuitas enim miserabile vt appareat lumen mox tenebit arma paruum tempus. Cædes erunt in te, & effusio sanguinum. Vnde v-num incipientes non deficient in quinque principatus à Monarchia tua. Dracones oua confringent. Quæ comederunt vt cibum, frustatim laniabūt mēbra b sua non cæsa, & ad pugnam c intestinā sceleratā, d innumerabilem multitudinem cædent gladio ad milliaria sex septem numerata, & omnis e ciuitas multiplicabitur fornicationi, & cedet maculatus, adulter, raptor, & iniustus. Sodomita f videbit vltimum lumen ante g oculos h M. eius.

a al. Heu misera sustinens passiones, ciuitas miserabilis, vt appareat, lumen mox tenebit circa paruum tempus sedens. In te omninò effusio sanguinum, vnde denarij incipientes non deficiant, & quinque principatus à Monarchia tua Draconem confringent, quem occidit lilium, frustatim. b al. illius. c al. intestina d al. mirabilem. e al. implicitus fornicatione, & cæde maculatus. f al. videbunt. g al. oculos eius. h al. matris.

Bona gratia, Simonia cessabit.

VATICINIVM XXIV.



VVlpinam figurasti amicitiam a patienter sensum refrenans, sicut multùm senex, & b canum habens sensum, c venientes autem dupliciter d voluptates, & septies e voluptatem dimisisti confringendas ad inuicem, & in effusionem vallis sanguinum effundendas. Tu pro victoria expandisti manus. f Benè & gloriosè brauium accepisti in fine sceptri.

a al. patientem sensum refrenas. b al. canos sensus. c Veniens. d al. volitiones e al. voluntatem vel voluntariò. f benè gratiosus.

[a] Potestas vnitas erit.

a al. Potestas & vnitas imminuetur.

VATICINIVM XXV.



VEH tibi ciuitas septem collis, quando [a] K litera [b] laudabitur in mœnibus tuis. Tunc appropinquabit casus, & destructio tuorum potentum, & [c] iudicantium iniustitiam. Qui habet digitos suos falcatos, qui est falx desertitudiuis, [d] & in altissimo blasphemauit Q. V. R. G. Ei in C. V. Ysatios, Citopam cædis sanguinis. Ioannes bona gratia Constantinus pauper, videas tu, qui sancta consideras, & sancta fers super humerū, ne pulvis tuus fiat opprobrium, & [e] barba profūda iustè incidet, & maximè vituperaberis [f] ipse consiliarius in morte Pontificis, cuius nomen [g] Io. Obi.

a al. R. b al. comminabitur. c al. vindicantium iustitiam. d al. in altissimis blasphemabunt. quæ m. Cb. p. t X. i. in Kb ubi ilastios sincopam cædit. e al. in barba. f al. Item. g al. Ca. Bo. & etiam Io. Ob. aut io. ob.

Bona [a] oratio [b] thesaurum pauperibus [c] erogabit.

a al. Operatio. b al. thesaurum. c al. erogabitur.

VATICINIVM XXVI.



ET eleuabitur [a] vnctus qui habet pronomen [b] Monachi petram habitans [c] extra venit mihi alienæ luctus relinquens, & victum agrestem [d] uvæ, mortuus & gemebundus congregans bona, dissipans omne [e] præmium iniquitatis, [f] qui totus iustificatus, quando Stella apparebit nigra, tunc eris nudus: [g] Item valdè in interiora terræ.

a Virtus. b Menachim, & nomen per literam P. c al. eia veniunt mihi alieni luctus. d al. viue innocens. e al. brauium. f al. & iniustificatum. g al. Iterum. h al. vade.

[a] *Bona intentio, charitas abundabit.*

a al. habent tantùm: Bona intentio.

VATICINIVM XXVII.



MOrtuus, [a] & nunc oblitus aſpectus nôrũ: multi, quamuis nullus [b] iſtum videat, à Deitate [c] manifeſtatus ex inſperato ſceptra tenebit iſtius Imperii. [d] Simul enim manifeſtatus in cœlo præco inuiſibilis ter clamabit maximè. Ite cum feſtinantia ad Occidentem ſeptem collis, inuenietis virum habitatorem amicum meum, ferte iſtum in Regias ſedes calvum, manſuetum, mitem, altæ mentis, acutiſsimum ad videndum futura præcipuè. [e] In te habebis ſeptem collis imperium.

a al. Qui ſtat vinctus ante eum mundanum ſtatum caligandum, & dolendum eſſe eo incarcerato denunciat, plangit, quaſi mortuus non videtur, & oblitus aſpectus eius. b al. iuſtum c. al additur, & Oriente. d al. ſtilus, e. al. item habebit.



[a] *Præhonoratio concordia erit.*

a al. habent tantùm: Probonoratio. alii, Præuaricatio.

VATICINIVM XXIIX.

ECce [a] item homo de primo genere abſcondito intrans primum ſingularis in numeroſos annos. Nudè venit de petra tenebroſa, [b] vt ſecundam ſplendentem incipiat vitam. Imago ſecundæ vitæ veriſsima tantum ſolidè ſolidus duplicatorum annorũ introibit mortuus petram. [c]

a Ecce homo iſte de primo genere olim abſconditus, per intrantes (al. intrans) numeri annos numeri annos nudus venit de terra, &c. b al. ſecundam ſplendentem incipit vitam. c addunt aliqui: tribus ſ. annis amplius precioſum ſubſtinuit, tamen felix in qua iſte natus fuit, qui tantum à Domino ſublimabitur gratia, & virtute.

a Bona occasio, viuentium sacra cessabunt.

a al. pro titulo est tantùm, Bona occasio, vel Occasio.

VATICINIVM XXIX.



Accipe a cidarim mundam tibi commissam, & superinduere nouis vestimentis senex sensu, sacerdos Dei magne, ne pigriteris, sed recipias: potentissimè pensa de fine, & ad bonum dirige sceptrigeram, alia quidem non metuens. Tempus enim desuper istud b recepisti, solum tribus auroris c circumdati anni, & d vndenario stellarum completum: Vni tandem fini sacratum, quod admiraris, reliquisti, plaude placasti altercationem, sequere e vocationem, ad præsentem gloriam f bene venisti. Dixit autem principiis. Benè comple vniuersam culturam & habitationes cælestes ambula. g Cœleste enim inest principium & finis.

a al. incipit, Respice (vel) Recipe donum, ne pigriteris senex, sed recipias potentissimè, pensa, de fine, &c. b al. redemisti. c al. circumdatur. d al. vno denario stellas comple, bene fini Sacramentum, quod amittes, admiratione recipis, reliquisti placidè, plantasti altercationem (vel) planta nunc habitationem. e al. vocantem. f al. benè finisti diem in principiis, bono fine comple vniuersam creaturam, & ambulationes, &c. g al. Cœleste enim in te principium bonorum non metuens finem. Et alii: In te enim principium, &c.

a Reuerentia, & deuotio augmentabitur.

a al. pro titulo: Bona vita.

VATICINIVM XXX.



Bonam vitam inuenisti ab ingloriatione, à virtute autem accepisti plus quàm à fortuna, sed nequaquam virtuosam lucraberis gratiam. a Inuidiâ enim contingent iudicia tibi noam, non priuaberis à sorte desuper. Vaciuicentas, sanguinum vniuersa mendacii dilacerationes plena. non recedet à te rapina, vox flagelli, vox impetus rotæ, & equi b frementis. Cor c feræ detur ei, & septem tempora d mutentur super eum. Cor eius ab abominatione (vel habitatione) e immutetur.

a al. Inuidia enim contingens iudicia tibi nocentia inducet, vt priueris à Sole desuper. Vel. Inuidia enim contingentes iudicia tibi recentia, non priuaberis à sorte desuper. b al. frementis. c al. ferreum. d al. mutabuntur. e al. commutabitur.

FINIS.

Aliæ futuri Pontificis notæ & indicia ex vetustissimis manuscriptis vaticiniis.

Rupe veni incultâ, nec lætis pascua campis
Nunc pateant: animal dulcia pande fero x.
Vrbis successus turbantes cuncta, trucesq;
Eueniant, natos bellua sæua voret.
Roma tuis lachrymis totus iam personat orbis,
Hoc tamen ipsa vides læta vigere pios.
Se tibi iam magno fulgens demittit olympo
En Deus omnipotens, porrigit atq; manus.

Rota Abb. Ioachimi, à Pio IV. (vt aiunt) in Solis & Lunæ imaginibus incipiens, & futura de Pontificibus prædicens.

De hac Ioachimi Rota iudicium & declaratio Paschalini Regiselmi.



Hieronymus Porrus solertissimus æris incidendi artifex non tantùm hoc præstat, verùm etiam ingenii acumine ad curiosa peruestiganda admirabilis apud omnes illius familiaritate vtentes habetur. Hic rotam illam primùm inspiciendam præbuit, cumque, vnde arripuisset, percunctarer, subridens me ad quosdam remisit, qui me ita circumduxerunt, vt nihil aut parùm ab iis exquirere potuerim. Etenim quidam annis senex, mente verò puer nescio quid cœpit fabellæ referre, se eam ab homine habuisse, qui usque ad miraculum præstigiis & diuinatione valeret. Dumque principium, & expositionem rotæ requirerē, se hoc solummodò meminisse inquiebat, illam in superiori parte à Solis & Lunæ imaginibus ortus sui reuolutionem primam incipere: sic loquebatur homuncio ille, & ea Pium quartum Mediolanensem significari, sequi in calice Pium quintum, Draconem gladium ore vomentem Gregorium 13. exprimere: denique Leone ensem anterioribus pedibus retinente, tresque sagittas ore proiiciente S. Xystum V. prodi: huiusmodique ordinem in infinitum vsque seruari, & nunquam vsque ad seculi finem rotam sisti. At quod magis mirandum stupendumque esset, literas capitales Pontificum vel nomina vel cognomina, vel prænomina indicare. quod facilè videre esset in AM. MV. VB. FJ: pluraq; alia suis nugis interserebat capularis senex, & ferale silicernium. Ipse rem altiùs inspectans, quid in ea lateat, faciliùs detegam. Videtur mihi, quicunque huius rotæ fabricator fuit, solerter aut ex ipsius Ioachimi imaginibus & Anselmi, aut saltem ex vaticiniis B. Zodichi Palmerii, ipsius rota expressis, has imagines confinxisse, & literas de suo addidisse, quæ tamen nec etiam omni ex parte suis commentis deseruiunt, cùm non possint ita accommodari, vt in quibusdam non ridendæ sint, & in aliis explodendæ. In duobus Piis certè risu excipiendæ, & in aliis duobus explodi sibilis debent. Vates namque haud contemnendus esset is, si primis literis Vgonem Boncompaignum, & Fratrem Fælicem cognouisset: de his dixi, cùm de Piis A. M. in primo, & M. V. in secundo patiantur nescio quid magis ineptum. Omittens interea stulticiam durationis vsque ad seculi finem iisdem literis semper significantibus. Non interponemus tamen iudicium nostrum ita, vt reliquorum nostro metiri velimus. Nos eam proposuimus, & Porri desiderium, ac artem laudauimus: meditentur in eâ curiosi, videantque, si quid in ea occultetur, quod ipsorum palatio satisfaciat. Dicimus nos, si vera sit, admiratione, stupore, & mentis commotione digna, & plena de futuro Pontifice expectanda, pluresque annos præsenti dandos: ipse nempe viam ante eum præparaturus est rotæ huius significatione, & sic omnium, quotquot sunt, quotquot fuerunt, prædictiones ætate superaturus, quippe qui nonagesimum quintum huiusce Chiliadis annum constituens, & vlteriùs tendens nobis magna, & incredibilia proponet. Hinc aliquid curiosi abstrusorum scrutatores eruite, & in vestrum vsum conuertite: nam mihi plura ostendere, palamque in lucem dare minimè licet. Solis hæc amicis seruamus, & iis verè synceris, & Christianæ religionis, sanctæque Romanæ Ecclesiæ amantibus, memores Euangelici dicti: Ne proiiciatis margaritas vestras ante porcos.

In XXX Figuras mysticas Paschalini Regiselmi ad Lectorem candidum & amicum præfatio.

Est admirationi hominibus doctis non sine causâ varietas lectionum veterum exemplarium illorum scriptorum, qui suâ ætate mille annorum spacium excessêre: cùm tamen nos vide-

deamus, libros nostra tempestate, aut patrum, vel auorum memoria scriptos ita inter se ob variam exemplarium transcriptionem differre, vt ne vnum quidem reperiatur, quod cum cæteris sic ad amussim conueniat, quin in illo non contemnenda quæpiam pars sit longè dissentiens ab iis, quæ vel antea, vel paulò pòst ad nostras manus peruenêre. Hoc si vnquam nos verum fuisse experientia comprobante didicimus, modò clariùs, certiúsque nobis patuit, atque haud posse aliter se habere, nostris magnis laboribus experti sumus, dum præsens Opus vaticiniorum, seu (vt vulgo aiunt) Propheriarum Abbatis Ioachim, & Anselmi Episcopi Marsicani expurgandum suscepimus.

Nam cùm octo manuscripta exemplaria, & septem typis expressa apud nos essent, tanta erat in illis diuersitas, quòd multoties nos ea posse aliqua ratione decenter, & aptè consarcinare, vt in lucem prodirent, desperauerimus. Equidem si is, qui ante nos eas emittere in vulgus voluit, ac declaratione, & satis probabili lectione auctas produxit, mentē etiam ad illas attentiùs ponderandas solertiorem adhibuisset, non permisisset forsan, se à desiderio legendi, quemadmodum ab aliis corruptæ editæ fuerant, ita transuersum rapi, sed omni studio conatus fuisset, vt eâ formâ conspicerentur, qua Abbas ipse ab hinc ante trecentos annos, & Episcopus eas conscripserant. Id autem illi minimè vitio damus, cùm laude dignum censeamus, & rarum literarum lumen nostris temporibus esse fateamur.

Curauit ipse inprimis, quod satis feliciter quoque processit, confutare & penitus sternere mendacem, falsam, insanamque cuiusdam scelesti expositionem, qui inanibus, & phanaticis suis somniis ea accommodare tentabat, quæ spiritu prophetico ab Abbate Ioachim, & ab Episcopo Anselmo imaginibus expressa, & visionibus præuisa fuerant. Dicam tamen, etsi iste falsò intellexit, & mendaci astu exposuit, neminem esse debere tam audacem, qui valeat, aut possit scire, & affirmare, se penitus capere posse, quicquid his obscuris ænigmatibus perstringitur. Equidem aliqui sunt, qui velint suos successus iam habuisse Prophetias omnes Abbatis Ioachim, vnà cum illis, quæ eis adiectæ Anselmo Episcopo Marsicano tribuuntur.

Alii habentur, qui dicant, nondum omnes suos euentus sortitas fuisse, cùm non ita accipi debeant, vt nulla interpositione sibi succedant : sed tantùm referendas esse ad res præclarè gestas, & ad Pontifices, quorum temporibus magna, & animaduertenda contigerint : cùm tamen plures extiterint, quibus viuentibus pauca digna memoratu acciderunt, & alii, qui ob suam vitæ breuitatem, aut rebus magnis occasionem præbere, aut tempore saltem aliorum actiones suis Pontificatibus circumscribere nequiuerunt.

Dissentiunt ab his duabus opinionibus alii affirmantes, illas instar rotæ fabricatas esse, quæ circumactæ semper ad idem redeant, & occultorū sensuum in illis mysticè clausorum multiplicitate semper nouas explicationes gignant, & nouas expositiones admittant. Nos nulli istarū sententiarum respondere volumus: licet id efficere statuissemus, cùm primū illas aggredi cœpimus: verùm ad aliud volumen hoc transferemus, quod paulò pòst emittere paramus: modò hoc nostrum studium gratum vobis esse deprehendamus. Equidem magnâ ex parte quasdam lucubrationes nostras perfeceramus non parùm profuturas, iucundasque, quibus superiores opiniones discutiebamus, simulque cum iis proditura erat expositio ob curiosa ingenia longè clarior, ob successus longè conuenientior, & veritati ipsi magis inhærens : quando nobis inspiciendas dedit Ioannes Antonius Maginus Patauinus, vir siderum cognitione præstans, & Italiæ nostræ perillustre ornamentum harū propheriarum imagines decē in membranis tantæ vetustatis, vt abhinc ante trecentos, & eo plures annos delineatas iudicari possit, ab omnibus, quæ hactenus in vulgus exiêre, plurimū differentes & delineatione, & literis numeralibus cuicunque imagini superpositis, quas in nullo alio libro vidimus, & ob inscriptiones penitus diuersas ab iis, quas impressas, scriptasquè habuimus.

Quæ imagines illarum Propheriarum sunt, quas Anselmo adscripsêre : tamen in eam opinionem nos induxêre, non modò illas Anselmi non esse : verùm omnes certo certiùs Abbatis ipsius. Qua de re, & hic in annotationibus, & in posteriori volumine aliquando agemus. Præterea ad nos scripta quædam allata sunt, ab hinc centum, & triginta ante annos à quodam Dominico Mauroceno nobili viro, Veneto Patricio, satis docto & exacti ingenii composita, in quibus non Abbati, nec Anselmo : sed Rabano cuidam (nescio, an is sit monachus ille, cuius fertur esse libellus de virtutibus numerorum) tribuuntur hæc vaticinia, quæ tam asseueranter Abbatis Ioachimi & Episcopi Anselmi esse dicuntur.

Quæ potissima causa fuit, cur animo secundum volumen conscribere proposuerimus, in quo variæ prophetiæ collectæ sint, præter supradictas decem imagines, cum expositione generatim omnes complectente, quæ his etiam, quas modò damus, vsui erit, quemadmodum illam singularem ad has explicandas aggressi fueramus. Iucundior verò erit, quia omnes simul concordes præstare conabitur, demonstrabitque, plures sanctorum virorum, sanctarumque mulierum prædictiones conuenire ad calamitates manifestandas his nostris, & nouissimis temporibus imminentes. In his autem præstantissimum illud Vaticinium Erythrææ Sibyllæ res vsque ad seculi finem futuras prædicentis extabit, Græcis ad Troianam expeditionem proficiscentibus depromtū,

antea quoque typis editum, verùm imperfectum mutilumque, à Græcâ in latinam linguam à Nobili illo Veneto, cuius suprà meminimus, versum, quibusdam paucis, at maximi momenti annotationibus adiectis. His præter superiùs promissam expositionem coniungemus obseruationes literarum numeralium, variorumque modorum, quibus veteres per numeros vsi sunt in occultandis ænigmaticè mysteriis, in diuinationibusque, lucidiùs explicantes, quoad per nos fieri poterit, literas & Alphabeta Abbatis, & numeros ab eo comprehensos, præter morem numerandi ipsius Sibyllæ: cùm multæ animaduersiones etiamnum habeantur, quas veteres Hebræi, Græci & Latini ad nos transmisêre, à quibus dissentire laudi nunquam cessit, quin potius nostræ cognitioni obfuit, quod scitè in eodem volumine indicabitur, singularem, breuemque declarationem in 4. Danielis Monarchias proferendo, quæ visionem quartæ Monarchiæ enodabit. Augebit studii nostri diligentiam, suppeditabit imbecillitati nostræ vires, & addet conatibus nostris calcaria gratitudo Amice Lector, si non modò libenti animo hæc nostra vaticinia, & eorum varias lectiones, ac annotationes aduersus hæreticum præsertim hominem, & Pseudomagum conscriptas legeris: verùm etiam si quid in rem nostram monueris, & inceptum audax nostrum locupletius reddideris, vel aptam materiam nobis ipse offerens, vel alios, qui in hoc nobis fauere possint, indicans, vt secundo cursu vela ventis propediem exiturum volumen felicibus auspiciis committat.

Paschalini Regiselmi Annotationes, & Animaduersiones in vaticinia A. Ioachimi & E. Anselmi.

Pag. 1. Vaticinia Abbatis Ioachimi & Anselmi, &c.

MAnuscriptorum exemplarium ope fretus id semper mihi visum, hæc solius Ioachimi esse Vaticinia, & non continuatâ serie expleri, vt quidam volunt, nos id aliquibus in Vaticiniis nunc demonstrabimus. Sed, quod instat, agamus. Quidam liber excerptorum manu Dominici Mauroceni, qui anno 1454. in viuis erat, ea Rabano tribuit. Græci recentiores sub nomine Leonis sapientis, Imperatoris quondam Constantinopolitani circumferunt, pulchrâ effictâ fabellâ, etiamnum extare Constantinopoli dicentes columnam quandam, in qua omnia incisa habeantur, verùm imaginibus non ad eundem modum penitus se habentibus, sed paulò aliter, & referentibus quosdam futuros successus Iambicis carminibus (si diis placet) expressos. Percontatus enim sum peritissimos viros, & clarissimos, qui Constantinopoli diu fuêre, ipsi hæc non modò risêre, sed etiam asseruêre, nihil extare nec in Hippodromo nec alibi, etsi columna quædam ærea tribus serpentibus mutuò connexis fabrefacta, & in superiori parte capita exerentibus cernatur, cuius & Petrus Gyllius Gallus diligentissimus scriptor meminerit in sua Constantinopoleos Topographiâ, illam his verbis describens libro 2. cap. 13. Extat, inquit etiam in eodem ordine altera columna ærea, striata, non quidem caniculis rugas matronalium stolarum referentibus, sed spiris trium serpentum inter se circumplicatorum, non sursum versus directis, sed tor is in modum tororum, (puos valdè eminentes exprimunt magni funes) & definentbius in caput triceps trium serpentum, quarum capita in triquetram formam disposita longè eminent supra columnæ torosum scapum.

Quamobrem fuerit hæc columna posita, Constantinopolitani multa fingunt, sed nugatoria omnia, ignorantes maiorum suorum Historias, inter quos Zosimus scribit: Constantinum magnum in Hippodromo statuisse Apollinis Delphici tripodem in seipso habentem ipsius Apollinis statuam. Sozomenus Salaminius adiungit: Constantinum non modò tripodes Delphicos in Hippodromo posuisse, sed etiam celebratissimum tripodem, quem Pausanias Lacedæmonius, atque vrbes Græcæ post bellum Medicum Apollini Delphico consecrârunt. Eusebius clariùs tradit: Constantinum in quadam Constantinopolis parte Sminthium Apollinem statuisse: in Hippodromo autem constituisse Pythium tripodem, circa quem Serpens in spiras volueretur.

Ex his verisimile videtur, tripodem illum statutum fuisse supra hanc columnam æream tricipitem, vt erat apud Delphos ex Herodoto, qui tradit ex decimis manubiarum Persicarum tripodem aureum factum in Delphis collocatum fuisse supra serpentem tricipitem æreum, atque idem affert, Persis ad Plateas victis tripodem aureum ibi repertum redditum fuisse Deo Delphico, insistentem supra triplicem ex ære colubrum proximè aram. Similiter errant, qui putant hanc columnam nunc æream olim inauratam, spoliatam auro fuisse à Turcis, cùm multis seculis ante Turcos aurum detractum fuerit, vt liquet ex Pausaniâ. Commune (inquit) Græcorum de Platensi prælio donum aureus tripos sustentatus æreo dracone, æsque Pausaniæ ætate mansit ex eo donario integrum, auri quod fuit, Duces Phocensium amouerunt. Hucusque Gyllius.

Nos suum vnicuique iudicium relinquemus, pro constanti omnia Ioachimi esse dicentes, & vana somniare qui aliter censeant, siue Græci, siue Latini sint homines.

VATICINIVM I.

EX satis vetusto exemplari manuscripto huiusmodi imaginem habuimus, quæ etsi differat ab impressione Germanica, nos id ratione vetustatis mutauimus: cùm præsertim illud manuscriptum non tantùm in imaginibus, verùm etiam in Vaticiniis emendatissimum fuerit.

VATICINIVM IIII.

RVbum hic expressimus ex imagine aurea tessellata in D. Marci templo hîc Venetiis, quod nobis ex libello illustrissimus vir ostendit: causas nunc reticemus, quas in medium afferre possemus, cur non ampliùs & illa, & complures aliæ imagines non videantur, quæ non tantùm Ioachimi cœlestem, diuinamque prædicendi vim testatam faciebant: sed etiam plurimarum rerum futurarum casus clarissimè indicabant. Aliàs dabitur fortasse de his disserendi locus.

VATICINIVM VI.

IN his vaticiniis ordo à quarto vsq; ad septimum est admodum perturbatus in omnibus exemplaribus: nos manuscripta potiùs, quàm impressa secuti sumus. Verùm ridendus admodum, qui gallos, & anseres somniat, nam exemplar ab hinc trecentis ferè annis affabrè depictum huius veritatem demonstrauit, & detexit. Cui etiam tessellatæ imagines aureæ ædis respondent, maiori fide dignæ, quàm cuiusque testimonium, descriptio, picturaque.

VATICINIVM VII.

SCaliger dum in hæreticum hominem inuehitur, iure reprehendit, tanquam Pseudomagum. Draco enim hîc Ecclesiæ persecutorem aliquem significat: columba verò oliuæ ramum gestans quid aliud, quàm Ecclesiam pace diuinitus fruentem, & cuiusque minas, & persecutiones contemnentem minimeque reformidantem, significare dixerim? Benedictum vndecimum hac imagine expressum ait Scaliger, hominem miræ sanctitatis. Equidem nulli nisi sanctitate præstanti viro conueniebat, Draconem, hoc est, persecutiones contemnere, & Ecclesiæ pacem custodire.

VATICINIVM IX.

ESt in aliquibus aquila super claues, est columba: nos illum nostrum secuti sumus, qui coruum super claues residentem pingit, quasi innuere velit, aliquem crocitando Ecclesiam, & eius voces pessum dare voluisse: quod tamen, Agno immaculato defendente licet atrociter & impiè transfixo, haud successit. Sciant omnes docti, & harum rerum curiosi inuestigatores, in his vaticiniis Pontifices referre ea, quæ verè, & in propriâ formâ referunt homines, vel quicquid magis ad hominem: cætera, quæ ab eo recedunt, ad alia extra ipsos Pontifices reduci debere. Hinc perperam huiusmodi consideratio accepta non tantùm hæreticum, & Pseudomagum à Scaligero reprehensum in errores traxit: sed plures se inextricabilibus labyrinthis implicauêre, qui hæc ad inanes inuentiones, & futiles sui capitis cogitationes applicauêre.

VATICINIVM XV.

IN præfatione diximus, aliquos, hæc vaticinia transacta & præterita fuisse, magnis & probabilibus coniecturis asserere, alios rotæ similia circumvolui pertinaciter defendere: nobis autem persuasum est, non sibi cohærere hæc ita vt coniunctè ferantur, nec ita circumuolui, vt cùm ad postremum deuentum fuerit, ad primum regrediamur: sed per interualla temporum hæc suos euentus habere, & tantum maximis rerum, & successuum demonstrationibus, & effectibus expleri, & agitari.

Nos enim etsi mathematicas demonstrationes huiusce sententiæ non simus in medium allaturi: id tamen compertum nobis est, huiusmodi artem vaticinandi Abbatem in Oriente didicisse, & numeris instructum & fretum: vnde ea scrutatus est, quæ postea obscurè suis dictis, figurisque inuoluit. Potuissemus etiam in superioribus vaticiniis aliqua recensere ad literas numerales, & ad numerorum figuras attinentia: verùm hic locus aptior visus, in quo aliquod

specimen huiusce opinionis præberemus: nec miretur quispiam, si breuiores erimus, nec omnia dixerimus, quæ de hac arte dilleri possent. Sciant omnes, nobis satis esse nunc, tantùm illa attingere, vberiùs illa tractaturi, si primos hos fructus hominum gustibus gratos fuisse intelligemus. Est Orientalis natio (vt rem tandem aggrediar) admodum vaticiniis dedita, huic admodum familiaris suis peregrinationibus Ioachimus Abbas fuit, & præsertim Græcis ob linguam, quam callebat, cùm in magna Græciâ natus esset, in qua hodie etiam Græca verba resonare audimus. Est igitur admodum domesticum & tritum inter eos, ex principio & fine suarum cogitationum sibi viam ad cognoscendos futuros exitus Rhythmomantiâ præstruere. Hanc secutus est Abbas ipse, dum quindecim imagines per quindecim numerorum circulum protraxit. Itaque (vt est in confesso apud omnes) cùm anno 1277. incepisset per interstitia, interualla interrupta, & non continuatâ serie, quindecies multiplici aggresione numeri illarum significationes futuras vidit, vaticinatusque produxit, sicque ex numeris, à primo impari, vsque ad vltimum imparem (vnitate subtractâ) in se ductis, numerum ducentorum viginti quinque annorum conclusit, in quibus quot, quantaque superuentura essent Ecclesiæ Dei vsque ad finem Pontificatus Alexandri VI. prædixit. Altiora speculantes possent plura in medium afferre, præsertim cùm hæc satis conueniant cum Hebræorum Secundeis, siue Intelligentiis regentibus orbem, quarum Tritthemius proprio de iis libro conscripto, meminit, interim silentio præteriens, quidnam occultiores, & secretiores Hebræorum sapientes suis ziruphim abscondant. Certè hoc nostro indicio veritatem vaticinii huius quisque peritus, & acumine pollens ex historiâ eruet, & faciliùs præcedentia intelliget, ad Pseudomagi, in quem insurgit Scaliger, stultitiam, & hæresim coarguendam, & ad seriem subsequentium clariùs constituendam & faciliùs enodandam.

VATICINIVM XVI.

Qvidam Anselmo Episcopo adscribuntur sequentia, nos Ioachimo, alii Rabano cuidam accepta ferunt: suum esto cuiusque iudicium per me sartum tectum, modò superioribus connectantur, quia eorum serie eundem annorum numerum claudi censemus, quo superiora circumscripta sunt, atque ita iisdem rationibus ductis ad 1728. duci, cuius numeri significationem in fine harum annotationum explicabimus, dum Turcici, seu Arabici vaticinii euentum de Otthomannico Imperio peruestigabimus. Curiosi verò hoc ad Iulium II. referant: neque enim Pius III. hic annectendus, qui tantummodò paucos dies in Pontificatu superfuit, admoneanturque iterum (quod & in præfatione dictum est) nec Pontifices breuioris temporis, nec Pontificatus succesibus magnorum euentuum carentes (quicquid garriant cæteri) his vaticiniis comprehendi. Hos quoque admonitos volo, Iulium II. à duobus Cardinalibus Venetis, Dominico Grimano, & Marco Cornelio, tunc conclaui præsidentibus, & maiorem votorum partem à se habentibus Papam renunciatum fuisse.

VATICINIVM XVII.

INter plura exemplaria manuscripta vetustisimus nobis allatus est libellus, in quo decẽ tantùm habentur delineatæ imagines à quibusque aliis, & impresis, & manuscriptis plurimùm differentes & superscriptionibus, & delineatione. Verùm quod dignum consideratione visum est, sunt in eo literæ quædam capitales solæ, & hæc est prima imago huius Vaticinii, quæ ita pingitur: Adest Pontifex in medio, manibus ante pectus alterâ ab alterâ aliquantùm distantibus, & sub pallio tectis, dexterâ paulò altiùs sublatâ: à dexterâ parte Rex asistit genibus flexis, vtraque manu vexillum nouem Liliis, quatuor in superiori parte, quinque in inferiori decoratum retinens: à læua serpens squamis tectus, & sursum versus aperto ore erectus à coruo totis viribus se volando deiiciente impugnatur: & infra ipsius Pontificis caput hæ literæ sunt, S. M. T. supra hæc verba: Coronabitur in V. Et in fine inscriptionis seu Vaticinii: Morietur in P. Viderint curiosi, quid sibi velint. Altero volumine exhibebimus hæc Vaticinia decem cum imaginibus, & nostram de iis sententiam proferemus, quam cunctis gratam futuram, & credimus, & speramus.

Etenim si non eleganter, saltem diligenter ibi multa reperientur à clarisimis hominibus, numeris, & numeralibus literis conclusa, & à paucisimis intellecta, atque nunc primùm à nobis tantùm (quod sciamus) in lucem prolata.

VATICINIVM XIX.

NEscio quódnam vetustisimum exemplar Paulus Scaliger viderit, & quid ille Pseudomagus confinxerit, & ad sacrosanctam Romanæ Ecclesiæ Pontificiam sedem profanandam hæreti-

cè commentatus fuerit: hoc vnum scio, meum illud manuscriptum ab hinc trecentis antè annis (vt in eo adnotatum scriptoris manu videre licet) exscriptum, omnibus in locis, in quibus Monachi habitu inducitur imago quæpiam in vulgatis, habere Pontifices, & nos (quanquam aliter statuissemus) ex eo hanc imaginem excerpsimus, præterquàm quòd Regis caput in eo non est corona, sed pileo tectum: & vt possimus hæretici falsitatem cognoscere, & illius versutissima, diabolicaque commenta confutare, falcis significationem addemus, quæ nîl aliud significat, quàm nouam aliquam fabricam ad Ecclesiæ dissipationem adornatam. Audiant veri Ecclesiæ filii, & videant, an id septimo Clementi euenerit, & quidnam Rex, & manus incidens falce portendat?

VATICINIVM XXI.

VAriatio imaginis huius tanta est in omnibus libris quos vidimus, vt præter illum nostrum omnes errare certo certiùs opinemur. Est in nostro Pontifex manibus tenens librum pectori admotum, & hinc inde capita sunt pileis tecta. Atque vt aliquid curiosi harum rerum scrutatores nanciscantur, quo ingenium exercere possint, & mentis acumen expolire, inscriptionem subiiciemus, quæ ita in eo legitur: Cultori vineæ de fructuosa arbore dicitur: Succide eam, vt quid terram occupat: qui in illo loco potes ponere, quæ habet fructum. Hæc autem non habet occasionem operationis, & impedimentum præstat cæteris, quia quæcunque sub ipsa sunt exemplo prauitatis illius, quasi vmbra peruersitatis eius premuntur, & ideo peccatores dominari constituit.

Tu autem morieris vt canis in R.

Et supra Pontificis caput hæc verba ponuntur: Coronabitur in R. Infra caput verò hæ literæ capitales sunt, B. B. A.

Hac exprimi Martinum V. Scaliger ait. Rotæ fabricatores quidam Gregorium 13. iique ex eorum numero sunt, qui sponsionibus operam dantes lucrum inde expetunt, & fallaci industria conquirunt: nos Iulium Tertium hoc ænigmate descriptum à Propheta, siue Ioachimus, siue Anselmus, aut alius quispiam fuerit, constanter asserimus.

Rationes non adducemus, ne longiores, quàm harum annotationum argumentum, & communis vsus requirit, simus.

VATICINIVM XXIII.

NVllum Vaticinium hoc vno clarius in toto libro habetur, si Beatissimi Pii V. sanctissimæ, & felicissimæ recordationis, vitam, mores, actiones inspexerimus. Quis hoc Pontifice sanctior, quis prudentior, quis voluptatum minùs appetentior? Quàm gratus Deo fuerit, testatur reuelatio de victoria aduersus Turcas obtenta, ab eo orante habita, & hoc illud propheticum est: Tu pro victoria expandisti manus. Illam quidem paulò ante vitæ finem est consecutus, cùm sexto circiter pòst mense in cœlum translatus sit, & ita bene, & gloriose brauium acceperit in fine sceptri, hoc est, paulò antè quàm ex hac vita decederet, & ad æternam, & immortalem euolaret. Volumus dare inscriptionem, quæ in illo nostro manuscripto est: ad hunc itaque modum in eo verba sunt: Vendentium sacra non cessabunt, & confringetur idolum Danielis, & cœnobia ad locum pristinum redibunt, & ordines mendicantium, & aliæ sectæ plures annihilabuntur: bestia occidentalis, & Leo Orientalis vniuersum mundum subiugabunt, & pax erit in toto orbe terrarum. Tu autem vades in inferiora terræ. Literæ, quæ infra caput solent esse in his imaginibus, hîc liturâ deletæ sunt, & nil nisi vnicum C. visui offertur: ac superscriptio est: Coronabitur in L.

Qui lucro sponsionibus inuigilant, secundo post B. & S. Xistum V. futuro Pontifici hoc vaticinium dant: quid nos sentiamus, in sequenti dicemus hoc vnum innuentes, sacrificia vendentium ad hæreticos referri, idolum ad Turcas, cœnobia ad decretum Pii V. de 4. religionibus: de bestia occidentali, & Leone Orientali secretiora hoc tempore à nobis non sine causa, in custodia habenda sunt.

VATICINIVM XXV.

HOc Vaticinium in nostro manuscripto exemplari cum superiori ita coniunctum est, vt ad dexteram sit vulpes inter duo vexilla, quorum vnum anteriori dextero pede retinet, & ad læuam hæc vrbs cernitur, manibus non supra, sed infra positis, ita vt dimidium vaticinii, vsque ad verbum annihilabuntur, ad Pontificem spectet, cuius in superiori meminimus: reliquum verò ad vrbem hanc, licet quædam verba supra eam litura deleta sint alicuius pueri manu. Essent ea animaduertenda, quæ ad literas inclusas in eo capitales facerent, attamen tanta est illarum in

omnibus

omnibus libris impressis, & manuscriptis corruptio, vt nihil diuinare queamus. Nomina quoque non sunt eadem in omnibus, & vltimæ illæ literæ, quæ Scaligero sunt Ca. Bo. in quibusdam exemplaribus Io. Ab. Ia. Ba. Io. Bo. Io. Ob. Adhibeant solertes formales numeros, & se ex huiusmodi labyrintho extricent.

Quid enim dicendum sit, aut coniectandum (ingenuè fateor) nihil est mihi, præter illa, quæ ex meo vetustissimo ab hinc paucis mensibus producturus sum. Videant, qui lucro inhiant ad Pontificem trans montes hoc vaticinium deferentes: nam ipse, num transactum, num præsens, num futurum sit, num simplex, duplexúe, susque deque habeo, & aliis perquirendum relinquo. Oblitus penè dicere nunc fueram, hunc tertium à Sanctissimo, & Beatissimo Xisto occupare locum iuxta campsorum sententiam auream, argenteamque.

VATICINIVM XXVI.

VEllem in hoc vaticinio explicando omnes curiosi, & sapientes elaborarent: nam cùm contenta in eo, & iuxta imagines, & iuxta inscriptionem in omnibus libris differentia sint, triplex tantùm à me afferetur descriptio, quæ veritati magis consona, & libris magis probata visa est. Prima sit Scaligeri. Est in illius libro Coloniæ Agrippinæ apud doctissimum virum Theodorum Gramineum anno septuagesimo impresso, Nudus super rupem sedens, plorans, manu ad faciem admota, & ante illum stat puer, manibus ante pectus sublatis, nudum respiciens. Liber quidam manuscriptus satis probatus monachum capite tonso, nudumque habet, qui manu sinistra circa tempus sublata, dextera spargens nummos plorat, habetque à dextera parte scriniolum, & crumenam nummis refertam, respicitque puerum ante se stantem, manu sinistra baculum retinentem.

Meus verò ille vetustissimus à me tantoperè in his annotationibus adductus Pontificem præfert, sacerdotalibus vestimentis indutum, latiori insuper pallio (pluuiale dicunt) adiecto, læua manu librum tenens, & dexteræ indice illum ante pectus tangens, & demonstrans. Hinc inde, à dextera quidem est Clauicymbalum, seu Monochordium, & Cithara: à sinistra verò Organum conspicitur. Inscriptionem & literas numerales supra, & infra caput interim prætermittam illud asserens, hunc futurum Pontificem à me illis versibus ad Ioachimi imaginem superiùs additis περιφραστικῶς indicatum ex vaticiniis Beati Zodichi Palmerii, Ioannis Heremitæ, Ioannis Capistrani, & Magistri Reinhardi Ordinis prædicatorum, quem Italum fore constanter dixerim: licet quidam contrà sentiant. Hæc ad excitanda curiosorum ingenia dicta sunto, aliàs si nostri labores gratâ excipientur manu, latiùs hæc, & maiori tum perspicuitate, cùm fidelitate tractaturi.

VATICINIVM XXVII.

SIlentio præterire decreueram hoc vaticinium, præsertim cùm in eo nulla mutatio in imagine facta sit, nisi quòd in aliis diademate fultum, nos absque diademate incidi curauimus, quia ita illis imaginibus conuenire videbatur, quæ adhuc ex multis paucæ in æde D. Marci Venetiarum visuntur, & in quodam etiam satis diligenter manuscripto cernebatur: Sed Magistri Reinhardi carmina nos promouerunt, vt & hic perspicacia ingenia excitaremus: illa ad hunc ferè modum se habent:

Hinc Christi dignum vibrabit Aquila signum,
Aquila quæ fido iam caret prodita nido,
Omnia mutabit, & cernere læta iuuabit,
Et tandem cæco lux erit tradita seclo.

Carminibus concors est meus ille liber toties à me in medium adductus: est namque in eo Pontifex loco tiaræ ingentem aquilam hianti rostro, expansis alis in capite gerens, & ambabus manibus ante pectus duos paruos vrsinos catulos retinens, estque à læua ipsius Pontificis Cydaris, & infra caput numerales literæ maiores P. C. P. Vaticinium verò hæc refert: Grandis Aquila nigra surget, ocyus expergiscetur, tendet alas, & rostrum in pingue. Hæc aquila Romanum Imperium ortum ex Alemannia, cuius insigne Aquila nigra est. Hæc aquila segregabit argentum à plumbo: de Aquila hac satis diximus, quòd in iudicium Ecclesiasticorum virorum data sit. Morietur in I.

Ioannes Heremita ait: ab Aquilone veniet, & intrabit sanctuarium, & Ecclesiam renouabit fratribus. Et Capistranus: Cæruleus, ac glaucus color niger fiet, mortalitas, ignes, cœlum turbatum. Nos hæc omnia de optimo quodam principe Arctoi cœli dici coniicimus, modò impostorum fraudibus, & dolis haud iustè accepto: sed hæc suo tempore Deus O. M. reuelabit. Cætera enim silentio tegenda, & vsque ad tempus occultanda hominibus sunt: nam neque omnia, quæ scimus, aut videmus, expedit dicere.

VATI-

VATICINIVM XXVIII.

VT clarè & manifestè perspiciant homines, vaticinia hæc ad futura, non autem ad præterita tempora respicere, adiungere voluimus inscriptionem illius nostri vetusti exemplaris, cuius imago est Pontifex sacerdotalibus vestibus indutus, manibus ante pectus hinc inde pallio tectis: ad illius læuam descendit volans angelus ad eum linteum mundum deferens. Inscriptionis hæc sunt verba : Exurgam propter miseriam inopum, & pauperum gemitum, & ponam salutem, & fiducialiter agam, qui deuorauerunt, & trepidauerunt, vbi timor non erat. Vnde dicitur, quòd in templo Domini erunt nummularii, & venditores spiritualium columbarum: populum humilem saluum faciam, & oculos superborum humiliabo, & erit vnus Deus, & vna fides. Morietur in I. Infra caput literæ A.B.G.

Qui ea ad futurum tempus spectare asseruerit, iste haud malè, mea sententia, sentiet: si qui erunt, quibus magis ad præterita hæc referre arrideat, primùm illud ante oculos statuant, Antichristi tempora futura, quibus hæc ventura prædicuntur, nec tantæ sint pertinaciæ, vt ea Luthero adscribere velint. Nos quoque Lutherum perditissimum Sathanæ mancipium fuisse dicimus, verùm eo longè pestilentiorem, & inquinatiorem Caluinum, nemo illorum tamen Antichristus fuit, quamuis hic postremus magicis etiam sceleribus addictissimus fuerit. Itaque saniori intellectu de futuris sanctissimis Pontificibus hæc intelligenda sunt, qui Ecclesiam restituent, & oues Christi dispersas congregabunt. Nam circa huius Pontificis tempora, hoc est, paulò pòst, reliquiæ Israëlis resipiscere incipient, & ad salutem, veramque veri Messiæ Iesu Christi cognitionem properabunt. Est hoc postremum vaticinium in illo nostro vetustissimo manuscripto: nam præter liturarum iniurias, quas ab aliquo puero, cuius manibus permissus erat, fortè passus est, paginæ quædam in eo laceratæ, & discerptæ sunt.

VATICINIVM XXIX.

NOs ex æde aureâ Marcianâ hic Venetiis, & ex quodam manuscripto pallium stellis decorandum censuimus.

VATICINIVM XXX.

CIrca istius Pontificis tempora futurum Antichristum imago portendit, & ad huiusmodi opinionem adstruendam plurima dicenda occurrunt : vt vnum illud satis sit, non abs re (licet sibi spissiùs præsentis Chiliadis Pontifices hæreant) eundem esse numerum horum quindecim, qui & superiorum quindecim. Atque ita verum dignoscitur, statim post septingentesimum annum calamitosa tempora subsecutura, & numerum illum annorum conclusura, quos in primo Pasuch Beresith defuturos sextæ Myriadi veteres Mecubalim deprehendêre. Nam nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, ait Redemtor: quodque ab illis obscurissimis ambagibus involutum, dabimus nos explicitum, ad coërcendam aliquorum iuuenilem audaciam, ex Pici Mirandulani conclusionibus, quarum in Mathematicis nona sic habet : Per Arithmeticam non materialem, sed formalem habetur optima via ad prophetiam naturalem. Et decima: Ioachim in prophetiis suis aliâ viâ non processit, quàm per numeros formales. Et nona in Cabalisticis : Si qua est de nouissimis temporibus humana coniectura, inuestigare possumus per secretissimam viam Cabalæ, futuram esse consummationem seculi, hinc ad annos quingentos, & quatuordecim, & dies viginti quinque.

Anno superiori 1583, in Diui Ioannis & Pauli Martyrum æde Venetiis publicè disputandum hebraicis numerationibus proposuimus, quarum apud imperitos tantùm est impugnatio.

Vela tandem contrahenda sunt, interim lectores æquos, & candidos orantibus, vt nobis in altero volumine vniuersæ collectionis quorumcumq; vaticiniorum oraculorum, prædictionum, & prophetiarum (quas vocant) adesse perhumaniter velint admonentes, si quid à nobis haud rectè animaduersum, negligenter adnotatum, & non satis ad amussim, & lydiam regulam reuocatum est. Quorumcunque enim amicas castigationes, & mites ex iure & æquo reprehensiones, vt decet, excipiemus, admittemus, & leni animo feremus. Homines namque nos esse dignoscimus, qui errare potuimus: verùm nec doctrinæ nos tantæ esse scimus, vt minimũ erratum defendere velimus: nec tantæ sapientiæ, vt non omnia nostra & edita & edenda sanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ subiecta esse nolimus.

In imagines Ioachimi Abbatis annotationes Theophrasti Paracelsi, cum marginalibus Adami Durischij translatoris.

FIguræ & imagines, quæ (nuper) repertæ sunt, fluunt ex (naturali) magiâ, sic tamen, vt respondeant virtuti stellarum : itaque minimè fallunt, ac decipiunt. Magica enim cor-

pora, imaginesque facilè reuelare possunt ea, quæ nobis per nostram incuriam sunt euentura.

Talis autem prædictio est triplex : prima Astronomica, quæ fit per Astronomos : nam quia hominis natura cœlo (vt Magi loquuntur) est maritata, fit inde, vt Astronomis liceat euenta & naturam eius exponere.

Secunda est magica : (vt) si excogitemus res prauas, ex prædictionibus Magiæ releruantur. Nam vt Medicus naturam exitumque morbi ex naturalibus causis explicat, ita & magica.

Tertia est Christiana : cuius ea natura est, vt nihil complectatur aliud, quàm quod ad Astronomiam & Magicam non potest referri, hoc est, animo prædicit vel gaudium, vel cruciatum cum extremo Dei iudicio.

Dum de his tribus prædictionum generibus agimus, sciendum est, Ecclipses, quæ naturales ob causas vel in Sole, vel in Lunâ apparent, non esse referendas ad locum illum Matthæi, qui docet, Solem, & Lunam amissura suum lumen : loquitur enim de arcanâ quadam luminis amissione, de quâ homini nihil dum certi constat. Nam vbi nouissimus mundi dies instabit, apparebunt signa non illa Astronomicæ prædictionis, sed signa, quæ prædixit Christus, hæc vtique Astronomis erunt ignota. Alia enim erit pestis, alius terræ motus, alia fames, non vt adumbrantur à cœlo : sed vt à Deo ipso quasi exhibentur, vt planè ignotum sit hominibus, quo pacto Sol, Lunaque suum lumen sint amissura : hæc enim nulla pars Astronomiæ nos edocere poterit.

Sciendum verò & hoc, locum non esse dandum clamoribus (quibus asseritur,) signa extremum iudicium proximè antecedentia iam apparere. Nam signa quæ iam sunt conspecta, non respiciunt prædictionem Christi, sed (prædictiones) Astronomiæ & Magiæ, quibus illa superior est ignota. Itaq; certum est etiam, subsequentes prædictiones ex Euangelio Christi minimè pendere, aut huius signa proponere : sed hic tantùm intelligi homines ordinis Ecclesiastici, qui se totos sint tradituri superbiæ, arrogantiæ atque scortationi, atque propterea eosdem alienissimos fore à rectitudine, & ab ingenio apostolico. Consequens itaque est, vt quia hi tales lineæ insistunt nequitiæ, mago huius nequitiæ faciem, & extirpationem prædicere liceat : perinde vt medicus (prædicere potest futura) homini vulnerato, qui respuit sanitatem, & infirmitatem in corpore suo sinit inualescere. Securè. Summarium vaticiniorum figuratorum.

Hoc modo medicus vtique prædicit futura, quâ in re ipsi præstò sunt lumen naturæ, experientia, & prædictio magica. Quapropter vt opera magica per figuras exponi solita sunt à veteribus, penes quos fuit cognitio illius finis, quem erat habitura Ecclesiasticorum nequitia : ita (& hic) illud ipsum signis quibusdam voluerunt exponere, dum excogitârunt quasdam notas, easque nobis posuerunt ob oculos : (quas si quis intelligit,) plenè satis intelligit & vim horum signorum.

Extitit autem quidam præmaturi ingenii, cui placuit præuertere Germanos horum signorum interpretes. Et quidem is ita est interpretatus ea, vt egregiè suo proposito quadrarent : Verùm quia idem suarum partium amore ducitur, & ipsemet his signis perstringitur, itaque in vanum laborat, dum officium interpretandi affectat : vt taceam, illum nescire & semper nesciuisse hanc ipsam artem. Semper autem moris fuit, vt isti, qui metuunt se (istis prædictionibus) comprehendi, pergant, & aliis palmam præripere cupiant, vt deinceps manus suas lauare possint. (Itaque verissima hæc sunt,) non quemadmodum ipse explicat, sed quemadmodum naturalis magia vult, quam ipse prorsus ignorat, id quod ipsius interpretatio satis, superque ostendit : nam aliud nihil potest quàm glaucomam aliorum oculis obiicere, ne ab aliis conspiciatur his ipsis quippe figuris & ipse depictus.

Multæ quidem earum prædictionum eximiæ splendent, ac interim nihil continent nisi venenum, si ex verâ magiâ explicentur.

Multi etiam flosculi, ac violæ in iisdem reperiuntur, at non bonum spirant odorem : sed immane virus absconditum habent. Is autem, qui hæc exposuit, rem non profundè examinauit, nec in hoc negotio festinauit etiam, verùm res istarum figurarum attribuit aliis, ipse interim cum Pilato suas abluit manus. Ingens est horum signorum significatio, & ad multa prorsus respicit : attingit Papam cum iis omnibus, quæ ab eo sunt profecta, quæque gestant eius characterem, aut gestârunt. Item eos omnes qui ipsum confitentur, & qui eum abnegant, omnes in his prædictionibus sunt notati. (Ostenditur etiam,) quis finis futurus sit Papæ, qua ratione regnum ipsius diuidendum, imperiumque extirpandum sit : quis etiam exitus maneat huius imperii extirpatores, & qua ratione vsuri sint illa potestate, quam sibi rapient. Item significatum est hic, Papam non tantùm esse nullius pretii, verùm etiam partem ipsi aduersantem cum ipso insistere eidem lineæ iniquitatis. Nota. Magis magisque prodit, se esse nec ex ordine Papistarum, nec Protestantium.

Itaque his vaticiniis continetur vtriusque interitus, atque abolitio : nouum quoque insuper regnum Papatus, quod vnum fiet, non duo, vnum, non tria, vna simul quoque

fides atque fidelitas, vnum cor sub vno nouo iustoque pectore. Verum enimverò hi omnes primàm interibunt, non minùs, ac superbæ eorum contentiones, odium, arrogantia: hi enim omnes sub prætextu Christi, sanctorumq; Apostolorum Petri & Pauli deficient. Vbi verò hæc omnia euenerunt, nec Papa nequitiæ, nec hæreticus Papæ æmulus administer reperietur: quandoquidem vnum idemque flagellum vtrumque perdomabit. Omnes enim gloriam propriam quærunt: omnes quærunt radicem, quæ cum tempore denuò potest reuirescere, quanquam semen illius nullius pretii esse ducant, atque propterea idem parui pendant.

Omnes itaque & singulos vos, optimi lectores, admonitos volo: vt diligenter hæc perlegatis, & cognoscatis, quid ferat hæc explicatio. Estote æqui iudices, nemini ex affectu aliquid adscribatis, rectè iudicetis, perpendatisque, quàm subtili quadam ratione Satanas venenum suum disseminet: vulgus enim hominum prorsus non, aut saltem difficulter hoc obseruare potest. Non omnis est Christi præco, qui clamat: audite, audite verbum Dei, accurrite: sed ille demum est, qui similis est Ioanni in deserto, sanctisque Apostolis, à quibus longè recesserunt, admodum dissimiles profectò eorum facti.

Hic profectò notat, Icis quos.

PRIMA FIGVRA.

Papa & duæ Vrsæ, quarum vni in os pecuniam ingerit.

HÆc figura designat Papam, & vniuersum ipsius regnum: estque intelligenda hoc modo. Papa se tradidit iniquitati, superbiæ, atque arrogantiæ: quis itaque est, qui non animaduertat, hanc eius vitam planè impiam esse? Certè quilibet.

Quia verò cognosci potest impia hæc eius vita, tam callidus est, vt hominibus, qui hæc olfaciunt, obturet ora, in hunc finem, vt taceant, & in ipsum non irruant, pecuniâ, atque largitionibus deliniti. Nam Vrsæ, quæ consistunt coram eo, significant hoc, ac quasi dicunt, se esse illas, quæ ipsum fuissent decerpturæ: at (iam factæ aliæ) ora aperiunt, pecuniamque deglutiunt.

Notent hæc P.

Sententia itaque huius figuræ est: omnes Ecclesiasticos, qui participes sunt facti virgæ Papalis, characterisque eiusdem, hanc, vt diximus, habere naturam: seu cum Papa faciant, seu eidem aduersentur, omnes vnius esse æstimandos asis, vbi ora eorum pecuniâ, aut blandis verbis obturantur, nullumque horum omnium mansurum. Nam Deus præcones sui verbi excitat non ex linea Papæ, sed mirabili quadam ratione vocat eos extra eam lineam, vt Petrum & Andream vocat ad ministerium à nassâ piscatoriâ. Hi non erant ex lineâ Caiaphæ, vel Annæ: multò minùs itaque verbi sui nuncium excitabit è lineâ, & numero illorum, qui Papæ sunt addicti. Hæc omnia significat prima figura: monstrat enim, non solùm Papam, verùm omnes Papæ homines, id est eos, qui pro eo, & contra eum stant, hîc depingi. Idem est autem, ac si diceretur, hos omnes suum auxilium non expectare à Spiritu sancto, sed omnem adhibere diligentiam, vt Vrsis ora obturentur: quod si obtinent, conquiescunt. Quanquam autem verum sit, omnes nec habere, nec dare pecuniam, tamen fundantur in radice nummi, qui successu temporis etiam augescit. Itaque quod iam blandis labiis defendunt, postea interuentu pecuniæ perficient, nam mala arbor fructum bonum ferre non solet.

Hinc vnus illarū partium dixit: quis posset resistere tot armatis? id est, Heroibus monetæ impressis.

SECVNDA FIGVRA.

Stat Papa armatus cruce, & pedum Aquilæ ori inijcit.

HÆc figura præcipuè denotat Papam, cum omnibus iis, qui se Spirituales vocant, hoc modo. Pedum Papæ in extremo habet Lilium, Aquila autem ad Papæ pedes considet, huius in os Papa Lilium (vi quadam) intorquet. Significatio est: omnem Papæ spem pendere à Gallis. Iam verò Imperator Romanus Papæ dominus est, itaque etiam habet, quod ipsi imperet: at si imperium in eum exercere vult, Papa id pati nequit, conatur vim à se depellere. Similis hac in re est contentiosæ fœminæ, quæ cùm non vult à marito vapulare, adit cognatos, eosq; rogat, vt ipsi assistant, & cum ipsa maritum superent. Ita etiam Papa quærit Gallum, ac per eum se defendit, adeò vt Cæsaris lingua & os ligetur, & omittere quodammodo suam potentiam cogatur, nisi hostem capiti suo imminentem ipse sibi velit creare.

At vix hodie.

Scitote

Scitote itaque omnes eos, quos character Papæ insigniuit, eò inclinare, vbi quis ipsis superior esse contendit, eius ori per alium frenum quoddam iniiciunt, vt postea ab eo molestiâ nullâ affici queant. Itaque hæc figura, quæ designat nobis obturata ora Imperatorum Romanorum, & Regum, desumta est ex primis Adeptis incantationis: & designat decantationem illius, quem in auxilium aduocant aduersus legitimum dominum suum. Videmus enim, nullam fœminam incantare maritum, vt clemens sit erga ipsam: sed potius alium quendam incantat aduersus suum maritum. Idem prorsus faciunt hi, qui se vocant spiritales: nam non exoptant sibi clementiam eorum, quorum vtique sibi exoptare debebant: sed iram aduersus eos concipiunt, & ad vindictam accinguntur. Hæc autem fieri nequeunt absque incantationibus, quas illi sumunt ex Adeptis pythonissarum: ideoque fiunt cæci, neque ducuntur vlla æquitate: verùm similes fiunt illis, qui comederunt Rebis, aut rubeum Zenoch per philtrum. Vbi præterea notandum est, omnia vaticinia ad Gallum & Papam attinentia nihil aliud esse, quàm prædictiones ex pythonicâ essentia desumtas. Verùm origo superbiæ, quâ turget Papa, & omnes eius sequaces, oritur ex constellatione, per quam etiam propagatur, & subinde valentior efficitur.

Pfaffengeschlecht: noli me tangere.

Hanc partē fuge religiosa mens. Pestifera ænigmata. Ex influxu draconis qui seducit orbem. Apoc. 12.

TERTIA FIGVRA.

Papa armatus suis clauibus baculo verberatur per quendam suum domesticum.

CVm felis peregrinatur è domo, mures consueuerunt saltare. Hæc causa est, vt omnia tam perturbatè fiant in Ecclesia: nam nemo est, qui non mediterur seditiones: immò vniuersus mundus seditiosus est aduersus hanc domum, id quod Sibylla indicat. Itaque scitote, hic seditionem quandam aduersus Papam, & Ecclesiam significari. Papa autem denotat Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum fugam: domesticus autem præsens baculo armatus designat homines plebeios & milites, omnesque alios, qui aduersus Ecclesiasticos seditionem excitârunt. Hæc probè inspectate. Fugant Papam, & vniuersum ordinem Ecclesiasticum, triumphant, gaudent: hi enim designantur per domesticum armatum baculo: Papa tamen non abolètur, hoc est, non interficitur: sed ipse cum suis est mansurus. Licet enim cum his turbis sit colluctatus: tamen claues retinebit. At hi (quod probè notandum est) qui ipsum in fugam agunt, de vitâ non tantùm periclitantur: verùm etiam eandem amittunt. Ratio est: ad pedes eius caput quoddam iacet, per quod significatur, illum vitam amissurum, qui Papam sit percussurus. Quilibet ergò sciat, qua de re iudicet: videat etiam an positus sit, vt sit flagellum necne: quilibet enim sciat id, quod facit: & quod fit, fiat certitudine quadam seuerâ. Fur autem potest esse pessimus, potest meruisse omnia, quæ sustinet à carnifice: attamen carnifex per hoc à fusione sanguinis non excusatur: videat enim & ille, quâ certitudine agat: quandoquidem & ipsum suum manet iudicium, vnde vterq; accipit, quod meruerat. Figura itaque hæc significat leuem quendam hominem, qui manu teneat baculum. Iudicium verò licet iniustum non sit: tamen significat hæc persona mobile vulgus, quod hanc vindictam exercebit: itaque hæc claua ex manibus eius vicissim extorquebitur, & vicissim iudicabitur, quemadmodum iudicauit vrbes, dominia & alia, absque exceptione. Ideoque quilibet ea tantummodò accipiat, castiget, rapiat, & frangat, quæ scit ab se tractari posse certitudine quadam intemeratâ: ne rapina ipsius, ipsius fiat laqueus. Deus enim neque Carnificem impunitum relinquet, qui latronem rotâ necat, etiamsi mortem sit commeritus: verùm certitudo ipsius eundem etiam adiudicabit rotæ. Moneo itaque vt videatis, ne iudicium vestrum redeat per iugulum vestrum: id quod sæpius est factum, & deinceps etiam fiet.

Nimis verum.

QVARTA FIGVRA.

Papa genua flectit coram manu quadam, à cuius tergo vexillum est, atque vulpecula apprehendit ipsius cappam.

HVius figuræ hæc est significatio: manus in arbore est manus Dei. Nam potuit fieri, vt Papa pœnitentiam ageret, & peccata coram Deo deprecaretur: quem etiam Deus ideò gratiâ, atque benedictione suâ ditauit. Atque hoc significatur, quòd videamus, ipsum ad Deum conuerti, & à tergo ipsius esse vexillum. Dehinc vulpecula retrò est, & prehensat ipsius cappam. Significatio huius secundum magos est: Papam hunc in cordis penetralibus vulpeculam quandam esse: nam Deum blandis preculis demulcere studet, ieiunat, totus est spiritualis, si gestus ipsius contuearis: à tergo verò plenus est omnis fraudis, & doli. Magica ergò demonstrat, manum istam ex arbore porrectam ipsi benedicere pro vt affectum est ipsius cor: quandoquidem anterior ipsius pars in Deum dirigitur: posterior autem vulpinæ est naturæ. Ipse quidem hanc Dei benedictionem in meliorem partem interpretatur: existimat enim, quia vulpecula à tergo ipsius abscondita sit, se minimè ab ista manu Dei posse conspici: at Deus, qui vtique eum cognoscit, gratiam & benedictionem

Physiognomonia Paparum.

Intrauit vt vulpes &c.

ipsi impertit, prout(meretur.) Sciendum præterea & hoc est: homines Ecclesiasticos ore & genibus
esse bonos, atque ornatu sacerdotali decorè sanè circundatos, sed tamen resipere vulpem: vulpes e-
nim secundum explicationem magorum, significat vestem vulpinam, id est vulpium opera: ideoq;
Christus hunc habitum nec alijs præcepit, nec vsurpauit ipse: sed hoc indumentum vulpinum, quo
ora vulgi tenentur, vocauit sepulchra, quæ forinsecus quidem pulchra apparent, intus verò plena
sunt pestilentissimi fœtoris. Vexillum autem, quod à tergo ipsius Papæ erigitur, significat magi-
stratum politicum, quem nullus vnquam Apostolus gessit, atque innuitur: Papam debere hoc vul-
pibus, quòd tantis diuitijs abundet. Ex quo apparet, Papam spem suam reponere in duobus re-
gnis: vnum est, quo loquitur cum Deo, genua flectit, complicatis manibus plurima efficere cona-
tur. At alterum est, quo imperat per vexillum: id verò non ex Deo est, sed ex vulpe, quæ est à ter-
go ipsius. Vbi notandum est, magos in Theologià per quamlibet vulpem, quemlibet diligentem &
solertem diabolum intelligere: idque non tantùm in regno Papæ, sed in alijs quoque, qui vulpem
absconditam in corde gestant: interim tamen & orant & ieiunant.

QVINTA FIGVRA.

Papa ab vtroque latere cingitur fœmina quadam: tenet etiam dexterâ phialam pecuniæ plenam, ad quam correpit serpens.

HÆc figura de sententiâ magorum, depingit ingenium Papæ, & omnium eorum, qui Ecclesia-
sticum ordinem tenent, vel obeunt: & significatur, omnes sacrificulos obseruare fœminas
iuuenculas, vetulas non item: scorta pecunijs alunt, viduas autem honestas prouectioris ætatis ne-
gligunt: hoc est, relinquunt patrem & matrem, vimque adeò omnis honesti, & scorta consectantur. *Audite Missifices.*
Sed hîc præterea etiam hoc nota: omnes fœminas sacrificulorum esse scorta, esse serpentes, qui sint
procul ab omni honestate. Etiam hoc sciendum, hîc significari, eas sacerdotum fœminas omnes,
quæ vel iam sunt, vel futuræ sunt, nihil aliud esse quàm scorta. Eua decepit Adamum, ipsa dece- *Nequiter damnat cõiugium sacerdotum.*
pta per serpentem: scorta hæc decipiunt sacrificulos, interim tamen per serpentem non decipiun-
tur: sed decipiunt seipsa: quâ ratione ab Euâ prorsus differunt. Deuorant viduarum domos,
itaque viduæ lamentantes coram ipsis consistunt: defraudant senectam suo debito: largiuntur
scortis, & fœminas istas prouectioris ætatis lachrymari cogunt. Sed & serpens conspicitur: vbi enim
est sacrificulus, & scortum, ibi diabolus est in medio eorum. Significat itaque hæc figura, quemad-
modum est manifestum per scientiam magicam, sola scorta deuorare, & abligurire eleemosynas, & *NB.*
thesaurum Ecclesiæ: consident enim ad dextram, vbi est thesaurus pecuniæ: paupertas verò ad sini-
stram, vbi omnium rerum est penuria. Hoc modo eleemosynæ Ecclesiæ deuorantur, abligiuriuntur,
consumuntur à diabolicis serpentibus, id est, scortis: & pauperes his eleemosynis, quas ab Ecclesia ac-
cipere debebant, miserè defraudantur. Hoc loco itaque docetur: hanc figuram minimè esse fal-
lacem, tam in Papatu, quâ apud hæreticos, id est, apud veteres & nouos Christianos: nam quàm diu
stabit hæc arbor, scorta hæc pauperibus erunt damno: siquidem Papa & omnes eius sacrificuli ser- *At coniugium est honorabile apud omnes. Heb. 13.*
pentibus, id est, scortis cingentur. Etsi autem vel ex hoc concubinatu coniugium efficiant, tamen
serpens est serpens: vorat enim & potat eleemosynas Ecclesiæ: quandoquidem per impudicitiam
suam has adipiscitur. Nec coniugati, nec cælibes thesaurum Ecclesiæ consumant: contrà tamen
fiet, vt magia clarissimè demonstrat: nutrient enim scorta & coniugati & cælibes per conciones, &
doctrinam suam, & si vel omnibus pauperibus fame esset pereundum, rebus omnibus necessarijs
abundare oportet eorum scorta. *Bestia tace.*

SEXTA FIGVRA.

Stat Papa & iugulat Aquilam: quem circundant anseres & galli: adstat etiam obscuri coloris monachiscus.

HÆc figura solam adumbrat omnibus in rebus hominum Ecclesiasticorum arrogantiam, quâ
fit, vt trucident per suum Papam Aquilam ipsam, id est, Imperatorem Romanum. Nam vul-
gares sacrificuli non possunt iugulare Imperatorem Romanum: rectè itaque fit, dum adduntur et- *An non hoc sæpius factum?*
iam galli & anseres, per quæ omnia significatur: hos anseres & gallos per sacrificulos istos esse iu-
gulandos. Hi autem sunt laici, quos vocant, & gens reliqua rustica: quo fit, vt vniuersus popu-
lus, id est, Aquila, & vulgus (ab ijsdem) interimatur. Sciendum autem est hoc loco: vbicunque
magia demonstrat anseres & gallos (non more Papæ, sed alijs modis) fraudibus & dolis studere,
tum peculiari quadam ratione ipsos hoc facere: quocirca certum est, Ecclesiam Romanam vsq; ad *NB. Imperatores seruiũt seruis seruorum:*
finem huius prophetiæ nunquã ab aliquo Imperatore Romano esse regendam: sed eosdem Impera-
tores Romanos subinde esse iugulandos. Similiter & promiscuũ hominum vulgus(esse iugulandũ:)

si non

ſi non per Papam, at ſaltem per alios pſeudoprophetas, qui fauorem vulgi ſint aucupaturi, & quaſi ementituri. (Hæc prophetia facta eſt temporibus F. Barbaroſſæ: & tunc intelligi potuit.) Quocirca cauete, nec corda à Deo auertatis: arbor enim fallaciæ & fraudis validas egit radices, & florem plurimum profert: decebit ergò, vt abdicatis erroribus ab eâ recedatis. Veſtra corda ſeruate pura, & ab ore hæc ſecernite. Hic Papa in manu habet tridentem, per quem ſignificatur fraudulenta potentia, quam ſacrificuli periactantiam ex Trinitate deducunt. At tridens iſte inuerſus eſt, quocirca ſignat eius potentiæ amiſsionem quandam. Tandem adeſt & monachus, qui adumbrat omnes religioſos ordines, hos enim hic vnus monachus adumbrat: nam à temporibus Barbaroſſæ nullus repertus eſt monachus, qui fraudibus, & dolis non fuerit deditus: licet alius aliâ aliâque viâ idipſum ſit aggreſſus. Itaque vt concludam, magia docet: monachis non eſſe confidendum, & monachum denotare nouum Antichriſtum, & pſeudoprophetam, qui præter Papam ſit reſurrecturus, & ſibi adiuncturus promiſcuum vulgus, & dominaturus per hoc, hoc eſt, per illos, qui in ſuis villis pullos & anſeres ſolent educare: & Papam apud eoſdem amiſſurum gratiam. Ergò (Papa) Aquilam iugulabit, & nihilominus amicam habebit: Propheticus autem monachus in manu tenens librum, homines ruſticanos in ſuis partibus habebit. Quocirca conſcientijs veſtris conſulite.

Sanè.

Caue. Beſtia tangit præcipuum antiſtitem noſtræ religionis.

Res mira.

SEPTIMA FIGVRA.

Draco circumuolutus arborem colloquitur cum Papâ.

Difficilis admodum eſt huius figuræ explicatio: nam Papa & Draco coniunguntur, & inter vtrumque colloquium inſtituitur. Quis verò eſt, qui collocutionem iſtam aliter interpretari poſsit, quàm hoc modo: nimirum Papam conqueri de ſuis calamitatibus coram diabolo, & exiſtimare (vocem diaboli) eſſe vocem Dei ex rubo. Contrà diabolus quoque fictâ voce etiam conqueritur de miſeriâ, quæ Papam, eiuſq; regnũ maneat: hoc eſt, illa eſſe infringenda, quæ per longum tempus obtinuerit: ſurrecturos etiã quoſdam, qui ſolium ipſius multò humilius ſint effecturi: itaq; Papa angitur, diabolus autem minimè angitur: Papa exiſtimat, hunc montem ſibi perquàm luctuoſum eſſe, omniaque reditura in chaos antiquum, cùm tamen ſciat diabolus, miniſterium eius conſimili ratione non deſiturum. Hic verò notandum eſt, per inferius caput caudæ draconicæ ſignari hæreſes Eccleſiæ: hæ enim ſunt filiæ quaſi diaboli, inter fruteta latent, & excreſcunt tacito, atque occulto motu. Iam verò ſecundum conſuetudinem magiæ, Draco hic inuiſibile quiddam eſt, at Papa eſt viſibilis: nam omnes Dracones ex præſcripto magiæ ſignificant diabolum, quatenus eſt inuiſibilis. Itaque notate, diabolum eſſe eo in loco, quo Papa exiſtimat, ſe eſſe Deum: ac ſtultè præterea etiam putat, quicquid faciat, id fieri ex rubo, è quo Deus Moyſen aliquando compellauit: atqui verò rubus iſtiuſmodi eſt planè infernalis: & hæc Papæ opinio nihil aliud eſt, quàm diaboli ſuggeſtio. Atque hæc eſt ſumma ſignificationis. Nempè talis figura eſt, quæ adumbrat concilia auaritiæ, ſuperbiæ, & arrogantiæ: itaque vbicunque Spiritum ſanctum hodie pingunt, rubum hunc vtique pingere debebant: nam hic (vt germana docet magia) intelliguntur omnes Eccleſiaſticorum machinæ, inuentiones, diſputationes, & quæ his ſunt conſimilia. Ex hoc ergò rubo (tanquam ex equo Troiano) prodit ipſorum ſapientia, ipſorum ratiocinatio, regulæ & conſtitutiones. Quocirca omnes commonitos volo, vt caueant ſibi ab illis: quia lineæ ſuperbiæ inſiſtunt, & omnia eorum negotia ſunt huius Draconis inuenta. Comprehenduntur itaque hîc omnes illi, qui ad apoſtolatum non per Deum vocati ſunt, ſed vel à ſeipſis, vel à Papâ, vel à vulgo ex conſilio, quod ipſi dederunt. Hic quicquid agunt, agunt ex diabolo, id quod probat vocatio Apoſtolorum: nam ſi nemo ſacrificulum eligeret, ſed ad Deum rem ablegaret, ipſe (haud dubiè) ſeipſum eſſet electurus.

Temerè me tangis & angis, &c.

Quis enim eſt, qui dixit? Ego ſum Papa.

Vt fecit Io. 22 Pôtifex M. Naucleꝛus p. 993.

OCTAVA FIGVRA.

Papa equo inſidet, & diſcedit: pro foribus à tergo Papæ quædam ſtat fœmina.

Hic ædificium quoddam depictum eſt, & fœmina quædam pro foribus eius. Papa eques diſcedit, geſtatque in manu Accipitrem: Significatio eſt hæc: domus, ſeu ædificium eſt Eccleſia, in quâ Papa eſt paterfamiliâs. Ex hac domo diſcedit, & hæc eius diſceſsio ſignificat, ipſum nunquam poſthac reuerſurum. Nam ſimulac quis Papa, & Eccleſiæ caput effectus eſt, in Eccleſia manere debet, neque aliò euagari: quòd ſi itaque venatum exit, &c. extra Eccleſiam eſt, & deſinit eſſe Eccleſiæ princeps. Exit ergò hac domo eques, quod argumento eſt, ipſum non ampliùs Eccleſiæ eſſe addictum, ſed abdicatum: extruſio enim & excommunicatio eum iam tenet, adeò, vt cuiuis citra iniuriam in eum liceat irruere: nam non eſt ampliùs in ſuo territorio, quod (flagitioſè) deſeruit. Iam verò idem Papa ſi extra Eccleſiam intereat, in numerum ſanctorum referri non poteſt: at verò ſi in Eccleſiâ permanſiſſet, inq; eadem occubuiſſet, vtiq; beatus & ſanctus eſſet futurus. Igitur fœmina quæ-

dam pro foribus huius domus consistit, quæ eius discessum, & leuitatem deplorat: hic enim disces-
sus Ecclesiæ est euersio, adeò vt nemo ampliùs reperiatur, qui vim hanc prohibere posit, quandoq;
omnis potentia est ablata. Atque hoc est, quod conqueritur fœmina: nam in veteri magiâ mino-
ris pyramidis ostenditur, plorantes fœminas significare Sibyllas, quæ vaticinia edant huic, coram
quo consistunt. Docet itaque, eius abitum & Ecclesiæ & ipsius esse mortem, venenum atque in-
teritum, ac monet simul, vt redeat, & ingrediatur domum pacis. At Papa equitando pergit, pro-
ut ipsum incitat rerum terrenarum voluptas, & arrogantia: relinquit Ecclesiam, quo facto regnum
proprium pessundat, & occasionem præbet seditionibus, ac argumentum fractæ Ecclesiæ. Loco
clauis habet Accipitrem, loco virgæ pastoralis equum: hoc Sibylla deplorat, & fusè ipsi proponit.
Nam quemadmodum mures saltant, cùm domo excesit felis: ita quando Papa relinquit suam do-
mum, saltant hæretici, hoc est, vniuersa eius familia, omnes consecrati: nam hi offensi ipsi oblu-
ctantur, & superbè eum tractant. Ergò vbi domum redit, (omnia) sunt perturbata, & mutatum
ipsius imperium. (Vno verbo) Hic discessus significat, Papæ impiam vitam esse causam hæretico-
rum, & fucatæ eorum doctrinæ.

Beati verò.

NONA FIGVRA.

*In hac spectandi exhibentur Papa & agnus, & agnus quidem à gla-
dio Papæ vulneratur: adstat etiam nudus Draco formam habens Papæ, qui
dexterâ tenet verbenas, sinistrâ autem claues.*

HÆc figura designat venditionem sanguinis Christi, falsamque in eum fiduciam, hoc modo.
Significatur per agnum & gladium ex ore Papæ egredientem, Papam ore suo hunc agnum
mactare, atque vendere: nam agnus significat Christum, effusumque eius sanguinem, quem ipsi
turpiter, & falsâ quadam ratione fundunt, & conturbant sceleribus suis, atque superbiâ. Ex ad-
uerso consistit Draco cum pileo Papæ, qui designat mutationem Sacramenti, hoc modo. Papa fe-
dit, ac vulnerat agni latus, id est, tractat eum tanquam Draco seu serpens paradisiacus, qui Euam
seduxit: huic nempè succesit alius Papa, qui confringit (huiusmodi) fraudibus & dolis. Nihil
autem aliud significatur, quàm iustum Christi sanguinem ab aliquo Papa malitiosè vendi, & ab
alio aliter idipsum exponi, vt hæretici, qui Sacramenta malè tractant, hoc loco erunt negociosi.
Papa est instar fallacissimi Iudæ, qui Christum vendidit, & in mortem tradidit: hic enim nouâ
quadâ ratione Christum mactat, & tanquam Iudas vendit. Huic venditioni resistit alter Papa (ad-
umbratus) per Draconem: hic enim disputando agit, nouum ordinem introducit: omnia tamen
sunt diabolica, & disputationes eius similiter diabolicæ. Probè ergò, optimi lectores, hæc notate:
per hanc enim figuram grauissimè nobis ostenditur, immanes hæreses in doctrinam Sacramento-
rum irrupturas, magnosque errores, adeò quidem, vt Spiritus sanctus cum his disputationibus non
sit permansurus, id quod significatur per columbam auolantem. Rogo autem vos omnes, vt hos
sermones probè perpendatis: hæc enim non absque Euangelio, sed prorsus grauiter dicuntur: sunt
etiam res plurimi momenti. Itaque ne spernatis id, quod veteres per has figuras nobis delinea-
runt: & nos iam sub manibus habemus: atque videte, vt vosmetipsos probetis, & diiudicetis illum
sanguinem ita, ne in ceruicem vestram redundet, indignos vos in æternum damnaturus. Aspici-
te virgam in manu Papæ, hæc florida est, & succi plena: ipsa pœna consimili ratione plena, perfe-
ctaque erit. Quia ergò inuenta veritas tam grauiter à veteribus est demonstrata, hoc opus magi-
cum vobis commendatum habete. Contueamini figuras, Draconem, latronem agni, & ita iudi-
cetis, ne simul vosmetipsos interimatis, aut Draconi assimiletis. Verus sensus in mundo non ha-
bebitur de sanguine, & carne Christi tam diu, quàm diu sectæ, tanquam ficus illa Euangelica, non
exarescent, atque exurentur, tunc enim Spiritus sanctus redibit. Itaque nemo disputationibus in-
dulgeat: abijt enim gratia Dei, quam significat Spiritus sanctus.

Probè: destruũt enim sacrificium Missæ.

Sacra sub extremâ, si fortè requiritis, horâ, Cur Leo nõ poterat sumere? vendiderat. Notat Cinglium, quẽ tamen in epistolà huius Tomi p. 31. aliter appellat. Notate Caluiniani.

Iste sapit solus: reliqui volitãt velut vmbræ, scilicet.

DECIMA FIGVRA.

*Papa imperat cælo, Aquilæ, & coronæ
Imperatoriæ.*

HÆc figura denotat Papæ, & sequacium eius fraudulentiam hoc modo. Digitum intendit
in cœlum, in quod significat se habere imperium. Sciendum verò est, hanc potestatem non
communi quadam ratione esse intelligendam: sed cœlum hoc loco significare, Papæ officium
esse in terrâ ita oues pascere, vt regnum cœlorum adire posint. Papa sanè hoc modo rem
intelligit, nempe imperio suo etiam cœlum subiacere: cùm itaque habeat id, quod maius
est, non posse sibi denegari id, quod minus est, nempe huius orbis imperium. Manu ergò
suâ quia cœlum & terram continet, vt ipse putat, ideoque ad pedes suos abijcit Aquilam, &

Nam ait: sibi esse traditam omnem potestatem in cœlo & in terra.

coronam

coronam imperatoriam. Hic verò nulla significatio præterea est admittenda, quàm hæc: nimirum neutrum esse verum, id est, nec cœlum, nec terram, ad ipsum pertinere. Terra ipsius non est, quemadmodum nec cœlum: itaque nec Aquila ipsius imperio subijcitur, nec corona imperatoria substernitur ipsius pileo: mendacia itaque Ecclesiasticorum per hanc figuram denotari, certum est: omnes enim figuræ respiciunt Papæ malitiam & mendacium: sicut & hìc quoque hæc pars magis mendacium Papæ adumbrat, quòd nimirum glorietur de eo, quod non habet, id est, de potentiâ & iure. Omnes autem in vniuersum Papæ potestatem metiantur ex potestate Christi, qui dicit: regnum meũ non est ex hoc mundo: Papa autem dicit regnum suum esse ex hoc mundo: cum cœlo quippe conatur etiam possidere terram, quam Christus spernebat. Per hoc (Pontificij) similes seipsos faciunt Mahometi, qui religionem suam etiam arrogantiâ, potentiâ, & opibus tutatur. Hunc isti æmulantur: volunt enim Imperatorem Romanum vniuersumque orbem sibi subijci, vt fides Christi inde præ alijs superbire possit: ac stultè putant, Christo eò faciliùs credi, si orbis terræ illorum pedibus sit subiectus, minimè considerantes, Christum ipsos cum opibus suis inferorum voragini adiudicare. In vniuersum itaque vobis videndum est, ne patiamini vos seduci ab vllis Ecclesiasticis, qui vel vnum obolum possident. Seu magnum enim sit, seu paruum istud, satanicum tamen est, vt sunt mensæ, scamna, lecti, claues (Ecclesiasticæ:) planè nihil possideant: nam qui vel obolum ipsorum esse concedit, (is sciat) & ampliora ipsis esse concedenda: itaque profectò quemadmodum nec cœlum, nec terram posident, ita ne vnicam lenticulam quidem: sint enim liberi ab omnibus vt Petrus, vt Iacobus, &c. aliter si habeant, nolim credatis, ipsos esse ex Deo. Si vel propriam vxorem habent, non sunt Apostoli: nihil enim proprij possideant, nec vxorem, nec liberos, sed deserant omnia.

Dum Christus ait: vos verò non sic, Papa respondet: sed meliùs.

Demõstra.

VNDECIMA FIGVRA.

Papa duas tenet claues, cui è manu excidit pedum pastorale: penes ipsum iacet caput agni sanguine fœdati, in sinistrâ manu autem serpentem habet.

HAnc figuram probè obseruate, facit enim initium admonitionum: adhortatur autem Papam, vt sibi caueat à malo: simul etiam aperit tempus, quo resipiscere debeat, ita vt intelligamus, pœnitentiæ tempus iam adesse, & horam relinquendi peccata. Hæc significantur per gallum qui adstat, & suo cantu horam designat: nam & Petrum suo cantu (ad pœnitentiam) est exhortatus, & patremfamiliâs monet surgere à somno: consimili ratione hic gallus & Papam, & omnes Ecclesiasticos monet, tempus adesse, vt à somno surgant: ideoque stat, altè clamat, & inflando buccas adhortationem instituit. Agnus autem, cuius collum tantoperè vulneratum est, significat, Christo iam maximum esse inflictum vulnus, ita vt magis vulnerari non possit. Quocirca certum est, tempus impletum adesse: Christus enim satis est afflictus, gallus cantat. Præterea sacco instructus est Papa, quem ita impleuit auro, vt eidem nihil præterea ingeri possit: itaque ille saccus est plenissimus, ita vt nihil ampliùs capiat: ac præ superbiâ abijcit virgam pastoralem, nam occupatur circa pecuniam, vt illam colligat, ne quid de illa pereat. Per quæ hoc verissimè significatur, ordinem nimirum Ecclesiasticum summum iam suum gradum attigisse ratione magnitudinis, & potentiæ, immò ratione & pecuniæ, & fraudum, dolorum, machinationum, seductionum, secundum normam Papæ, & hæreticorum eius, in his (inquam) iam facti sunt summi, & quasi præstantissimi artifices: at de illis sciendum est, adesse tempus, vt non ampliùs ipsis permittantur tanti doli, & machinationes, tantæ etiam seductiones, & perturbationes, quàm olim Papæ, Ecclesiasticisque eius concedebantur: quocirca exitus instat, Papa finem attigit, est in extremis. Claues autem sinistrâ tenet, nam cor eius est sinistrum, sinistrâ ratione his clauibus vtitur: itaque ad sinistram manum etiam pendet diabolus, nempè iuxta claues. Scitote itaque, gallum cantu suo summam significare horam, initium diei, ortum solis, tempus surgendi. Quid hoc significat? Diuidentur hic nox & dies, hoc est, falsum ministerium suffocabitur, & Papatus in mundo deficiet, cui succedet lux quædam, quemadmodum Sol sequitur noctem. Instat enim tempus, quo vniuersus mundus gaudebit: nam Papa, hæreticique eius, seductores eius, præcones hæreseωn, id est, Pseudoprophetæ, Pseudochristiani, Pseudoapostoli cessabunt, atque euanescent instar noctis, vniuersæ ipsorum opes, ratio, & sapientia finem habebit, peribit: contrà autem vniuersi homines ambulabunt tanquam in die, & splendore Solis.

Ni fallor: hic gallus est d. Hussus.

Nam seculo Hussum sequente Papatus est assecutus τὴν ἀκμήν.

Gaudeamus boni.

Veni Domine Iesu. Beata Lutheri tempora.



DVODECIMA FIGVRA.

Papa manu habet nouaculam, intra coronam stat, & ad pedes eius (lupus) vnà cum gladio.

HÆc figura demonstrat, lupum irruere in Papatum, apprehendere gladium ipsius, potestatem ipsius ligare, id est, & iudicium, & imperium. Hi lupi sunt (homines) scorpionicæ naturæ (quales sunt rustici: nam per lupos in magiâ intelliguntur rustici:) & hi primi erunt, qui in Papam irruent. Sed is in manu gestat nouaculam, per quam significatur ipsius consecratio: nam consecratio Papæ, omniumque Ecclesiasticorum quid aliud est, quàm (nuda) nouacula? Hanc Papa secum gestat, vt sciatis, (ipsius consecrationem) similem esse nouaculæ, & illum meliorem non esse reliquis hominibus: itaque si & hac priuatur, nullus est, & res eius habent finem. Hic autem notandum est, si nouacula consecrationem denotat, denotari consecrationem, quæ nullius est pretij: nam Deus nullam cœlestem vim intra nouaculam deposuit: attamen & hæc ab ipso aufertur. Quòd autem intra coronam consistit, & non supra eandem, hoc significat, Papam non minùs tutum esse in suo territorio, ac est rex in suo regno: huic enim nemo potest nocere, tam tutus degit, ac si muro esset cinctus. Hoc significat (ratio) coronæ. Verùm hoc mihi credite: hac coronâ Papam cum vniuerso ordine Ecclesiastico rustici exturbabunt, gladio suo spoliabunt, & ipse radetur illâ ipsâ nouacula, quâ alios rasit; similem fortunam subibunt omnes eius sequaces. Certum itaque est, ex præscripto primæ magiæ, coronam denotare regnum, regnum autem hoc significat Papæ regnum & omnium Ecclesiasticorum: nam hi omnes in regno ipsius degunt, quandoquidem ipse vniuersalis eorum est rex. Consistit quidem intra coronam, id est, iactat se in regno ordinis Ecclesiastici: at irruptio in eum fit, corona ipsi extorquetur, perinde vt gladius, claues, & nouacula. Interitus autem hic, & ruina Ecclesiæ, ordinisque Romani per lupum incipiet: nam à lupis rapacibus discerpetur, id est, ab his, qui ipsorum sunt similes, hi tales castigabuntur, atque hæc est prima irruptio, inuasioque. Sustentabit (Papa) tamen se, suosque, ne prorsus cadat, & coronâ excidat: gladius tamen eius fortiter tenebitur (& quasi ligabitur.) Denique etiam hoc notandum est, Papam esse spoliandum per suos consecratos, id est, per lupos: nam hoc significatur per lupum, qui hoc in loco cernitur, nam in magiâ lupus semper significat sacrificulum: itaque si huius figuræ vera interpretatio habeatur, hoc significatur, lupum nimirùm istum significare eos, qui ex consecratione eius extiterunt, exortique sunt: nam hi ipsum diripient, filij enim sunt luporum.

Rustici, id est, Columbæ, quas Christus vocat. Matth. 10.

Rom muß regiert habẽ.

Qui hi sint, Interiùs habebis.

DECIMA TERTIA FIGVRA.

Papa sinistrâ manu tenet duas claues, quas prehensat angelus, in alterâ autem virgam: pauo ad pedes eius assistit cum explicatâ caudâ.

PRoximâ figurâ ostensum est, Papas amissuros gladium, & lupo illum esse tradendum: in magiâ verò lupi secundum Theologicam interpretationem significant sacrificulos, significatum itaque fuit, Papisticum ordinem suâ ipsius operâ periturum. Sequitur iam, potestatem ab illo esse auferendam, quæ per claues innuitur, hoc est, (certò fore,) vt Deus per Angelum claues reposcat, ita vt (Papæ) posthac suam non ampliùs habituri sint potestatem: nam vniuersum Papatum cum omnibus suis priuilegijs amittent, non ampliùs habebunt potestatem vel soluendi, vel ligandi: non ampliùs famam, fidemque, quam antea habuerant. Hoc significatur per illud, quòd Angelus claues tenaciùs tangit, atque colligat. (Quod cùm ita sit,) nemo credat, Papam ampliùs fore Papam, vel habiturum libertatem, potentiam, benedictionemque Papalem. Deprehenditur enim non tantùm ex hac figurâ: verùm etiam in omnium siderum positu, atque adeò in ipsâ præcipuè magiâ: Papam, quemadmodum ex vnâ radice succrescens in arborem pulchram adoleuerit, in sempiternum non recuperaturum illam suam potestatem: sed amissurum paulatim eam, vt tandem arbor ista (florens) euasura sit similis arbori, quæ aridissima est. Atque hoc est, quòd manu aridam ferulam gestat: significat enim maledictionem aridæ arboris ipsum attigisse, & in manu habere illam ficum, quæ (de mandato Christi) exaruerat. Itaque ipse publicè significat repentinum ssium decrementum, atque exarescentiam. Ferunt aliàs quidem prouerbio, quod citò fiat, citò etiam perire: verùm hoc loco res non ita se habet: nam quemadmodum legitis in diuinis literis, ficum quandam repentè, & vno quasi momento exaruisse, nunquam autem restitutam: ita etiam scitote, & hîc admirandam quandam ariditatem fore, & mansuram quoque: non enim vicissim radices aget, sed planè exarescet. Præterea & hoc tenendum est, per ferulam in manu significari pœnam: & tantum dicitur, Papam manu gestare virgam, quâ ipse sit castigandus: nam vtique vapulabit, & ad scholas reducetur, tanquam tumidus, & sciolus quidam scholasticus: quẽ præceptor dextrâ suâ

Vtinam breui.

Hic tu certè rectè, licet intrà contrarium sis dicturus. Namque olim poteris dicere: Papa fuit. Hinc ille: Der Bapst wirdt im Sachsen in die Schul gehn.

suâ castigat: prorsus eodem modo Papa gestat ferulam, quâ ipse aliquando castigabitur. Assistit quidem ad pedes ipsius Pauo, atque eum blandè intuetur, explicat caudam admodum latè: quâ re significatur, Papam habiturum refugium ad domum Austriacam, vt ab eadem defendatur, & conseruetur: magia enim lætam significat auem ex parte Papæ, illa verò læta auis est (oriunda) ex Austriâ, quæ Papam non deseret. Videmus itaque, Papam pœnæ maximæ subiacere, sed fore, vt quærat auxilium in Austriâ, quo medio etiam ad tempus sustentabitur. Quia verò angelus claues tenet, argumento est: gratiam diuinam à Papâ recessisse, quæ infelices effectura sit omnes eius socios, & seductura eos, qui ipsi auxiliantur: nam felicitatem suam non à Deo, sed ex accidente fortuito habebit. NB.

DECIMA QVARTA FIGVRA.

Papa innititur baculo peregrinatoris, ex aduerso huius cernitur vir ferreo thorace indutus, vnà cum sanguinolentis gladijs, & lanceis.

HActenus explicatum est, quæ fortuna Papam pœnaque diuinitus maneat, nempe duplex: vna (quæ significatur) per lupum: altera per angelum Dei. Tertia hîc exponitur, quæ est de bellis. Atque hæc est eiusmodi: Papa fit peregrinator, id est, à Roma peregrè abibit: Roma ipsa erit hospes, & regnum ipsius assimulatur (conditioni) peregrinatoris, qui nihil proprij possidet præterquàm baculum, cui inter ambulandum innititur. Ferreus vir significat victorem in bellis, vt inde clarum fiat, Papam per milites & bellicas molitiones deturbatum de suo solio, & eiectum iri in exilium. Quanquam autem miles hic ingenti irâ Papam petat, tamen vitam eius non lædet: tenebitur enim ira huius hominis, & quasi frænabitur, ne (Papa) prorsus cadat. Magnum autem quiddam est hoc, quòd in hac figura significatur mors quæpiam, & frænatio aliqua (eius) per nubes, quæ huiusmodi iram compescunt: nam manus ex nubibus extensa significat, satis esse pœnarum, quòd Papa amiserit solium, & factus sit exul, atque peregrinator, cuius vitæ tamen nihil debeat nocere. Etiam hoc non est negligendum, qui gladium manu tenet tam impotenti irâ in mortem Papæ effunditur, vt seipsum vulneret: nam aciem gladij manu attrectat: tamen Dei manus hanc iram sedat atque mollit. Præterea lanceæ, & gladij significant ingentē apparatum huius exercitus, horum seditiosorum, & numerosissimarum harum copiarum: nam certum est, non vnam personā sed multas affore, quæ per vnā atq; huius lanceas, & gladios significātur. Stellæ verò iuxta nubes hoc tantùm innuunt, Papam non porsus abolitum iri, quia manus Dei cœlitus apparet, & impetum sistit. Itaque nostræ cogitationes in terrâ sunt nullæ, propositum autem Dei nobis dominatur: illud enim est quod incitat, & quod cessare facit. Iam verò ita comparatum est cum malitiâ, vt pœnam prorsus mereatur: concordia etiam magiæ docet, postea ipsum interfectum iri, at manus Dei hoc impedit, suâ potestate spoliat sidera, & frangit impetum (huius militis,) vt (Papa) spacium habeat emendandi vitam. Lentè enim incedit Dei pœna, sæpè eleuat, sæpè adiuuat, sæpè tutatur malos aduersus ferulam. Videmus itaque, auditam iam esse tertiam spoliationem Papalis potestatis, Papalis officij, & Papalis hospitij: nam in exilium pellitur, atque eijcitur. Hoc mihi considerate, vos aduersarij ex ordine Papæ, vos etiam hæretici: (vt videatis) quid agatis (cum eo) quem Deus defendit. Cur hoc facit? vt conseruet hunc ordinem, & velit solum scortum castigari atque perire. Quid aliud hic pellitur, quàm luxus? Quæ causa erit castigandi, atque expellendi? solus illius luxus, & præterea nihil. Iam ergò mihi disputate, & concludite, quid in Papa reprehendendum sit? non ieiunia, non confessiones, non precationes: sed fraudulentiam, quæ prætextu horum exercetur, & tegitur, Deus extirpabit, hanc Deus auferet, & non ipsum ordinem: per quem vult Deus populum regi. Hunc Deus, non, vos constituit: non vos, sed illum obseruate.

Veteres migrate Coloni.

Fortassis: quia zizania in agro Dei futura sunt ad finem vsque mundi.

Omnia, præter ea, quæ sunt antiqui Euangelij. Πατρίζει.

DECIMA QVINTA FIGVRA.

Salamandra, id est, ferus Draco cum capite humano, quod cinctum est coronâ, cui etiam superimponitur pileus Papalis.

ADmodum terribilis est hæc figura, & significat Papam, cuius summa est isthæc. Ignis absumit id, quod per pileū significatur: quàm diu verò pileus perdurat, tamdiu nihil, nisi ignis adest, hoc est labor infernalis. Pileus itaq; significat ordinē Caiphæ, & Hannæ, qui fraudulenti sunt in fide, & in doctrinâ cœlesti, ideoque in eos cecidit maledictio Dei, & omne, quod dixerunt, & fecerunt, &c. in ignem coniectum comburitur. Papa itaque si à scorto suo non abscedat,

Papa errat in fide, & moribus.

Papam esse simul Iudæum, & Ethnicum.

Parcè.

id est, à luxu, & falsa doctrinâ, cum omnibus his, qui gestârunt, vel gestant adhuc eius characterem, similis erit Caiphæ & Hannæ, qui fuerunt Pontifices Hebræorum. Hinc fit, vt etiam Iudaicum ipsorum pileum gestet, qui tamen more Ethnico & Turcico est inflexus: nam doctrina, præceptaque eius non sunt Christiana, sed Iudaica, & Ethnica, id est, cor ipsius dolis est plenum: atque in illo nihil est, præterquàm Ethnica fraus, atque fraudulentia Caiphæ. Ergò nisi vitam emendauerint, maledictionem consimilem subibunt, nam Pontifices illi Hebræorum in perpetuum damnati vruntur: ad eundem modum etiam Papæ cum suis legibus in ignem infernalem coniicientur similes futuri non ampliùs hominibus, sed Draconibus. Quemadmodum enim doctrina eorum à Deo auersa est, ita & eorum imago, quandoquidem nullus damnatorum retinet imaginem Dei, (sed commutatur) vniuersè in Draconem: Etenim vbi cor Draco est, imago illa, quâ Deus adumbratur, etiam est Draco, seu figura, quâ designatur diabolus. Quòd verò pileus Papæ regiâ coronâ cinctus conspicitur, signum est, eum esse armatum pileo Pilati, atque Herodis, id est, quicquid fecerunt latrones hi, Herodes, Pilatus, Hannas, Caiphas, &c. id & ille facit, interfector est infantium, perinde vt Herodes, & iniquus est iudex gratiæ Dei, misericordiæque eius, atque regni. Nam quemadmodum Caiphas, Herodes, Hannas, atque Pilatus Christum tractârunt: ita & Papa, cùm sit homo, tamen Christum vendit Iudæ instar, damnat vt Pilatus, populo eripit quemadmodum sectatores Caiphæ & Hannæ: hi enim Christum interfecerunt, (quia effecerunt) ne populus eum haberet, sed ab eo auelleretur, quæ omnia significantur per pileum. Astra autem denotant tenebras quæ ipsos circumdabunt: Vrsa verò minor, id est, currus ille cœlestis significat, quemadmodum Papæ in terrâ eum traxerint, ita eos eundem tracturos apud inferos: hic enim currus simul est in cœlo, & apud inferos. Currus autem cœlestis spacio viginti horarum in gyrum vertitur: quâ re quemadmodum ostensum est, eum esse mutabilem, ita quoque nihil fixum est in rebus Papæ. Gladius, quem mordet dentibus, signat iram, & fraudulentum cor, quod reprobi aduersum Deum habent: os enim in cœlum ponunt, quin prorsus Deum deuorarent, si possent. Itaque hos solos sequetur pœna. Itaque etiam moneo, vt hanc figuram Papa, omnes Ecclesiastici, & alij quoque ante oculos perpetuò sibi positam habeant: nam Pilato, Caiphæ reliquisque Principibus nihil accidit, vsque dum (Christus est occisus:) in Christo (occidendo) fiebant peccatores, & homicidæ: propter hoc peccatum æternæ maledictioni sunt subiecti. Atque sic progenies ista apparet, quæ vos iudicabit, & vestros (ad tribunal) deposcet: itaque cedite, & parcite prioribus.

Præter astronomiâ.

DECIMA SEXTA FIGVRA.

Papa cingitur Vrsis, vna imminet ipsius capiti, reliquæ duæ claudunt vtrumque latus.

Postquàm Dei iudicium est promulgatum, ordinem Caiphæ, & Hannæ in æternum esse maledictum, spoliatum imagine Dei, & redactum in similitudinem Draconis: alia sequitur pœna, quæ est hæc. Vrsæ deuorabunt Papam, postquàm vicerunt eum: nam vna premet ipsius caput, quo significatur, Papam pessundatum iri ab Vrsis rapacibus, & alijs feris bestijs. Hic notandum est per tres Vrsas significari tres sectas in religione: nam hæ rapinis student, & diripiunt quod rapiunt. Ergò tres sectæ in religione excitabuntur: quæ Papam discerpent, atque deuorabunt: nam quemadmodum videmus, ab Vrsis agnos, vitulos, sues dilacerari, & ita deuorari ab ijsdem, vt nihil relinquatur de ipsorum carnibus; ita hæ tres sectæ Papam in vniuersum deuorabunt, ita vt ne ossa quidem eius posthac sint apparitura. Papa vtique in prædam concessus est feris bestijs, nam abalienatus est ab imagine Dei: interim tamen sciendum est, has tres sectas non occupaturas eum locum, quem mente sibi designauerant. Tamen quidam erit, qui eum possidebit. Res itaq; hæc cùm per Vrsas significata sit, horrenda erit: nam vt Vrsæ concerpentur atq; peribunt. Licet.n. malū atque vitia superabunt, tamen ipsis eueniet quod cani, qui aliū mordet: canis enim est, etiamsi à validiore mordeatur: prorsus ita habebunt & hi (qui Papam abolebunt:) nam non tanquam angeli superabūt, sed tanquā Vrsæ. Atqui ex præscripto magiæ Vrsæ significant homines, qui rapiūt, & ex rapto viuunt, qui ex inuidiâ, malitiâ, auaritiâ, & odio vorant quod iustum & iniustum est, semper intenti prædæ. Tales etiam sunt hæ Vrsæ, quæ Papam consument: non enim interibit (confectus) ab angelis: sed à diabolis, hoc est, à Suis. Itaque tantoperè affligetur, & punietur ab illis, vt nullo in libro sit inuenturus, quo se possit defendere, sed permissurus omnia, & fassurus, se esse mendacem, atque fallacem. Nam hoc mihi notate: fur alterius furis furtum indicare, eumque furti conuincere potest, si habeat iudicem, qui fauet ipsi, & odit aduersarium: at tempus contingere potest, vt iudex iste, qui furem accusantem (absoluit,) & alterum condemnauit, moriatur, cui succedet alius quispiam iudex, qui alterum furem etiam in iudicium adducet. Sic Vrsæ Papam deuorabunt: sed postea & ipsæ suum iudicem, & auxilium amittent, atque carceri includentur. Postquàm autem cùm Papatum Vrsæ sunt abolitæ, ingruet beata illa, & aurea ætas, cum vero intellectu fidei, charitatis, & spei.

Lege cautè cau è. Quas tres sectas intelligat, nemini, credo, obscurum est. Quis is?

Vel iam nō inuenit.

Damnat & Papist͏as, & Protestātes.

Nempe beata illa chilias.

DECI-

DECIMA SEPTIMA FIGVRA.

Papa manu gestat vexillum: ad latus eius est columba, & serpens inter se quasi colloquentes.

HEc figura significat superbiam Papæ: atque eius hæc est sententia. Post pœnam inflictam non cessabit Papa: sed etiam dum vrsæ eum aggrediuntur, ac dilaniant, conabitur obtinere victoriam. Figura habet serpentem, qui est diabolus, & Leuiathan: sequitur columba, per quam innuitur Spiritus sanctus, aut vox Dei. Significatio itaque est hæc: diabolus dimissus est à Deo, & iussus cedere consortio hominum, hoc est, à Papâ, & vniuerso mundo: maledictio autem hæc diaboli est, vt relictâ terrâ recedat ad voraginem inferorum. Vbi hæc consideranda sunt: Papa gestat vexillum, & conspicit prælium (serpentis & columbæ,) audit etiam, diabolum mandato Spiritus sancti à terrâ fugari: etiamsi diabolus reluctetur. At enim ab vtroque faciem auertit vnà cum vexillo: descendit enim in suum cor, & cogitat, partem meam sum nactus, meum est vexillum, id est, Roma & omnia Romana, meus est mundus, mea est potentia, neutro vestrûm indigeo, teneo, triticum meum trituratum est, nauis est in portu: agite vt vultis, ego meam partem iam teneo. Itaque etiam sese ab vtroque auertit certus animo suo, se neutrius operâ indigere. Hic intelligite immanem superbiam (Papæ) quæ non vult cessare: sed conatur semetipsam per semetipsam conseruare: & per hanc superbiam sibi persuadet, neq; Deum, neque diabolum aduersus se præualiturum: nam dominum rerum se esse, quicquid habeat à Petro & Paulo, id abs se non posse auferri: itaque se non desiderare opem vel Dei, vel Petri: rebus necessarijs se esse instructum: Deo quippe se non indigere, se enim iam manu tenere partam potestatem, eamque penes se solum esse: neque se indigere operâ diaboli, quandoquidem potestatem habeat soluendi, & ligandi Satanam, quoties velit: si indigeat (diaboli operâ,) habere se potestatem, vt eum euocet, & ei mandet, vt sibi obsequatur. Hoc modo superbiæ finis imponitur, & Papa est in peccatis suis, crescit adhuc, non mouetur pœnâ, quæ certo ordine ipsum tangit, spem ponit in libertate sui vexilli, ac libri: illa satagit retinere, cum illis pergere, in pugnâ viuere, conari conseruare cœlum, & libertatem Petri: interim tamen nec Petro, nec diabolo quicquam largiri. (Existimat enim) dominum rerum se esse, & præterea neminem: prætexit, verbum Dei esse æternum, neque mortale, & quia hoc mentiri nequeat, sibi permansuras claues: neminemque fore, qui his ipsum sit spoliaturus, non considerans, & Iudam fuisse apostolum à Christo electum, & tamen cùm prodidisset (Dominum,) nomen eius sublatum esse ex albo, & ministerio Apostolorum. Adde etiam: Papam obliuisci sui nominis, nam Petrum se vocat: at neque Petrus, neque Christus dicit: quicunque seipsum collocat in nomine meo (in cathedram,) etiam est in cathedrâ: quin hoc prorsus tacetur, & nulla eius fit mentio.

Nã P. symbolum: Non diuum par... vlli.

Penes nos est mãdandi potestas: reliquos man... ...

Vtique.

FIGVRA DECIMA OCTAVA.

Papa tegitur pileo papali, quem monoceros à capite ipsius reuellit: ad genua eius quidam confitetur peccata, & absoluitur.

SEd pœnarum nondum est finis, quia plures adhuc sequuntur: quandoquidem Papa tantoperè sperat, & tantum tribuit sibi, id est, suæ potestati. Scitote itaque, in hac figurâ auferri à Papa potestatem soluendi, & retinendi peccata in cœlo, & in terrâ: idque propter solam eius scortationem, & scortatoriam superbiam. Hoc verò perficit monoceros: est autem monoceros castissimum, atque purissimum animal: itaque castitatem præ reliquis amat tam accuratè, vt solo odoratu virgines ab vxoribus possit discernere: per hoc autem animal significatur Deus, qui omnia videt & scit. Magia itaque hîc expressit monocerotem, qui deturbat pileum Papæ à capite eius, ad ostendendam eius exauctorationem, ita vt non ampliùs habeat, nec habiturus sit potestatem, quâ antea fuit vsus, audiendi confessiones, & remittendi peccata, his omnibus est spoliatus, & deiectus de suo statu: id enim significat deiectus pileus. Atque hæc consequens ista, & ferè vltima pœna est, quâ Deus eum abdicat officio, ac adimit illi summam potestatem, omnē solatium, omnē spem, omnem libertatem, omnem potentiam: remouet eum, vt similis euadat magno cuidam belli Duci, qui propter res perfidiosè gestas exauctoratur, efficitur vel carnifex, vel simile quidpiam: ita & Papa remouetur, sic vt coronatus pileus, id est, potestas ad ordinem & nomen ipsius nunquam sit reuersura, id est, ad arborem, ex qua succreuit Papa. Atque hoc modo vniuersa spoliatur clericorum conditio, vt in sempiternum nunquam futurum sit, hanc arborem vicissim florere: nam exauctoratus manebit, atque exauctoratio dignitatis eius & gratiæ Dei ex misericordia Dei, omniumque Ecclesiasticorum, qui gestârunt, aut adhuc gestant eius characterem, iudicium est, vt damnentur. Nam ex prima radice, ex qua Papa fornicationis adoleuit, (omnes Papæ surgunt,) subsistunt, & expectant iudicium: subsistunt etiam omnes sacrificuli, qui sunt rami huius arboris, aut fuerunt, & expectant sententiam vltimi Papæ, cum quo etiam ibunt simul in æternam damnationem. Atque sic zizania in terrâ, & inferno accuratè eradicata

Obseruatu dignũ hoc.

Euge. Dole ergò, quæ inferius scripsisti.

in ignem conijcientur: hic enim est nouissimus illorum dies, sed non beatorum. Hic est interitus, hoc iudicium, hæc hora finis, sed non reliquorum: nam post hunc vltimum diem alius dies ingruet, in quo viuent, & gaudebunt omnes terram inhabitantes: neque ampliùs habebunt arborem Papæ, nam diabolus in serpente non in terrâ, sed in inferno erit, illigatus voragini flammæ infernalis: neque homines in terrâ habitantes vlla infestabit hæresis, nec vllus Pseudapostolus, Pseudopropheta, Pseudochristianus. Verùm hæc omnia priùs oportet fieri.

Iterũ beatus illorum Chiliastarum millenarius.

FIGVRA DECIMA NONA.

Conspiciuntur hîc tres columnæ, quarum primæ impositus est Rex, mediæ monachus, vltimæ manus tenens cornu.

HÆc figura deducitur ex magiâ Chaldæorum, & Ægyptiorum, & hanc habet interpretationem. Primùm autem notandum est, vbicunque in figuris occurrunt columnæ, per eas significari idololatrias, & articulos Fidei repugnantes, id est, contra fundamentũ Fidei, cum veneno & mendacijs commixtos. Habent verò (columnæ) ita: Vna ex illis sustentat manum tenentem cornu, & in aurem sonum quendam infert monacho: cuius hæc est interpretatio. Manus tenet cornu, hoc est, nouam doctrinam, quam suggerit, & quasi insusurrat monacho, vt nimirùm eam prædicet & propaget. Nihil autem hîc intelligitur, quàm idololatria ex columnis, ita quidem vt confringatur id, quod diu damnosum esse, est animaduersum, id est, Papatus: eò enim respicit, nimirùm hoc regnum esse disturbandum. Idololatria est, quæ occupauit regnum Papæ, sesquaciumque eius: quod si perire debet, priùs diuidi oportet, vbi consequens est, multas species idololatriæ, easque inter sese contrarias esse excitandas, quâ re futurum sit, vt inter sese diuisæ seipsas consumant, perdant atque aboleant. Itaque cùm hoc regnum destrui oporteat, prorius requiritur de sententiâ Euangelij, vt diuidatur, & seipsum destruat: talis autem doctrina si introducenda est, sique talis secta sit excitanda, coniuncta sit oportet cum idololatriâ, quæ tamen sit separata à reliquis, & alio prætextu vtatur, quò possit crescere aduersus aduersarios, eosque perdere, & postea ipsa quoque intereat. Atque hæc causa est, cur magia hoc loco quasdam columnas ponere voluerit. (Voluit enim significare,) doctrinas has pro idololatricis esse habendas, esseque tantùm suggestus in aurem, per quos regnum seipsum, id est, sua flagitia denudet, & inter se diuisum pereat. Scribuntur quidem aliqua de cornu Esaiæ 58, sed tale cornu non est (quale hoc,) non impositum est columnis, non dirigitur in aurem: sed vox est missa diuinitus, non suggestus in columnis, in quibus locum tantùm habent statuæ, idololatrici vituli, & bestiæ. At alteri columnarum impositus est Rex iuxta monachum: significat autem regnum nimis partibus fauens, nam sequitur hoc (regnum) perinde ac si esset verum, & peculiare quoddam regnum: quo fit, vt magnum regnum sit diuidendum in parua, hoc est, in multas idololatrias, quarum vna quæque æquabit regnum. Itaque magiæ operam dare omninò conuenit, singulare enim quid hîc innuitur, quod non corpus, sed animam attinet: atque probè est aduertendum, ne quis abducatur à verbo Dei, quod dicit, omne regnum in se diuisum desolatur: desolatio hæc significat fallaciam omnium illorum, qui & hanc desolationem efficiunt, & per quos ipsa in effectum deducitur: verbum autem Dei in æternum manebit.

Sanè: nam hæ figuræ ferè omnes exponi possunt ex hieroglyphicis literis.

Quid si secta sit Iesuitarum?

VIGESIMA FIGVRA.

Monachus, qui sinistrâ rosam, dextrâ falcem tenet: ad pedes eius pyrites, & ex aduerso femur nudum.

MOnachus hîc cum rosâ, &c. Rosam, quam manu tenet, aliquid significare, sciendum est: nam quemadmodum rosa veris tempore gratum spirat odorem, ita vt omnes accurrant, eamque captent: at cùm autumnus aduentat, id est, vbi senium attigit, exarescit, decidit, adeò, vt nihil remaneat præterquàm eius caulis: sic etiam ratio hîc habet, monachus enim adeò dulcis, & acceptus erit vulgo, ita vt sturnatim omnes sint accursuri: at progressu temporis fiet, vt exarescat atque euanescat, adeò vt nihil sit remansurum præterquàm caulis, id est, inanis oratio, & odor, qui iam euanuit. Etiam falx aliquid significat: nam quemadmodum falx demetit malum & bonum in prato, vrticam, triticum, & zizanium: ita quoque hic (monachus) resecabit bonum & malum, atque conijciet in ignem, qui per pyriten denotatur. Nam (pyrites) nullius rei alterius, quàm ignis significationem habet: itaque dicitur, multos hîc esse cremandos, & abscindendos per falcem. Etenim vbicunque in magiâ principium alicuius materiæ reperitur, tum per illud significatur materia integra: verbi causa, pyrites significat ignem, pluuia integrum mare, atque sic in similibus. Femur autem ingentem motum fornicationis adumbrare certum est,

Noua secta peribit.

[illegible]tandũ.

tam

tam magnum (inquam motum,) vt omnium sensa manifestam sint in lucem proditura, vt qui occultè fornicator, aut quæ meretrix fuit, hæc & ille se reuelabunt: item quæcunque nequiter sunt perpetrata, illa in lucem emergent, & quasi expergiscentur. Itaque sciendum est, per nuda femora fornicationem, & eam quidem ingentem in magiâ significari: namque per signa fornicationis ipsa fornicatio etiam occulta reuelatur, vt hoc nudum femur significet scortatores & scorta, qui passim sunt infames. Aliquis itaq; surget, is nempe, qui superiùs columnæ fuit impositus, & hic instar rosæ germinabit, & applausum populi accursumque merebitur: sed tamen suo autumno peribit, (postquàm) sua falce demessuit & bonum & malum: nam quemadmodum falx crudè secat, & quasi paulatim diuidit: ita & hic aget, id est, per summos cruciatus (quoslibet) consumet. At autumnus eius coniunctus erit cum igne, transibitque quemadmodum lignum in igne: adeoque se ipsum ipse consumet. Atque hoc significatur per instrumenta, in quorum medio consistit: & quæ non poterit effugere: nam quatuor locis ipsum cinxerunt: itaque si superiora signa expleuit, ad inferiora descendet, quæ adumbrant scortationem, cremationes, &c. quarum superiora quasi sunt causa.

FIGVRA VIGESIMA PRIMA.

Conspicitur velum, post quod est Imperator & Imperatrix: ante illud Pontifex, & ad eius pedes taurus.

HVius figuræ significatio est, Papam à tauro in omnibus expectare auxilium, quandoquidem eum sit asserturus, & defensurus: verùm id non nisi maximâ cum difficultate quadam fiet: nam taurus ita lassus erit, vt futurum sit, eum iacere ad eius pedes fessum atque omnibus viribus mulctatum: itaque cuperet quidem (iuuare Papam,) sed non potest, nam totus languet. Per hoc ex præscripto magiæ significantur Heluetij: qui ad latus Papæ adstantes, ipsum tutantur: patiuntur cum ipso impressiones, extremam necessitatem, prælia & necem: sed tam lassi euadunt, vt nihil ampliùs possint: itaque tristis, & cum magno tremore consistit coram ipsis, id est, coram tauro. Hac ratione significatur amissio potestatis, quam habet Papa, ingens malum, & metuenda tempestas. Sed adest & velum, post quod adstat Imperator cum vxore, quod significat instaurationem Papatus: nam innuitur, fore vt Imperator coronetur, qui ipsum sit erecturus: fauet enim (Papæ) pauo, & perpetuò fauebit. Itaque sciendum est: postquàm regni papalis diuisio per seipsum interuentu Idololatriæ præcessit, Imperator illud mordicùs tenebit, ac credet, Papam etiam posse imperare cœlo, atque propterea esse iustum: itaque etiam eum in libertatem vendicare conabitur (hoc fine,) vt cœlum reseret, eumque intromittat. Hæc res excæcabit Papam, & beneficio huius excæcationis Papa aliquantum iterum crescet, vt sit speraturus, se iam liberatum tenere antiquam potestatem. Quia etiam idololatræ, & aliæ oues, quæ recesserunt ab eo, alijque eius aduersarij castigabuntur, spem magnam concipiet: sed regnum in manum ipsi traditum, fides, honor, laus, opes, potentia, atque adeò omnia ab eo iterum auferentur. Significat ergò hæc figura duo, vnum, Papam cum tauro succubiturum, & amissurum suam potestatem, quâ alius ipsum sit spoliaturus. Alterum verò, Imperatorem exaltaturum Papam, eleuaturum, restituturum in regnum, atq; summis honoribus exornaturum. Quanquam autem etiam hæc euenient post varias inflictas plagas, & pœnas, tamen nihil stabile futurum est: nam Deus ipse ab eo pileum abstulit, angelus tenet ipsius claues, gladius est appositus iugulo, & similia. Itaque sciendum est, hæc prorsus nihil profutura, & potiùs diminutionem, quàm dilatationem Imperio Romano inde esse exspectandam: nam omnis idololatria Ecclesiasticorum diminutio, atque consumtio est imperatoriæ potestatis: & quò celsiùs, sublimiusque Papa huius arboris exaltabitur, eò minus & contemtius imperium Cæsaris euadet: itaque Papa resurget, taurus non item, taurus enim emanebit, quia ipsum vires destituent.

Hyluetij pseudocatholici Papæ maximoperè addicti.

Perpetuus Papæ fautor quis?

Verissima hæc. Nam si nullus fuisset Episcopus Oecumenicus, Imperator R. adhuc resideret Constantinopoli.

FIGVRA VIGESIMA SECVNDA.

Adstat Papa, in eum erigitur vrsa, à cuius vberibus multæ paruulæ vrsæ pendent.

HÆc figura vrsarum describit Papam: postquàm enim succumbet vnà cum tauro, hæc calamitas (Papam) occupabit, vt sit esuriturus instar paruularum vrsarum, nam quemadmodum vrsæ magnâ cum auiditate lac sugunt: ita fames, & rerum penuria (Papam) premet, atque hæc pœna vna ex postremis est, vt nimirum sit conflictaturus cum fame, & paupertate, contemtuque, &c. atque ita imperium eius ad finem contendet. Nam quemadmodum arbor incipit arida fieri, amittere folia, & abijcere formam, simul dum fructus abijcit: ita quoque postquàm fructus ab eo sunt ablati, auferentur ab eodem & folia, &c. Quòd si autem Deus Papam dereliquit, quis Imperatorum eum tuebitur, atque conseruabit? Prorsus nullus: excidit enim gratiâ Dei, itaq; in exilium, quemadmodum superiùs dicebatur, iam mittitur, eoq; descendit miseriarũ, vt instar vrsarum suos ipsius

vngues cogatur sugere, & captare nutrimenta bestiarum. Fames hæc vbi ipsum aggredietur, tum oculos suos aperiet: nam adsunt extremæ castigationes, extrema iudicia, atque extremæ horæ. Atq; hic in horrendam vertetur rabiem, atque ita furet vt vrsa, quæ lactare vult catulos, nec ipsa tamen cibum habet, cuius beneficio lactare fœtum possit. Hæc fames vrsæ furorem conciliat, vt obliuiscatur rationis, & diripiat, quicquid est obuium. Ad eundem modum etiam Papa & eius sequaces habebit: nam deplorabit famem suam, & ita esuriet, vt cum suis sit cogitaturus, quomodo finem huic furori imponere, atque vitam quouis omninò modo conseruare possit. Vbi notandum, ne sic quidem Papam facturum deditionem: nam etiamsi nihil ampliùs valet eius potentia, opesque: tamen abominatio è corde ipsius, excommunicatio, maledictio, & dira quæque evibrantur: sicque per furorem similis erit vrsæ, quæ crudelior est vrso: nam ad imitationem furiosæ huius bestiæ seditionem mouebit (quemadmodum vrsa, quæ) nunquam magis fremit, quàm cum lactat fœtum. Atque hac ratione franguntur regna, quæ Deus suâ gratiâ destituit, commeantque ab vno ad alterum: interim tamen nullus vir Dei (huic actioni interest,) sed ipsi semetipsos destruunt: perinde vt ciuitas quæpiam ratione consensus perturbatur, atque concordiæ, si sit qui ipsam prodat, qui vendat, qui hosti in manum tradat, qui incendat: quemadmodum ergò eiusmodi ciuitas interit per sedipsam id est, per suamet flagitia: ita quoque regna propter propria scelera intereunt: non propter vim Tyrannorum, qui ea occupant, atque deuastant, sed propter proprium furorem. Nam hic certè nemo erit, qui (Papam) franget: (franget) ipse seipsum: Vir bonus manus suas in hac domo (destruenda) non maculabit: sed perficient hoc Ecclesiastici, (iurati serui Papæ.)

Maxima verò omnium est pœna, si quis iubeatur seipsum occidere.

VIGESIMA TERTIA FIGVRA.

Vrbs, quæ duabus in turribus duo erigit vexilla: ad ad quam accedit magnus equitatus.

HIc vrbs quædam depicta est, in cuius quodam castello dependent duo vexilla clauibus Papæ insignita: quam circumdat magnus equitatus. Prædictio est de capiendâ Româ: quemadmodum etiam est capta sub Carolo quinto per milites: nam vexilla denotant Papæ imperium: hoc est, hanc vrbem esse ipsius: equitatus verò, & lanceæ significant, hanc vrbem ab equitibus, & peditibus esse capiendam. Sicque somnium tantùm aliquod hîc nobis est adumbratum. Vbi notandum est, amissionem Romæ è manibus Papæ hîc propriè significari: licet quidam absurdè traxerit ad vrbem VVormaciam: quâ in re etiam sibi admodum placuit, quia nasum cereum hic reperit, quem potuit inflectere, quò voluit. Verissimum est, idololatriam in se esse diuisam, & omne regnum (propterea captari) vt arrogantiam, iactantiam, odium &c. in eo quis possit exercere: id verò si fieri debet, mendacijs fiat necesse est. Vnde factum, vt suis mendacijs introduxerit hic VVormaciam rem interpretatus secundum (regulam) cerei nasi. Ex quo facilè intelligitur: nullum subesse fundamentum veræ interpretationis: sed meram inuidiam. At magia vult, vt hæc omnia de Papa, & non de alio, de vrbe Papæ, & non de alia quadam exponantur. Figura itaque hæc satis perfecta est, satis etiam significans, itaque prolixiori interpretatione non indiget: solùm (videndum est,) ne inuida interpretatio (superiùs notata) obtineat: quam autor ad placitum suum accommodauit: & exiguam sanè artem exhibuit ex Astronomiâ & magiâ: tantùm consultum voluit suis partibus. Credo verò, ipsum sphæram, quemadmodum habuit in mensâ, non diligenter aspexisse, hæc enim non docuit ipsum talia: itaque etiam ad figmenta se voluit diffundere. Si VVormacia ipsi non incidisset, VVitebergam forsitan hîc, aut Augustam nominâsset. Sed certum est, per hanc vrbem in summâ significari, Romam esse capiendam & (eripiendam) ex manibus Papæ: atq; hæc est ipsissima Roma, nidus Papæ. Quia verò vexilla in castello erecta manent, significatur ipsius reditus: quemadmodum verò mansurus sit, id indicant subsequentes figuræ: hæ enim Papam, & omnes Ecclesiasticos vsq; ad finem describunt.

Cur somnium?

Adstipulor.

FIGVRA VIGESIMA QVARTA.

Papa & vulpes, quæ suo ore gestat vexillum Papæ, & claues: item vexillum aliud Papæ tergo infigitur.

HÆc figura denotat interitum, qui appropinquat: nam vulpes est ex numero aulicorum Papalium, hoc est, de stirpe ipsius prodijt: etenim quæcunque facit Papa, ea vulpinis fraudibus fiunt. Sciendum verò, hanc vulpem, quæ Papæ & claues, & vexillum asportat, significare hæreticos Papæ: illi enim artibus vulpinis, dolis, ac fraudibus vexillum ab eo auferunt, & sic Papa interit, vt non ampliùs habeat vel claues, vel vexilla, vel vrbes, regiones, vel regna, vel ducatus. Nempe exul est: nam sui aduersus eum insurrexerunt: videlicet rufi illi C. AA: qui dolis, & machinationibus hoc obtinuerunt: perinde vt vulpecula tam diu fraudibus studet, donec vllos gallinaceos

Cardinales non ampliùs cardines Papæ.

rustico-

rusticorum intercipiat. Atque id hoc loco factum est, quia in schola ipsius sunt educatæ non solùm paruulæ vulpes, verùm etiam tam eximiè fallaces, vt parentes suos nido exturbârint, id est, Papam spoliârint suis clauibus & vexillis. Ita Papatus per hæreticos succiditur, con sumitur. Suntque hi vltimi in numero Paparum ex vitiosa illa arbore (ortorum:) nam quamuis & antehac plurimi extiterint hæretici, (tamen) nunquam id, quod iam, accidisse animaduersum est. Ratio est, iam constellatio talis emergit, qualis antea nunquam: iam multitudo vulgusque turbat: iam sese offerunt carnifices, quorum ingens est copia: iam multi sunt sanguinarii, horũ enim animus nihil nisi cædes, rapinas atq; furta spirat. Per hos homines istud regnũ ruet: neq; vir bonus isthoc in negotio manus suas cõmaculabit, nam qui cõmaculabunt (suas manus hoc in negotio,) illi cũ istis numerabuntur puniendi, atq; cruciatibus subiiciendi. Nam ex præscripto magiæ hic significatur, vis quædã, atque irruptio, inuasioque, & illos esse castigandos à piis, qui idola columnis imposuerint, id est, qui maioris æstimauerint (res Papæ) quàm decuit. Hoc significat columna, nam superbia quædam hìc innuitur, quia non animaduerterunt hæc esse idololatrica, sed pro (veris) altaribus, atque diis habuerunt, ad quod fuerunt adducti non sinceritate aut pœnitentiâ quadam cordis, sed mera inuidiâ, vt nimirum gloriam suam inde amplificarent, & propositum suum in effectum deducerent. Hi quasi tribulis quatientur, ita vt eos longum in tempus ad hos ictus tremere, futurum sit.

FIGVRA VIGESIMA QVINTA.

ITerum hic expressa est vrbs quædam: est autem pictura vrbis Noribergæ. Certum est verò, nullam figuram magicam, quæ rem futuram denotat, ita esse ponendam, vt rem ipsam clarè demonstret: sed occultandam esse, ita vt duplicis intellectus sit capax. Hæc autem vrbs ad viuum est expressa: quocirca existimo, interpretem istum, qui præfationem (his figuris) præfixit, ita hanc figuram accommodâsse, vt satisfaceret suæ inuidiæ & mendaciis, iis modis quibus potuit: verum autem exemplar adhuc latet. Appinxit etiam abscissas manus, quæ hìc nullum possunt habere locum: prædictio enim hæc non agit de Thomâ Habspurgensi, sed Papâ: neque agitur de comitiis imperii. Itaque interpretatio eius huc non quadrat eo sensu quo putat: hæc autem (est vera interpretatio.) Proximè antecedens vrbs est Roma, per quam significata est eius destructio, & captio: Præsens autem vrbs significat idololatriam, quæ in illâ (vrbe) se sustentat, nam auxilium ibi, & solatium quæret: itaque etiam circa finem ibi quæretur, & inuenietur, capietur, & captiua tenebitur: ciues autem eius, atque defensores manus suas per foramina murorum porrigent, eas complicabunt, & veniam deprecabuntur, peccata atque flagitia agnoscentes. Multis etiam, vt periuris, & dominorum proditoribus manus præcidentur, & propter superbiam seuerè castigabuntur. Idque propterea, quòd fuerint carnifices, iudices, & vindices idololatriæ in hoc solio (commissæ,) & tamen nouos idololatras, qui in hoc solium se collocârint, conseruauerint: atque ita idololatriam duplicauerint, aut triplicauerint. Itaq; certum est, quemadmodum hactenus intelleximus, regnum hoc ex se, & per se esse periturum, id est, suis bellis, suis hominibus, immò suis filiis: at hos non fore iustos, qui magnum istud idolum fugauerint: nam & hi, quia cupiebant crescere, ideo etiam sunt loco pulsi: qui etiam manus auxiliatrices ipsis porrexerunt, hi similiter punientur. Nam fiducia eorum nimis fuit vana, pleni fuerunt malo, arrogantiâ, inuidiâ, auaritiâ, omnibus flagitiis, imò plus quàm pleni. Nam rapuerunt ad se bona idololatrarum, his se exornârunt, etiam deuorârunt ea, & sic sunt obliti laboris manuum suarum: quocirca vt dignissimi sunt pœnâ, ita quoque acriter punientur, neque effugient.

Eidololatria nutritur sanguine.

Pennæ aquilarum.

FIGVRA VIGESIMA SEXTA.

Nudus sacerdos hìc sedet, prope eum consistit rusticus quidam, ad quorum pedes est arcula pecuniæ.

AN aliquis possit esse pauperior, quàm vbi sedet nudus, & nullis prorsus rebus instructus? (Dico) tam nudum fore Papatum, omnesque Ecclesiasticos, vt possessuri sint ne latum quidem pedem, id est, tam inops est euasurus Papa, vt pauperculus rusticus quispiam facultatibus sit eum superaturus. Hic interitus est interitus omnium Ecclesiasticorum. Initium sumiturà Papâ, quem consequentur Cardinales, Patriarchæ, Episcopi, ordines, omnes Clerici: ad extremum & hæretici interibunt, & consumentur, nam & his finis imminet. Hic finis est omnium Ecclesiasticorum, etenim qui vnquam sunt vncti, aut characteribus Papæ insigniti, illi peribunt omnes: vnicus restabit, vnicus manebit, reliqui omnes disparebunt liquandæ niuis instar. Ita pingit magia figuras, & ita significat, quem finem sit habiturus Papa. Vbi tamen hoc est notandum, non dimidiatâ ex parte esse completa, quæ hìc prædicuntur, quia adhuc magis miranda euenient, antequàm res eò deducatur, vt Papa in syluam abscedens duro lapidi insideat. Intra hoc tempus complures, eæque insignes constellationes nascentur, atque emergent.

Hoc Papatui etiam est minatus Ioannes de rupe scissa. Quis hic vnus?

Quanquam enim hæ magicæ figuræ temporibus Friderici Barbarossæ sunt factæ, atque tunc etiam compleri cœperunt, tamen nondum sunt ad finem perductæ: quia vna post alteram quasi pedetentim emersit. Ita vt quilibet certò statuere possit, mirandas res esse euenturas, vbi hæretici

Papam suis vexillis spoliabunt. Hæc singula si quis consignare cuperet, ille completurus esset ingentia volumina, superantia ipsa etiam opera Augustini. Adhuc mirabiliore ratione quàm vnquam factum est, omnes liquescent, atq; euanescent, ita vt in posterum nemo sit facturus mentionem hominum huius regni: quin vniuersus mundus plus quàm Vatiniano odio illos est prosecuturus. Quanquam verò & aliæ figuræ huc potuissent reponi, tamen magus hic proposito suo satisfecit: alibi aliæ, & plures sunt, vbi etiam plura intelligenda offeruntur, id est, res hoc loco non ponuntur. Sunt quidem hic omnia comprehensa, alii tamen alias præterea habent historias, quæ quadrant ad has figuras, & hæ vicissim ad illas. Istas velim, summa diligentia discatis intelligere: nam res magnæ de arcanis fraudulentorum hominum per illas patefiunt.

FIGVRA VIGESIMA SEPTIMA.

Stat Papa, & pileum capite suo detractum donat ouibus, quæ iacent ad ipsius pedes.

HOc loco significatio figurarum attendenda est. In antecedentibus quidem figuris persona Papæ, eiusq; vestimenta non sunt descripta (ita, vt aliquid significârint:) ratio, est enim hic vestitus Papæ proprius, itaq; nihil singulare per illum intelligitur. Hic tamen finis aurei seculi est adumbratus, idq; hoc modo: Papa redibit, sed purus, id est, ex linea Petri & Pauli: vacabit ergò omni arrogantiâ, omni auaritiâ, omni iactantiâ, omni superba potestate: regnabuntq; in eo humilitas, & ingenium apostolicum. Oues eius non erunt mercatores, non fœneratores, non adulteri, non fures, non blasphemi, non scortatores, non homicidæ, non hæretici: sed (futuri sunt homines) puri & casti, nam qua munditie ouicula gaudet, ea etiam gaudebunt Papæ subiecti: in Papa anima erit beata, in ouiculis eius anima beata similiter erit. Itaque in hac, & in sequentibus tribus figuris nil nisi puritas Papæ significatur, ouiumq; eius. Quia verò (res) huius temporis breuissimis comprehensæ sunt, ego magicum quid de beatâ hac vita, atque habitatione propediem absoluam, vt cognitum habeatis, quantum futurum sit gaudium illius beatæ vitæ.

Vtinam fieret.

FIGVRA VIGESIMA OCTAVA.

Conspicitur sacerdos cuius capiti angelus quidam diadema Papæ imponit.

SCiendum est, Papam non esse coronandum ab hominibus, sed ab angelis Dei: itaque illi Papæ, qui passi sunt ab hominib. se coronari, surculi sunt de illâ arbore, cui Deus maledixit. Habebunt itaque homines Papam, qui erit à Deo, non (eligetur) secundum statuta Papæ, neque ex arbitrio rusticorum, neq; ad nutus hæreticorum, verùm secundum voluntatem Dei, secundum quam etiam partes sui muneris obire poterit. Et sic Papæ restituetur sua potentia, iterum habebit gratiam diuinam, itaq; salutariter etiam regnabit. Nemo tum erit, qui dicet: Papam talem facito, Papæ hoc imponito, Papæ hanc tribue potestatem, hic Papa mihi placet, ille illi: nam sic (denuò) eligeretur suffragiis hominum, quæ omnia fallacissima sunt, & quicquid tentaretur huiusmodi electione, id foret idololatricum, & fraudulentum. Penes Deum sit electio, is primum (Papam) elegit, eliget, & in suum thronum collocabit postremum: Dei enim est hoc munus, Dei hæc est potestas, non hominum, itaque nec potestatem habent creandi Papam: (si hanc potestatem affectauerint) eandem fortunam subibunt quam antea, hoc est, si ipsi conabuntur Papas eligere, Satanam suffragatorem habebunt, nam ille assistit omnibus electionibus humanitus factis: (vera) autem electio Dei est.

Cardo reformationis veræ vtrique hic est.

Tertullianus. Nulla res Dei emitur precio.

FIGVRA VIGESIMA NONA.

Papa insidet throno, & angeli tenent aulæum.

SIc etiam redibunt missæ, quæ fuerant amissæ per papam istum nouaculâ instructum, perq; hæreticos, qui potentiam eius infregerunt. Hæc missa salutariter ordinabitur, & absoluetur, non (conficta) ab hominibus, sed (dictata) à Deo.

Tùm enim nullus hæreticorum eam allatrabit, quia mors eos iam consumsit, & Papæ potentia, ac thronus planè erit cælestis. (Quod tamen non ita intelligendum est) quasi angeli Papam externo modo in thronum sint collocaturi, & aulæo quodam obtecturi: sed hoc significatur, Papam esse collocandum in suum thronum, id est, ipsi restituendam suam potestatem non ab hominibus, sed à Deo per angelos: nihil hic fore humanum, sed omnia angelica. At si angeli ipsum vestiunt, eximiè vtiq; vestitus erit: si angeli in elegantem quendam thronum ipsum reponunt, & ipse eleganter sedebit: homines hic nihil (poterunt.) Vbi sciendum, Papæ eximium vestitum fore, si insistat vestigiis Christi, & Apostolorum, id est, si mortuos in vitam reuocet, si ægrotis sanitatem restituat, si cæcorum oculos illuminet, si leprosos mundet. Hic erit vestitus, quem ipsi conferent angeli: nam sic comparebit in suis virtutibus, & gloriâ patris cælestis, qui ipsi hanc gloriam contulit.

At non fit Missa vulgaris, sed Apostolica, qualis describitur à Iustino M. Apolog. II. & Tertulliano in Apologetico.

Das wirdt Papa n sti i temporis wol lassen.

FIGVRA TRIGESIMA.

Adstat Papa, qui pileum suum imponit agno septicorni.

HÆc figura finem imponit rei: habetq́ue ita. Agnus septicornis est Christus, cui Papa pileum suum imponit, atque fatetur hoc modo: Christum esse Papam, non hominem, illius esse hanc potestatem, non hominum: se verò in terris nihil aliud esse, quàm perfectum hominem, qui ouiculis viam ad Christum commonstret, atque ipse quoque ingrediatur. Sub hac potestate vnum erit ouile, omnes oues in vno futuræ sunt ouili, vnus etiam erit pastor, qui est Christus (qui pascet) septem genera hominum. Huic potestati & nos subiecti manebimus. Satanas & Leuiathan nos non tangent, nec lædent, sed in sempiternum cum gaudio viuemus: nam omnes Pseudochristi, Pseudoapostoli, Pseudoprophetæ iam perierunt. Peribunt etiam inter hos increduli, nam cadentibus ipsorum Diis, cadent & ipsi. Quàm difficulter hunc finem attingemus? Quàm multæ aquæ interea inundabunt? Quàm multæ spinæ hamatæ in medium intra hoc tempus venient? donec eò pertingamus, vt legitimum tempus habeamus. Si Deus potentiam Basilisci, & scorti Babylonici non frangeret, si non demeret de numero dierum, fraus sacerdotum cùm Papisticorum tum hæreticorum duratura esset ad finem vsque mundi. At Deus vtrosque discerpet, & decurtabit numerum dierum.

Fac hoc (Papa) & viues.

Sed illa quæ sunt?

Credo.

EPILOGVS.

SI tibi, optime Lector, expromsero librum de virtutibus cœli, de magiâ, aliisq; prædictionibus, ibi simul proponam tibi horum vaticiniorum originem, naturam, expositionemq́ue. Sed velim te notare, hæc vaticinia incipere cum Papâ, postquàm externis facultatibus fuit auctus, & durare vsque ad finem depositionis eius. Nam interibunt tum omnes sectæ, omnes fraudes, ac doli non tantùm Ecclesiasticorum, verùm etiam ouium impiarum, & scabiosarum, hæ omnes cum Papâ concident. Sunt quidem hæc omnia non comprehensa in his prædictionibus, at in aliis. Hic tamen in genere significatur, tandem ouiculas Christi puras fore, sanasq́ue, non scabiosas. Vbi etiam magus hic simul ostendere voluit, abolendos esse fœneratores, auaros, filios & Principes huius mundi: nam hi omnes cum vulgo interibunt, atque consumentur: quâ ratione boni procul constituentur ab omnibus vitiis. Monitum etiam te velim, vt legas hanc abolitionem diuitum, & filiorum huius seculi: reperies enim vaticinia de euersionibus vrbium, destructionibus arcium, ruptionibus fœderum, abolitione vitii, amolitione fœnoris, vt illumineris, (& perspicias) quantus sit fastus hominum, & diuitiarum eorum.

At Papa tum præcipuè facultatibus augeri cœpit, vbi à Phocâ ipsi datum & nomen & ius Episcopi œcumenici.

In Imagines Ioachimi Abbatis Calabri, præfatio & annotationes aliæ,

Autore Ioanne Adrasder.

GRatiam & pacem diuinam vobis, dilecti domini & fratres, opto. Quanquam nos Christi castra sectantes sat perfectam, & absolutam notitiam consequimur in sacris literis eorum, quæ cognoscià nobis, tanquam futura, par est, maximus tamen inter homines, tam infimæ & abiectæ, quàm claræ, & supremæ conditionis reperitur prouentus, qui sibi permultùm sapere videntur, ac humanis vaticiniis siue commentis longè plus, quàm diuinis oraculis, & veris prophetiis tribuunt: id quod potissimùm hoc seculum, mirabilibus certè casibus, & detestandâ verbi diuini persecutione insigne demonstrat. Sunt enim qui plurima hinc inde conquirunt, quibus sibi solatio esse queant: vt quotidie audimus, Liechtenbergeri practicam summè probari ab illis, & magno in precio haberi: cùm tamen veram illius cognitionem minimè assequantur. Quia verò ex oraculis diuinis certò scio, impios eorum conatus restinctum, adeoque in nihilum redactum iri, quamuis huic rei neque fidem dare, nec aures adhibere dignentur: ideò hanc ipsis prophetiam communicare volui, vtrùm fortassis suæ farinæ vatibus auscultantes ab instituto desisterent. Nihil enim prorsus intentatum est relinquendum, quod sanandis iis, & in viam reuocandis idoneum videtur: vt si nihil proficimus, saluâ tamen conscientiâ, lætoque pectore calamitates illorum, & interitum, qui iam pridem aduentare cœpit, vt Petrus ait, aspicere possimus. Est autem præsens hæc prophetia meris typis absque omni verborum adiectione proposita: & apertissimè demonstrat, quæ Papistici regni ad extremum vsque mundi diem conditio sit futura, ex eo tempore, quo in Tyrannidis formam redigi cœpit. At ne quis hoc recens figmentum esse putet, duo mihi exemplaria fuisse omnes sciant: alterum ex Carthusianorum monasterio, alterum ex illustri senatus Norimbergici bibliothecâ, quorum neutrum tam nouum apparet, quin omnes, qui hæc oculis cernunt, picturam centum ad minimum annorum esse, libenter fateantur. Id quod omnes mihi fidem derogare volentes etiamnúm hodie cognoscere queunt. Quin etiam in altero codicum indicatur, Archetypum, vnde duo isti translati sunt, ante ducentos quinquaginta annos, anno nimirùm millesimo ducentesimo

septuagesimo octauo, pictum esse. Sed hactenus pauci vaticinium hoc intellexêre: sicut plerunque fieri solet, vt eò vsq; prophetiæ tectæ, ac obscuræ delitescant, donec earum veritatem res ipsa patefaciat. Quare cùm alius aliam coniecturam afferret, nonnulli suam picturis opinionem adscribere non dubitârunt. Verùm quia scripturam illam typis recentiorem esse patebat, & vetustius exemplar nihil omninò adscriptum habebat, eam velutâ re planè alienam omisi: in rudium tamen, ac simplicium hominum gratiam expositionem addere libuit: cæteri verò, qui rationis mediocri vsu fruuntur, citra omnem explicationem, quid velit hoc vaticinium, animaduertunt. Atque hic penes quemlibet esto, quam adiecimus, declarationem vel amplecti, vel eâdem, si queat, meliorem afferre. Quinetiam Pontificiæ religionis cultores hîc admonitos velim, vt quàm miserabilis rerum suarum sit status, considerent, atq; eidem commodè inseruire discant. Hæc enim sustinenda est illis ruina, nec quicquam est, quod eam auertere posit: cùm huius tantùm adhuc optionis beneficio fruantur: vtrùm tranquillè, & absq; graui iacturâ se loco moueri sint passuri: an verò hostilem deturbationem, cum summo fortunarum naufragio prælaturi. Christiani vtiq; non erunt, qui facinus hoc commiserint: at nihilominùs flagellum Deus facilè reperiet. Cuius nos rei multò certiori vaticinio nitimur, quàm isto, quod me herculè ab omni mendacio remotissimum est. Gratia Dei nos omnes semper custodiat.

De imagine primâ.

QVia de Apostolatu valdè gloriatur Papa, suamq; sedem Apostolicam sedem nominat, ideo functionis Apostolicæ partes ritè tueri, ac omnes eius numeros complere deberet, tam concionando, & docendo, quàm consolando, & pascendo. Interim verò omnem spem, & fiduciam in Spiritum sanctum collocare, vt suo verbo, & doctrinæ efficaciam addere, sibi verò patiendi virtutem, adeoq; vitam ipsam, & spiritum profundendi pro eâ, sicut Apostoli fecerunt, largiri vellet. Sed auertit suas à Spiritu sancto aures, & omnem fiduciam in vrsorum robore, hoc est, firmo militum præsidio positam habet, vt & præstantissimus virtute bellicâ Dauid vrso comparatur, 2. Reg. 17. His eam ob causam nummos largitur, vt se strenuè defendant, vtq; sic ex Ministro verbi diuini politicus sit gubernator: id quod principium ruinæ Pontificiæ denotat.

De imagine secundâ.

POstquàm itaq; Papa ciuilis, seu mundani Imperii habenas tractare cœpit, ac mutuis fœderibus se cum cæteris terræ Principibus deuinxit, suâ cruce, hoc est, potentiâ suâ, & Lilio, quod Galliæ Regis auxilium inprimis refert, Aquilam, siue Cæsaream Maiestatem vicit, atque sub iugum misit.

De imagine tertiâ.

CArnifex politicum gladium, seu magistratum designat, qui prauos, & malignos coërcendi, bonos verò tuendi gratiâ diuinitus est creatus. Horum imperio, & maiestati manus suas æquo propiùs admouet Papa, ita vt ferre hoc diutius non possint. Veruntamen illi parcunt, nec gladium sed fustes tantùm aduersus eum vsurpant, hoc est, solâ sui defensione acquiescunt: à pœnâ verò iustâ, & debitâ infligenda sibi temperant.

De imagine quartâ.

MAnus è dumeto prominens legem Dei significat (Deus enim legem suam per Moysen promulgaturus, cum eo loquitur ex dumeto) quæ Papam arguit, & grauiter ei minatur, quòd tantam tyrannidem contra officij sui rationem, & religionem inceptat. Et hoc me herculè à plurimis religiosis iuxtà ac doctis, sanctisq; viris est factum: imò fatetur ipse Papa, verum hoc esse, & obsequium simulans ad genua se prosternit. At verò vulpecula (quâ illius aulici, & officiales repræsentantur) ferre humilitatem istam nequit, eumque retrahere conatur. Siquidem parcè, & tenuiter scelerato illi hominum generi viuendum esset, si dominium suum æquitatis & iustitiæ normâ Papa metiretur. Cæterùm supremos in terrâ Magistratus sacra scriptura Leonum: inferiores verò, qui & ipsi Magistratui præsunt, vulpium nomine denotat. Sicut & Christus Herodem vulpem appellat, Matth. 13. cap.

De imagine quintâ.

HIc iudicio Papa præsidet, ac læuâ manu iustitiam à se retrudens secundum opulentorum iniustitiam pronunciat: idque lucri ac quæstus causâ, diaboli impulsu facit, qui serpentinâ specie de illius dextrâ dependet.

De imagine sextâ.

DEuictâ iam Aquilâ & collo prehensa, cæteris etiam auibus, videlicet regibus, & variarum opum abundantiâ affluentibus viris Papa minatur. Id quod sceptro suo tricuspide perficit,

hoc est

hoc est, potentiâ suâ, quam se cùm in cœlo & terrâ, tum inferno ac purgatorio habere iactat, cui omnes subditi esse teneantur: atque sic vniuersa orbis terrarum regna, velut Monarcha, solus administrare nititur. Hoc ipsum monachus etiam post illum è codice commemorat, & nugatur, in diuinis literis scriptum extare, vt Papa solus totius Christiani nominis fines gubernet: quod cùm verum esse à vulgo credatur, Canonico Iuri nequitiosè inseritur.

De imagine septimâ.

PApa iam olim præcepta, & mandata diuina contemsit. Sed quia sine legibus Imperium esse nequit, nouas instinctu Satanæ leges comminiscitur. Ideò colloquitur ei diabolus è dumeto, quopiam & cum Moyse Deus sic locutus esse scribitur: cui Papa morem gerit, & leges eiusmodi sancit, quibus & ciborum & matrimonii vsum, vnà cum aliis interdicit: quamuis D. Paulus apertè Satanæ hoc dogma esse, asseueret 1. Tim. 4. cap.

De imagine octauâ.

NIhil adeò absurdum suscepit vnquam Papa, quin felici successu vteretur: quo factum est, vt scripturæ autoritate neglectâ, & Imperii curâ, solicitudineque posthabitâ, quotidianis voluptatum deliciis indulgeret, nec non stupris, comessationibus, crapulæ, vocum & fidium concentibus, venationi denique, toto studio vacaret. Etsi autem ab his vitiis, & peccatis eum dehortatur sedulò iusticia, seu pietas muliebri specie expressa, tamen ei non locum dat, sed potiùs toruis eam oculis, & minaci vultu intuetur.

De imagine nonâ.

QVia diabolicas Papa leges instituit, necessariò etiam clauem suam ex præscripto illarum moderatur, hoc est, diaboli arbitrio, & ductu suam potestatem exercet. Spiritus igitur sanctus inde se amoliri cogitur: & quia suarum legum obseruationem tam seriò præcipit, ac mandat Papa, vt si qui mortalium liberi velint esse peccatis, suam conscientiam iisdem perturbare opus habeant: fidei simul & Euangelii interitus hinc oritur. Idcircò falsæ doctrinæ gladius ex eius ore prodit, quo veritatem miserè vulnerauit æternam, hoc est, immaculatum agnum Christum. Illius enim dogmata, & superstitiones iuxta se verbum Dei ferre nequeunt: sed & maledictis, & vulneribus grauissimè afficiunt. Ferula ista conscientias hominum contundit, & exagitat, cùm potiùs solatiis, & remediis subuenire iisdem deberet.

De imagine decimâ.

SVpra Imperatoris Romani coronam suam Pontificiam infulam Papa collocauit, & pedibus insuper eam proterendam subiecit: quinimò ne tantâ quidem malitiâ contentus, è suo Canonico iure cœlorum quoque regimen sibi cedere probat. Quibus fucis, & fraudibus tantum fidei habetur, vt & Aquila, seu Romanum imperium adoratione hunc veneretur, & verbis, factisque illius diuinam planè vim inesse putet.

De imagine vndecimâ.

PApa, omnibus suæ potentiæ subiectis, & ex animi sententiâ constitutis rebus, velut summus Monarcha, absque curis, & doloribus, seu metu viuit. Ideo quam priùs gestauit, crucem abiicit, & totius mundi opes, ac bona in suum vsum transfert. Hinc zonam gestat ducatis plenissimam: nec secundum verbi diuini regulam, clauibus vtitur, sed gubernationis, vices anguis, id est, diabolus sustinet, qui preciosissimum Euangelium iniquissimæ damnationis, & persecutionis ruinâ prosternere, atque adeò prorsus extinguere conatur. Ideoque caput agno præcisum est: & strenuam in his omnibus operam Papæ regnum Gallicum (quod gallinaceus hîc innuit) nauat.

De imagine duodecimâ.

HIc igitur Cæsareæ coronæ Papa insistit, eamque pro libitu suo tractat, & politicum gladium, quem Romanus Imperator ad bonorum tutelam & custodiam, improborum verò supplicium vsurpare debebat, eodem modo sibi vendicat, & rapacibus cum lupis tractandum commendat. Quo factum est, vt totius ferè terrarum orbis diuitias Ius ciuile consumserit, & tamen suæ causæ exitum consequi nemo potuerit. Cuius sola hæc causa est, quòd nouaculam omnis maliciæ Papa dextrâ suâ tenet, qua de re Psalmus 15. legatur, vbi, quid sit nouacula isthæc, luculenter docetur.

De imagine decimâ tertiâ.

DVm in hoc mundo tranquillissimâ pace fruitur Papa, & sibi pauonis instar caudam intuentis, nemine prosequente, mirificè placet, vindicis Dei æquissimo & occultissimo iudicio damnatus,

loco pellitur. Hac de causâ claues ei angelus eripit, ne quod posthac ligârit, coram Deo ligatum, quodque soluerit, solutum esse queat: quantumuis diu adhuc suam potestatem in hac vitâ retineat. Sic enim multò priùs à Deo Saul quoque damnatus, & reiectus fuerat, quàm regiæ in hoc mundo sedis maiestate excidisset.

De imagine decimâ quartâ.

Agè igitur mi Domine Papa, quia diuino iudicio iam pridem condemnatus es, humanâ vtique te maiestate, & autoritate priuatum iri scito. Et hoc quidem facinus cataphractus miles perpetrabit, qui non tam ferreis, & humanâ solertiâ fabricatis armis, quàm cœlesti armaturâ, veritatis cingulo, iusticiæ thorace, calceis ad Euangelium pacis adornatis, fidei clypeo, salutis galeâ, Spiritus denique gladio, oraculis diuinis instructus erit, Ephes. 6. Nostræ enim militiæ arma non sunt carnalia, sed insigne robur diuinitus habent contra omnes conatus, & machinationes, quas ad extinguendam Dei cognitionem mali suscipiunt, 2. Cor. 10. Ideoque arma omnia sunt ignita, & septena, quæ ipsa Dei manus in cœlo moderatur, vt spiritualia eadem esse, & Spiritus sancti vim, ac potentiam in verbo diuino contineri, sciamus.

De imagine decimâ quintâ.

QVòd si tantus in Papam impetus fiat ignito Spiritus sancti gladio, id est, verbo Dei, quod cœlestis Spiritus candentibus linguis immissum prædicari iussit, manifestum euadit, Papæ imperium bestiam illam esse, quæ caudâ suâ tertiam siderum partem trahens, æternam damnationem ingreditur, Apoc. 12 & 17. & vultum quidem haud illiberalem præ se fert: verùm à tergo fraudulenter, astutè, & occultè gladium ita morsibus arripit, vt ne ad sanguinis quidem ex ore profusionem abstinere velit.

De imagine decimâ sextâ.

ANimaduertit Papa, sacræ scripturæ præsidio se non tutum esse, cùm eidem omninò aduersetur, ideo volumine clauso, vndique se vrsorum munimine cingit, & tam è superiori, quàm inferiori parte, tam à fronte, quàm humeris se iisdem custodiendum tradit, hoc est, militum se tutelæ committit, & causam suam hostili violentiâ defendere nititur.

De imagine decimâ septimâ.

HIc cum dæmone Spiritus sanctus certamen instituit, & contra virulentam astutiam diabolicorum mendaciorum, ac omnis falsæ doctrinæ, potentia simplicitasque verbi diuini pugnat. Huius accuratum spectatorem agit concertationis Papa, quippe cuius permultum interest, vter eorum superior discedat.

De imagine decimâ octauâ.

AGè igitur quomodo interibit Papa? & quis occidendi eius modus erit? Ecce tibi, dum aliis delicta sua confitentibus aures adhibet, eosque à peccatorum sordibus absolutione mundat, hoc est, dum indulgentias, & peccatorum remissionem pro more solito, precio vendit, & quæ loca ipsemet adire nequit, alios illuc nundinatores ablegat: dum inquam, in hoc negotio intentus hæret, admirabili eam studio & seueritate animalium longè alacerrimum, quod vnicornem vocant, adoritur. Quæ quid significet bestia, 92. Psalmus exponit: illum si diligenter legeris, commodiùs etiam, quæ sequuntur intelliges.

De imagine decimânonâ.

NEgotium illud contra Papam tribus firmisimis columnis insistit, quibus illud fulcitur, & sustentatur. Prima est verbum Dei, quod in eiusdem manu per cornu innuitur: altera monachum refert, qui præsenti animo illud prædicat & concionatur. Sic etiam Isaias cap. 58. præcipit: Clama indesinenter, tolle vocem tuam sicut cornu, &c. Tertia columna ciuilem magistratum repræsentat, qui conciones auditas mente secum accuratè perpendit, ac Monachum protegit, vel certè παῤῥησίαν concedit, liberamque loquendi copiam facit.

De imagine vigesimâ.

VT autem, quis Monachus ille sit, intelligatur, ideo hic suis stat vestimentis deplutus, & signum suum, rosam videlicet manu continet: quem vtique censeo Martinum esse Lutherum. Quia 40. cap. Esaias inquit: omnem carnem graminis instar esse, idcirco falcem habet, quâ non quidem gramen & herbas, sed & carnem, & quicquid carnale est, demetit. Huic enim publicis concionibus contradicit, & extirpato eo, Christianæ charitatis ignem iam olim extinctum igniario resuscitabit, ac denuò accendet.

De imagine vigesimâ primâ.

TAurus hic ærumnosum, & miserabile vulgus designat, quod ex verbi diuini lectione cognouit, se intolerabilibus à Papâ conscientiæ legibus grauari, & bonorum haudquaquam ferendis exactionibus, puta continenti nummorum extorsione pro sacrificiis, confessionibus, lacte, animabus redimendis, & id genus aliis grauaminibus iniquissimè exhauriri. His de causis humi procumbit innuens, huic se oneri diutius non esse ferendo: ac proinde leuari subiectissimè rogat. Sed non exauditur à Papâ, nec quicquam suis precibus efficit. Ad hæc ciuilis magistratus conniuet, nec vel oppressam plebeculam auxilio dignatur, vel Papæ iniustissimos census prohibere cogitat.

De imagine vigesimâ secundâ.

POstquàm supplices miseri vulgi preces Papa repudiauit, ex humilimo boue truculentissima facta est vrsa, quæ numerosam secum sobolem ducit. Notum enim vniuerso terrarū orbi, quanta sit rapidi vulgi demum consecuta impatientia, siquidem videbat, &c. Faxit Deus vt feliciter omnia cedant.

De imagine vigesimâ tertiâ.

CVm funestus populi furor quotidie acueretur, & subinde maior intolerantia fieret, remedium tandem quæri cæptum est, & conuentus omnium ordinum VVormatiæ indicebatur. Verùm quia humano arbitrio verbum diuinum illic cedere cogebatur, & sententia non contra, sed secundum Papam ferebatur, ideò equestribus copiis, quæ supremam ibi potestatem exercebant, vrbs est referta: & quia Papæ causa iusta illic, rataque pronunciabatur, ideò vexilla eius passim erecta volitant.

De imagine vigesimâ quartâ.

DVm hæc aguntur, Papæ claues & vexilla vulpecula (id est, aulici eius) aufert: id quod duplici fit modo. Quidam enim tam insulsè ac stolidè Papam defendunt, vt per illos longè imbecillius eius Imperium conspiciatur quàm per aduersarios, cuiusmodi sunt Syluester, Radinus, Catharinus, Eccius, Emserus, Alueldinus, Faber, Cochlæus, &c. Nonnulli verò datâ operâ hæc faciunt, siquidem diutiùs eum consistere non posse, vident: quos hic silentio supprimere libet.

De imagine vigesimâ quintâ.

DEcretum in VVormaciensibus comitiis factum infirmius erat, quàm vt cœlestibus dogmatis resisteret: idcirco alius atque item tertius conuentus Norinbergæ est habitus, vbi non humana somnia, sed æternum Dei verbum, vt quidem ex actis apparet, dominabatur. Quare nec equestres turmæ, nec vexilla papistica hic conspiciuntur, sed manus aliquot præcisæ, quas circa istorum conuentuum tempora Ioannes Thomas Habspergensis nonnullis rescindi iussit: atque in Cæsarei Imperii contemtum Norinbergam ad nefandum illud facinus demonstrandum, misit.

De imagine vigesimâ sextâ.

HActenus vaticinari citra difficultatem potuimus, cùm oculis omnia nostris aspexerimus. Iam verò ne aberremus, gratia nobis diuina adsit, quia seria nunc res agi cœpit. Etenim priuabitur Papa suâ olim maiestate, dignitate atque opibus: spoliabitur voluptate, ac lætitiâ: relinquetur nudus ab omni præsidio amicorū: deturbabitur de suâ arcâ nummaria: crumenam amittet: omni denique humanâ sic carebit ope, & consolatione, vt & solus, & nudus in grauissimâ solicitudine versetur, nec non in squalore, ac luctu miserandum in modum iaceat. (Fortassis eius membra, & cuticula molliùs, lautiusque curabuntur: ego verò difficulter illud crediderim.) Quinetiam pauperculus hic rusticus eum derisui habebit, ac sannis excipiet. Siquidem in eo complementum suum habebit, quod 18. Apocal. scriptum, legere potes.

De imagine vigesimâ septimâ.

NEc prætereuntis subitò tempestatis instar calamitas hæc finietur, sed durabilis erit, & constans, donec aliquando fateatur Papa, se non ouicularum dominum, sed indignum fuisse ministrū, (vt pristinus eius titulus sonat: seruus seruorum Dei:) Deum verò vnum sacro suo verbo Reipublicæ Christianæ præsidere, eamque gubernare: quæ tamen, ipso Papâ multò sit potior ac præstantior. Quare suam hic ipse detrahit coronam, & ouiculis restituit. Nec est, vt quisquam se terreri patiatur, quamuis alius rei exitus videatur. Hàc enim vel vniuerso mundo, adeoque dæmone ipso inuito, transeundum erit, licet hæc præsens prophetia non extaret.

De imagine vigesimâ octauâ.

ABsolutis illis, Deus ipse cælitus quosdam Apostolico muneri præficiet; nec tamen est, vt in cœlo argentum, aurum, vel gemmas elaborari cogites, sed omnem virtutem & dona Spiritus sancti corona significat, quæ velut necessaria ad Apostolicum officium sustinendum, D. Petrus ac Paulus quoque habuerunt.

De imagine vigesimâ nonâ.

QVòd si tales verbi diuini ministri extiterint, suus etiam rursum honor, & obseruantia illis tribuetur. Nam eiusmodi homines erunt, de quibus Christus dixit: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos contemnit, me contemnit.

De imagine trigesimâ.

HIc pius Ecclesiæ status vsque ad Christi aduentum durabit, qui Apoc. 5. septem cornua gerens Agnus appellatur. Huic isti verbi diuini Ministri suam coronam, id est, officium committent, & potestatem traditam restituent, editâ ratione lucri, quod pecuniâ sibi à discedente Christo relictâ, comparârunt. Atque sic omnem potestatem terrenam Christus accipiet, suoque Patri commendabit: quo cum & ipse, & nos in æternum regnabimus: id quod nobis quamprimùm Deus concedere clementer velit. Amen.

Abbas Ioachimus super Esaiam.

SEcundùm hoc primum fuit regnum Asyriorum: 2. Chaldæorum: 3. Persarum: 4. Macedonum: ac qualitercunque se habeat ista varietas, non videtur ampliùs transferendum potens Imperium, sed potiùs internis furorib. tabescendũ. Nam ut in veteri Testamẽto peccati radix Antiochus, 1. Macha. 1. finem Iudaicis dedit historiis: sic & in nouo perditionis filius præliis Germanorum. Vnde & legitur Esa. 18. Deferetur munus Domino à populo dilacerato & terribili: post quem non est alius cuius diripuerũt flumina terrá Iuda. Nullus enim populorũ legitur ad tantá amaritudinem perduxisse Romanam Ecclesiam sicut domesticus Alemannus: & idcircò inter dissensionum turbines irruentes, durum quisque præuideat, ne post occubitum aquilæ siue casum, Theotonicum solium ad vota diuertens varia conquassetur. Vnde Esaias 47. Descende ab elato fastigio, sede in terrâ diuino prostranda iudicio: quia non vocaberis vltrà domina regnorum: vt non minùs sit imperii lubricum, quàm fuerit altitudo. Quantum inquit Apoc. glorificauit se, tantum datum sibi tormentum & luctum. Apoc. 18.

Idem. Moguntina regio quid in diebus Caroli passa fuerit, nequaquam Spiritus indicat, qui pontem eius vastissimum sub hora permodica, ignea facie consumsit: illud futurum, prodigium indicans, quòd fremitus Theotonicus frangi vel reprimi debeat sub aquilæ temporibus posterorum. In partibus istis non leuis tribulatio renascenda præscribitur inter Saxones & Sueuos: sed & Romana Ecclesia casura in petram scandali, Esa. 8. videat, si de acceptandis & improbandis electionibus principum confusionis maculam non incurrit: qui tangit picem, inquinatur ab ea, inquit Eccle. 22. Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testas: qui communicat superbo, induet superbiam, Eccle. 13.

Iuxta Merlinum. Quanta bella per aquilam Ezech. 13. plumescentem & Leonem Saxonium inter Colonienses & Guormatienses diuisa materia, & inter Duces surgere habeant, finalis euentus posteris indicabit: quia necesse est, vt Leonis absorpta fiducia lentus volatus aquilæ recalescat.

Idem. Etsi à Petri nauicula toleratur pro tempore Spiritus tempestatis: illud magis torquet Ecclesiam, quòd inter viros prælaticos & potentes Liuonica puritas hæretica fœditate sordescet.

Idem. Totum tempus posteritatis aquilæ decedentis vsque ad filii perditionis originem, qui erit vniuersalis iniquitas, nomen præfinitionis includit.

Omnis hæc Regum collectio etsi adornat Ecclesiam, fidem roborat, perfidiamque persequitur & infirmat: tamen cùm vertetur & miscebitur Spiritus vertiginis inter eos, nudam eam facient, & quasi Petri nauiculam in stagno Genesarico (Marci 6. fluctibus & flatibus variæ periclitationis exponent.

Idem. Non ambigimus, omnes seculi per circuitum regiones propter malitiam sexti temporis & ætatis à gentibus infidelibus feriendas: & idcircò quia communis excessus est omnium, vniuersalis erit & transitus flagellorum. Vidi, Apoc. 19. inquit, bestiam, & reges terræ congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo. Intra Ecclesiam Romanam sunt mercenarii plurimi, non pastores: qui etiam bestiæ dicuntur à vastando: dracones à sæuiendo: struthiones à simulando; sirenæ à luxuriando: pilosi, & appropinquis amando.

Sunt hæc nominum quorundá inferiùs positorum explicatio, quæ margini fuit appensa super Esa.

Idem

Idem. Exterminabunt seculum, vt non ipsum vltrà incolat filius hominis. (Non, inquit, ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi: sed bestiæ, dracones, & struthiones, Sirenæ, vlulæ, & pilosi) dæmones vtique infernales: sed videant summi Pontifices, ne sermo propheticus tangat eos: quia in Christiano populo plures sunt, qui huiusmodi reptilia repræsentant, & quia talibus hodie repletur Ecclesia, timendum est, ne sub confusione maris imperii & fluctuum infidelium iactum irreparabilem faciat nauis Petri, vnde & sequitur: (obtenebratus est sol in ortu suo, & Luna non splenduit in lumine suo: & stellæ retraxerunt splendorem suum) in exterminio mysticæ Babylonis mundanæ, videlicet multitudinis carnaliter ambulantis necesse est, vt non solùm Pontifices, sed & tabernaculum, & Leuitæ, laicus & religiosus quilibet tenebras tribulationis incurrant.

Idem. Transcendit enim Papale prætorium cunctas curias in calumniosis litibus & quæstibus extorquendis: & idcircò diripiendum prædicitur à fluminibus pressurarum superuenientium toti orbi. Vnde legitur: intrauit Iesus templum, & flagellum faciens de resticulis, eiecit ementes & vendentes.

Idem. Apoc. 17 Mulier auro inaurata indifferenter cum terræ Principibus fornicatur. Romana Ecclesia ista est, quæ in Babylonem vitæ confusione transfusa mœchatur.

Nota de occidentali Ecclesia, quam & spiritualiter & temporaliter, vt malitiosam abolendam refert.

Antiquus inquit, Clerus erat largus pauperibus, sobrius, iustus oppressis, perfectus Deo, sed quàm sit modernus auersus, ipsa eorum irregularitas ostendit. Iob 26. Væ mihi qui tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.) Vates iste typum gerit præsentium clericorum, qui licet intelligant fide Dominum, tamen se fœdis actibus inuoluunt.

Sibilabit dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti & apis, quæ est in terra Assur Ægyptii enim colebant Bel Deum muscarum: Assyrii Apem, quæ nascitur ex tauro. Sibilus hic est Spiritus vocationis Domini ad muscam & apem, Francos & Theutonicos figurantes, ac si Assyrios & Ægyptios alterutrum inuidentes: sed conspirantes contra Ecclesiam Apostatricem in Pontificibus bellicosis.

Dominus ergò istos duos populos, Francos & Germanos non solùm in Idolatras & hæreticos concitat, sed etiam Italicos fidem operibus corrumpentes in furoris virga castigat.

Proiecit de cœlo in terram inclytam Israël, nec est recordatus scabelli pedum eius: Simili modo Græcorum Ecclesiæ datæ sunt in manus Persarum propter hæresium Anconam.

Secta Patarenica non sic de facili poterit extirpari, quin suas propagationes vsque ad filium perditionis extendat. Videat Petri sedes, ne sub Italico præside post aquilam surrecturo, adeò regnum Siculum de Liguribus & finitimis impleatur, vt vitibus suffocatis à vepribus, ipsa minùs habeat per quoscunque conatus fidelium erui, quàm inuolui.

Dauid Rex operto capite & nudis pedibus incedebat contra filium repugnantem, & Petrus aduersus tyrannum domesticum, stipendiariam bestiam armare contendet?

Ad Petrum dictum fuit, cùm senueris, alius te cinget, & ducet quò tu non vis.

In gl. c. Secundum hoc, videtur Romanum Imperium euertendum, priusquàm reueletur Antichristus. Et legitur, quòd Roma non habet à gentibus destrui, sed in semetipsa dissidiis litibusque macerari.

Amalechitæ Romanos Idololatras præfigurant, Num. 24.

Ac per hoc datur intelligi, non posse aquilam, vel prolem præposteram veram cum Petri Vicario, sicut (Hester 3.) nec Haman cum primario Mardochæo, habere concordiam, nisi vel bestiam de Regni visceribus euomant, vel in sui dispendium redimant, vel affligant. Regius vltrò Deus, qui nihil deseret incorreptum, ad gentem fallacem mittet Assyrium, orbis totius malleum & baculum impiorum.

Quid dicam de summo Pontifice Aarone, qui modernos præsules repræsentat, qui ad instantiam populi, qui egressus fuerat de Ægypto, vitulum conflauit & sculptile, Exodi 32. quod totum ad librum decretalium siue legum referendum est, in quo omnis dolus & calumnia perseuerat: ac per hoc curia sedis Petri nullum pontificat, qui huius simulachra non adorat.

Abbas Ioachimus de Concordia vtriusque T T.

ROmanus Pontifex, qui est caput omnium Episcoporum, non consueuerat vocare Episcopos filios, sed fratres: nimirùm quia maioris humilitatis est, velle habere fratres quàm filios: cohæredes quàm hæredes. Sicut & Dominus noster Iesus Christus dignatus est Apostolos vocare fratres, vt sit primogenitus in multis fratribus. Non enim ita recipit ordo rationis ministrare patres filiis, quo modo fratres fratribus suis minoribus se. Quinimò istud laudatur omninò, illud absurdissimum, & quasi detestandum videtur.

Ibidem contra sacerdotes recipientes pecuniam sanctorum in templũ illatã, sed non instaurantes sacra tecta tẽpli, prorumpit Ioachimus in hæc verba: Nimirũ si cleri domitor mittatur de cœlo, quia

omnia mala veniunt ob culpam cleri: nam populus Christianus ecclesias dotauit in pauperum alimentum, cultusque diuini augmentum, non in constructiones arcium, vel castrorum, non in cumu andas diuitias, aut ditandos propinquos. Christus se obtulit occisoribus, & tu de precio sanguinis eius extruis roborias ad bellandum: Christus in infimo præsepio iacere voluit, tu in altis sedibus & turribus delectaris. Hinc per prophetam dicit Dominus: Isti ædificabunt, & ego destruam, & vocabuntur termini impietatis.

Ibidem. Reuerendum mysterium hoc non segniter est intuendum, quo filiis Ioseph Manasses & Ephraim cancellatis duobus brachiis benedixit Iacob ponens sinistram super maiorem, qui sibi erat collocatus ad dextram: dextram super minorem quem pater locauerat ad sinistram. Admirari enim vix sufficimus, si tempora, ordines, & dignitates notamus. Tempora, quòd opera sigillorum distinguunt: ordines, quòd ita sibi à primo vsque ad vltimum, hinc & inde sigillatim propriè succedunt per septé gradus vicissim, vt alter Christum, alter Spiritum sanctum significet. Dignitates etiam ita per singulas binas personas distinguuntur, vt personæ significantes Christum, eis, quæ significant Spiritum sanctum, vicissim præponantur & supponantur, secundum illud Apostolicum, quo nos inuicem præuenire iubemur bonis.



Hæc autem tanta arte sunt distincta, vt in eis magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius intelligamus. Tanta enim sorte Ephraim & Manasse Deus coæquauit alterum alteri præponendo, vt neuter admiserit quod habuit, sed accipiendo quod non erat. Si enim iunior duceretur ad dextram, & maior ad sinistram ex toto, vel alter primogenita perderet vt Ruben, vel alter ordine turbato suo ad superiora transiret. Sed quasi media manens gratia coæquauit vtrumq; vt alter esset prælatus ordine: alter maiori sibi collata benedictione, & sic alter alterum honorare addisceret, & neuter alteri inuidere posset. Spiritualiter autem in Manasse humanitas Christi, in Ephraim Spiritus sanctus designatur. Innuunt autem ista, obliuisci seu declinare mala: & facere seu fructificare in bono. Quorum principium spectat ad legem, alterum ad gratiam: illud ad præcursorem Domini, secundum ad Dominum præcursoris: illud ad baptismum aquæ Ioannis, alterum ad baptisma spirituale Christi.

Præcessit quidem tempore Lex, sed Gratia dignitate præponitur: Prior tempore erat Ioannes Christo, tamen Christus ante illum erat: Præcessit natiuitas resurrectionem, tamen hæc illi præstat.

Sic filius Dei altissimi seipsum sponte exinaniuit formam serui accipiens, dans Spiritui sancto quicquid erat honoris & gloriæ, sibi per omnia partem inferiorem retinens. Baptizatus est aquâ, vt nos renasceremur ex Spiritu: ipse deleuit nostram culpam, vt in nobis esset fructus gratiæ. Præcessit ergò in carne natiuitas Christi, secuta est natiuitas Spiritualis: & ecce quæ erat prima facta est vltima, & vltima prima, & quidem vtraque per Spiritum sanctum, secundum quod Ephraim & Manasse ambo ab vno viro iusto, qui illum Spiritum typicè designat, processerunt.

Voluit autem Deus Pater præferre opus Spiritus sancti tanquam, sine quo non est salus, dicente Domino: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: & in tantum Filius (antitypus Manasse) voluit sibi præferri Spiritum sanctum, vt dixerit: Qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic, nec in futurum. De quo plura vide apud ipsl. auth.

Idem. Sciendum, quòd sub quinto signaculo facta est primò mentio de Babylone, nimirum, quia multitudo Christianorum, quæ à principio Ecclesiæ pro maiori quantitate bonorum dici poterat Hierusalem, iam nunc pro infinita numerositate malorũ dicenda est potiùs Babylon: quamuis nec tunc defuerint, qui pertinerent ad Babylonem, nec modò qui pertinent ad Hierusalem.

Idem. Quantum secundum coaptationem concordiæ existimare queo, si pax conceditur ab his malis vsq; annum millesimum ducentesimum incarnationis Dominicæ: exinde ne subitò ista fiant, suspecta mihi sunt omnibus modis omnia & tempora & momenta.

Idem. Nunc autem ipsius Ecclesiæ exigentibus culpis, hi qui successerunt in ipso ordine sacerdotali, nihil penè habentes de imitatione cælestis hominis, terreni sunt omninò & terrena sectan-

tur,

tur, non ingredientes per Deum ad altare, sed per homines: non intuitu diuini lucri, sed obtentu muneris temporalis: neque enim quærunt pascere gregem sed seipsos, nec lactare paruulos, sed dominari in plebe.

Idem. Quàm verò longè sit omnis moderna religio à forma primitiuæ ecclesiæ, ex multis intelligi potest.

Idem. Modò denigrata est facies eorum super carbones, quia plena sunt corda eorum acidia, & cogitationibus malis, vnde & non sunt cogniti in plateis. Quia non est doctrina inter eos, & homines sunt seculares. Sed & cutis eorum adhæsit ossibus pro fame, & facta est quasi lignum: quia pro eo, quòd seipsos non reficiunt lectionibus diuinis, nihil se ostendunt habere de vita monastica, præterquàm habitum exteriorem.

Idem. Quòd autem diximus, ordinem quartum, qui est Eremitarum & virginum, proficiendo defecisse, timendum est potiùs quàm dicendum: etenim aperta perfectio gloriationem parit, gloriatio exultationem, exultationem verò comitatur ruina: quia scriptum est: ante ruinam exaltatur cor. Igitur ordo iste quartus, qui designatur in sideribus cæli, quarto quidem tempore claruit, sed mox defecit, non quidem in se, qui perseuerat vsque in finem, sed in illa claritate, & in illis locis, in quibus visus est floruisse ad horam: haud dubium, quòd propter malitiam inhabitantium in ipsis. Igitur in sole & luna & stellis Ecclesia contemplatiua designatur, & illa vtique Ecclesia quæ designatur in muliere amicta sole, & de qua scriptum est in canticis canticorum: Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Quo etenim modo? quia tria quædam genera monachorum, quorum alii in Helia, alii in Helisæo, alii in filiis Prophetarũ, qui simul degebant in Hiericho sub Helisæo Propheta, designata sunt, in vna erant Ecclesia copulanda. Sic vnam Ioannes mulierem describit, quatenus in sole intelligamus eos, qui modis omnibus adhærent Christo, eumq́; perfectiùs induentes, secundum Apostolum, nihil in mundanis facultatibus quærunt: in luna quæ sub pedibus manet, illos, qui manentes communiter sub viris Spiritualibus designatis in stellis, sicut & nostris faciunt temporibus, obedientes erant. Excepto quòd illis nulla erat possessio, aut possessionum anxietas, sicut in temporibus istis: sed summa & vna paupertatis voluntas.

Idem. Nec putes ambitione monachum non esse tentandum, quòd mortuus est mundo: quia nihil, si malus est, ambitiosius monacho, nihil auarius inuenitur.

Idem loquens de pastoribus qui pascunt semetipsos, dicit, quòd auferet Dominus gregem suum de manibus eorum, vt pastores non pascant vltrà greges, nec semetipsos. Quod quàm sit metuendum Prælatis Ecclesiarum, ipsi videant.

Idem. Ipse textus Apocalypsis instruit, quomodo mulier auro inaurata indifferenter cum terræ Principibus effœminatis moribus fornicetur. Romana (ni fallor) Ecclesia ista est, quæ in Babylonem vitæ confusione transfusa mœchatur cum lapide & cum ligno frondoso: prosternaberis meretrix.

Idem de Salomone loquens inquit: Ad prælatos huius temporis non ambigo referendum, quorum est tam auara cupiditas, tam superba carnalitas, vt de rerum abundantia, vel abusu cæterorum puritas corrumpatur.

Idem in libro de Flore gratias refert Deo, qui dignatus esset eum superioribus creare temporibus, vt præueniret, atq; non inspiceret tam iniquam per ipsum præuisam hominum peruersitatem, prognosticans, quòd hoc tempore quinti & sexti status pauci homines absque cæcitate essent permansuri: ideoque de huiusmodi nostro per eum præuiso malo ingenti afflictus fuerat compassione.

Idem Abbas Ioachimus super Prophetam Ieremiam in prologo.

Scribit, quòd Sacerdotes & Pontifices, & præcipuè Ecclesiæ Romanæ captiuari, & pati necesse sit à Principe Reipublicæ.

Et in Comm. super Ierem. c. 1. Quòd summus Pontifex & Clerus siue Ecclesia carnalis dicit: Sedeo regina, & Vidua non sum, sed mater omnium Ecclesiarum & magistra, & luctum non video de clericis ac filiis.

Quòd Romana Ecclesia generalis scilicet in partibus Aquilonis fixit sedem: idcircò non immeritò vnde creuit in gloria, inde præstoletur & pœnam.

Quòd secundo loco ipsi Prælati superbi contra Catholicam dignitatem & Apostolicam sedem conspirabunt. Hoc de Iesuitis quidam dictum volunt.

Ibidem. Quòd Salomon senescens idololatra fuit: idem de senescente Ecclesia dicere possumus.

Ibidem. Quòd qui in ollam infernalem semel ceciderit, ampliùs inde non exibit, nec diabolus flabit ampliùs, quia ipse etiam cum aliis vrgetur ad pœnam, vbi quasi torrens, & valida sulphuris, & rediuiua vehemens est, & perpetua pœna ignis inferni.

Ibidem. Quòd Imperatores Reipublicæ olim pro Christo paupere suæ dignitatis tunicam exuentes, induerunt eum quasi nouum hominem in Syluestro: nunc autem necesse est, vt nudus ab eis & subcinctus Petrus effugiat, scilicet summus Pontifex bonis temporalibus spoliatus, & cum filiis captiuatus.

Ibidem. Quòd culpa à pastoribus deriuatur ad alios, & ideò necesse est, vt à sanctuario cædes incipiat; vt sic suspensis capitibus populorum ira Dei deseuiat.

Ibidem cap. 2. Quòd Deus minùs puniet laicos, quàm clericos, & prælatos, quia minus de Dei voluntate cognouerunt.

Ibidem. Quòd Principes Alemannorum iura temporalia excutient ab Ecclesia Romana.

Ibidem. Quòd futurum est prorsus, vt orta discordia inter Principes, non tantùm ab Imperio Ecclesia corruat, verùm etiam à Galliarum regno diffidat: vt vnde fuit erecta, & prouecta in gloriam, inde deiecta & despecta veniat in rapinam.

Ibidem. Quòd Ecclesia de Dei potentia & doctrina diffidens, sequetur vias & studia seculi Principum & diuitum.

Ibidem. Quòd datur consilium sanum ipsi Ecclesiæ, vt non moretur & pigeat vias suas negotiosas fugere, & à se auferre: quia absque temporalibus efficienda est in proximo nota.

Ibidem. Quòd Ecclesia priùs confundenda, & spolianda, & prædanda ac captiuanda est ab Imperio, haud dubium.

Ibidem. Quòd Ecclesia putabit, vt Imperium Alemannorum, & regnum Franciæ sibi fauorem impenderent, & à cunctis molestiis eam liberarent: sed nihil ab eis habebit prosperum, nudatis sceleribus eius.

Ibidem. Quòd si Ecclesia vniuersalis Romana præstolabitur auxilium à Francis, ruet: & similiter si confidens & attendens protectionem ab Alemannis, deficiet.

Ibidem. Quòd potior esset vnus presbyter bonus mille malis: quia vnus persequeretur mille ex hostibus, & duo fugarent decem millia vitiorum.

Ibidem. Quòd mali sacerdotes percutientur virga Reipublicæ, scilicet ab Imperio in temporalibus: ab infidelibus in corporibus: in fide & spiritualibus ab hæreticis.

Ibidem. Quòd Ecclesia affligetur in temporalibus & spiritualibus, exterioribus & interioribus, charis & filiis, vt omnis rubigo malitiæ & nequitiæ eius expurgetur.

Ibidem. Quòd proxima est futura tribulatio, in qua Dei terræ, id est, prælati Ecclesiæ, qui nimis eleuati sunt, in dignitatibus & diuitiis suis se extollendo, confundantur, & capiantur vt fures: ac per hoc nec sibi, nec subiectæ plebi auxilium in afflictionis tempore conferatur.

Ibidem. Quòd Ecclesia Sacerdotum assuetudine prauitatis vilescit & contemnitur: quia quærens superbè viuere & carnaliter sapere, dum confidit in terrenis diuitiis, confundetur tandem cum filiis sceleratis.

Ibidem. Quòd Assur seu Assyria Alemanniam, & Ægyptus Franciam significat, à quibus Ecclesia confundetur, discooperta eius iniquitate.

Ibidem. Quòd tyranni mundi arguent Ecclesiam, quòd non iustè actiones temporales exerceat: vnde temporalibus ab eis priuabitur.

Ibidem. Quòd sæpè Ecclesia à prædicatoribus veritatis, & maximè à scripturis sanctis hortatur, vt terrena spolia vitiaque abiiciat: sed ipsa velut opulenta, & indurata aures obturat, malens patére discrimini, quàm parére saluti.

Ibidem. Quòd infantia Salomonis feruorem Eccclesiæ primitiuæ senectus verò præsentem Ecclesiæ statum ferè penitus corruptum significat.

Ibidem. Quòd ipsa carnalis Ecclesia quantò magis sagittis reprehensionis, & exhortationis impetitur, eò plùs in vitiorum menstruis inuenitur.

Ibidem c. 3. Quòd Romana Ecclesia, ac si altera tribus Iuda, recessit à Christo, id est ab opere fidei iam professæ.

Ibidem. Quòd ex frequentia legatorum suorum Ecclesia vilescet: quia docendo, & prædicando vias nequitiæ suæ Simoniacæ ignominiam suæ prauitatis aperiet.

Vnde principes seculares eam spoliabunt, & inter se diuident bona temporalia, & spolia ipsius.

Ibidem. Quòd auctor vsque modò prohibitus est ex lege, reuelare & denudare ignominiam suæ matris Ecclesiæ, sed nunc cogitur prodere eius iniquitates. Ait enim, pudorem mihi ingero, quia meæ matris pudenda denudo.

Ibidem. Quòd tales dirigentur & venient filii ipsius matris Ecclesiæ, vt suam aperiendo malitiam frontem improbæ meretricis sic atterant, vt iusticiam quoque reputent, quòd obiurgent.

Ibidem. Quòd non est ciuitas, non oppidum, non villa, non locus, vbi Ecclesia beneficia & tributa non exigat. In cunctis enim vult habere præbendas, & redditus indeficientes, vt ipsi Ecclesiastici fieri possint viri famosi, & præesse in curribus Pharaonis.

Ibidem. Quòd oppressi ab Ecclesiasticis clamant ad Deum, dicentes: ô Deus, quóusque non vindicas sanguinem innocentum sub altari clamantium?

Ibidem. Quòd propter auaritiam & vitia prælatorum & curiæ, viri spirituales prohibentur, ne arguere præsumant ipsos prælatos, & Ecclesiæ pastores.

Ibidem. Quòd in tantum processit superbia legatorum, & arrogantia prælatorum, vt prohiberent Doctores spirituales vitæ verbum effundere.

Ibidem. Quòd ipsi Prælati,& Ecclesia carnalis erubescere deberent ad redargutionem virorum Spiritualium, & Doctorum, & à culpa desistere. Sed quia factus est eis frons meretricis, & induruit malitia, nolunt erubescere.

Ibidem. Quòd per Israël intelligitur Ecclesia Græcorum, & per Iuda Ecclesia Latinorum, quarum prima dicitur aduersatrix, secunda verò præuaricatrix: nam aliud est auerti à fide, & aliud est præuaricari in opere.

Ibidem c. 4. Quòd propter malitiam clericorum, & prælatorum terram corrumpentium sorde sua, iusto Dei iudicio permittitur, Leonem, id est, Imperatorem Alemanniæ ascendere contra Ecclesiam Latinam, qui eam desolatam faciet & absque habitatore, scilicet prælatis & cultoribus fidei, & Ecclesias vastabit incredibili contritione.

Ibidem. Quòd Ecclesia deberet leuare oculos suos ad Dominum, & ad Christum ingeminare preces: quia necesse est tandem, vt ipsa Ecclesia, & præsertim Romana sic excocta & afflicta remaneat, vt non adijciat vltrà magnificare fimbrias suas super terram.

Ibidem. Quòd in proxima tribulatione ita militia secularis Reipublicæ custodiet aditus & egressus Ecclesiæ, præcipuè Romæ, vt Ecclesiasticus nullus fugiat, sed bibat vnusquisque de calice Babylonis.

Ibidem. Quòd prædicti Vastatores spoliabunt Ecclesias & monasteria, vastando omnia, ita quòd Vniuersalis Ecclesia, tam laici, quàm Ecclesiastici lugebunt.

Ibidem. Quòd tempore instantis tribulationis, in fine secundi status, peribit fortitudo, & sapientia summi Pontificis & Prælatorum: & obstupescent sacerdotes, Priores, Abbates, Magistri & Doctores consternabuntur præ magnitudine, & acerbitate tribulationis.

Ibidem. Quòd in magnam dementiam, & cordis cæcitatem deueniet tam populus quàm Sacerdos, vt non cognoscant tempus visitationis suæ, scilicet diuinæ iræ, & tribulationis contra eos.

Ibidem. Quòd necesse est, vt à Prælatis (à quibus processit malitia) veluti à sanctuario, cædes afflictionis emergat.

Ibidem. Quod corda Prælatorum, & ferè omnium Ecclesiasticorum obstupescent, videntium homines conuerti ad pœnitentiam in ipsa tribulatione, & ipsi pauebunt, & peribunt.

Ibidem. Quòd ventura est tempestas Reipublicæ, id est, Imperij contra Ecclesiam meretricem, ad excoquendam scoriam fornicationis, & cupiditatis eius.

Ibidem. Quòd Ecclesia Latina, & Romana grauiora quàm Græca passura est in proximo: quia nequiora commisit.

Ibidem. Quòd surget populus Patarenus & sequaces eius contra Ecclesiam, & populum Christianum, qui non solùm laicos, & clericos, sed etiam religiosos assument & persequentur.

Ibidem. Quòd Imperium Alemannorum corruet & deficiet.

Ibidem. Quòd Imperator, qui dicetur X I. cornu, humiliabit tria regna Italici Imperij, videlicet Prælatorum cum filijs, Laicorum cum cæteris, Religiosorum cum suis æmulis.

Ibidem. Quòd priùs disrumpenda est sepes Imperij, ex cuius amotione diripitur gentibus deuastanda vinea, id est, Ecclesia generalis.

Ibidem. Quòd plurimæ Ecclesiæ, & monasteria deficient in proximo flagello, vt nec clericus, nec religiosus permaneat: & forsan si fuerit, non sic viuat, sicut & nouit: quia propter hoc non faciet Deus consummationem, sed relinquet semen.

Ibidem. Quòd quantumcunque Ecclesia se venustet, & de peccatis excuset: tamen habetur contemtui, quia aliud ore innuit, quàm corde prætendit.

Ibidem. Quòd Aquila grandis, & magnarum alarum, scilicet Imperator Alemanniæ, percutiet Ecclesiam, vt vnde aliquando protecta erat, inde etiam flagelletur, & sic destituta subsidijs direptioni pateat viatorum.

Ibidem cap. 5. Quòd Dominus non faciet consummationem, donec noua oriantur, & veniat gens faciens fructum bonum, videlicet reformatio.

Ibidem. Quòd futurum est omninò, vt vallata vndique Ecclesia, & præcipuè Romana, videat summus Pontifex, ne capiatur cum filijs & exoculatis eis ducatur vinctus in Babylonem confusionis æternæ.

Ibidē. Quòd legati Ecclesiæ sunt equi emissarij impudenter per prouincias discurrendo, beneficia, & præbendas acquirendo, & prælatorum dignitates vsurpando: quos visitabit Dominus expellendo, & propagines vsque in tertiam generationem eorum auferendo.

Ibidem. Quòd carnales, & præsertim Ecclesiastici, licet videantur facere pœnitentiam, mentiuntur: quia falsò pœnitentiam agunt, nec corriguntur, quamuis percutiantur, quia indurant faciem cordis supra petram.

Ibidem. Quòd si Prædicatores qui mittentur, bene considerent acta Ecclesiæ, inuenient laicos viam Domini contemnentes: & religiosi, quò plus nouerunt, eò ampliùs negligunt. Nam confregerunt iugum regulæ, ruperunt vincula obedientiæ.

Ibidem cap. 6. Quòd Alemanni, velut noui Chaldæi, insurgent contra Ecclesiam auferendo omnia bona temporalia, & flagellando crudeliter personas Ecclesiasticas & puniendo: & hoc facientes arbitrabuntur se obsequium præstare Deo.

Ibidem. Quòd quia ferè omnes status, tam Ecclesiasticus, quàm secularis, dolosi & auari sunt: non credent prædicantibus, & annunciantibus eis futurum flagellum & vastationem, sed

magis eos deridebunt: & quoniam putant semper carnaliter viuere, idcirco corruent.

Ibidem cap. 7. Quòd quidam de indulgentia Ecclesiæ in tantum præsumebant, vt nunquam apponerent ab iniquitate cessare, sed magis ac magis se vitijs & malitijs immiscebant.

Ibidem. Quòd quidam Ecclesiasticorum in tantum extulerant templum B. Petri Romæ, vt quasi hæreticus haberetur, qui Petri limina non visitaret, & ad hoc alios inuitabant.

Ibidem cap. 8. Quòd Romanus Pontifex in typo Iob, à Prælatis vsque ad laicos premetur, & etiam in proprio corpore, sedebit in sterquilinio abiectus & vilissimus, nudus temporalibus, & regio decôre indignus,

Ibidem. Quòd propter stipendia temporalia, & corporis necessaria nonnulli religionem intrant, & non propter paupertatem Domini æmulandam, quæ sola perfectos facit.

Ibidem. Quòd nullus scribarum & legisperitus, & legistæ de futuris malis sibi, & Ecclesiæ scribit, aut vias correxit: sed vnusquisque cursum suum currit, id est, ad fauorem & ad petentiam præbendarum, in quibus cæcati mendacia, & inutilia, & attractiua temporalium scripserunt. Nam reuolue libros, & decretalia, & nosces.

Ibidem. Quòd à beato Gregorio vsque ad hæc tempora, in quibus reuelandus est nouus ordo prædicantium in Ieremia designatus, nemo comparuit, qui populum Domini erudiret, vel rectè ingrederetur ad Euangelium veritatis.

Ibidem. Quòd dulcedo temporalium Ecclesiæ egressa fuit ab Imperio: sed nunc ob superbiam Ecclesiasticorum, temporalia relabuntur in ipsum Imperium, non solùm vt priùs, sed etiam multò opulentiùs.

Ibidem. Quòd licet temporalia dulcia fuerint Ecclesiæ in principio, nunc in fine erunt valdè amara: quia auferentur eis cum magno dolore.

Ibidem. Quòd non solùm temporalia amittet Ecclesia, verùm etiam ipsi Ecclesiastici præda erunt in proprijs personis Imperio & paganis.

Ibidem cap. 9. Quòd cauendum est Ecclesiæ & summo Pontifici, ne periculis ex falsis fratribus Cardinalibus & Episcopis ac legatis expiret.

Ibidem c. 10. Quòd ab Aquilone, scilicet à reprobatis, & Alemannis veniet afflictio & commotio magna gentium perfidarum, vt ponant Ecclesias Romanæ sedis desolatas & deprædatas, primò, quia non audierunt verbum Domini: secundò, quia tepidi sunt: tertiò, quia quærunt quæ sua sunt & non quæ Dei.

Ibidem cap. 11. Quòd Ecclesia Romana, quantum se glorificauit, & in delicijs fuit & gloria, tantùm pati habet. Nam ab Alemannis spoliabitur, à Saracenis lacerabitur, & ab hæreticis & falsis Christianis impugnabitur.

Ibidem. Quòd Sacerdotes carnales nunc non offerunt sacrificia laudum pro cœlestibus præmijs, sed pro lucris temporalibus.

Ibidem. Quòd Ecclesia Romana dicitur domina gentium propter eius superbiam, quæ mittit legatos, Cardinales, & alios in vniuerso mundo, cum literis Apostolicis. Sed quia non cognouit, & humiliari despuit, exardescet super eam furor immanis Imperij, ita quòd peccatores in ea crudeliter affligendi & extirpandi sunt.

Ibidē c. 12. Quòd Deus euellet Prælatos & subditos in dicta tribulatione, eos deponendo à dignitatib. suis, & cæteris temporalib. bonis, eosq; interficiendo, alios bonos substituendo in loco eorū.

Ibidem. Quòd auferetur regnū à malis prælatis, & authoritas & potestas prædicandi, & dabitur genti facienti fructum dignum pœnitentiæ, vt quod dicunt ore etiam opere compleant.

Ibidem c. 13. Quòd iuxta dictum Apostoli, habentes victum & vestitum, his contenti simus: victum scilicet tenuem, & vestitum ignobilem: ne asinus carnis nostræ stimulatus saturitate lasciuiat: vel cultu redditus lenis & nitidus ad ferendas obedientiæ sarcinas impia libertate repugnet. Quòd nunc domina Babylon, id est, Ecclesia vestitur cocco & purpura, diues bysso, curiales regijs mollibus: idcirco deprimetur.

Ibidem. Quòd Ecclesia instruxit & docuit in sui luxuria, & euersione capitis Prælatorum, hostes suos, vt eorū gloriæ æmulatores existerent. Nam sicut à secularibus principibus temporalia auidè perceperat Ecclesia, sic auidiùs resument ipsi præstita, quasi debita per vsuram.

Ibidem. Quòd Prælati, Subditi & Ecclesiastici indurati in malum, territi timore inualidæ tribulationis, in fugam conuertentur, ab eis subtracta substantia temporali, & dispergentur in seculo, ita vt non sit eis locus stabilis circumquaque vagantibus. Nam religiosi claustra deserent, & fugient.

Ibidem. Quòd Ecclesia in superbia obliuiscetur Deum, & in abundantia nitetur mendacijs.

Ibidem. Quòd Ecclesia tribulabitur & flagellabitur, sed indurata non mundabitur aut emendabitur à peccatis, & ab ea per mortem subtrahentur multi: nec sic corrigetur, sed putrescet in peccatis. Idcirco crebra erit eius contritio, vt ex toto rubigo falsitatis & malitiæ exeat ab ea.

Ibidem. Quòd Prælati, & cæteri Ecclesiastici, & laici studentes & seruientes auaritiæ, gulæ & luxuriæ, alijsque vitijs, Dei secreta præuidere, nec credere possunt.

Ibidem. Quòd Ecclesia & vita clericorum translata est tota ad commercia temporalia, & secularia: & generaliter cum laicis ad peccata.

Ibidem. Quòd necesse est, vt ordo clericalis ad vitam arctiorem transeat, & religiosi alij non seculo, sed Deo viuant.

Ibidem cap. 14. Quòd Deus in dicta tribulatione non exaudiet, nec preces & sacrificia acceptabit, sed reprobabit, & puniet eos inducendo quatuor mala, scilicet mortem siue pestem, gladium, famem, & captiuitatem.

Ibidem. Quòd multi sunt hodie, qui laqueis auaritiæ & Simoniæ illaqueati religionem ingrediuntur, & stant in ea propter monilia temporalia, & magis propter vitam & desideria carnalia, quàm propter honestæ sobrietatis abstinentiam.

Ibidem. Quòd Pontifices Romani dilexerunt mittere legatos suos ob vanam gloriam & auaritiam, quod Deo displicuit, punire satagens per Reipublicæ iracundiam.

Ibidem. Quòd iam multi viri lugent ruinam Ecclesiæ, de quibus dicitur: Reliqui mihi septem millia virorum, scilicet perfectorum, qui non inclinauerunt genua sua Baal.

Ibidem cap. 15. Quòd ex culpa Romanorum Pontificum Reges & Principes terræ æstuabunt contra Ecclesiam, & contra tam Prælatos quàm Subditos.

Ibidem. Quòd Alemanni venient vastaturi Ecclesiam Romanam, qui non solùm Prælatos puniant, sed etiam sacerdotes & laicos tenebris inuoluant, vt purgetur Ecclesia.

Ibidem cap. 16. Quòd laici lætantur cùm malè faciunt, & exultant in rebus pessimis: clerici vagantur, quia caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Putrescunt religiosi, ita vt nulli vsui sint apti.

Ibidem. Quòd Ecclesia Romana sub sexto tempore complebit tempora sua, quibus affligatur cum cæteris Ecclesijs in spiritu vehementi Dominici furoris, & gladij.

Ibidem. Quòd sexto tempore Ecclesia Romana in prædam & seruitutem dabitur nouis Chaldæis, id est, Alemannorum Imperio, simul adiunctis falsis Christianis, gentibus Agarenis, & impijs Patarenis, pseudoque Prophetis.

Ibidem. Quòd nunc nullus est in Prælatis, qui laicos à culpa reuocet, nec qui clericorum insaniam aggrauet, aut religiosorum nequitiam zelo diuino contundat.

Ibidem cap. 17. Quòd in futuris gentibus infidelibus fornicatores terræ & Babylonis filij, Alemannorum Principes absorbeantur: quia rectus ordo requirit, vt ipsi in fluctibus pereant, qui alios in fluminibus demerserunt.

Ibidem. Quòd carnales homines non cœlum sed seculum diligentes, in quo est omnis versutia, fraus & dolus, videre bonum non possunt: quia cœcati in temporalibus non bonum æternum conspiciunt, sed malum in seculo palpant: propterea habitabunt in terra salsuginis infernalis.

Ibidem. Quòd Ecclesia inuitè relinquet bona temporalia & terrenas diuitias, quas (non resecando superfluas) incautè diu possedit. Et hoc in dimidio dierum suorum, id est, dum se in eis prosperè viuere putabit.

Ibidem. Quòd Ecclesia Romana propter Simoniam & auaritiam Prælatorum spolia temporalium à Republica perdet: propter superbiam & contumaciam punietur & humiliabitur ab infidelibus: propter luxuriam prauamque vitam, vel etiam doctrinam à synagoga hæretica & Patarena: & hoc quidem iustè, quia noluerunt quiescere ab erroribus seculi, & enormitate peccati.

Ibidem. Quòd Dominus confringet Cardinales & Prælatos Ecclesiæ ad nihilum eos redigendo: quia eos instituit, vt fructum cœlestem & non terrenum facerent & saperent: ipsi verò se putribilem nimiùm Deo reddiderunt: & ideò corruent omnia simul cum vita amittendo.

Ibidem. Quòd Ecclesia, si, ne amittat temporalia, resistere conabitur Reipublicæ, in nouissimo suo insipiens apparebit vniuersa amittendo. Nam Romanum Imperium fœderabitur cum Sarracenis infidelibus, additis sibi pseudoprophetis, sectæ videlicet Patarenæ, & alijs pseudopopulis, scilicet falsis Christianis, & hi omnes insurgent contra Ecclesiam, vt desolatam eam faciant.

Ibidem. Quòd dura valdè erit percussio Romanæ Ecclesiæ. Nam priùs temporalia auferentur, secundò occidendi in corpore, & vsque ad perditionem animarum.

Ibidem. Quòd ferè omnes Principes Christiani, & amici spernent Ecclesiasticos, & efficientur inimici eorum contra eos undique insurgendo.

Ibidem. Quòd discedet Imperium Alemannorum ab Ecclesia, & scindetur ipsa Ecclesia Romana, scilicet Capitulum Cardinalium. Nam inter eos orietur discordia. Et pro eo, quod dicitur: Succidi tres pastores in mense, idest, quasi vno tempore, & Ecclesia remanebit sine luce, quemadmodum discipuli sine Christo, & interim deprædabitur, & quasi ad nihil redigetur.

Ibidem. Quòd apprehendendus est Petrus, scilicet summus Pontifex, & ligandus.

Ibidem. Quòd quamuis magna offensa fuerit Sodomitica labes, est tamen maior Simoniaca prauitas Ecclesiæ: quia illa fuit corruptio, ex qua Sodoma subuersa fuit in momento. Quantò ergò magis Ecclesia in Iuda designata subuertenda est?

Ibidem. Quòd peccatum Romanæ & totius Ecclesiæ generalis scribitur in Prophetis, & prædicatur ab alijs Prophetis citò venturis, scilicet duobus ordinibus ad detegendam ignominiam matris suæ Ecclesiæ, scilicet Prælatorum suorum, clericorum & religiosorum, doctrina scilicet Spirituali, dura & forti, stylo scilicet flagelli punientium.

Ibidem cap. 18. Quòd Prælati potentes & superbi deponentur de sedibus dignitatum, & in locum eorum subintrabunt & exaltabuntur humiles: quia carnale sacerdotium & mysterium diruendum est, & spirituale studium erigendum, priùs depositis superbis & indignis.

Ibidem. Quòd futurum est & timendum de populo Christiano, ne persecutio valida gentium in Petri nauiculam irruat, & non sit ei auxiliator forsitan, qui succurrat: quia omnes spreuerunt eam.

Ibidem Quòd in diebus istis nouissimis, in quibus cadet superbia Prælatorum ambulátium in delitijs, & cathedræ doctorum carnalium subuertentur, & erunt viri seu riui annunciatores Euangelij circumquaque per totam Ecclesiam generalem fortes in fide, veraces in doctrina, & vita.

Ibidem. Quòd in dicta tribulatione, quæ repentè veniet, Antichristus mistus per principem Reipublicæ spoliabit clerum temporalibus, ac si Christum vestibus vt Herodes & Pilatus: sicq; nudus in cruce dimissus plagis pateat, opprobrijs & flagellis.

Ibidem. Quòd caput populi Christiani sunt Pontifices, manus sacerdotes, pedes alij fideles, in quibus oportet Christum iterum crucifigi. Id quomodo? vide ibi.

Ibidem cap. 19. Quòd quia Ecclesia in malis est obstinata, scilicet per superbiam, auaritiam, & luxuriam, & similiter populus Christianus: idcirco necessariò dirigetur ordo propheticus, vt tollat & conterat dura prædicationis monitione superbos Prælatos, auaros clericos, & laicos luxuriosos.

Ibidem cap. 20. Quòd summus Pontifex, Cardinales, Doctores, & Prælati valdè dolebunt de ortu & profectu illorum virorum Spiritualium, & prædicatorum veritatis, tanquam qui eorum solicitudine subuertentur vt adulterantes verbum Dei. Vnde non pœnitebit eos, si subuertant in Spiritu homines pestilentes.

Ibidem. Quòd Ecclesia tradenda est in manus Imperij, tam in Sacerdotibus & Prælatis, quàm in Subiectis, auferendo ab eis omnia bona & thesauros, & multos eorum in captiuitatem adducet, ibique morientur sine spe liberationis, & sepelientur sine sonitu.

Ibidem. Quòd Imperium Alemannorum semper extitit nobis Italis durum, dirum & mirum durum in iugo, dirum in virga, & mirum in sceptro: sed necesse est, vt & ipsum ad extremum Dominus euertat, & perdat, vt ad sonitum ruinæ eius paueant omnes Reges.

Ibidem. Quòd summi Pontifices potiùs, imò valdè dolere deberent de Ecclesia generali è peccatis euersa, quam Christus proprio sanguine redemit, & non de illa terrena & manu facta Hierusalem, euersa & reprobata ab ipso Christo.

Ibidem. Quòd sub Imperatore Alemanno nimis grauis & durus erit luctus de afflictione Ecclesiæ, nec inueniet, qui consoletur eam, ex omnibus charis eius: quia cognitâ malitiâ eius & denudatâ ignominiâ, eam penitus spernent omnes amici eius.

Ibidem. Quòd in dicta tribulatione ab ipsis Ecclesiasticis magnus fiet clamor de temporalibus perdendis, & vlulatus de corporibus interficiendis.

Ibidem c. 21. Quòd Prælati Ecclesiæ dicuntur ridiculi, gigantes & gladiatores. Habent enim gladium excommunicationis, pro quo gladium persecutionis incurrent: & sic ridiculi effecti parebunt derisui cùm deuastabuntur.

Ibidem. Quòd nunc Ecclesia superba contemnit quæ Dei sunt, obturat aures ne audiat vocem sibi nunciantis, vt humiliet se, & sedeat in cinere: sed dicit: Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.

Ibidem. Quòd hodie Prælati Ecclesiæ sunt Pilati & non patres: sunt & latrones, & lupi vespertini: non viri, sed adulteri, & mercenarij.

Ibidem. Quòd furor Imperij sæuiet in summum Pontificem, Cardinales, & alios Prælatos, manu validâ.

Ibidem. Quòd Rex Babylonis significat Imperatorem, & Chaldæi Alemannos, in quorum manibus dabit Dominus Ecclesiæ Prælatos, seu summum Pontificē & seruos eius, clericos & religiosos & laicos: quos percutiet Imperator, vnà secum congregatis Agarenis & hæreticis. Nota quomodo.

Ibidem. Quòd Ecclesia non expectat deteriorem Antichristum, quàm carnalem & effœminatum Prælatum.

Ibidem cap. 22. Quia à Prælatis & superioribus malum ad subditos diffunditur, ideo rectè à sanctuario flagellum incipiet, vt dolente capite doleant pariter & membra.

Ibidem. Quòd summus Pontifex & alij Prælati, qui malè ingrediuntur ad apicem dignitatis, iusto Dei iudicio fiet, vt tradantur in manus Imperij, & captiui ducantur.

Ibidem. Quia Prælati & pastores Ecclesiæ Latinæ, & præcipuè Romanæ, iam mortui dicuntur in peccatis, videlicet primò in auaritia, secundò in perfidia, tertiò in superbia, & quartò in scelere luxuriæ: ideò propter hæc quadrupliciter punientur: quia eorum opes tollet Respublica, secundò fidem deijciet synagoga hæretica, tertiò corpora infestabunt Mahumetici, quartò luxuriosos expectant dæmonia in inferni voragine.

Ibidem. Quòd, sicut asino post eius mortem primò subtrahitur corium, secundò proijcitur in sterquilinium, tertiò bestijs & auibus datur in cibum, sic erit & adueniet Prælatis mortuis in peccatis: primò tolletur corium temporalium, secundò proijcientur in sterquilinium, vilitatis opprobrium, tertiò dabuntur bestijs Romani Imperij & infidelium.

Ibidem. Quòd quatuor genera hostium inducuntur contra Ecclesiam: primò in spiritualibus, secundò in temporalibus, tertiò in seruitutibus, quartò in tribulationibus. Primi sunt quærentes animam, secundi Punici quorum timent aciem, tertij Rom. Principes, quarti Alemanni feroces.

Ibidem. Quòd doctrina virorum Euangelicorum suscitandorum in toto orbe, erit patens & libera, & multi ad eorum prædicationem conuertentur.

Ibidem. Quòd multi sunt, & erunt in Ecclesia promouendi indigni & iniusti ad sacros ordines, & magisteria, & alias dignitates: quibus melius esset desistere aut pedem retrahere, quàm postmodum inuitè priuari & spoliari, & in Babylonem captiuari.

Ibidem. Quòd dictorum prælatorum carnalium nullus, nec semen eorum ampliùs remanebit in dignitate, sed deponentur.

Ibidem. Quòd bestia Prælatorum capienda & occidenda est ab Imperatore.

Ibidem. Quòd desolabitur & destruetur Capitolium Romanum, id est, collegium Cardinalium cum Pontifice.

Ibidem c. 23. Quòd solebant laici continenter viuere, clerici piè docere, religiosi deuotione pinguescere: nunc autem omnes corrupti sunt, & abominabiles facti Deo.

Ibidem. Quòd Imperator Alemannorum statuet pseudopontificem Romæ in sede Ecclesiæ Christi, qui in fine ignominiosè peribit.

Ibidem. Doctores polluunt prauè docendo, Episcopi polluuntur turpiter viuendo.

Ibidem. Quòd à Romano Imperio & populo infideli, tam in equestri quàm in nauali exercitu affligetur Ecclesia, ita vt Prælati interficiantur, & captiui ducantur simul & summus Pontifex.

Ibidem cap. 24. Quòd futurum est, vt summus Pontifex repugnet Imperio.

Ibidem c. 25. Quòd futura tribulatio erit generalis per vniuersam latitudinem populi Christiani: & maximè Ecclesiæ Italiæ dandæ sunt in solitudinem destructionis, & in stuporem admirationis cunctis gentibus, & præ cæteris Romana.

Ibidem. Quòd post Prælatos, & rectores Ecclesiarum Italiæ afflictos & captos, deuoluetur flagellum Reip. cum sequacibus ad regnum Franciæ, & Principes eius, & vniuersum populũ Galliarum.

Ibidem. Quòd superbia Prælatorum ruenda est, & gloria corruenda, vt vel interficiantur aliqui ex eis, vel à Republica sint vomendi: quia Ecclesiæ eorum & domus dissipandæ sunt, & spoliandæ à terrenis redditibus.

Ibidem c. 28. Quòd non est laborandum multùm ad denunciandum flagellũ Prælatis & alijs Ecclesiasticis personis, cùm nolint credere, quia induratum est cor eorum. Idcircò futura est euersio.

Ibidem c. 31. Quòd sequenda & futura est magna discordia & scissura inter Ecclesiam Romanam & Imperium, sub cuius fluctibus libertas, & licentia expirabit Pontificum Romanorum.

Ibidem cap. 37. Quòd si fideles Principes aliquid Christo pauperi contulerunt, non est consonum, vt clericalis ordo dilatatus sub pace, incrassatus ope, impinguatus ociositate recalcitret, sed magis superfluum detur pauperibus, & non viris famosis, & gigantibus turrim constituentibus Babylonis.

Ibidem. Quòd moderni Vicarij Saluatoris thus negligunt & myrrham, & quærunt aurum. Et ideò cum domina Babylone bibent in aureo calice poculum abominationis.

Ibidem. Quòd dictum Danielis nono conuenit modernis Prælatis & Ecclesiæ rectoribus: videlicet, cùm videritis abominationem. Nota expositionem.

Ibidem. Quòd maior est iniquitas Ecclesiæ Latinæ, quàm Græcorum: ideò acerbiùs punietur.

Ibidem c. 50. Quòd, velit nolit mundus, necesse est, vt cadat pontificalis superbia, & cultus Ecclesiasticus in temporalibus minuatur.

Abbas Ioachimus de expeditione ad terram sanctam.

HIc Abbas suæ ætatis tempore dissuasit expeditionem in terram sanctam, & prohibuit eò quenquam ad resistendum hostibus commeare: velle enim, dixit, Deum ipsam euertere ac perdere: quærendam iam esse potiùs patriam cœlestem, & hanc terrenam, cùm nihil ad salutem conferat, relinquendam.

De vitâ huius Ioachimi Abbatis Gabriel Barius Franciscanus.

FVit Ioannes Ioachimus Abbas Mauri Tabellionis, & Gemmæ filius. Qui non sine futuræ sanctitatis portento conceptus fuit. Siquidem matri, cùm Ioachimum concepisset, iuuenis quidam formâ decorus, & lineis candidis vestibus amictus per quietem apparuit, eique dixit: Puerum concepisti, quem cùm parueris, si ipsum viuere cupis, ante septennium baptismatis fonte lauari ne sinas. Eo verò nato, patri super aram Diui Michaëlis Archangeli, quod sacellum non longè à domo sua aberat, puerum aspicere videbatur, cuius vertex templi tectum tangeret, & astantem chorum albis vestibus indutum altâ voce concinentem, Puer natus est nobis, alleluia: & filius datus est nobis, alleluia. Elapso septennio, cùm pater diem baptismatis statuisset, mater grauiter ægrotare cœpit, eoque morbo decessit. Atque tribus alijs annis defluxis, decimo anno non sine mysterio puer baptizatus est, & vsque ad quartum decimum Grammaticæ operam dedit. Atque non multò pòst Hierusalem religionis gratiâ perrexit, quo in itinere inopes quosdam suis sumtibus aluit. Et monachalem habitum albi coloris, & asperum sumsit. Cumque deserta quædam loca esset ingressus,

nimiâ siti confectus mori veritus sabulo se obruit, ne insepultus feris cibus foret: ac dum scripturarum intelligentiam meditatur, sopore corripitur. Et ecce olei se flumen, & iuxtà hominem stantem cernere, sibique dicentem, bibe de hoc flumine, seque ad satietatem bibere, videbatur sibi. Cumq; euigilasset, totius diuinæ scripturæ intelligentia illi patuit.

In monte, in quo Christus se transfigurauit, in cisternâ quadam veteri totam quadragesimam vigilijs, obsecrationibus, ieiunijs, hymnis, & psalmis vacans transegit. Nocte vero Resurrectionis Dominicæ ingens illi claritatis splendor apparuit. Atque ita cœlesti numine afflatus est, vt vtriusque Testamenti concordiam, omnesque difficultates, & inuolucra intelligeret. Quare totum se diuinis lectionibus dedit, triaque opera tunc cœpit, concordiam duorum Testamentorum, expositionem in Apocalypsin, & Psalterium decem chordarum. Ex Hierosolymis in Siciliam concessit, vbi in quodam specu latitans ieiunijs, & orationibus vacabat, & die Mercurij, Veneris, & Saturni nil prorsus gustabat. Postea in Calabriam transmisit: & sacris initiatus Monasterij Coratij Abbas eligitur. In eius vitâ nulla erat intercapedo laboris: semper enim aut orabat, aut legebat, aut scribebat, sicque pernoctabat assiduè. Orabat flexis genibus, manibus & oculis in cœlum erectis, vultu alacri, angelicum præ se ferens vultum, ac si Christum præsentem alloqueretur. Quotidie Altaris sacra peragebat, ac persæpè lachrymabatur. In Monasterio, cui nomen est Petralata, per totam quadragesimam, Dominicis diebus exceptis, panem tantùm & aquam gustabat potiùs, quàm edebat. Claruit multis miraculis.

Scripsit libros quinque concordiæ vtriusque Testamenti, quos pridem, vt dixi, inchoauit adhortante eum Lucio Papâ huius nominis tertio, & inde Vrbano, & Clemente iubentibus, vt in Epistolâ ipsius Clementis ad illum directâ videre licet. In quibus de quinque sigillis agens eximia & arcana mysteria enodauit: & in quinto nonnulla Danielis, & aliorum Prophetarum capita dilucidauit. Expositionem quoque Apocalypsis octo Partium titulis insignitam dictorum Pontificum iussu elucubrauit. Item Psalterium decem chordarum tribus voluminibus distinctum exarauit, quorum primum dedicauit Deo Patri, secundum Filio, tertium Spiritui sancto. Quod opus die Pentecostes, vt ipse dicit, inchoauit. Scripsit & in Euangelium Ioannis: & contra Iudæos: & super Merlinum: & in Cyrilli reuelationem: & Librum de Flore nuncupatum de Summis Pontificibus: & Librum de Consolatione: & Sententiarum volumen egregium, & in Erythræam. Item Henrici Sexti Cæsaris rogatu anno à Christo nato M. CLXXXXVII ad eundem (vt ipsemet super Hieremiam refert) & in nonnulla Capita Nahum, Abacuch, Zachariæ, & Malachiæ Prophetarum scripsit, & in Hieremiam: in quibus eum spiritum Prophetiæ habuisse manifestum est. Pleraque enim est vaticinatus, quorum multa adimpleta sunt, cætera adimplenda supersunt. Nam & Græciam ob perfidiam in Romanam Ecclesiam, gentibus dandam, & Prædicatorum, ac Minorum Ordinis initiatores mox futuros: quin esse iam in ianuis Ecclesiæ prædixit. Et quidem cùm hæc præsagiuit, ipsi in mundo erant: sed, qui futuri essent, ignoti: Ordines autem initiârunt paucis pòst annis, quàm ille prædixerat, vtpote diuus Dominicus tribus: diuus Franciscus nouem: quos Venetijs in diui Marci delubro, quod Salomonis Templi instar fieri curauit, effingi fecit, in cuius pauimento, parietibusque, ac fornicibus, testudinibusque simulacra alia pleraque effigiata emblemate, vermiculatoque opere futura portendentia, quæ indies exitus comprobat, formari, atq; effingi fecit.

Efflauit animam in Monasterij Floris loco, qui Canalis dicitur, Cœnobitis suis benedicens. Eius corpus postea in Monasterium Florense translatum est. Ex Cœnobitis eius, qui ipso viuente sanctitate floruerunt, hi sunt Peregrinus, & eius frater Bonatius, quibus futuram, & proximam tribulationem reuelauit: Lucas eius scriba, qui postea Episcopus Consentinus fuit: Gerardus Abbas, Ioannes, & Nicolaus, quorum alter Abbas Monasterij Coratij fuit, alter istius vices gerebat: item Matthæus, qui post Ioachimum Abbas Floriacensis fuit, & postea Tarentinus Episcopus: Rogerius Diaconus Ecclesiæ Seuerinatis: Petrus, & Nicolaus, qui omnes sanctæ vitæ viri extiterunt. De Abbate autem ipso Ioachimo Guilhelmus Parisiensis in libro de virtutibus sic dicit: Debes scire, quia donum intellectus tantæ claritatis est, & acuminis in quibusdam, vt valdè assimiletur Spiritui Prophetiæ, qualem crediderunt nonnulli fuisse in Abbate Ioachimo. At ipsemet de se ipso dixisse dicitur, quia non erat ei datus spiritus Prophetiæ, sed spiritus intelligentiæ. Si quis autem inspexerit libros eius, quos scripsit super Apocalypsim, & super concordiam duorum Testamentorum, mirabitur donum intellectus in eo. Verùm in libris super Prophetas liquet, fuisse in eo spiritum Prophetiæ, licet quidam diuinarum literarum ignari negent ipsum fuisse Prophetam eò quòd Christus Apostolis dixerit: Non est vestrûm nosse tempora, vel momenta: & alibi, omnes Prophetæ, & Lex vsque ad Ioannem prophetauerunt. Quod vtique de primo Christi aduentu intelligendum est, vt Hieronymus in Matth. & Amos: Ioann. Chrysost. & Athan. in secundam epist. Pauli ad Corinth. & August. contra Faustum asserunt. Iam verò in Ecclesiâ, quæ erat Antiochiæ, Prophetas fuisse Lucas in Actis Apostolorum scribit. Et Agabus, & quatuor Philippi filiæ, & Corinthi, & Apostoli ipsi prophetauerunt, vt passim in epistolis Pauli videre licet. Et Iustinus Philosophus, & Martyr apud Eusebium Ecclesiasticæ Historiæ libro 4. vsq; ad tempora sua Prophetiæ gratiam in Ecclesijs floruisse ait. Quid multis opus est verbis?

Cùm

cùm Ioël Apostolos, aliosque in Ecclesiâ prophetaturos prædixerit, vt Petrus in Actibus Apostolorum dicit: & Christus se ad Iudæos inter cæteros etiam Prophetas missurum, ab ipsis in Synagogis suis occidendos, dicit. Nam, ait Amos, non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Cur autem Deus secreta sua seruis suis reuelat: & quare non necesse est omnia fieri, quæ dicit, qui scire cupit, legat Hieronymum in Ionam, & Ezechielem.

Alij quidam Ioachimum vti Hæreticum calumniantur: quòd Innocentius tertius libellum quendam Ioachimi nomine, hoc est, iniustam aduersus Petrum Lombardum reprehensionem in Concilio damnârit: cùm ipse in epistolâ, quam propria manu exarauit, firmiter & humiliter fateatur, se eam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, iubetque cuncta sua opera composita, & componenda summo Pontifici assignari, quæ ipsemet morte fortassis præuentus offerre non valuerat, Apostolicæ sedis iudicio approbanda, & corrigenda. Idipsum Innocentius ipse in Decretali asserit. Et extat in bibliothecâ Vaticanâ epistola Honorij tertij Rom. Pon. ad Episcopum Lucan. in fauorem Ioachimi aduersus eius obtrectatores, quæ hæc est: Ad audientiam nostram noueritis peruenisse, quòd Abbatem, & Monachos Ordinis Floris de crimine hæreticæ prauitatis infamas, & à tuis subditis permittis infamari, sumens occasionem ex eo, quòd felicis memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster, libellum siue Tractatum, quem Abbas Ioachimus eiusdem Ordinis institutor edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de vnitate, seu essentia Trinitatis, generali approbante Concilio, damnauit. Cùm igitur idem prædecessor noster in sententiâ prædictæ damnationis expresserit, quòd per hoc Florensi monasterio nolebat aliquatenus derogari, quoniam in eo & regularis est institutio, & obseruantia singularis: idemque Ioachimus omnia scripta sua ipsi prædecessori nostro assignari mandaret Apostolicæ sedis approbanda iudicio, vel etiam corrigenda: dictans epistolam, cui propriâ manu subscripsit, in quâ firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Deo mater est cunctorum fidelium, & magistra: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus Fratres Ordinis supradicti super hæresews crimine nec ipse infamare præsumas, nec à subditis tuis permittas, seu aliquatenus dissimules infamari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 4. nonas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

De Abbate Ioachimo Rogerus Houodenus Anglus in 2 Chron. libro.

ANno 1191. dum Rex Ricardus adhuc in Palæstina esset, Ioachimum Abbatem Calabrum aduocabat, interrogans illum de Antichristo. Qui Respondit: Romæ iam diu fuisse natum, ac tum maximè regnare, exaltareque se super omne quod dicitur Deus, propter ea, quæ tunc fiebant Friderico Cæsari Barbarossæ per Alexandrum 3: & in coronatione Henrici 6 per Cælestinum tertium.

De eodem Abbate Ioachimo Vincentius Beluacensis Burgundio Gallus, Ord. Prædicator. in specul. Histor. lib. 29.

EO tempore Abbas Ioachim de Calabriæ partibus, venit ad Vrbanum Papam morantem apud Veronam: de quo Ioachimo fertur, quòd, cùm priùs non multum ab homine Doctore didicisset, donum intelligentiæ diuinitus accepit, adeò, vt facundè & discretè quaslibet Scripturarum difficultates & obscuritates enodaret: dicebat itaque, mysteria quædam Apocalypsis hactenus latuisse, sed nunc Spiritum propheriæ clarescere: sicut ex opusculo, quod scripsit, legentibus liquet. Dicit enim, quòd sicut Scripturæ veteris Testamenti, æratum seculi ab Adam vsque ad Christum decursarum, historijs occupatæ sunt: sic liber Apocalypsis ætatis sextæ à Christo decursum exponit, ipsamq; ætatem sextam in sex ætatulas dispertitam: easque singulas singulis huius libri periodis satis congruè designatas continet. Dicit quoque hæc reuelata fuisse in fine ætatulæ quintæ: atq; in proximo succedere sextam, in quâ tribulationes varias, multiplicesque passuras perhibet emersuras in apertione sigilli: & in sexto libri periodo, vbi de ruinâ Babylonis agitur, patenter ostenditur. Id verò in libello eius præ cæteris notabile & suspectum habet, quòd mundi diffinit terminum: & infra duas generationes, quæ iuxta ipsum annos faciunt 60, arbitratur implendum. Fertur itaq; multa scripsisse, librosque suos Domino Papæ corrigendos obtulisse. Nam & in quibusdam errasse dicitur, & tamen ei multa de futuris reserata fuisse feruntur. Vnde & postea duobus Regibus Franciæ & Angliæ, in itinere transmarino Messanam versus, Siciliæ vrbem hyemantibus, idem Abbas vocatus dixit: nondum Liberationis Ierusalem tempus adesse. Super his autem, quæ scripsit de futuris temporibus, nos rerum incertarum præsagium relinquere conuenit iudicio posteriorum. De hoc Vincentio postea.

De eodem Ioachimo Abbate Antoninus tit. 17. part. 2. cap. 7. §32.

EO tempore Abbas Ioachim de Calabriæ partibus venit ad Vrbanum Papam morantem tunc apud Veronam: de quo Vincentius in Speculo Historiali. Sed adde, quod dicit Thomas in 4: quòd, quicumque locuti sunt de fine mundi, determinando certum tempus, huius rei inuenti sunt falsiloqui, & deinceps etiam inuenientur hoc determinantes. Vnde August. de ciuit. Dei, super illud Act. 1, quod Christus dixit Apostolis: Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in suâ potestate, inquit: Hîc resoluit digitos omnium de hac re calculantium, & eos quiescere iubet.

Idem Ioachim in expos. sup. Ierem. vt refert Vincentius in spec. hist. lib. 32. cap. 107, sic ait: anno Domini 1200 & deinceps, tempora mihi suspecta sunt, & momenta, in quibus nouo ordine Samuelis exorto, Ophni & Phinees sacerdotes & Pontifices Dei à Romanæ Reipublicæ Principe captiuentur: capiatur arca Dei: Hely quoque, id est, summus Pontifex corruat, & quasi alter Mardocheus sub Haman maneat. Ipsam autē Ecclesiæ ruinam tales necesse est plangere, quib. & voluntaria paupertas arrideat, ac doctrinæ vitæque puritas in futuræ tribulationis aculeis obsistat. Tales ergò Doctores, & tales Prophetæ mittendi sunt, qui non solùm inferiores homines, sed etiam ipsos Pontifices & Prælatos palparent. Reuelandi nimirùm in proximo sunt Doctores, & Prædicatores fideles, qui terrena carnaliaque corda omni plagâ percutiant, & claris & tumidis magistris silentium suis studijs ponant. Et licet ille ordo futurus ad obedientiam sit oriturus: tamen à Prophetis est prænunciatus, & in apostolicis viris tertij temporis Ecclesiastici cursus à Deo cognitus & electus, in vuluâ Spiritualis Ecclesiæ ac perfectæ doctrinæ sanctificandus, ac si alius Beniamim filius, non tam doloris in pœnâ, quàm dexteræ, scilicet exultationis in gloriâ. Tales in proximo pariet generalis Ecclesia iam senescens. Tales Rachel plorabit filios, à rege impudenti facie, ac si altero Herode, occidendos. Qui propterea dicti sunt doloris filij, quia contritis eis spiritualis religio præ angustia temporis, non potuit consolari. Sed tamen & ipsi filij dexteræ dicuntur, quia vnde pro eis & in eis mater Ecclesia premitur: inde de eis & cum eis æterna patria iucundatur. Hi sunt Fideles in Doctrinâ: Spirituales in Vitâ: Obedientes in pressurâ. Formatus est ergò ordo iste ad instar Ieremiæ in Ecclesiâ generali, sanctificatus in obseruantia regulari, nequis eum de vitæ reprehendat merito. Puto etiam, quòd sicut Deus olim patres elegit senes: Secundò Apostolos iuniores: ita & nunc tertiò pueros ad literam eligat, propter eos, quibus vetera viluerunt, ad prædicandū Euangelium regni, Prælatis adulterantibus verbum Dei. Et sicut olim per Moysen & Iosue Dominus Chananæos Israëlitis subiecit: ac per Paulum ac Barnabam Idololatras strauit: sic etiam nunc per duos ordines futuros, in illis præsignatos, gentes incredulas subigat & conuertat. De hoc Antonino postea.

De eodem.

EXtat codex Gallicus, in quo recitantur antiquissimæ prophetiæ, & inter alia refertur: hunc Abbatem Ioachimum habuisse apud se Fratrem Ramierum Ponceum, qui prophetico spiritu claruerit.

De eodem Laonicus Chalcondila lib. 6. de rebus Turcicis.

IOachim Abbas, vir vaticinandi peritus, inter doctos Italiæ connumeratus prædixit multa: quomodo singuli ad Pontificatum essent peruenturi, & in eo victuri: & quemadmodum vaticinatus est, ita accidit. Etiam alia miraculo digna de hoc viro commemorantur. Nam cùm esset Idiota, nec vel modicum eruditionis haberet, ianitor in quodam Italiæ monasterio Nazaræorum (Floriaci) siue monachorum fuit: & quondam in hortum egresso apparuit vir formâ pulcherrimus: qui assistens ad Ioachimum, manuque amphoram tenens inquit: Ioachim, cape, bibe vinum hoc: est enim optimum. Qui dicto audiens bibit ad satietatem vsque, amphoramque reddidit inquiens: se satis bibisse. Cui vir respondit: O Ioachim, si totum hausisses vinum, nulla te scientia fugisset. Deinde in colloquium, & disputationem veniens cum viris eâ tempestate doctissimis, planè diuinus, quantum ad scientiam attinet, apparuit. Hinc factus Abbas de Pontificatus dignitate magna quædam vaticinatus est futura: quæ omnia tandem euentus confirmauit. Nam quæcunque prædixit, euenisse constat: licet vbique miracula eius per Italiam obuia sint. De hoc authore infrà.

De eodem Schedelius, Gigas, Ioan. de Oppido, & Tritheymius.

IOachimus Abbas Florensis monasterij, Calaber, homo & eruditione & vitæ sanctitate celebris floruit sub Imp. Friderico. Gigas eum sub Conrado floruisse asserit, Ioannes de Oppido sub Vrbano III. circiter annum Christi 1286: nonnulli eum reijciunt ad annum 1230. Spiritum Propheticum eum habuisse quidam affirmant: cæterùm Trithemius opinatur, fuisse coniecturas ex scriptura sacra petitas. Papæ & sacerdotibus contradixit, quòd in Simoniam sint immersi, luxu & libidine

penitus

penitus perditi. Item, illos Iudæos & ethnicos suis sceleribus deterrere, quò minùs Christianam doctrinam amplexentur. Scripsit in Ieremiam Prophetam, Euangelium Ioannis, Danielem Prophetam, Apocalypsin Ioannis, De septem sigillis, Psalterium decem chordarum, De futuris temporibus: item contra Petrum Longobardum, quem librum Pontifex in concilio Lateranensi damnauit, quòd quædam minùs rectè de Diuinitate docuerit: quæ damnatio Iuri Canonico inserta est. Schedelius ætate 6. De monachis minoritis prædixit, tales breui venturos (nam imaginem eorum in suo cubili expresserat) funibus præcinctos, sandalijs calceatos, & ad finem seculi duraturos.

Vrbano III. P. tempus diei nouissimi prædixit, futurum intra duas generationes, hoc est, 70 annos, & tunc implenda omnia, quæ de Antichristo prædicta circumferebantur. De his authorib. infrà.

De eodem F. Anshelmus Bochturnius Vicentinus.

QVis ignorat Abbatem Ioachimum diuinum fuisse? vt etiam Augustinus ipsas Sibyllas laudat.

De eodem Paulus Æmilius.

REges Franciæ & Angliæ, Philippus & Richardus, cùm iter in terram sanctam cum alijs instituissent, numine afflatus Ioachim Abbas ex continenti Italiâ Messanam ad Reges euentum belli prænoscendi cupidos productus, ituros eos, sed parùm profecturos respondit, eò quòd nondum diram belluam sua fata appeterent: nec terræ sanctæ repetendæ dies illuxisset. Nimis verus vates Ioachimus extitit.

De eodem Henricus Erfordiensis cap. 93.

NOtandum autem est, quòd pluribus videtur liber iste, qui dicitur Euangelium æternum, non fuisse Ioachimi: sed aliquis, vel aliqui moderni temporis composuerunt illum.

De eodem Albertus Abb. Stadensis in Chronico.

HIs auditis rumoribus, prophetiam Abbatis Ioachimi quidam reduxerunt ad memoriam, qui dixit: Superabitur Francus, capietur summus Pontifex, præualebit imperans Alemannus. Sed frater Alexander in expositione Apocalypsis eandem prophetiam tangens subijcit sic: Sed Ecclesia orat, vt quod dictum est in vltionem, transeat in salutem.

De eodem Pandulfus Collenutius.

COnstantia igitur grauida Henricum in Germaniam secutura, in Picenum vsque peruenerat, vbi cùm à marito mandatum accepisset, ne vlteriùs progrederetur, sed ad regni Neapolitani fines rediret, ob quosdam tumultus qui ibi concitati esse dicebantur, essetque iam partui vicina, in Esiorum vrbe, in qua tunc erat, filium peperit anno M. C. VIC. eumque paterni aui nomine Federicum appellauit. Et quoniam ætate prouecta iam annum quinquagesimum superabat, vix credebatur verè concepisse: qua de re Henricus ipse primùm omnium suspicatus fuerat: nam statim postquàm id intellexisset, vt certam rei cognitionem haberet, consuluit Ioachimum Abbatem, qui tunc florebat, & prophetici Spiritus fama celebris erat: à quo responsum accepit, quòd ab sese reuera concepisset, & filium esset paritura. Idem Abbas multa alia tunc Imperatori prædixit de successibus, quos in vita vnà cum coniuge esset habiturus, & morte, quam non multò pòst ad Malazzium Messanæ vicinum subiturus esset: & quædam denique Erythreæ Sibyllæ, & Merlini oracula declarauit.

De eodem Matth. Flacc. Illyr.

ABbas Ioachim Calaber, homo eruditionis & etiam sanctitatis vita nomine cumprimis celebris floruit anno 1200: in quibusdam Germanicis rhythmis iam quidem olim scriptis, sed recens Francofordiæ editis, inter alia quoque sic inquit:

Sehet welch vnehr mit dem Spott/
Der Christen Pfaffen bringen Gott.

Extant quædam eius prophetice picturæ super Apocalypsim cum Italicis expositionibus, vbi etiam asperiùs Papam & spirituales accusat. Damnatus est à Papa in quodam concilio Laterano, quòd quædam minùs rectè de diuinitate docuerit, estque ea damnatio iure canonico inserta: sed à Luthero propria quadam disputatione defenditur. In alio quodam libello prædicit etiam, fore vt Christus Ecclesiã suam repurget. Et ratio reformationis præsentiũ temporũ reb. pulchrè consonat.

Super Hieremiam sic scribit: Est & alia ficus, quæ maledictione præuaricationis iam aruit, scilicet Latina Ecclesia, siue nauicula S. Petri, & eius folia temporalia, de quibus conficiuntur perizomata ad excusandas excusationes in peccatis, quibus inhonesta-

tem vitæ suæ tam Adam summi Pontificis, quàm Eua Ecclesiæ subiectorum operiant, & in ligno Ecclesiasticæ gloriæ sese miserabiliter abscondant. Patrimonium Iesu ipsi Pontifices à Principibus Christianis, quasi Boni & Mali scientiæ lignum sumunt: Boni, quoad sustentationem vitæ: Mali, quoad dissipationem & libidinem vitæ, & abusum, cupientes gigantes fieri super terram reip. famosique viri per totam latitudinem Imperij Christiani, non contenti stipendijs, &c.

Et aliquantò pòst. Nam secundum sententiam S. Brigittæ, potens est Deus suscitare & Francos aduersus Ecclesiam. Cùm enim Ecclesia Romana deficiat quoad obedientiam, & Pontifices ex Alemannis thesaurum extrahentes, filios & filias ad culmen dignitatis secularis promoueant, volante matre cum pullo. ad errorem ducetur populus Christianus: tum fluis, clamor & vlulatus vniuersæ carnis veniet ad Dominum astrorum, &c.

Plenus autem est prophetijs de futura Ecclesiæ reformatione, & insectatione perditissimi status Ecclesiæ, præsertim cleri & Prælatorum.

De eodem Paulus Scalichius comes à scala.

IN huius Abbatis Ioachimi vaticinia etiam Paulus Scalichius, qui in edita sua Genealogia comes de Scala haberi voluit, scripsit annotationes, sed obseruandum quo tempore. Cùm enim ab initio confiteretur reformatã per Lutherum religionem, & contra Papatum laudabiles tractatus plures edidisset, publiceque disputando illos defendisset, vtpote inter alia, de chorea Monachorum, seu cœtu Antichristi: de labyrintho Romani Antichristi: dialogum de Missa: glossam in 32 Articulos Canonis Missæ ex Apostolo: Epistolam ad Romanum Antichristum contra centurias Fr. Ioann. Nals: & alia vtilissima contra Papatum: per ea miris se modis gratiæ Ducis Prussiæ insinuauit admodum, vt magnam authoritatem inde contraxerit, & consiliariorum facilè primus factus fuerit. Cùm verò successu temporis larua detracta ex tota Borussia proscriptus fuisset, ex desperatione Monachus & turpis Apostata factus ventris causa, & spe præmij, vt alij plures hoc seculo, raptus stylum vertiginis pro Papa contra priora stringere occepit. Verùm enimuerò cautè Papa eiusmodi vespertiliones transfugas recipit quidem, sed parùm illis ob leuitatem suam fidit, nec vnquam ad superiores gradus dignitatis ascendere finit. Exempla sunt in promtu multa, ne scilicet, qua accesserunt eadem iterum leuitate saginati recedant, aut totius Papatus reformationem & ruinam captent: id quod quidam & de Iesuitis aliquando futurum non malè sperant, moti prophetia Abbatis nostri Ioachimi vatis, in cap. 1. sup. Ieremiam vbi inquit: Quòd secundo loco ipsi Prælati superbi contra Catholicam dignitatem, & Apostolicam sedem conspirabunt: de quo suprà.

Incertus author.

IN quodam veteri codice erant hi versus, sine authoris nomine, contrà Romanas impietates & abusus:

Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
Subdita nunc seruis heu malè Roma ruis.
Deseruêre tui tanto te tempore Reges,
Cessit & ad Græcos nomen honosq; tuus.
Constantinopolis florens noua Roma vocaris,
Moribus & muris Roma vetusta cadis.
Transiit imperium, mansitq; superbia tecum,
Cultus auaricia te nimiùm superat.
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
Seruorum serui nunc tibi sunt Domini.
In te nobilium Rectorum nemo remansit,
Ingeniumq; tui rura Pelasga colunt.
Truncasti viuos crudeli vulnere sanctos,
Vendere nunc horum mortua membra soles.
Nam nisi te meritum Petri Paulig; foueret,
Tempore iam longo Roma misella fores.

Quatuor vltimi versus in primis digni obseruatu sunt, qui indicant, Romæ ac Papæ regnum super venditionem reliquiarum, id est, corruptam religionem, extructam esse. Catal. Imp. Philip. Papa Innocentio 3. vt sup.

Finit Centenarius duodecimus.

Anno Christi.	Num.	CENTENARII DVODECIMI IMPERATORES.	Anni.	Menses.	Dies.
1106	113	Henricus V. Iunior.	18	9	15
1125	114	Lotharius Iunior.	13	2	21
1139	115	Cunradus 3 Sueuus.	12	10	15
1152	116	Fridericus 1 Barbarossa.	37	3	7
1190	117	Henricus 6.	8	2	22
1199	118	Philippus.	9	3	15
1199	119	Otho IV.	20	2	aliquot.
		PONTIFICES.			
1101		23 Albertus Atellanus.	0	4	
1102		24 Theodoricus Romanus.	0	3	15
1102		25 Syluester 3 Romanus.		aliquot.	
1118	163	Gelasius 2 Iunior Caietanus.	1	0	5
1118		26 Gregorius 8 Hispanus.	3		
1119	164	Callistus 2 Burgundio.	5	10	13
1124	165	Honorius 2 Bononiensis.			
1124		27 Cælestinus 2 Romanus.	0	0	1
1130	166	Innocentius 2 Romanus.	13	7	8
1130		28 Anacletus 2 Romanus.	7	9	
1138		29 Victor 4 Romanus.	0	5	
1143	167	Cælestinus 2 Tifernas Thuscus.	0	5	13
1144	168	Lucius 2 Bononiensis.	0	11	14
1145	169	Eugenius 3 Pisanus.	8	4	12
1153	170	Anastasius 14 Rom. Suburanus.	1	4	24
1154	171	Hadrianus 4 Anglus.	4	8	28
1159	172	Alexander 3 Senensis Thuscus.	21	11	23
1159		30 Victor 5 Romanus.	4	7	
1164		31 Paschalis 3 Cremensis.	5		
1169		32 Callistus 3 Hungarus.	7	5	
1177		33 Innocentius 3.		aliquot.	

1181	173	Lucius 3 Senenſis Thuſcus.	4	2	28
1185	174	Vrbanus 3 Mediolanenſis.	1	10	25
1187	175	Gregorius 8 Beneuentanus.	0	1	27
1188	176	Clemens 3 Romanus.	3	2	20
1191	177	Cæleſtinus 3 Romanus.	6	9	11
1198	178	Innocentius 3 Anagn. Signius.	18	6	9

Anno Chriſti.	*Num.*	CONCILIA.	*Epiſc.*	*Seſſ.*	*Can.*
1102	410	Romanum 85.			
1104	411	Forentinum.			
1106	412	Moguntinum.			
1106	413	Vaſtalenſe.			
1107	114	Trecenſe.			
1108	415	Beneuentanum.			
1112	446	Romanum 86.			
1113	417	Beneuentanum.			
1114	418	Cyperanæum.			
1115	419	Troianum.			
1116	420	Romanum 87.			
1117	421	Beneuentanum.			
1118	422	Viennenſe.			
	423	Colonienſe.			
1119	424	Friteslarienſe.			
	425	Remenſe.	426		
1122	426	Romanum 88.			
1123	427	Romanum 89.			
1123	428	Troianum.			
	429	Piſanum.			
1130	430	Claromontanum.			
	431	Stampiſanum.			
1131	432	Leodienſe.			
1131	433	Remenſe.			
1133	434	Placentinum.			
1135	435	Piſanum.			

Roma-

1139	436	Romanum 90.	1000		
1148	437	Remense.			
1150	438	Galliarum.			
1163	439	Turonense.	550		
1177	440	Veneticum.			
1180	441	Romanum 91.			
1184	442	Veronense.			

ORDINES.

1110. *Ord. Templariorum.*
1113. *Ord. Bernhardinorum.*
1119. *Ord. Præmonstratensium.*
1121. *Ord. Militiæ Calatrauæ.*
1137. *Ord. Robertinorum.*
1148. *Ord. Gilbertinorum.*
1160. *Ord. Carmelitarum.*
1170. *Ord. militum D. Iacobi de Spatha.*
1190. *Ord. Teutonicorum Marianorum.*
1190. *Ord. Franciscanorum seu Minorum.*
1200. *Ord. Cruciferorum.*

DOCTI VIRI.

Petrus Alphonsus.
Sigebertus Gemblacensis.
Fluentinus Episcopus.
Hali Abbas.
Gratianus.
Petrus Lombardus.
Petrus Comestor.
Raymundus Hispanus.
Guilielmus Tyrius.
Benedictus ab Acoltis.
Honorius Augustodunensis.
Celsus Armachanus.

Rupertus Abbas Tuitiensis.
Iudaici Annales.
Tanchelinus.
F. Felix Fabri.
Hugo de S. Victore.
Eccardus Abbas.
Elmerus monachus Malmesburiens.
Helmoldus presbyter.
1140 *D. Bernhardus Abbas Claræuall.*
Joannes Saresburiensis.
Henricus Tholossanus.
Petrus de Bruis.
Guilielmus Mamelsburiens.
Auicenna.
Auerrois.
Ligurinus Poëta.
Rupertus Lincolniens. Episc.
Arnoldus Brixiensis.
Anselmus Auelburgensis.
Vgetinus.
Elizabetha virgo.
Etmundus Cantuariens.
Albertus Rigiens.
Galfridus Monumetens.
Radeuicus.
Alpetragius Marrocritanus Astron. παράδοξος
Antonius du Pinet.
Dodechinus.
Saxoniæ Chron.
1160. *Joannes VValdus.*
Ioannes Mesue vel Damascenus.
Ek de Repkau.
Ekbertus Abb. Benedictinus.
Petrus Blesensis.
Bernhardus Cluniacensis.

Otto

Otto Frisingensis.
Simeon Dunelmensis.
Gualo Brittannus.
Ealredus Riuallens.
Michaël Glycas.
Ioannes Comnenus.
Nicolaus ab Arragonia.
R. Beniamin Tudelensis.
Rupertus Abb. de monte S. Michaëlis.
Almericus Gallus.
Hildegardis.
Angela virgo.
Petrus Cantor.
Gotfridus Viterbiensis.
Bertoldus de Osinberg.
Ganfredus.
Nigellus VVirecker.
Ioannes Salobriensis.
Constantinus Manasses.
Gilbertus Cisterciens. monach.
Petrus Cluniacens.
Syluester Giraldus.
Gualterus Mapes.
M. Ioannes Ioachimus Abb. Florensis.



LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS DECIMVS TERTIVS.

Ordo S. Spiritus Hospitaliorum.

1201.



HIc Romæ circa annum 1201. iuxta Panninium cœpit: quem eundem esse putant cum Ordine fratrum S. Sancti, qui anno 1210. ortum habuit: vt refertur in Chron. Saxoniæ. Confirmationis eius formula extat in Decretis. Officium eorum fuit præcipuum, pauperes ægrotos hospitio recipere & curare, mortuosque sepelire. Hosp. Imp. & PP. V. S.

Ordo Gladiatorum seu Gladiferorum.

1202.



FVnccius eos ponit in annum 1202. Crantzius eos vocat Crucegladiatores: gerunt enim gladios duos rubros transuersim in modum crucis in pallio: quia Regula eorum est pugnare pro Ecclesiâ & contra infideles cum sanguine. Vestitus albus significat puritatem fidei, & castitatem. Franciscus Modius illos anno 1196. & in Liuoniâ ortos scribit. Ex hoc tandem & Teutonico vnus ordo factus est. Chronicon Ord. Teutonici, Funccius, Nauclerus. V. S.

Sacrificulus Cytharœdus fulmine ictus.

1203. ANno 1203. prope Stendalium in pago Ossemero Parochus suis rusticis, feriâ quartâ post Pentecosten, lyrâ cecinit, qui ad cantum saltabant. Protinus igitur fulmine brachium eius dextrum tactum, & reliquorum alii 24. choream ducentes miserè interfecti. Chron Saxoniæ. Imp. Philippo. PP. Innocentio 3. V. S.

De S. Dominico.

1203. HOc anno cœpit inclarescere S. Dominicus, de quo versus:

Sanctus Dominicus sit nobis semper amicus,
Cui canimus nostro iugiter præconia rostro,
De cordis venis, siccatis antè lagenis.
Ergò tuus laudes si tu non pandere gaudes
Tempore paschali, fac ne potu puteali
Conueniat vti: quod si fit, vndique muti
Semper erunt fratres. qui nil curant nisi ventres.
Et alii: *O monachi, vestri stomachi sunt amphora Bacchi:*
Vos estis, Deus est testis, turpissima pestis. Imp 100. Philipp. PP. 181. Innocentio 3.

Osten-

Ostentum.

Anno 1205. cùm Philippus Imperator Brunsuicum obsideret, conspectus est autor tutelaris Brunsuici, vt historici eum vocant, sacro & venerabili amictus habitu, & manu vibrans gladium euaginatum: quo comperto, Cæsar ex metu obsidionem soluit, & vrbem libertati reliquit. Crantzius in Saxon. lib. 7. c. 16. Imp. & PP. V. S. 1205.

Ordo Prædicatorum, seu Dominicanorum. 1205.



Hic ordo cœpit iuxta Onuphrium anno 1205. secundum Francum anno 1220. Ei Dominicus author est natus in Hisp. villa Callagora, Exonensis diœcesis, anno 1170. Huius mater grauida cum illo visa est sibi in somnis portare lupum in ore gestantem ardentẽ facem, quâ totus mundus accenderetur. Vincent. Anton. Theodoricus de Apoldiâ apud Surium. Antoninus hoc interpretatur pro nasciturо infante: Francus contra, Lupum enim nihil boni vnquam significasse. Vt enim Hecuba prægnans sibi visa est facem ardentem parere, & Paridem, qui Troiæ patriæ suæ exiium fuit, postea enixa est: sic quoque somnium hoc infaustum omen portendisse putat, cùm similium idem sit iudicium. Ioannes Iustinianus, Dominicum in vtero matris vt canem latrasse, affirmat in sermone de sancto Nicolao. Hosp.

Regulam habent Augustini. Silentium Dominicus suis monachis præcepit seriò, quod Iordanes Theologus Parisiensis inter Prædicatores primus instituisse fertur. Volateranus. Vestitus eis à Maria Virgine præscriptus est candidida tunica, nigro pallio superiniecto, & ab humeris ad caput scapulare tegmen. Theod. de Apoldiâ in vitâ Dominici. Anton. Sab. Bergon.

Vituperauit valdè Dominicus palatia sumtuosiora cænobiorum. Anton.

Dominicani iurare nolunt regulam suam, vt, si eam minùs strictè seruent, pro periuris haberi non possint. Card. de Turre Crematâ in suis ad Benedicti Regulam annotationibus, fol. 52. Col. 1.

Impudentia verò hoc loco eorum notanda venit, qui negant, ex hoc ordine Imperatorem sanctissimum Henricum 7. à Confessore, & Capellano suo communicantem in hostiâ consecratâ fuisse intoxicatum: cùm id grauissimis Historicis non sit dubium. Trith. Crantzius, Ptol. Lucensis, & alii plurimi. Et constat, ob hoc factum execrandum omnes Prædicatores à Papâ hac pœna notatos, vt vsque in hunc diem, ac deinceps communicantes in altari eorum sacerdotes sinistrâ manu communicent, vt scribunt iam dicti authores.

Notat Antoninus, quòd suo tempore hic ordo habuerit in Italiâ conuentus, siue monasteria 145. in Tolosanâ prouinciâ 25. in Prouincia 27. in Francia 29. in Hispaniâ 29. in Saxoniâ 46. in Aquiliâ & VValliâ 44. in Arragonia 14. in Teutoniæ prouinciâ 48. in Hiberniâ 24. in Scotiâ 13. in Poloniâ 32. in Boëmiâ 22. in Hungariâ 35. in Daciâ 26. in Græciâ 4. in terrâ Sanctâ 5. Tacentur, quæ etiam Monialium huius ordinis in prædictis Regnis fuerunt. Sabellicus refert, suo tempore, anno 1494 Cœnobia eorum fuisse 4143. & in his initiatos 26460. Magistros verò Theologiæ 1500. Hugo de S. Caro, quem faciunt primum Postillatorem Bibliorum, ex hoc quoque ordine fuit.

Apud Antoninum, Vincentium, Iacobum Mosandrum Carth. de probatis sanctorum historiis, & alios huius Dominici, & eius Ordinis singularia multa: & inter illa non solùm eius facta, sed & ipsemet qualiter cum ipso Christo comparetur, & eius miracula maiora quàm Saluatoris (prodigiosis blasphemiis) iudicentur, inuenies. Sed & alia plus quàm horrenda: quæ referre mens stupet, & abhorret: vt Hospinianus hoc loco exclamet, & dicat: Has blasphemias dum in gratiam Lectoris adscribo, Deum misericordiæ patrem oro, vt mihi ignoscat.





Tum temporis imagines duorum depictæ cernebantur Venetiis in Ecclesiâ S. Marci, quarum vna erat admodũ religiosi in habitu ordinis Prædicatorum, cum lilio in manu. Altera similitudinem habebat Apostoli Pauli, prout pingi consueuit, super quem scriptum erat: AGIOS PAVLVS: sub figurâ autem prope pedes: SIC PER ISTVM ITVR AD CHRISTVM. Super figura altera scriptum erat: AGIOS DOMINICVS: & infra: FACILIVS autem PER ISTVM ITVR AD CHRISTVM. Sed etiam alia quædam horrenda, quibus Dominicum Christo præferunt ad scribam: Resuscitauit Dominus tres mortuos, vt ex Euangelio constat, integri corporis: sed Dominicus Romæ duos conquassatos, & totos dilaceratos, & 40. alios in flumine magno iuxta Tolosam cum naui diu submersos iterum reuocauit sospites. Christus bis famelicos pane satiauit, & aquam conuertit in vinum: Dominicus verò sæpius, Romæ & Bononiæ deferentibus Angelis panem cœlestem fratribus dedit. Christus immortalis ianuis clausis ad discipulos intrauit: Dominicus verò mortalis, quod mirabilius est, sæpe in Ecclesiam clausam noctu ingressus est, ne fratres excitaret. Christus postquàm transiuit ex hoc mundo, innumerabiles homines ad viam veritatis attraxit: Dominicus autem multò plures. Sed & Angelos in specie humanâ administrantes habuit: & ad nutum quoque dæmonem obedientem & contremiscentem, quem pater, quando ipsum in formâ fratris secum duxit per cellas & totum cœnobium, ad omnia interrogata respondere coëgit.

Moriens fratribus dixit: Nolite plorare: quia eo loci, quò vado, vtilior ero vobis, quàm hic fuerim. Anton.

Sed & post mortem inuocatus sex mortuos resuscitauit. Et quendam per octodecim annos cæcum, & debilem cum Parocho suo ad reliquias eius concedentem planè restituit. Antoninus scribit, paucissimos reperiri sanctos, quorum vita sit adeò similis Christo, ac Dominici. Addit Dominicum dici, quasi à Domino custoditum à corruptione peccati. Et postea, Dominicum dictum, quasi totum Domini: vt Christus Dominus sit absolutè & auctoritatiuè, Dominicus verò possessiuè. Sed abhorreo plures recensere blasphemias. Hospinianus 19 alias cum Christo collationes recitat execrandas, vt apud eum.

Moniales Sancti Dominici.

INstituit Dominicus Romæ Sanctimoniales sui Ordinis, & omnes iubente sic Papâ, dispersas in vnum, etiam reluctantes collegit: & Ecclesiam S. Sixti, vbi priùs fratres Dominicani habitauerant, eis attribuit. Primum fuit hoc cœnobium Nonnarum Dominici Romæ institutum ex visione quadam sine dubio fictâ, quæ recitatur ab Apoldiâ, & Antonino.

Alexander Theologus Britto.

1206. Hic à Rege missus fuit Romam, vt defenderet Regiam potestatem contra Papam: igitur probabat rationibus & scripturis, non esse in regnis à Deo constitutis potestate Regiâ dominationem maiorem: Episcoporum verò nullum esse temporale regimen, cùm Christi regnum non sit de hoc mundo. Adduxit Gregorii Magni dicta ad Augustinum monachum, atque contra omnes in conflictatione præualebat. Sed postea fuit remotus ab officio, & in exilium ob veritatem pulsus. Imp. & PP. vt suprà.

Idem ausus fuit durissima in Papam scribere, contra eius potestatem: temporale dominium: de cessatione Papali: potestate Vicarii: & alia. De quo Balæus & alij.

De Paparum cum Imperatoribus concordia.

1208. *Imp. 103. Othone 4. PP. 183. Innocentio Tertio.*

OTtho rex principum consensu ad Imperium euectus, rebus in Germania constitutis, ad diadema imperiale recipiendum cum valido exercitu per vallem Tridentinam contendit: ac per Lombardiam, Romam perueniens ab Innocentio tertio, & vniuerso clero populoque Romano sibi occurrente, magno honore excipitur: quòd Pontifex in eo, cuius partes tanto tempore, tanto-

que studio aduersus Philippum fouisset, honoribus cumulando nihil sibi prætermittendum existimaret. Verùm hic amor non diu inter vtrumque durauit: sed quo calore subitò exarserat, eo quoque rursus extinctus, atque in odium conuersus est. Nam in ipso coronationis die, inter Teutonas atque Romanos causa donariorum, quæ ab Imperatoribus dari vulgo consueuerant, tumultu exorto, ita vt circiter mille ac centum viri cecidisse ferantur, non paucioribus grauiter vulneratis: Ottho rei indignitate commotus, de resarciendis damnis Romanos conuenit. Id verò his facere detrectantibus, ac pontifice ei suspecto, quasi qui ciuibus tumultus occasionem præbuisset: Româ suorum auxilio stipatus, Mediolanum secedit: ibique Imperialibus insignibus depositis, ac militum non paruo exercitu contracto Thusciam, marchiam Atonitanam, totamque Romandiolam, patrimonium Sancti Petri (vt aiunt) inuadit. Adhæc Apuliam manu hostili intrat, & Capuæ ducatum, aliasque complures ciuitates, ad regnum Siciliæ pertinentes, Friderico secundo nihil tale suspicanti ereptas, in suam potestatem redigit. Innocentius hisce visis Otthonem, vt regna Ecclesiæ feudataria reddat, & ab iniuria omni abstineat, admonet. At eo pontificis admonitiones non tantùm spernente, sed & vndique terris latrociniis infestatis peiora moliente: Innocentius eum anathemate notat, Imperii titulis priuat: ac principes sacramenti religione, qua Otthoni tenebantur, absoluit: prohibetque, ne quis sub anathematis pœna Otthonem aut haberet, aut diceret Imperatorem: Siciliæ rege Friderico, cui in cunis adhuc iacenti principes fidem dedisse ferebantur, in eius locum suffecto.

Ottho itaque in Germaniam reuersus, etsi Norinbergæ conuentu acto, multa de scelerata tyrannide pontificum, & principum ignauia conquestus quosdam sibi adiunxerit: & Hermannum Landgrauium Thuringiæ, qui ad mandata pontificis ab ipsius fide discesserat, Thuringia tota vastata, grauiter afflixerit: tamen tandem à suis desertus in Saxoniā redire coactus est: vbi quarto die, postquàm nuptias Augustales Northusii cum filia Philippi celebrasset, morbo correptus interiit. Schardius ex Vrsperg. Nauclero, & aliis.

Geruasius Tilger.

FVit hic regni Arelatensis Mareschallus, & librum conscripsit titulo, de Otiis Imperialibus, quem consecrauit Ottoni IV. Imperatori. Laudanda sanè illa Imperatorum & Principum otia, quæ studiis historiarum impertiuntur.

Ordo sanctæ Trinitatis, siue equitum de Redemtione captiuorum. 1211.

POlydorus huius Ordinis auctores Ioannem Mattensem, & Felicem anachoretam: initium annū 1211. facit, & addit, ab Innocentio regulam & vestitum impetrâsse, album pallium, cæruleâ & rubenti cruce insignitum. Christianos ab infidelibus captos & propriâ & aliorum ope (cuius gratiâ eleemosynas colligebant) redimere tenebantur: quæ charitas hodie in totum emortua est. Sab. Polyd. Hector Boëtius, Volat. Gaguinus, Trith. Onuphr. initium huius ordinis ponit in annum 1208. Imp. 101. Ottone 4. PP. 181. Inn. 3.

Friderici 2. Imperatoris Astrologus. 1212

FRiderici II. Imperatoris Astrologus ab eo interrogatus, cur tantum honoris Rudolpho Habspurgensi Comiti pauperi in aula sua tunc versanti exhiberet, respondit: Mortuis tuis filiis, quorum adhuc decem supersunt, ipse & posteri eius ad tua regna peruenient. Auctor Albertus Argentinensis. Et hoc exitus ipse probauit. Nam anno Christi 1273. Calend. Octobris, Rudolphus à Germanis Principibus Francofurti in regem Romanum eligitur, cùm Basileam obsideret. Et hodierno adhuc die videmus Rudolphi posteros regnum Neopolitanum, & ducatum Austriæ & Sueuiæ vnà cum Imperio & regno Neapolitano obtinere. Modernus enim Imperator Rudolphus ab eo nomen & ditiones hæreditario iure accepit. Et Philippus Hispaniæ Rex ex eodem natus, regnum Siculum & Neopolitanum nactus est. Imp. 102. Frid. 2. PP. 181. Inn. 3.

Prodig.

ANno 1212. antequàm Tartari in Thraciam irruptionem facerent, in Thraciæ campis cornicum & coruorum legiones, aliæ ab Austro, aliæ ab Aquilone conuenerunt, & pugnam committere visæ sunt. Corui, qui ab Austro venerant, quia magnitudine corporum corniculas superabant, superiores extiterunt. Nicetas in Annal. Balduini Flandri. Imp. 102. Frid. 2. Papa vt suprà.

Mainardinus Imolensis Episcopus, Guilhelmus Podius, & Andreas Dandalus.

HI de vita Friderici scripserunt, & recitat Pandulphus Callenutius prognosticon fallax de eius morte, quod vide ibi. Fuit septem linguarum peritus, & vir fortis, vt infrà in Collenutio videbimus.

Ordo Militiæ Montesiæ.



ORdinem hunc militum Motesiæ (qui locus est Regni Valentiæ) Iacobus Rex Arragonum instituit anno Domini 1214. Volat.

Ordo Eremitarum S. Pauli.



ANnno 1215 hic Ordo cœpit in Vngariâ, sub Regula Augustini. Panuinius, Francus, Balæus, apud quos require cætera. Imp. 102. Frid. 2. PP. 181. Inno. 3.

De Paparum cum Imper. concordia.

Imp. 102. Friderico II. PPPP. Honorio tertio, Gregorio IX. Celest. & Innoc. IV.

FRidericus secundus omni planè laude, cùm forensi tum bellica, testimonio omnium scriptorum, dignissimus Imperator, deiecto Otthone, Aquis grani diadema Imperiale Innocentii tertii autoritate accepit: ac hoc anno subsequenti Perusii mortuo, Romæ ab Honorio tertio imperiali corona cum nomine Augusti accepta, multa Italiæ prædia, atque in his comitatum Fundensem, cum donis plurimis Ecclesiæ contulit, seq; ad expeditionem Hierosolymitanam, rebus Imperii priùs constitutis, obstrinxit, more maiorum, qui falsa religionis persuasione decepti putabant, non aliter se posse imperialem dignitatem, nisi muneribus & votis obtinere: ignorantes, Imperium non tam à pontificis autoritate, quàm Principum populique electione pendere: Pontificesque, qui principum arma sensissent non modico rerum suarum dispendio pro recuperandis Hierosolymis, non tam pro Christianæ Reipub. commodo, quàm pro suorum ventrium inpinguatione solicitos esse: vtque principibus ad vlteriores mundi partes (hoc astu in specie valdè honesto) transmisis ipsi interim suas artes domi liberè, citraq; vllius contradictionem exercerent. Vtut verò Fridericus initiò se erga Honorium humilem ac liberalem exhibuerit:

erit: tamen nec virtus ipsum contra pontificum dolos, impietatem, atq; nefaria consilia tueri, nec beneficiorum magnitudo sceleratos pontificum animos mutare vel frangere potuêre. Adeò enim duriter tres sceleratissimi pontifices continuata serie sibi inuicem succedentes, fortissimum & bellicosissimum Imperatorem per totos ferè 30. annos exercuêre, vt immanissimi Barbari, Saraceni & Turcæ, quibus cum difficilima bella insigni laude gessit, ipsos placabilitate, mansuetudine ac lenitate longissimè superasse verè dici possint.

Siquidem Honorius paulò post accepta beneficia, nulla iniuria irritatus, duos Thusciæ comites, Richardum & Thomam, perduellionis reos, publicos Imperatoris hostes ac inimicos seditiosè fouit, & ab eius fide absoluit. Deinde, quòd ius suum in Siciliæ & Apuliæ regno liberè vsurparet, anathemate notatum Imperii dignitate priuat: Longobardos ad rebellionem concitat, ita vt principes Germaniæ ad curiam solennem ab Imperatore Cremonæ indictam venientes repellerent: plura attentaturus, si longior vita ei contigisset. Gregorius itaque nonus, qui ei successit, ne prædecessore inferior videretur, crudeliore animo in optimum Imperatorem statim inito pontificatu sæuit. Eum namq; accusans, quòd Hierosolymitanæ peregrinationis votum, quod sub Honorio vouerat, minimè solueret, termino præfixo ad subsidium terræ Sanctæ proficiscendo, non modò non vlla ratione conuictum, vel conuentum, sed neq; auditum anathemate renouato condemnat: & nuncios Imperatoris honestissimos, honestas ac veras domini sui excusationes afferentes, submisseq; veniam, si Fridericus deliquisset, petentes ad se admittere, vel in conspectu concilii audire renuit: sed quotidie fulmen anathematis eiaculatus Ioannem Hierosolymitanum regem, ac Thusciæ comites Imperatori rebelles, multosq; alios è Lombardia proceres in rebellione confirmat, principibus ad diem conuentus ab Imperatore Rauennæ indicti properantibus iter intercipit: ac milites cruce signatos, Hierosolymitanæ expeditioni accinctos, omni viatico spoliat.

Iis itaque Fridericus visis, quò Pontificis rabies mitigaretur, traiecto mari Accon applicuit, multaq; propter Christi fidem non sine labore ac gloria peregit. Interim verò Papa per Imperatoris absentiam (proh nefandissimum pontificum nefas) captata occasione Apuliam tyrannidi suæ subiicit, cruce signatos milites traiicere prohibet, multaq; horrenda non tantùm Vicario Christi, sed & Pontifice Romano indigna committit. Nam & nuncios Imperatoris rem benè contra Soldanum gestam nunciaturos, occidi mandat: & vt vrbes Apuliæ, quæ se pontifici subiicere noluerant, inflecteret, Imperatorem diem suum obiisse publicè spargit. Soldanum etiam, quò ipse pro sua libidine totam Apuliam sibi subiiceret, ne terram sanctam Cæsari redderet, rogat. O pietatem sanctissimi patris. O studium singulare Pontificis in persequendis infidelibus. Idne militare pro Christianis Imperatore contra fidei Christianæ hostes, patrem erat agere, an proditorem? Vicarium Christi, an Sathanæ? At Imperator in Italiam reuersus, licet nuncios Pontificis cum literis ad Soldanum intercepisset, quibus hunc rogabat, ne terram sanctam Cæsari redderet, nec vindicandi sese de Pontifice occasione destitueretur: tamen recuperatis iis, quæ sibi absenti ablata fuissent, omnia tanquam fortis athleta amore Christi suffert atq; dissimulat: & pacis cupiditate vltrò Pontificem, vt in gratiam recipiatur, Imperatorq; vocetur, ac pro regno Siciliæ verus Ecclesiæ feudatarius habeatur, rogat.

At quantumuis multi Alemanniæ principes tam Ecclesiastici, quàm seculares, vtpote Eberhardus Salisburgensis, Seyfridus Ratisponensis, Sibotus Augustensis, Episcopi: Leopoldus Austriæ, Ottho Merouiæ, & Bernardus Carinthiæ Duces, aliiq; complures de reconciliando pontifice cum Cæsare, tum Capuæ agente, summoperè anniterentur: nulla tamen concordia priùs coire, vel absolutio impetrari potuit, quàm Imperator vncias auri centum & viginti millia per magistrum militiæ Teutonicæ ærario Ecclesiæ inferret. An hoc erat fratri peccanti septuagesies septies ignoscere? an hoc erat gratis dare, quod nullis datis nummis acceperat? O paternum & placabile pectus: O munificum prolixumque mercatorem. Tanto itaque precio absolutione comparatâ, simulatâ amicitiâ conuiuio accipitur. Vix verò inde in Germaniam profectus, vt Henrici filii, qui Longobardis ac Thuscis contra ipsum conspirârat, delicta corrigeret: à principibus coràm intelligit, missos à Pontifice nuncios, qui eius nomine mandassent, ne quenquam ex familia Imperatoris decernerent regem: nec eo contentum, cum multis Italiæ principibus, vt Imperatoria dignitate eum deiicerent, conspirasse.

Cùm ergò Fridericus irarum plenus, rebelles domiturus multas Vmbriæ, Longobardiæ atque Hetruriæ vrbes expugnaret: Pontifex, qui id ægerrimè ferret, Fridericum tertiò diris deuouet, & vt eum à fastigio rerum humanarũ deturbaret, cum Venetis noua fœdera init: deinde Romæ Concilium apud Lateranum ex consilio Franciæ & Angliæ regum indicit, in quo de abrogando Friderico consultatio haberetur: anteque eius initium, Apostolorum Petri & Pauli in supplicatione solenni capita per vniuersam vrbem circumferri iubet.

Adhæc, habita in Basilica Sancti Petri oratione commiserationis plena, populum cruce signat, ac arma contra eum ferentibus vitam æternam promittit. Fridericus ea re cognita non parùm indignatus, contra se, tanquam infidelem Sarracenum vel Turcam, crucem dari: copias ad vrbis mœnia ducit. Ibique prælio cum Romanis commisso, in quo insigni clade afficiebantur, contra hos, qui in cruce signati erant, nihil crudelitatis prætermittit. His enim quatuor plagas in modum crucis infligi, aliis caput quadrifariam instar crucis diffindi, clericis similisque farinæ

homini-

hominibus coronam clericalis dignitatis notam ad viuum resecari, crucemque eis imprimi iubet, vt qui cruce signati dicerentur, re quoque ipsa essent.

Pòst Fauentia per longam obsidionem ad deditionem compulsa, cùm cognouisset, pontificios legatos pro euocandis Ecclesiasticis Galliæ & Angliæ ad Concilium, emissos, terra marique omnes vias pontificiis, ne Concilium adire queant, præcludit: ex Cardinalibus, aliisque Ecclesiæ prælatis nauigio vectis per Pisanos complures capit, & in carceres detrudit: Cardinalium duos submergit: aliorum quosdam Abbates, episcopos, atque inter illos Papæ fratrem ob insignes proditiones patibulo suspendit. Bonus itaque ille pater Gregorius cùm vnctos Domini tam asperè à Friderico tractatos cognosceret, rei indignitate ita commotus atque turbatus est, vt in ægritudinem incidens, ex animi mœrore viam, quam dilecti filii sui ingresi erant, subsequeretur. Huic Celestinus IIII. succedens multa etiam contra Imperatorem Fridericum moliri cogitauerat: ea tamen furibundus pontifex, ob vitæ breuitatem, perficere non potuit. Nam in pontificatu transactis solummodò decem & octo diebus, venenato poculo absumitur.

In eius locum Nocentius quartus pontifex creatus, ex intimo Cæsaris amico inimicissimus illicò factus hostis, rabiosiùs quàm alius quisquam optimum principem persequi cœpit. Balduino namque Imperatore de pace inter imperium ac sacerdotium constituenda laborante: Pontifex Genuensium nauigio fretus, quod apud Centumcellas in portu consederat, elusis omnibus, in Gallias Lugdunum profugit: ibique concilio indicto, Fridericum citari iubet, & ipse concionabundus citat: non comparentem, sed per Thadæum Suessanum, Iure consultum insignem, tempus opportunum, quo venire Lugdunum posset, sibi dari submisse precantem, iusta dilatione negata execratur, Imperiali dignitate priuat, principes à fidelitatis iuramento absoluit, eosque vt alium eligant, Imperatore Friderico relicto, hortatur: multas afferens causas falsissimas, & planè confictas, blasphemias, periurium, sacrilegium, aliaque id genus, quæ in c. Apostol. de senten. & re iudicata lib. 6. videre licet.

Fridericus ergò hac sententia pontificis cognita, rebus Italiæ constitutis, instructissimo comitatu Lugdunum contendit, vt coràm cum Pontifice agat. Cùm autem Taurinum vsque progressus ibi cognosceret, exules Parmenses, reliquis ciuibus Imperii studiosis magna clade affectis, in patriam pontificis instinctu reductos: veritus, ne reliqui Italiæ populi simili exemplo rebellarent, omissa Lugdunensi profectione retrocedit: ac literis ad regem Franciæ & ad vniuersos prælatos scriptis, omnia sibi obiecta honestissimè refutat, ac nullitatem pontificiæ sententiæ prolixè demonstrat, & simul ad obsidionem Parmæ viribus quàm maximis se parat. Interea verò dum Grosseti in ora maritima Senensi hæret, aucupiisque indulget, quò animum grauioribus curis & occupationibus fatigatum reficiat: Pontifex, qui dies, noctesque de Imperatore perdendo cogitaret, ministros eius præcipuos partim persuasione religionis, partim largitionibus corruptos ad conspirandum in necem domini proditoriè induxit. Itáne verò Christus hostes diligendos censuit? Siccine Petrus reges honorandos præcepit? Sicariisne & parricidis, an Petri successori tales actiones conuenientiores? Ast coniuratione detecta proditores dignas sceleris sui pœnas dedêre. Nocentius verò, etsi scelerata machinatione se frustratum, ac Imperatorem suis manibus hoc tempore elapsum videret: non tamen desistendum arbitratur, antequàm ipsum & regno & vita priuaret. Quare per serias grauesque cohortationes ac pollicitationes principes Germaniæ impellit, vt Friderico exauctorato Landgrauium Thuringiæ Henricum eligant.

Ast hoc, cùm Vlmæ Friderici partes sequentis obsidionem solueret, eodem anno, quo rex electus erat, ita lethaliter vulnerato, vt Imperium cum vita relinqueret: nec successore VVilhelmo aliis bellis occupato, quicquam in gratiam pontificis suscipiente: tum qui Fridericum diris pontificiis spretis, Imperii rebelles in Italia acerrimè persequi, eumque nihil de infracto animi robore remittere videret, post longas multiplicesque insidias ipsi structas perficit, vt veneno dato tandem interimatur, anno Imperii 32. ætatis 57. eadem die, qua olim Imperator designatus erat.

Hunc finem scelere pontificis sortitus est heros præstantissimus Fridericus secundus, vtriusque Siciliæ & Hierosolymæ rex, Sardiniæ & Italiæ dominus, dux Sueuiæ, princeps strenuus: non animi solùm vigore, sed etiam corporis viribus excellens, fortis, magnificus, liberalis, multarum linguarum peritus, ac simul eruditus: cui si per Italorum rebellionem, ac pontificum vesanam improbitatem arma in Christi hostes vertere atque exercere licuisset, næ ipse Alexandro Magno par haberi potuisset. Quin imò si hæc ætas nostra, quæ, pontificis tyrannide excussa, Imperatori magis, quàm pontifici, obediendum esse didicit, illum Imperatorem vidisset: nec imperio Germanico quicquam amplius atque augustius, nec pontificia sede abiectius contemtiusque haud dubiè esset.

Quare de eo nihil aliud dico, nisi eius statuæ meritò subscribi posse, quod olim Bruti libertatis Romanæ vindicis, VTINAM VIVERES.

Verùm enimuerò, quantumuis hoc generosissimo principe extincto, odium tamen pontificum extingui vel satiari non potuit: sed id immani rabie ac impietate contra diuinæ legis præcepta in posteritatem eius tam diu extensum est, donec hæc vnà cum regno vita quoque ab ipsis priuaretur.

Nam à morte Friderici statim Innocentius IIII, & eius successores Alexander & Vrbanus, vterque eius nominis itidem quartus, regnum Neapolitanum magnis copiis & viribus aggressi, id

Sueuis eripere conati fuêre: sed frustra, Manfredo id strenuè atque viriliter contra hostes defendente: donec Clemens quartus cœpta prædecessoris Vrbani prosecutus, Carolum Prouinciæ & Andegauorum comitem, Ludouici Francorum regis fratrem, ex Galliis euocatum hac lege, vt pulso Manfredo quotannis feudi nomine 40. millia numûm aureorum Ecclesiæ Romanæ persolueret, nec imperium Romanum etiam vltrò oblatum acciperet, vtriusque Siciliæ regem dixit. Tunc namque Carolus corona regnorum Siciliæ atque Hierusalem Romæ in Lateranensi basilica accepta, post multas variasque conflictationes non tantùm Manfredum ad Vrbem Beneuentum à suis proditum deuicit & occidit: sed & nobilissimam familiam ducum Sueuiæ, multorum præstantissimorum Imperatorum genitricem plus quàm Phalarica tyrannide extinxit, Cunradino Cunradi filio, vltimo eius familiæ, adolescente (quem regnum paternum repetentem prope Neapolim proditum in potestatem redegerat) tanquam Ecclesiæ persecutore, scelerato Papæ consilio securi percusso. Clemens siquidem Papa post multorum prudentium virorum, Cunradinum veluti vnicum nobilissimæ familiæ Sueuicæ columen seruandum, ac affinitate deuinciendum esse suadentium sententiam, à Carolo, quid de Cunradino statuendum esse censeret consultus, in hæc verba proditor inclementissimè respondit: VITA Cunradini, mors Caroli: mors Cunradini, vita Caroli: hac voce animum per se sæuum ad cædem Cunradini inflammans: cùm & antè se proditi Cunradini conscium esse non obscurè ostendisset: Cunradino cum magno Germanorum exercitu Viterbium, vbi tum degeret, transeunte vaticinatus, ipsum tanquam agnum ad cædem duci.

Sic itaque Friderici familia à pontificibus exagitata, & post innumeras strages à sanguinariis beluis funditus excisa: principes Germaniæ fatalibus pontificum & Imperatorum contentionibus ita territi fuêre, vt nemine Imperii curam suscepturo, Alphonsus Hispanus & Richardus Anglicus pontificio fauore quem pecunia emisse scribuntur, ad coronam, quam tantis seculis soli Germaniæ principes tenuerant, aspirârint: sed neutro tamen, metu alterius, quicquam attentante, Imperium viginti duobus penè annis legitimo rege caruerit, quoad post longam Vacationem & ciuilia bella, communi principium voto Rodulphus Habspurgicus eligeretur. Schardius ex Pandulpho Coll. Vrsperg. Cuspiniano, Nauclero, Mario, Platina, Petro de Vineis, & aliis.

Olim Imperator eligebat & confirmabat Papam: postera verò tempore vice versa imperium à Papa pecunia comparabatur. 1216.

HOnorius tertius Ottone iam præmortuo, Fridericum anno ætatis suæ decimo nono, salutis 1220. mense Nouembri, in festo S. Ceciliæ Romæ operâ Hugonis Hostiensis Episcopi imperiali infula induit: cui vicissim Fridericus oppida multa, plurimaque munera egregia grati animi testimonio contulit. Inde cùm paulò pòst vidisset, quosdam proceres in Apulia res nouas moliri, oppida plura oppugnare, in Thuscia quoque bella machinari: coactis ipse copiis coniuratos adoritur, rebelles in exilium mittit, Episcopos nonnullos in Sicilia, Campania, & Apulia, qui contra eum etiam conspirauerant, exauthoratos solum mutare cogit, suffectis in eorundem locos aliis, de quorum fide meliora sibi pollicebatur. Exules Episcopi Romam perueniunt, Pontificis aures rumoribus implent, & subsidium implorant. Honorius exulum querelis prouocatus, per Legatos cum Pontificia authoritate Fridericum rogat, inauthoratos Episcopos restituat, nec potestatem sibi Ecclesiasticam vsurpet, præsertim quòd si præter fidem aliquid exauthoratis commissum esset, ipse iuris sui Regni deuotioribus, fidelioribusque Ecclesias prouidere haberet in animo. Ad hanc Legationem indignatus Imperator contumaciter respondisse fertur: cùm Imperatoribus quadringentis & ampliùs annis à Carolo Magno licitum fuisset dignitates Archiepiscopales, nec non cæteras omnes in singulas prouincias per annulum & virgam conferre, non se Henrico patre, non Friderico auo inferiorem: idem onus ampliandi Imperii sibi incumbere. Cumque Siciliæ Reges, & matrem eius Constantiam reginam, electionis prælatorum ius peculiare semper habuisse constaret, eam in se vnum indignitatem nec Guilelmi Regis auunculi in Romanam Ecclesiam beneficia, nec parentis Henrici liberalitatem meruisse. Denique in has contumelias per iracundiam prorupisse eum ferunt: Quousque tandem patientia mea abutetur Pontifex? quando ambitioni suæ modum statuet? Marcualdus Flaminiæ prouinciæ meæ præfectus ab Innocentio Pontifice tertio, dum in cunis ego agerem, imperio eiicitur, vt me infantem Hexarchatu Rauennæ spoliet. Theobaldus Picenorum Prætor ab Henrico genitore institutus, à pontifice exigitur, vt me puerulum etiam hac priuaret dignitate. Hetruriam mihi adolescenti sublaturus per nuptias Philippum patruum deludit. Fundanum comitatum mihi ad Imperium euocato emunxit, coronam liberi Imperii multis muneribus nundinari me oportuit. Iam & Imperatoriam maiestatem, quam suffragio proprio Pontifex ratam habuit, contemtui habere incipit. Quis hanc in Pontifice præposteram ferat ambitionem? Ite renunciate Honorio, coronam me priùs depositurum, quàm commissurum, vt tantæ maiestati me imperante, diminutio inducatur. Hoc responso accepto Pontifex commotus, hostem Ecclesiæ Fridericum pronunciatum diris deuouit. Fazellus de rebus Siculis.

Concilium Lateranense.

1216. Concilium Lateranense sub Innocentio tertio celebratum habet inter alia & hoc decretum contra nouos monachorum ordines capite 13: Ne nimia religiosorum diuersitas grauem in Ecclesia Dei offensionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat: sed quicunque voluerit ad religionem conuerti, vnam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religionis domum fundare de nouo, regulam & institutionem accipiat de religionibus approbatis. Illud etiam prohibemus, ne quis in diuersis monasteriis locum monachi habere præsumat: nec vnus Abbas pluribus monasteriis præsidere. Sed ô quot ordines ab illo tempore contra huius concilii decretum nati inueniuntur? Imperatore 102. Friderico 2. Papa 181. Innocentio 3.

R. Abraham Abenezra Hispanus.

1217. Scripsit Alcasidagi, id est, fortium librum, qui subtili sententiarum dispositione de omni negotio, de morborum longitudine & breuitate, de numero annorum vitæ, ipsoque die obitus certos facere pollicetur, ignea fornace dignum. Imp. & PP. V.S.

Idem in capite Dan. 4. Sardensis quidam hominum consortium fugiens in syluas ad bruta se contulit, & cum illis vixit: cum ceruis captus cibum capere, & loqui noluit, sed ad syluas rediit.

Portentosum.

1219. Anno 1219. die Veneris ante Pentecosten, in ditione Episcopatus Coloniensis & Munsterensis apparuit in aëre crux triplex, eodem scilicet tempore, quo de cruce à pontificibus quæstus causa vndique prædicabatur in Ecclesiis. Chron. Ger. Imp. 102. Friderico 2. Papa 182. Honorio 3.

Ordo vallis Scholarium.

1217.



Gvilhelmus Richard Scholaris Parisiensis huius ordinis author dicitur. Regulam habet S. Augustini. Vetitus est, vt scapularia deferant fratres laborantes: camisias lineas non habeant, nec in dormitorio culcitras: sani carnibus non vescantur, nisi ægroti & debiles. Vincentius, Epitome mundi, Genebrardus, Panuinius: cætera apud Hospinianum. Imp. & PP. V.S.

Humpertus de Romania Magister V. ordinis Prædicatorum.

1220. Scripsit hic de ratione tollendi schisma inter Græcos ac Latinos ortum. In secunda eius libri parte cap. 11. testatur, magnam causam eius schismatis fuisse intolerabilia grauamina Papæ in exactionibus, excommunicationibus & statutis: de quibus tribus Romanæ curiæ seu Antichristi tyrannidibus admodum grauiter ibi ille bonus monachus queritur. Et sanè hæc tria compendio fermè totam Papæ tyrannidem complectuntur. Catal. Imp. Frid. 2. PP. Honorio 3. V.S.

Ioannes de Argentina.

1220. Ioannes de Argentinâ, vt Vrspergensis scribit, fuit vehemens concionator. Ac vt ex eiusdem Vrspergensis narratione intelligi potest, gratuitam iustificationem diligenter inculcauit, quæ tunc visa est noua doctrina: quia doctrina de meritis operum prorsus iam inualuerat. Potest autem inde colligi, eum doctrinam de gratuitâ iustificatione docuisse, & multos inde cogitasse sic, & locutos esse: Peccemus igitur, quoniam crux Christi nos ab omnibus peccatis liberabit, & absoluet. Sic enim & Pauli tempore, & nostro multi vel abusi sunt Euangelio, vel ita id sunt calumniati, vt dicerent: Faciamus mala, vt veniant bona. Item: Peccabimus igitur, &c. Verisimile est,

eum fuisse VValdensem: nam illis temporibus fuerunt VValdenses circa Argentinam. Vtinam haberemus eius pleniorem historiam. Catal. Imp. Frid. 2. Papa Honorio 3. vt sup.

Cæsarius Monachus in Heysterbach lib. 8. cap. 69. suorum dialogorum. 1220.

ANno 48 post Thomæ Cantuariensis obitum, scilicet anno Domini 1220, quæstio Parisijs inter magistros ventilata fuit, vtrùm damnatus an saluatus esset ille Thomas? Rogerus quidam Normannus eum morte, & damnatione dignum iudicabat, quòd contumax esset in Dei ministrum regem. Petrus autem Cantor Parisiensis eum saluatum voluit propter martyrium, & miracula. Sed & hanc addebant blasphemiam in derogationem sacrosancti sanguinis filij Dei: Tu (inquiunt) per Thomæ sanguinem, quem pro te impendit, fac nos Christe scandere, quò Thomas ascendit. Imp. & Papa. vt sup.

Idem. In pago quodam Galliæ sacerdos degebat, qui in nocte festi Natiuitatis Christi in proximum pagum ire debebat missæ pro more recepto celebrandæ ergò: tum ei in via obuiam venit quædam meretrix, cum quâ stuprum commisit: postea in itinere perrexit, Missam celebrauit, & cùm in missa ea verba, per quæ panis & vinum in corpus Christi commutantur, recitare vellet, columba candida super altare volauit, & quæ in calicem infusa erant, epotauit, & rostro hostiam arripiens auolauit. Et hoc ter in missa quæ in Natiuitatis Christi nocte celebratur, sacerdoti accidit, propter quod sacerdos maiorem in modum consternatus, & dolens flensque cuidam Abbati id conquestus est. Abbas autem tanquam vir prudens experiri volens, seriòne hæc essent, sacerdoti mandauit vt denuò missaret: quod ille summa reuerentia fecit. Postquàm autem hostiam sumsit, columba illa candida redijt, & tres hostias quas antea sustulerat, rursus attulit, & super corporale ordine reposuit, rostrumque calici immisit, & quæ tribus antea vicibus exhauserat, iterum ex collo in calicem reddidit. Hæc sacerdotem magna lætitia affecerunt, & Abbati renunciauit, & in monachum adoptari petijt.

Idem dist. 10. in dial. Guilhelmus quidam Aurifaber his diebus incineratus fuit, quia dixerat Romam esse Babylonem, & Papam Antichristum.

Angelus Hebræus de tribu Iuda. 1220.

HIc de regni Turcarum incremento, & Christianismi calamitatibus atque ruinis Prophetico spiritu prædixit & scripsit multa: cuius etiam mentionem facit Mantuanus. Imperatore & Papa vt sup.

Prodigia. 1226.

HOc tempore, quo Franciscani seu Dominicani fratres ex Italia in Angliam venerunt, tantæ pluuiæ cũ tonitruis & fulminibus atque tempestatibus factæ sunt, quanta nulla memorat hominum antiquitas. Superuenit ventus à septentrione quatiens domos & pomaria, nemora & turres templorum. Lapides grandinosi ad quantitatem ouorum, quadrangulares cum imbribus commixti de cœlo cadentes comminuerũt & destruxerunt arbores, vineas, segetes & plantas: & contriuerunt ac necârunt multos homines: visi quoque sunt dracones ignei, Hellebrandi, & maligni spiritus inter ventorum turbines præstigiosè volitare. Item corui & plures aliæ aues per aërem in tempestatibus hinc inde ferebantur pennis, carbones viuos igneos in rostris portantes, & domos incendebant passim. Imp. Frid. 2. Papa Honorio 3. vt sup.

Prodigium. 1226.

HOc tempore nix in Styriâ cecidit, & protinus in sanguinem versa est. Chron. Fuldense. Imp. & Papa. vt sup.

Chronicon quod Flores Historiarum appellatur. 1226.

MVlta non contemnenda ex hoc libro citari solent, licet rarò reperiatur. VViclefus in libro de Ecclesia admodum celebrem historiam de rapacitate & fraudibus Romanistarum recenset: quæ certè vel sola impudentiam ac technas eorum hominum abundè ac viuis coloribus depingere possit, inquit enim: Vnde in prædicta Chronica, quæ intitulatur Flores Historiarum, dicitur, quo

modo anno Domini 1226 Magister Otho, nuncius Domini Papæ ostendit literas Domini Papæ
concilio regni nostri apud Vestmonasterium, in quibus Papa allegauit scandalum Rom. Ecclesiæ,
& opprobrium vetustiss. notam scilicet cupiditatis, quæ radix est omnium malorum: & in hoc præ-
cipuè, quòd nullus potest aliquod negotium in Rom. curia expedire, nisi effusa magna summa pe-
cuniæ, & donorum exhibitione. Sed quoniam scandali huius & infamiæ Romanæ paupertas est
causa, deberent matris inopiam subleuare filij naturales: quia nisi à vobis & alijs viris honestis do-
na receperimus, deficerent nobis vitæ necessaria, quod esset omninò Romanæ contrarium & incon-
gruum dignitati. Ad illud itaque scandalum penitus eradicandum, per consilium fratrum nostro-
rum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, prouidimus formam, cui si volueritis consentire, à scan-
dalo matrem vestram poteritis liberare, & in curia sine donorum obsequio exhibitionem iusticiæ
obtinere. Forma autem prouisa est hæc: Petimus imprimis, ab omnibus Ecclesijs cathedralibus duas
nobis præbendas exhiberi: vnam de portione Episcopi, & alteram de Capitulo: & similiter decœ-
nobijs, vbi diuersæ sunt portiones Abbatis & conuentus, à conuentibus, quantum perti-
net ad vnum monachum, æquali facta distributione bonorum suorum, & tantundem de ab-
batia.

Sed postquàm maturatum est consilium, posuit cursum clerus in ore Magistri Ioannis archi-
diaconi Bedfordensis, qui cùm dixisset nuncio, quòd, cùm petitio concernat ius regis, ius domino-
rum secularium, & multorum absentium patronorum, clerus non possit in eorum absentia finali-
ter respondere. Interim venit Dominus Ioannes Marescallus, & alij nuncij regis districtiùs inhiben-
tes, quòd nec clerus nec Otho nuncius attentet aliquid, quod tangit feudum regis, vel secularium do-
minorum: nec molestet clerum Angliæ, qui tenet Baronias, vel alias eleemosynas de rege in capite.
Et sic scandalosi Papæ petitio est frustrata.

Habes autem mandati regis rationem viuacem: cùm enim ante dotationem Ecclesiæ fuerit re-
gnum nostrum iure possessionatum conformiter legi Christi, nimis monstrosum foret, quòd Pa-
palis exactio extorqueret aliquid contrarij iuri regni. Rex autem ne dum debet defendere secularem
Ecclesiam, sed etiam cleri Angliæ in sua libertate primæua, vt dicit beatus Isidorus de summo bono
libro tertio, & Incorporatur. 2. q. 7.

Vide astucias ac technas, rapacitatem ac externam impudentiam Antichristi, eiusque Curti-
sanorum, qui sub prætextu amoliendæ rapacitatis ac fugiendæ auariciæ, vel maximè voluerunt in-
uolare in bona ac reditus omnium Ecclesiarum. Quis tantam audaciam, & perfrictam frontem pu-
taret inesse illis sanctissimis patribus, ac vicarijs Dei sui? Verùm licet tunc eis parùm feliciter successe-
rit hæc fraus, tamen illi falsi quidem, at non defatigati, paulò pòst non tantùm Ecclesiarum redi-
tus, sed & totum penè regnum in suam potestatem ac feudum redegerunt, sibique tributarium ef-
fecerunt: imò & exuxerunt ac expilàrunt. Illyr. Imp. Frider. 2. Papa Honorio 3. vt sup.

Gregorius 9. Papa 183.

1227. DVm Fridericus iussu Papæ vltra mare ad recuperandam terram sanctam profectus fuit, Papa
absentis prouincias bello petit & rapit: item exercitui in Asia mandat, vt illum deserant:
Soldano quoque eum per literas prodit: de quo etiam alibi in hoc opere plura. Rursus Imperator
pro pace redimenda coactus fuit, Papæ soluere centum marcas auri, super quo exclamat Cuspinia-
nus: O scrinium pectoris sanctum, ô quàm carus mercator, cùm gratis acceperit claues soluendi à
Christo, nullis datis nummis Christo. Imp. & Papa. vt sup.

Alex. ab Ales Monachus.

1228. HIc ideo carnes Ieiunij tempore prohibitas dicit, quia terra propter peccatum Adæ sit maledi-
cta: aqua verò non, vt quæ postea sanctificata sit Baptismo Christi. Item, quia Christus post
resurrectionem piscem comederit, non carnem. Imp. & Papa. vt sup.

Ludouicus IX. Franciæ Rex, aliâs cogno-mento Sanctus.

1228. LVdouici huius præclarum est illud, quod narrant additiones ad historiam Matth. Paris histo-
rici Anglici, eum monuisse aliquando Regem Angliæ Henricum, qui totis fermè diebus missas
audiebat, vt potiùs crebrò prædicationem verbi Dei, quàm Missas audiret, eò quòd illud magis pi-
um & vtile esset. Hinc ergo manifestè licet deprehendere, eum sensisse, veram pietatem magis in
prædicatione ac cognitione sacrificij Christi, quàm sacrificulorum missatione seu sacrificijs consiste-
re. Omninò oportet hunc sanctissimum regem multas impietates & abusus regni Antichristiani
animaduertisse. Catal. Imp. Frid. 2. Gregorio 9. vt sup.

Idem contra tyrannidem, auaritiam & Simoniam Paparum constituerat Sanctionem Pragma-
ticam anno 1228. Sed eam posteri Reges Franciæ, si saluari vellent, coacti à Papa iterum sustu-
lerunt anno 1462.

Ex Chronico Turingiæ. 1228.

IN omni doctrinarum genere conspicuus Comes quidam de Hohenstein, Eglerus nomine, qui in Turingia, neglecta comitatus possessione & mundanis delicijs, verbum Dei summo cum zelo & feruore prædicauerat, inter veritatis testes in illa caliginosa ætate non immeritò est referendus. Antichristo enim Romano audacter & restitit, & reclamauit, neque eum pro capite Ecclesiæ agnouit, nec agnosci voluit: Idola & imagines templis eiecit: superstitiones damnauit: coniugium omnibus licitum dixit: in nullo alio, quàm in Iesu Christo salutem, & peccatorum remissionem esse quærendam, & id sola fide, constanter, & ex fontibus sacræ scripturæ docuit: Missam impugnauit: & vtramque Sacramenti speciem distribuit: in vnum & solum Iesu Christi meritum omnem spem & fiduciam esse ponendam, Turingos suos, & omnes indesinenter admonuit: ægrotos sedulò ac Ecclesias ipse visitauit: & spiritualia à mundanis officijs separauit. Et cùm à Landgrauio Francofurtum vnà in Comitia profectus esset, ibi quantum potuit, iugum Papæ à Germanorum ceruicibus amouere laborauit. Sed ex febri tandem in fide solida in Christum obijt. Alij suspicantur, vt & facile est creditu, eum veneno sublatum. Chronicon Isenacense manuscriptum plura de de illo habet. Imp. Friderico 3. Papa Gregorio 9. vt sup.

Ibidem. Sigfridus Archiepiscopus Moguntiæ Abbatem monasterij Reinhardofontani Erfordiæ virgis cædi iussit eò, quòd ex Cœnobio suo redditus ipsi tribuere renuerat: arrepto igitur cultro Abbas inuasit eum, & confodisset etiam, si nemo interuenisset. Postmodùm verò Abbas bellum intulit Archiepiscopo, & libertatem cum priuilegijs sui monasterij armis vendicauit.

Ordo S. Claræ. 1228.



SEcundum Nauclerum hic Ordo cœpit anno 1225. Afsisij nata fuit S. Clara. Peregrinationes longinquas ad sepulchrum Dominicum, & S. Michaëlem perfecit: limina S. Petri & Pauli Romæ quoque visitauit. Anton. Hospinianus nimis magnam familiaritatem cum Francisco conciue suo habuisse refert. Ab Honorio 3. paupertatis priuilegium postulauit, quod nemo vnquam postulasse dicitur. Et cùm Gregorius 9. suaderet, vt saltem aliquas possessiones propter varios futuros euentus retineret, tamen noluit. Rarum exemplum.

Diuiditur in Obseruantes, Reformatas, & Vrbanissas. Durissimam egit vitam: solis ieiunijs & precibus incubuit: Veste de corio porci, versis illius pilis ad corpus, vsa est, calceamentorumque penitus nullum vsum habuit. Cuius tam duræ vitæ Regula ordinem multùm euexit, & clarescere fecit, vnde versus:

Clausa manens Clara toto clarescere mundo
Incipit, & laudum titulis præclara refulget.

Papam Innocentium 4. morientem inuisisse: Alexandrum verò 4. inter Diuas retulisse eam, scribit Francus. Vestitus illarum est griseus: & vtuntur Francisci Regulâ. Imperat. & Papa. vt sup.

Hugo. 1230.

HVgo glossator & Cardinalis scribit in sua glossa, diabolum olim habuisse duas filias, Auaritiam & Luxuriam: Auaritiam elocasse Iudæis, Luxuriam Ethnicis. Cæterùm iam Clericos vtrisque illorum suas sponsas eripuisse, solosque velle sibi proprias vtramque habere, scilicet & Auaritiam & Luxuriam.

Dicit etiam idem, spirituales nullam habere coactiuam potestatem, & si quam sibi vsurpent, habere eos ab Imperatore. Super Psalm. 77. verò inquit: Multi Clerici sunt progenies viperarum. Fœtus enim interficit matrem, quando nascitur, quia mater crepat: sic & multi ex quo nati sunt in Ecclesia, persequuntur matrem Ecclesiam, & Christum patrem: & quantum in ipsis est, interficiunt. In Postilla super 2. Ioannis citat Bernhardum hæc dicentem: Videtur bone Iesu, contra te coniurâsse vniuersitas Christianorum: & illi in persecutione tua primi sunt, qui in Ecclesia tua vident ur

primatum tenere, & gerere principatum, iuxta illud: Qui edebat panem meum, magnificabat su-
per me subplantationem. Imp. Friderico 2. Papa Gregorio 9. vt sup.

1230.

Petrus de Vineis.

HIc Cancellarius Imperatoris Friderici secundi scripsit multas Epistolas ad diuersos nomine
Imperatoris, potissimùm de excommunicatione & depositione Cæsaris tunc per scelus & ne-
tas à Papa factâ: quæ epistolæ iam aliqua ex parte etiam impressæ extant. In præfatione & episto-
lis Papam eiusque Cardinales vocat Pharisæos. Curiæ turpitudines tantas esse asserit, vt pudor eas
essari prohibeat. Contendit, Papam non habere gladium ciuilem, nec vllum ius deponendi Im-
peratorem. Denique grauissimè queritur, & cum Pontifice Romano nomine Imperatoris expo-
stulat, quòd eum non legitimè citatum, multò minùs auditum, excommunicauerit & deposuerit,
nec vllas planè excusationes aut rationes ipsius audire vnquam voluerit. Multus vel infinitus po-
tiùs Christianus sanguis tunc ob eos Papæ furores, per multa bella ac prælia effusus est. Scripsit idem
Petrus etiam librum de potestate Imperatoris contra Papam, in quo asseruit, Papam nullum ius in
politicis rebus supra Imperatorem habere. Ob quas causas Papa etiam eum excommunicauit. Pa-
pa Gregorio 9. vt sup.

Idem in epist. lib. 1. Super cathedrâ Mosi sedentes hoc tempore Pharisæi, sic moti sunt con-
tra Romanum Pontificem oberrantes, quòd actores malitiæ facti simul & iudices apertè iudiciũ sub-
uerterunt. Tandem illos sui cordis malitia sic intus & extrà penitus obcæcauit, quòd vnà prorsus er-
rante clauium potestate, insontem & iustum Principem ligauerunt. Sed audite mirabilem tam glo-
riosi principis ligaturam. Iste pater patrum, qui dicitur seruus seruorum Dei, omni prorsus exclusâ
iustitiâ, factus est aspis surda, non admittens Romani principis allegata: & velut lapis qui de fun-
dâ iacitur, sic emisit subitò verbum malum, ac velut omninò respuens in perturbatum consilium,
Quod scripsi, scripsi, vociferans respuit viam pacis. Sed qui Christi vicarius diceris & Petri successor,
etiam humilis piscatoris, cur accensus furore refugis id, pro quo Rex omnium induit formam serui?
Dic rogo, quid resurgens à mortuis dixit primò discipulis ille magister omnium magistrorum?
Non, inquit, arma & scutum sumite, nec sagittam vel gladium, sed Pax vobis. At quid gloriaris in
malitiâ, qui solus in orbe ditaris fraude & dolo? quid aliud nisi pacem hymnus dicit angelicus, &
tertius Agnus Dei: vel quid ille mirabilis Regis æterni filius corporali præsentiâ discessurus, tunc re-
liquit discipulis, cùm redijt vnde venit. Certè pax & dilectio sunt principaliter illa duo, quæ teneri
voluit post discessum. Ergò, si Christi vicarium, & Petri te asseris successorem, à Christi prorsus &
Petri tramite non discedas: sed actus concordent actibus, & Campanus inhæreat Galilæo. Istud au-
tem satis, & meritò turbat Christi fidelium puritatem, quòd Petrus relictis omnibus & reti, sequi
Christo vocante, voluit viam vitæ: qui tanquam omnia possidens, & nil habens, ad thesaurum cœ-
lestis patriæ semper ardentiùs aspirabat. Tu verò nil prorsus habens, omnia autem possidens quæris
semper quid devores & deglutias, nec sedare potest aliquando totus mundus tui ventris ingluuiem,
quia tibi non sufficit orbis terræ Petrus autem Apostolus, vt legitur, ad portam veniens speciosam,
nec argentum nec aurum habeo, dixit claudo. Tu verò si forsan incipit aceruus pecuniæ quem ado-
ras, minui, statim cum claudo claudicas quærens anxiè quæ sunt mundi. Sed qui, Christo iubente
prædicas tanquam pastor Ecclesiæ paupertatem, cur refugis quod hortaris, quærens semper, vt cu-
mules aurum auro? In hoc ergò non restat aliud, si non dormis, nisi vt summi Pontificis proibus
prædicatio contemnatur. De cœlo namque, si bene recolis, descendit linteum super Petrum, cui sur-
ge, macta, & comede, dictum est, dum oraret, qui tamen immunda noluit manducare, durâ quam-
uis esset esurie stimulatus: tu verò ad hoc viuis vt comedas, in cuius vasis & scyphis aureis scriptum
est: Bibo, bibis. Cuius verbi præteritum sic frequenter in mensâ repetis, & post cibum, quòd quasi
raptus vque ad tertium cœlum Hebraicè, Græcè loqueris, & Latinè. Postquàm autem impleta fuerit
vino ventris ingluuies, & stomachus vsque ad summum eius, tunc super pennis ventorum æstimas
te sedere. Tunc tibi Romanorum subest imperium: tunc adferunt tibi munera Reges terræ: tunc vi-
num mirabiles facit exercitus: tunc tibi seruiunt omnes Gentium nationes. Ploret igitur mater Ec-
clesia, quòd pastor gregis Dominici factus est lupus rapax, crassum quidem de grege comedens con-
fractum non alligat, & dissolutum ad propria non reducit, sed velut amator schismatis, caput & au-
tor scandali, pater doli, contra iura Romani principis & honorem tuetur hæreticos, Deiq; & omni-
um Christi fidelium inimicos, omnium prorsus altissimi timore postposito, & hominum verecun-
diâ retroiectâ. Sed vt possit hic meliùs sui cordis malitiá occultare, prædictos crucis hostes & fidei fo-
uet & protegit sub quadá specie pietatis, adserens, se Lombardis ad hoc tantùm ferre subsidiũ in hac
parte, ne Cæsar illos cædat, aut iudicet plùs quá requirit series sui iuris. Sed dolosæ vulpis astutiá nun-
quam in hoc falles ingeniũ venatoris. At qui regis Israël intende singularis Dominici gregis pastor.
Dic rogo, quid est hoc, quòd curabat, vt legitur, infirmos à morbis validis vmbra Petri? Tu verò tan-
quam vir sanguinũ ad hoc solũ inuigilas, vt factâ strage, viuentiũ sanguis innoxius effundatur: & de
te sacerdos male, optimè dici potest, qui tuo téporeDeo displicere proponis, & p excellentiá tuá tacu-

dix

dix turpis es imitator, dicens: Guerrã veni mittere in terram, & quid aliud volo, nisi vt inter se homines prælientur? Non enim est hoc Romani Pontificis, cui Pasce dictum est oues meas, vt illas quidem mortifices, quarum pastor & caput diceris, dux etiam & seruator. Illud quidem consideres, vt nec voluntas vel furor opprimat ius & verum, & quòd ille Rex terrestriũ & cælorum, in terris diutius conuersando, nil prorsus habere voluit cum terrenis, sed docendo discipulos, Beatos pauperes spiritu tunc vocauit. Tu verò tantùm in terris habens proprium & commune terrenis, in terris terrea thesaurizas. Sed, proh dolor, thesauros Ecclesiæ rarò vel nunquam in vsus erogas egenorum: sed vt testatur Anagnia, mandasti statim domum fieri mirabilem, sicut regia Solis erat, oblitus prorsus Petri inopiæ, qui non habuit nisi rete: & quod peius est, etiam illa nostra Hierusalem, in quâ Christus effuso sanguine pati voluit & occidi, iacet ancilla canibus, & tributaria Sarracenis. Et tu Christi vicarius in hoc dormis, nec curas, quòd nostra dolet hæreditas, ad alios deuoluta. Sedet enim deserta ciuitas, olim plena populo, & gentibus speciosa, Romani quidem antistitis omni prorsus solatio destituta, fundens riuos amaritudinis, quæ lac & mel olim fundere consueuit. Vox cuius vox turturis, quæ pro cantu dat gemitum, viduata plorat anxiè, velut Rachel filios suos, quos in templo sancto suo non vidit sabbatha venerari, assiduè Regem Regum Romanum expectans principem, captiuitatis suæ fiduciam, & sui exterminij redemtorem. Sed tu hostis Herodes impie, illuc ire times, lapis offensionis & petra scandali, maris & terræ semitas conturbasti, ne Cæsar iste mirabilis, mundi lumen & speculum sine rugâ, succurrat more Cæsareo terræ Dei: sed defendis hæreticos, perditionis filios, & erroris, audire potes meritò verbum illud: Error cui non resistitur, adprobatur: & nec est mirum, non enim cares occultæ societatis scrupulo, cùm manifesto facinori desinis obuiare. Ad cor ergò reuertere, nec opponas te principi matris Ecclesiæ defensori, sed cogita & attende, quòd Syluestro dudum, Papæ pauperrimo, latenti tunc temporis in cauernâ respondit, vt decuit tantum virum, sacri magnificentia Constantini, qui curatus à lepræ vitio, dedit Ecclesiæ quiquid habet libertatis hodie vel honoris. Sed Syluestri vicarius malè respondet Friderico. Nunquid enim dimittis septuagesies septies, sicut æterni Regis filius dixit Petro, qui non vis insonti semel parcere, sæpe veniam postulanti: aut cùm dicat Apostolus: Omnis potestas à Domino Deo est, qui potestati resistit, diuinæ potentiæ contradicit. Reuertentem ergo ad gremium matris Ecclesiæ benignè recipias filium singularem, præsertim cùm petat instanter veniam absque culpâ: alioquin leo noster fortissimus, qui simulat hodie se dormire, rugitu solo terribili trahet omnes à terræ finibus tauros pingues, & plantando iustitiam Ecclesiam diriget, euellens prorsus ac destruens cornua superborum.

Idem lib. 5. Fridericus II. cuidam Abbati de monacho falsario: Nuper in regno nostro quidam circumuagus inuentus est monachus, qui falsas sigilli nostri formas adulterans, non absque honoris nostri iniuriâ, & tuæ honestatis infamiâ discurrebat. Vt igitur de sigillo ipso vlteriùs flagitiosa figmenta non procedant, tibi, cuius honoris augmentum de bono semper in melius cupimus promouendum, sub annuli nostri clausura transmittimus illum falsarium monachum, vt culpas suas districtiùs doleat, quibus lasciuus se ingessit, & carceris nostri compedibus mandamus detineri.

Idem ibidem. Scripsit enim solo nomine Papa, nos (esse) bestiam ascendentem de mari, plenam nominibus blasphemiæ, pardique varietatibus circumscriptam. At nos ipsum belluam illam asserimus, de quâ legitur: Exibat alius equus rufus de mari, & qui sedebat super eum, sumebat pacem de terrâ, vt viuentes inuicem se interficiant. Nam à suæ promotionis tempore, iste pater non misericordiarum, sed discordiarum, desolationis, & non consolationis solicitus procurator, totum mundum ad scandala excitauit. Et vt verba sua recto sensu interpretemur, ipse draco magnus, qui seduxit vniuersum orbem, & Antichristus est (cuius nos dixit esse præambulum) & alter Balaam conductus precio, vt malediceret nobis, princeps per principes tenebrarum, qui abusi sunt Prophetijs. Hic est angelus prosiliens de abysso habens phyalas plenas amaritudine, vt mari & terræ noceat.

VVilhelmus Parisiensis Episcopus. 1230.

Scripsit librum de collatione beneficiorum, in quo acerrimè insectatur sacerdotes sui temporis, & Prælatos, qui tales admittant, eisque beneficia conferant. Dicit in eis nihil pietatis, ac eruditionis comparere, sed potiùs diabolicas turpitudines, omnium spurcitiarum ac vitiorum monstruositatem: eorum peccata non simpliciter peccata esse, sed peccatorum monstra terribilissima: eos non Ecclesiam, sed Babylonem, Ægyptum, ac Sodomiam esse: Prælatos non ædificare Ecclesiam, sed destruere, ac Deo illudere. Imp. Friderico 2. Papa Gregorio 9.

Hoc Guilielmo autore in scholâ Parisiana disputatio instituta est de ambitu plurium sacerdotiorum, definitumque, neminem absque scelere mortali duo posse habere sacerdotia. Alij factum dicunt anno 1228.

Æstus magnus. 1231.

Tantus hoc anno fuit æstus, vt per Iulium, & Augustum oua in sabulo coquerentur. Annal. Dom. Colmar. Imp. 102. Frid. 2. Papa 183. Gregorio 9.

Ordo Canonicorum Regularium S. Marci.

1231. MAntuæ hic cœpit Ordo anno 1231, vt habet Panuinius in Chronico. Plura non reperi.



Monachus Ord. Prædicatorum nequam.

1231. ANno Christi 1231 prodijt è vicinia Vangionum monachus ordinis Prædicatorum, stipatus adolescente Ioanne quodam insigni nebulone. Hi simulatque popularem auram habitis quibusdam concionibus emeruêre, ausi sunt vlteriùs progredi atque dicere: se vnicè omnium optimè nosse, quinam essent hæretici: remq; falsariâ arte eò deduxerunt, vt acquisito diplomate quoscunque libuisset, ad necem hæreseωs suspicione, pertraherent. Iam opinione pietatis inclaruerant, ac tertium quoque monachum, fr. Conradum Marpurgensem in consortium receperant, obtinuerantque à Magistratibus, vt quoscunque ipsi damnassent, eorundem etiam bona inuaderent. Hinc mirificè & potentiâ & auctoritate conspicui, ditissimum quemque ad supplicia poscebant, neque in hoc nobilibus, neque etiam comitibus parcendo. Tandem verò, cùm iam magna atrocitate comitem de Sein Henricum incesserent, ipsiusque iugulo ferrum flammamque minitarentur, innotuit eorum nequitia, vnde tragicum sortiti exitum, Conradus quidem irruentium sudibus est percussus: Monachus autem veteranus dispuncto ventre ilia fudit, ac Ioannes impastis è furca coruis suspensus est. Atque hinc vide Lector, quantus sæpè diabolus sub Monacho latuerit, & quid ausi sint prætextu sanctitatis in miseros & sibi derelictos homines statuere, antequàm Euangelij luce eorundem doli ac rapinæ patescebant. Quid futurum fuisse putas cùm Germaniâ, si diutius ibi nidificare monachis licuisset? Si enim Conradus ille, quem quidem omnium sanctissimum fuisse dicunt, talis fuit: quid quæso alios facturos existimas? Ioan. Ravv in Cosmog. Imp. & Papa, vt sup.

Flosculi Sancti Francisci.

1231. ANno 1231 Canonisatus fuit S. Franciscus à Papa, super quo extat liber à Franciscanis concinnatus, cuius titulus est, Flosculi sancti Francisci. Ibi scriptum est, eos viros duntaxat fuisse redemtos sanguine Christi, qui vixerant vsque ad tempora sancti Francisci: reliquos verò qui consecuti sunt, fuisse redemtos ipsius Francisci sanguine. Deinde eas mulieres duntaxat fuisse redemtas merito virginitatis B. Mariæ, quæ vixerant ad tempora vsque sanctæ Claræ: reliquas verò, quæ postea natæ sunt, redemtas esse merito virginitatis eiusdem quidem Beatæ Mariæ, sed renouatæ in corpore sanctæ Claræ. Imp. Frid. 2. Papa Gregorio 9. vt sup.



Ordo militiæ S. Mariæ. 1232.



PAuca de hoc Ordine & diuersa referunt Volat. Polyd. Onuphrius, Francus & Hospinianus, inter quos Volateranus illius initium facit annum 1232. Institutus est à Rege Arragonum, cùm Baleares insulas subegisset. Vestitum habent albâ & nigrâ cruce insignitum.

Cyrillus Carmelitarum Presbyter. 1234.

ANno Domini 1234. Cyrillus Græcus, tertius Carmelitarum præses generalis, obijsse fertur. Hunc dicunt tam Mosi quàm Ioannis Euangelistæ exemplo, nouam Apocalypsim è cœlis circa annum Domini 1192 accepisse, Dei ipsius digito in argenteis tabulis Græcè scriptam, super futuro Ecclesiæ statu. Et per hanc nitebantur impostores quidam priorem illam Ioannis auferre, vel potiùs delere, & in nihilum redigere in ea seculi cæcitate: quoniam erant tunc in Italia, Germania, Francia, & Anglia multi, qui Romam credebant Babylonem esse, ac meretricem illam magnam, & Papam esse Antichristum, ex priore Apocalypsi: cuius opinionis D. Petri Veronensis patruum fuisse, ipsius legendæ ac Fasciculus temporum probant. Oportebat igitur huiusmodi columnis labentem Lateranum, vt in visione Innocentij tertij, his temporibus callidè fulciri. Conabantur etiam tunc Principes temporalia ab ecclesijs auferre, & panis in Missa transsubstantiationem contemnere, atque alia facere, quæ ventribus & culinis non congruebant. Chronici. Imperat. & Papa. vt sup.

Miraculum. 1237.

HOc anno Miesco vel Miccislaus Dux Cuiauiæ, ducis Conradi Masſini filius, rapit ad se viduorum & pupillorum bona, & aliâs multam vim libidinosè exercet in pauperes. Cùm verò aliquando de hac præda opiparum parasset conuiuium, in eum irruunt magni murium greges: & quanquam naui quadam per vndas ab eis fugere contenderet, nando tamen mirificè eum insectati sunt, nec deseruerunt, donec miserè dilaniârunt & interemerunt. Miechouius libro 3. cap. 36. & Fulstenius lib. 7. cap. 1. F. Imp. Frid. 2. Papa Gregorio 9. vt sup.

Fames dira. 1237.

TAnta hoc anno fuit fames in Gallia, vt homines herbis vescerentur. Guilhelmus Episcopus Nuicernensis singulis diebus tunc alebat duo millia pauperum. Mater hist. siue Guilhelmus Nangiac. Imp. 102. Frid. 2. Papa 183. Gregorio 9.

Gerardus Laodicensis Episcopus. 1237.

HIc in libro de conseruatione seruorum Dei inquit, rarescentibus prophetijs appropinquare Antichristum, conijci. Imp. 102. Frid. 2. Papa 183. Gregorio 9.

Ex manuscripto Chronico Coloniensi. 1237.

HAbuit Colonia Agrippina anno reparatæ salutis 1237, Episcopum quendam, nomine Conradum de Hohestetten. Iste impetrauit à Papa, omnes Romanorum Reges Aquisgrani coronari & inaugurari ab Episcopo Coloniensi. Sub eo splendidæ surrexerunt turres & ædificia: ipseque tantæ amplitudinis fecit turrem summam, prout iam est: erat enim diuitijs affluentissimus. Idem volebat etiam, peculiaria sibi cudi numismata, at vetuit hoc ciuitas: ipse verò eandem ideò impetijt maxima vi & furore: & verò, quanquam multis modis ipsam perdere & euertere fuerit molitus, nihil tamen omni conatu profecit. Eius causa Colonienses vicinam Tuisconiam igni exusserunt. Postmodùm verò quidam Episcopus ciues cum Episcopo reconciliauit: ita tamen vt ciuitas mulctam daret Episcopo sexies mille marcarum auri:

facram verò pacem & inducias non feruauit Epifcopus, fed violauit nefariè: & fummis iniurijs affecit afflixitq; ciues longo pòft tempore: multos etiam ciuitatis optimates truculenter necauit, eamq; iram & ferociem rabidam tam diu continuit, donec cum belligerandi libidine vitam fimul ei ademerunt fata. Imp. & Papa. vt fup.

Conradus à Liechtenau, Abbas Vrfpergenfis Chronicographus, cum Paralip.

1239. ANno fecundo Imperij Iuftiniani Antiochia terræ motu concuffa eft. Tantus autem pauor occupauit populum, vt omnes preces tacerent difcalceati. Addit autem: pio cuidam, & Deum timenti homini reuelatum, vt omnes fignarent ædes fuas hac infcriptione: Chriftus nobifcum, ftate. Tandem verò terræ motum quieuiffe. Imp. 102 Frid. 2. Papa 183 Gregorio 9.

Idem. Concilia iuffu Caroli Magni fuper ftatu Ecclefiarum corrigendo per totam Galliam ab Epifcopis celebrata funt. Iam hoc tempore putris caro hunc falem ferre nequit.

Idem. Imperatrix Maria filia Regis Arragoniæ fuit incontinens fœmina, & quendam adolefcentem fub veftitu muliebri fecum habuit fubinde loco ancillæ, & concubinæ: at ifte deprehenfus tandem igni concrematus fuit. Illa etiam Comitem quendam miferè vitâ priuauit, eò quod illi obfequium ad libidinem, feu coitum negauerat. Tandem verò & ipfa publicè damnata tanquam adultera flammis eft exufta. Idem & Crantz libro 4. cap. 26. Henricus Steinhobel & Cufpinianus.

Idem. Anno Domini 1080 cùm apud Brixiam Noricam triginta Epifcoporum conuentus, nec non & Optimatum exercitus non folùm Italiæ, fed & Germaniæ iuffu Regis Henrici congregaretur, factus eft omnium confenfus aduerfus Hildebrandum Papam, cognominatum Gregorium feptimum, quem pfeudomonachum, totiusque vetaniæ peftiferum principem, & principue fanctæ Romanæ fedis inuaforem affirmantes, ab Apoftolica fede depellendum, quamuis abfentem diiudicabant, & Vuigbertum Rauennenfem archiepifcopum ipfi fubrogandum eligebant.

Ibidem. Poft Celeftinum V. fit Papa Bonifacius octauus, de quo fertur infignis impoftura, nimirùm quòd per arundinem infonuerit in aures Celeftini, perinde ac vox effet cœleftis, vt Papatum relinqueret, & Bonifacium fucceffore admitteret. Hic Bonifacius grauiora bella commouit per Italiam: regem Galliæ excommunicauit, & titulum regni Gallici Alberto Imperatori Germanico dedit, vt ita Germaniam, & Galliam committeret. Homo magnæ ingratitudinis, & calliditatis, vt qui ambitionis causâ Celeftinum fanctum virum decepit, dum eum magiftratu fe abdicare compulit, & vitam Eremiticam appetente cepit veritus, ne homines magis Celeftinum vitæ fanctimoniâ confpicuum, quàm fe fequerentur, & apud Fumonis Campaniæ arcem tam arctè cuftodiri iufsit, vt inde mortem illi acceleratam creditum fit. Tandem & ipfe Bonifacius captus, & in carcere mortuus fuit, de quo fertur: Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus eft vt canis. Notum eft & illud, quòd Prochero Genuenfi archiepifcopo, ad pedes eius die Cinerum prodeunti, cùm dici à facerdote aliàs foleat, Memento homo quòd cinis es, & in cinerem reuerteris, dixit mutatis quibusdam verbis: Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reuerteris: in eiusq; oculos cinerem iecit, non in caput, vt mos eft. Hic Papa anno 1298. librũ fextum Decretalium compofuit, & primum iubilæum Romæ Iudaico more celebrauit. Cùm Albertus Auftriæ dux Rudolphi filius, mifsis in vrbem Romam oratoribus, voluntatem de fe Electorum principum Pontifici Bonifacio VIII. declararet, vt electionem de fe factã confirmaret: Pontifex fuperbè electionem reiecit dicens, quòd fine fuâ autoritate electio facta robur non haberet: nam penes fe vtriusq; gladij poteftaté effe affirmabat, quod ipfo apparatu in Iubilæo, qui tum Romæ agebatur, folenniter oftentauit. Primò quidem folenni die in Pontificalibus apparens populo, Apoftolicam illi benedictionem impertitur: Poftero die Imperiali habitu & infulâ Cæfareâ infignis, gladium ante fe nudatum iufsit deferri, & fedés alta voce teftabatur: Ecce duo gladij hîc. Vides ô Petre fucceffsorem tuum, & tu falutifer Chrifte cerne tuũ vicarium: vide quò



afcen-

ascendit superbia serui seruorum tuorum. Sequenti anno tamen Alberti electionem comprobauit eo pacto, si regem Franciæ impugnans se regem gereret & Romanorum & Francorum. Implacabiliter enim rex Franciæ Pontificem offenderat, quòd Pragmaticam sanciens Apostolicæ sedi suum per Franciam minorauit honorem. Bellum autem, quod volente Pontifice Albertus Romanorum rex suscepit aduersus Philippum regem Francorum, desijt in nuptias. Nam reges inuicem (misso facto Pontifice) affinitatem inierunt, cùm Philippus Alberto filiam suam daret coniugem. Celebratæ sunt nuptiæ regales splendidissimæ in vrbe Parisiorum.

Idem. Anno 620 Agatho Pontifex Romanæ Ecclesiæ legatos suos, pro admonitione sanctarum Dei Ecclesiarum in vrbem regiam misit, in quibus erat Ioannes Romanæ Ecclesiæ tum Archidiaconus, sed non longè pòst Episcopus: qui benignè suscepti à reuerendissimo Catholicæ fidei defensore Constantino, iussi sunt, remissis disputationibus Philosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis libris de bibliotheca, &c. Obseruabis igitur contra præsentes Ecclesiæ paroxysmos, quòd Constantinus præcepit Episcopis, vt à disputationibus in Synodo abstinerent, & pacificè de fide perquirerent.

Ibidem. Per idem tempus cùm Ecclesia Moguntina insigni clade duos haberet Pontifices electos in discordiâ, Pius Papa, qui nosset opes Ecclesiæ dudum in Germaniâ versatus, annatam extorsit acerbiùs. Sed Dietherus de Isenburg, qui potior in iure videbatur, dum vt ferunt, annatam pro arbitrio Papæ non soluere, & de non sollicitando pro concilio sacramentum præstare recusaret, confirmationem iam datam Papa retraxit, & æmulo suo contulit Adolpho de Nassau. Nihil actum videbatur Apostolicâ confirmatione, quam vterque tenebat, nisi arma venissent in medium. Dietherus vrbem & arces habebat potiores: concurrerunt aliquando armis in acie, victa pars Dietheri cessit. Deinde oppugnata ciuitate captaq; armis, auxilio comitis Palatini de Rheno, Dietherus cùm nihil hostili molitione persentiret, penè in ipsa quietis suæ sede interceptus est, calente adhuc lectulo vnde dilabebatur. Sæuitum est in maiores vrbis, qui partem tutati sunt Dietheri. In miseram seruitutem vrbs pridem libera redigitur. Archiepiscopus cum clero dominatur. Rebus tamen inter æmulos compositis, Dietherus deputatas sibi accepit arces cum prouentibus, certus, si ad eum diem peruenerit, de Adolphi successione, idque post sextum annum euenit.

Ex enarratione facti Depositionis domini Dietheri de Isenburg anno 1489. per Notarium quendam conscripta.

PApa Pius ob has causas potissimùm aduersabatur Diethero, propter quas etiam priuauit. I. Quia non consentiret Dietherus in impositione Decimæ, Vigesimæ, aut Tricesimæ. II. Quia Dietherus noluit se astringere Pontifici Romano petenti, ne Dietherus vnquam principes Electores conuocaret, absque eius (Rom. Pont.) licentia. III. Quia Dietherus noluit legatis Pontificijs permittere, vt eorum libitu conuocarent clerum. Pius confirmare Dietherum detrectat, nisi ipse Romam veniret. Moguntinus vocationem suam ad Romam ægrè fert, infirmitate excusat. In comitijs Viennæ, & posthac Bambergæ oratores Dietheri grauiter in legatos Pontificios inuehuntur. Excommunicatur Dietherus per auditorem Cameræ, Coloniæq; publicatur. Hinc Moguntinus exarsit in iram, & de vindicta suscipienda cogitat vi: Gregorium Heymburg doctorem accersiuit in Consiliarium ad Comitia Norimbergensia. Scribit Dietherus ad principes Germaniæ contra Papã & sedem Apostolicam, satagens, vt exoneretur natio Germanica ab oneribus curiæ Romanæ contra decreta conciliorum Constantiensium & Basiliensium. Solutio annatarum propter excessiuam taxam articulorum vnus erat. Instituitur appellatio à Papa ad generale concilium. Fridericus comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, & Fridericus Marchio Brandeburgensis, & alij principes adhærent appellationi. Summa quæ danda fuerat per Dietherum, erat XXII millia, sexingenti & IV. floreni. Scribuntur duæ epistolæ à duobus Electoribus, Palatino & Brandeburgensi ad Papam, acres & pungentes, complectentes hos sex articulos, primus: de tollendâ Decimâ. II. de reuocandâ constitutione Mantuanâ. III. de auferendis annatis secundum decreta concilij Basiliensis. IIII. de congregando concilio. V. de grauamine illato singulariter electo Moguntino, & adhærendo appellationi suæ. VI. de accipiendo in his remedio dato, quòd Papa non vellet hæc facere vt incepta sunt. Respondetur à Pontificijs oratoribus ad omnia, afferuntur argumenta, ne ad futurum concilium appelletur: defenduntur annatæ, excusatur Symonia, pragmatica sanctio conuellitur, habent oratores Pontificij colloquium secretum cum Diethero, proponitur, Moguntinum non posse bellum inferre Papæ Romæ, sed vicissim. Capita appellationis faciunt libellum famosum. Minantur oratores de alio præfiniendo, Moguntinam Ecclesiam Archicathedralem, facere suffragancalem. Duci vult Papa, non cogi. Cardinalis de Cusâ scribit ad fratrem Moguntini Ioannem de Isenberg hortans, vt moneret fratrem suum, vt humiliaret se, & peteret veniam à Papa. Has literas Dietherus à fratre in Hæst accipit. Interea & Papa Pius duobus Electoribus, Palatino & Brandeburgensi scribit, se excusans, quòd taxam non auxerit. Scribit dilectis filijs Decano & Capitulo Moguntino: conqueritur de Diethero, qui vellet sedem Apostolicam humiliare, & Imperialem euehere: & quòd vera etiam in Papam dicere esset contra iuramentum Episcoporum. Post hæc aggrauatur Dietherus per auditorẽ Cameræ: huius admonetur Dietherus per archiepiscopos Coloniens. & Treuirensem. Interea Oratores Pontificij, & legati Alberti Marchionis Brandeburgensis seriò agunt pro

pace,

pace. Exemplum Tridentini adducitur, qui cùm obnoxius esset Ecclesiæ à tempore Calixti Papæ in XXI. millibus ducatorum, petiuit gratiam humiliter ab electo Pio, & dimisit illi totum debitum. Decanus Vuormaciensis præuidens mala futura nobili patriæ, clamans & appellans importunè vadit ad Dietherum, & obtinet, quòd coram vno notario, & duobus testibus Dietherus appellationi renunciat. His peractis oratores Papæ mittunt Romam duos nuncios. Res inter Cardinales vltrò citroq; agitatur, ponderabant multùm malum exemplum, quod si ita dimitterent, autoritas apostolicæ sedis prorsus pessumdaretur. Ergo secunda vice conclusum est, vt priuaretur Dietherus & prouideretur alteri. Voluisset quidem Papa, quòd Capitulum elegisset, verùm propter scandalū vitandum obmissum est: quare Papa dominum Adolphum proprio motu elegit propter nobilitatem generis, & propter doctrinam: et quia dilectus Imperatori, & etiam subditis Ecclesiæ Moguntinæ, maioriq; parti capituli: & quia cum ipso Diethero coëlectus fuerat, & quia multos habebat consanguineos & amicos, quorum fretus auxilio posset possessionem ecclesiæ vendicare. Post hæc Dietherus & complices excommunicantur, & execrantur, & inhibetur, ne quis eis panem, vinum, carnes, equos, currus, balistas, lanceas, & id genus adferat. Argentorati & Spiræ valuis ecclesiarum affigi præceperat Pius: Executores constituerat Archiepiscopum Coloniensem & Argentoratensem, & Decanos Treuirensem & Argentoratensem. Hæc facta sunt anno 1461. Vicissim à Diethero & suis, hoc est, Friderico Palatino, & Philippo Comite in Katzenelenbogen interdicitur omnibus Papisticis literis & processibus, sub pœnâ capitis. Et cui constiterit de nuncijs talibus, vt capiantur, & præfectis principum præsententur. Interea scribit Pius oppidis Reingauiæ, vt Adolphum de Nassau ecclesiæ Moguntinæ Archiepiscopum & pastorem habeant. Et anno Domini 1462 implorat Ducis Burgundionis auxilia contra Dietherum.

Ibidem. Legitur in vetusto codice in epistola Ioan. Rochenzan, quam scripsit Ioanni Capistrano, Capistranum inuitasse Ioannem de Rochenzana ad multas vrbes famosas, Neapolim, Senas, Perusium, Florentiam, & quòd Papam elegerit iudicem, cuius scilicet est legem diuinam & sanctas scripturas interpretari. In quo videtur, quòd Capistranus non intenderit quæ legis naturalis sunt, quod tibi non vis fieri, &c. inquit Rochenzan: Pensa Capistrane, quia crimen in Bohemia & Morauia per te est commissum, puta dum ad abiurationem sacrati calicis inducis: ergo ibi causa agatur, non extra Bohemiam vel Morauiam. Simile est, ac si velles furta perpetrare in Bohemia, & super illis in Padua vel Bononia respondere. Capistranus asserit se Bohemiam peragrasse, vt tot millia animarum à faucibus sathanæ liberaret: respondet Rochenzan: se tenere compactata de veritate sacramenti calicis, sigillis magnorum consignata, & voluntate ac consensu Papæ Eugenij, & cum voluntate ac robore firmo concilij Basiliensis, cum assensione sigillatum Maiestatis, in testimonium serenissimi Sigismundi Imperatoris & ducis Austriæ. Capistranus obijciebat multitudinem regum Romanorum, Franciæ, Angliæ, Vngariæ, Bohemiæ & cæteros, plerosque sub vna tantùm specie communicantes: Rochenzan argumentum multitudinis diluēs, Multi, inquit, vocati sunt, pauci electi, adducens exemplum Heliæ in diebus Achab. Tempore Arrij multos & maiores episcopos & Principes ab eius parte stetisse: & paucos Christianos, illosque absconditos rectè sensisse: vt erat Hilarius & Athanasius, qui Treueris latuit. Et Dominus Iesus ferè vnus fuit in tota Ierusalem. Ne autem putet, solos Bohemos, ac Morauos calici participare, sciat, idem facere Græcos, Bulgares, Armenos, Indos, quos tamen Eugenius in gremio Ecclesiæ habere voluit congregatos. Respondet Capistranus, & monet Rochenzan, vt redeat ad gremium matris Ecclesiæ. Non curabat, quòd appellârit eum Monachum, cùm tu, inquiēs, neq; Monachus sis, neque regularis, & vt multi asserunt, neq; forsan sacerdos aut presbyter, vtinam esses verus sacerdos, id est, sacra dans. Et tandem inquit Capistranus, non grauari se, quòd à Rochenzan sit infamatus, quando tota Italia, Francia, Flandria, Burgundia, & Alemannia, in quibus XXXIII. annis Euangelizaui, refellant, & confutent istam doctrinam, vt taceam Angliam, Hispaniam, Portugalliam, Cathaloniam, Nauarram, Siciliam, Bosniam, Vngariam, Dalmatiam, Poloniam, quorum regibus omnibus etsi non facie, nomine tamen notus sit. Et quòd in Ciuitate Olomicensi quodam die Dominico sequuti sint suas prædicationes centum millia personarum.

Idem. Circa hæc tempora Carolus Imperator Moguntiæ comitia habet cum Archiepiscopis Moguntinensi, Treuerensi & Coloniensi. Aderant quoque Saxoniæ & Bauariæ duces. Istuc miserat Pontifex legatum Episcopum Canalcens. pro subsidio Cameræ. Quem cùm Imperator præsentibus Principibus audiuisset, respondit: Domine legate, Papa misit vos ad Germaniam, in qua magnam pecuniam corraditis, sed in Clero nihil reformatis. Adstabat autem Cuno de Falckenstein Canonicus Moguntinensis cum caputio precioso, aureis & sericis ligaturis consuto, quod Imperator suo capiti imponens inquit: Sumne in caputio Cunonis plùs militi, quàm clerico similis? Et intuitus Gerlacum Archiepiscopum Moguntinum sic affatur: Domine Archiepiscope, vobis præcipimus sub eâ fidelitate, quâ nobis adstringimini, vt clerum vestrum reformetis, tollatisque abusum in vestibus, calceis, capillis, & toto vitæ habitu. Quod si non fecerint, mandetis fructus beneficiorum suorum occupari, & fisco nostro præsentari, quos nos in honestiores vsus conuertemus. Colloquio isto peracto, Pontificis legatus non diu Moguntiæ hæsit, sed quasi fugitans naui conscensâ Coloniam soluit.

Idem. Iudæus quidam in Toleto Hispaniæ vrbe anno salutis 1238, pro amplianda sua vinea rupem imminentem mouere parat. Sed inter fodiendum in concauitatem quandam incidit: vbi librum ligneis folijs scriptum ad longitudinem Psalterij reperit, in quo triplici lingua, Hebraica,

Græca atque Latina legebatur de triplici mundo ab Adam vsque ad Christum. Initio atem tert i prædicebatur, nasciturum esse Christum ex virgine, ac pro mundi peccatis passurum. Eidem libro & hoc inerat: temporibus Ferrandi Castellæ Regis (qui quidem tunc ad gubernacula sedebat) librum repertum iri. Hæc legens Iudæus repudiata sua religione, Christianus factus cum omni familia baptizatur.

Idem. Anno 1095 inquisitione facta Moguntiæ ab Imperatore de facultate Iudæorum interfectorum, inter cæteros, qui eas rapuerunt, quidam ex consanguineis archipræsulis inculati sunt Quos cùm Imperator perquireret, nec in præsentiam eius venirent, Pontifex causam eorum defendere volens sed non valens, indignatione permotus ex vrbe discessit, & in Thuringiam cum eis se contulit, quasi suis in hoc meliùs prospecturus, & ex vicinitate Imperatori rebellium quendam ei terrorem illaturus, sicque commotionis suæ vindictam exacturus. Extiterunt autem qui dicerent, etiam ipsum Pontificem multam partem de pecunijs inuasis accepisse, & idcircò defensioni cæterorum tanto studio cor appoiuisse.

Idem. Iam tunc Colonienses, & Argentinenses cum Episcopis suis, & alij quidam cogitauerunt, & machinati sunt nequitiam. Miseruntque suos nuncios, Albertum videlicet de Tagisburg & de Liningen comites in Angliam, vt inde aduocarent & adducerent Othonem, pro eo quòd superbus & stultus, sed fortis videbatur viribus, & staturâ procerus, præsumentes nihilominus auxili Richardi regis Angliæ, quia fuit avunculus eiusdem. Hunc igitur apud Coloniâ elegerunt in regem o facta est hæc abusio, vt fieret quasi portentum multarum abusionum, quæ subsecutæ sunt in terris. Vix enim remansit aliquis episcopatus, siue dignitas ecclesiastica, vel etiam parochialis ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua.

Idem. Circa annum 1240, multi concionatores in Sueuia liberè contra Papam concionati sunt: eius mandatis non obtemperauerunt, & prædicauerunt, se annunciare indulgentiam non à Papa confictam, non à Prælatis compositam, sed ab omnipotente Deo per Christum concessam. Crantzius lib. 8. cap. 16 Saxoniæ (vnde hæc desumta sunt) affirmat: eos primatum Papæ quoque pernegasse. Ait præterea, passim tam multas hæreses fuisse: haud dubiè indicans propagationem doctrinæ VValdensium. Vnde apparet, eos sensisse, bullatas istas Papæ indulgentias esse meras, pleraque bullas, & inanissimas deceptiones, & fraudes: vt & Theologi, qui ante Thomam fuerunt, affirmare soliti sunt. Huius eiusdem historiæ fit mentio & in Metropoli Crantzij, lib. 8. cap. 18. quanquam ex odio, & imperitiâ veritatis acerbiùs de eis loquatur.

Idem scribit, quendam Concionatorem affirmasse, malle se ab Euangelio, quàm Ecclesiæ ceremonijs recedere.

Carmelitæ. 1240.

EO anno quo Carmelitæ fratres ex Palæstinâ venerunt, scilicet anno Domini 1240, magna lues animalium, & hominum, maximaque inundatio imbrium fuit. Ex qua prouenit tanta bladi caristia, quòd quaternarium tritici pro quadraginta solidis vendebatur. Imp. Frid. 2. Papa Gregorio 9. vt sup.

Miraculosum. 1240.

HOc tempore apud Cremonam facta est tempestas maxima, ceciditque stiria ingens, seu lapis grandinis, in quo erat crux, & imago Saluatoris nostri expressa: desuper quoque literis aureis scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Cecidit autem in Monasterio sancti Gabrielis: & de aquâ in aquam liquefactus est. Vincent. lib. 30. cap. 138. Nauc. Vol. 2. generat. 41. Vt sup.

Monstrum. 1240.

HOc anno in Rachstad Bauariæ, sub Alpibus natus est infans cornutus, qui, antequàm lucem vidit, in vtero eiulare auditus fuerat per 14 dies. Chron. Ger. Imp. vt sup. Papa 184 Celest. 4.

Vincentius ordinis Prædicatorum in Speculo Hist. libro 7. 1240.

INter alia, Quintum est, inquit, discretio: vt scilicet discernat apud se, pro quanto vellet exonerari: vel quantum vellet dedisse, vt absolutus esset à pœnitentiâ tantâ. Sextum est iusta æstimatio, vt secundum quod ipsi dimittitur, ille recompenset: sed Ecclesia tacet illam duabus de causis: prima est, quòd si determinaretur, non essent fideles ita promti ad dandum, &c. Alienatio quidem pecuniæ satisfactoria est: cùm sit verè pœnalis. Imò, quantum ad relaxationem pœnæ, peioris conditionis est pauper, quàm diues. Imp. Frid. 2. Papa 184 Celestino 4.

Idem lib. 30. Ante captionem Damiatæ liber nobis apparuit Arabicè scriptus, cuius auctor se Iudæum, vel Christianum, vel Saracenum esse negat. In eo autem quisquis ille fuerit, prædixit mala, quæ Saladinus populo Christiano crudeliter intulit in destructione Tyberiadis, &c. Saladini nomen non posuit, sed per nigros oculos, & crocea vexilla ipsum designat. Insuper prædixit, quendam Regem Christianorum Nubianorum Mecham ciuitatem debere destruere, & ossa Mahometis Pseudoprophetæ dispersa proijcere: & quædam alia, quæ nondum euenerunt: sed si completa fuerint, ad exaltationem Christianitatis, & depressionem Agarenorum euenirent.

Idem lib. 31. Scripsit Ptolomæus Lucensis: Nicolaum Pontificem, nisi eius consilia mors occupasset, Reges duos, vnum Longobardiæ, alterum Etruscis fuisse daturum, quò Regibus Siciliæ & Germanis imperij titulo abutentibus, euertendi Italiam (sicut sæpè fecerant) adimeretur occasio.

Idem libro 25. cap. 10. Imperator Henricus III. sororem monialem habuit, ac licet nocte quadam de fenestrâ prospexisset, clericum amatorem ab ipsâ per niuem dorso portari extra curiam: nemini tamen rem patefecit: sed mortuo quodam Episcopo, clerico dixit: Accipe Episcopatum, & vide ne vltrà equites in dorso mulieris: & vacante monasterio, sorori: Accipe abbatiam, & vide ne vnquam portes clericum equitantem. De quo etiam Ranulphus libro 6. cap. 21: & Malbesburiensis libro 2. cap. 67. Similem historiam quoq; suprà recitauimus de Eginhardo Caroli Magni Imp. Notario, genero, & tandem Abbate.

Idem libro 30. Anno Domini 1213. qui fuit 13 Regni Ioannis regis Angliæ, idem Ioannes spontaneè, de communi consilio baronum suorum, obtulit & liberè concessit Deo, & Apostolis eius Petro & Paulo, ac Romanæ Ecclesiæ, & Innocentio III, eiusque successoribus totum regnum Hyberniæ, cum omni iure, ac pertinentijs suis, pro remissione peccatorum suorum, ac totius generis sui, viuorũ & defunctorum. Et fecit, ac iurauit homagium pro dictis regnis Deo, ac Apostolis prædictis, & Innocentio III, vt ea de cætero tamquã feudarius reciperet, ac teneret ab ipso Papã, & usque successoribus. Ad cuius indicium statuit, vt de proprijs reditibus prædictorum regnorum pro omni seruitio ac consuetudine, saluo per omnia denario B. Petri, Ecclesia Romana 1500 marcas percipiat annuatim, videlicet in festo S. Michaëlis 500. & in Paschâ 700 pro regno Angliæ, ac 300 pro regno Hyberniæ, saluis sibi & hæredibus suis iustitijs, & libertatibus, atque regalibus suis. Ranulphus libro 7. cap. 33. in Polychr. addit hoc: quòd si vel ipse, vel aliqui hæredum suorum ab hac conditione deficiant, à iure regni cadant.

Idem lib. 24. Caroli fertur visio, in nomine Dei summi Regis regum. Ego Carolus Imperator, Dei dono, rex Germanorum & patricius Romanorum atque Imperator Francorum, sacrâ nocte
diei Dominicæ, post celebratum nocturnarum horarum diuinum officium, dum irem repausare,
& vellem somnum capere, venit vox ad me terribiliter dicens: Carole exiet à te modò Spiritus tu-
us, in horâ non modicâ. Statimque fui raptus in Spiritu, & qui me sustulit, erat candidissimus,
tenens in manu suâ glomerem lineum, clarissimum iubar luminis emittentem: sic solent cometæ
facere, quando apparent. Cœpitque illum dissoluere, dixitque ad me: Accipe filium glomeris
micantis, & liga, & noda firmiter in pollice manus tuæ dextræ, nam per illum ducêris in labyrin-
thæas inferorum pœnas. Hoc dicto præcessit me velociter distorquens filum luciflui glomeris, du-
xitque me in profundissimas valles igneas, quæ erant plenæ puteis ardentibus pice & sulphure,
plumbo & cerâ & adipe. Ibi inveni Pontifices patris mei, & auunculorum meorum: quos cùm
pauens interrogarem, cur tam grauia paterentur tormenta? responderunt: Fuimus episcopi Patris
tui, & Auunculorum tuorum, & dum debuimus illos, & populum illorum de pace & concordiâ
admonere, seminauimus discordias, & fuimus incensores malorum, imò nunc incendimur in istis
tartareis supplicijs & nos, & alij homicidiorum & rapinarum amatores. Huc etiam tui episcopi

& sattel-

& satellites venient, qui similiter amant nunc facere. Et dum hoc tremebundus auscultarem, ecce nigerrimi dæmones aduolantes cum vncis igneis volebant apprehendere filum glomeris, quem in manu tenebam, & ad se attrahere: sed reuerberantibus radiis illius glomeris, non valebant illum attingere. Deinde post tergum meum currentes voluerunt me aduncare, & in ipsos puteos sulphureos præcipitare, sed ductor meus qui portabat glomerem, iactauit super scapulas meas filum glomeris, & duplicauit illum, traxitque post se fortiter: sic cùm ascendimus super montes igneos altissimos, de quibus oriebantur paludes & flumina feruentia, & omnia metallorum genera bullientia, ibi reperi innumeras animas hominum, & principum patris mei, & fratrum meorum, & præcipitatas alias vsq; ad capillos, alias vsq; ad mentum, alias verò ad vmbilicum, & clamauerunt ad me eiulando: dum viximus, amauimus tecum, & cum patre tuo, & cum fratribus tuis, & cum auunculis tuis, facere prælia & homicidia, & rapinas pro cupiditate terrenâ: ideoq; in ista bullientia flumina, & metallorum diuersa genera torquemur. Et cùm hæc timidus attenderem, audiui retrò me animas clamare: Potentes Potenter torméta patiuntur! Et respexi, & vidi super ripas fluminis bullientis fornaces piceas, & sulphureas, plenas magnis draconibus & serpentibus diuersi generis: vbi etiam vidi Patris mei principes, & fratrum meorum, & auunculorũ meorum dicentes mihi: Heu nobis Carole, vides, quàm grauia habeamus tormenta propter nostram malitiam & superbiam, & mala consilia, quæ regibus nostris, & tibi dedimus propter cupiditatem.

Ibidem. Patruus meus Elebandus, Henrici quondam Remensis Archiepiscopi cubicularius dicebat: Dominus meus Archiepiscopus mittebat me apud Attrebatum: dum autem circa meridiem apud quoddã nemus appropinquassemus ego & famulus meus, qui me præcedebat (celeriùs equitans vt mihi pararet hospitium) audiuit ille tumultum magnum in nemore, quasi multiplices & varios equorum fremitus, armorum sonitus, & velut voces multitudinis impetu ruentis in bellum: expauefactus ergò ipse, & equus eius, continuò reuersus est ad me. A quo cùm quærerem, quare reuerteretur? respondit: equus meus non fuste, non calcaribus etiam cogi potest, vt procedat: & ego etiam ipse adeò territus sum, vt omninò non audeam procedere: mira enim vidi, & audiui. Nemus enim istud defunctorum animabus, & dæmonibus plenum est, audiui autem ipsos clamare & dicere: Iam habemus præpositum de areâ, in proximo habebimus Archiepiscopum Remensem. Ad quod ego respondi: signum crucis nostris frontibus imprimamus, & securi procedamus. Cùm ergò processisse, & ad nemus peruenissem, iam vmbræ præcesserant, & tamen voces quasdam confusas audiui, & fragores armorum, & equorum fremitus, sed nec vmbras videre, nec voces audire potui. Cùm autem redissemus iam ad Archiepiscopum, inuenimus eum in extremis, nec post has voces 15. diebus superuixit: vnde coniicitur, eum ab illis spiritibus raptum, à quibus auditum fuerat rapiendum. Hinc apparet quales equi sint illi, super quos aliquando defunctorum animæ videntur equitare: sunt enim dæmones se in equos transformantes, quorum sessores sunt animæ miserrimæ peccatis, tanquam armis quibusdam & clypeis oneratæ, & reuerâ propriis sceleribus in formis talibus onustatæ, iuxta illud propheticum: descenderunt in infernum cum armis suis, cum membris suis, quæ fecerunt arma iniquitatis nolentes ea facere arma iustitiæ. Certum est autem, Equum animal esse superbum & contumax, contentionis & belli cupidum, feruens ad coitum, & in libidine præpotens: dæmones igitur in equos transformati significant, sessores suos huiusmodi se sceleribus oblectasse.

Idem in speculo lib. 23. c. 9. & 10. Lupus Episcopus Aureliis diabolum inclusum habuit in vasculo, & pulsando companas exercitum Clotarii Regis, qui vrbem obsidebat, ita terruit, vt omnes se in fugam verterint.

Idem lib. 27. c. 83. Per idem tempus in Alemanniæ partibus admirabilis quædam virgo prouectæ ætatis erat, cui tantam diuina virtus gratiam contulerat, vt, cùm laica & illiterata esset, mirabiliter rapta frequentius in somnis disceret, quæ non solùm verbis effunderet, sed etiam scribendo latinè dictaret, vt dictando Catholicè libros conficeret. Hæc fuit, vt æstimo, S. Hildegardis, quæ multa fertur prædixisse de futuris: ad quam etiam scripsisse dicitur S. Bernhardus Claræuallensis. Hæc ad Colonienses scribens de futurâ Clericorum tribulatione, dicit: quòd clerici gloriam absque merito volunt habere, & meritum absque opere.

Idem lib. 29. c. 8. 9. 10. Alterius cuiusdam anima per Raphaëlem ad superos & inferos deducta vidit hominem in sella ignita sedentem, in cuius os mulierculæ ornatissimæ ardentes faces immittebant, & per posteriora retrahebant, eosque cruciatus perpetuò patiebatur, quoniam luxui ac libidini deditus fuerat. Vidit & hominem quem diaboli excoriabant viuum, saleq; consperfum & craticulæ impositum assabant, quia in subditos crudelis fuerat. Alius oblatus equo ardenti insidens, ante capram, post terga monasticam vestem gestans, qui de rapinis vixerat, ac mulierculæ cuidam suam capram surripuerat: tandem Monachum simulata pœnitentia induere voluerat. Vidit diuersi ordinis religiosos, quorum alii risui cachinnoque, alii gulæ ac libidini explendæ studebant, dæmonibus eos ad similitudinem perpetratorum scelerum ad hæc cogentibus. Denique Iudam Proditorem omnibus dæmonibus, damnatisque hominibus inuisum in imo barathro, vbi omnium ludibriis, conuitiisque expositus erat, conspexit. Hæc cùm contra interdictum homo ille ad se reuersus, narrare astantibus fratribus cœpisset, statim S Benedictus baculo os eius feriit inquiens, quia loquendo peccasti, vsu sermonis per dies nouem priuaberis, & iniuncta pœnitentia discessit. Nouem autem diebus exactis rem omnem suo tandem Abbati, vt iussus fuerat, aperiit: Abbas verò, qui tacendi præceptum non acceperat, porrò in publicum id produxit.



Idem lib. 25. Damianus refert: Episcopus, inquit, quidam Capuanus vidit Benedictum maiorem Papam sibi olim familiarem, nigro, quasi corporaliter, equo insidentem: (vide quàm conueniant scripturæ Apoc. 6. cum historiis) at is territus ea visione dicebat: Heus tu, nónne es Papa Benedictus, quem iam defunctum nouimus? Ego sum, inquit, infelix ipse. Quomodo, inquit, est tibi pater? Grauiter, inquit, torqueor, sed de Dei misericordiâ non despero, si mihi adiutoriũ præbeatur, quia iuuari possum: sed perge, quæso, ad fratrem meum Ioannem, qui nunc sedem apostolicam occupat, eiq; de mea parte dic, vt illam summam, quæ potissimè in tali thecâ reposita est, in pauperes distribuat: sicque me redimendum esse quandocumque, cùm hoc diuina miseratio decreuerit, cognoscat. Nam cætera, quæ pro me indigentibus tradita sunt, nihil mihi penitus profuerunt eò, quòd de rapinis & iniustitiis acquisita sunt. His auditis Episcopus Romam impiger adiit, & Ioanni Papæ (cui & ipsi apparuit ille Benedictus 9. precans idem, & dicens: O vtinam Odilo Cluniacensis pro me rogaret!) fratris verba narrauit, & episcopatum mox deposuit, ac monachatum induit. Eiusdem verò Benedicti nepos, qui post eum tertius, Ioanni verò secundus successit in papatu, vt Vmbertus Archiepiscopus mihi narrauit, apparuit etiam cuidam iuxta molendinum equo insidenti, & iter agenti; apparuit autem in specie monstruosi animalis, cuius cauda & aures asini erant, cætera vrsi.

Cumque ille fugam iniret tremefactus, clamauit monstrum illud: Noli, ô vir, expauescere, scito, me hominem fuisse sicut tu es, sed quia bestialiter vixi, post mortem præferre bestiæ speciem merui. Ad quem ille: quisnam fuisti? Ego, ait ille, solo nomine Benedictus fui, qui nuper apostolicam sedem indignus obtinui. Ad quem ille: quid habes retributionis? Nunc, inquit, vsque ad diem iudicii per dumosa, atq; squalentia, & sulphurea loca, & fœtida, & bullientia rapior & pertrahor: post extremum verò iudicium corpus meum & animam similiter irremediabilis cruciatus, & irreuocabilis olla gehennalis barathri glutiet, ita vt mihi nulla in posterum spes recuperationis restet. Post hæc verba disparuit. Fuerat autem ab ipso Pontificatus primordio vsque ad finem vitæ in cœno luxuriei conuersatus, ideoque ab auribus asini in caudam desinebat: imò duxerat per totum vitam carnalem, & ideò per cætera vrsus erat. O quàm illi melius fuisset, vt episcopatum deseruisset! F. anno D. 1042.

Idem lib. 25. cap. 89. Presbyter die obitus sui trigesimo apparuit amico suo, preces, ieiunia, & eleemosynas viuorum nihil prodesse mortuis, asserens, quòd Dei iudicia sint immutabilia, & addidit: Tu si dubitas conuerti miser, lege literas istas. Hoc dicens manu protendit epistolam tetricis notis scriptam: in qua Sathanas, & omne inferorum satellitium omni ecclesiastico cœtui gratias de tartaro emittebant: quòd cùm ipsi in nullo suis voluptatibus deessent, tum verò tantum numerum subditarum animarum paterentur ad inferna descendere prædicationis incuriâ, quantum nunquam viderant retroacta secula. His dictis loquentis aspectus disparuit.

Idem lib. 29. Ambire ergò ad summum pontificium, & non sine fraterno sanguine ad illud etiam ascendere, est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in pascendis ouibus. Bene ergò Pontifex Romanus dicitur non tam nuncupatiuè, quàm etiam substantiuè, Seruus seruorum. Seruiat enim seruis auaritiæ, id est, Romanis, necesse est adeò, vt nisi seruierit, fiat aut ex Pontifex, aut ex-Romanus.

Idem lib. 31. Ptolomæus Lucensis profatur se vidisse, quosdam Cardinales à Clemente Pontifice missos, Carolum in Lateranensi Ecclesiâ, Ierusalem & Siciliæ Regem, & Beatricem vxorem Reginam declaratos coronâsse. Constat quoque, quòd Carolus dictorum regnorum coronâ ornandus, per solennem stipulationem 50000. aureos in feudi pensionem, subiectionisque & recognitionis Romanæ signũ, spoponderit Ecclesiæ. Hocque fœdere constitutum est, nulli Successorum licere Romanum Imperium, si etiam ab Electoribus demandatum esset, accipere administrandum.

Idem lib. 28. Clamant verò nudi, clamant famelici & dicunt: Dicite Pontifices, in freno quid facit aurum vel argentum? Numquid aurum à freno frigus repellit aut esuriem, nobis fame & frigore miserabiliter laborantibus? Quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis: Nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis.

Nos enim fratres vestri, plasmatio Dei, & redemti sanguine Christi. Videte, quale sit de fraterna portione oculos vestros pascere. Nostra vita vobis cedit in superfluas copias: Nostris detrahitur necessitatibus, quicquid vestris accedit vanitatibus. Duo denique mala de vnâ prodeunt radice cupiditatis: dum & Vos vanitando peritis, & Nos spoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onusta gemmis: & nostra non curatis crura nuda tegere caligis. Annuli, catenulæ, & clauatæ corrigiæ, multaq; talia tam speciosa coloribus, quàm pretiosa ponderibus à mulorum dependent ceruicibus: fratrum autem lateribus nec semicinctia miserantes apponitis.

Ibidem. Anno D. 1066. Hildebrandus archidiaconus Romanorum, qui & Gregorius, Romanæ Ecclesiæ CLXI. præsidet. Hic cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu nunciabat, quem ideò Papa Alexander Cancellarium apostolicorum præfecerat: pro cuius officii intuitu Hildebrandus, tanquam Cancellarius circumibat prouincias, vt perperam acta corrigeret. Die quadam cùm equitaret cum turbâ obsequentium, Abbas Hugo in extremo agmine cum suis monachis persequebatur, visoque eminus tanto viri honore, cœpit cogitare in animo, vnde esset tantus honor homuncioni exilis staturæ, despicabilis parentelæ? proculdubio hoc ei ex superbiâ accidere, quòd tot obambulatores haberet. Vix hoc mente versarat, tunc archidiaconus reflexo equo, & calcaribus incitato, à longè clamans, & abbatem adnutans, Tu, inquit, malè cogitasti, non mihi hanc gloriam (si gloria dici potest, quæ citò transit) vel imputo, vel ab aliis imputari volo, sed beatis Apostolis, quorum priuilegio mihi exhibetur. Erubescens Abbas hoc solum respondit: Quæso Domine, quomodo nosti cogitatum meum? Ab ore, inquit, tuo, quasi per fistulas, ad aures meas deductus est.

Idem. Petrus Arragonum Rex vt animæ salutem mereretur, feudatarium Papæ Romano Regnum suum fecit, sub Innocentio 3.

Idem libro 31. Anno D. 1263. cometes, noua stella in cœlo apparuit, insigni magnitudine, durans supra tres menses, surgens ab Oriente cum magnâ luce, & ad medium cæli Occidentem versus radios suos emittebat. Quo priùs apparente, Vrbanus IV. Pontifex infirmari cœpit: sed eadem ipsâ nocte, quâ Vrbanus obiit, & ipse extinctus est, sicque defecit apparitio eius.



Ibidem. Ab Innocentio IV. Papâ Lugduni primùm constitutum est, vt Romanæ Ecclesiæ Cardinales in publicum adequitaturi galero rubente insignirentur: non solùm quò cæteris inferioribus essent conspicui: sed vt ipsi admoneantur, debere eos, qui post pontificalem maiore omnium ornentur dignitate, ad effundendum pro fide catholicâ, & Christiani populi salute sanguinem, paratos esse. Alii pii notam hanc in Cardinalibus asserunt portendisse, quòd sint futuri effusores sanguinis Christianorum, homicidiis & crudelitate perpetuò aduersus sanctos Domini furientes: quod & proh dolor factum est, vt mox sequetur.

Continuator Vincentii.

EST oratiuncula quædam hoc tempore vsitatissima: Benedictum sit dulce nomen Domini nostri Iesu Christi, & gloriosissimæ virginis Mariæ matris eius in æternum. Et vltrà: Nos cum prole piâ benedicat virgo Maria. Amen. Et qui hæc legerit vel orauerit, de singulis iterationibus, auctoritate Clementis Papæ, ob petitionem Ludouici regis Franciæ, tres annos indulgentiarum habebit.

Annales Silesiorum.

DE quodam Boleslai regis Poloniæ sacerdote refertur in Silesiorum annalibus insignis auaritiæ exemplum. Allata fuerat in aulam magna vis auri & argenti: quidam ibi stetit sacrificus inops spectator, is admirans diuitias illas altum cœpit ingemiscere: audit hoc rex & quærit, quæ sit causa mœroris sui? Respondit ille, admirari sese opulentiam & beatitudinem regiam, deplorare verò suam miseriam, cui nihil harum pulcherrimarum rerum domi sit. Rex liberalis, equidem faciam, inquit, vt & tu sis beatus, & iubet eum tantum auri & argenti accipere, quantum possit auferre suo pallio: illudque cùm videretur esse lacerum & infirmum, rex curauit ipsi afferri recentius. Tunc sacerdos, sicut natura eorum est auara, tantam molem in uestem illam infarsit, vt redituro domum in via ex onere, cùm nollet quid abiicere, ceruices fractæ esse dicantur. Rex cognito casu, cadauer & aurum tanquam damnatum quid, in flumen abiici iussit. Imp. Friderico 2. PP. Innocentio 4. V. S. 1243.

Prodigium.

HOc anno stellæ de cælo visæ sunt cadere. Imperator duos Minoritas bullarum portatores, in ordinis eorum contemtum, patibulo suspendit. Matth. Paris. Imperatore Friderico 2. PP. 185. Innocentio 4.

Conradus Episcopus Moguntinus in Chronico.

CHristianus secundus Archiepiscopus non stetit diu in episcopatu: accusatur enim apud Papam, quòd omninò inutilis esset Ecclesiæ : & quòd euocatus ad expeditiones regis inuitus veniret. Hoc autem verum erat, eò quòd fierent incendia, sectiones vinearum, deuastationes segetum : dicebat etenim, nequaquam decere talia sacerdotem : sed quicquid deberet geri per gladium Spiritus, qui est verbum Dei, omnimodè se promtum asserebat, & voluntarium seruitorem. Quumque eius prædecessorum sequi vestigia moneretur, respondit, scriptum est, Mitte gladium in vaginam. Ob hoc in odium Regis, & multorum incidit laicorum, qui omnes eum accusantes apud Papam obtinuerunt, eum ab episcopatu omni submoueri. Cessit ergò anno Domini M. CC. LI. substitutus est autem ab eodem legato adolescens subdiaconus, Gerhardus nomine, filius comitis Conradi, qui dicebatur Syluester Comes.

Hunc autem substituit Cardinalis presbyter & legatus, inductus à quodam Henrico archiepiscopo Herburgdunensi, qui socius erat ipsius legati : nec tamen hoc ipse Henricus Archiepiscopus consuluit sine causa : acceperat enim occultè CC. marchas pecuniæ numeratæ à Gerhardo, quem idem archiepiscopus institui procurauit. Nihil opertum quod non reueletur. Præter has autem CC. marchas factæ sunt destructiones multæ Ecclesiæ Maguntinensis. Imp. 103. Conrado 4. PP. 185. Innocentio 4.

Idem. Igitur quum, sicut iam suprà dictum est, sic Pontifices se haberent, & clericalis disciplina optimè seruaretur, ita vt plebs clero, clerus prælatis obedientiam & reuerentiam exhiberent, inuicem honorantes, inuicem diligentes, præsidente tunc quodam Henrico archiepiscopo, viro vtique pacifico & benigno, ac multis virtutibus dotato, diabolus, qui hoc ferre non valebat, ipsi venerabili viro, quia veritatis ac pacis amator erat, lites & incommoda excitauit.

Nam quia semper ei erat cordi, vt clerus honore debito gauderet, populus iustitia regeretur, terra pace publicâ exultaret : ecce accusatur apud Papam, quòd somnolentus & inutilis haberetur. Quod vir venerabilis vt cognouit, solennes nuncios pro sua excusatione ad summum pontificem decreuit protinus destinare. Misit ergo omnium suorum secretissimum cognitorem, quendam Arnoldum clericum, quem ipse archiepiscopus ad præposituram maiorem promouerat iam recenter, tanquam eum, qui non possit esse immemor beneficii tam nouiter consecuti, & propterea eidem iam præposituram Sancti Petri etiam contulerat : insuper & Camerarium constituit ciuitatis Maguntinensis.

Erat autem idem Arnoldus miri ingenii & facundiæ, atque congestor pecuniæ infinitæ. Is itaque veniens ad curiam Romanam, pontificatumque ambiens Maguntinensem, primùm sibi Cardinales pecunia fauorabiles acquisiuit : deinde duos specialiter pecunia corrumpens, qualiter de sua propria promotione ageret, & postmodùm consummaret, cum illis familiariùs pertractabat.

Tandem ab illis instructus, & de se certificatus, cœpit in suum dominum accusationis iacula dirigere, quem venerat excusare. Breuiter tantum in sua processit audacia & effecit, vt duos legatos destinari peteret huius rei cognitores & iudices : obtinuitque eosdem duos quos corruperat. Tandem tractu temporis multa interuenerunt facta, quæ sicut scribentibus esset onerosum, ita legentibus tædiosum.

Veniunt ergo legati VVormatiam, Henricus Episcopus citatus comparet, nihil prætendere poterat pro se, quod admittere vellent iudices siue legati suprà dicti. Præsidentes autem iudicio in loco, qui Neuhusen vocatur, Henricum laudabilem virum ab episcopatu amouent Maguntinensi, Arnoldum substituunt: dicebatur autem, quòd Fridericus Imperator huic negocio assensum præbuerit, sed occultum.

Venerabilis vir Henricus tam manifesta peruersitate turbatus, ipsos peruersos alloquitur in hunc modum : Si ad sedem Apostolicam appellarem contra vestrum iniquum processum, Papa forsan ipse nihil ampliùs attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerum, afflictio spiritus & euisceratio mentis, atque euacuatio gratiæ : appello ergo ad Dominum Iesum Christum tanquam iudicem iustissimum : vos cito ad eius tribunal, ibi vobis coram summo iudice me responsurum exhibeo. Non enim iustè, nec secundum Deum, sed mercede corrupti, sicut placuit iudicastis. At illi, quum tu præcesseris, nos sequemur, ridentes & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc anno Gratiæ M. C. V. Dominus autem Henricus abiit ad quoddam claustrum Cisterciensis ordinis, non monachus effectus, sed in consueto habitu vitam ducens.

Arnoldus non moram faciens quum fuisset, vt moris est, ab Imperatore regalibus inuestitus, Maguntiam venit, ibique solenniter est susceptus. Post annum ferè & dimidium venerabilis Henricus præsul defunctus, Deo ad quem appellauerat, totum processum lachrymabiliter assignauit. Arnoldus autem primordia sui consecrans præsulatus, purpuram optimam de almaria tollens sibi fecit vestes, tunicam, sorcotium & mantellum, vt in Imperatoris curia gloriosior appareret. Sed omnipotens Deus non diu sustinuit istud nefas : orta est enim dissensio valdè grauis inter ipsos ciues Moguntinenses. Nam vna pars dolebat vehementer venerabilem virum dominum Henricum ab episcopatu amotum : alia gloriabatur & superbiebat, Arnoldum substitutum : erat enim oriundus de ipsa parte ciuitatis, quæ Selehofen nominatur.

Tam grauis autem crescebat de die in diem inuidia inter ciues, vt tribus diebus in septimana congrederentur, & per plateas cum gladiis, fustibus, contis, cuspidibus & lanceis inuicem se mactarent, caderentque hinc & hinc tanquam oues occisionis. Nec se Arnoldus interponere curauit pro pace & concordia reformanda: sed suos fautores potiùs contra partem aduersam animauit. Propter quod accidit, vt pars illa de Selehofen, quam fouebat & animabat Arnoldus, maius monasterium occuparet, illoque pro castro vteretur contra aduersarios.

Durabat hæc dissensio dies multos, & clerus grauiter oppressus contemtus habebatur: quia iam copia maioris ecclesiæ eis concedebatur ad diuinum officium exequendum, non nisi pro illorum libitu laicorum, qui illud temerè occupauerant : etiam quidem multi venerabilem Henricum conqueruntur mortis debitum exsoluisse. Rem refero, fratres, omnibus illius seculi notissimam. Mors venerabilis Henrici multis innotuit : peruenit etiam ad aures illorum Cardinalium, qui ab episcopatu eum amouentes se promiserant sequuturos, & ludentes ad alterutrum dixerunt : Ecce præcessit, suo tempore nos sequemur.

Et ecce transiit tempus breue, vt ambo vno die moriuntur : nam vnus sedens in sede naturæ, vt purgaret ventrem, omnia intestina sua in cloacam eiecit, & animam miserabiliter exhalauit: alius manuum suarum digitos articulatim abmordens, & de ore expuens, deformatis manibus, quasi seipsum deuorans expirauit. O Deus vltionum, Domine Deus vltionum, hoc est, iustum exercens iudicium, & in his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Audita sunt hæc in terra nostra, & fama celebri diuulgata, nec à quoquam aliud dicebatur, quàm : Benedictus Dominus, qui venerabilis Henrici iniuriam iustè vindicauit. Sic isti dies suos clauserunt.

Crescebat autem in malum vehementius odium & pugna ciuium prædictorum. Iam conducuntur de foris auxiliatores milites ab vtraque parte, peruenitur iam ad maiores. Nam quidam comites promissionibus attracti huic prælio se immiscuerunt. Tractatur ab vtraque parte de sumtibus acquirendis : & pars quam fouebat Arnoldus, festinatum consilium inuenerunt, & vt mutuò acciperent de Ecclesiæ ornatu, secretum habuêre tractatum. Iam integritas ipsius ornatus in parte, est non modicè vulnerata.

O Cardinales, carpinales, pacem de terra accepistis, & vt homines se inuicem interficiant, uos fecistis. Quodcunque mali peruenit, quæcunque fuerunt homicidia perpetrata, vestra est in causa peruersitas, vestra est iniquitas operata, vt veniat super vos omnis sanguis, qui effusus est & deinceps effundetur. Ecce in omni terra non est, qui huic malo velit occurrere ad sedandum, sed crescit & intumescit mare istud plenum frementium bestiarum, ventis afflantibus vtique ex inferno.

Iam se immiscet Arnoldus, qui cùm esset archiepiscopus loci, fautores plurimos acquisiuit in propriæ ciuitatis interitum & iacturam, nolens parcere (vt quidam ei imponebant) vel sexui, vel ætati. Propter quod consilium pars aduersa, vt in mortem sui domini armarentur, iniit. Longo ergò & secretissimo habito tractatu, in proposito scelere se inuicem adhortantes, se roborant & coniurant, tacent & abscondunt, quicquid prosuasit militia perpetrandum.

Sed nihil opertum quod non reueletur. Per plures enim admonitus Arnoldus est & præmonitus, vt se cautiùs obseruaret, qui fertur suis monitoribus respondisse: Canes Maguntinenses mordere non nôrunt: nec aliquid valent, quàm latratibus deterrere, vt à corde carentibus timeantur.

Erat quidam abbas in claustro Eberbach, ordinis Cisterciensis, qui ipsum Arnoldum pro suis excessibus sæpè literis arguit, & imminentia pericula intimauit. Erat quædam sancta Virgo nomine Hildegardis, quæ per Spiritum vidit, ipsum Arnoldum citiùs moriturum : scripsisse quoque dicitur ei in hæc verba : Pater prospice tibi, canibus enim sunt funes abstracti, qui insequuntur te. Non autem acquieuit monitis cuiusquam.

Accidit, vt in vigilia Ioannis Babtistæ post prandium, de quodam oppido Bingen ciuitati Maguntinensi appropinquaret, ac se in claustro monachorum iuxta muros ciuitatis, ad Sanctum Iacobum in monte speciosо (sic enim dicitur) se locaret: & ecce Moguntinenses vsque in crastinum sese armant, & constituunt, vt, quum in ipso die Ioannis audita fuerit campana, quilibet sit paratus, & factum est ita. Venit dies, & maturiùs solito prandent omnes, pulsatur campana, & à maximo vsque ad minimum vniuersa ciuitas congregatur. Præsul Arnoldus se iam dederat quieti, & audito campanæ sonitu, vltrà quàm credi possit, vehementer expauit, & timor irruit super eum, amissoque rationis gubernaculo, quid posset facere, ignorabat. Obstruxit autem repagulum, & lapidibus ac lignis quibus poterat, ianuas omnes monasterii memorati. Turba autē turbata ex aduerso omnes portas & fenestras, vel quoscunque alios exitus obseruabat, ne euaderet quem quærebat. Iam ignem ad officinas admouebant: vix & cum multa difficultate monachi recessum obtinuerunt: & dum monasterium fumo plenum flammisque per circuitum premeretur, ipse præsul turrim monasterii ascendens misericordiam deprecatur, & si quem offendisset verbo vel facto, satisfacturum se, suppliciter pollicetur. Sed turba viso pontifice clamare cœpit furiose, nec poterant supplicantis verba præ tumultu turbatæ turbæ intelligi, vel audiri: sed admoto igne ad turrim in qua stabat, ipsum de ea descendere compellebant: flamma iam monasterio dominatur. Videns ergo monachos obtenta securitate abscedere, tentat, si fortè & ipse cum eis & inter eos possit euadere. Assumto itaque habitu monastico occultari tentat, vt ignem qui inuaserat, & gladium euaderet quem timebat. Apertis Ecclesiæ valuis cum monachis ferè abscesserat: sed à quodam est cognitus & detentus infelix.

Quidam primò gladium vibrans collo episcopi immersit: alter in fronte eius percutiens, mucrone ab aure vsque ad aurem superiorem partem capitis ad inferius diuisit. Sicque actum est, vt alii contis, alii fustibus, alii gladiis, alii lapidibus, mactantes solotenus præcipitarent. Iacentem sic & vulneribus & sanguine deformatum vulgus nequam & peruersum vestibus spoliarunt: quidam annulos de digitis abstulerunt: reliquiæ quædam, quas colle pendentes solitus erat ferre, ab aliis sunt ablatæ. Hæc autem circa horam nonam parùm ante vesperas sunt peracta, nec poterant clerici ab ipsis malefactoribus aliquatenus obtinere, vt saltem occisus in loco traderetur debito sepulturæ. Sic ergo iacebat in campo super fossam ciuitatis, vbi canum & luporum transitus habebatur, desiderantes, eum & ab huiusmodi bestiis deuorari. Dum tribus diebus sic nudus toto corpore maneret, venerunt aliquæ fœminæ, caseorum & ouorum atque olerum venditrices, mercatrices, meretrices, saxisque dentes pontificis contuderunt: aliæ verò stipites ardentes & titiones fumantes eius gutturi infixerunt, adiicientes linguis & labiis maledicta.

Post diem tertium canonici Sanctæ Mariæ ad gradus, iam ignoscibilem & fœtentem, furtim sublatum deferunt in ipsam Ecclesiam lachrymosis suspiriis sepeliendo. O furiam Moguntinam, ô maledicta gens, dura corde, gens immitis, gens intractabilis, gens indomabilis, gens iniqua, inuisa cœlo & terræ, impia in Deum, seditiosa in inuicem, temeraria in sancta pace, quam nemo neminem amantem amet, nemo, &c. Væ tibi infelix Maguntia, quæ proprium patrem mactas, vt te in superbiam ponas, & parias genimina viperarum. Acta sunt hæc anno 1160. O Cardinales, huius rei vos estis initium. Venite ergo, venite, haurite nunc, & ferte architriclino vestro diabolo, eique offerte cum ea, quam deglutistis pecunia, etiam vosmetipsos.

Seualdus Eboracensis Archiepiscopus.

Hic Archiepiscopus dum constanter contra Romanæ curiæ tyrannidem dimicaret, tribulationibus lacessitus expirauit. In amaritudine animæ constitutus cogitauit, papam ad multorum perniciem à Deo super Ecclesiam permissum, exemploque Roberti Lyncolniensis prouocatus & dolens inconsolabiliter, scripsit ad Papam breuiloquium quoddam, vt à consuetâ tyrannide temperet, humilitatem sanctorum sequendo prædecessorum: vtque exemplo Petri pascat oues Christi, non tondeat, non excoriet, non euisceret, aut deuorando consumat: promouerat enim ad Ecclesiastica officia ignaros, ac linguæ Anglicanæ inexpertos, præcipuè Iordanum quendā Decanum. At Papa subsannans & contemnens omnia maiorem cœpit indignationem, renuitque inclinari.

Epistola de extremâ expilatione ac seruitute Angliæ per papas effectâ, ex veteri codice descripta.

Ecclesiæ nobili Anglicanæ, in luto & latere ancillatæ, Petrus filius Cassiodori miles Catholicus, pugil Christi deuotus salutem, & captiuitatis iugum abiicere, ac brauium accipere libertatis. Comparabo te cui, vel cui assimulabo te Ierusalem filia? cui exæquabo te virgo filia Sion? magna enim est tua contritio. Velut mare sola facta es, sine solatio, totâ die mœrore confecta. Data es in

manus

manus eius, de quo non potes surgere absque auxilio subleuantis. Nam Scribæ & Pharisæi super cathedram Mosis sedentes, principes Romani hostes tibi in capite facti, sua phylacteria dilatantes, ambientes locupletari tuorum ossium ex medullis, grauia & importabilia in tuis, & tuorum ministrorum imponunt humeris onera: & vltrà quàm decet, te constituunt sub tributo, quæ libera fueras ab antiquo.

Recedat ab hinc omnis admirationis materia, quia mater tua domina gentium, more viduarum suo subdito desponsata, tibi ipsum in patrem constituit, & Romanæ vrbis pontificem summum prælegit, qui quòd ita sit, tibi in nullo paternitatis genere hoc ostendit. Super te quidem suas magnificat fimbrias, & experimento edocet, se suæ matris esse maritum. Commemorat enim apud se propheticum sæpe verbum, quod est in scrinio pectoris sui sic digestum: sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis velociter, Spolia detrahe, Citò prædare. Nunquid enim Apostolus, ad hoc constituendum, sic scribit: omnis pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum? non ad spolia & rapinas, non pro annuis censibus imponendis, nec pro necandis hominibus, sed vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui etiam his condolere possit, qui ignorant & errant. Et de Petro legitur piscatore, cuius se successorem esse commemorat, quòd post Christi resurrectionem cum cæteris Apostolis ad piscandi officium sit reuersus: qui cùm nihil in sinistra nauigii parte caperet, Christo iubente ad dextram se conuertit, & in terram plenum magnis piscibus rete traxit.

Est igitur ministerium Ecclesiæ vtile in parte dextrâ exercendum, per quod & diabolus vincitur, & eidem Christo copia animarum adducitur. Certè sic labor sinistræ partis nauigii non se habet: quia in eo fides titubat, dominatur tristitia, cùm, quod inquirendo appetitur, minimè inuenitur. Quis enim credat, simul & semel posse seruire Mammonæ atque Deo? ac suæ voluntati placere, carnisque & sanguinis reuelationibus inhærere, & offerre Christo munera digna? Et dubio procul pastor, qui supra gregis ædificationem non vigilat, aliunde rugienti Leoni quærenti quem deuoret, parat viam. Vide inquam, facta inaudita, nuncupatiua filia patris tui, qui bonos pastores à caulis ouium amouet, & suos nepotes, consanguineos, & parentes, aliosque nonnullos literas ignorantes, & velut mutos & surdos, ouium earundem non intelligentes balatum, nec de morsibus luporum curantes, velut mercenarios vellera auferentes, & metentes semina aliorum in ipsis, non vt prosint, sed vt præsint, constituit pro eisdem, quorumq; manus in cophinis seruiunt, & ipsorum dorsa ab oneribus diuertuntur. Ex quibus liquet, quòd sacerdotiũ prætermittitur his diebus, obsequium diuinum subtrahitur, & eleemosynarum largitio adnullatur, per quod Regum, principum & Christianorum sancta deuotio euacuatur.

Nónne debet in oculis omnium mirabile reputari, quòd, vbi Christus pro se & Petro Regibus solui iussit tributum, ipse regna & regnorum principes contra voluntatem illius, cuius dicit se esse vicarium, qui ab se regna & mundi iudicia abdicauit, suæ subijcere nititur ditioni, dominio sui styli, quia totum sibi vendicat, quod scripserat esse suum? De te, filia, quid plus agit? Ecce à te trahit quodlibet: nec tamen reputat se contentum, si partem rerum tuarum decimam à te sumat, nisi primos fructus beneficiorum tuorum habeat ministrorum, vt tam pro se quàm pro suo sanguine nouum constituat patrimonium de ijsdem, abiectis pijssimis voluntatibus fundatorum: & alia etiam execrabilia præcursorum suorum stipendijs, quos transmittit in Angliam, iam ponit, qui non tantùm tuum ac tuorum victum auferant & vestituras, sed eorum pelles ac carnes lacerent velut canes. Nunquid Nabuchodonosor Regi debeat comparari, qui templum Dei deuastauit, & vasis suis argenteis & aureis spoliauit? quod egerat enim ille, agit & iste: & ille domus Dei spoliauit ministros, & ipsam debito destituebat auxilio: hæc & hic facit. Certè meliùs est occisis gladio, quàm fame aliqualiter interfectis: quia illi sunt mortui statim, & isti sunt à terrâ terræ sterilitate consumti.

Compatiantur tibi, filia, omnes transeuntes per viam, quia non est dolor similis sicut tuus. Iam enim præ dolore nimio, atque effusione tuâ nimiâ lachrymarum, super carbones facies tua denigrata est ita, quòd non es cognita ampliùs in plateis: in tenebrosis te tuus præfatus superior collocauit, inebriauit te absynthio & felle. Afflictionem populi tui eiusq; gemitum audi. Vide Domine, & descende, quia cor dicti uiri super cor Pharaonis est nimiùm induratum, qui populum liberum abire non dimittit, nisi in fortitudine manus suæ: non enim super terram flagitat miserabiliter, sed post mortem: quia quorumcunq; Christianorum bona sub nomine tituli de intestatis consistunt omnia, & post decessum omnia deuorat. Meminit Ecclesia Anglicana, qualiter à retroactis temporibus Franci in regnum Angliæ suos concupiscentiæ oculos dirigentes, machinabantur, illud suæ subiicere potestati, sed quod in ipsis hactenus defuit, est timendum ne suppleat prædicti viri noua coniecturatio, noui hostis: quia regni deficiente thesauro, & eius destructo sacerdotio, efficietur verè regnum impotentius contra hostes.

Ne igitur tu filia, tuique sacerdotes in miseriam deducamini longiorem, expedit pro tuâ tuorumque salute, quòd Rex tuus Christianissimus, & Regni potentes, qui amplissimis beneficijs te ornauerunt, quique vos & beneficia huiusmodi haberent in hoc casu tueri, resistant coniecturationibus, conspirationibus, arrogantiæ & superbiæ dicti viri, qui non Dei contemplatione, sed pro præmissis, & pro suis ditando parentibus, ac pro nido suo supra Aquilam exaltando, per præmissa & alia per eundem imposita, totalem pecuniam Anglicanam noui dominij genere iam compellit, ne dissimulatâ hac parte simplicitas Regni huius subuersionem adferat, & adhibeatur

serò remedii cautela. Auertat nempè Dominus virtutum de corde viri illius velamen, eique cor contritum & humile largiatur: & agnoscere eum faciat vestigia veri Dei, per quæ à suis tenebris eruatur, & præmissos labores sinistros dimittere compellatur, nec non & vinea, quam plantauit Dei dextra, sacræ fidei cultoribus repleatur. Animaduerte enim verba Domini, & prophetiam Ieremiæ ad propulsandum huiusmodi inchoata, quæ dicunt: Tu pastor, qui populum meum dispersisti, & eum de suis habitationibus eiecisti, ecce visitabo super te tuorum malitiam studiorum, nec erit vir, qui super solium Dauid de tuo semine sedeat, nec qui in Iuda vltrà habeat potestatem. Fiat nidus tuus desertus, & sicut Sodoma & Gomorrha taliter sit subuersus: qui si perterritus ex his dictis non destiterit ab inceptis, & restitutionem non fecerit de perceptis, psallent pro eo extunc nequiter indurato corde psalmum 108. Illi cui omnia seruiunt, apertè singuli singulis diebus in Christo deuotissimi dicimus laudem. Illyr. Imp. Conrado 4. PP. Innocentio 4. V.S.

Albertus Lincolnienſis Episcopus.

1250. NEque est illud silentio prætereundum, quòd ante hæc tempora fuerit Prussiæ archiepiscopus, & Romanæ Ecclesiæ in Angliam sub Innocentio 4. legatus à latere, missus ad Ricardum Cornubiæ ducem & Henrici regis fratrem ditissimum, anno Domini 1252. vt ei Apuliæ regnum, illius Pontificis nomine, offerret venale: vt in libro tertio de Historiarum floribus Matthæus VVestmonasteriensis habet: quod tamen regnum alteri cuidam principi antea vendidisse dicitur. Imp. & Papa vt supià.

Ordo de Obſeruantia, ſeu Minorum & Prædicatorum.

1250.



MInoritarum ab initio vnicus fuit ordo. Postea quidam sanctiores & obseruantiores haberi volentes se hoc titulo ornârunt, cùm reliqui conuentuales dicerentur, ex Constantiensis Concilii decreto, anno 1414. iuxta Polyd. cœperuntque circa annum Domini 1250. Quamuis autem tum repressi sunt à Generali, tamen circa annum Domini 1316. repullulârunt primò in prouincia Narbonensi, & deinde alibi quoque, à Romano Pontifice summoperè petentes, vt, quoniam Regula Francisci ad multas glossas, & additiones delapsa esset, secundum eam tantùm absque glossis viuere possent: quod & in Concilio Constantiensi cum confirmatione ordinis noui impetrârunt: Decretum extat in eius Concilii decretis.

His se adiunxit Bernhardinus Senensis anno 1420. non tamen author primus eorum fuit: vt Vol. & Sabellicus errant. Orta lite deinceps inter ipsos, illi conuentuales planè damnârunt, vt hæreticos & impios, & destructores Regulæ: se autem ceu Regulæ multò obseruantiores ad cœlos vsque extulerunt.

Pecunias per se non accipiunt, sed per alios, auidè. Carnibus prorsus abstinent, & crudis omnibus vescuntur: ligneasque soleas pedibus inducunt, de quo Franciscus Modius:

Nos reliquo auctoris discernit ab ordine nostri
Non tam vestitus, quàm ratio ipsa cibi.
Nam reliqui certis cupiant cùm posse diebus
Carne vti, & pingui de petasone vorent:
Elixisq; nec abstineant, assisq; ferinis,
Et quæcunq; caro cocta placere potest:
Nos ventrem solis latrantem pascimus herbis:
Crudum & delitias sæpe vocamus olus.

Fuit hic ordo deinceps etiam confirmatus ab Eugenio quarto, Pio secundo, Paulo tertio, Sixto quarto, Innocentio octauo, & Alexandro sexto, vt author est Petrus de cruce in Antiminorica.

Excre-

Excreuit illorum numerus ad trecenta cœnobia, & quinquies mille fratres. Recitat Petrus de cruce prophetiam cuiusdam Guidonis, quam dixit sibi à Christo reuelatam: percutiens namque is Guido Franciscum quendam suum discipulum baculo, ac plorans dixisse fertur: Causa mei ploratus est ista: Deus mihi reuelauit, quòd hinc ad paucos annos insurget quædam secta in Ordine, & sub prætextu obseruantiæ Regulæ diuidetur ab aliis fratribus: qui multa impiè agent, & erunt Deo per omnia odiosi. Quare fili, cùm hoc videris non iunges te eis: sed fuge eos, sicut Dei hostes ideoque te baculo percusi, vt hæc impresiiùs retineres in memoriâ. Eandem habes & in libro Conform.

Ab eiusdem Ordinis Conuentualibus deinde iterum grauiter impugnati fuerunt: & contra eos librum scripsit Petrus de Cruce iam dictus, quem Antiminoricam propterea nominauit: Apostatas, hypocritas, & impostores eos in illo appellans.

Sed & in aliis quoque Ordinibus tales obseruantes, vel potiùs exorbitantes cœperunt: scripsit enim Baptista Mantuanus aduersus Carmelitarum Obseruantes: vt apud eum. Hospinianus. Imperatore & Papa vt suprà.

VVilhelmus de S. Amore. 1250.

VVilhelmus de S. Amore, Magister Parisiensis, & canonicus Belouacensis, scribit in quadam concione, se neglectis omnibus aliis criminibus, tantùm contra hypocrisin concionari, quòd inde plus periculi, vel damni potiùs pietati accedat, quàm ex vllis aliis publicis notisque criminibus. Totam enim Ecclesiam hypocrisi infectam esse. Neminem fermè inueniri, qui adhuc pestem oppugnet, propterea, quòd eam oppugnantibus vitæ periculum sit, seque ob id atrocissimè coram Papa & Prælatis accusari. Oppugnauit itaque omnes monachos, præsertim autem mendicantes acerrimè, tum statum eorum damnans penitus, cùm accusans eos, quòd perturbent Ecclesias, dum inuitis ordinariis pastoribus concionentur, & audiant confesiones, & simpliciter pastoris officio fungantur. Omnia scripturæ testimonia, quæ Antichristum eiusque ministros depingunt, applicauit spiritualibus, probâuit signis 39. mendicantes esse pseudoapostolos. Rectè quoque dictum Christi (si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ posides, & sequere me) exposuit, mandatam scilicet ibi esse paupertatem habitualem (vt Sophistæ loquuntur) non actualem: id est, flagitare Christum à nobis, non vt iam omnia abiiciamus quæ habemus: sed vt, cùm confesio diuini nominis & gloria Christi postulauerit, tum propter eum omnia deserere parati simus: sicut & cùm odium patris, matris, & propriæ animæ in sectatoribus suis Christus requirit, non iubet simpliciter, vt non honorent patrem, multò minùs vt eum odio habeant: sed vt re ita postulante, omnia propter Christum negligere parati sint. Verùm quantumuis vera proposuerit, nihilominùs ab Antichristo, eiusque turba pro hæretico damnatus, proscriptusque est. Scripsit autem plura contra monachos, interque illa etiam quatuor libros, quos ipse Distinctiones vocat, titulo



Collectiones catholicæ & canonicæ scripturæ, &c. sic autem incipiunt: Sapientiam antiquorum omnium exquiret Sapiens. Multa ibi vtiliter contra hypocritas, & hypocrisin ac superstitionem dicit. Scripsit & alium librum, titulo de quinquaginta signis pseudoprophetarum, incipit autem sic: Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Scripsit & contra Bonauenturam, mendicitatis defensorem.

Matthæus Paris historicus Anglus scribit, tunc temporis ingentes fuisse contentiones scholæ Parisiensi cum monachis, tum propterea, quòd opprimebant monachi penitus scholam, cùm ob nouum quendam ac erroribus refertisimum librum, quem monachi consarcinârant, ac Æternum Euangelium appellauerant. Quare tandem etiam selecti sunt præcipui ex totâ scholâ viri numero 6. quorũ hæc nomina fuêre: VVilhelmus de S. Amore, Odo de Doaco, Christianus canonicus Beluacensis, Nicolaus de Baro super Albam, Ioannes de Siccâ villâ Anglicus, rector Vniuersitatis Parisiensis, & Ioannes Belim Gallicus. Hi selecti, ac præcipui totius scholæ viri fuerunt Romam ad Papam missi, vt ibi de monachorum insolentiâ & erroribus quererentur.

Miserunt autem & monachi suos, ac mox conuicti ac confutati sunt, quod quidem ad erro-

res sui æterni Euangelii attinet: sed reliquam tyrannidem monachorum Papa coërcere noluit, quòd putaret, vtile sibi esse, istos suos satellites vbique quàm potentissimos esse. Eadem de causa quoque cauit Papa cum Cardinalibus monachis, ne publicè illud æternum monachorum Euangelium damnaretur, ne monachorum ordines ea ratione damnarentur, aut certè vilescerent: sed vt ea litis pars clàm sopiretur.

Inuenitur quoque liber quidam, titulo de periculis mundi, qui incipit: Quia nos vacantes sacris scripturis, &c. itidem contra monachos accuratè scriptus.

Eum alii tribuunt prædicto VVilhelmo de sancto Amore: sed M. Matthias Parisiensis in suo prolixo volumine contra Antichristum, totum id scriptum inserit, totique Parisiensi scholæ tribuit. Apparet certè etiam ex ipso initio scripti non vnius, sed plurium nomine scriptum esse. Verùm Papistæ non sine causa id vni attribuere maluerunt, quàm tantæ scholæ, quò scilicet minùs eius auctoritate premerentur. Verùm quidam illud scriptum cum nomine ac titulo potiùs scholæ Parisiensis prodire maluerunt: editus verò est Basileæ anno Domini 1555. Extant quoque duæ eius conciones itidem contra Monachos scriptæ: in priore tractat Euangelium de Pharisæo & Publicano. Pharisæos dicit esse monachos, idque ex Pharisæorum proprietatibus in Euangelio positis probat: Publicanum dicit esse laicos: qui, quia sua peccata agnoscant, ideò faciliùs veniam consequantur: contrà monachi de suâ iustitia confidentes difficiliùs. In posteriore monet Ecclesiam, grauissimum ei periculum à monachis imminere: illos enim fore ministros Antichristi, & seductores.

Porrò quòd monachis non sit concedendum, vt in alienis templis, inuitis veris pastoribus officio pastoris fungantur, scripsit non tantùm hic, sed & plures alii: vt Bernhardus glossator Decretalium, Godefridus de fontibus, Henricus de Gandauo, Ioannes monachus Cardinalis, Ioannes de Poliaco, Armacanus primas Hyberniæ, quidam Basiliensis, & Nicolaus de Cusà: tametsi tunc temporis vbique locorum ingentes contentiones fuerunt inter pastores, Episcopos ac monachos, qui eis Ecclesias perturbabant. Illyricus. Imp. & PP. V. S.

Idem, vndecimæ horæ, inquit, iam præterierunt 1254 anni. Sunt etiam nunc transacti 55 anni, quòd aliqui laborant ad mutandum Euangelium Christi in aliud Euangelium, quod dicunt perfectius, melius, dignius, & appellant Euangelium Spiritus sancti, siue Euangelium æternum. Quo adveniente euacuabitur Euangelium Christi, vt parati sumus ostendere ex illo Euangelio maledicto. Et sequitur: Doctrina quæ prædicabitur Antichristi tempore, videlicet Euangelium æternum, Parisiis, vbi viget sacræ scripturæ studium, à suis proposita fuit, vt publicè explanaretur, anno Domini 1255. Vnde certum est, quòd iam prædicaretur, nisi aliquid esset, quod eam detineret, &c. Et sequitur: Maledictum illud Euangelium iam in Ecclesiâ propalatum est: propterea timendum est de subuersione eiusdem Ecclesiæ.

Quod comparatum (inquiunt) ad Euangelium Christi tantò plus perfectionis ac dignitatis habet, quantum sol ad lunam comparatus, & ad nucleum testa, &c. Quò tendis Satan? vbi statuisti ponere sedem? Blasphemia enim hæc est plùs quàm diabolica. Et in secundo sermone, de istis periculis (inquit) iam quædam habemus Parisiis in libro, qui vocatur Euangelium æternum. In eo docetur, quòd Christus ipse non est Deus, quòd sacramentum eius nihil est (Missam eius loco tunc sumserant) & quòd Euangelium eius non sit verum Euangelium. Neque sunt hæc penitus noua: immò sunt 55. anni, quòd primùm fuerint inchoata. Et ideò dicitur, quòd illi, per quos hæc pericula venient, dabunt aliam legem viuendi, & aliter disponent Ecclesiam, quod est valdè exsecrabile, & abominabile dictu, &c.

Idem. Fratres mendicantes (inquit) Beghinas circumducunt, gyrouagi, dicentes super hoc Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi? &c. Item in libro de periculis nouiss. temporum inquit: Qui priùs viuebant in simplicitate cordis, post ingressum sectæ eorum sunt astuti Hypocritæ.

Tandem verò VVilhelmus ob librum contra Prædicatores & omnes religiosos scriptum à Papà damnatus, & igni traditus est in die Francisci, quod Annales Dominicanorum Colmariensium testantur.

Sed vt ex allegato suprà libro de Periculis Mundi lector aliquem gustum percipiat illius negocii, rationes, cur effrenes Mendicantium conatus sint impii, perniciosi, scandalosi, & omnibus modis coërcendi, aliquot saltem (nam earum multæ graues & neruosæ in eo libro magna cura & industria indicantur) adscribemus, quæ scilicet nudè sub finem libri eius habentur.

1 Quòd prædicant non missi, vel non canonicè missi.

2 Quòd prædicant contra vel præter veritatem diuinæ scripturæ: vel tacent in dolo, quod esset docendum.

3 Quòd penetrant domos, id est, rimantur proprietates cuiusque, videlicet ingerendo se ad audiendum confessiones plebium non suarum, vt eos in suam redigant potestatem.

4 Quòd prædicant veritatem in dolo ad seducendum subditos alienos, vt eos sibi alliciant, & à prælatis eorum avertant.

Quòd

5 Quòd, vt dominari valeant subditis alienis, vendicant nomini suo auctoritatem, vocantes se prædicatores vel opitulatores Ecclesiæ generales.
6 Quòd excedunt mensuram potestatis, si eis potestas aliqua committatur.
7 Quòd libentiùs prædicant fidelibus iam conuersis, quàm infidelibus conuertendis, eò quòd ab illis lætantiùs admittuntur, & splendidiùs procurantur.
8 Quòd non vadunt in suam legationem sed alienam, videlicet ingerentes se ad Christianos habentes suos rectores.
9 Quòd quærunt vanam gloriam huius mundi.
10 Quòd commendant seipsos, & ostentant bona opera sua.
11 Quòd præferunt se aliis hominibus, etiam religiosis.
12 Quòd faciunt nouas & superstitiosas traditiones, vt sanctiores aliis videantur.
13 Quòd plùs amant propriam gloriam, quàm legem Dei.
14 Quòd ostentant eloquentiam suam.
15 Quòd ostentant philosophiam suam.
16 Quòd amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.
17 Quòd iactant, se fructum facere in Ecclesiâ Dei.
18 Quòd iactant se de miraculis suis, vel suorum.
19 Quòd arrogant sibi, quæ non faciunt.
20 Quòd per simulatam humilitatem erigunt se ad honores in hoc mundo.
21 Quòd ingerunt se curiis, vel amant fieri curiales.
22 Quòd quærunt fauorem humanum.
23 Quòd vacant amicitiis huius seculi acquirendis.
24 Quòd simulant, se habere maiorem zelum animarum, quàm habeant prælati Ecclesiarum.
25 Quòd vt placeant, hominibus adulantur.
26 Quòd licet sint pauperes, tamen facilè inueniunt hospitia: quod veracibus pauperibus & prædicatoribus non facilè contingit.
27 Quòd in tribulationibus sunt impatientes.
28 Quòd oderunt illos, qui volunt eos probare, vtrùm sint veri Apostoli, vel pseudoapostoli.
29 Quòd immodestè arguunt, sed non sustinent correctionem.
30 Quòd illud, quod contra peruersos generaliter dicitur, contra se dici specialiter, suspicantur.
31 Quòd super priuatis iniuriis iudicia & lites assumunt, contra doctrinam Apostoli & etiam Christi.
32 Quòd non amant veritatem sibi asperam.
33 Quòd nolentes eos recipere compellunt, vel compelli faciunt ad recipiendum se, contra doctrinam Domini.
34 Quòd contra aduersarios suos prouocant fautores suos, contra exempla verorum Apostolorum.
35 Quòd amant carnaliter contra doctrinam Euangelii.
36 Quòd oderunt illos, quos criminatores suos suspicantur.
37 Quòd libenter visitant domos parentum quas reliquerunt, contra eandem doctrinam.
38 Quòd in principio lætanter recipiuntur, sed postea respuuntur: cuius contrarium contingit in veris Apostolis.
39 Quòd amant curare negotia aliena, vt suauiùs viuant.
40 Quòd prædicant propter quæstum.
41 Quòd importunè petunt, & indifferenter recipiunt non solùm ad necessitates, sed etiam ad ocium & voluptates.
42 Quòd egestate coacti euangelizant contra præceptum Apostoli.
43 Quòd contra doctrinam Domini & præceptum Apostolorum, circumueniunt homines fraudulenter, vt res eorum blandè extorqueant.
44 Quòd ad alienam mensam frequenter conueniunt non vocati.
45 Quòd non sunt contenti oblatis cibo & potu, sed quærunt cibaria lautiora.
46 Quòd cursitant de domo in domum quærentes hospitia meliora.
47 Quòd contra doctrinam Apostoli recipiunt bona illorum, qui nondum emendati in peccatis suis persistunt.
48 Quòd contra doctrinam Apostoli recipiunt eleemosynas illorum, qui dant propter pudorem, aut importunitatem magis, quàm propter Deum.
49 Quòd non habent oculos antè & retrò: quia dicunt se ignorare pericula futura per pseudoprædicatores & penetrantes domos.

50 Quòd procurant, se per maiorum epistolas commendari, contra doctrinam & exemplum Apostoli.

Sed cùm Parisiensis Academia, tum Guilhelmus de sancto Amore laterem lauant, quòd Antichristus non audiebat, sicut nec hodie audit rationes, sed ad solita arma confugit. Nam Guilhelmus hæreticus proclamatur: Scholæ Parisiensis liber de Mundi Periculis, cum omnibus Guilhelmi eiusdem argumenti scriptis, damnantur & comburuntur iussu Alexandri IV. in Minorum gratiam. Platina in vitâ eius, Tilius in Chronico, Balæus Cent. 4. cap. 30. in Appendice, Sabellicus Enne 9. libro 6. Ptolomæus Lucensis ætate 6. Imp. Conrado 4. PP. Innocentio 4. V. S.

1251. *Henricus Leodiensis Episcopus.*

HIc Episcopus luxu perditissimus filias ciuium deperiit, & tantisper insecutus est, donec prece vel pretio, aut etiam vi opprimeret, (crimen profectò non dicam Christiano Episcopo, sed etiam homine indignum) vnde nothos ex stupro natos supra viginti habebat. Ex libro Cat. Episcop. Tungrorum. Imp. & PP. V. S.

1251. *Monstrosum.*

BAdoni pago inter Lugdunum & Viennam Galliæ sito, natus est infans barbatus eiusque capilli, caput, pectus, & pudenda erant tanta, vt triginta natum esse annos credidisses: vixit fere annos duos. Ioannes de oppido. Imp. & PP. V. S.

1252. *Augustiniani.*

EO anno, quo Augustiniani fratres ex Italiâ in Angliam venerunt, scilicet anno Domini 1252. incepit magna pestilentia Londini, & durauit per totum regnum à festo Michaëlis vsque ad festum Diui Petri ad vincula. Chron. Londinense. Imp. & PP. V. S.

1252. *Ordo Fratricellorum Beghardorum & Beghinarum,*
seu Beguttarum.



HVicinitium fecisse dicit Vrspergensis Dulcinum quendam, & Margaritam concubinam suam apud vrbem Lombardiæ Nouariam. Balæus incognitum esse dicit ortum eius. Incedebant capite demisso: faciem cooperiebant: lautè bibebant & comedebant: conuiuia & consortia mulierum affectabant. Nocturnos agebant conuentus in locis abditis, vbi Sacerdos eorum primùm quædam ad laudem Dei canebat, deinde de sua religione disserebat. Quibus peractis in promiscuos amplexus virginum & mulierum extinctis luminibus ruebant. Infans exinde natus tamdiu violentis manibus trahebatur, donec animam exhalaret. In cuius autem manibus expirabat, is Pontifex Maximus inter eos creabatur. Bernhardus Lucelburgensis ex lib. 8. Saxoniæ. Margaritam concubinam Dulcini ex S. Sancto concepisse, affirmabant. Mater hist. Supplementum Chron. Platina. Capti aliqui Argentinæ confessi sunt, in hoc Ordine omnia esse communia, vxores, filias, ancillas. Chron. Hirs. Sabellicus.

Contra Papæ fastum & Tyrannidem, & Romanam non esse veram & Catholicam Ecclesiam, apertè docuisse, multaque Rom. Pontif. statuta damnasse, testatur Palmerius & Luzelburgius. Sunt tamen qui putent, quæ suprà de illis relata sunt crimina, à Papæ asseclis ideò fuisse conficta, quòd contra Pontificem vera dixerint. Damnantur igitur à Bonifacio 8. Clemente 5. & à Ioanne 22 excommunicantur. Et quia hoc gratum fore Papæ quidam non dubitabant, ideò contra eos scripsêre ex Germanis Felix Malleolus: ex Anglis Richardus Laimheim Carmelita, Richardus Madeston, & Rogerius de S. Iuone, teste Balæo. Quibus non obstantibus, circa annum 1378 iterum à Gregorio nono nullâ aliam ob causam, quàm quòd eius erroribus contradixerunt, damnati: sed ab Eugenio 4 rursus approbati, restitutique fuerunt. Sic sibi ipsis contrarij diuersa subinde statuunt, prout horum multa ex ipsorum iure Canonico, concilijs, & ipsis etiam Patribus excerpsimus, ac in promtu habemus, sed in aliud tempus reseruamus. Vestitus eorum fuit griseus: quem tamen Sab. incertum fuisse refert. Numerus eorum in tantum creuerat, vt si quis ex Mediolano Coloniam ire voluit, quauis nocte ex secta sua hospites habere potuerit: qui certa signa domibus suis appinxerant. Trith. Bal. & Vrstisius.

Francus eos in eum finem constitutos scribit, vt ægrotantibus, & morientibus consolatione adsint. Eodem vestitu vti Beghinas cum Beghardis, & vt plurimùm lenas esse, idem Fr. tradit. Imp. 103 Conrado 4. Papa 185 Innocentio 4.

Gerhardus Sagarellus Italus Parmens. & Dulcinus Nauarrensis. 1252.

His præcipuè vitio datum est, quòd docuerint, orationem non minùs Deo acceptam esse in prophano, quàm sacro loco: item asseruerint, Papam esse Antichristum: & Ecclesiam Romanam, id est, Papam eiusque spirituales à Deo reiectos esse illam meretricem Babyloniam, de qua est in Apocalypsi. Fortasse acceperunt aliqua semina sanioris doctrinæ à Vualdensibus. Habuerunt ampliùs quàm per 40. annos, multos sectatores præcipuè in Cisalpina Gallia, & proximis Alpibus. Tandem verò à Papa non tantùm isti duo doctores, sed & ingens auditorum numerus crudeliter interfecti sunt. Tribuuntur eis præterea quædam incommodæ sententiæ, quin & promiscuæ libidines: quæ, vt suspicor, magna ex parte mendaciter à Papisticis eis adscribuntur, sicut & Vualdensibus promiscuas libidines falsissimè Papistæ tribuunt. Cata. Imp. 103. Conrado 4. Papa Innocentio 4.

Schisma anno 1255.

EXortum est Schisma circa annum Domini 1255. sub Friderico Cæsare, quod 12. annis durauit: eo tempore plurimi homines neutri adhærere voluerunt sentientes, Ecclesiam ad homines seu Papas alligatam non esse. Sic enim scribit Auentinus lib. 6. de ea re: Plerique tamen, quorum maxima pars fuit, neutrum Pontificem recipiebant. Illud D. Pauli vsurpabant: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Petrus: vna fides, vnus Deus, & pater omnium. Atque illud Christi in ore erat: Vnus magister vester est, vos autem omnes fratres. Gerochus Richenbergensis præsul de hoc dissidio complura scripsit, quibus titulum de Antichristo dedit. Mansit hæc seditio duodeuiginti annos in Christiano orbe. Hinc clarè apparet, istos homines Antichristum Romanum non magni fecisse, sensisseque, Christianos posse piè Papam penitus negligere. Vtinam aliquid clarius & plenius de hac historiola haberemus. Cat. Imp. 104 Guilhelmo. Papa 186 Alex. 4.

Desiderius Longobardus. 1256.

Hic tempore Alexandri IV. etiam damnauit statum eorum, qui relictis omnibus sponte suâ paupertatem professi sunt, & mendacitate suâ alijs oneri esse voluerunt: & docuit in libro ea de re edito, debere eos de manuum suarum labore viuere. Balæus. Tempore Interregni. Papa Alexandro 4. vt sup.

Crescentius de Escyo, item Thomas de Ceperano, Fr. Bernhardus de Bessa, & Bonauentura. 1257.

Hi autores fuerunt Legendæ S. Francisci, vbi reperiuntur absurda, impia, & blasphema multa, quæ referre pudet. Tempore Interregni. Papa Alex. 4. vt sup.

Ordo Bethlehemitarum.

1257.



CAntabrigæ huic ordini mansio fuit anno 1257: Vestitus cum Prædicatoribus communis. Stellam rubeam in pectore habebant, in cuius medio erat rotunditas aërij coloris, propter stellam quæ nato Domino apparuit in Bethlehem. Balæus, qui refert, tot Ordines vnum post alterum cœpisse, vt populus eos sustenstare ampliùs non potuerit. Imp. & Papa. vt sup.

Ordo Bonorum hominum seu virorum.

1258.



EDmundus Anglus ex illustri familiâ natus hunc Ordinem statuit, & amplis possesionibus ditatum nouæ religionis viris, qui Boni homines dicerentur, inhabitandum dedit. Bal. Sequebantur Regulam Augustini. Vestitus erat cærulei coloris, communis ferè cum Eremitis. Polyd. Imp. & Papa. vt sup.

Bonauentura.

1258. BOnauentura aliâs Eustachius, natione Thuscus, patria Balneoreginus, discipulus Alexandri de Ales, ex parentibus Ioanne Fidenza & Ritella ortus, natus annos 22 factus est minorita, & septimo anno ab hinc quo minorita factus erat, Parisijs librum sententiarũ publicè prælegit: anno verò 13 minoratus sui generalis magister minoritarum creatus est, & inter Theologos præstantissimus habitus. Tandem autem Albanensis Episcopus, & Cardinalis Romanæ curiæ per Gregorium decimum Pontificem Romanum est constitutus, vir magni nominis factus, quem ita amauit & demiratus est Alexander, vt dicere fuerit solitus: in fratre Bonauentura non videtur Adamum peccasse. At idem iste Iusticiam ex gratia contra Antichristi Papæ hæresin, his verbis asseuerat: Principium nostrum reparatiuum, verbum scilicet incarnatum nos reparat, in quantum Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. In quantum est Iesus habet saluare: in quantum Christus vnctus, habet vnctionis gratiam in alios deriuare. Ac rursus: Gratia est donum, quod à Deo immediatè donatur & infunditur, & etiam cum ipsa & in ipsa datur Spiritus sanctus, qui est donum increatum, optimum & perfectum, quod descendit à Patre luminum per verbum incarnatum, secundùm quod Ioannes in Apocalypsi vidit, fluuium splendidum tanquam cristallum procedere de sede Dei, & Agni. Ipsa nihilominùs est donum, per quod anima efficitur sponsa Christi, filia Patris æterni, & templũ Spiritus sancti: quod nullo modo fit, nisi ex dignitiua condescensione, & condescensiua dignatione maiestatis æternæ per donum gratiæ suæ. Ipsa denique est donum, quod animam purgat, illuminat, & perficit, viuificat, reformat, & stabilit, eleuat, assimilat, & Deo iungit, ac per hoc acceptabilem facit: propter quod huiusmodi donum Gratia gratum faciens rectè dicitur, & debuit appellari. Quid verò Bonauentura hisce aliud sibi voluit, nisi cum Paulo concludere, Gratis nos iustificari ex dono Dei, non ex operibus, ne quis glorietur?

Mortuus est Bonauentura anno Domini 1274. Lugduni, quem in locum Gregorius X. Concilium conuocârat, cui & ipse interfuit.

Idem ausus est etiam affirmare, animabus nunquam dari id, quod in indulgentiarum literis scriptum est: & in eo Papam facere vt matrem, quæ infanti pomum monstrat, sed non dat: & propterea facit, vt infantem ad se trahat.

Nicolaus Narbonensis Gallus. 1260.

SEptimus Carmelitarum magister generalis iste (vt dictum suprà) de suis fratribus dixit, quòd priùs, dum eremum incolerent, orationi, lectioni, ac manuum labori iugiter incumbebant: in vrbibus autem commorantes sub hypocrisi matre omnia in ocium, desidiam, inertiam, libidinem, & luxum conuertissent. Ipse igitur post quinque sui regiminis annos, laboris inutiliter expensi tædio tactus officio cessit: & edito in eos libro satis aculeato (Igneam Sagittam vocabat) ad eremi quietem, illis relictis, est reuersus in montem Euuatros anno Domini 1270.

Idem damnauit quoque inanes Paparum dispensationes, qui monachis iam hoc iam illud contra fas piumque indulgeant. Iam cogitatu mihi Christiane frater, si iam tunc monachi, nempè fermè ante 300. annos, paulò post initium istius noui generis hypocritarum, Franciscanos & Dæmoniacos (Dominicanos puto) tam corruptam sceleratamque vitam egerint, quid non sit verisimile eos posteà secutis temporibus suis flagitijs hypocrisique addidisse: & tamen se genus humanum suis egregijs meritis saluare, si Dijs placet, affirmant. Flaccius.

Laurentius Anglicus Magister Parisiensis. 1260.

FOuit concionando, docendo & scribendo partes Vuilhelmi de S. Amore, Christiani Beluacensis, aliorumque monachos oppugnantium. Scripsit quoque duos libros contra eos: alterum titulo, Cauendum esse à Pseudoprophetis: alterum, Defensioni Guilhelmi de S. Amore: & quædam alia, in quibus omnibus ostendit multis signis ac testimonijs, adesse Antichristum pro foribus. Dignum autem hic obseruatu est, quod in huius vita Balæus narrat, quodque & ex scripto prædicti de S. Amore apparet, composuisse illis temporibus monachos clàm impium quendam librum, suæ nimirùm impietati vtilem, quem voluerunt obtrudere orbi Christiano sub titulo Æterni Spiritualisque Euangelij, sicque verum Euangelium Christi obliterare seu antiquare. Sed in furtiuo vel sacrilego potiùs conatu deprehensi, refutatique à prædicto Guilielmo & alijs, cùm viderent se resistere non posse, reiecta culpa in quendam monachum, qui iam olim erat mortuus, eum librum exuri passi sunt, quò simul exurerentur & pia Guilielmi ac aliorum contra monachos scripta. Cat. Temp. Interregni. Papa Alex. 4. vt sup.

Godefridus de Fontanis. 1260.

HIc videns imposturas, hypocrisin, & alia quæ Hildegardis de Fr. mendicantibus vaticinata fuerat, scripsit librum contra Mendicantes, in quo id maximè reprehendit, quòd, cùm vitam solitariam profiteantur, velint tamen esse gubernatores, seu rectores, & pastores Ecclesiarum, omniaq; vbique in omnibus. Et ab initio eius libri indicat, Episcopum Ambianensem in conuentu quodam Ecclesiasticorum Prælatorum, & Professorum Parisiensis scholæ, multis authoritatibus Theologiæ, canonum, & legum, euidentibusque factis comprobasse, Monachos istos non habere veritatem vitæ, quòd de hypocrisi arguantur manifestè: nec veritatem doctrinæ, quia corde fel gererent, & ore dulcia prædicarent: nec veritatem iustitiæ, quòd in alienam messem temerè falcem mitterent, & aliorum sibi officia vsurparent. Tempore Interreg. Papa Alexandro 4. vt sup.

Horrendum. 1260.

IN diebus Marchionis Henrici accidit quoddam valdè miserabile & horrendum in Friberga, ciuitate dicti principis. Quidam enim scholaris amore cuiusdam puellæ nimiùm stimulatus, consilium atque suffragium à quodam nigromantico, promissa pecunia, requisiuit, vt sibi puellam impetret. Ille autem in quoddam cellarium eundem scholarem secum ducens, & sphæras ac figuras (vt assolent) circum se per pauimentum describens cœpit legere coniurationes diabolicas. Postquàm autem multa phantasmata diaboli se vtriusque oculis ingessissent: tandem diabolus in forma illius puellæ apparuit, seque illi in eius amore ardenti eminus exhibebat. Ille cæco amore ductus cùm manum extra sphæram extenderet, volens amasiam suam deprehendere, statim à dæmonio arreptus, & ab eo parietibus cellarij allisus & conquassatus, supra nigromanticum illum est proiectus mortuus. Tunc ille ferè exanimis factus inde se mouere non potuit, sed toto residuo illius noctis mortuum super se prostratum sustinens voces edebat miserabiles. Manè multi de ciuitate, auditis huiusmodi clamoribus conturbati & territi conuenerunt, & ipsum inde seminecem eduxerunt. Siffridus Presbyter. T. Interregni. Papa 186. Alex. 4.

Helias Rubeus Tripelauiensis Anglus.

Hic 7 scripsit libros titulo Semidialium, in quib. primùm de idololatria Ethnica disserit: deinde etiam de alijs vitijs ac sceleribus omnium ordinum. Inter alia dicit etiam multa de clericorum multiplici ac non ferenda malitia, imò & de Religionis corruptione: cuius scriptoris, quoniam non extat impressus, aliquot dicta adscribemus. Meminit eius etiam Balæus in suo scriptorum catalogo. De statuis igitur idolorum disserens lib. 3. recitato Balbi testimonio, ita de eo concludit tandem, eos, qui primùm simulachra Deorum populis proposuerunt, ciuitatibus suis & metum demsisse, & errorem addidisse, commendabiliter coniectans, Deos facilè contemni posse in simulachrorum stoliditate. Cui similè si quis de nostris, quas in Ecclesia Dei deauramus, imaginibus iudicârit, fortè non errauerit.

Libro 2. dicit, quòd relegata longiùs puritate religio in sola consistat habitus superficie: hæc enim sunt eius verba. Monachorum superstitiones de vestib. hisce verbis damnat: stolidissimum coniector, ad inæstimabilem (quam super omnia curare debet homo) salutem exterioris habitus, coloris & formæ, alimentorumque in secessus transmittendorum referre differentiam: maximè, cùm aulâ catholicorum summæ diuinitatis arbitrio, sit longiùs amandata de vestibus solicitudo, ne dū de colore vestis vel incisionis artificio. Item vehementer vagatur in via vanitatis, qui in rerum fortuitarum varietate suæ salutem ponit animæ. Eodem loco prolixè scriptor hic pergit recensere corruptam vitam, & ineptas ac impias superstitiones monachorum.

Libro 3 sic scribit: Quæ quia continuo vilique stillicidio nostri temporis Ecclesiæ modernum labefactant fundamentum: ne totum titubet ædificium fidei, est maximè verendum. Nullum reuera veluti mihi videre videor, hodie genus hominum (etiamsi mendax generalitati genus includatur negociatorum) est sordibus cupiditatum derisibiliùs excæcatum: quàm ministri generaliter Ecclesiarum. Ad hunc profectò vitæ finem viui peruenimus, quòd, quamuis hominem ab omni munere manuali mundum, omni vita probatum fieri contigerit sacerdotem vel Episcopum post breuem temporis à tempore promotionis excursum malè vitiatus nullum prorsus vitabit vitium. Virum superficialiter pridem probum trásformauit in furem, factum crederes lupum ex agno Lycaonicum: secularibus rebus implicitum ex milite diuino negociatorem. His cynicus quidã sic competenter allusit, quãdo, cùm monasticæ vitæ quendam, quem vitæ suæ sanctitas cunctis commendauerat ad gratiam, ad id (vt fit) conuocati in Episcopum consecrarent Episcopi, cuidam per eas fortè partes transitum facienti, &, quidnam conuentus ibi tot faceret Episcoporum, roganti, sic cynicè respondit: Monachum, inquiens, quendam promouendo perimant: ad id quod suprà diximus, alludens. In 4. libro de Papa hæc breuiter dicit: Quædam autem generalitas est absoluta, vt pridem Principis, hodie summi Pontificis.

Eodem libro de Clericis & Prælatis commemorat: De cætero, si Clericorum generaliter, Prælatorumque Ecclesiasticorum describere sufficienter vellemus enormitates intus & in tergo scriptas, multò citiùs consummaretur Orestes. Illud reuera triuiale est & confessum, nec laicis etiam, quod Ecclesiæ non expediret, est incognit[illegible] quòd ostio sibi quilibet Episcopandus non reserato, fractis ingrediatur parietibus ad Episcopatum. Nec alij inferiorum secus conscendunt ad apices dignitatum. Atqui nunquam in curia, nisi curiosus laboraueris, vel grauidas ære crumenas præsentaueris ad Ecclesiasticæ dignitatis honorem promoueberis. Sine horum subsidio literæ nihil prorsus proderunt, sed nec vir[illegible], nec religio. In tali casu literas, virtutesque, & moralia realis superat allegatio: Vnde reor, quia promotos se gloriantur pecuniæ per subsidium, exfrontissimi fiunt extortores postea pecuniarum. Sed in hoc, me iudice, viri supremè delirant Ecclesiastici.

Eodem libro ac eadem de re: Sed quid dicemus de Rectoribus Ecclesiæ, quos Occidentales vulgariter nolunt: & certè, vt in mera subsistamus veritate, nil boni citra mendacium de eorum dicere poterimus vniuersitate. Nam quid turpius detestabiliusue est, quàm ex eleemosynis plus iusto superbire, ex populorum peccatis per immundæ vitium gulositatis intumescere? illicitè petulantiarum superfluitati abutendo spiritualibus lora laxare? Ad tales reuera tam generaliter Occidentales Ecclesiarum Rectores descenderunt consuetudinum corruptelas: quòd contra fas & pium clandestina contrahunt matrimonia: vel se concubinarum manifestè fœdant per contubernia, seque vitia commaculant per extraordinaria. Inde est, quòd decore domus Dei spreto penitus & animarum cura extrontissimè declinetur ad illicita, intentionemque suam sola dirigant ad inania: res secundum iuris exigentiam & forensis & Ecclesiastici, pauperibus erogandas, in luxu consumant & in luxuria.

Denique in libro 7. hæc scribit: Est enim prohibitum, ne clerici tabernas edendi vel bibendi causa ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Sed ad id hodie ventum est, quòd & tabernas habent impunè staconnes, ergastia, concubinasque verè fouent, vel figuraliter tabernarias, & in tabernis non secus inebriantur quàm parasiti vel histriones. Nullam rem funditus infamem vitant magis, quàm parasitus voluptatem, nec illud quod humanam temperare solet societatem, nec stultiloquium, nec scurrilitatem.

Nulla molesta magis res est Deitatis honori,
Quàm vitio victus, rudis absq; rubore sacerdos.
Nempè suum trahit ad vitium dux agminis agmen:
Sumit ab exemplo pecus argumenta regentis:
Grande, sibi licitumq; putat, quod fecerit author.
Sed diuina domus Domini rectore sagaci
Semper eget, qui seruet oues sine sorde sequaces:
Indiga semper erit etiam pastore canino,
Qui canis ens & homo benè circumlatret ouile. Cat.

Imp. Temp. Interregni. Papa 187. Vrbano 4.

Thomas de Aquino 25. q. 1. 1265.

IN vna Ecclesia secundum iura tam diuina quàm humana, non potest esse nisi rector vnus, alioquin Ecclesia non esset Sponsa sed scortum. Nam in vna essentia non debent esse plura capita, ne sit monstru m. ex. de off. Cùm igitur sæpiùs duo, tres, & etiam quatuor Papæ vno tempore fuerunt electi: quid Ecclesia Romana tunc fuit? an non scortum & monstrum?

De hoc eodem narrant, confectis in Paulum commentarijs, apparentem ei magnoperè asseuerasse Paulum, neminem fuisse antea vnquam nec intelligentia assecutum scripta sua, nec diuiniùs in ea commentatum, præter vnum Aquinatem. Quis non vanissimum commentum esse putet? Ioan. Riuius de superstitione, ait.

Idem in Quodlib. 8. ar. 11. Vna inter reliquas abusiones subsannanda apparet, ac mentalem Simoniam sapit, quòd ad interessendum diuinis canonici non charitate Dei inducuntur: sed per pecuniam (quam præsentiam vocant) singulis præsentibus distribuendam alliciuntur. Quæ quidem distributio non fit clericis in Ecclesiâ occupatis, sed ociosis tanquam dignioribus, canonicis.

Idem Cucullum perinde mundare hominem ait, ac ipsum Baptismum.

Idem in Quodlibetis. Nullus absque peccato mortali potest habere duo beneficia, cùm vnum de his sufficiat ad sustentationẽ suam: ibi enim decipitur intentio primi fundatoris. Intentio primi fundatoris est, quòd vnusquisque personaliter met resideat in suo loco.

Idem Thomas in Quodlibetis: Siluester in sent. & Cardinalis Cammeracensis.

SVmmi quoque Pontifices illud pestiferum considerant dictum: Non præsumi, tantæ celsitudinis apicem errare, &c. Verùm Pontifex tot monstris dæmonum, & impiorum aulicorum obsessus magis quàm stipatus, non potest errare, nisi cum totius Ecclesiæ maximo damno. Assentatur insuper eidem Pontifici adulatione illâ, in pectoris sui scrinio esse omnia iura: vnde in veteri Testamento Pontifex rationale tulerit in pectore. Sed Papæ pectus non semper iustum: exinde nonnullæ iniuriæ sæpè emanant, quia carneum est, atque Papa homo vnus ex ipsis, quorum curam habet. Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumitur: quibus aliquando non solùm errores, sed & portenta placent. Et licet Papa cum Cardinalium cœtu censeatur esse Ecclesia virtualis & repræsentatiua, tamẽ errare potest: tametsi vniuersalis Ecclesia, quàm repræsentat legitimum concilium generale, errare nequeat, vti doctissimè probat quidam Cardinal. Cammeracen. Aduertendus est itaq; Papa vt Papa, si secundum canonicam scripturam loquitur, non quando pro arbitrio sui capitis profatur: alioquin multorum crudelium Pontificum cædes, hæreses, factiones, aliaque facinora præsumerentur fuisse beneficia piorum pastorum, cùm tamen fuerint immania tyrannorum latrocinia.

Cunradinus vltimus Dux Sueuiæ. 1268.

ETsi indubitatus hæres regni Siciliæ erat Cunradinus Sueuus, tamen Papa Vrbanus illud iniquissimè illi abstulit, & in Carolum Galliæ Regis fratrem, contra Deum & omnem iusticiam transtulit. Cùm enim Cunradinus in prælio victus mutata veste Pisas nauigare vellet, & pecuniam non haberet, annulum manu extractum Piscatori dedit. Hic cùm eum quibusdam ostendisset, & de valore interrogâsset, Cunradini esse cognitum fuit: quare Carolus capto eo & tradito sibi, à Pontifice consilium petijt, quid cum illo ageret? cui Papa respondit: Vita Cunradini mors Caroli, Mors Cunradini vita Caroli. Locus igitur paratus in publico, & præsente Carolo sententia fuit lata: Cunradinum, quoniam pacem Ecclesiæ perturbasset, regium nomen sibi falsò assumsisset, Regique ipsi mortem intentâsset, morte damnandum. Contra quam sententiam Cunradinus latinè respondit: Serue sceleratissime, Serue nequissime, itáne filium Regis damnâsti? an nescis, neminem in eum qui sibi par est, imperium habere? Deinde negauit, se vllam Ecclesiæ iniuriam vnquam inferre voluisse, sed tantùm recipere Regnum, quod sibi deberetur, & iniustissimè fuisset occupatum. Pontifex interea Gallorum Regi victoriam hanc nunciat, congratulatur, & in fine epistolæ subiungit: pro tanto ergo beneficio deuoti filij animus in iubilum supernæ laudis lætanter exurgat.

Caroli Gener Rupertus, Comes Flandriæ multùm obstitit huic sententiæ Papæ & Caroli, piè & prudenter asserens: è tanta tamque illustri familia natum nullo modo esse interficiendum, sed liberandum potiùs, & matrimonio aliquo deuinciendum: sed cùm nihil proficeret, tanta indignatione motus fuit contra illum qui sententiam tulit, vt eum ense confoderit. Subornatus tamen fuit à Carolo alius, qui carnifici caput decussit. De his etiam Nauclerus sic inquit: Carolus itaque Neapolim duci fecit compeditum, post multasq; ostentationes ad pompam, Cunradinum vnà cùm Friderico decapitari iussit. Per hunc modum Cunradinus primo adhuc flore, adolescens potiùs quàm vir perijt, & cum eo Fridericus dux. Cunradinus iste fuit vltimus dux Sueuiæ, de cuius lugubri facto extat epistola quæ incipit: ILLVSTRIS regis Cunradini in Carolum illustrem, & amplius deplorans regem inquit: Cunradinum Imperatorum antiqua prosapia propagatum, causam rationabilem quamuis infelicibus auspicijs prosequentem, non armis, non in prælio, sed inermem nequiter captum, post diuturnum carcerem, post probrosa ludibria, post multas ex eo factas ostentationes ad pompam, vbi iam eum per Campaniam & Neapolim vsque ignominiosè post te traxeras, contra iusticiam, imò contra DEVM, contra ius omne belli, contra consuetudinem priscis moribus
tra concessam ei pluries securitatem, contra ius omne belli, contra consuetudinem priscis moribus
approbatam, quem tu Carole immaniter vita priuâsti huic generi pro nectare rependens absynthium, vt qui comitatum Prouinciæ cum vxore de gratia speciali à Friderico Cunradini auo acceperis, fidelitatisque illi sacramentum pro se, hæredibusque suis præstiteris. O Rex Cunrade tempore tuo præpotens in vrbe tua Neapoli, quam tantis olim sumtibus, tantis laboribus domuisti, tuus ecce natus indigna nece damnatus est. Væ tibi miserande puer, qui tantæ fidei thesaurum tuis abstulisti, tua cū taliter rupit fila intempestiua PARCARVM manus. O tristis & misera mater in hunc seruata dolorem, quæ tali tantoque filio deorbaris. O coniunx eius infelix, quæ nullum in orbe tibi de cætero virum reperies ipsi parem. O prætristes Bauariæ duces, quæ susceptum in vlnis vestræ sororis ab vtero magis educastis eundem filium, quàm nepotem. Plange dolenter Germania mœsta nutrix eius, carens alumno charissimo, damno cum graui sed dedecore grauiori. Plange dolorosa Sueuia peculiaris hæreditas, naturali Principe vituperabiliter viduata. Plange vehementer Italia, quoniam cecidit caput tuum, in quo adeò sperabas. Miserum Siciliæ regnum plange, quòd intra tua viscera verum dominum tuum, (laborantem) ob tui redemtionem, vidisti decollatum. Plange infortunata Ierusalem prodito rege tuo. quo facilè fuisses in integrum restituta. Non desunt etiam qui scribant, Carolum consuluisse Pontificem de carceratis, an eos deberet neci tradere: respondisseque Pontificem, quòd fieri de Conradino iusticiam non negaret: qua responsione, vt de mandato Pontificis autoritateque, Carolus Cunradinum necauerit. De hoc etiam Angelus in L.gña.C. de secund. nuptijs.

Marcus Guazus in Chronico ait, quòd consilio Clementis IV. sine vlla iusta causa sit decollatus.

Baptista Geraldus in Hecatommytho part. 2. dec. 9. Nouel. 2. tragœdiam hanc quoque cum commiseratione tangit. Et Benedictus Falconus in descriptione Regni Neapolitani quoq; eius mentionem facit.

Sed & affirmatur, humorem quendam ex sepulchro eius adhuc hodie emanare, nec arceri posse: de quo M. Crusius in Anal. Temp. Interregni. Papa 188 Clemente 4.

Mysteria de termino Ducibus Sueuiæ ad imperandum

concesso diuinitus, ex Herm. Aedit. & Brusch.

QVa nocte Henricus Imp. Friderici Barbarossæ F. (circa 1198) interijt, vir quidam (inquiunt) sanctus pro bono feliciq; Ecclesiæ statu diligenter Deum precans, neque sciens quicquam de Imperatoris ex hac vita discessu, cùm ab oratione surgeret, inuenit in manu sua (si non aduersus Sueuos confictum est) hos versus scriptos:

Rex ruet: & regnum rapiens, Rex alter habebit.
Henric. Philip. Otho IV.

Ille

Ille potens medio cadet: hoc & vterque carebit.
Imperfecto.
Surget ab occiduo Rex, vt leo: Regna tenebit.
Frider. II.
Et post hunc nisi tres: & Regius ordo silebit.
Conrad. Manfred. & Conradinus. Sueuorum.

Pand. Collenutius de Conradino.

QVamobrem damnata fuit etiam tunc à multis scriptoribus hæc Caroli crudelitas, quòd regem Christianum minimè deceat, in eius ætatis atque nobilitatis principem vsque adeò seuerè atque crudeliter animaduertere: & quoniam literarum monumentis non minùs illi celebrentur qui Principes conseruârunt, quàm qui eos superârunt: & victoria comparata gladium deponere, nec ampliùs eum victorum, ac maximè Christianorum sanguine commaculare oporteat. Atq; eò maius crudeliusq; videbatur hoc Caroli facinus, quòd præter alia exempla Principum non longo tempore antè captorum, & à Victoribus conseruatorum, quæ imitari debuit, ipsemet sibi documento etiam esse poterat vnà cum fratre Galliæ rege, qui maiorem clementiam non à Christianis, sed infidelibus, ipsum tantùm naturæ ius sequentibus experti fuissent. Etenim Ludouicus Galliæ Rex, qui postea Damiatæ in Ægypto in Diuorum numerum exceptus fuit, cùm in expeditione aduersus Sarracenos hunc ipsum Carolum regum secum habuisset, & ambo ab ijs in prælio capti fuissent, regiè tractati, atque etiam dimissi fuerunt. Quare non immeritò Petrus Arragonicus rex, cùm in quadam epistola Carolo hanc iniquitatem, & quòd ipse Conradino ea non præstitisset, quæ sibi à Sarracenis præstita fuissent, exprobraret, inter cætera hisce quoque verbis in eum inuehitur: TV NERONE NERONIOR, ET SARRACENIS CRVDELIOR. Ac magnoperè etiam errârunt eius ætatis Iurisconsulti in interpretanda Diui Augustini Ecclesiastici Doctoris sententia, qui in Decretis inquit: Victorem erga victum misericordia moueri debere, & maximè si nulla suspicio sit, pacem ex ea re turbatum iri. Hugolinus enim interpres sic illam sententiam exposuit, vt assereret, illis solis esse parcendum, a quibus nullam pacis perturbationem suspicari possimus: cæteris verò nequaquam. Propter quam interpretationem inhumanam, & contra communem significationem Latinæ linguæ detortam, Carolus (vti testatur Ioannes Lignanus in Iure Canonico excellenter peritus) Conradino caput amputari curauit.

Ioannes Semeca.

HOc tempore floruit Ioannes Semeca Theutonicus, insignis iuris doctor (qui Herculea audacia primus aggressus est glossare Decretum, quod ante eum nemo, & post eum excellentiùs nullus facere potuit) præpositus sancti Stephani Halberstadensis: qui Clementi 4. summo Pontifici tum per Germaniam & Galliam decimas à clero in redemtionem terræ sanctæ exigenti, appellationem opposuit: quem pro sua (vt dicebat) Papa temeritate excommunicauit, priuauitque præpositura. Sed erant magni in Germania viri, qui Ioannem deserendum non putabant. Quæ autem impendére videbantur mala, mors ipsa diremit, quæ tam Pontificem quàm Ioannem breui sustulit de medio. Crantzius. Imp. & Papa. vt sup. 1269.

Mirabile.

HOc anno mulier Nobilis in terra Cracouiensi 36. pueros vno partu edidit. Alex. Guagninus in Sarmatia. 126[illegible]

Thomas Cantipratensis.

HIc in libro, qui dicitur Bonum vniuersale, siue de proprietatibus apum, refert, quòd quidam magnus Canonicus, cum audisset, quendam ex canonicis vesperi bene valuisse, & manè inuentum mortuum: & alij mirarentur, dixerit, Quid multis? secundum consuetudinem Ecclesiæ mortuus est, vt videtis. Vt sup. 127[illegible]

Idem lib. 2. cap. 56. Incubi dæmones ita religiosas virgines illis dieb. opprimebant, vt nulla eis valeret crucis signatio, nec aqua benedicta, nec ipsum corporis Christi Sacramentum.

Ibidem. Accidit, vt in synodo quadam Episcoporum quidam sacerdos iuberetur habere concionem: sed cùm ille nimiùm anxius esset, de quánam materia coram tam magnis Prælatis verba essent facienda, dumque ita solicitus erat & orabat, apparet ei diabolus & ait: Ecquid te maceras tantoperè hac cura, quidnā his clericis concioneris? hæc quæ tibi dico, illis prædica, nec quicquā aliud: Principes Inferorum & tenebrarū Ecclesiæ Romanæ proceres & Prælatos salutatos volunt humaniter. Gratias vobis agimus magna cum exultatione, quòd vos Prælati non solùm ipsimet ad tartara descendere parati sitis, sed etiam vobiscum subditos vestros & maiorem mundi partem adducatis negligentiâ vestrâ: & quia officia vestra non vt decet facitis, ipsos vobiscum pariter ad

orcum præcipitatis. Illibenter hæc vobis annunciaui, sed Deus altissimus me ad hoc coëgit. Sacerdos ei ad ista respondens ait: Quandoquidem hæc ipsa eis pro concione annunciem, fidem tamen mihi non habebunt. Illicò diabolus eius genas attingit, & inquit, ecce atram inustam maculam habes in signum tibi, quam abstergere non poteris, nisi concionem hanc finieris, vt iniunxi tibi, deinde aquam lustralem adhibe, eaque ablue hanc maculam quæ mox disparebit. Sacerdos diabolo obsecutus est, & in coronâ Prælatorum concionem eam habuit cum eo signo, quod diabolus ei fecerat: super quæ Prælati vehementer obstupescebant. Parisijs hæc in conspectu multorum spiritualium & laicorum recitata.

1270. *Monachus S. Iustinæ Paduanæ in Chronico.*

ANno Domini MCCXXVII. obijt Honorius Papa tertius: cui successit Gregorius nonus episcopus Ostiensis. Iste sub pœna excommunicationis Imperatori præcepit, vt pro recuperatione terræ sanctæ mare transiret secundum magnificentiam Imperatoriæ maiestatis. Imperator autem de hoc negocio intromittere se nolebat: veruntamen ne præceptum Apostolicum omninò spernere videretur, cum exercitu galearum in Syriam nauigauit, & taliter cum Soldano pepigit Babylonis, quòd ipse Ierosolymam & quasdam alias ciuitates reddidit Christianis. Audiens itaq; Papa Gregorius, quòd tam potentissimus Imperator ad modum pyratæ mare transisset, in quo tremendum nomen Romani Imperij apud barbaras nationes minui & deprimi videbatur, eum excommunicationis vinculo innodauit: & mox misit exercitum in Apuliam, vt eam ecclesiæ subiugaret. Quod audiens Imperator velociter in Apuliam est reuersus. Tandem facta est concordia inter eos, & cessauit quassatio præliorum. Temp. Interregni. Pp. vacante sella.

1270. *Iudæus in loco secreto.*

ANno salutis 1270. Episcopus Magdeburgensis Conradus comes de Sternenberg, vir religione feruens Iudæis multùm fuit infestus. Accidit autem, vt Iudæus quidam die sabbathi caderet in latrinam, vnde se non posset eximere: implorat ergò miserabiliter opem sociorum. Accurrunt illi & querula voce testantur, esse sabbathum, non licere illis opera manuum exercere, seruaret patientiam, in diem posterum, quam primùm liceret operari, educendum. Innotuit res Pontifici, quòd pertinaces Iudæi in sabbatho suo obseruando fratrem latrina non educerent: mandauit ergò sub pœna capitis, vt qui sabbathum suum pertinaciter obseruarent, sabbathum quoque Christianorum die proximo eadem celebritate obseruarent. Quid facerent? Imminebat pœna capitis, parendum fuit: sedebat igitur Iudæus in pedore & periculo duobus diebus atque noctibus. Munsterus in Cosmog. Imp. & Papa. vt sup.

1271. *Ioannes Teutonicus.*

FErunt, anno Christi 1271 Ioannem Teutonicum, Canonicum Halberstadensem, magicarum artium adeò peritum fuisse, vt equo suo auectus ternas Missas in vigilijs Natiuitatis Christi celebrârit, primam Halberstadij, secundam Moguntiæ, tertiam Coloniæ.

Multa de hoc Canonico scribuntur prodigiosa admodum, quæ per artem suam edidit, in Chronicis. Interregno. Papali sella vacante.

1271. *Prognosticum Augustanum vetustissimum ex manuscripto.*

PRælia magnatum video cum sanguinis vndâ,
Et terras populis vacuas, combustaq; regna,
Bellaq; longæua, & gladios vulgiq; furores.
Castra domusq; ruent, & erunt sine ciuibus vrbes,
Inq; locis tellus multis inarata manebit,
Strages nobilium fiet, procerumq; ruina:
Fraus erit inter eos, confusio magna sequetur
Regibus & populis, & erit mutatio regni,
Læuam dextra timet, Septentrio præualet Austro,
Mercurialis herus paulatim regna subibit.
Rexq; nouus Lybani cedros prorumpet in omnes,
Iustitiæ cupidusq;, regens nec cesserit vlli,
Mutabitq; fidem, regni dum sceptra tenebit.
Rex, lex, gensq; simul mutabitur ordine miro,

Terræ motus erit multis in partibus orbis,
Et peregrinorum turbas Europa mouebit,
Lingua prophetarum populos terrebit, & vrbes:
Multa videbuntur cœlestibus insita signis.
Nascentur sectæ, ritus nouus inde sequetur:
Perq́ loces varios populi dissensio fiet.
Teutonicusq́, furor sectam fabricabit, & illâ
Gaudebit proprias effundere sanguinis vndas.
Terra tamen sterilis pariet caritura bonorum.
Naufragium magnum patientur in æquore naues,
Implebuntur item campi currentibus vndis:
Et labor assiduus frustrabitur Agricolarum.
Ventorum rabies vastabit flamine terras.
Tempora ventura, & peiora prioribus instant,
Sed mundi regimen melius pòst inde sequetur.
Lustra ducentena, & quadragena etiam, quoq; bina
Postquàm tridena Domini fluxêre sub annis,
Hæc data iudicia, heu præsentia carmina monstrant.
Imp. & Papa, vt sup.

Exactiones.

Comes Rudolf. de Habspurg posuit exactionem super homines suos Aduocatitios, & accepit ab eis 20. mille quartalia frumenti. Annal. Colmarienses. Temp. Interregni. Pp. sella vacante. 1271.

Alphonsus 10. Rex Hisp.

Hic Philosophus & insignis Mathematicus varia scripsit, & in eo celebris habetur, quòd quater decies vniuersa Biblia cum omnibus glossis & commentarijs perlegit inter tot negotia. Vasæus & Tritheim. Imp. & Papa, vt sup. 1271.

Canonici nequam.

Fuerunt Coloniæ Agrippinæ duo Canonici, homines nequam & perfidi. Hi cùm odio haberent Consulem m vrbis Hermannum Grinium, nec tamen animi sui maleuolentiá in aprico explere possent: vocauerunt ad conuiuium illum, vt Pharisæi Christum, quo peracto eundem deduxêre ad conclaue quoddam, vbi iam antè sæuissimum leonem, atq; fame rabidum abdiderant: eò nil mali suspicantem Consulem, cùm introspiceret, nequissimi illi coniecerunt existimantes, ita eum facilè è medio sublatum iri. At præsente Deo res sic gesta est, vt ille incolumis euaderet. Nam cùm mox insultaret diducto ore bestia, Consul inuolutum brachio pallium in os feræ intrusit, atq; dextrâ elato pugione leonem trucidauit. Postea verò canonicos illos, qui in id discrimen eum adduxerant, ad portam ex altissima trabe suspendi fecit. Ex manu script. An. Col. Tép. Interreg. Pp. 189 Greg. 10. 1272.

Episcopi bellatores.

Episcopi Colonienses cùm autoritate & potentiâ crescerent, ciuitatem quoq; exuere priuilegijs animum induxerunt: vnde acerrimè à se inuicem dissidentes signa contulêre. Tandem autem anno Domini 1272 fuit Episcopus Siffridus VVesterburgius, qui à Romano Rege obtinuit, vt sibi atque Coloniensibus de vrbe bello decertare liceret. Quod nequaquam illi detrectantes extra vrbem in medio campo claues posuêre, quas vtri vicissent, arriperent. Inde cum Episcopo congressi magna illum clade affecerunt, suaque sibi priuilegia heroicè asseruerunt. Ibidem. 1272.

Ioannes Mandeuille lib. 7.

Græci audacter Romano Pontifici semper restiterunt, eumq; Ecclesiæ caput nunquam agnouerunt, sicut nec hodie. Cùm enim anno Christi 1328. Papa Ioannes XXII satis prolixas literas ad Græcos dedisset, in quibus euincere volebat, Ecclesiæ, vt quæ vna tantùm sit, se necessariò caput esse, cui de necessitate omnes subiacerent. Græci ei sic responderunt: credimus potestatem tuam in subditos magnam esse: verùm nos superbiam tuam intolerabilem ferre non valemus: auaritiam tuam immensam explere non possumus: ideoq; diabolus tecum. Dominus nobiscum. Idcirco etiam Orientalis Ecclesia Græca Pontificem Romanum quotannis Dom. Quadragel. vt hæreticum, excommunicat. Imp. & Papa. vt sup. 1272.

Fuit hic Ioánes vir equestris, & itinerariū 33 annorū scripsit. Reuersus in Angliā, ac visis sui seculi malis, vir pius dicebat: nostris temporibus iam veriùs, quàm olim, dici potest: Virtus cessat, Ecclesia calcatur, clerus errat, dæmon regnat, Sodomia dominatur. Obijt Leodij.

Adolphus Imperator 105.

1273. Hic à Papa confirmatus, & publico suffragio declaratus est Imperator, sed hac cum conditione, vt Romam concedens ibi coronam pro more consueto acciperet ex manibus Papæ: quod Imperator renuit, de quo alibi. Non nescius autem, quid vellet hæc Papæ euocatio, conuênit eum Losannæ, & donauit ditione Bononiæ ac Romandiolæ, quarum reditus septingentis millibus aureorum pinguiores sunt. Vtilius hoc fuit Papæ, quàm si Romam venisset Imperator. Imper. 105 Rudolpho. Papa 189 Gregorio 10.

Ordo Augustinensium Eremitarum, & Guilhelmitarum.

1273.



Cvm huius Ordinis maximus olim esset numerus, Lugduni concilium à Gregorio 10. indictum, & viginti tribus resectis ad quatuor tantùm ordines hoc genus Monachorum redactũ fuit. 1. Augustinenses. 2. Prædicatores. 3. Carmelitas. 4. Franciscanos. Polyd. Martinus Capellanus, Lucensis, Volaterranus, Alphonsus Aluares in Thesauro, Adrianus Damman. Francus scribit, horum Eremitarum ordinem primùm ab Augustino anno 418: secundò verò à Guilhelmo Duce Aquitaniæ, & Comite Pictauiensi, D. Bernardi discipulo cœpisse anno 1150. Hi Eremiticam vitam coluerunt vsque ad tempora Innocentij 4. Vbi in ciuitatibus tandem nidificarunt, & ex solitarijs seculares facti sunt. Francus. Sab. Anton. Vestitus fuit atricolor.

Habuit Alexander 4. Pontifex visionem, scil. Augustinum ei apparuisse grandem quidem capite, sed verbis exilem. Quâ commotus Papa fratribus Eremitis, quorum quidam S. Guilhelmi, alij fratres Ioannis Boni, alij de Fabali, alij de Brittinis, alij fratres de pœnitentiâ dicebantur omnibus hæc nomina ademit, & Ordinis Eremitarum S. Augustini dici mandauit. Voluit etiam, vt Regulâ Augustini viuerent, & relictis Eremis vrbes peterent, populi confessiones audirent, eumq; docerent. Antonin. Sab. Vol. Pol. Stella, Platina, Schedelius, Francus, Balæus, Nauclerus, Trith. Bergom. Chronicon Coloniense, & Hosp.

Vestitus est nigra tunica, concolor tegmen à scapulis ad caput inducunt, subter candida tunicula cum candida listâ, scorteâ zona cinguntur bubulo cornu fibulata.

De origine huius ordinis scripserunt Petrus de Vena Tolosanus. & Vlricus de Vrinaria: Petrus Pateshul autem de flagitijs, ritibus idololatricis, ambitione, auaritia & Tyrannide Augustinianorũ.

Regulam illorum Augustino ascriptam negat Erasmus eius esse. Et Polydorus quoque, tales Regulas ab Augustino vel Hieronymo nunquam conscriptas fuisse, ait. Imp. & Papa vt sup.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

1273.

Imp. 105 Rudol. Habspurgico. Pp. 180 Gregor. X.



Rodulphus Habspurgicus à Friderici filiorumq; eius miserabili interitu, Rex Romanorum electus: etsi Gregorio decimo de Roma adeunda & coronâ accipiẽda, fide data, eiusdem aliorumq; Pontificum amicitiã singulari studio coleret, quòd duabus potẽtissimis familijs Francica & Sueuica à Pontificibus tyrannicè extinctis, & regno Neapolitano à familia Friderici ad Andegauenses translato, non temerè Pontifices Gallico præsidio, atq; Germanicorum episcoporum factione suffultos irritandos: sed Germaniam, quæ iam vastata ac penè collapsa erat, in pristinum statũ restituendam

esse

esse, censeret: tamen suâ pietate, clementiâ, religione, humanitate, modestia ac humilitate nihil aliud gratiæ ab ingratissimis sceleratissimisque Pontificibus referre potuit, quàm iurium Imperij violentas inuasiones, opprobriaq; nefanda. Nam eius ætatis Pontifex Honorius IV. inuito Rodulpho, comitem Ianuensem nomine Pniziuallam, iure Imperij sibi arrogato, vicarium generalem Imperij in Italia constituit: & Rodulpho à ciuitatibus Imperij pro libertate concessa pecuniam recipiente, eam rem vti infamem sceleratè suggillauit. Et Nicolaus eius nominis quartus, post Honorij successum Romandiola & Rauenna sub falsa expeditionis Turcicæ specie à Rodulpho extortis, nisi eius consilia mors præoccupasset, duos reges creare molitus est, quorum alterum Hetruriæ, alterum Lombardiæ præficeret: qui inde Theutonicos Alpes incolentes, hinc Gallos Siciliam & regnum Neapolitanum tenentes armis in officio continerent. Iis itaque Rodulphus cognitis, coronæ Imperialis splendore in Italiam sepellici passus non est, publicè semper nouas occupationes causatus: apud amicos minimè dissimulans, se ab Italia deterreri, quòd Cæsarum in Italiam vestigia læta, magnifica, plenaque bonæ spei essent: ex Italia verò referentia & foràs versa tristia, misera ac luctuosa: alludens ad Apologum Æsopicum de vulpe, quæ leoni in spelunca ægrotanti dixerat, ideò se terreri ab ingressu, quòd vestigia omnia ingredientium, non egredientium essent animalium. Schardius ex Vrsp. Nauclero, Mutio, & alijs.

Monstrosum. 1274

NObilis quædam fœmina in ditione Episcopatus Constantiensis, oppidulo Sempach, hoc anno horribilem edidit in lucem fœtum, scilicet leonem capite humano. Vincentij Continuator lib. 31. Chron. Fuldense hunc partum tribuit anno 1284.

Gregorius 10. 1274.

TEmpore Imp. Rodulphi Habspurgensis Papa sub pœnâ anathematis sanxit, vt quiuis homo quotannis daret census loco nummum vnum.

Ioannes de Esculo. 1274.

APud hunc vt & Antoninum inuenitur reconciliatio quotidianarum litium inter monachos Minoritas & Prædicatores: vide ibi. Imp. 105. Rud. 1. Papa 189. Gregorio 10.

Fulsteinius libro 7. *cap.* 15. 1275.

AD Cracouiam infans quidam hoc tempore vix annum dimidium natus cœpit distinctè & expeditè loqui, dixitque magna omnium admiratione: Tartari venient, & nos decollabunt. Cùm verò interrogaretur, annon etiam sibi metueret à Tartaris, respondit, imò maximè metuo, quia & meum de me auferent caput, quod & sic factum abinde fuit post duodecim annos. Idem Miechouius lib. 3. cap 57.

Ibidem. Alius quidam infans omnes habens dentes natus est, primoque etiam suæ natiuitatis die statim distinctè & expeditè cœpit loqui, donec baptizatus fuit: postea & loquelam & dentes amisit. Imp. 105. Rud. Hapsp. Papa 189 Greg. 10.

Monstra. 1276.

IN Turego lupa domestica peperit duos lupos rufos, duos veltres, duos albos, & tres catulos generum diuersorum. Annal. Dom. Colmariensium. Imp. 105 Rud. Hapsp. Papa 191. Adriano 5.

Mirum.

EOdem anno cùm inauguraretur Imperator Rudolphus, perhibent, visam fuisse in aëre coronam auream pendentem supra templum D. Virginis Mariæ, in quo coronabatur. Crantz. in Sax. lib. 8. cap. 30.

Breuis descriptio quarundam Memorabilium, & Romanam 1277.

Idololatriam designantium imaginum, quæ in primario Argentoratensium templo, ex aduerso suggesti, iuxta adytum, supra pergulam, vbi quædam nobilium affixa pendent insignia, in lapides præcipuarum et lumnarum sunt incisæ, & ante plus ter centum annos illuc pro epistylijs positæ cùm templi istius fundamentum priùs cœpisset anno Christi 1015 collocari: & sequenti 1277 anno, [illegible] excepta turri, absolueretur, perficereturq́.

In lucem ædita à viro quodam docto circa annum 1540.

FRequenter hæc à Pontificiæ religionis cultoribus moueri solet quæstio: vbinā locorū, quibusúe terræ partibus, ab hinc trecentis circiter, vel quadringentis annis veræ fuerit Ecclesiæ sedes: quib. seculis quotquot erāt Christiani, & Romano Pontifici, & doctrinæ illius reuerenter obedire cogerētur? Hos ego facere nō possum, quin vicissim perconter, vbi, cùm sanctissimus Propheta Elias solū se

ex ve-

2.Reg.19. ex veris Dei cultoribus superstitem esse conquestus esset, electus Domini populus, ac sincerus Diuini numinis cultus extiterit? Nonne hoc à Domino responsum tulit vates eximius, septem adhuc millia hominum restare, qui Baaliticum cultum flexis genibus expedire minimè dignarentur. Etsi autem præclarus hic Sanctorum hominum cætus pio Prophetæ Eliæ ignotus prorsus erat: Deum tamen sapientissimum haud quaquam latere potuit: quippe qui singulos hosce sui Numinis amatores passim in Iudæorum terrâ sparsos optimè nôrat. Cæterùm quibus in locis vera tunc fuit Ecclesia, cũ Sanctissimi Patriarchæ Nohæ seculo, extra octo personarum familiam se non extenderet? (Genes.7.) Vbi quæso te, incorruptus religionis cultus viguit, Esaia grauissimè queritante, (Esai.1.) quòd sancta Dei ciuitas in prostituti pudoris vxorem degenerasset: cuius omnia membra, à calce ad supremum vsq; verticem sanitate incolumitateque carerent? Dic mihi, quam terrarum orbis partem Ecclesia inhabitarit, cùm Pharisæos acerrimè Christus reprehendisset propterea, quòd nefariorum latronum instar cædes, & latrocinia in æde sacrâ perpetrassent? Anne maxima ista sacerdotum caterua verè fuit Ecclesia, quæ superbo eiusdem titulo gloriabatur: atque extrinsecus splendido fuco ornata opinionem haud paruam veræ Ecclesiæ sibi conciliabat? Nihil certè minùs, vtpote quæ temporibus istis adeò splendoris omnis expers erat: vt abiectissimè neglecta potiùs in tenebris absque luce occultaretur. Fuit hæc in extremas angustias tunc temporis compulsa: & recidit ad pauculos homines, quibus à falsa, & ab impiâ Ecclesiâ nullum non periculi genus impendebat. Et postquàm suos pastores recto tramite excidere, ac multiplicium errorum labyrinthis inuolui conspexêre: verum hi pastorem Christum, eiusque salutarem vocem (tanquam simplicissimus grex ouium) sequi, ex eoque vno pendere, satius duxerunt. Hoc verò modo semper diuinitus quidam extiterunt, qui Spiritus sancti dotibus ornati perniciosorum errorum laqueis non irretiebantur; sed Baalitici cultus impios sectatores, asinum leoninâ, lupum ouillâ pelle circundatum, fictitiamque sponsam penitus cognoscebant. Vtcunque autem sæuissimus luporum grex hinc inde cursitauerat: dum quoslibet obuios in fraudem conijcere studebat: Deo tamen suas optimè notas ouiculas nemo è manibus eripere, vel miseris istis seculis, potuerat. Quod cùm ita sit, quâ ratione nos vani isti, vanæ Ecclesiæ iactatores, friuolâ suâ quæstione torquere possint, non video. Etenim cùm veros Christi cultores quærere instituant: manifestum est, hoc ipsis nomen minimè competere. Et quia eorum tantùm externo nitore, ac specioso ornatu nititur Ecclesia: non potest non similis esse Pharisæorum, quos suprà vehementer à Christo obiurgatos ostendimus: præsertim vbi à perspicuo verbi diuini sensu, & manifestis dictis recesserunt. Porrò vt, quod paulò antè dictum de quibusdam, qui S. Sancto donati, templi abominationes minimè probârunt, confirmetur: hoc præsens exemplum statuariorum intueamur: qui tetras istas imagines iam inde tribus antè seculis sculpserunt, atque in primario templo Argentinæ erectas collocârunt: eo videlicet tempore, quo detestandi Romanorum Pontificum abusus passim inualuerant. Etenim cùm sacerdotum caterua non secus, ac trunci obmutuisset: singulari Dei consilio factum erat, vt saxa potiùs loquendi facultate quasi instruerentur, quàm nefanda eorum



Idololatria silentio obliteraretur. Quia verò tantoperè Idolorum crepundijs delectabatur Sacerdotium Romanum: ideo seculi istius artifices has imagines ceu speculum, cælandas censuerunt. Sicut Agrippâ teste, à pictoribus quoque olim factum legimus: quòd diabolum saluatorem nostrum tentantem, finxerunt: eumq; Monachi stolâ cinctum & semicalceatum hominibus proposuerunt. Quamuis autem suum cuique de hac re iudicium liberum linquo: nõ nihil tamẽ ad qualẽcunq; explicationem haud ineptum paucis afferre libet. Ac primò quidem pro Sanctorum reliquijs hîc circumfertur vulpecula, quæ cùm somnum simulet, nõ absurdè hypocrisin exprimere dicatur. Hoc enim est eiusmodi genus hominum, quod ouicularum simplicitatem ostendens instar vulpis dormire se falsò fingentis, omnia diligentissimè obseruat. Quod callidum animalculum quoad se somno captum simulabat, ipsosmet Anseres pietate superare, ab vniuerso mundo putabatur: quamuis interim manifestè ceu Baalitici sacrificium, misellos anserculos deuoraret. At verò cùm iam sit excitata è somno vulpecula: insignis & miranda eiusdem simul patefit astutia: Vnde soporem ampliùs fingere periculosum arbitrans, fraudulenter

ibi assumtâ potestate quiduis punire molitur. Hoc autem animalculo stygiam istam vulpem Romæ dominantem intelligi, quis non animaduertit? Quippe quæ pro inæstimabili suâ calliditate ac versutiâ iure meretur, vt omnium vulpecularum mater dicatur: imò pernicies & calamitas totius terrarum orbis: quam callida sua nequitia iam olim ad illud vsq; fastigium honoris euexit, vt omnes precibus eam adorare dignarentur. Et quia caudam artificiosè per hominum ora trahere, nec non in sua cauerna latitans dogmata splendido fuco aptissimè depicta somniare nouerat: velut sanctorum reliquiæ circumgestabatur. Sed quia hoc nostro seculo mores illius vulpeculæ innotescere cœperunt: & iamiam futurū putatur, vt annosa isthæc bestia vnà cum suis catulis per ignem immissum è spelunca expellatur: ingenti furore percita, vltimos suos conatus experitur: & sicut fera cassibus implicata, ferociter reluctatur. Hanc autem vulpeculam, Romanam simulationem & fraudem repræsentantem, mirum, quàm venustè duo baiuli portent: nempè lutulentus porcus hircusque fœtidus, quorum vtrumque tam preciosam vestem inutiliter deperdere, iacturam haud exiguam censeo. Et sus quidem denotat Epicuræos, saginatos Lurcones, ventriosos, heluones, parasitos, & scortatores: cuiusmodi farinæ homines vt plurimùm sunt sacrifici, qui per luxuriam & summam impietatem, simulatarum reliquiarum istarum intoleranda profusione, vitam consumunt. A tergo porci istius conspicitur impudentissima canis, quæ illius posteriora subter caudā contingit, corona nimirum tali sponsa non indigna: qua vilissima sacrificorum scorta intelliguntur, quibus impudicis prostibulis & turpissimarum libidinum ancillis opima & fertilia sacerdotia vnà cum nothis & catellis suis illegitimis decoquere summoperè est cordi. Per Hircum designantur religiosi patres isti (libidinosos & impuros ganeones rectiùs dixeris) qui suis bicornibus pileis instar superborum hircorum in grege ferociunt: omnia circumcircà loca suo fœtore complent: sacras deniq; ædes in hircorum stabulum transformant. His præfert vrsus amulam vnà cum aspergillo sacro, quibus incredibilis furor, & immensa crudelitas illorum denotatur, qua humanas suas traditiones & statuta defendunt, & cruore miserè conspergunt, quos suo imperio immorigeros deprehendunt. Nec tamen vrsus sufficit huic vulpeculæ, sed vt firmiùs sit munita, lupi quoque operam adsciscit, qui crucem sibi præferat. Et hunc ouibus fugandis perquàm commodum esse nouit: qui si quas crucem recusare viderit, has violentis suis, & lethiferis incursibus ad eam sustinendam adigere queat. Aliàs quoque his bestiis ii intelliguntur, qui cùm suis concionibus, afflictis, & tristibus animis, solatium afferre deberent, rapacium potiùs luporum naturam induunt: nec vel tantillum suo gregi, à quo errore decepto genuini pastores censentur, parcunt: quinimò quò amplior & luculentior fit D. Petri hæreditas, hoc magis inexplebili habendi cupiditate laborant. Hos insequitur cæreum vulpeculæ præferens lepusculus, qui id genus hominum refert, quorum animi lucis Euangelicæ radiis sunt quidem illustrati: sed quia vel quouis lepore sunt timidiores, fit vt lucis cognitionem habeant, formidine tamen leporinâ affecti tenebrarum dominio parere consueuerint. Verùm inter hæc præcedentia simulachra, nescio, an vllum sit, quod vel citra expositionem tam facilè cognoscatur, atque asinus ille cum calice, cui à defunctis hoc negotii datum, vt murmurando coram altari, atq; huc illuc mirificis gestibus adhibitis vacillando, se purgatorio liberet. Qui cùm haud paucis ceruus esse videatur, in sequentibus, quid de eo sentiendum sit, declarabimus. Et quidem tales sacrificuli, propter ruditaté & inscitiam, non iniquè asinorum appellatione insigniuntur: cùm quia missas, ne à semetipsis quidem intellectas deblaterant: tum quòd non animaduertant horrendum impietatis flagitium, quod designant, dum iugiter immolare cogitant eum, qui semel victimam se pro nostris peccatis obtulit: insuper etiam sine fronte seu pudore Laicis calicem Domini suffurantur. Vbi inepti Asini non perpendunt, se calicis subtractione iudicii æterni reos fieri: quandoquidem in alium vsum, quàm Christus præscripsit, hunc conuertunt. Fit enim hoc pacto meretricius ex eo calix, qui Antichristo conuenit: vt tanquam Circe Vlyssis comites, eodem miseros homines dementare, suisque præstigiis decipere queat. Nec tamen etiam illorum sententia culpanda est, qui ceruum hoc simulachro repræsentari asserunt. Est enim cornibus suis priuatus hic ceruus, quæ alioquin cerebri vires confirmare, nec non aduersus omne





venenum munire perhibentur. Quod mehercule nihil aliud significat, nisi extremam sani cerebri inopiam & defectum, quo sacrificantium hoc genus hominum ita laborat, vt Missis suis detestandis inter murmurandum omnia virulenta reddat: quamque interea mirandum in modum fastu & insolentiâ turgeat: nec non ad quoduis scelerum, & libidinum genus pronum rapiatur. Ecquis porrò erit, cui explicatione sit opus istius librum gestantis asini? Cùm sit luce meridianâ clarius, quòd rudentes in adytis templorum asini hîc designentur, qui diuinum concionandi munus, in vlulatum eiusmodi diu noctuq; vsitatum, converterunt. Huic specioso asino, si Diis placet, felis etiam loco plutei, suam operam locat: quo delicatum illud Monachorum agmen innuitur, qui pietatis mirâ simulatione caseolis insidias struunt: qui corâm blanditiis, absentes diris exsecrationibus omnia agunt: qui ostiatim cibum mendicando variis exactionibus ciues degrauant: qui inauditâ semetipsos impudentiâ in concionandi officia insinuant: qui verborum lenociniis, & vocis mirabiliter inflexæ incantamentis animos auditorum capiunt: captos grauissimis suis legibus obstringunt: qui denique licet castitatis nomine nusquam non gloriantur, non aliter tamen, ac vernales vituli seu νεοζυγὰς libidinibus pruriunt, & inconcessæ veneri turpissimè indulgent. Hæc de præsenti harum imaginum expositione sint dicta: è quibus liquidissimè apparet, Deû quolibet seculo Spiritu S. quosdam, licet perexiguos illustrâsse: neq; vnquã illius penitus extinctã Ecclesiam interiisse, quantumuis interdũ periculorum diuturno metu occultaretur. Sic neque hoc loco mirum nobis videatur, quòd falsa Ecclesia talibus animalium simulachris depingitur: cùm summum eiusdem caput, teste D. Ioanne, bestia vocetur: quæ velut Medusæ caput homines omni sensu orbatos reddat. Verũ Dei inculpatus Agnus hanc bestiã cũ suis squamis propediem necabit. Ideoq; date locũ admonitioni regii prophetæ Dauidis vos rogantis, ne equorũ instar vel mulorum esse velitis, quibus nulla intelligendi vis inest, & facultas: ac cum eiusmodi grege in profundã voraginẽ præcipites ruatis. A qua nos Deus ter maximus clementer omnes conseruare, & Agni sui immaculato gregi annumerare dignetur. Imp. Rudolpho Habspurgio. PP. Adriano 5.

Partus mirabilis.

HOc anno obiit Mathildis filia Florentii comitis Hollandiæ, ea quæ vno partu 365. filios peperit, qui omnes ab Episcopo Traiectensi Othone sacris abluti sunt fontibus, in pelui simul iacentes, ac deinde obierunt. Hoc Mathildi accidisse refertur ideò, quòd pauperculæ cuidã mulieri geminos exprobrâsset perinde atq; adulteræ, quæ conscia suæ pudicitiæ, Oro (dixerit) Deum, vt tu tot parias ipsa, quot dies continet annus. Annal. Fland. Imp. 105. Rud. PP. 163. Nicolao 3.

Nicola-

Nicolaus III. Papa 193. 1278.

NOn caruit hic Papa in tantis laudibus reprehensione. Suos enim ita amasse dicitur, vt aliunde raperet, quod eis condonaret. Nam quibusdam nobilibus Romanis castella vi abstulit, ac suis dono dedit, maximè verò Surianum. Fuit idem Pontifex cibi ac potus continentissimus, subita tamen morte correptus tertio sui pontificatus anno, mense octauo, die quintodecimo moritur. Quam mortem prædixisse quendam ferunt, notato per excrescentiam Tiberis vaticinio. Adeò enim in immensum excreuerat, vt altare sanctæ Mariæ rotundæ quatuor pedibus, & eo ampliùs excederet. Plat. Imp. & PP. V. S.

Portentum. 1279.

IN Ongersheym fuit mulier tabernaria, de qua Physicus eiecit intra decennium tres cattas. Anna. Domini. Col. Im. 185. Rud. PP. 193. Nic. 3.

Rogerius Bacho Monachus in Magicis experimentis. 1280.

MEmoratur ibi, qui mille viginti quinque annos singularis medicamenti ope vixerit. Et Romæ seruari diploma aiunt, in quo Pontifex testatur, Germanum quendam prorogâsse arte vitam sibi in annos quingentos. Scripsit Rogerius præterea de Necromanticis imaginibus, prognostica ex siderum cursu, Regimina Cœlestium, Excantationes, occulta naturæ opera, mirabilem artis & naturæ potestatem, Lapidem philosophorum, Astronomiam veram, retardationem accidentium, super sententias, Philosophiam naturalem & moralem, speculum Alchimiæ, Alchimistarum artes, Situm Palæstinæ, Iudicia Astrologiæ, Sententias experimentales, Facultatem speculi, de rerum mirabilibus, perspectiuam. Imperatore 105. Rodolpho. Papa 193 Nicolao tertio.

Albertus Magnus de off. Missæ. tract. 3. c. 16. 1280.

TOt possunt fieri suffragia pro vno aliquo, quòd statim in momento liberatur. Et ideo in hoc solo casu melior est conditio diuitis, quàm pauperis: quia habet vnde suffragia fiant pro ipso: Vnde Prouerbiorum 13. dicitur, Redemtio viri diuitiæ eius. Imperatore Rudolpho 1. Papa Nicolao 3. vt suprà.

Siculus vesper, vel vesperæ Sicilienæ ex Æmilio. 1281.

COnsilio Nicolai 3. Papæ ipso die Paschæ (nota bene) ad pulsum campanæ per totam Siciliam omnes Galli ad 8000. intra duarum horarum spacium fuerunt interemti, vnà cum vxoribus etiam grauidis. Ecce tibi facta papalia. Æmilius libro 7. & alii. Imperatore & Papa vt suprà.

De iisdem Vesperis Sicilienis ex Collenutio.

CArolus in hac regni pace atque quiete Neapoli agens, non contentus erat suis regnis, quæ habebat: sed de Constantinopolitano quoque imperio occupando, & Michaële Palæologo, qui eo tempore imperabat, expellendo cogitabat: idque faciliùs se consequi posse putabat vrbium quarundam operâ atque fide, quas in Achaia, quæ nunc Moræa dicitur, tenebat. Sed fortuna domestica negocia illi obiiciens, institutum impediuit: cùm enim præfecti, & qui alia munera per Siciliam illius nomine obibant Galli, subditos iniquiùs tractarent, & cùm in mulierum pudicitiam, tum in fortunas vitamque hominum sæuirent: Ioannes Procula Salernitanus, qui Manfredi medicus fuerat, inito cum Siculis consilio, insulam eam ex Gallorum seruitute in libertatem vendicare decreuit. Quamobrem Constantinopolim primùm profectus, Imperatori Caroli consilia patefecit, & Græcorum fauorem, quoad fieri potuit, sibi conciliauit. Deinde in Cathaloniam contendens, regnum Insulæ Petro Arragonico, qui Constantiam Manfredi filiam in matrimonio habebat, obtulit: binisque profectionibus Romam susceptis, tantum apud Nicolaum tertium Pontificem egit, vt in Petrum, Constantiæ nomine, insulæ iura contulerit, isque conditionem susceperit. Tantaque fuit huius medici sagacitas, vt octodecim mensibus institutum perfecerit vsque adeò clanculùm, vt

ante indictum diem, quo sub vesperam ad primum campanæ sonum arma aduersus Gallos sumere, & omnes trucidare Siculi debebant, nihil planè suspicionis fuerit. Cùm igitur constitutus dies atque hora adesset, perfecerunt omnes quod fuerat decretum, & Gallos ex improuiso adorti magnum numerum occiderunt: atque tantum erat iam Insulanorum in Gallos odium, vt illorum nullus euadere posset: quin etiam, sicubi grauidas Gallorum mulieres esse scirent, illas ferro transfixas vnà cum fœtu subitò enecabant. Atque hoc quidem modo Sicilia Gallis ademta, & deinde à Petro Aragonico occupata (ex quo, Siculus Vesper, prouerbio tritum habemus) Caroli institutam in Græciam expeditionem impediuit, anno Salutis MCCLXXXI. postquàm vndecim annos in regno pacem habuisset.

Sifridus Presbyter Misnensis in Comp. historico.

1281.



IOannes 18. à sancto Petro CXCVIII. Papa ordinatur. Hic dum quendam librum (vt dicebatur) hæreticum & peruersum dictaret, subitò domus in qua sederat, super eum corruit, & in tantum concussit, vt infra spacium quinque dierum miserabiliter moreretur, replicans sæpius hæc verba, vel similia: Quid fiet de libello meo? quis complebit libellum meum? Obiit autem primo anno pontificatus sui. Imp. 105. Rud. PP. 193. Nicolao 3.

Idem. Henrici 3. tempore tantum schisma in Ecclesia fuit, vt tres in summos Pontifices electi essent, quos tandem Gratianus Presbyter, pecunia magna eis data, induxit, vt cederent: & sic ipse electus est.

Idem. Martinus 3. Papa tanto odio habebat Teutonicos, vt optaret, totam Allemanniam vnam esse piscinam.

Idem. Tempore sancti Henrici Imperatoris VVillegisus archiepiscopus Moguntinus vigebat. Iste quia humilem progeniem habuit, & patrem qui currus & bigas facere solebat, in thalamo ornatis & grandibus literis hæc scripta habebat: VVillegis, VVillegis, recole vnde veneris. Hæc & in Teutonica lingua scripta erant. Appendebat etiam rotas, & huiusmodi instrumenta in pariete circumquaq; in quibus suam prosapiam recognoscebat. Adhuc vsque habentur duæ rotæ quasi aratri in vexillo, & vna in clypeo Ecclesiæ Moguntinæ. Hic Archiepiscopus in Moguntia maiorem Ecclesiam, & sancti Albani Ecclesiam construxit. De eodem etiam suprà.

Idem. Otto secundus Imperator dum Italici pacem sæpè violarent, Romam venit, & ante gradus Ecclesiæ sancti Petri omnibus proceribus & magnatibus conuiuium magnum fecit: quibus lætanter epulantibus, omnes vndique armatis cinxit, & de violata pace mouens querimoniam reos inscriptis iubet recitari: quos statim ibidem decollari faciens, alios gratanter ad epulandum inuitauit.

Idem Longitudo Caroli Magni octo pedum fuit, facies eius palmum & dimidium habebat in longitudine, barba vnum: Militem armatum super equum sedentem à vertice simul cum equo scindebat. Militem armatum rectè stantem super manum suam, à terra vsque ad caput leuabat sola manu. Leporem integrum, aut duas gallinas edebat, vinum modicum & lymphatum bibebat. In prandio tantùm ter bibit, in cæna rarò.

Idem. Gregorio Papa defuncto, Sergius ordinatur. Iste vocabatur Bocca de porco, sed factus Papa dicitur Sergius: vnde ab ipso vsque nunc semper mutatur nomen Papæ. Ratio huius est, quia Dominus nomen Simoni mutauit, vocans eum Petrum, quando ipsum Ecclesiæ præfecit.

Idem. Diuersæ visiones & somnia veridica de causa regis Odoacri sunt diuersis reuelata. Ipse namque rex Bohemiæ vidit in visu noctis, quòd plurima cornua haberet in capite, quæ omnia præter vnum sibi radicitus sunt euulsa.

Quidam etiam clericus in Alemania vidit in somno, quòd fluuius magnus & turbidus, glacie mixtus raptim traheretur ab Occidente contra Bohemiam, vocemque audiuit lamentabilem, clamitantem hæc verba: Dies tribulationis, dies miseriæ. Quidam quoque miles nomine Reinbotho similiter Teutonicus, vidit per somnium quindecim Lunas in cœlo pugnare, quarum duæ cæteris erant maiores, & vna ex his duabus habebat foramina multa, in quam cæteræ Lunæ impegerunt, & penitus consumserunt. Cumque iam dictus miles hoc miraretur, vidit regem Bohemiæ propè stantem, & multum vomitum emittentem.

Idem. Otho III. Othonis secundi filius, Imperium adeptus regnauit annis duodecim. Iste cognominabatur Mirabilia mundi, vocabatur etiam Otho Rufus. Hic cùm esset apud Mutinam ciuitatem cum vxore sua: ipsa imperatrix cuidam comiti se prostituere voluit. Sed cùm ille consentire nollet, illa indignata comitem prædictum apud Imperatorem adeò infamauit, vt eum Imperator sine audientia decollari præciperet. Qui antequàm decollaretur, rogauit vxorem suam, vt iudicio candentis ferri post mortem eum comprobaret innocuum. Adest dies, in qua Cæsar se pupillis & viduis exhibebat iudicaturus: affuit igitur & fœmina comitis secum caput habens, quæritque, qua morte sit dignus, qui iniustè aliquem occidisset? Quo respondente, capitis priuatione: illa ait, Tu es ille vir, qui maritum meum ad suggestionem vxoris tuæ iniustè occidi mandasti.

Quod dum illa per candens ferrum probasset, Cæsar in manus fœminæ se tradidit puniendum. Interuentu tamen Pontificis & procerum, decem dierum inducias, deinde octo, deinde septem, quartò sex à vidua accepit. Tunc Imperator causa examinata & cognita, vxorem suam viuam cremari fecit, & dans viduæ quatuor castra vitam redemit. Castra hæc sunt in Episcopatu Lunæ in Etruria, & vocantur ab induciis dierum, decimum, octauum, septimum, sextum.

Idem. Romæ aliquando pestis inguinaria fuit: ea erat apostema siue inflatura in inguine, tam sæua, vt homines in via, in mensa, in ludis, in colloquiis subitò morerentur. Itaque cùm quis sternutabat, sæpe cum sternutatione spiritum exhalabat. Vnde cùm aliquem sternutantem quis audiebat, statim accurrens, Deus te adiuuet, acclamabat. Et abinde adhuc consuetudo seruatur, vt cùm aliquem sternutantem audimus, Deus te adiuuet, acclamemus. Rursus cùm aliquis oscitabat frequenter & continuò, subitò spiritum exhalabat. Vnde cùm aliquis se velle oscitare sentiebat, continuò signum crucis sibi imprimere festinabat, & hæc consuetudo vsque nunc seruatur.

Signum.

DE ingenti & profunda niue, quæ ceciderit in Iulio mense die Sancti Alexii, à Frisinga vsque ad Congauium, scribit Auentinus libro septimo, sed non apponit anni numerum: factum autem esse constat circa tempora, quibus Nicolaus tertius non sine mysterio Papa factus fuit.

Monstrum in Tartariâ.

ANno 1281. Rex Tartarorum Paganus Armeniæ Regis filiam Christianam vxorem duxit, ex qua prolem suscepit, cuius pars media instar feræ syluestris hirsuta, altera glabra fuit. Cùm Auruspices, id ob reginæ adulterium factum, dicerent, ipsa puerum per Baptismum Ecclesiæ inseri petiit. Quo facto, euanuerunt pili, & homini per omnia factus est similis. Vide Chron. Martini Ordinis Prædicat. Imp. Rud. 1. PP. Gregorio 10.



Ordo Seruorum S. Mariæ.



PHilippum Tudercum Florentinum Medicum huius Ordinis authorem constituunt Schedelius, Crantzius in Metrop. Panth. in Chronico, Sabell. En. 9. lib. 7. Regulam habent Augustini. Vestitui nigræ tunicæ, ac succinctæ nigrum superiniiciunt pallium, circa humeros in rugas complicatum, scapulari amictu ab humeris reiecto. Sacculum etiam ad mendicandum parati gerebant. Sab. Vincentius & Polyd. illius initium faciunt annum 1282. Francus annum 1304. Imperatore Rodulpho 1. Papa 194. Martino 4.

Martinus Polonus.

MArtinus Polonus, quem alii Martinum Sarmatam, alii Oppaniâ ex Silesiâ oriundum esse, contendunt, fuit Martini Papæ, vt ipse ab initio historiæ fatetur, Pœnitentiarius, Capellanus, & Archiepiscopus Carsulanus, siue Consentinus. Quia autem quinque Papæ sub nomine Martini fuerunt, verisimile est, quartum fuisse, ideo, quia ex Gotfrido Viterb. qui vixit anno 1185. & aliis se suam desumsisse historiam, affirmat.

Huius tempore, inquit, cœpit primùm Romana Ecclesia prædia obsidere: de quibus Sanctus Vrbanus clericis, & notariis, qui gesta martyrum conscribebant, sumtus deputabat. Antea enim Ecclesia viuebat ad instar Apostolorum, pecunias tantummodò recipiens pro egenis. Imp. 105. Rud. 1. Papa 194. Martino 4.

Idem. Eodem tempore fuit Merlinus vates in Brittanniâ, ex filia Regis sanctimoniali & incubo dæmone natus. Nam ipsius Regis de Mercia filia, inter monachas in Ecclesiâ Sancti Petri degebat, in vrbe Kærmedin, quæ asseruit, se nunquam virum agnouisse, sed quendam in specie pulcherrimâ ipsam frequenter deosculantem, euanescentem, & rursum apparentem, eamque amplectentem, grauidam reliquisse. Et cùm Rex Brittanniæ ædificium miræ magnitudinis construeret, & de nocte euanesceret id, quod in die ædificabatur, admirans à Magis accepit responsum, quòd ædificium non perficeret, nisi calx admisceretur sanguine alicuius sine patre procreati. Et cùm per regnum talis quæreretur, Merlinus puer à quodam puero secum contendente, talis notificatur. Captus autem Magos mentitos esse, dixit: & ostendens sub terrâ voraginem ædificium totum absorbentem, mortem euasit.

Idem. Tempore Cornelii Papæ Græci furtim corpora Apostolorum, vt ea in Græciam deferrent, asportabant. Sed dæmones in idolis habitantes diuinâ coacti virtute clamabant: Viri Romani succurrite, quia dii vestri auferuntur. Fideles autem hæc audientes, intelligebant de Apostolis: infideles verò de suis diis. Sic multitudo adunata & fidelium & infidelium, persequentes illos. Quod videntes Græci, apud Catatumbas Apostolorum corpora in puteum proiecerunt. Sed à beato Cornelio Papâ sunt inde extracta. Verùm cùm in dubium verterentur, quæ essent ossa beati Petri, vel Pauli, orantibus fidelibus, diuinitus responsum habuerunt, quòd maiora ossa sunt prædicatoris, minora verò piscatoris. Quæ tamen postea Syluester cum laude æquaiter ponderasse dicitur: & consecrando vtriusque Ecclesiam, in vtraque vtriusque ossa collocasse.

Idem. Benedictus nonus, natione Tusculanus, ex patre Alberico, sedit annis quatuordecim. Ille est eiectus de papatu: & factus est alius Papa, Sabiniensis Episcopus, qui infrà vocatus est Syluester. Et iste quoque etiam eiectus est: & Benedictus ille recuperauit papatum. Iste etiam iterum est eiectus: & datus est papatus Ioanni archidiacono sancti Ioannis ante portam latinam, qui Gregorius sextus infrà dictus est. Et hic habito papatu, cùm esset (tantùm in eo peritus, quòd quascunque fæminas ad suam voluntatem pertrahere poterat, sed aliàs) rudis literarum, alterum papam ad vices Ecclesiastici officii exsequendas pro se, secum consecrari fecit. Quod cùm multis non placeret, tertius superinducitur: qui solus vices duorum impleret. Vno igitur contraductos, & duobus de papatu altercantibus contra vnum: mortuo Gregorio, Henricus Imperator contra duos Romam accedit. Et eis canonicâ & imperiali censurâ depositis, Sindegerum Bambergensem Episcopum (qui infrà Clemens secundus dictus est) in papatu per vim substituit. A quo Henricus Imperator coronatur, Romanis sibi promittentibus & iurantibus, se sine ipsius consensu, nunquam Romanum pontificem electuros. Iste Benedictus, qui fuit nepos superioris Benedicti, apparuit iuxta molendinum cuidam in specie monstruosi animalis, cuius caput & cauda asi-

ni erat: reliquum corpus sicut vrsus. Cumque inspector territus fugeret, clamans monstrum post ipsum dixit, Noli me expauescere: scito, me fuisse hominem, sicuti tu es. Sed sic me repræsento, sicut olim Papa existens bestialiter vixi.

Idem. Huius Benedicti tempore in Remensi Ecclesiâ fuit quidam archiepiscopus vir honorabilis, nomine Radulphus, ex genealogiâ Caroli Magni, quæ iam in regno Franciæ cessauerat regnare, propagatus. Quem Hugo, tunc Rex Franciæ, de alia prosapia genitus, in corde odio habens, conuocatis Episcopis, allegans ipsum illegitimum, deponi procurauit, Gilbertum monachum, Philosophum, imò potius necromanticum, substituendo. Quod summus Pontifex intelligens, legatum misit: & Remis concilio conuocato, Gilbertus ille deponitur, & sic Radulphus restituitur. Gilbertus verò depositus, ad Ottonem Imperatorem se contulit: quem & ipse scientia erudierat. Qui nactâ opportunitate, primò eum Rauennatum archiepiscopum, postea Romanum pontificem, diabolo instigante, fieri procurauit: qui infrà dictus est Syluester secundus. Vnde versus:

Scandit ab R Gilbertus ad R, pòst papa vigens R.

Idem. Syluester secundus, natione Gallicus, priùs vocatus Gilbertus, sedit annis quatuor, mense vno, diebus octo. Et cessauit pontificatus diebus viginti tribus.



Hic primùm iuuenis Floriacensis cœnobii, in Aurelianensi diœcesi monachus fuit. Sed dimisso monasterio homagium fecit diabolo, vt sibi omnia ad votum succederent: id quod dæmon promisit adimplere. Iste obsequiis diaboli insistens, frequenter super desideriis suis cum eo loquebatur. Veniens autem in Hispalim Hispaniæ causâ discendi, tam benè profecit, quòd sua doctrina etiam maximis placuit. Habuit enim discipulos Ottonem Imperatorem, & Robertum Regem Franciæ (qui inter alia sequentiam, sancti Spiritus adsit nobis gratia, composuit) & Leotherium, qui fuit archiepiscopus Senonensis. Sed quia idem Gilbertus quàm plurimos honores ambiebat, diabolus quæ petebat, ad votum impleuit. Fuit enim primò Remensis archiepiscopus, postea Rauennas, tandem Papa. Et tunc quæsiuit à dæmone, quàm diu viueret in papatu? responsum habuit, quàm diu non celebraret in Hierusalem. Gauisus fuit tunc valdè, sperans, se longè à fine esse: sicut longè fuit à voluntate peregrinationis in Hierusalem vltra mare. Sed cùm celebraret in quadragesimâ ad Ecclesiam S. crucis, quæ dicitur, in Hierusalem, ex strepitu dæmonum sensit, sibi mortem adesse: quare suspirans ingemuit, (licet antea sceleratissimus esset) de misericordiâ Dei non desperans, reuelando coram omnibus peccatum suum. Sic membra sua omnia, quibus diabolo obsequium præstiterat, iussit præcidi: & deinde truncum mortuum super bigam poni, & vbicunque illum perducerent, & sisterent, ibi sepeliri: quod & factum est, sepultusque est in Lateranensi ecclesiâ. Et in signum misericordiæ consecutæ, sepulchrum eius tam ex tumultu ossium, quàm ex sudore præsagium est morituri papæ: sicut in eodem sepulchro est literis exaratum. Hoc tamen aliam significationem habere, refert infrà Funccius.

Idem. Iste Petrus Petri Leonis filius (Nota, Petri antecessoris nomen indigni successores non sine mysterio singulari mutauerunt) cardinalis, à pauperibus electus, & Anacletus dictus, hostiliter fecit aggredi domos, & frangi ponte, in quibus se Innocentius cum cardinalibus receperat. Sed quia sic nihil profecit, cum manu armatâ Ecclesiam S. Petri adiit: & per violentiam adhibitam aureum crucifixum, pendentes coronas, cum toto thesauro, auro, & argento, ac lapidibus preciosis spoliauit: Ciborion quoq;, quod Sanctus Leo papa construxerat. Hoc idem ad sanctam Mariam maiorem magno thesauro ditatam, & alias Ecclesias fecit. Cum quo thesauro postquàm penè omnes Romanos corrupisset, Innocentius Papa iam nullum in Vrbe subsidium habens, cum cardinalibus in duabus triremibus transiit in Galliam, à Rege Francorum honorificè susceptus, postquàm in Claro monte & Remis celebrasset concilia: & in reditu, pacificatis Genuensibus & Pisanis, attendens ipsorum, quæ sibi & Ecclesiæ magna fecerant auxilia, Genuensem Episcopum, qui sub Mediolanensi fuit, fecit archiepiscopum: & Pisanum primatem totius Sardiniæ.

Idem in supputationibus. Alexander Papa reprobauit duos pestiferos libellos, quorum vnus dicebat, quòd omnes religiosi, & verbum Dei prædicantes de eleemosynis viuendo saluari non possent: alter verò asserebat inter cætera, quòd Euangelium Christi, & doctrina noui Testamenti neminem ad perfectionem perduxit, & euacuanda esset anno D. millesimo ducentesimo sexagesimo, quo deberet inchoari doctrina Ioachim, quam conditor libri nominauit Euangeliũ æternũ: totam

hominum saluandorum perfectionem in illo ponendo: & etiam dicebat, quòd sacramenta quæ legis in hoc anno euacuarentur. Quæ omnia & authoritas Apostolica, & prædicti temporis sequens experientia exsufflauit.



Idem. Brundinus per Henricum 4. Imperatorem Papa factus, audito aduentu Papæ Hildebrandi, Sutrium se recepit. Quem obsessum Papa cum Romanis cùm cepissent, posuerunt eum in camelo versa facie ad tergum, habens caudam cameli pro freno, & Papa ad vrbem præcedebat: deinceps in arce Fumonis est retrusus.

Idem. Clemens secundus natione Teuthonicus, sedit mensibus nouendecim: & cessauit pontificatus diebus viginti. Hic fuit inuasor Ecclesiæ, & per vim habuit Papatum.

Idem. Anno Domini millesimo trecentesimo Papa Bonifacius concessit plenam indulgentiam omnium peccatorum, omnibus visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli Romæ, & facientibus ibi quindenam intra ipsum annum. Et statuit, eandem indulgentiam in posterum inomni anno centenario ab omnibus visitantibus sacra limina sic haberi: & ita factus fuit Romæ magnus concursus populorum ex toto orbe.

Idem. Gregorius septimus Pontifex Henricum quartum Imperatorem, concilio 130. Episcoporum habito, excommunicauit: quia Romanæ Ecclesiæ vnitatem scindere voluit. Sed postea ad Papam in Lombardiam veniens, nudis pedibus super niuem & glaciem pluribus diebus stans, vix absolutionem impetrauit. Postea iterum excommunicati plurimi seditiosi Episcopi apud Brixiam conuenientes, de consensu eiusdem Regis Guibertum Rauennatem episcopum in Papam elegerunt, Clementem vocantes: quem Rex Henricus pronus in terrâ cum omnibus aliis mox adorauit.

Idem. Victor tertius sedit anno vno, mensibus quatuor, diebus septem: & cessauit pontificatus diebus nouem. Hic proprio nomine Desiderius vocatus, abbas Casinensis fuit: qui veneno in calice immixto dicitur exstinctus.

Idem. Deinde coronatus fuit decimo octauo Calendis Augusti in Lugduno. Cumque de loco coronationis cum maximo comitatu procederet, concurrentibus & comprimentibus se turbis, cupientibusque Papam coronatum videre, depulsa maceria cuiusdam muri corruit prope Papam, & cecidit corona de capite eius, & in casu auulsus fuit carbunculus, precii sex millibus florenorum: & Ioannes Dux Brittanniæ cum quindecim aliis collisis, infra paucos dies obiit. Vnde plurimi admirati varia vaticinabantur.

Idem. Papa Bonifacius 8. constitutionem fecerat, in qua se dominum spiritualem & corporalem in vniuerso mundo asserebat. Vnde requisiuit Philippum Regem Franciæ, vt à se regnum suum cognosceret: quod Rex facere contemsit. Vnde anno Domini 1302. Calendis Nouembris Romæ Bonifacius Papa celebrauit concilium contra Philippum Regem Franciæ, quia pecuniam extra regnum suum portare non permisit. Et Alberti Regis Romanorum electionem admisit, subiiciens sibi regnum Franciæ.

Idem. Alexander secundus, natione Mediolanensis, sedit annis vndecim, mensibus sex, diebus viginti quinque. Hic cùm esset Lucanus Episcopus, concorditer à Cardinalibus electus est in Papam. Contra hunc fuit Cadulus, qui fuit Parmensis Episcopus, & tamen ferè ab omnibus Longobardis Episcopis in Papatum electus, asserens: Papam non debere eligi, nisi de paradiso Italiæ. Qui Cadulus cum magno exercitu bis veniens Romam, violenter voluit papatum obtinere, sed non potuit.

Idem. Bonifacius septimus sedit anno vno, mensibus quinque, diebus quindecim: & cessauit pontificatus diebus viginti. Hunc Romani suffocato Benedicto sexto, Papam fecerunt: qui postea non valens in vrbe subsistere, deprædatâ Ecclesiâ Sancti Petri, & omnibus rebus preciosis ablatis, fugit in Constantinopolim: tandè Romam cum magnâ pecuniâ rediens cùm proficere non posset, Ioanni diacono Cardinali oculos eruit: & ipse deinde subitò extinctus est.

Idem. Leo nonus sedit anno vno, mensibus quatuor: & cessauit pontificatus diebus decem. Hic autem propter malitiam Romanorum, qui suos intrudebant, statuit, vt nullus Papa fieret nisi de consensu Imperatorum.

Idem.

Idem. Pontiano dicitur succeſsiſſe Cyriacus anno vno, menſibus tribus. Sed quia contra voluntatem cleri, ceſsit de papatu Antherum ſubſtituendo, & cum vndecim millibus virginum (quas Romæ baptizauerat) Agrippinam tendendo, non eſt poſitus in catalogo Pontificum. Credebant enim Cardinales, ipſum non propter deuotionem, ſed propter oblectamenta virginum, papatum dimiſiſſe. Cùm tamen ipſe virgo exiſtens cum virginibus martyrio fuerit coronatus, prout legitur in legendâ virginum. Idem habes in gl. c. 1. de renunciat. in ſexto.

Idem. Tunc in vrbe, Caio Papa martyrio coronato, Marcellinus eligitur, cuius tempore tanta vis perſecutionis efferbuit, vt intra triginta dies viginti duo millia promiſcui ſexus, per diuerſas prouincias martyrio coronarentur: ita vt & ipſe Marcellinus Papa, timore ductus, idolis immolaret.

Idem. De Hilario Pictauienſi ſolet dici, quòd Leo hæreticus Papa dixerit Hilario: Tu es Gallus, ſed non de Gallinâ. Et ipſe debuit reſpondiſſe: Tu es Leo, ſed non de tribu Iuda. Et quòd in concilio, nullo ſibi aſſurgente, dicendo, Domini eſt terra, volens in terra reſidere, terra ſe erexit. Quòd etiam Papa ſibi minanti, ſicut prædixerat Hilarius, ſubitò expirauit, in nullis Chronicis inuenitur, maximè cùm ſuo tempore nullus Papa Leo vocabatur: niſi fortè Liberius Papa, qui Conſtantino hæretico & ſuis fauebat, Leo alio nomine dictus ſit: vel fortè aliquis alius falſus Papa dictus fuerit tunc eo nomine.

Idem. Stephani tempore cùm Normanni, adiunctis ſibi Danis, penè totam Galliam deuaſtarent, propter ipſorum timorem corpus Sancti Martini Turonenſis Altiſiodorum eſt deportatum, & in Eccleſia ſancti Germani collocatum: ſed monachis propter oblationes litigantibus, & ſuo ſancto, quæ miracula fiebant adſcribentibus: pro determinatione Leproſus inter ſanctos, ſcilicet Martinum & Germanum, poſitus, ex parte Martini curatur tantùm: & alia nocte reuerſus ex altera parte ab eodem curatur: non propter impotentiam Germani, ſed quia hoſpitantem honorauit.

Idem. Aliam ſynodum ipſe Papa Adrianus præſente Carolo Rege, Romæ celebrauit, in qua fuerunt centum quinquaginta quatuor Epiſcopi religioſi, & alii Abbates, & Prælati, in qua Carolo dedit Adrianus Papa & ſynodus ius eligendi Pontificem, & ſedem Apoſtolicam ordinandi: & inter Archiepiſcopos per ſingulas prouincias, inueſtituras ab ipſo recipere. Anathematizauitque omnes huic decreto rebelles, & iuſsit bona eorum, niſi reſipiſcerent publicari.

Idem. Hoc tempore floret Albinus, qui & Alcuinus, Caroli eruditor. Hic genere Anglicus fuit, ingenio clarus, & philoſophia excellentiſsimus, non tantùm ſcientia, verùm etiam honeſtate præclarus. Ab eo Carolus didicit omnes artes liberales: qui etiam ſtudium de Vrbe Pariſiis tranſtulit, quod de Græcia illuc translatum fuerat à Romanis. Cui etiam Carolus commiſit monaſterium ſancti Martini Turonenſis regendum. Nam monachi, præteritæ religionis obliti adeò deflexerant, quòd ſericis induti veſtibus, & deauratis calceamentis incedebant, carnis oblectamentis vacando. Vnde, vno monacho vidente, duo Angeli dormitorium intrantes omnes monachos exſtinxerunt, excepto illo ſolo qui Angelos videbat: qui ne interimeretur, ſed ad pœnitentiam agendam reſeruaretur, vix ab Angelis obtinuit.

Idem. Huius tempore Adolphus Rex Anglorum, qui primus totius Angliæ obtinuit monarchiam, deuotionis cauſa venit Romam, & coram Leone Papa obtulit tributum beato Petro de vnaquaque domo argenteum vnum in anno. Et hoc tributum vſque hodie perſeuerat.

Idem. Adrianus tertius conſtituit, vt Imperator non intromitteret ſe de electione Papæ.



Monstrum.

1282. 

PVerulus villosus &, vrsorum more, vngulis armatus his temporibus ex ipsius Martini alii Nicolai tertii fuisse dicunt) consobrinâ nascitur. Quam ob causam Martinus rubore perfusus, omnes vrsorum imagines è domibus suis abradi fecit Vincent. lib. 13. Imp. Rud. 1. PP. Martino 4.

Aliud. Eodem tempore, exundante admodum Tyberi, captum est quoddam monstrum marinum: illud ad Papam delatum, cœpit miserandis modis (non sine mysterio) lachrymari adeò, vt omnes illud exhorruerint. Ioannes Nouiomagus, & Chron. Germanicum.

Mirandum.

ANno Domini 1282. Lituani Polonorum Regis Leskonis Nigri regionem Lublin impetierunt irruptione, & spatio dierum 14. miserè depopulati sunt, & splendidam prædam ceperunt, secumque in Lituaniam abduxerunt. Hoc vbi peruenit ad aures Regis Leskonis, protinus ex Cracouia se recepit, & Lublinum cum expeditione concessit, ac in itinere collegit 6. millium equitum copias: at offendit, excessisse hostes & euasisse: ignarus igitur quid agendum, visione quadam noctu monebatur ab Archangelo Michaële, vt statim insequeretur hostes, potiturum enim ipsum victoria. Certiorem igitur huius negotii faciens Rex suum exercitum, omnibus animum addidit. Cùm igitur hostem insectando 13. Octobris nacti essent, Lesko Rex suos magnanimis exhortatur dictis, velint pro Christiana religione & patria fortiter dimicare: deinde irruit in hostes, & multos canes in illos concitat, qui hostes in fugam egerunt, ita vt ab hominibus & canibus maximum & irreparabile vitæ acceperint damnum. Recensitis autem Lesko militibus suis, non vnicum ex omnibus desiderauit, quem amisisset: & sic in veritate deprehendit, fuisse Angelum sanctum, qui hoc negotii illi dederit. Chron. Polonorum.

Ostentum.

1282. ANno 1282. Pragæ sanguis effluxit ex signo Crucifixi ligneo in Templo Sancti Georgii, præsentibus & videntibus multis hominibus bonis & fide dignis, & hoc factum est aliquoties. Deinceps secuta est vehemens pestis & annonæ charitas, quâ compulsæ matres proprios liberos mactauerunt, & manducârunt. Hondorp. Imperatore vt suprà. Papa. 194. Martino 4.

Borcardus monachus in descriptione Terræ Sanctæ, de Armeniis.

1283. NOn permittitur sacerdotium assumere, qui vxorem non duxerit. Mortua sacerdotis vxore sacerdos continebit, nec aliam ducet. Si fornicatus fuerit vel adulteratus, officium & Ecclesiam indispensabiliter perdet, nec cum ipso dispensari poterit. Si vxor eius adulterata fuerit, fasiam indispensabiliter perdet, nec cum ipso dispensari poterit. Si vxor eius adulterata fuerit, sacerdos similiter continebit, aut officium & Ecclesiam perdet, vt suprà. Vxor verò adultera naso abscisso dehonestatur. Si quis cum eâ concubuerit etiam vxoratus, castrabitur. Idque peractum est me præsente. Imp. Rud. 1. PP. Martino 4. V. S.



Henri-

Henricus Girtelknopf Episcopus Basiliensis.

HIc nigromanticus insignis Archiepiscopus Moguntinus factus fuit, de quo Clerus:
Nudipes Antistes, non curat Clerus vbi stes:
Dum non in cœlis, stes vbicunque velis.
Imp. Rud. Habspurgico. PP. V. S.

Omen.

HIsce temporibus cùm Alexander 3. Scotorum Rex secundas celebraret nuptias, & cum Regina sponsa sua choreas duceret, sequentibus ipsum multis nobilibus viris & fœminis saltantibus, Mortis imago, qualiter pingitur exsanguis & sine carne (Scotis dicitur Scheleton) ponè illos, malo omine, insequi etiam saltans visa est. Hector Boëtius lib. 13.

Horrendum.

HOc anno in Prussiâ circa finem Iunii nociui vermes, caudas velut cancri habentes, multiplicati sunt, & quoscunque pupugerunt, ii altero aut tertio die extinguebantur. Miechouius.

Portentum.

ANno Christi 1285. in mense Februario cete quoddam captum est speciem habens Leonis, & ad Pontificem Martinum quartum Altam delatum. At cete nihil quàm vociferari, eiulare, & plorare instar hominis, vt omnibus audientibus magnum incusserit terrorem, metumque, ac in stuporem sui traxerit admirantes. Et hoc erat signum impendentis magni dissidii. Schedelius in Chron. ætat. 6. Imp. & PP. V. S.

Honorius IV. PP. 195.

ROdolphus Imperator comparandæ pecuniæ studiosus, cancellarium suum è gente Flisca in Etruriam misit, qui populos omnes liberos faceret, & eos potissimùm, qui se pecunia redimerent. Persoluêre ob eam rem Lucenses duodecim millia nummûm auri: Florentini verò sex millia, qui statim liberi omninò facti magistratum (quem Priores Artium vocant) addito Vexillifero Iustitiæ, creauêre. Non displicuit hæc venditio Honorio, licet indigna tanto principe videretur, quòd ea ratione Ecclesiastica ditio futura securior videbatur, cùm non ampliùs Imperatori liceret liberas ciuitates vexare. Plat. Imp. V. S.

Thomas Lermout Scotus.

HAbitus fuit hic pro vate insigni, scripsitque vaticinales rhythmos: & repentinam Alexandri tertii Scotorum Regis mortem atque alia prædixit. Imperatore Rudolpho Habspurgico. Papa Honorio 4. vt suprà.

Pugna auium & porcorum.

VNdecimo Kal. Febr. multæ aues prope montem Bilgardis conuenerunt, contra se pugnauerunt, vt plures quàm trecentæ (vt dicebatur à multis) perierint. Similiter & porci domestici circa eundem locum plurimi conuenerunt, & se mutuis morsibus occiderunt. Annal. Dominic. Colm. Imp. 105. Rud. PP. 196. Nicolao 4.

Iacobus Ianuensis, siue de Voragine, autor Legendæ & Speculi Sanctorum, atq; historiæ Lampardicæ.

AVtor iste ob multos libros lectos & scriptos de Voragine dictus fuit. Complectitur autem hic eius liber ficta & ineptissima multa, quorum etiam ipsos Papistas hodie pudet: de quibus etiam infrà anno 1314.

Ex

Ex historia Lampardica.

MAria Ægyptiaca meretrix per 17. annos nulli non corpus suũ publicauit, demum Hierosolymam profecta sanctam crucem adorare volebat, nec potuit: tunc peccata sua agnouit, & ante statuam Mariæ procidens largis fletibus orauit, vt S. Crucem adorare sibi quoque concederetur, statuæque, si hoc impetraret, castitatem vouit, tunc voti sui compos fiebat. Cum autem S. Crucem adoraret, tres nummos ei aliquis dedit, quibus tres emit panes, & cum iis in eremum abiit, & quadraginta septem annos ex iis se sustẽtauit, sed vestes eius in corpore computruerunt, vt nuda cogeretur incedere. Posthæc tempora ab abbate Lorima sacramentum sumebat, crucem fecit, & per Iordanem transiit, & postea animam exhalauit, & schedam capiti apposuit, vt se Abbas hic Lotimas terræ mandaret: cùm autem tumulum foderet, & viribus deficeret præ senio, Leo ex sylua prodiit, quem senex alloquitur, & ait: mi Leo, hæc fœmina sancta mihi suum corpus tumulandum mandauit, sed viribus destituor & instrumento, tu autem robustus es, quæso fode, & cadauer vt adiuua humetur. Leo paratus erat, & tumulum fodiebat satis aptum & habilem, in eumque corpus deponere iuuabat, his finitis placidè decessit: Abbas autem in monasterium rediit, benedixitque Dominum.

Ibidem. Pater quidam cum filio ex Germania ad D. Iacobum peregrinabatur, & Tholosæ diuertebatur, hospes cum hospitibus hilaris erat, donec appoti essent: postea in bulgam eorum argenteum scyphum clàm intrusit. Manè cùm viatores abirent, caupo eos insecutus est, & latrones ac fures, qui sibi scyphum argenteum surripuerint, increpabat: illi hoc diffitentes dixerunt, apud quemcunque scyphus reperitur, cum eo iure procedatur. Cùm autem eorum bulga perquireretur, scyphus repertus est, tunc statim in iudicio sistebantur & sententia dicta fuit, vt alteruter in patibulum suspenderetur: sed cùm vterque pro altero, pater pro filio, filius pro patre strangulari vellet, tandem filius in patibulum sublatus est, pater autem tristis Compostellam perrexit: post dies autem triginta sex pater Compostella Tholosam rediit, & filium suspensum cum cordoleo visitauit. Sed quid fit? suspensus in patibulo incipit loqui & patrem consolari, inquiens: Chare pater, noli adeò mea causa animo perturbari, nam nunquam meliùs mihi fuit, ac dum hic in patibulo pendeo: Diuus enim Iacobus me hactenus sustentauit, & cœlesti lætitia affecit. His auditis pater curriculò in ciuitatem cucurrit, tunc omnis populus effusus ad patibulum ruebat, & filiumque ab eo liberarunt, cauponemque in crucem egerunt.

Ibidem. Quidam vicino suo ouem furatus est, & deuorauit: S. Patricius sæpè furem incognitum de restitutione in templo admonuit, sed frustra. Aliquando autem coram toto cœtu in templo oui mandauit in virtute Iesu Christi, vt si à quoquam deuorata esset, in eius ventre balare inciperet, quæ confestim balatum edidit, vnde is qui eam vorauit, in pauorem versus, à rapinis in posterum abstinuit, & aliis non furandi exemplum præbuit. Non plura de hisce ineptiis.

Nicolaus de Biberach.

1290. HIc in libello suo, quem occultum vocat, narrat, se Romæ fuisse, & indicat simulatas blanditias erga exteros literatosque homines, & iuramenta per Iudæ oscula. Nec obscurè innuit, se à Papâ veluti Ganymedem (nam hac voce vtitur) ad turpiora quædam expetitum. Docet, Romæ fidem ac pietatem esse aromata, id est, rem admodum raram & caram: Papam eiusque Satellites omnium opes rapere, & nulli quicquam dare. Dicit, Martinum Papam exoptasse, vt tota Germania vnum stagnum esset: eiusque hoc Epitaphium (dignum sanè Papâ) recitat:

Hic iacet ante chorum submersor Teutonicorum,
Pastor Martinus, extrà qui totus ouinus,
At lupus introrsus, cui nulla redemtio prorsus
Sit, sed ad inferna detrusus ab arce supernâ.

Et alibi: *Sed quia Papa sacer est vir versutus & acer,*
Non leue flectetur, nec gratis fortè medetur:
Suadet portari sibi munera multa, iuuari
Si per eum vultis. &c.

Et iterum: *Papæ dicatis, precor intuitu pietatis,*
Quòd stat in Ecclesiâ iam multiplex simonia,
Et mala quàmplura: quæ sunt fidei nocitura:
Quæ si durabunt, Eclipsim fortè creabunt.

Impe. Rudolpho Habspurgio. PP. Nicolao 4. V. S.

Arnoldus de Villa noua.

1290 ARnoldus de Villa noua Hispanus, vir eximiæ eruditus, linguarũ Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ & Latinæ, Philosophiæ & Theologiæ peritissimus, recensetur à Papa, eiusque spiritualibus inter hæreticos, quòd eorum errores reprehendit. Multa admodum scripsit, quorum

quædam

quædam adhuc inueniuntur. Balæus habet ipsius scriptum de Spurcitijs pseudoreligiosorum. Docuit autem, quòd diabolus totum populum Christianum fecerit aberrare a Veritate Iesu Christi. Hanc sententiam non opinamur esse falsam. Respexit enim ad tam varios errores, quos Satan miris præstigijs in religionem Christianam inuexit, vt iam patet, postquàm detecti sunt. Item, quòd fides, quam habent iam Christiani, sit talis, qualis dæmonum. Hoc quoque verè dictum est. Nam Papistæ docuerunt, & adhuc docent tantùm de historica fide, quam certum est & diabolos habere, fidem autem fiduciæ non admittunt, nec vnquam hanc doctrinam vel intellexerunt, vel docuerunt. Quòd totus populus Christianus ducatur ad infernum: id est, plerique per falsam doctrinam à Papa ad infernum ducantur. Quòd omnes claustrales sunt extra charitatem, & damnantur. Rectè & hic sensit, omnem monasticen esse damnatæ vitæ genus. Quòd omnes falsificent doctrinam Christi. Quòd malè fecerint Theologi, quòd miscuerunt Philosophiam Theologiæ. Quòd Missæ non sint celebrandæ. Quòd pro mortuis non sit sacrificandum. Ex quo apparet, eum non tantùm Missam, sed & Purgatorium rehrehendisse. Quòd in iure Papæ tantùm de hominum mandatis & operibus agatur. In quibus articulis plerosque Papæ errores taxauit. Tribuuntur ei & alij quidam varij errores: sed per inuidiam, vt opinor, more monachorum Papistarumque vsitato. Nam illud est manifestum mendacium, quòd Philosophiam in vniuersum damnauerit, cùm tantoperè medicinam, & ipsam Philosophiæ partem, medicus existens prædicauerit, omnibusq; scientijs tam ardenter & tam feliciter incubuerit. Sed haud dubiè collatione Theologiæ, Theologicique finis, Philosophiam reprehendit, negans scilicet, eam posse veram æternæ salutis viam commonstrare, vt sophistæ alioqui voluerunt, cùm id proprium verbi diuini esset: aut certè contendens, eam Theologiæ miscendam non esse, sicut alioqui fiebat & adhuc fit à Papistis. Ideò sycophantæ alioqui (vt fit) clamitârunt, eum vniuersam Philosophiam prorsus damnare. Habuit hic doctor non paucos auditores & sectatores, etiam post mortem, præsertim in Hispania, quos Papistæ Arnoldistas vocauerunt, & tanquam hæreticos sunt persecuti atrocissimè. Illyr. Imper. Adolpho. Papa Nicolao 4. vt suprà.

Idem conabatur ex prophetijs Danielis, & Sibyllarum vaticinijs demonstrare, ac euincere Antichristi aduentum, & Ecclesiæ turbationem ac persecutionem futuram esse intra spacium annorum 1300 & 1400, quasi in anno 1376. Super quo edidit librum de speculatione Antichristi. Igitur si quis velit animaduertere, quando Ecclesia persecutiones passa aliquando, ipsa facta sit (vice versà) persecutrix: eò facilior erit computandi ratio. Qui habet aures audiendi, audiat. Casparus Hedio.

Fridericus & Iacobus, Reges Hispaniæ & Siciliæ.

REgnârunt hi duo Reges ac fratres circa annum Domini 1300. Eos non leuem aliquam purioris religionis curam cognitionemque habuisse, abundè ex sequenti scripto Arnoldi de villa noua apparet: quod ideo integrum apponere volui, quòd & epistolæ pientissimæ prædictorum duorum Regum ei insertæ sunt, & alia multa historica, ac alioqui vtilia continet. Vtinam verò & alij libri atque acta pientissimorum illorum Regum haberi possent: nimirùm videremus, diuinam bonitatem subinde luminis sui radios in Orbem terrarum sparsisse: & semper fuisse septem piorum millia, quæ non prorsum genua sua Baali, eiusque omnibus impietatibus curuârunt. Verùm omissis alijs, legatur ipsum scriptum.

Incipit collocutio Friderici Regis Siciliæ & Arnoldi de Villa noua, lecta & communicata sedi Apostolicæ.

EXORDIVM SCRIPTI.

QVia tota series meæ narrationis essentialiter pertinet ad Euangelicam veritatem: idcircò ad perpetuam rei memoriã, & vt in posterum obtundi possint aculei quorumcunque præuaricantium, & dissipantium ea quæ audiuntur: volo, prout decet & expedit in tali nostro scripto, de omnibus clarificare sedis Apostolicæ maiestatem. Et dico, quòd, cùm peruenissem Cathaniam, Rex prædictus exorsus est mihi pandere causam, propter quam me vocauerat, sub talibus verbis.

Fridericus Rex.

AB adolescentiã quidã cogitatus frequenter pulsauit cor nostrum, sed ab annis circiter quinq; assiduè feruebat in nobis, in quibus annis frequenter apparuit nobis in somnijs Regina, quon-

dam Domina Mater nostra, facie velatâ, ita quòd vultum eius non videbamus, sed in voce cognoscebamus eam dicentem: Fili mi, do tibi benedictionem meam, vt veritati omninò studeas deseruire. Post quæ verba disparebat visio. Ego verò sicut laicus & ignarus, non intelligebam, quid significaret, & reputabam esse illusionem. Cogitatus autem erat iste: scilicet, quòd faceremus aliquid, per quod nobiliter in conspicuum hominum omnium promoueretur honor Saluatoris. Et hinc cogitanti prædictis annis annexa fuerunt tria: scilicet vnum desiderium, vnus timor, & vnum dubium. Desiderium erat & adhuc est, quòd frater noster Arragonum Rex eodem esset præsenti in proposito cogitatu præditus, & sicut est maior in carne, sic desideramus, quòd maior esset in gratijs cœlestibus, & quòd assumeret feruenter illud propositum, & quòd simul prosequeremur ipsum. Timor autem & dubium reprimebant, & quodammodo retrahebât nos à diuulgatione & persecutione propositi. Timebamus enim, quòd tam frater noster quàm alij, tam clerici quàm laici reputarent nos fantasticos: quia cogitatus noster dictabat nobis, quia in statu nostro, scilicet Regis & coniugati, deberemus præcisè viuere secundum regulam Euangelij, scilicet despiciendo & contemnendo, quicquid ordinatur ad terrenam felicitatem: & quærendo & amplectendo, quicquid pertinet ad cœlestem. Et quia videbamus, quòd Christiani faciebant communiter oppositum, quia feruenter studebant & solicitabantur obtinere & possidere, quæ pertinent ad terrenam felicitatem, & ea quæ pertinent ad cœlestem negligere, quantum ad mores & opera virtutum Euangelicarum, repressi fuimus à diuulgatione & executione prædicti propositi, ne propter deformitatem nostram ab vniuersali multitudine sperneremur.

Ad hanc autem repressionem maximè impellebat nos dubium, quod occurrebat nobis de doctrinâ Euangelicâ: Vtrùm esset humana inuentio, vel diuina traditio? ad quam dubitationem tria nos inducebant. Primum est, qualitas clericorum secularium, qui circa nos sunt, & maximè Episcoporum, abbatum, & aliorum prælatorum, & personarum. Quia & visu & auditu, ac diuersis effectibus experimur, quòd quantum ad vitam spiritualem, quam docet Euangelium facere, sunt omninò steriles. Quantum ad simulationes verò ceremoniarum, quas ceu officia Ecclesiæ vel aliter seruant, sunt illusores: & apertè insinuant, quòd illa prosequantur ex solo visu, & non ex deuotione: cùm videamus, quòd omne id, quod ad vanam gloriam & cupiditatem spectat, celeriter promouent: quantum verò ad regimen animarum in salutem æternam, sunt pestiferi per multa opera impietatis & multorum vitiorum, quæ palàm exercent in conspicuo populi.

Secundum, quod ad hanc dubitationem nos inducebat, est qualitas regularium, & maximè eorum, qui præ cæteris constituti fuerunt ad promotionem Euangelicæ veritatis verbo & exemplo: & quos credebamus tenere apicem Apostolicæ simplicitatis & paupertatis. Isti enim faciunt nos stupere de moribus & vita ipsorum, quia videbamus, quòd in tantum alienati sunt à viâ Dei, quòd in comparatione ipsorum iustificantur non solùm clerici seculares, sed etiam laici. Tanta enim est eorum malitia, tamque notoria, quòd iam nullus status hominum potest eos tolerare: imò nos timemus, quòd vna die populus insurget contra eos. Quia cùm per habitum asperitatis & abiectionis prætendant exteriùs humiliter mansuetudinem pœnitentium, temporalium contemtum, & plenitudinem earum virtutum, quæ perfectis viris conueniunt: tamen experimur, quòd in eis vt plurimùm non est species, neque decor alicuius virtutis Euangelicæ. Quia pro humilitate vbique ascendit eorum superbia, vt sint præsumtuosi, irreuerentes, & importunè sese ingerentes etiam ad secreta nostra. Et non possumus aliquod consilium facere, vel aliquam legationem ordinare, quin ipsi se immisceant, & ingeniosè procurent, & sine fronte alicuius erubescentis commissiones legationum & negotiorum secularium. Pro mansuetudine furor est illis, secundum similitudinem serpentis: & viperinis motibus insaniunt, si reprehendantur, vel denegetur eis petitum: pro actibus pœnitentiæ vacant splendidissimis epulis: pro contemtu temporalium ambiunt, & ardentissime quærunt laudes populi, honores seculi, Prælationes Ecclesiarum, tam in alienis collegijs, quàm in proprijs, occupationes negociorum secularium, pecuniarum extorsiones absque vllo spiritu pietatis. Nam experti sumus, quòd aliquando, prætextu eleemosynæ, expetebant condemnationes delinquentium factas in nostrâ curiâ: quas, & legata, vel quæcunque assignata eis titulo pietatis, obstinatiùs per authoritatem curiæ secularis obtinere satagunt, quàm clerici seculares, aut laici. In depositis sunt infideles: in accommodatis ingrati: in promissis fallaces: in persuasionibus dolosi & fraudulenti: in narrationibus studiosè mendaces. Et quantò præsidentium sunt maiores inter eos, tantò subtiliores sunt fabricatores mendacij, tam in mutuam detractionem ipsorum ad inuicem, quàm aliorum. Et experimur, quòd odium conceptum aduersus aliquē immobiliter fixum tenent, & vt dæmones acuunt, & interdum vt scorpiones. In sermonibus Ecclesiasticis experimur quotidie, quòd sunt pestilentes: quia in toto sermone ipsorum vt plurimùm nil faciunt nisi adulari, aut detrahere, aut diffamare, aut philosophari: ita quòd turbati & infecti recedimus à sermone. Recolimus etiam, quòd aliquando audiuimus eos dicere in sermone: quòd excommunicatus esset, & mortaliter peccaret, quicunque ad curam sui corporis requirebat Iudæum: modò verò videmus, quòd eorum monasteria non ingreditur medicus ordinariè, nisi Iudæus: ita quòd tam in monasterio fœminarum, quàm virorum, Iudæus medicus ordinariè procurat infirmos: & cùm quotidie celebrent missas, non cessamus admirari atque stupere. Videmus etiam, quòd prælatis ordinarijs Ecclesiæ, vt sunt Episcopi & archiepiscopi, nec sunt reuerentes, nec obedientes, pro vt conuenit viris perfectæ

sanctita-

sanctitatis, & Euangelicis: imò quod deterius est, videtur nobis, quòd pro nihilo habeant Ecclesiam Romanam, quia nulli [a] applicationi factæ ad eam (obseruantiam) deferunt, imò etiam proprios collegas appellantes ad eam in fauore Euangelii, extinguunt, & occidunt crudeliùs omni ferâ. Vnde cùm nullo timore Dei compescantur, vel refrenentur: apertè nobis insinuant, quòd id, quod de Deo docet Euangelium, habeant pro nihilo. Immundicia verò carnis adeò manifesta est, quòd publicè dicitur, quæ sit concubina singulorum præsidum: & quantam infectionem seminent & relinquant vbique in domibus quas frequentant, manifestum est.

Tertium, quod facit nos dubitare super doctrinâ hac Euangelicâ, est negligentia sedis Apostolicæ. Audiuimus enim aliquando, quòd consueuit mittere legatos per diuersa regna & prouincias, ad inquirendum de profectu & defectu Euangelii in omni statu. Et tamen tempore nostro non vidimus, nec audiuimus, quòd hoc alicubi fecerit, sed solùm, quòd aliquando miserit eos pro negotiis secularibus & mundanis: sed pro cultu Euangelii promovendo, vel conseruando, nondum audiuimus: cùm tamen ipsa sciat, quòd illi qui vocati sunt in partem solicitudinis, homines sunt vt plurimùm non perfecti, & proni ad malum, & multipliciter possunt exorbitare ab Euangelii veritate. Item videmus, quòd schismatis Occidentis non cessat præstare fauorem: nec pro eis reducendis videmus eam solicitari, & pro Sarracenis conuincendis minimè curat. Ex quorum consideratione frequenter dubitauimus de doctrinâ Euangelicâ, quòd potiùs esset ab humanâ inuentione, quàm à diuinâ traditione. Cùm hæc omnia versarentur in corde nostro, sæpè considerauimus, cui possemus communicare, qui posset nos & illuminare, & dirigere, & solidare tam consilio, quàm doctrina. Et aliquando tentauimus, audire & à quibusdam doctoribus statum Regularem, quos communis opinio iudicat vel æstimat, esse profundos in sapientiâ & intellectu occultorum, quid videretur eis de illâ visione matris? Et finaliter cognouimus, quòd ipsi haberent pro illusione: licet aliquis eorum dixisset nobis, quòd poterat esse indicium cœleste, significans nobis, quòd Domina mater nostra erat in purgatorio, & petebat suffragium. Et nos fecimus in suffragium eius tam missas celebrari, quàm eleemosynas fieri. Contigit autem, cùm nos istâ ætate cogitaremus circa illam visionem, quòd apparuit nobis more solito, Domina mater nostra in somnio, velatâ facie, & vidimus splendorem vultus eius mirabilem: & tenebat diadema gemmatum ineffabilis pulchritudinis & splendoris in manu dextrâ, & dicebat mihi: Hoc diadema portabis in capite.

Arnoldus.

SVprà dictis per ordinem auditis, respondi: Cogitatus quem habueratis & habebatis, erat semen diuinæ inspirationis. Et quòd Deus per inspirationem tangeret mentem vestram, certificat in me desiderium annexum cogitatui: quia nulla vis naturæ inclinat creaturam rationalem, etiam angelum, ad hæc etiam absolutè desiderandum: sed quòd alius eo sit potior in gratijs, vel gloriâ seu honore. Quapropter certum est, quòd à virtute spirituali mouente cor vestrum, imprimebatur cogitatus, & desiderium illi annexum. Confirmat etiam hoc significatum iudicij cœlestis, per quod exhortabamini ad seruiendum solicitè veritati. Quod enim videbatis in somnijs tam frequenter, non erat illusio, sed cœlestis visio. De hoc autem potestis certificari per regulam, quam Saluator & Lux æterna dedit Ecclesiasticis suis in transfiguratione, in quâ certificauit eos de veritate suæ excellentiæ, per visum maiestatis, & per auditum vocis dicentis: Hic est filius meus dilectus, &c. præsentibus ibi Moyse & Heliâ. Ex quibus datur regula cunctis fidelibus, quòd vbi aliquid videtur præter communem cursum humanæ conditionis, duo sunt attendenda: scilicet res expressa, & modus expressionis. Nam si res expressa contineat purè Euangelicam veritatem, & in minimo non discordet à testimonijs veræ scripturæ diuinæ, sicut Lege & Prophetis, quæ significantur per Mosen & Heliam: certum est, quòd est visio, vel iudicium cœlestis impressionis.

Si verò quod exprimit, non continet purè Euangelicam veritatem: vel si modus tamen discordat testimonijs sacris, tunc de illusione debet cuique esse suspecta. Hic autem res expressa, scilicet, quòd studiosè seruiretis pietati & veritati, purè est Euangelica. Nam sicut Deus veritas est: sic & Christus, qui Deus & homo est, veritas est, cui solicitè seruire prædicat, & hortatur Euangelium vndique. Quòd autem in somnio istud vobis fuit ostensum, non discordat, imò concordat eloquijs sacris, expressione & exemplo. Expressione, in lege & prophetis. In lege, quando dixit Dominus, Aaron, Mariæ & Mosi loquar facie ad faciem, &c. cæteris autem in somnijs. In propheticis verò, quando dicit per Iob: Per somnium in visione nocturnâ, quando irruit, &c. Exempla verò de hoc in sacrâ scripturâ multa sunt, sed duo specialiter sufficiunt nunc: scilicet de Ioseph Patriarchâ, & de Ioseph sponso virginis Mariæ matris Dei: cui etiam illa, quæ pertinebant ad regimen extrinsecum Domini, sicut de concomitatione matris in fuga in Ægyptum, & reditu in Israël, tantùm per somnium indicabantur. Significatum autem visionis non poterat vobis enucleare quis, quantumcunque literatus, nisi datum esset ei desuper.

uia Deus qui claudit sua mysteria, nec alius potest, cùm clauserit, aperire, nisi tempore, sicut testatur Apocalypsis. Et si fuerit animalis, hoc est affixus sensui carnali, & affectui terreno, non solùm non intelligit, sed etiam spernit & reprobat. Qui enim est ex Deo, lætatur, atque devotè audit quæcunque sunt Dei, & sapienter intelligit. Animalis autem homo (dicit Apostolus Paulus) non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, sed stulta sunt illi, & non potest intelligere: quod ipse fuit expertus in semetipso, ad exemplum & informationem cunctorum verè fidelium. Nam quotiescunque narrabat visionem cœlestem sibi factam in itinere Damasci, vel ibi, Iudæi irruebant in eum clamore, & puluere, & lapidibus, dicentes: Tolle tolle maleficum, non est fas eum audire. Gentiles verò dicebant, vt Festus: Insanis Paule, multæ literæ te faciunt insanire. Vnde non debetis mirari, si visio non fuit accepta, vel intellecta per alios, quibus communicastis. Mihi verò, non meritis meis, sed solo beneficio pietatis æternæ, suffragantibus, vt puto, meritis fratris vestri & vestris, datus est intellectus visionis. Et ideo facio mentionem de fratre vestro, quia propter eum in simili casu fui ad hoc illuminatus: & quia directè consonat impressionibus factis vobis, narrabo vobis historiam.

Vacante sede post Benedictum, vocatus per ipsum audiui præsentiam eius: & narrauit mihi cogitatum, & dubitationes rectè per omnia similes vestris: & insuper addidit, quòd sæpe viderit in somnio patrem suum & vestrum, in habitu mirabili, tradentem ei quatuor auri petias immensi, & eiusdem ponderis. Et dum consideraret in visione, quid inde faceret, dicebatur ei: Trade monetario, & ille faciet inde monetam, vtilem & necessariam tibi. Et fuit ei dictum, quòd ego essem monetarius. Ego autem respondi, quòd in eius præsentiâ, & in narratione prædictorum datus fuerat intellectus mihi, sic: scilicet: quòd Deus, quando vult beneficia suæ pietatis aliquibus indicare, seipsum ostendit eis sub figurâ illius rei, quæ notior est eis, & magis conuenit ordini, vel circumstantijs naturalibus rerum. Vnde quia Deus est Pater omnium electorum, & Gratia ipsius est Mater: propterea vobis, qui estis de filijs Petri, maior non solùm dignitate, sed etiam ætate, ostendit se sub formâ Patris, quia naturaliter cura maiorum fratrum conuenit patri. Quia verò cura minorum filiorum conuenit matri, propterea si fratri vestro, qui minor est, deberet se ostendere Deus, faceret hoc sub formâ matris. Quatuor autem petiæ auri immensi & eiusdem ponderis, significant diuinam sapientiam, quæ in quatuor Euangelistis continetur. Ad cuius sapientiæ vsum hortatur vos Deus, secundum illas explicationes & expositiones, quas per me fecit scribi in diuersis tractatibus vel opusculis, secundum stylum clarum, & omnibus laicis intelligibilem: de quibus opusculis tunc frater vester fecit scribi quinque volumina, vt ipse etiam & Regina & liberi se exercitarent in illis legendis, & intelligendis. Iam igitur elucescit vobis, quare sub formâ matris ostendebat se vobis, sed velatâ facie: ad significandum, quòd de gratiâ Dei, quam faciebat vobis in illâ occultâ inspiratione, non habebatis claram noticiam, nec etiam beneficium gratiæ Dei cognoscebatis, nisi per vocem, id est, per sensibilem & extrinsecum effectum, scilicet in eo, quòd prouiderat vobis de regno & cæteris blandimentis temporalibus. Postquàm verò perueni ego ad insulam, apparuit vobis reuelatâ & splendidâ facie: ad innuendum, quòd per aduentum meum haberetis claram noticiam de gratiâ Dei: quantum ad impressiones, quas faciebat, antequàm venissem, occultè in spiritu vestro: Diadema verò gemmatum, est ornamentum virtutum Euangelicarum, quod amodò palàm geritis in capite vestro, scilicet tam in regiâ voluntate, quàm in mente. Hæc autem omnia excellenter vobis dabuntur, solùm propter effectum exhortationis, scilicet, quòd studiosè colatis veritatem: hoc est, vt in statu vestro & gradu ministerij vestri ambuletis secundum regulas Euangelii, quod est de veritate æternâ, & producente ad salutem æternam. Regula verò Christi Euangelii, sicut legitur in Matthæo, est: Quòd vnusquisque in suo ministerio vel statu colat Deum, aut seruiat ei, non secundum doctrinas & mandata vel constitutiones hominum, sed secundum præcepta vel doctrinam Dei: circa quod iam informaui fratrem vestrum sub talibus verbis.

Proprium ministerium à Deo commissum vobis & omnibus præsidibus, scilicet tam Prælatis quàm Principibus & iudicibus, est, colere & dispensare iusticiam publicam: quam Euangelicè colere nihil aliud est, nisi intendere ad complementum ipsius secundum doctrinam Dei. Quod autem ad perfectum cultum iusticiæ publicæ, cunctis iniungitur præsidibus, vnum est, quòd habitum sanctum in mente gerant. Aliud est, quòd omnem ordinem in opere seruent. Quantum ad habitum, dicit sic: Diligite Iusticiam, qui iudicatis terram. Dicit glossa: Non dicit facite, sed diligite: vt innueret, quòd non solùm debet operari, sed zelare pro eâ, quoniam sine zelo perfectè coli non potest. Ad zelum autem pertinent duo: Primum est feruor in executione reddendi cuilibet, quod fuerit iustum. Secundum est, vigilantia, siue solicitudo inquisitionis, ne lædatur alicubi sub iurisdictione cuiuslibet. Ad primum non tenetur præses, priusquàm fiat ei insinuatio per eos, qui beneficio iusticiæ indigent: sed ad secundum, ante insinuationem Euangelicè tenetur, nec postponere potest sine damno salutis æternæ. Quia Euangelium dicit, quòd Saluator non se manifestat nisi pastoribus, custodientibus vigilias noctis super gregem. Quia, vt ait, dormientibus hominibus ini-

micus superseminat zizaniam tritico, & lupus rapit oues. Vigilias noctis ille tantùm custodit, qui solicitus est omnes tenebras ignorantiæ circa statum iustitiæ præuenire. De vicissitudine vero ordinis in opere, dicit Dominus in psalmo, in quo reges & filios regni informat de agendis in persona Christi: Deus iudicium tuum Regi da, &c. Quid faciet rex aut filius regis primò & principaliter? exponit immediatè, cùm dicit: Iudicabit pauperes populi &c. Vnde si præses quicunque voluerit secundum Deum, aut Euangelicè colere iustitiam publicam, quam diu potest, debet principaliter & primò intendere negotijs pauperum, & querelis: & secundariò diuitum. Si autem fecerit contrà, non colit Euangelium: quia peruertit ordinem diuini præcepti: nec operatur vt Rex, pro Christo, sed pro mundo. Et tunc interrogaui regem fratrem vestrum de audientiâ, quam pauperibus exhibebat, qui respondit: Quòd semel in hebdomadâ dabat eis audientiam ordinariam, & extraordinariè, quando equitabat exteriùs ad spaciandum. Cui respondi, quòd ad interitum æternæ damnationis seruaret illum morem, & incideret in damnationem Saulis, qui non seruiebat Deo, sicut DEVS ordinauerat, sed sicvt ipse Saul eligebat. Vos enim facitis de extraordinario ordinarium, & contrà. Diuites vesperi, & manè, & meridie ingrediuntur ad vos quotidie: pauperes autem rarissimè. Vos facitis de Deo porcum S. Antonij, cui datur tantùm illud quod superest, & quo nec famuli, nec iumenta vterentur. Et ideò cunctos huiusmodi præsides vocat Deus illusores, cùm dicit per Esaiam: Audite viri illusores, qui super p. m. &c. Ergò si vultis grati esse Deo, & non operari ad interitum salutis æternæ, primò & principaliter intendatis vbique ad negocia pauperum, & in consilio vestro vos sitis aduocati ipsorum. Et ne defraudari saltem possint, instituite vnum timentem Deum, qui quotidie promtus querelas pauperum ad vos & consilium vestrum introducere teneatur, & illos priùs, & celeriùs expedire. Ad quem ordinem conseruandum insequêris sanctos patres, qui propter hoc in Apostolicâ sede Referendarios constituerunt, debent vos vrgere tria: Primum est efficacia testimoniorum, quibus in die iudicij quisque iudicabitur. Primum testimonium est eloquij Domini, dicentis per Iacobum: Fratres nolite in personarum acceptatione, &c.

Secundum est propriæ conscientiæ. Nam conscientia cuique dictat, quòd magis gratum esset Deo, intendere negotijs pauperum, quàm diuitum: & sic qui facit, è conuerso cadit à charitate, sine quâ nullus quantumcunque bonus potest saluari, dicente Apostolo: Si linguis hominum loquar, &c. Secundum, quod debet vos ad hoc vrgere, est timor diuini iudicij. Quale verò contra tales datum est à Deo, potestis ex verbis eius percipere, cùm dicit: Deus stetit in Synagogâ Deorum, &c. Cùm enim dixerit, quòd fundamenta terræ, scilicet præsides Ecclesiæ, mouebuntur, quia nesciuerunt neque intellexerunt voluntatem Dei: dicit per Esaiam: propterea captiuus datus est populus meus, quia non habuit scientiam. Sed quali captiuitate captiuaretur, subiungit: Dilatauit infernus seipsum, &c. Tertium quod debet vos vrgere ad prædicta, est exemplum parentum & sanctorum. Nam Beatus Ludouicus, Rex Francorum clarissimus, quàm diu vixit, seruauit istud: & auus vester, & pater hoc vbique seruauerunt: & ideò felicitauit eos Deus & temporaliter & spiritualiter.

Ad Timorem quem habebatis, respondeo: Quòd est de semine diaboli, qui odit gloriam Dei, siue laudem, & salutem animarum: & ideò quantum potest, satagit impedire prædicta: sed vos debetis eum fugare duabus virgis. Vna est Consideratio veri amoris ad Deum, de quo Dominus noster Iesus Christus nobis dedit exemplum. Nam aduersitates humanitatis suæ spreuit, vt adimpleretur id, quod pertinebat ad purum & verum amatorem Dei & hominum. Nam cùm aliqui dicerent, dæmonium habet: alij verò, seductor est, &c. nunquam tamen propter hoc deseruit colere veritatem tam opere, quàm doctrinâ. Vnde debetis animaduertere, quòd ille, qui propter iudicium perversum filiorum huius seculi, desistit prosequi documenta Euangelica, certum est, quòd non diligit Deum plùs quàm se ipsum, & quòd aliquid de amore seculi huius siue gloriæ mundanæ retinet in angulo cordis sui. Qui autem plùs diligit CHRISTVM, quàm seipsum, nec erubescit nec timet iudicium seculi, imò lætatur cùm percipit aduersa iudicia de seipso: ideò, quia per hoc conformatur capiti suo Christo: & dicit cum Apostolo: Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer. Alia consideratio, quâ debetis effugere dictum timorem, est ingens memoria diuinæ exhortationis, cùm dicit per se: Beati eritis, cùm malè dixerint vobis homines, &c. & iterum per Apostolum: Fratres, si quis inter vos videtur sapiens in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Per quæ verba innuitur, quòd ille verè sapiens est, quem Deus talem esse iudicat, quamuis mundus reputat eum stultum: & è conuerso. Quapropter concluditur, quòd vera sapientia est, taliter agere, quòd quantò quis plùs in mundo spernatur, tantò plùs extollatur à Deo.

Ad Dubitationem autem vestram respondeo, quòd indubitanter credere debetis, & immobiliter affirmare, quòd tota scriptura Euangelica sit traditio vel doctrina Dei: & quòd

IESVS Nazarenus est ille Messias vel Christus, qui fuit promissus presbyteris in Saluatorem: & quòd ipse est ille Deus, qui condidit vniuersa. Et de hoc statim potestis certificari non solùm persuasione articulorum fidei, sed etiam demonstratione irrefragabili, cui nullus hominum resistere potest: sicut in quadam Scripturâ quam de præsenti offero vobis, poteritis clarissimè intueri.

Ad motum iam verò vestræ dubitationis redeo: quòd magis debet esse vobis ad robur fidei, quàm ad eius debilitatem. Et de duobus primis motiuis, scilicet auersione, & deflexione tam regularium, quàm secularium, declaro per hoc: quoniam Saluator ipse, qui est fundamentum Ecclesiæ, prædixit, eam esse futuram his temporibus, tam per se, quàm per suos præcones, rectè ad literam, sicut quotidiana experientia vobis notificat: de quo promtus sum vos statim certificare tam per canonem sacrum, quàm per reuelationes particulares factas ab ipso Ecclesiæ per sanctas personas vtriusque sexus: & quas sacri Pontifices cum multâ diligentiâ, & magnâ deuotione reposuerunt in thesauris Apostolicæ sedis: sicut ego vidi & contrectaui manibus in almâ vrbe.

Vnde cùm nullus possit futura, quæ solùm pendent ab intellectu & voluntate Dei, præscire, nisi solus Deus: hoc ipsum ostendit indubitanter, quòd IESVS Nazarenus est æterna veritas.

Ad tertium motiuum spernendum, sufficere vobis debet, quod iam fecit Dominus noster Iesus Christus tempore vestro, & quod in proximo est facturus. Quod autem fecit, est hoc: scilicet, quia sedi Apostolicæ bis fecit denunciari diabolicam apostasiam à regulâ omnium prædictorum, semel sub Bonifacio, & iterum semel sub Bonifacio. Et quadam vice faciebat fieri denunciationem cum plenitudine luminis directiui. Nam nuncius profitebatur primò, quòd ea quæ nunciabat, non habebat à se, nec à motu proprio ferebatur ad nunciandum, sed à lumine & præcepto Domini dominorum: & locum, & tempus, & modum, quibus illa nuncianda susceperat, exprimebat eis. Item pronunciabat eis laqueum insidiarum Satanæ, ad eorum seductionem, ita quòd apertè dicebantur eis duo. Primum, quòd iuxta se habebant consiliarios, qui erant angeli Satanæ, qui sub specie religionis, & pallio recti zeli, satagerent eos abducere à cribratione & purificatione statuum prædictorum. Secundum, quod denunciabatur, quòd nihil facerent contra hoc ad secretum eorum susurrum, qui studiosissimi fabricatores erant mendacij, & principales in odio & contemtu Euangelicæ veritatis. Et ideò promouebatur, quòd quicquid consulerent illi, facerent discuti in Consistorio circumspectè personatum totum.

Item denunciabatur eis, quòd si negligerent exequi denunciationem: Deus faceret eos hic degustare præsagium æterni iudicij: sic scilicet, quòd Domino Bonifacio dicebatur in scriptis, quòd in discrimine tali & talis confusionis deducerentur, nec indidit quousque gustauit.

Domino verò Bonifacio dicebatur in scriptis, quòd si negligeret, velocissimè raperetur à sede. Et die, quâ legit, non sedit nisi triginta quinque diebus: ita quòd neque ea, quæ scribebantur ei, nec euentus antecessoris moueret eum ad credendum, sed omnia spreuit. Item ad illuminationem ipsorum, & motum, denunciabantur eis particulariter abominabiles, & diabolicæ peruersitates multorum illius status, quem superiùs memoraui, sit licet, quòd ea quæ superiùs expressi stis, minutim explicabantur, & insuper alia sub tali forma. Homines pestilentes dissipant ciuitatem Agni cœlestis, & maximè in statu, qui de altitudine perfectionis Euangelicæ gloriatur, & subuertunt Euangelicam veritatem, ac dirimunt ædificium eius in populo non solùm peruersis operibus & exemplis, sed corruptione doctrinæ in suis prædicationibus & præconijs. Nam cùm sint amatores vitæ carnalis, ac terrenæ felicitatis, & oderint vitam spiritualem: necessariò sequitur, quòd tribus modis corrumpant Euangelicam doctrinam, in suis sermonibus: scilicet detrahendo illis quibus inuident: & diffamando blaspemijs & calumnijs: & adulando eis, à quibus extorquere cupiunt. Ad quæ duo sequitur tertium, scilicet præuaricatio sacrorum eloquiorum. Nam cùm in dolo & astutiâ malignitatis prædicent, quandoque indirectè allegant, quandoque impertinenter applicant, & peruersè: & quandoque sophisticè distinguunt, & inconuenienter exponunt. Et sic veritas scripturæ obtenebratur per eos, nec exponitur auditoribus clarè, sed adulterantur per eos eloquia Dei.

Idcircò quia tales pseudopræcones per suos sermones non intendunt placere Deo, vel proficere Christo & populo, sed ad nequitiam suæ affectionis populū instigare: propterea seducunt ipsum dupliciter, scilicet omittendo necessaria & vtilia, & tradendo nociua: & in spiritu Antichristi satagunt populum auertere à præclaris ordinarijs, & oues subtrahere proprijs pastoribus, tot modis & taliter, sicut in scriptis, quæ sunt adhuc in thesauro sedis Apostolicæ, particulariter exprimebatur.

Ampliùs in eisdem scriptis deijciebatur dæmoniaca pestis inquisitorum de statu illo & cæteris: scilicet, quòd secundum diuersas prouincias officium inquisitionis mercantes, obtinere pretio satagebant, & furentes vt dæmones, nusquam ferè iam Euangelicè inquirebant, scil. cum charitate & iusticiâ, curantes vt populus ædificaretur in Christo: sed cum furore & versutiâ, propter odium, vel cupiditatem, aut voluptatem: ita quòd sicut deberent studere, vt errantes reducerent, ipsi conantur rectè ambulantes in dæmonium pellere calumnijs, violentijs furiosis oppressionibus: & finaliter profanis operibus, ac mendosis clamoribus, vel sententijs iniquis, de fidelibus faciunt

infideles, & non est, qui eorum furorem arguat, vel reprimat. Continebatur enim in denunciatione: quòd spurcitias regnantes in eis, quas nitebantur exterioribus occultare, Deus reuelauerat tunc quibusdam, vt vniuersæ Ecclesiæ panderentur: inter quas vna dicebatur esse, quâ adeò turmam pseudopræconum diabolus suo dominio subiugauerat, quòd in odium & occultationẽ diuinæ veritatis alicubi statuerant inter seipsos de communi concordiâ, quòd in publicis sermonibus nullus exprimat illas expositiones sacrorum eloquiorum, quas sacri doctores aduersus pseudoreligiosos & pseudopræcones tradunt in glossis ordinarijs & postillis: sed in tali causâ exponant eas potiùs Prophetæ, quàm Euangelistæ. Rursum dicebatur, quòd eorum apostasia perrumpat in tam libidinosam vesaniam, quòd in aliquibus prouincijs multi ex eis dogmatizabant spiritu libertatis vtriusq; sexus: & eorum lectores alicubi asserebant, quòd in virili commercio carnis nunquam peccatum committebatur, nec in tactibus. Denunciabatur insuper, de occultis fuisse diuinitus reuelatũ, quòd magisterio dæmonis multi de statu illo deducerentur ad tantam Apostasiam, sub carnalibus pontificibus Apostolicæ sedis, quòd infernali obstinatione insurgerent contra Deum.

Primùm, transgrediendo limites regulæ datæ ad fundatorem status, ad imitandam vitam Apostolorum.

Secundò, violando iuramentum professionis, & patrimonium eligendo atque fouendo.

Tertiò, quoscunque collegas, ipsorum transgressionem detestantes & arguentes, condemnando, & opprimendo vsque ad mortem, tanquam superstitiosos, & statui contrarios.

Quartò, appellantes ad sedem Apostolicam, non propter grauamen aut rigorem disciplinæ, sed propter corruptionem Euangelij, sæuissimis carceribus, & inhumanis exilijs occidendo: & quintò, omnem autoritatem & cuncta beneficia sedis Apostolicæ non solùm ingratissimâ, sed impijssimâ superbiâ contemnendo, & omnia vincula eius, scilicet tam propria quàm communia, furiosissimè dirumpendo.

Sextò, scripturas veritatem Euangelicam exprimentes, & sacri textus mysteria declarantes, ac eorum transgressiones & spurcicias describentes, occasione alicuius dicti non erronei aut falsi, sed tantùm ambigui, tamquam superstitiosas & erroneas condemnando & comburendo.

Septimò, cunctis collegis illius status legere vel studere in prædictis Scripturis, vbique sub pœna mortis interdicendo, puteumque viuentium aquarum claudendo sitientibus aquam vitæ, vel intellectus sacrorum eloquiorum.

Octauò, sanctitatem defunctorum in confessione veritatis, & detestatione præuaricationis ipsorum, calumnijs & diffamationibus extinguendo, & claritatem testimoniorum cœlestium mirificantium sanctitatẽ illorum, versutijs diabolicis obtenebrando.

Nonò, cunctos volentes in Euangelicâ paupertate vel abiectione viuere tam extra statum, quã intra, furiosissimis calumnijs & diffamationibus persequendo, & mundanos Pontifices ignaros & incautos studiosis mendacijs prouocando aduersus eos: perfectio derelicta per eos, & assumta per alios, in facie populi manifestissimam faceret eorum apostasiam.

Decimò, sub pœnâ crudelissimâ statuendo, ne quis eorum habeat cum pauperibus suprà dictis commercium, vel eos in confessione audiat.

Vndecimò, interdicendo eis Ecclesiarum suarum ingressum ad orandum, aut audiendum diuinum officium, & cum offensâ corporis expellendo: sic scilicet, quòd impudicissimâ præsumtione denegant sacramenta filijs Christi & Ecclesiæ suæ. Cumque solùm autoritate istorum duorum receperint ministerium administrandi sacramenta, seu dispensandi: nec timent nec erubescunt, veri usque filios de synagogâ eorum eijcere: & actus pœnitentiæ, sicut confessionis & satisfactionis, quas Euangelium nullis denegat, sceleratis etiam, excommunicatis, schismaticis, & hæreticis, isti denegant illis, qui pannis vilibus induuntur.

Duodecimò, satagendo quibuscunque modis, in omnibus personis extinguere Spiritum Euangelicæ perfectionis, nimirùm in quibusdam mundanis persuasionibus, in alijs verò sophisticis, & dolosis prædicationibus, in alijs autem palliatis comminationibus, vel aliter & aliter multis modis.

Tertiodecimò satagunt adimplere illud Esaiæ: Iustus perit, & non est qui recogitat: & filij misericordiæ colliguntur, & non est qui intelligat. A quibus autem colligerentur, subiungit, cùm dicit: A facie maliciæ, id est, à cuneo impiorum, qui sunt facies diaboli, collectus est iustus. Itaque eorum studium est, quòd sicut de arbore colliguntur fructus vt vendantur ab eis: sic ab arbore vitæ, scilicet mystico corpore Christi, satagunt, quoscunque habentes spiritum Christi decerpere tam extra statum, quàm intra.

Et vt illud intra statum adimplere possint, dicunt reuelationes præcedere: quòd arte dæmonis, qui statum illum, tanquam sibi magis contrarium, subuertere niteretur, duo contingerent: quorum primum esset, quòd in statu illo præficerentur vbique falsarij vel apostatæ suprà dicti, professores autem veritatis & obseruatores deijcerentur à gradibus, ne possint alicubi respirare. Secundum erat, quòd aliquandiu ex illis falsarijs sublimarentur ad collegium Apostolicæ sedis, & prouidendum, ne clamor filiorum veritatis ad sedem Apostolicam haberet ingressum. Quorum duo designantur per anatem & struthionem. Et de anate dicitur, quòd in aquis deliciarum carnalium nataret assiduè: de struthione verò dicitur, quòd sicut similis est pennis accipitri & grifaldo, qui altissimè volant, & tamen à terra nunquam pennis elongatur: sic iste austeritate gestus exterioris, ac vitæ, simularet cœlestem religionẽ: & tamen cor eius fixum esset in appetitũ gloriæ terrenæ

per ambitionem summi Pontificatus. De quo etiam dicunt, quòd studioso suo solicitudinis manifestaret prudentibus nequitiam siue duplicatis procurando, & promouendo duas iniquitates. Prima, quòd omnes illi de statu suo, qui sequerentur vestigia defunctorum testium veritatis, & obseruatorum, dispergerentur & opprimerentur vsque ad extremum. Secunda, quòd nullus eorum de statu suo, qui testimonium haberet extrinsecus veri religiosi, & cuius deuotio existimationem in secularibus excitaret, vel ad curiam Apostolicæ sedis accederet, aut in eâ pluribus diebus resideret: sed quòd tales omninò elongarentur abinde, non solùm virtute obedientiæ, sed insuper diffamationibus, machinamentis, & mendosis textibus imperceptibilium fictionum, ne ipsius, & complicum peruersitates ad noticiam, & iudicium Apostolicæ sedis peruenirent. Taliter etiam de contrario turbaretur, quòd erumpentes animi motus fictam detegerent sanctitatem. Nam vir sanctus nunquam impatientiâ frangitur, nec liuore roditur, nec tristitiâ seculi maceratur, nec frendet irâ, nec furore ignitur, nec tabescit iniquitate, nec rancore incineratur, nec suspicione murmurat, nec imaginatione delirat, nec sensibus tendit in exitium rationis: quia non bufonizat indignatione, nec fumat detractione, nec crepitat diffamando, nec spumat in blasphemiam, nec stomachatur in contumeliam, non tonat minis, non fulgurat nutibus, non inficit flatibus, non susurris studet quemquam infatuare.

Denunciabatur etiam prædictis Pontificibus, quòd si vellent certificari, quòd hæc essent à Deo reuelata hominibus: promtum erat ostendere per scripturas, quas sancti Patres cum diligentiâ reposuerunt tam in vrbe, quàm in antiquis Cœnobijs. Quòd si fortè reuelationes non crederent suis temporibus conuenire, quâ de causâ postponerent scrutari de illis: poterant experimento certificari, si saltem in prouinciâ Prouinciæ, & prouinciâ Tusciæ, de suprà dictis inquirerent cum illis de statu, qui testimonium extrinsecus haberent veritatis & sinceritatis. Et tamen quantumcunque omnia prædicta nunciarentur eis, tam grauiter oppressit eos letargia spiritualis, quòd noluerunt intelligere vt bene agerent, & contumeliam Christi de terrâ delerent: sed fascinati, patens mendacium acceperunt pro mysterio Euangelicæ veritatis. Nam reprimere vel compescere defluxus exorbitantium Regularium, crediderunt esse confusionem vel ignominiam ordinis: cùm tamen sit certum, quòd ordo verus in sui purificationem clarificatur: nec est ad confusionem ipsius, sed gloriam, supposititios eius filios mundare, vel amputare. Taliter quòd tunc fuit Ecclesia vniuersalis à seductoribus infatuata, quòd in ordinationem multitudinis offendentis & exterminantis Euangelium, ordinem esse putent. Et potiùs elegit pati, quòd videlicet veritas confunderetur, cùm ad ipsius contumeliam, tum ad populi scandalum & ruinam, quàm simoniacâ prouidentiâ confunderentur pseudoreligiosi, & status perfectissimus mundaretur à sordibus: patenter ostendens, quòd potiùs volebat hominibus placere, quàm Deo, plusque intendere negotijs huius mundi, quàm Agni cœlestis, & terrena promouere contemtis cœlestibus.

Cumque denuncians excitaret vniuersalem Ecclesiam stimulis antè dictis, ad obuiandum exterminio Euangelij: nihilominùs concorditer aut auerterunt aurem, aut spreuerunt denunciationem, aut insanierunt contra denunciantem: ita quòd inter omnes non surrexerit vnus, veritate catholicâ laureatus, & iusticiâ Euangelicâ loricatus, & probitate cœlestis militiæ animatus, qui diceret; Iste homo zelare videtur pro decore, & gloriâ sponsæ Christi, & animarum salute. Scrutemur igitur, & palpando diligenter experiamur, si ea, quæ nunciat siue loquitur, ad conseruationem siue corruptionem Euangelij potiùs ordinentur: vel si sint pro veritate Catholicâ, vel si contra. Et reddamus ei secundum limam iusticiæ, quod meretur, ne videamur vel negligere quæ sunt Dei, vel spernere: quia vox istius non est occulta, neque particularis, sed vbique auditur. Sed obmutuit Senatus, & solùm ob hoc, quòd languores & maculas sponsæ denunciabat sponso, propter zelum adhibendæ sanationis flagellabatur. Et hi qui vexillum Euangelicæ sanctitatis gerebant externis ritibus, acerbiori furiâ persecuti sunt eum, non solùm charitatis & iusticiæ Regulis abnegatis: sed insuper humanæ verecundiæ freno deposito satagebant polluere innocentiam, & perdere innocentem. Et liquorem abominationis profanæ per Spiritum sanctum, quem in vasis proprijs continebant, in blasphemiam Euangelicæ veritatis non erubuerunt effundere.

Nam qui debuit, vt vir Euangelicus, dicere: Egredere de domo tuâ, & de terrâ cognationis tuæ, & veni in terram, quam monstrabo tibi: hoc est, relinque omnes scientias seculares, in quibus natus es, & nutritus, & intende sacris eloquijs, dixit: Intromitte te de medicinâ, & non de Theologiâ, & honorabimus te. Quibus verbis non solùm pronunciabat Euangelica documenta, sed ab agro Theologiæ paruulos Christi nitebatur excludere, cupiens istum agrum singulariter cum Gigantibus possidere. Palàm enim confitebatur, quòd non zelus CHRISTI, vel salutis æternæ animarum, sed corporum regnabat in eo, cùm ob corporum commodum, & non spirituum ministerio communi sponderet honorem: simulque spreuisset exemplum Pauli, qui magistratus in Theologiâ sublimiori sellâ collocans, quàm Parisienses, commendauit Lucam de studio Euangelico: neque suasit ei potiùs studium medicinæ corporalis, quàm Theologiæ.

Hæc omnia suprà dicta, Domine mi Rex, vobis expreßi, vt congnoscatis, quòd negligentia sedis Apostolicæ non debet vobis esse occasio dubitandi de fundamentis fidei Christianæ, sed potiùs ad robur & firmitatem: cùm Deus tempore vestro pulsauerit negligentiam, & exprobrauerit: & nuncius contemtus & irrisus, & carceratus, & vinculatus maneat in fide Euangelij constantior & solidior, quàm fuerit vnquam, & lætetur de morsibus æmulorum, in quantum tangunt eum, plùs quàm famelicus de suauißimis dapibus, nec vnquam expirauit à corde suo tristicia, quòusque percepit, quòd aliqui dicebant, eum esse fantasticum, alij seductorem, alij pythonistam, alij verò hypocritam, nonnulli verò hæreticum. Non solùm autem confirmare vos debet in fide Euangelij, quòd Deus iam fecit in negligentibus denunciationem, quod est intra à Nouembri transacto. Scio enim, quòd Deus tertiò faciet prædicta denunciari sedi Apostolicæ: sed per quem, aut vbi, vel quando determinatè, ignoro, quia non est mihi indicatum. Et si denunciationem susceperit, & in zelo Moysi & Phinees prosequatur, eam decorabit per diuinam potentiam omnibus sublimibus antiquis, & nouis. Si verò neglexerit, sitis certi, quòd Deus infra dictum triennium faciet in eâ terribilißima iudicia, vt sint Orientalibus & Occidentalibus ad stuporem: & qualia, dicam vobis ante recessum meum in spirituali. Nunc autem si placet, certificate me de proposito vestro, pro expeditione meâ.

Tunc respondit Rex Fridericus.

POstquàm Deus per vestra verba tam clarè nos illuminauit: firmiter proponimus viuere in statu nostro secundum regulam Euangelij, & exponere nos morti pro gloriâ Saluatoris: & cunctos volentes in obseruantiâ veritatis Euangelicæ viuere, diligenter fouere & sustentare, nec non protegere paternâ custodiâ. Ego autem replicaui: Scribatis tantùm vulgari vestro totum processum, quem cogitatis circa cultum Euangelij obseruare, & substantiam illius insinuationis, quam vultis facere Regi Arragonum, fratri vestro. Et faciemus ambo iuxta seriem vestri vulgaris in latinum conuerti: vt ego certificatus particulariter de plenitudine cogitatus & propositi vestri, poßim festinare ad fratrem vestrum: maximè quia nuncium spiritualem cum his suis nunc misit ad me, rogans & monens in Christo affectuosè, quòd, priusquàm vadat in regnum Granatæ, videam eum. Rex autem prædictis auditis, traxit se in solitudinem, & scripsit prædicta in suo vulgari, & ecce qualiter per literam suam alloquitur fratrem suum.

Friderici Regis ad Fratrem Iacobum Arragonum Regem epistola.

FRaternitati vestræ notificamus, quòd inter cætera beneficia pietatis diuinæ, hoc percepimus esse notabile, quòd interdum priuatâ meditatione ac multùm attentâ cor nostrum morosè appticuimus ad contemplandam distantiam vel differentiam temporalis hominum durationis ad æternam. Quòd enim de illo statu qui fine caret, nullam habeamus experientiam, sed id quod nobis innotuit, solâ fide suscepimus & tenemus: cogebamur diutius conuertere animum ad experta scilicet ad contemplandum circumstantias temporalis vitæ siue durationis. Et cùm in animo quotidianâ experientiâ colligeremus, absque vllâ dubietate cognouimus, quòd nulla stulticia potest esse maior in homine maximè Christiano, quàm solicitari pro ijs exequendis & acquirendis, quæ ad vitam solam conueniunt temporalem, magis, quàm pro ijs, quæ ad viuendum æternaliter spectant. Claro etiam indicio vidimus, quòd talis homo per actum suæ solicitudinis se transformat in brutum, cùm illud præcipuè sequatur, quod sensualitas appetit, & id quod est rationis & intellectus, negligit & postponit. Etenim certus est vnusquisque, quòd temporalis duratio vitæ valdè breuis existit, cùm infra ætatem vnius hominis finiatur: nec sit alicui certum, quâ parte humanæ ætatis habebit finem. Cum his etiam est certißimum, quòd nullius rei temporalis priuilegio poterit mortem euadere, vel de tempore mortis certificari: quia nec genus, nec regnum, aut aliqua mundana potentia, nec pecuniæ vel thesauri, seu quæcunque diuitiæ, nec aliqua prosperitas domus, aut corporis potest hominem vel immortalem facere, vel de mortis horâ vel anno certificare: sed supra omnia certius est, quòd ab omnibus temporalibus taliter aliquando separabitur, quòd nunquam redibit ad visum eorum: nec etiam ipsa bona vnquam sequentur eum. Quibus diligenter consideratis, & attendentes quòd ad comparationẽ status interminabilis, vita vnius hominis multò minor incompariliter est quàm sit vna dies: & quòd tota felicitas temporalis est tanquã ludus, in quo Rex vel episcopus ludent: ĩũ euanescit in vnâ die: absq; nube cognouimus, quòd cũ quilibet Christianus certificetur per fidẽ Catholicã, quòd Dominus Iesus Christus est veritas, & quòd solũ ipse potest hominib. exhibere felicitatẽ interminabilis vitæ, sitque promtus eam exhibere seruitoribus suis: non solùm infelix est Christianus, sed etiam omni stulto stolidior, si non ponat solicitudinem suæ tempo-

is durationis in obsequium Christi: sic scilicet, quòd secundum statum, & gradum suum tiùs intendat procurare, quæcunque ad ipsius laudem pertinent, & honorem, quàm quæ ad icitatem temporalem personæ propriæ vel suorum. Idcirco deliberauimus, quòd ex nunc tum vitæ nostræ residuum expendamus in eius obsequium, procurando, quòd ab hominibus idetur, ametur, & honoretur.

Cùm autem nullus ametur & honoretur per ea, quæ sunt ei contraria: & ipse (sicut didicimus anctâ matre Ecclesiâ) sit veritas, & iusticia, & pax, & misericordia: proponimus ad cultum arum virtutum diligenter intendere, ac earum contraria, prout poterimus, euitare. Vnde nia vanitas veritati contrariatur, quicquid tantùm seruit cultui vanitatis, abscindere volumus nore ipsius, non solùm à personâ nostrâ, sed insuper à domesticis & subditis nostris, prout ratio nitabit tam Catholica, quàm humana. Iniusticiam verò & iniquitatem, siue crudelitatem ac quietudinem amicorum Christi, semper horrendè conabimur euitare. Quia verò Dominus oster Iesus Christus taliter & tantum dilexit suos, quòd acerbissimæ morti seipsum exposuerit: on videtur nobis, quòd eius amore corresponderemus obsequio debito, nisi periculis mortis ro laude ac honore ipsius nosmetipsos exponeremus, prout ipse fecit pro nostrâ salute. Nam si ostro iudicio velimus attendere, quantus & qualis erat ipse qui pro nobis elegit mori, proculdu. io cognoscemus, quòd si millesies moreremur pro laude ipsius, id quod summè iustum existeret: quòd iniusticiam abominabilem ingratitudinis colimus, quando & quoties vitæ carnalis deli. ias quærimus, & pro ipsius laude & gloriâ nedum mori, sed etiam sumptibus & laboribus affici re. usamus. Attendimus etiam, quòd cùm ipse pro nobis peregrinus extiterit, veniendo ad regio. em mortis: dubitanter is Christiani nomen vsurpat, & falsò dicitur Christianus, qui peregrina. i pro Christi gloriâ negligat, & incolatum eligat terreni thalami & virgulti. Quæ omnia vobis dcircò in parte sic exprimere studuimus nunc, vt nobismetipsis necessitatem aliquam imponamus ad laborandum pro Christi gloriâ dilatandâ.

Quoniam autem excellentia Regis Catholici obligatur ex æquitate iusticiæ suprà dictæ, non solùm in subditis suis Christi gloriam dilatare, sed etiam in extraneis: & cognoscimus, quòd non est verè Catholicus, si ad exterminandam Christi contumeliam non ferueat incessanti zelo, tam in alienis populis, quàm in suo: propterea zelum istum in nobismetipsis accendere studiosè inten. dimus, & exoptamus, quòd in nobis inter Reges cæteros Catholicos accendatur, vt sit ambobus a. marius morte, quòd blasphemi Saluatoris nostri sepulchrum possideant, in ipsius contumeliam, atque seruitutem ignominiosam omnium confitentium nomen eius. Nam cùm vinculum car. nis & sanguinis non sit aliud in conspectu Dei, quàm quædam dispositio & introitus ad vnio. nem spiritualem: ardenter optamus, quòd nos ambo, quos identitas generantium carnaliter fecit esse germanos, per deuotum & splendidum obsequium Patris æterni, germanitatis æternæ gaudia consequamur: & fraternitas, quæ per carnis resolutionem expirat, per vnionem spi. rituum in amore cœlestis Agni, viuat æternaliter cum eodem. Idcirco vobis, quem habemus præ cæteris mortalibus chariorem, volentes plenissimè intimare tam desiderium, quàm propo. situm nostrum, ad currendum nobiscum tam opere quàm effectu, valdè materialiter, vt laicis conuenit, expressimus antè dicta. Nihilominùs ad pleniorem informationem vestræ prudentiæ, de particularibus nostri propositi, ac ordinationibus suprà prædictis, mittimus ad vos personam nobis vnanimem in prædictis. Quapropter requirimus & rogamus vestram fraternitatem, & ex parte Domini nostri IESV CHRISTI fraternâ dilectione monemus, quatenus animo & viri. bus vniuersis velitis huiusmodi vnionis esse non solùm pars altera, sed etiam pater & artifex: tali. ter, vt quæcunque vestræ prudentiæ videbuntur dictæ intentioni accommoda, vel fortè magis ex. pedientia, quàm quæ per nos fuerunt excogitata, nobis tam literis, quàm nuncijs intimetis. Præ. terea quia Catholicorum tam desideria, quàm opera debent semper in lumine ac splendore sanctæ matris Ecclesiæ consummari, vt directionis eius & benedictionis vberibus educati promoueantur: rursum requirimus & rogamus, quatenus maturo consilio deliberetis, & ordinetis, quando & qua. liter dictæ matri notificetur tota veritas nostræ solicitudinis & affectus, & de supplicationibus quas expediat, & deceat fieri apud eam.

Iacobi Arragonum Regis ad fratrem Fridericum Siciliæ Regem epistola.

ILlustri, ac magnifico principi, regi Friderico tertio, charissimo fratri nostro, Iacobus Dei gratiâ Rex Arragonum, Valentiæ, Sardiniæ & Corsicæ, Comesque Barchinonæ, ac sacræ Romanæ Ecclesiæ vexillarius Amiraldus, ac Capitaneus generalis, fraternæ intimæque dilectio. nis plenitudinem cum salute. Laudamus Dominum de cœlis, & benedicimus nomini sancto eius, & quas dignè non possumus (cùm creatura non habeat, quod pro meritis æqualiter responde. at Creatori) in humilitate Altissimo gratiarum exsoluimus actiones: quia in vobis, & nobis nostris temporibus operari misericordiam, & aperire mentis oculos propulsâ caligine dignatus est. Susce-

pimus autem, charissime frater, eximiæ prudentiæ virum & vitæ probatæ M. Arnoldum de Villa noua, quem nouiltis gratijs spiritualibus insignitum, de vobis ad nos ab illis partibus veniens nobis literas vestras obtulit, ac ex vestrâ parte scripta per vos non humanâ prouisione, sed diuino instinctu condita præsentauit: nosque etiam de singulis, quæ commisistis eidem, per seriem informauit. Quibus lectis & perlectis ac memoriæ intellectualiter commendatis, nos tanti, & tam laudabilis, ac vtilis operis ordinationem stupentes, diuinæ bonitatis clementia subleuauit, corque nostrum firmauit, vt horum omnium intelligentiam caperemus. Ex quibus post stuporem, lætitiam cordis ac gaudij immensitatem sumsimus: conspicientes, hoc vos velle, ad hocque feruenti desiderio aspirare S. sancti flamine inspiratū, quòd postpositis huiusmodi finibilis, & fallibilis terrenæ vitæ delicijs, (quæ dignè deberent dolores ac amaritudines appellari) deliberastis eximiæ vitæ vestræ residuum in obsequium expendere IESV CHRISTI creatoris humani generis, & mirifici redemtoris: & ea agere: per quæ nomen eius, quod supra omne nomen describitur, laudetur à gentibus sequentibus vias suas: & quòd exterminentur populi illius virtutem sanctissimi nominis blasphemantes. Ad quæ etiam tam nos specialiter, quàm alios Christianos, Christum colentes Dominum, doctrinâ mirificâ in dictis vestris scripta commendabiliter inuitatis, formamque traditis diuinum seruitium & acquisitionem cœlestis gloriæ inducentem. Charissimam itaque fraternitatem vestram ignorare nolumus, quòd visis dictæ doctrinæ vestræ capitulis, & nobis antè fato Magistro Arnoldo tam ea, quàm vestrum finem & laudabile propositum exponente, tantò fuimus in diuinis obsequijs animosiùs excitati, quantò manifestius vidimus, hoc à Deo non ab homine processisse: nosque & vos, & alios ambulantes per hæc profectò pro meritis æterna gaudia feliciter recepturos: sicque frater, vestris requisitionibus, rogationibus & monitionibus animosâ voluntate fauentes, proposuimus esse in vnione vobiscum & animo, & viribus vniuersis per executionem operis & negotij prædictorum, non solùm etiam vt pars altera, sed vt pater & artifex ac promotor, prout nobis (sicut feruenter appetimus) præstiterit ipse Deus. Itaque & nunc, & in perpetuum ad gloriam Dei, & promotionem Euangelicæ veritatis, ad quam cœlestis inspiratio consignauit, nihil proprium, sed commune vobiscum habere intendimus, vt vnitas voluntatis & spiritus in ambobus fratribus repræsentet in cunctis nostris successoribus vestigia Saluatoris: & id quod orando pro suis effundit ad Patrem dicens: vt sint vnum, sic & nos, vt semper in nobis luceat coram hominibus ad laudem ipsius. Namque charissime frater, in quibusdam capitulis præmissi operis quasdam declamationes seu additiones fecimus, prout videre poteritis, sicuti nobis Altissimus ministrauit in Christo: firmam spem ac indubitabilem fiduciam obtinentes, quòd quia tam nobile iam promouit principium: prosequetur id feliciùs, & fine feliciori concludet. Scitote autem, quòd iam circa hæc Rex regnantium cœpit mirabiliter operari. Etenim tempore quo vos Deus ad præmissa suâ pietate vocauit, accœlitus inspirauit: nos à simili ad suum seruitium, qui sub mundanis solicitudinibus dormitabamus, ad exaltationem suæ sanctæ catholicæ fidei, & depressionem sectæ Mahometicæ eodem tempore excitauit: adeò, quòd ad depressionem & eradicationem Sarrazenorum fœdæ nationis, in citerioris Hispaniæ partibus existentis, vnâ cum magnifico principe rege Castellæ communi consanguineo, votis suis & nostris vnanimiter concordatis, iam actu extendimus vires nostras. Super præmissis autem omnib. & singulis præscriptis M. Arnoldus viuâ voce, ac scriptis suis, de intentione & nostro proposito Fraternit. V. clariùs informabit. Vos præterea charissime Frater, vestrum huiusmodi propositum virtute constantiæ prosequamini continuis actibus, ac viriliter & perseueranter confirmetis, verbum Euangelicum intuentes, quod Saluator mundi sic protulit: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Sanè expeditis (agente illo, cuius negotium agitur) depressionis & eradicationis præscriptæ fœdæ gentis negotijs, quorum exitum cum Dei gratiâ felicem expectamus, & proximum, confidentes in illo, qui cuncta bona opera promouet ac prosequitur, & finis prosperitate concludit: tenemus firmiter, quòd idem taliter ordinabit, quòd nos & vos conueniemus in vnum, receptis mutuæ visionis gaudijs, & ad effectum præscripti sancti operis effectualiter procedemus, scituri nos viā in nostris cogitationib. inuenisse, quam credimus ad promotionē & prosperitatē domus vestræ, & vestri huius laudabilis desiderij profuturam, & multùm fructuosam, quod nulli viuenti præterquàm dicto M. Arnoldo expressimus: ob quam causam eundem in his partib. aliquandiu deliberauimus retinendum. Qui ex quo prædictæ viæ in certo tenebimus negotium (in cuius tractatu personas quasdam in curiâ Romanâ vel circiter existentes vtiles & necessarias expectamus) vestram adibit præsentiam, & omnia vestris sensibus clariùs & perfectiùs intimabit. Deniq; de statu vestro, quē Dominus faciat iugiter prosperum, affectantes plurimùm informari, vestram fraternitatem mentali affectione deposcimus, inde nos nunc & sæpius informetis: nostrum autem vobis felicem esse ac prosperum auctrice diuinâ misericordiâ, præsentibus nunciamus. Datum Barchinonæ 3 idus Iunij, anno 1300.

Henricus de Gandavo, de scriptoribus Ecclesiæ.

VVilhelmus de S. Amore, oriundus ex Burgundia, scripsit librum inuectiuum in ordines tā fratrum Prædicatorum, quàm Minorum, conatus ostendere per scripturas, Ecclesiam tales ordines non debuisse admittere. Reclamantibus autem prædictis fratribus tam verbis, quā scriptis, cùm etiam eidem M. VVilhelmo plurimi consentirent, ex studijs partium orta contentione ad sedem Apostolicam appellatum est. Sed Papa de consilio fratrum, damnato M. VVilhelmo, cum suo opusculo prædictos ordines approbauit. Imp. 105 Rud. Pp. 196 Nicolao 4. 1290.

1290. *Guilhelmus Peraldus episcopus Lugdunensis.*

HIc edidit summam virtutum & vitiorum, in qua inter alia etiam detestabile vitium Symoniæ describit. Primum est, quòd Symoniacus vendit Deum. Et hoc dupliciter: primò, quia vendit gratiam sancti Spiritus. Vnde super illud Ioan. 12. his qui columbas vendebant &c. dicit glossa, Spiritus in columba apparuit: vnde per columbam Spiritus accipitur, quem Symoniaci vendunt: sed Spiritus sanctus Deus est. Vendunt ergò Symoniaci Deum.

Aliter etiam vendunt Deum, dum Christum in Sacramento altaris vendunt pro pecunia celebrando. Nec est parua contumelia ista. Non est aliquis ita pauper in mundo, qui non multùm indignaretur, si quis vellet ducere eum ad forum, & ibi venalem exhibere tanquam iumentum suum: quanta ergò contumelia est Deo, cùm ipse venalis exponitur ab his, à quibus præcipuè honorandus esset. Sufficere deberet talibus, quòd Christus semel pro peccatis eorum venditus est. Venditores isti deteriores videntur esse Iuda in his quinque:

1. Vendunt Immortalem, & iam glorificatum: quoniam Iudas vendidit mortalem, & in statu humilitatis. Maior autem contumelia est, quæ fit alicui in statu honoris, quàm in statu humilitatis. Vnde contumelia illata Militi maior est, quàm si inferatur domicello.

2. Nec semel tantùm eum vendunt, vt Iudas, sed plùs quàm centies.

3. Minori etiam pretio eum vendunt quàm Iudas.

4. Credunt etiam eum Deum esse, quod non credebat Iudas, cùm vendidit 30. denarijs.

5. Iudas etiam cùm de suo peccato pœnituit, pœnitentia ductus reddidit 30 argenteos, quibus Christum vendiderat: sed Symoniaci ad pœnitentiam induci non possunt, vt ea restituant quæ per Symoniam acquisiuerunt.

Forsan ergò non inconuenienter quis ex illorum Euangelio iuris Canonici C. peccatum de Reg. iuris in 6 inferat: si peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur, ipsos salutem æternam difficulter consecuturos.

Idem. Clerici de portione pauperum volunt thesaurum facere, vel possessiones acquirere: cùm ipsi pauperes fame & frigore moriantur.

Idem. Fatuitas est eorum, qui de eis, quæ sibi abundant, eleemosynas faciunt post mortem, & non potiùs ante mortem. Eleemosyna enim ante mortem facta est velut lucerna, quæ præfertur homini, custodiens eum ne cadat in foueam inferni. Eleemosyna post mortem facta est quasi lucerna, quæ fertur homini post tergum, quæ non custodit eum à casu foueæ. Si enim in peccato mortali decesserit, nulla eleemosyna, quæ pro eo fiet, liberabit eum ab inferno. Vnde eleemosyna facta pro aliquo in vita ipsius, valdè melior est, quàm illa, quæ fit post mortem.

Idem. Si necesse sit, poterit quis plures missas propter nuptias celebrare: ita tamen, quòd nunquam propter aliquam necessitatem debet celebrare nisi duas: nec ob duas etiam causas, adulationis, vel cupiditatis: quia tunc est peccatum mortale. Quòd autem cupiditas pluralitatem missarum adinuenerit: videri potest ex hoc, quòd ille, qui habet duas tenues Ecclesias, in vtraque vult missam celebrare: cùm horas canonicas vix in altera earum velit dicere: cuius rei alia causa non videtur esse, nisi quòd ad missam offertur, ad horas canonicas non.

Idem. Si nihil offerretur celebranti, sicuti nihil offertur laico communicanti: nunquam fuisset pluralitas missarum introducta in Ecclesia Dei.

Sic moris fuit secundum Herodotum, ad placandos Deos Gentiles munera offerre: vt Crœsus ampla donaria ex solido auro Apollini obtulisse fertur. Alijs, quibus argentum non erat, vt Sasimijs apud Plutarchum, vt eò munificentiùs offerrent, ad hoc furari licitum erat: vnde κερδῷος, hoc est, Lucrio nominatus est Apollo, quòd oracula ad lucrum daret. Sicut quoque Pythiam pecunia corruptam oracula Philippo & alijs reddidisse, testatur Gyral. & Cæl. Rhod.

Quia igitur olim Romani bella gesturi de parte prædæ aliquid numinibus pollicebantur, & in eum finem eos ædificasse constat templum proprium Ioui Prædatori: vitio verti Papæ non potest, quòd hodie gratis sine pecunia Missam & sacra non administrat. Non enim nouo hoc facit, sed hæreditario iure à veteribus, quorum vijs insistere decet, & laudabile est, accepit.

Idem. Multiplicatio altarium absque necessitate facta est, non ex deuotione, sed ex cupiditate. Vnde Oseæ 8: Multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: factæ sunt ei aræ in delictum. Hostias offerent, immolabunt carnes & comedent, & Dominus non suscipiet eas. Mira insania est, quòd altaria multiplicentur ad peccandum, quæ purè deberent fieri ad Deum placandum. Corpus Dominicum super huiusmodi altaribus ex cupiditate immolatum, à Deo non suscipitur: quantum ad operationem immolantis.

1290. *Potho presbyter Promiensis in lib. 3. de statu domus Dei.*

INsignem Potho monachorum perstringit hypocrisin inquiens: Omnis gloria eorum ab intus: nos verò interiùs vacui virtutibus, exteriùs imaginem quandam sanctitatis depingimus: cùm in

exterioribus obseruantiis instituendis, commutandis, renouandis, & inquietis semper dissentionibus animis ab intimæ theoriæ dulcedine alienatis occupemur. Ecce gloriam nostram in ore hominum ponimus, & gloriam veram, quæ testimonio conscientiæ commendatur, minimè habemus. Hinc est, quòd his temporibus periculosis inopia nos eò angustat spiritualium, cùm exuberat copia rerum temporalium. Ecclesia enim in hoc tempore diuitiis maior, virtutibus minor facta est: vnde refrigescente iam in multis charitate, cœleste in nobis euanescit desiderium, atque omne virtutum studium ad appetitum conuertitur rerum transeuntium. Quocirca de statu temporis nostri, in quod fines seculorum deuenerunt, Ecclesia in verbis Cantici lamentando conqueritur: Ecce, ait, in pace amaritudo mea amarissima. In prioribus seculis, quando persecutionis sæuitia catholicam fidem oppugnabat, amara erat amaritudo Ecclesiæ. Deinde maior, cùm hæretica prauitas doctrinam veritatis peruersis dogmatibus corrumpere conabatur. Nunc verò quando pax esse videtur, quando nec persecutor manifestus sæuit, nec hæreticus in verba malitiæ prorumpit, amaritudo amarissima sentitur. Est enim molestissimum hypocritarum genus intra domesticos parietes inclusum, cum amicis & domesticis Dei habitans, solo habitu exteriore mundi contemtum præferens, monasticæ conuersationi se ingerens: quod eò acriùs membris Christi nocet, quò minùs vitari potest. Et reuera hæc est amaritudo amarissima, quando pax quidem est à persecutoribus & hæreticis, qui apertè sæuiunt: sed non est pax à domesticis qui intus sunt, qui religiosorum quidem numero admixti sunt, sed veram religionem execrantes, dolosè agunt in conspectu Domini, vt inueniatur iniquitas eorum ad odium. Cùm enim omni virtute interiùs sint destituti, sola imagine sanctitatis exteriùs nitidi, intuentium oculos fallunt: quia nimirùm gloriam quæ ab hominibus est, quærunt. Iam mysterium iniquitatis in his operatur donec caput illorum Antichristus adueniat, &c. Imperatore Rudolpho Habspurg. Papa Nicolao quarto, vt suprà.

Fr: Robertus Gallus. 1290.

IN libro visionum suarum de Papa loquens in Dei persona ait: Quis posuit idolum hoc in sede meâ, vt imperaret gregi meo? Aures habet, & non audit clamorem plangentium, & descendentium ad inferna: clamorem buccinæ & tonitruorum tremendas voces exsuperat vlulatio eorum. Oculos habet, nec respicit abominationes populi sui, & debacchationes voluptatum eorum: quanta maligna operatur populus eius coram me, nec videre ea vult, nisi congregare possit ex eis thesaurum. Os habet, & non loquitur dicens: Constitui super eos qui loquantur eis bona, sufficit, vt per me vel alios faciam bona. Væ idolo, væ ponenti. Quis æquabitur huic idolo in terrâ? dicens: Quis me subiiciet? Nunquid domus mea nobilibus terræ copulatur? Dapibus superexcellentior sum, equites equitantes seruiunt mihi. Quod non consueuerant patres mei, fit mihi. Ecce domus mea sternitur argento, aurum & gemmæ sunt ornamentum eius, &c. Imp. 105. Rod. Hapsp. PP. 196. Nicolao 4.

Idem prædixit ibidem, Deum puniturum esse cleri simoniam & auaritiam tanta peste, vt riui sanguine fluant: quod & factum est. Nam cùm plurima cadauera in vnum tumulum congererentur, seque inuicem suo onere comprimerent, adueniente etiam maiore pluuia, copiosissimè ex eis sanguis profluxit. Cat.

Idem de bello contra Saracenos gesto loquens, Hierosolymam captam, ait, ipsa hora qua Christus crucifixus est.

Idem, Factum est, inquit, dum eram in eadem ciuitate in domo cuiusdam domini Brittonis, loquente me cum quibusdam, vidi crucem quandam perlucidam de argento, ad modum crucis comitis Tholosani: sed poma illa duodecim, quæ sunt in brachiis crucis, erant sicut quædam poma vilia multùm, quæ proiicit mare, & dixi: Quid est hoc Domine Iesu? Dixitque ad me spiritus: Crux hæc, quam vides, Ecclesia est, quæ futura est lucida per mundiciem vitæ, sonora per claram vocem prædicationis veræ Veritatis. Solicitus dixi: Quid ergò significant illa poma vilia? Et dixit: Humiliatio Ecclesiæ futura est.

Idem. Iterum & alio die idem operis me agente, fui videns in spiritu: Et ecce vir eiusdem habitus circuibat, panem delicatum portans in humeris, cum vino optimo: dependebantque panis & vinum per latera eius, ipse verò tenebat manibus lapidem oblongum durissimum, dentibus rodens illum, vt famescens circa panem agere solet, nihil autem agebat. Et de lapide egrediebantur duo capita serpentum: & instruebat me spiritus Domini dicens: Lapis hic quæstiones inutiles & curiosæ sunt, in quibus famescentes laborant, animarum substantialia relinquentes. Et dixi: Quid ergò capita illa dicunt? Et dixit: Nomen vni Vana Gloria, alteri Religionis Dissipatio.

Ibidem. Serpens varicosus, qui dominari quærit, cùm primatum carnis suæ habuerit, & coram eo incuruati fuerint filii matris eius, abscindetur: quia nimiùm eleuatus est, & quærit no-

men magnum in terra dicens: Eleuatum est nomen meum, & domus patris mei in tempore meo super omnes antecessores meos: nomen regnantium in terra assumam mihi. Ecce possessio mea magna nimis super omnes vicinos meos. Et dicit, inclinati sunt ante me: qui ab vtero matris meæ orti sunt. Ecce ego super eos obtineo principatum. En ego solus regno in terrâ, & non est, qui mecum regnet. Possessio mea creuit. Filii mei multiplicati sunt. Optimates terræ seruiunt mihi. Feriam contra insontem consilium, & satrapas contra eum requiram. Ineatis consilium, quomodo eum subiiciam. Augebitur enim thesaurus meus. Multis egeo: quia magnum est nomen domus meæ in terrâ.

Idem. Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, cùm in Aurasicâ ciuitate morarer, accidit vnâ dierum, quòd posui me in lectulo, vt quieti tempus darē: & factum est, dum adhuc vigilarem, Spiritus Domini assumsit me in spiritu, & statuit in ciuitate Romanâ citra fluuium Tiberis, prospiciensque vltra fluuium vidi cathedram ligneam antiquam valdè vacuam. Et ecceà parte, vnde fluuius egreditur, venit linteum album, laruam habens hominis intus autem vacuum, & in cathedra positum est. Illoque amoto, posita fuit ibi imago beatæ Mariæ cum filio, argentea.

Hæc dum inspicerem, duxit me Spiritus ad Lateranense palatium, & posuit me in porticu ante sedes Porphyrii: vbi dicitur probari Papa, an sit homo masculus. Et omnia puluere plena erant: & viuens ibi non videbatur. Et ecce ante sancta sanctorum vidi arundinem grossam, & vltra modum aliarum altam, secundum altitudinem hominis magni. Et in eâ vertebat se serpens ingens cum impetu magno, cuius caput supra tectum erat, quieuitque bis: & bis vltra impetum fecit.

Cumque mirarer ego, quid hoc esse volebat], dixit mihi Spiritus, qui stabat ad dexteram meam, & qui me illuc adduxerat: Serpens hic Antichristus est: & subitò è iudicio iudicium eius. Et ecce prostratus est in pauimento ad modum vnius trabis liuidi coloris, & super eum infinitas gladiorum, lancearum, tabellarum, & omnium instrumentorum, quæ de ferro fieri possunt, quæ non exprimo, cùm nusquam ea viderim, sed nec lingua humana potest ea exprimere. Conuersus est autem serpens in rotam terream, attritusque est diuersis generibus gladiorum.

Idem. Factum est autem die crastinâ, dum in Ecclesia sancti Victoris in altari beatæ Mariæ missarum solennia celebrassem, depositis sacris vestibus, more solito, me in oratione prostraui, vt Domino Deo meo gratias exhiberem, dumque redderem, vidi sanctum Petrum Apostolum, purpuralibus rubeis indumentis indutum, tyaramque in capite. Et ecce hirsutus, incomtus, & iratus apparuit, tenens claues magnas ferreas in manu sinistra. Cumque inspicerem ad dextrum eius, vidi brachium eius dextrum nigrum, siccum, & quasi aridum: miratusque dixi: quæ sunt hæc Domine IESV? Dixitque ad me Spiritus, qui hæc mihi monstrabat à dextris stans, pars dextera Ecclesiæ nigra, sicca, & quasi arida facta est.

Idem. Orabam flexis genibus, erectâ facie ad cœlum, iuxta altare sancti Iacobi, Parisiis à dextris: & vidi quasi in aëre ante me corpus vnius summi pontificis, albis sericis indutum, tenebatque dorsum ad Orientem, eleuatis manibus ad Occidentem, sicut solent sacerdotes stare, dum agunt missarum secreta, nec videbatur caput eius: diligentiusque intuens, an esset omninò sine
1291. capite, vidi caput eius aridum, macilentum, ac si esset ligneum. Dixitque Spiritus Domini: statum Ecclesiæ Romanæ significat.

Ioannes Maria Polutianus Italus, Carmelita:
& Alb. de Drepano.

SCripsit hic illius vitam, & inter alia refert: Mariam ex nobili genere in Sicilia natum, hæreditate pauperibus data, nihil præter vnicum Christum sibi reseruasse, & sæpissimè dixisse, nimis auarum eum esse, cui Christus cum suis bonis non sufficiat. Vnde munus illi à Deo peculiare concessum fuit, vt plures ad Christi fidem conuerterit Iudæos, quàm quisquam alius concionator tunc viuens. Composuit ille homelias de piis moribus, de timore Dei, de amore fraterno, de patientia, de mundi contemtu, de fallaciis diaboli, & similibus. Obiitque tandem quinquagenarius anno Domini 1292. Messanæ, apud Carmelitas sepultus: de quo Bapt. Mantuanus lyrico carmine sic cecinit:

Semper à curis animum caducis
Flexit ad vitæ studium beatæ:
Risit humanæ genus omne laudis,
Risit honores.
Peruigil somnos abigens inertes,
Vel pios ibat manus in labores,
Vel reuisebat meditans vtrumq;
Lingua volumen.
Ibat in casus patienter omnes,
Prosperam sortem tulit & sinistram,
Sicut inuicto scopuli marinos
Pectore fluctus.

Imp. 106. Rudolpho. Papali Sella vacante.

Periurii pœna.

INuenta fuit in Hatstatt manus integra in modum iurantis, alio corpore putrefacto. Et cùm eam secundariò sepelire voluissent, guttæ sanguinis emanabant, & propter hoc eam secundariò sepelire noluerunt. An. Colm. Imp. 105. Rud. PP. 196. Nicolao 4.

Tartari baptizati.

QVintus Cham in Tartariâ baptisatus fuit cum tota familiâ. Deinde exercitum duxit in Palæstinam, habens in vexillo Christi crucifixi imaginem. Guilhelm. Nangiac. Imp. 106. Adolpho. Papali Sella vacante.

Aliud periurium punitum.

DE Rapolstein Rex Romanorum recedebat, & circumduxit Sculcetum Columbariensem in rotâ residentem, & manum cum tribus digitis erectam habentem, suum sic periurium demonstrando. An. Colm. Imp. 106. Adolpho Nass. Papali Sede vacante.

Præstigiæ dolosæ.

ANno 1294. Petrus Eremita præfuit mensibus 5. diebus 9. In primo Consistorio dum strictè reformare vellet Ecclesiam Romanam, vt aliis exemplo esset clerus illius, tantum incurrit indignationis, vt delirum & fatuum susurrarent. Quorum vnus non re, sed nomine Benedictus, apposuit quendam cubiculo Papæ, qui facto foramine per fistulam multis noctibus insonabat, velut angelus quispiam : Cælestine, Cælestine, cede : Negotium supra vires est. Perdiu quoque ei suadebant, vt cedendo saluti suæ consuleret. Mass. libro 17. Imperatore Adolpho. Papa Cælestino quinto.

Bonifacius octauus Papa 198.

OMnes mundi principes, communitates, & personas singulares, Romano Papæ vnâ iurisdictione subiectos esse dixit : referente Marsilio Patauino. Imperatore 106. Adolpho. Papa vt suprà.

Idem in prœmio Sexti Decretalium. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ (quam inperscrutabilis diuinæ prouidentiæ altitudo vniuersis, dispositione incommutabili, prætulit Ecclesiis, & totius orbis præcipuum obtinere voluit magistratum) regimini præsidentes, curis solicitamur continuis, & assidua meditatione vrgemur.

De electione in 6. c. 17. tit. 6.

DE malitia Romanorum Ioa. Mona. remittit ad Ro. 1. & ponit, quòd de eis scripsit beatus Bernar. ad Eugenium, quod etiam in spec. hist. videre potes, libro 29. cap. 73. Dicebat etiam hic Ioannes Mona, quòd Roma fundata à prædonibus, adhuc de primordiis retineat, dicta Roma quasi rodens manus: & versum ponit:

Roma manus rodit, quos rodere non valet odit.

Ioannes Andreæ.

Ex vita Bonifacii 8. quæ extat in 6. Decret.

BONIFACIVS OCTAVVS, natione Hernicus, patria Anagninus, Benedictus Caietanus antè vocatus, Neapoli pontifex creatur in vigilia Natalis Domini, anno millesimo du-

centesimo nonagesimo quarto. Vir quidem doctrina & experientia rerum insignis (diu enim in curia versatus) fuerat, & per omnes dignitatis gradus ad pontificatum, non tamen sine ambitionis crimine, peruenerat. Nam dum esset sancti Martini in montibus presbyter Cardinalis, adeò dignitatem pontificatus exoptauit, vt nil ambitione & fraude prætermiserit, quod ad eam rem consequendam pertinere arbitraretur. Tantæ præterea arrogantiæ fuit, vt & omnes ferè contemneret, & gratias à Nicolao quarto & Cœlestino quinto factas reuocauerit. Gibellinos quoque mirificè persecutus est. Hinc oritur illa inter pontificem & Columnenses Gibellinos contentio, qui etiam Anagniæ contra pontificem factionis suæ partes fouebant. Hos itaque, maximè verò Cardinales duos, Petrum & Iacobum eiusdem familiæ viros insignes, calumniari cœpit, quòd thesauros Ecclesiæ in morte pontificum diripuissent, quodque libellos famosos contra se parsissent.

Ibidem. Sed pontifex Ierosolymitanam expeditionem iampridem meditatus, Apameensem episcopum ad Philippum regem Francorum mittit, qui hominem ad eam rem cohortaretur. Is itaque eò profectus, cùm nil precibus impetraret, minas insuper addidit. Hanc itaque ob rem ratus Philippus hominem subitò in carcerem conijcit. Quod vbi Bonifacius resciuit, eò statim misit Narbonensem Archidiaconum, virum certè insignem, qui pontificis nomine Philippo mandaret, vt missum faceret episcopum Apameensem: id si non impetraret, diceret, audientibus omnibus, regnum Franciæ ad Ecclesiam deuolui ob contumaciam Philippi, & violatum jus gentium: adderetque anathema, & omnes Francos à juramento regio absolueret. Fecit omnia quàm diligentissimè Archidiaconus, ac regem compulit, episcopum Apameensem dimittere. Rex autem aliqua ex parte iniurias sibi à pontifice illatas vlturus, edictum proposuit, ne quisquam è regno suo Romam proficisceretur, vt eò pecunias mitteret.

Ibidem. Interim verò Philippus rex Franciæ Bonifacij arrogantiam iniquo animo ferens, habito apud Parisios Ecclesiasticorum & nobilium magno conuentu, cõmemoratisq; iniurijs à Bonifacio acceptis, eiusque ambitione & malis artibus ad occupandum pontificatum, quem iniustè teneret, ad sedem apostolicam tum (vt ipse dicebat) vacantem, futurumque concilium appellauit. Qua quidem re percitus Bonifacius, habito generali concilio, eius regnum Alberto Imperatori subijcit, quem in initio pontificatus sui repulerat. Tum verò Philippus superbiam hominis domiturus, Sarram Columnensem in portu Massiliæ cognitum, à piratis redemtum, cum Nogaretio Gallo equite fidissimo Romam mittit hac ratione, (vt ipse palàm dicebat) vt appellationem suam publicaret. Verùm ei longè alia mens fuit. Nam Sarra seruili habitu Latium ingressus, collectis vndique amicis, Nogaretium cum ducentis equitibus Gallis, mercede conductis è militia Caroli Valesij, Ferentinum præmittit, qui inde ei, si opus esset, auxilium ferret. Ipse verò Anagniam clàm noctu ingressus, adiuuantibus Gibellinis quos Bonifacius diu multumque vexauerat, pontificem nil tale metuentem in domo paterna, refractis valuis, capit, captumque Romam perducit: vbi quinto & trigesimo die pòst dolore animi confectus perijt, pontificatus sui anno octauo, mense nono, die decimoseptimo: sepeliturque in basilica Petri, sepulchro à se antea extructo: quod quidem adhuc extat in sacello à se condito, opere vermiculato.

Ibidem. Moritur autem hoc modo Bonifacius, qui imperatoribus, regibus, principibus, nationibus, & populis terrorem potiùs, quàm religionem inijcere conabatur; quique dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur, aurum vndique conquisitum plùs quàm dici potest, sitiens. Discant itaque huius exemplo principes omnes tam religiosi quàm seculares, præesse clero & populis non superbè & contumeliosè, vt hic de quo loquimur, sed sanctè & modestè, vt Christus rex noster, eiusque discipuli, ac veri imitatores: & malint à populis amari quàm timeri, vnde tyrannorum pernicies oriri meritò solet. Platina.

De sententia & re judicata c. f.

NOs tam ex superioritate (quam ad imperium non est dubium nos habere) quàm ex potestate, in qua vacante imperio imperatori succedimus, & nihilominùs ex illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex regum & Dominus dominantium nobis (licet immeritis) in persona beati Petri concessit, sententiam & processus omnes prædictos, & quicquid ex eis secutum est vel occasione ipsorum, de fratrum nostrorum consilio declaramus, fuisse ac esse omninò irritos & inanes, nullumque debere aut debuisse sortiri effectum, seu nocumentum vel noxam afferre cuiquam, vel quomodolibet attulisse.

Ne sede vacante. Extrauag.

VAcante sede imperiali, cùm jurisdictio ad papam deuoluatur, sub pœna excommunicationis hìc prohibetur, quòd nullus tunc nomen vicarij imperatoris vel alterius cuiuscunque officij retineat, assumat vel resumat, nullusq; ei obediat, vel auxilium præbeat: aliâs excommunica-

tio in personas, & interdictum in terras (nisi inter duos menses resipuerint) profertur. Tandem modus huius processus publicandi exprimitur h. d.

Anni Iubilæi.

QVia sub Bonifacio 8. anni Iubilæi maximè cœperunt florescere, de eorum conditione quædam dicenda sunt. Publicis diplomatis Papæ diuulgabatur per vniuersum mundum, quod omnis, qui hoc tempore veniret Romam, consecuturus esset certò omnium peccatorum remissionem & vitam æternam. Verùm qui ad hanc gratiam accipiendam Romam concesserunt, illos oportuit ex mandato Papæ & data fide, commorari ibi dies quatuordecim, & interea quotidie frequentare templa Sanctorum.

Quibus verò tam diu ibi durare integrum non fuit, Pœnitentiariis id significârunt: & sui abitus veniam pecuniâ redemerunt. Interrogati enim, quot dies iam perseuerassent, quantosque sumtus victui, & aliis necessariis singulis diebus impendissent, quantique adhuc vsque ad completionem 14. dierum eis exponendi essent, tantos cogebantur expendere Pœnitentiario: & ita demum licebat cuiquam discedere.

In templis erant gazophylacia, quæ thecas pœnitentiarum vocabant, ibi quis confessione edita enumerare speciatim omnia peccata tenebatur: quorum factâ æstimatione, Pœnitentiarius pro singulis magnum precium postulauit: at Confessor tantum numerare recusans perueniebat cum Pœnitentiario ad rixas & iurgia, donec inter vtrosque conueniebat, quantum pro singulis peccatis esset erogandum: sic precio peccatorum quorumuis, adulterii, homicidii, depeculatus, blasphemiarum, sacrilegiorum veniam & licentiam mercari cuique permittebatur. Qui verò pecuniam numeratam non habebant, illi tunicas, arma vel annulos, aliaque cìmelia offerebant, donec licitationi satisfecissent.

Sancti verò purpurati Ecclesiæ patres Cardinales, vt etiam ad se pars prædæ redundaret, hac occasione cauponibus, lenonibus & hospitibus omnium locorum & viarum passim sua exigui aliàs pretii vina & frumenta maximo vendiderunt: sicq; amplissimum lucrum contraxerunt. De his vide suprà iudicium Chrysostomi sub anno 410. statim ab initio.

Sed & hæc illorum cautela, & ad corradendas pecunias techna notanda venit: Quando Præcones Iubilæi vbique locorum indulgentias suas omnibus, qui essent profecturi Romam, satis deprædicârunt, adeoque iam multorum illud iter pollicitorum nomina in albo habuerunt, post diem vnum atque alterum illam sententiam nonnihil moderati sunt, & alio modo torserunt dicentes: eos, qui vel valetudinis, vel negotiorum, reique publicæ vel priuatæ & domesticæ causâ ipsimet Romam peruenire commodè nequirent, nihilominùs indulgentias & gratias illas consequi posse, si æruscatori tantum soluant pecuniæ, quantum in abitu & reditu, Romæque per quatuordecim dies fuisset insumendum. Plutonis igitur hodierni Papæ imitatores sunt, non Moysis, aut veteris Ecclesiæ Rectorum. Nam cùm populus Exodi trigesimo sexto olim plus offerret, quàm opus esset, præconis voce plus offerri vetabatur: hodie contrà præconis voce iuberis, vt vel semper offeras, vel æternâ vitâ priueris.

Licet autem hic Papa Bonifacius primus fuerit, qui Iubilæum instituit: ac per hunc remissionem omnium peccatorum aliis omnibus denunciârit, tamen ipse captus à Dominis de Columna, & dimissus, tantam iræ concepit rabiem, vt hoc in seipsum furore conuerso, ampliùs cibum capere nollet, nec inimicis suis remittere. Verùm periit non secundum Christi, & Sancti Petri antecessoris sui, & antitypi doctrinam & exemplum, qui irasci nemini, sed ignoscere, orare, facere omnia pro quibusvis, etiam infensissimis hostibus suis, iusserunt.

De eodem.

FIebant hæc in Italia cum magno prouinciæ detrimento, Pontifice nullibi ad pacem conficiendam, auctoritatem suam interponente. Et ne existimares, tunc Deum cum hominibus pacem habuisse, tantus repentè terræmotus exortus est, quantus nunquam antea: quo quidem multis diebus per interualla plurima durante, ædificia passim corruêre. Reatæ Pontifex tum erat cum tota curia, at veritus, ne ruina ædificiorum opprimeretur, casulam quandam ex tabulatis subtilibus in medio claustro fratrum Prædicatorum, prato admodum lato, ædificari iussit: eoque in loco aliquandiu resedit, licet horrida sæuiret hyems. In celebritate namque sancti Andreæ hæc perturbatio exorta est. Apparuit tum quoque cometes, magnæ alicuius futuræ calamitatis indicium.

Bonifacius 8. Gregorius 9. Ph. Francus, Ioan. Calderinus, Albericus de Rosate.

CAmpanæ adiurantur & baptizantur, & eis in baptismo susceptores siue propatres adhibentur, qui restim quo alligatæ sunt, tenent, & ad ea, quæ à suffraganeo campanæ interrogantur, Amen subiungere coguntur. Tum Campanæ vestiuntur nouo indumento, & adiurantur in expulsionem omnis diabolici insultus, ad salutem animarum defunctarum, præsertim si diuites sunt, & facilè Campanarium sustentare possunt. Item Campanæ tam sanctæ sunt, vt si Ecclesia vel populus aliquis sub anathemate est, signum eis dare, magnum sit piaculum: sicut à Papis Bonifacio octauo, & Gregorio nono institutum fuit. Bonifacius octauus in C. Alma mater. parag. adiicimus. De sentent. in 6. Et Gregorius nonus. Ea permittimus. In Decretal. de sententia excommunicationis. Videatur etiam Phil. Francus super prædict. Can. Alma mater. Num. 4. & alii Canonistæ. Quantumuis ex gratia indultum fuerat AueMaria tum pulsare, velut docet Ioannes Calderinus in Tract. de interdictis in 1. part. Num. 97. Et hæc ludicra omninò non sunt: nam Doctor Albericus de Rosate in Dictio. super verba Campanæ recenset, maximam fuisse inter monachos litem, diuque in foro disceptatum, quis ordo primus AueMariæ signum dare debeat, & cùm diu multumque res ventilata fuit, tandem hæc sententia ferebatur, vt qui primus surrexisset, etiam primus signum daret campanâ. Baptizationem Campanarum instituisse scribitur Ioannes 13. qui magnam Campanam ad Ioannem Lateranensem de se denominari voluit.

Terræmotus.

1295. TErræmotus hoc anno in Valesia quatuordecim castra pro parte destruxit, & crucem pinnaculi turris Ecclesiæ maioris deiecit, & in diuersis locis plurima deuastauit. An. Colm. Imperatore 106. Adolpho. Papa 198. Bonifacio 8.

Eodem terræmotu in Curia, montes scissi, petræ fissæ sunt, plures campanæ seipsas pulsauerunt, quinque castra penitus destructa, plura verò fissa sunt, & domus multæ collapsæ. Post hunc duos fuisse motus vnâ septimanâ, plurimi retulerunt. Ann. Colm. V. S.

Fœcunditas portentosa.

EOdem anno in Alsatiæ Valle (Albrechtsthal) in vna domo mulier peperit vna nocte duos pueros: duæ vaccæ, vtraque duos vitulos: catus catulum: canis caniculum: scropha porcellos plurimos. Ann. Colm. Imp. & PP. V. S.

Ph. Franchus Senensis.

1296. FRanchus Senensis Italus, eques olim auratus, postea sectæ reclusus, vir abstinentissimæ vitæ, monachos porcos impinguatos vocare solebat. Hic obiit anno Domini 1296. & eius corporis media pars Senæ, media Cremonæ seruatur, vt est in hoc distticho:

Franchus eques Italus, Carmeli ex gente reclusus,
Cuius habent corpus Sena Cremona simul.

Imperatore & Papa vt suprà.

Clericus castratus.

1297. CIrca natiuitatem Domini fuerunt cuidam Clero in ciuitate Basiliensi, virilia, propter quandam iuuenculam, detruncata, & suspensa in medio ciuitatis. Ann. Colm. Imp. & PP. V. S.



Ordo

Ordo Cœlestinorum.



HVius autor est Petrus Maroneus, (postea ad papatum promotus Cælestinus quintus dictus fuit) qui adolescens vixit in Eremo. Sacerdos deinde Romæ aliquandiu cùm esset, iterum in Eremum concesit: & cum aliis multis, qui eum sequebantur, Benedicti Regulæ se subiecit. Vestitus, vt Francus scribit, fuit per totum cæruleus.

Sanctitatis eius fama cùm Romam venisset, ad pontificiam dignitatem inuitus etiam pertrahebatur. Vbi cùm vitam sacerdotalem planè corruptam conspexisset strictamque reformationem instituere constitueret, delirum, fatuum, indignumque tali officio eum proclamârunt. Benedictus igitur Caietanus quendam subornauit qui per fistulam, ac si esset Angelus, in Papæ cubiculum directam fraudulenter insonabat: Cœlestine cede, si saluus esse cupis. Relicto igitur Papatu ad Eremum rediit. Sed impostor ille Benedictus Papa post eum, metuens, ne propter sanctitatem iterum ad Papatum reuocaretur, tutius putauit eum carceri perpetuo includere: in quo miserè mortuus est. Vincentius, Sab. Massæus, Nauclerus, Polyd. Bal. Hosp. Imp. & PP. V.S.

Portenta.

HOc anno Bonifacius Papa dum altari, diuina celebraturus, astaret, subitò terra horribili motu & stridore concitatur, parietes basilicæ quatiuntur, lapides collisi ad inuicem dissecantur, & Papa corruit, fugamque init. Sig. Gemblacensis. Imp. 107. Alberto 1. PP. V. S.

Apparitio Christi.

TErtio Nonas Iulii, hoc est, quinta die apparuit sub crepusculum in Columbaria pluribus viris ac mulieribus, sub Luna maiestas Dei, sedentis in cathedra quasi in iudicio, habentisq; de ore suo ex vtraque parte gladium euaginatum procedentem, ac populum atrociter iudicantis. Ann. Dom. Colm. Imp. 107. Alberto 1. PP. 198. Bonifacio 8.

De Paparum cum Imperatoribus concordia.

Imp. 107. Alberto 1. PP. 198. Bonifacio VIII.

ROdulpho Patri à sublato Adolpho Nassouiensi, in Imperio succedens Albertus eius nominis primus, licet eadem erga pontificiam sedem obseruantia, qua pater, esset: tamen atrocissima Bonifacii octaui conuicia effugere non potuit. Siquidem cùm pro more electionis suæ confirmationem à Pontifice per Oratores peteret: Malefacius iste ense accinctus, coronaque imperiali ornatus in publicum prodiens, tyrannica voce clamauit: EGO sum Cæsar & Pontifex. Ac indignabundus electionem, quæ sine sua autoritate facta esset, vt friuolam & nullam reiiciens, & confirmationem recusans, Albertum contumelioso opprobrio homicidam appellauit. Ac etsi postea grauissima discordia inter Malefacium & Philippum Franciæ regem, qui pontificem dominum suum agnoscere nollet, exorta, mutato clypeo (vt dicitur) Imperatorem Albertum approbârit, eumque de regno Franciæ per literas inuestiuerit, rege Franciæ in publico consistorio excommunicato: tamen cùm Albertus, se contra regem Franciæ nihil moturum diceret, nisi sibi suisque hæredibus regno & imperio confirmato: Papa, quò virus animi reconditum proderet, arrogantissimè ei respondit: Non futurum id Iezabele viuente. Hoc nomine fœminam illustrissimam Elizabetham, vxorem Alberti, filiam Meinhardi comitis Tyrolis, & Cunradini ducis quondam Sueuorum sororem ex matre, denotans: eamque vt cleri persecutricem infensissimam, contra diuinæ legis mandata, ob fratris maiorumque res contra pontifices gestas, contumeliosè proscindens. Haccine modestia tu quoque Petre, cum Nerone tuo agere, talique habitu coram ipso incedere, teq; iactare solebas? O stupendam successoris tui vesaniam. Et hic

est ille Malefacius octauus, qui regna & imperia in sua manu esse arbitratus, vtrumque gladium vsurpauit, & totius mundi dominum haberi se, voluit: & clauigerum cœli se esse, in superbia gloriatus à nemine iudicari debere, promulgauit, quamuis innumeras ad inferos animas secum duceret. Schardius ex Vrsperg: Nauclero, Cuspiniano, & aliis.

1300. *Ex veteri membrana monasterii Zuifalten.*

NOrdo 20. libras argenti dedit pro redemtione animæ suæ. Imp. 107. Alberto 1. Papa 198. Bonifacio 8.

1300. *Petrus Cassiodorus.*

PEtrus Cassiodorus Italus, vir nobilis, & christianè eruditus, monitorias scripsit ad Anglorum Ecclesiam, ne ampliùs ferrent, sed omninò à se reiicerent Romanorum Pontificum iugum, ac tyrannidem. Libellus incipit: Cui comparabo te, &c. Imp. & PP. V. S.

1300. *Meffretus in hortulis Reginæ.*

CÆsarius monachus in Heisterbach ordinis Cisterciensis, Germanus, scripsit opus prolixum de miraculis, & visionibus diuersis suo tempore factis in Germania, Dialogorum de variis libros 12. Sed in iis omnia esse plena fabularum patet ex Meffreti hortulis Reginæ. V. S.

1300. *Annus Iubilæus.*

SCripsit quidam author, de quo infrà, de abusu anni Iubilæi, qui primùm circa annum Domini millesimum & trecentesimum institutus fuit. Vnde considerandum venit, Ecclesiam Christi sine Iubilæo per annos mille ducentos fuisse: & quæstus causâ à Bonifacio 8. institutum esse. Martinus Paravicinus. Imp. & PP. V. S.

1300. *Ex bibliotheca Fuldensi & Wicelio.*



VEtus quoddã exemplar fabularum Æsopi, ac similium, cum pulchris picturis extat in bibliothecâ Fuldensi & aliis. Multæ ibi sunt picturę Prælatos papisticos egregiè taxantes. Sæpe ibi est videre lupos cucullatos concionantes. Inter alias vna est, vbi lupus monachali cucullâ indutus, rasoque vertice concionatur ouibus circumstantibus. Est autem interpretatio adiuncta hisce verbis: Lupus cucullatus hypocrita est, de quo in Euangelio, attendite à falsis prophetis.

Prima omnium fabula habet lupum cucullatum & baculo subnixum, concionantem anseribus & dicentem: Testis est mihi Deus, quàm cupiam vos omnes in visceribus meis. Alia est de catto infulato & manu tenente episcopalem scipionem, ac prædicante muribus vt eos conuertat. Cui sorex maximus natu respondet hisce verbis: Charius est mihi, vt moriar paganus, quàm sub vestrâ manu fiam Christianus: atque omnes mures aufugiunt. VVicelius in quodam suo scripto illarum fabularum mentionem facit, easque Lutheranissimas vocat, licet fuerint æditæ ante annos 200. Imp. & PP. V. S.

Omino-

Ominosum. 1300.

ANno 1300. quo Bonifacius 8. Papa primum Iubilæum celebrauit Romæ, pollicitus omnibus profectis eò plenariam remissionem omnium peccatorum, & vitæ æternæ mercedem, apparuit terribilis in cœlo cometa: & ingens terræmotus passim locorum inauditas multis vrbibus, castris atque ædificiis clades dedit, omnia diruens & conuellens. Seb. Franco.

Ordo Militum Sepulchri Domini. 1300.



AVthores hîc sibi non constant de initio huius ordinis: nihil enim de eo veteres. Clemens Alexandrinus, Egesippus, Iosephus, Balæus, Socrates, Panthaleon & Francus quædam referunt, sed parùm conuenientia. Dubium quidem non est, fuisse defensores sepulchri Domini, sed quando primi illi constituti sint, nescitur. Secundariis verò quorum sunt octo, anno 1336, Pontificis Romani & Solymanni Turcæ consensu, Franciscani successerunt, quibus sepulchrum commendatum fuit: & ei adhuc hodie præsunt. Hospinianus. Guardianum hodie vocant primarium ex illis: qui ad imitationem priorum quoque Equites ordinis sepulchri Domini creat, sed dissimili qualitate. Nam illi milites à militibus, hi verò à Monachis: illi propter militiæ, hi autem peregrinationis studium inaugurabantur, idque indifferenter, Nobiles & ignobiles. Ceremonias, quibus hodie vtuntur, habes apud Iodocum à Meggen Patricium Lucernatem, qui eam dignitatem quoque consecutus est: & proprio libello iter descripsit, qui & in Itinerario ad Sanctum sepulchrum (libro diuersorum authorum, qui iter illud quoque literis prodiderunt) extat.

Vestitus illorum est griseus, duplici tunica cum cruce. Francus. Imperatore & Papa vt suprà.

Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis. 1300.

DVrandus, omnis diuini humanique iuris consultissimus, natione Vasco, Gallus, Episcopus Mimatensis, & auditor Rotæ Romæ (vbi & sepultus est) scripsit speculum iuris, vnde speculator est dictus: item Rationale diuinorum admodum prolixum. Scripsit & de concilio celebrando, idque authoritate & iussu Clementis quinti concilium Viennense celebraturi.

Editum est id scriptum Parisiis anno Domini 1545, Titulum ei proposuerunt: De modo celebrandi concilii generalis. Verùm non de modo, sed de rebus in concilio deliberandis, in eo opere agitur.

Multa profectò vtilia author monuit, & præcipuè de reformatione Papæ & Cleri. Nam statim initiò ita queritur de corruptissimis eorum moribus: Secuti sunt viam Balaam ex Bozor, qui mercedem iniquitatis amauit, correctionem verò habuit suæ vesaniæ. Nam subiugale mutum, quod hominis voce locutum est, prophetæ insipientiam probauit. Quod etiam hodie accidit, cùm tam stulta & dissoluta perpetrentur in Ecclesiâ Dei à dictis personis Ecclesiasticis, quæ deberent esse lumen aliorum, & lucernæ super candelabrum positæ, iuxta id quod Dominus ait: sensus hebetant Iudæorum & paganorum. Et etiam illi, qui ratione diuinæ agnitionis omnimodò carent, istorum detestantur insaniam, & eorum distorta & Deo contraria itinera saniùs sapiendo redarguunt. Ex quo secundum eum docti ab indoctis, clerici à laicis necessariò redarguuntur, vt ibidem. Et Augustinus ait: qui nec regiminis in se rationem habuit, nec sua delicta detersit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicendus est magis, quàm Episcopus. 2. quæstione 7. Nec regiminis.

Titulo 2. compendiosè docet, quomodo Reges & Papæ Ecclesiam reformare commodissimè possent: nempè si veteres leges sacrarum literarum, conciliorum, & Cæsarum seruarent, nouasque in contrariũ institutas dist: & abusus tollerent. Item, si suam ipsorũ vitam primùm corrigerent. Sed adscribam eius verba: Si itaq; duo, à quibus regitur humanum genus, sicut à ministris Dei, videlicet Ecclesiasticâ autoritate, & Regali potestate (sicut Gelasius Papa scribit Anastasio Imperatori 96.

dist. Duo sunt.) vellent intendere ad dictam reformationem, & salubre regimen humani generis: deberent vitam amplecti prædictam, vt videlicet seipsos, & humanum genus regerent, secundum quod in Lege, Euangelio, & in conciliis Spiritus sancti instinctu probatis, vt 16. dist. Habeo. & in aliis humanis & comprobatis legibus & iuribus continetur : & quicquid per alios inuenitur in regimine mundi in contrarium attentatum, corrigeretur & reformaretur, prout meliùs posset : & prouideretur, ne porrò quid in contrarium impunè attentaretur, & quòd huius vitæ nouitas non negligeret, quæ ab antiquitate fuerunt hactenus consulta, & prouidè constituta, sicut ait lex illa canonizata 2. quæst. 6. anteriorum. §. illud. Et insuper, quòd omnes vsus, seu veriùs abusus, consuetudines, quæ censendæ sunt corruptelæ, dispensationes, priuilegia, libertates & exemtiones, contrarietates, & contrariantia suprà dictis diuinis & humanis legibus, approbatis & generalibus tollerentur. Quòd autem S. D. Papa & Reges debeant seruare in præmissâ Lege & Euangelio, conciliis & iuribus approbatis contenta, de facili potest ostendi.

Titulo tertio disputat, limitandam & restringendam esse superiorum, etiam Papæ, potestatem, ne sibi nimium licentiæ sumant. Inter alia enim sic inquit : Quæ pauca sufficiant ad probandum, quòd suprà dictæ potestates, scilicet Ecclesiastica & terrena, si velint mundum & genus humanum salubriter gubernare, se & sua facta atque dicta deberent diuinis & humanis legibus conformare, & se per imitationem eis subiicere, & exempla eorum quæ agenda sunt, sequentibus & subditis demonstrare : & non vt præsint, nec vt ipsi vel sui diuites efficiantur, Rempublicam gubernare. Aliter enim, secundum dictum Leonis Papæ, si quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, facilè à legibus & doctrinis suprà positis disceditur, & dominari magis, quàm consulere subditis, placet : honor inflat in superbiam : & quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxam.

Quarto titulo vult, dispensationes cohiberi. In quinto multis & firmis rationibus damnat exemtiones, quas vocant, ac vult omnes penitus reuocari : omnesque Prælatos, Abbates & Abbatissas, priùs Episcoporum suorum iure à Papis liberatos, denuò suis ordinariis subiici: estque hic titulus valdè notatu dignus.

IN PRÆFATIONE secundæ partis diligenter disputat, ac firmiter probat, veritatem potiùs sacrarum literarum, quàm vllas consuetudines quantumuis longas, sequendas esse. Queritur item ibidem, iam primitiuam Ecclesiæ formam fermè abolitam esse. Verba eius hæc sunt : Sanè cum Alexandro Papa recolentes, quomodo hæc sancta plantatio Ecclesiæ Dei fuerit instituta, dolentes dicere possumus cum eodem, quòd etsi non ab omnibus neque in omnibus, à plerisque tamen & in pluribus ab illâ sanctâ institutione primitiuæ Ecclesiæ, & decretis sanctorum patrum, conciliorum & Romanorum Pontificum in tantum videtur esse declinatum, vt aliqui ex nobis primæ institutionis videantur obliti. Extrauagant. de statu monastico. Recolentes. Vnde Bernhardus contra personas Ecclesiasticas specialiter inuehens, ait : Christus docuit verbis & exemplis eligere, quod carni est molestum, &c.

In primo & secundo titulo eiusdem partis disputat ex canonibus, quòd Episcopus non deberet facilè ex suo Episcopatu in alium transire, nec etiam liceat plura beneficia in vnum congerere.

Titulo septimo disserit, quòd Papa non deberet facilè pati, causas ex prouinciis in curiam transferri, nec quenquam eò grauissimis sine causis citare. Item, quòd non deberent iurisdictiones Episcoporum perturbari : nec beneficia in aliis regionibus existentia à curiâ cuiquam conferri. Eius verba hæc sunt : Videtur secundum dictum Gregor. Ecclesiasticus ordo confundi: quia Ecclesiastica beneficia ad ipsorum Episcoporum collationem & prouisionem pertinentia, per sedem Apostolicam & per alios conferuntur, etiam antequàm vacent, non solùm in curiâ Romanâ, sed extrà quoque.

Titulo vndecimo recitat formam concilii ex Isidoro, quam dicit valdè vetustam esse, in eaque etiam laicos in concilium intromittit.

Titulo decimo tertio dicit, vtile videri, constitui, vt nec iuuenes, nec virgines ante 25. annum consecrentur.

Titulo decimo quinto diligenter disputat, Ecclesias peregrinis commendandas non esse, & concludit his verbis : Hoc autem non seruatur à Romanâ Curiâ, & presbyteris prælatis, qui curas animarum & prælationis committunt talibus, qui nec subditos intelligunt, nec intelliguntur ab eis.

Titulo decimo octauo disserit, indignos non esse promouendos: & monet Papam ac concilium, vt cogitent, subuerti eâ ratione totam Ecclesiam, quòd indigni ad Ecclesiastica munia promoueantur, cæcique duces cæcum gregem vnà secum in æterni exitii foueam trahant.

Titulo vigesimo monet, vt simonia Romanæ curiæ reprimatur, quam ibi perinde regnare dicit, ac si nullum peccatum esset.

Titulo vigesimo primo probat multipliciter, non esse ampliùs ferendum, vt ita multa beneficia in paucos congerantur: sicut iam in curiâ Romanâ fiat. Sed adscribemus inde aliqua eius verba: Et in dictâ synodo expreßè dicatur, quòd nullus poßit esse Canonicus præbendatus, nisi in vnâ Ecclesiâ. Et cùm contrarium fiat in Ecclesiâ Dei, quia vni personæ præbendæ multæ, & multa beneficia, & multæ dignitates, & personatus cumulantur, potißimè, si de præsentium Ecclesiæ Dei parentelâ existant: & ex hoc pariatur generale præiudicium vniuersali Ecclesiæ, quæ debitis officiis & obsequiis, rectoribus, administratoribus, & defensoribus defraudatur, eique eleemosynæ subtrahuntur, at personæ ecclesiasticæ sic ditatæ in superbiam efferuntur: & ita, secundum quod dicitur Prouerbiorum primo capite, eorum prosperitas perdit eos, & cætera. Et paulò pòst: Quare videretur vtile Ecclesiæ sanctæ Dei, vt ordinatio Bonifacii super hoc facta in dicta decretali, Cùm singula, quantum ad regulares, extenderetur ad clericos seculares, & ad dominos Cardinales, qui in graue animarum ipsorum periculum, & vniuersalis Ecclesiæ dispendium, multa millia florenorum, librarum, & marcarum, sibi & suis pestiferâ adinuentione, super Ecclesias etiam parochiales & curatas faciunt cumulari, & Ecclesias etiam cathedrales, & vltramarinas sub diuersis coloribus commendari, & certas sibi solui ab illis, qui eorum promouentur auxilio, pensiones, quæ nunquam in Romanâ Ecclesiâ moriuntur, sed ab vno Cardinale in alium, vel in eius, aut domini Papæ propinquum seu nepotem deriuantur. Ex quibus sequitur (cùm sibi vendicent vniuersa) quòd infelix clericus, qui de prædictis beneficiis sustentari debuerat, mendicat in plateis, & seruili operi mancipatus publicam deposcit eleemosynam.

Titulo decimo nono monet, vt caueatur in concilio, ne tam temerè prælati sua aut prædecessorum decreta aut præmissa irrita faciant, sicut alioqui solere (præsertim Romanos) hisce verbis affirmat: Hoc videtur honorabile & vtile obseruari, ne paulatim grauitas Ecclesiastica deperire videatur, maximè in Ecclesiâ Romana, in quâ visum est, quòd dominus Papa reuocabat aliquando non solùm gratias, & alia concessa à prædecessoribus suis, verùm etiam facta & concessa à seipso contra grauitatem & authoritatem & honestatem Ecclesiasticam & iuridicam. Verùm vsitata est etiam hodie hæc Papis ratio, vt beneficia aliquantò priùs concessa reuocent, quò bis aut ter eandem rem vendere poßint: sicut prolixè Theodoricus Niemus de sui temporis Papis scribit.

Titulo vigesimo tertio disputat, quærenda esse remedia, ne tam temerè Prælati & Episcopi infamentur, & ad curiam Romanam trahantur.

Titulo trigesimo primo disputat, prouidendum esse, ne tam temerè omnes lites ex prouinciis, neúe ita in longum trahantur, & quasi immortales fiant, vt plerumque accidit.

Titulo trigesimo secundo dicit, sacerdotes non seruare ea, quæ in canonibus de eorum vita & honestate sunt mandata. Citat etiam ex Chrysostomo dicente, Sacerdotes & Pontifices nostri omnem iustitiam populo mandant, & ipsi nec modicum seruant, &c.

Titulo trigesimo quarto citat multa ex epistolis Gregorii, quomodo ille noluerit, se vel quenquam alium vniuersalem Episcopum vocari. Probat item prolixè ex multis veterum Paparum epistolis, eos solitos alios Episcopos sibi præferre. Quare monet ex Gregorio, ne nimiùm Papæ subiecti simus, ne eorum vitia venerari compellamur, & tandem concludit id caput hisce verbis: Ex quibus omnibus videretur modus assumendus, quòd sic & Romana in scribendo honoraretur Ecclesia, & aliis honor debitus nullus negaretur.

Titulo trigesimo octauo differit, Episcoporum luxum modis omnibus cohibendum esse, eosque ad antiquàm frugalitem compellendos. Monet ibidem, omnium reddituum Ecclesiasticorum, siue secularium siue regularium, decimam partem esse pauperibus scholasticis decidendam, vt docti homines haberi queant. Item, vt pauperibus etiam ex suis redditibus prospiciant. Monet quoque, prohibendum esse, ne tam temerè excommunicationes fiant: & contrarium curiæ Romanæ abusum taxat hisce verbis: Nullus sacerdotum quenquam hominem rectæ fidei pro paruis & leuibus causis excommunicare habeat, sicut in Concil. Agathen. capite 3. & in concil. Aluemen. 11. q. 3. Episcopi, &c. Nullus sacerdotum. Quod minimè obseruatur in Romanâ Ecclesiâ, in quâ, & à cuius delegatis contra prælatos & alios pro minimo anathemate fulminatur, contra decretalem illam Alexand. III.

Titulo 52. docet, non permittendum esse, vt temerè clerici euagentur sine permißione Episcoporum. Sed adscribamus totum eum titulum, cùm admodum breuis & vtilis sit. Item in 25. c. prædict. concil. Agathen. fuit constitutũ, quòd clericis sine cõmendatitiis Episcoporũ suorũ

literis licen. non pateat euagandi licentia, & hoc idem sit conforme aliis concil. & iuribus, 71. 72. & 73. dist. & ext. de cler. peregrinis. At dicta iura & similia non seruantur, ex quo multæ insolentiæ committuntur, plurima scandala in clero & populo eueniunt, & pericula animarum: videretur super hoc prouidendum, cùm videantur omnes personæ Ecclesiasticæ euagari, sicut oues non habentes pastorem.

Titulo 41. eiusdem partis dicit, reuocandum esse canonem Mileuitanum, vt causæ finiantur in suis prouinciis.

Titulo 45. disputat, non temerè dandum esse impunitatem sontibus ad templa confugientibus, sed inde extrahendos esse.

Titulo 46. monet, videri vtile, vt in concilio matrimonium sacerdotibus concedatur, cùm planè frustra & in cassum hactenus sint ad castitatem coacti: cùm & Græci sacerdotes ius matrimonii habeant, idque etiam Apostolorum tempore in vsu fuerit.

Titulo 49. disputat, id modis omnibus agendum, vt literatis potiùs, quàm indoctis Ecclesiastica stipendia dentur.

Titulo 50. ostendit, non esse permittendum, vt clerici à suis Ecclesiis absint: & sequenti docet, non esse ferendum, vt venationibus vacent.

Titulo 53. agit de cohibendâ monachorum peccandi licentiâ: & ostendit, eos cogendos esse ad laborem manuum, dicitq; in Ægypto eum morem fuisse, vt nullum planè monachum reciperent, qui aliquam artem non nosset, aut alioqui manibus operari nollet. Item probat ex veteribus conciliis, nullo modo esse ferendum, vt sacramenta laicis administrent, atque ita pastorum officium inuadant. Inquit enim: secundum Eugenium Papam, absque nephandissimo ausu, pro aliquo lucro terreno, de monasterio eis exire non licet, neque pœnitentias dare, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad secularem Ecclesiam transire, neque aliis quibuscunque officialibus sese implicare: cùm claustro suo debeat esse contentus, cùm sicut piscis sine aqua, sic monachus sit sine monasterio, & cætera. Sed adscribam quædam præterea eius verba: Item cùm in prædicto 38. dicti Concilii Agath. fuerit constitutum, quòd prædictis monachis sine commendatitiis Episcoporum literis, licentia non pateat euagandi, & si contrarium fecerint, & post verborum increpationem se non emendauerint, verberibus castigentur. Et hoc principaliter non seruatur: cùm contra regularem eorum ordinis disciplinam præ cæteris euagentur, & multi eorum vbique ponant dissensionem, brigam, & scandalum, contra conditionis eorum statum & officium: cùm deberent habere simplicitatem columbæ, ne cuiquam machinentur dolos.

Titulo 54. dicit, Episcopos, cùm maximè in suis Ecclesiis esse deberent, solere in curia Romana, aut in aliorum Principum aula esse.

Titulo 57. abusum imaginum taxat.

Titulo 60. queritur, decreta de simonia non seruari: eoque id scelus impunè in curiâ Romana & alibi apud prælatos patrari. Quare monet, vt in concilio cohibeatur.

Titulo 61. queritur, in curia Romana facilè absolui eos, qui aduersariis Christiani nominis arma adferunt: idque porrò corrigendum esse, censet.

Titulo 66. queritur, Episcopos & prælatos non visitare Ecclesias, nec reformare: & tamen interea procurationes accipere, earumque iura accidere. Quod modis omnibus impediendum ac prohibendum esse, putat.

Titulo 67. docet, prohibendum, ne in iudiciis Ecclesiæ munera accipiantur: vtque ex æquo ii, qui donant, & qui non donant, audiantur.

PARTE tertiâ titulo primo differit, quòd, si Ecclesia rectè reformanda sit, à capite incipi oporteat. Sic enim statim initiò inquit: Sanè quantum ad reformationem vniuersalis Ecclesiæ, vtiliter & perseuerabiliter ac efficaciter faciendum videtur, quòd à capite ratio sit ædenda, videlicet à sanctâ Romanâ Ecclesiâ, quæ caput est omnium.

Titulo quarto eiusdem partis queritur, religionem Christianam derideri ob inscitiam ac ruditatem sacrificorum: eoque videndum, vt posthac studeant.

Titulo decimo quinto ostendit, rapacitatem & sordes ministrorum curiæ Romanæ corrigendas & cohibendas esse. Sed adscribam integrum illud caput, quod & breue & vtile est: Item cùm in vniuersali Ecclesiâ quæstores multos errores disseminent: multosque seducant simplices, & multas abusiones procurent, & vitam gerant enormiter dissolutâ, in tantum, quòd patent risui: potestasq; clauium Ecclesiæ contemnatur, cùm pro vno obolo vel nihilo indulgentia conceditur: nec proficiat prouisio Concilii Lateranen. de pœniten. & remissio. cùm ex eo propter eorum importunitatem, & propter pecunias, quas effundunt in curiis Episcoporum (à quibus literas

obtinent

obtinent quæstuosas ac indulgentiarum,)de audientiâ ab Ecclesiæ rectoribus, curatisque populi, sub magna pœnâ parandâ eisdem, diuina officia perturbentur, sermones & prædicationes impediantur, & populi extra voluntatem propriam retineantur in Ecclesijs, contemnantque, pœnitentias impositas ab eorum curatis & confessoribus adimplere, putantes se absolui propter dictas indulgentias ab eisdem, & propter facilitatem veniæ pro obulo obtinendæ & pecunia redimendæ, delinquere non formidant, 1 1.q.3.pauper.de sent. excom.vt fame.l.di. si lapsis.videretur super hoc de competenti remedio prouidendum, & insuper, quòd quæstus cursorum & nunciorum Romanæ curiæ cessarent, &c.

Decimosexto titulo agit de reformatione monachorum mendicantium, ac docet, cogendos esse ad opera manuum, sicut suprà etiam de monachis dixerat. Item dicit prohibendum, ne quisquam invitis parentibus ad monasteria conuolet: quod & in Gangrensi concilio statutũ esse affirmat. Queritur item, quòd neglectis sacris literis, isti ijdem monachi hominum figmentis vacent, ac ea concionentur: quod omninò prohibendum esse, ostendit.

Titulo 20. disserit de validis mendicantibus, quos prohibendos esse putat. Sequenti docet, pauperibus & hospitalibus prospiciendum esse ex bonis Ecclesiasticis: quoniam Prælati eorum redditus ad se rapuerunt.

Titulo 23. dicit, Abbates sese multipliciter à suorum Episcoporum obedientiâ eximere, quod eis permittendum non sit. Sed adscribam aliqua verba inde: Superiores, quò monachis & subditis eorundem, & claustribus alijsque in refectorio comedentibus congrua prouisio fiat, Episcopo debent esse subiecti, & de iure sint, sicut probatum est plenè suprà in prima parte, in vltimo titulo, in quo de exemtionibus tractatum est. Delinquunt autem & excedunt dicti Abbates, quibuscunque ingenijs possunt, ab obedientiâ & subiectione Episcoporum & Archiepiscoporum, & Episcopalia iura non soluendo, & etiam vsurpant multipliciter præsumendo, contra illud c. accedentibus de excel. prælat. cùm tamen subiaceant correctioni Episcoporum: 18. q. 2. Abbates, &c. Abbatibus, &c. siquis. Item quia confessiones audiunt, & pœnitentias iniungunt illis, qui eis confiteri nolunt, quod facere non possunt.

Titulo 27. agit iterum de desperatâ Ecclesiæ Romanæ reformatione, de quâ re tres primos eius tituli paragraphos adscribam: Sanè quantum ad reformationem Romanæ Ecclesiæ, videretur, quòd ipsa Romana Ecclesia, quæ non debet habere maculam neque rugam, & quæ mater est fidei & magistra, ac debet esse norma vniuersalis Ecclesiæ, ad quam omnis sanctæ religionis relatio debet referri, & ab ea normam recipere, exhiberet se regulam & scholam virtutum, vt benè viuendo normam alijs benè viuendi & rectè per semitas iustitiæ seipsam duceret, nec aliquando aborsum traberet: & sic correctione in seipsâ præhabitâ, in Dei & proximi dilectione, verâ humilitate, vitæ honestate, morum grauitate, diuini cultus sedulitate, victus & vestitus parcitate fundata, ornamentorum, apparatuum, & familiarum ac pomparum elatiuâ superfluitate restrictâ, scientiæ profunditate dotata, trabeque de oculo suo eiectâ, quod distortum est, prauumque reperiret in subiectis & inferioribus, corrigeret, & etiam reformaret Christi exemplo, qui priùs cœpit facere quàm docere. Item, quòd legem sibijpsi imponeret, ne transgrederetur contenta in diuinis & humanis legibus approbatis, quibus debet per eam authoritate & imperiali & Regali gubernari genus humanum: sed ea vsque ad sanguinem obseruari mandaret, nec in contrarium dispensaret, nec priuilegia, nec indulgentiam, nec exemtiones concederet, & concessa in contrarium reuocaret. Nec dominus Papa, sine consilio fratrum aliquid agitaret notabile, nec reuocaret à prædecessoribus suis rationabiliter constituta vel concessa, nec venire permitteret contra Ecclesiasticam libertatem.

Item, cùm Episcopi sint loco Apostolorum, qui parem cum Petro honorem & potestatem acceperunt à Deo, quòd non leguntur fecisse curiales, non Episcopi, quòd eisdem Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus & Patriarchis & Abbatibus & alijs verbis & factis impenderet: & consuetudines Romanæ curiæ & alias contrarias reuocaret, cùm honor sit Ecclesiæ suprà dictæ, & dehonoraretur ex contrario, prout Gregorius attestatur, & inde tota Ecclesia vilipendatur, & quasi contemtui habeatur.

In sequentibus paragraphis ostendit, curiam Romanam non debere aliarum Ecclesiarum iurisdictionem impedire: quòd non deberet indignis tradere functiones: quòd caueret omnem speciem simoniæ: quòd non deberet Papa vni plura officia ac præbendas commendare, ne causæ in longum producantur: quòd miserabilibus personis ius gratis dici deberet: quòd nulla iura generalia Papa ampliùs suo arbitrio condere deberet, sed tantùm de consensu concilij. Item, quòd singulis decennijs generalia concilia celebrari deberent: quòd nulli cognati Romani Pontificis promoueri deberent: quòd in pœnitentiariâ Papæ non temerè absoluerentur. Vult etiam eodem titulo, vt primatus Papæ cohibeatur, sic enim inquit: Item quòd primatus dictæ Romanæ Ecclesiæ declararetur, & distingueretur per iura Ecclesiastica & secularia, nec dominus Papa vocaretur vniuersalis Ecclesiæ Pontifex, cùm hoc prohibeat Greg. & contra aliquem in dignitate constitutum non audiret aliquam querelam, nisi conditione & zelo querelantis examinatis: nec aliquem personaliter citaret ad curiam, nisi priùs summariâ contra ipsum inquisitione præmissâ.

Vigesimo octauo titulo agit de reformatione prælatorum, quò multa præcedentia pertinere indicat: & insuper addit, quòd deberent crebrò concilia prouincialia celebrare: quòd extra suas diœceses non temerè deberent euagari: quòd deberent habere œconomos ac gubernatores rerum temporalium, ne foret necesse, ipsos ea tractare, & spiritualia negligere. Item, quòd nequaquam deberent clauibus abuti temerè excommunicando, interdicta & suspensiones ponendo. Item, quòd deberent apud se habere, & alioqui fouere & alere viros doctos & studiosos. Eodem modo & in sequenti titulo, clerum reformandum esse, monet.

Titulo 31. disserit de generali modo, quo tota Ecclesia reformari posit, ac denuò, sicut & statim initio dicit, eam procul dubio vel optimam, vel solam eius rei rationem esse, vt vetustæ leges seruentur, omnesque nouitates, priuilegia, indulgentiæ, exemtiones, & aliæ Romanistarum captiones & artes, quibus fraudem legibus faciunt, tollerentur. Omnium enim malorum causam esse ait, quòd Papa & Romana curia omnium iura ad se trahat, rapiat & vertat. Hæc enim eius sunt verba: Nouitas nostri temporis sub inquietudine degit, quia dictum gradum & ordinem derelinquunt: nam secundum August. minùs ordinata inquieta sunt, ordinata verò quiescunt. Et ideò quia antiqua ordinatio de regimine mundi & Ecclesiæ, & sua cuique iurisdictio à Romanâ Ecclesiâ & Præsidentibus non seruatur, & ordo Ecclesiasticus confunditur, sicut Gregorius attestatur, & ad se, quæ ad minores & medios pertinent, trahere volunt, vt in eis verificetur illud, cùm exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum: mundus turbatur, vniuersalis Ecclesia læditur, & grauatur, & ordo Ecclesiasticus confunditur, sicut Gregorius attestatur.

Titulo 32. docet, etiam id magnum fore ad reformationem compendium, si Ecclesia Romana primùm semet reformaret. Sed apponam eius verba: Secundò posset vniuersalis Ecclesia reformari, si Romana Ecclesia à se primò & gradatim à Prælatis & alijs mala exempla tolleret, ex quibus scandalizatur & quasi inficitur populus vniuersalis, & nomen Domini Dominatoris populi secundum Esa. blasphematur. Nam secundum Augustinum, nihil magis confundit Ecclesiam Dei, vel ei officit, quàm dicere, Peiores sunt clerici quàm laici. Proh dolor, videtur in ipsa Ecclesia verificari dictum Esa. 34. in figura Babylonicæ ciuitatis, gloriosæ in regnis, & inclytæ in superbia Chaldæorum, de quâ dicitur: Erit cubile draconum & pascua struthionum, & occurrent dæmonia, onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum. Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem. Ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos. Ibi congregati sunt milui, alter ad alterum.

Titulo 33. de auariciâ Romanæ curiæ dicit, & multa eius rapacitatis exempla recenset, adscribam eius verba: Sanè quòd reproba exempla ambitionis, cupiditatis, & auariciæ publicæ vocentur & arguantur per fideles, & infideles, in Rom. & etiam in vniuersali Ecclesiâ, euidenter demonstrant quæstus & munera, quæ pro Ecclesiasticis beneficijs, dignitatibus & officijs recipiuntur & dantur, in animarum dantium & recipientium detrimentum, in peccatum simoniæ, quam vtriusque pagina Testamenti detestatur, & quæ est & reputatur hæresis.

Ad idem pertinent quæstus, qui fiunt per legatos & nuncios, & familiares Apostolicæ sedis, & per illos, qui in domini Papæ, & Prælatorum seruitijs commorantur.

Ad idem pertinent talliæ, subiectiones, subsidia, procurationes in absentiâ, emolumenta scripturarum & sigillorum, quæ exiguntur, recipiuntur, & leuantur à prælatis superioribus & inferioribus eorundem.

Ad idem quæstus indulgentiarum, priuilegiorum, dispensationum & exactionum.

Ad idem spectant multiplicationes beneficiorum Ecclesiasticorum, & pensionum, quæ indebitè vni committuntur & conferuntur personæ.

Ad idem, exemtiones munerum, venditiones iurisdictionum, lucra turpia & inhonesta negotiationum secularium & mercationum, quarum multæ ad speciem vsurariam, quam mercatores Ecclesiasticarum personarum pecuniam tenentes, exercent dietim, pertinent.

Ad idem pertinent eleemosynarum defraudatio, hospitalitatis restrictio, munerum Ecclesiasticarum personarum ad cultum diuinum deputatarum diminutio, prælatorum & curatorum, in solennitatibus & alijs Ecclesiasticis ciuitates, & loca sua fugientium, euagatio.

Ad idem pertinet argumentum satis de nouo in Rom. curia introductum, de his, quæ pro bullâ, scripturis & alijs quibuscunque, consueuerunt in eâ ab antiquo persolui. Super quibus omnibus esset de competentibus & contrarijs remedijs (cùm, secundum physicorum assertionem, medicina fiat per contrarium) salubriter in hoc sacro concilio prouidendum. Nam in omni terra, in quam exiuit sonus Apostolorum, sancta Dei Ecclesia, & potissimè sacrosancta Romana infamata est, & vulgariter cuncti clamant, & refricant: Quòd in ea, &c. omnes à maiori vsque ad minorem auariciæ student. Ex quo autem in Ecclesijs, sicut in Romano imperio, creuit auaricia, perijt lex de sacerdotibus, & visio de Prophetis.

Titulo

Titulo 34. eiusdem partis, agit de superbiâ & fastu Papæ, & curiæ Romanæ prælatorum, quem omninò nimium, ac cohibendum esse, censet. Ac inter alia dicit, cùm Romana Ecclesia omnes alias præ se contemnere ac opprimere pergat, mirum non videri, si vicissim ab omnibus contemnatur, & accommodat huc illud Domitij dictum: Cùm ego tibi senator non sim, nec tu eris mihi consul. Sed adscribamus pauca ex eius tituli initio: Quòd perniciosa exempla elationis & superbiæ, manifestè tam in capite, quàm in membris in Dei nascantur Ecclesiâ, cùm probent id excessus notorij vestium, ornamentorum, verborum, & factorum, quibus status Ecclesiasticus extollitur, se quibuslibet præferendo, aliorum vitam & merita deprimendo & obumbrando, seipsos commendando, & improbos defendendo, sancta indignis committendo, malos pro bonis, & bonos pro malis approbando, &c.

Titulo 36. agit de corrigendo luxu, & nimiùm sumtuosis prælatorum conuiuijs. Adscribemus inde duo eius breuia dicta: Quòd perniciosa exempla peccati gulæ vniuersus populus Christianus à clero recipiat, in aperto apparet, cùm dictus clerus lautiùs & splendidiùs & pluribus ferculis, quàm faciant Reges, principes & domini, contra honestatem Ecclesiasticam, & clericalem regulam, & doctrinam constitutam à sanctis patribus, conuiuentur. Et paulò pòst: Esset itaque super sobrietate & parsimonia seruandis in statu Ecclesiastico prouidendum: cùm magna pars Ecclesiasticorum reddituum in excessiuis conuiuijs & comessationibus expendatur. Vnde verendum est, quòd Deus propter hæc & alia contra Ecclesiam & eius ministros irascatur, & quòd eam permittat deprimi, sicut fecit Iudæis.

In sequentibus titulis vsque ad finem queritur de negligentiâ ac inscitiâ clericorum, proponitque multa remedia, quæ tanto malo opponi possent ac deberent: præcipuè autem, vt pauperibus scholasticis prouideatur, vtque tantùm dignis beneficia dentur. Sed adscribam aliqua pauca ex eius titulis, & primùm tit. 43. sic habetur: Tenent namque aliqui propter fauorem, quem in Ecclesiâ habent, tot beneficia, quòd viginti, & aliquando quinquaginta scholares, & vltrà, possent in scholis sustentari de eis. Nec ita successiuè beneficiati, plùs cæteris pauperibus communiter proficiunt, quin imò frequentiùs deficiunt, & expendunt in pompis & vanitatibus dies suos, & Ecclesiasticos redditus cumulatos eisdem. Posset etiam talibus clericis prouideri de beneficijs, quæ diuitibus indebitè conferuntur. Et paulò pòst tit. 46: Deprehenditur & notatur in Ecclesiâ sanctâ Dei, quia manifestè apparet, quòd Ecclesia Romana causas electionum multis vijs & remedijs ad se trahit, & Ecclesiæ remanent ex hoc longis temporibus viduatæ, gregemque Dominicum propter defectum pastoris lupus rapax inuadit. Et paulò pòst tit. 47: Negligentia etiam circa curam dictarum animarum manifestè apparet. Quia per Romanam Ecclesiam absque euidenti necessitate vel vtilitate dispensatur cum multis, vt pluralitates beneficiorum curatorum obtineant. Et quòd non teneantur, ad tempus valdè longum residentiam facere personalem: & dictam curam habentes, & etiam prælati absque necessitate & vtilitate longis temporibus in Romanâ curiâ detinentur, & diuersis vijs ab Ecclesijs, quæ eisdem & eorum curæ commissæ sunt, se absentant.

Item paulò pòst tit. 50. Hæc negligentia nimis manifestè apparet in clero, tam in capite, quàm in membris, & vtinam non verificetur in clero verbum Esaiæ dicentis: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Item paulò pòst, tit. 61. Destituitur Ecclesia, perditur deuotio subditorum, Ecclesiastica iura depereunt. Et cùm ipsas Ecclesias, & Ecclesiasticas personas grauet Romana Ecclesia, & aggrauantibus faueat, neruus disrumpitur Ecclesiasticæ disciplinæ: nec oportet exempla super præmissis longè quærere, cùm reperiantur de propè quodammodo & vbique.

Item initio vltimi tituli: Sanè si ad distributionem Ecclesiasticorum prouentuum consideratio habeatur, videri potest, quòd expenduntur in superfluos, elatos & vanos vsus vestium, ornamentorum, familiarum, apparatuum, & superfluitatem ciborum: & potuum: vel exinde ditantur, exaltantur & nobilitantur parentes, & datur carni & sanguini, quod est Christi: vt de cæteris qui dant histrionibus, personis vilibus, & lusoribus, principaliter taceamus.

Hinc facilè, Christiane lector, perspicis, Ecclesiæ, clericorum, Prælatorum, & in primis Romanæ curiæ statum iam olim ante 300 & ampliùs annos longè corruptissimum & desperatissimum fuisse: eumque accusasse, deplorasse, & corrigi, optasse non tam vulgares aliquos homunciones, quàm summos ac doctissimos quosque.

Verùm adeò non est emendatus, vt ab eo tempore centuplo deterior sit factus, siue turpissimos eorum mores, siue neglectionem officij, siue doctrinæ ac religionis formam, siue deniq; intolerabilem planè ipsorum tyrannidem, quâ Ecclesiam Dei oppresserunt, rectè perpendas, ac examines. Illyr.

Idem. Prouerbium est vulgare, qui totum vult, perdit totum. Ecclesia Romana sibi vendicat vniuersa, (93 dist. diaconi sunt:) vnde timendum est, quòd vniuersa perdat. Nam sicut Salomon Prouerb. 30 dicit: qui multum emungit, sanguinem elicit. Sicut habetur exemplum de Ecclesia Græcorum, quæ ex hoc ab obedientia Romana dicitur recessisse.

D. Ioannes Duns Scotus.

1300. Lib. sent. 4. dist. 18. queritur, excommunicationem & claues in nimium abusum conuersas, ita vt, sicut olim raro, & non nisi ob iustissimas causas homines excommunicabantur, eoque excommunicatio à Christianis valdè timebatur, & magni fiebat: nunc quia, contrà crebrò, & ob futilissimas causas (vt ob non solutos in tempore sacerdotum redditus) excommunicatio fiat, vilescat & contaminetur.

Hic idem contra sanam Apostolorum doctrinam hæc commenta insana sparsit: Ceremonialia veteris Legis post Christi passionem sine peccato obseruari posse: salutem, & Spiritum sanctum à Papa esse post Christum: imaginesque eâ esse veneratione adorandas, quâ illi, quos repræsentant: & alia sine numero. In transubstantiatione verò, quam in Eucharistiæ sacramento esse dicunt, cùm nec scripturis, nec rationibus veris eam probare potuisset, totius Ecclesiæ consensum pro defensionis clypeo assumere coactus fuit. Ex eius quarto sententiarum.

Finit Centenarius decimus tertius.



CENTENARII DECIMI TERT.

Anno Christi.	Num.	IMPERATORES.	Anni.	Mens.	Dies.
1210	120	Fridericus 2 Rogerius.	40		
1250	121	Cunradus 4.	3	5	10
1255	122	Guilelmus Dux Holandiæ.	2	0	0
1258	123	Richardus Rex Romanorum.	6	0	0
1258	124	Alphonsus Hispanus.	15	6	12
1273	125	Rodulphus.	17	11	19
1292	126	Adolphus Nassauiensis.	7	6	
1299	127	Albertus.	8	9	5
		PONTIFICES.			
1216	179	Honorius 3 Romanus.	10	8	0
1227	180	Gregorius 9 Anagninus.	14	5	3
1241	181	Cælestinus 4 Mediolanens.	0	0	7
1243	182	Innocent. 4. Genuens. Ligur.	11	5	14
1254	183	Alexander 4 Anagninus.	6	5	5
1261	184	Vrbanus 4 Trecensis Campanus Gallus.	3	1	4

Clemens

1265	185	Clemens 4 Narbonenſ. Gallus.	3	9	25
1271	186	Gregorius 10 Placentinus.	4	4	10
	187	Innocentius 5 Burgundio.	0	5	2
1276	188	Hadrianus 5 Genuenſis Ligur.	0	1	7
	189	Ioannes 20 dictus 21, Vlixiponenſis, Luſitanus, Hiſpanus.	0	8	8
1277	190	Nicolaus 3 Romanus.	2	8	29
1281	191	Martinus 2 dictus 4 Turonenſ. Gallus.	4	1	7
1285	192	Honorius 4 Romanus.	2	0	2
1288	193	Nicolaus 4 Aſculanus.	4	1	14
1294	194	Cæleſtinus 5 Eſernienſis.	0	5	7
1294	195	Bonifacius 8 Anagninus Hernicus.	8	9	18
		CONCILIA.	*Epiſc.*	*Seſs.*	*Can.*
1215	443	Romanum 92.			
1240	444	Romanum 93.			
1244	445	Lugdunenſe.			
1274	446	Lugdunenſe.			

ORDINES.

1201 *Ordo S. Spiritus Hoſpitaliorum.*
1202 *Ordo Gladiatorum ſeu Gladiferorum.*
1205 *Ordo Prædicatorum ſeu Dominicanorum.*
1211 *Ordo S. Trinitatis, ſiue Equitum de redemtione captiuorum.*
1214 *Ordo Militiæ Monteſiæ.*
1215 *Ordo Eremitarum S. Pauli.*
1217 *Ordo Vallis Scholarium.*
1228 *Ordo S. Claræ.*
1231 *Ordo Canonicorum Regularium S. Marci.*
1232 *Ordo Militiæ S. Mariæ.*

1250 *Ordo de Obseruantia, Minorum, & Prædicatorum.*

1252 *Ordo Fratricellorum Beghardorum, Beghinarum, seu Beguttarum.*

1257 *Ordo Bethlehemitarum.*

1258 *Ordo Bonorum hominum, seu virorum.*

1273 *Ordo Augustinensium Eremitarum, & Guilhelmitarum.*

1282 *Ordo Seruorum S. Mariæ.*

1297 *Ordo Cælestinorum.*

1300 *Ordo Militum sepulchri Domini.*

DOCTI VIRI.

Alexander Theologus Britto.
Mainardinus Imolensis.
Guilielmus Podius.
Alfabarabius Medicus.
Andreas Dandalus.
R. Abraham Abbenezra.
1220. *Hali Abben Ragel Astronomus.*
Humpertus de Romania.
Ioannes de Argentina.
Iacobus de Vitriaco.
Cæsarius de Haisterbach.
Angelus Hebræus de tribu Iuda.
Bonaguidas Aretinus.
Flores Historiarum.
Accursius Florentinus.
Alexander ab Ales.
Azo I.C.
Chronicon Thuringiæ.
Hugo Cardinalis.
Hali Heben Rodan.
Petrus de Vineis.
Guilielmus Parisiensis.

Raymundus de Penna forti.
Cyrillus Carmelita.
Othofredus I. C.
Gerardus Laodicens.
R. Samuel Iudæus.
Ioannes de Planasco I. C.
Cunradus à Liechtenavv Abb. Vrspergens.
Vincentius Burgundio. 1240.
Seualdus Eborac. Arch.
Albertus Lincolniens. Episc.
Guilielmus de S. Amore.
Henricus Leodiens. Episc.
Gerardus Sagarellus.
Dulcimus Nauarræus.
Desiderius Longobardus.
Crescentius de Escyo.
Thomas de Ceperano.
Bernhardus de Bessa.
Bonauentura.
Nicolaus Gallus.
Laurentius Anglicus.
Godefridus de Fontanis.
Helias Rubeus.
Thomas de Aquino.
Ioannes Semeca.
Thomas Cantipratensis.
Monachus S. Iustinæ Paduanæ.
Ioannes Teutonicus.
Alfonsus Rex *Castellæ Astron.*
Ioannes Mandeuille.
Guilielmus Placentinus.
Petrus Hispanus.
Petrus de Tarantasia.
Iacobus de Beluiso.
Ioannes de Esculo.
Fulsteinius.

1280. *Rogerius Bacho.*
Albertus Magnus.
Sifridus Pres. Misnensis.
Martinus Polonus.
Guido Bonatus Astrologus.
Borcardus Monachus.
Henricus Girtelknopf.
Thomas Lermout.
Iacobus Ianuensis siue de voragine, autor Historiæ Lampardicæ.
Nicolaus de Biberach.
Arnoldus de villa noua.
Richardus de Media villa.
Henricus de Gandauo.
Guilhelmus Peraldus.
Potho Promiensis.
Dinus I.C.
Robertus Gallus.
Ioannes Maria Polutianus.
Meffretus, qui scripsit hortulos Reginæ.
Guilhelmus Durandus.
Ioannes Duns Scotus.
Petrus de Bella Pertica.
Iacobus de Arena.
Guilhelmus de Ganyo.
Franciscus Accursius F.

1300.



LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS DECIMVS QVARTVS.

Prædicatores sui ordinis destructores. 1301.



IN natiuitate beatæ virginis capitulum prouinciale fratrum ordinis Prædicatorum fuit in Basilea, fratre Ioanne existente Priore atque definitore, solenniter celebratum. Ad hoc capitulum peruenerunt D L X X: ibi fuerunt lectæ literæ magistri Ordinis ipsorum, in quibus hortabatur eos suppliciter, vltrò eundum ad Barbaros seu in Græciam. Et non fuit vnus inter eos inuentus, qui hoc vellet facere, ad quod tamen Ordo ipsorum principaliter fuit institutus. An. Colm. Imp. 107. Alberto 1. Papa 198. Bonifacio 8.

Guilhelmus Nangius siue Nangiac, Monachus ad S. Dionysium. 13[illegible]

CVm Augustinus iuxta Dorocæstriam prædicaret, gentes illius loci caudas Rariarum vestibus illius appendebant. Hinc ipsi, & eorum posteri caudas sicut pecudes referuntur habuisse.

Petrus de Aragonia. 1302.

DOcebat hic, Romanam Ecclesiam alteram esse Gomorrham: & à Dominicanis hæreseos damnabatur. Imp. Alberto 1. Papa Bonifacio 8. vt sup.

Ordo Sarabitarum. 1303.

SArabitæ cœperunt anno Domini 1303. ex Ægyptiorum Monachis orti. Vestiti erant porcorum ac boum pellibus, & succincti funibus, palmarum spinas ad calcanea portantes: angelicam faciem simulabnt, sed in corde lupum fouebant. Ioan. Clyn. Bal. & Hosp. Imperat. & Papa. vt sup.

Clerici bellatores. 1303.

EGebant Flandri alio duce, quàm ministro Ecclesiæ: nam illis rarò quicquam cedit feliciter. Mey. in annalibus Belgicis. Imp. & Papa. vt sup.

Annales Dominicanorum Colmariensium. 1303.

ANno 1276. in Rottvviler soror inclusa tres pueros vno die peperit, & quarto die quartum puerum prioribus addebat. Fœcunda fuit Monialis: verisimile, totidem fratribus frequenter succubuisse, interitum ordinis monastici procul dubio veritam. Vides hic studia, religionesque Monachorum & Monialium: item coactæ castitatis & sancti coniugij prohibitionis fructus.

Tartaria Occidentalis. 1303.

HOc tempore Legatus ex Tartaria ad Philippum Pulchrum Regem Gallum, & alios etiam Christianitatis Reges, & Papam venit, auxilium petens aduersus Mahumetanos suas regio-

nes infestantes, promissa suorum ad Christum conuersione, si quidem Christianorum manu asserentur: is autem re non impetratâ discessit. Annales Gallici. Imperat. Alberto 1. Papa Bonifacio 8.

Ex his proh dolor videndum liquidò, qua ratione Turca ad tantam potentiam ab initio succreuerit, imò ascendere eum oportuerit. Dum enim Occidentales nihil suppeditant auxilij, & Papa multa quidem florenorum millia per Cruciatam, vt vocant, in id bellum contrahit, sed aliò conuertit: oues non, vt fidelem pastorem decebat, tutatur: imò ex odio aduersus Imperator. Orientis, & Ecclesiam Græcam, (cum qua de primatu decertabat, & quia terris Italicis inhiabat) remotum aliquem Gallum ad Imperium effert, atque per hoc Orienti Italiam subripit, sibique retinet, certè per hæc ijs, quæ ad profligandos hostes imperij nerui esse debebant, Cæsarem spoliat: ea in se transfert, & sic Turcis non solùm ad occupandum Orientem, sed euertendum etiam totum Occidentem fenestram aperit.

Interim ad ista omnia Hispania, Portugalia, Papa, Gallia, Brittannia, Scotia, Polonia, Moscouia, Veneti & alij Magnates conniuent, & cum Turca inducias & fœdera (quæ nunquam cum infidelibus icta, felicem exitum habuisse comperimus) in detrimentum aliorum turpiter statuunt, putantes, longis adhuc distare ipsum ab se finibus, vt nihil eis dare queat damni. Certè non intelligunt miseri, quòd, etiamsi ab illius hodie immunes sint molestijs: attamen ad manifestæ vindictæ argumentum, mox Deus contra eos alios possit excitare hostes, & mouere illis bella, & & infortunia, pro plectendis pulchris istis inducijs cum infidelibus Turcis: Papæ videlicet, quòd, vt hactenus in occulto, sic in futurum detracta larua, propalàm pro Antichristo sit habendus, & plura regna ab ipso defectura: Hispaniæ, quòd à proprijs subditis quotidie intestina, & cum Anglis & Gallis parùm fortunata bella perferat: Turca autem simulatus ille amicus, vt nuper Tunetanum, sic mox alia quoque regna ad se rapiat: domesticam hæredum orbitatem metuendam habeat Gallia & Anglia: Scotia eadem aduersa sentiat: Moscouitæ absque certis legibus, barbaris & crudelibus pareant Tyrannis, & à Turcis ac Tartaris simul obruantur: Polonis incerti Reges hinc inde peregrinentur, & de ijsdem, quibus alij dicti, rupta fide, periclitentur malis: Veneti adeò ab eodem hoste fœdifrago, post regnum Cypri, de die in diem denudentur, vt præter vrbem suam tandem nihil sint habituri: de Portugalia iam omninò conclamatum sit.

Verùm enimuerò si è contra aduersus hunc abiuratum Dei & hominum truculentissimum hostem, suos neruos, quod decet, & vt speramus, facturi sunt, conuerterent, denique & honestum vtili præponerent: haud dubiè pace & omni salute ac felicitate domestica & publica per vniuersum Imperium frui optimè, & gaudere in posterum possent. Ante hæc enim tempora Imperatores, Principes, & alii Magnates, videlicet Gotfridus Dux Lotharingiæ anno Domini 1099. Imperator Fridericus II. anno 1228. Imperator Sigismundus anno 1409. & anno 1420. Rex Vladislaus in pugna Varnensi occisus: Rex Ludouicus anno 1522. & alii plurimi contra Turcam omnes & corporis & fortunarum neruos laudabiliter impenderunt.

Quam pietatem & strenuitatem maiorum nos pari studio imitari addecet, ne desidendo ipsimet vires addamus Turcis ad opprimendum & perdendum Christianos. Et si Paparum quoque vnquam interfuit, vt vtrumque assumerent gladium, & ipsimet administrarent militiam, viresque (prout ex historiis constat, eos conscripsisse exercitus, produxisse in aciem, gnauos milites & duces strenuos se præbuisse, ordines sarissarum, & quod plus est, tormentorum etiam ad dimicandum disposuisse) & facultates omnes conferrent ad bella, quæ sui tantùm priuati commodi gratia hactenus gesserunt: iam potiùs omnem operam & opes promant: quando tum pro Ecclesia, cùm pro salute vniuersæ Christianitatis est depugnandum. Nam quantum possit, si ipsi optimates belli sint duces, omnes bellicæ fortunæ casus & historiæ docent, & testatur quoddam (vt inter alia multa vnicum tantùm referam) exemplum Græcorum: qui cæso suo in acie Rege, & animum propterea despondentibus militibus, postea filium illius infantem in castra deportari decurârunt: vnde animosi omnes facti, resumtis animis viribusque, fortiter, quæ prioribus prælijs amiserant, iterum recuperârunt.

Benè ergò agitur, si non sub pallio contineamus manus, aut ignauia teramus vitam, & nimis conniueamus Turcis, si iniurias vicinis nostris, Christianis inferant (inferunt autem quotidie.)

Nam tua res agitur paries cùm proximus ardet.

Quod etiam Hospinianus & multi atque prudentes viri hactenus fideliter admonuerunt: vt apud eos infrà.

1304. *Portenta.*

Portenta per ea tempora memorantur varia. Nam ad oppidum Vredeland veteris Marchiæ in solo VVandalico, in die sancti Remigij cecidit grando de cœlo cum igniculis lapillis, qui plurima excitauerunt incendia, vbi in stramina & paleas, aut aliam materiam scintillæ inciderunt. Tecta rusticarum domorum, fœnum in horreis cum frugibus concremabantur: ipsa in agris pecora lædebantur. Res prioribus seculis incomperta. Crantzius. Imp. 107. Alberto 1. Papa 199. Benedicto 11.

Præsagium. 1305.

HOc anno quidam presbyter, existens Dresdæ in ciuitate terræ Misnensis, vidit somnium in festo natiuitatis Domini, præsagium futurorum: nempe super regnum Bohemiæ, Lunam prælucidam in cœlo coruscare. Cuius claritatem cùm ipse & plures alij, vt sibi videbatur, mirarentur, subitò Luna eadem in formam piscis transformata cecidit super terram, statimque disparuit. Et ecce alia Luna venit ab Occidente, & corpore maior, & splendore clarior: stansque in cœlo super regiones Bohemiæ & Misniæ tantum creuit in splendore, vt homines ad agriculturam & alia opera, sicut in die, egrederentur. Siffridus. Imp. vt sup. Sella vac.

Bernhardus Lutzelburgius, monachus Ordinis Prædicatorij. 1306.

ILlis diebus Petrus Olerius Barchinonensis, Durandus Gundensis, Guilhelmus Gilberti, & Valentinus quidam, hæreseos erant à Bernhardo Podiensi Dominicano, & inquisitore damnati, non nominatis eorum articulis. Imp. 107. Alberto 1. Papa 200. Clem. 5.

Idem. Fratricelli affirmârunt, Romanam Ecclesiam non esse veram, Christum & Apostolos pauperes fuisse, & Cæsarem non esse Romano Pontifici subiectum. Bal. in app. c. 70. cent. 4.

Idem in catalogo hæreticorum. His temporibus claruit Petrus Ioannis, diœcesis Biranensis Aquitanus, qui in postillis suis super Apocalypsin, Matthæum, ac Genesin, multas posuit hæreses, quæ autoritate Papæ, & magistrorum consilio sunt postea solenniter in curia R. damnatæ. Per Babylonem enim meretricem magnam illam Ecclesiam Romanam intelligit: quam vocat carnalem bestiam, & Satanæ synagogam: per mysticum Antichristum intelligit Papam: omnesque abbates quinti temporis conuenire dicit in quintum bestiæ caput, quæ bestia est diabolus, Antichristus, & congregatio malorum. Et sic de alijs hæresibus, quas ponunt Guido Perpinianus in vtroque opere de hæresibus, & Nicolaus Emericus in libro Inquisitionum. Post mortem fuit denuò declaratus hæreticus per Clementem quintum, vt aiunt: & ossa eius effodi atque exuri iussa.

Ex eodem & alijs scriptoribus.

ARnoldus de Villa noua Medicus ac Mathematicus summus, quem aliqui Catalanum, alij Gallum Narbonensem fuisse scribunt, hæreticus à Papistis iudicatur: quia dixisset, quòd diabolus totum populũ Christianum subdolè fecerit à Christi veritate deuiare, & quòd fides Christianorum sui temporis non sit alia, quã illa, quã dæmones habeant: quòd Claustrales sint extra charitatem, & damnentur, qui falsificauerint doctrinam Christi, Christianos ad infernum ducentes. Quòd Theologi perfidiosè adiunxerint Philosophorum somnia scripturis sacris. Quòd in sacrificio Altaris sacerdos nihil offerat Deo, missas quoque nec viuis nec mortuis prodesse. In consultationibus etiam Papalibus scientiam non inesse, nisi humanorum operum, ac similia. Ex Daniele quoque ac Sibylla Erithræa edisserebat, Antichristum plenè post annum Domini 1300. sæuiturum in pios, & futuram esse in Ecclesia persecutionem. Vnde præter naturalia ac medicinalia scripsit de esu carnium contra Iacobitas, Gladium iugulantem contra Thomistas, Allocutionem Christi ad Christianos, De versutijs pseudotheologorum, De mysterio cymbalorum ecclesiæ, de consummatione seculi, & Prophetiam catholicam. A Dominicanis Tarraconæ hæreseos damnatus fuit. Et missus tandem à Friderico Siciliæ rege ad Pontificem Rom. inter nauigandum perijt, Genuæ sepultus.

Bernhardus Corius lib. 5. Hist. Mediol. 1308.

IOannes Vicecomes, Archiepiscopus & princeps Mediolanensis cùm Bononiam occupasset, à Clemente Pont. max. per legatum repetebatur: & vt vel Ecclesiam solam, vel rempublicam capesseret, sub excommunicationis pœnâ vrgebatur. Ille ergò cùm sacra fecisset in templo: sinistrâ crucem arripuit, dextrâ gladium eduxit, & altâ voce pronunciauit: Hæc Ecclesiæ, hic verò Reipublicæ conuenit: neque est, cur vel crucem Domini, vel arma Reipublicæ abijciam, ne aut religionis, aut pietatis erga patriam proditor esse videar. Hoc igitur sanctissimo patri meo nomine refer: cum cruce & gladio me ad extrema etiam perferenda paratum fore. Imp. Henrico 7. Papa Clemente 5. vt sup.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia. 1308.

Imp. 108 Henric. septimo. Pp. 200. Clemente 5.

POst Alberti obitum, Heinrico eius nominis septimo, è familia Lucelburgica, legitimo Electorũ suffragio Cæsare designato: Clemens 5. Pontifex, tum Auinione degens, & cum Phil. Galliæ

rege dissidens, eius electioni in odium Philippi imperium ambientis, tanta facilitate consensit, vt per Italiam & Germaniam legatis missis, omnibus præciperet, quòd Imperatorem reciperent: eiusque electionem hac lege confirmauit, vt intra biennium coronam Romæ accepturus, Italiam, quæ tunc ob sexagenariam Imperatorum Germanicorum absentiam intestinis dissensionibus miserrimè dilacerabatur, ingrederetur.

Verùm non diu admodum hæc Pontificis voluntas sibi constitit: sed improbitate solita ad ingenium antecessorum declinauit. Nam cùm Heinricus promissis satisfacturus, perlustrata circumquaque Italia, ac Ruperto rege Apuliæ cum Vrsinis bis profligato, Romam venisset, in basilica sancti Petri coronam suscepturus: Clemens, quem tacti, ob potentiam Heinrici & amicitiam Ruperti regis, pœnituisset, Cardinalibus initiò coronatione Heinrici interdixit: deinde post grauem seriamque expostulationem eius, in eam ita consensit, vt Heinricus Papæ iuramentum præstaret. At eo id facere recusante, quòd noui exempli rem esse, nec vsurpatam antecessorum suorum ætate diceret, Principem principum, ac orbis terrarum dominum, seruo seruorum fidelitatis iuramento obstringi: virtute Stephani de Columna Cardinales cum multitudine terrentis, coronam ab ipsis obtinuit: sed ita, vt animus Pontificis penitus ab ipso alienaretur. Nam Clemens odio Heinrici incensus, ad Rupertum regem Apuliæ, quem is iuridico ritu læsæ maiestatis condemnârat, hostemque imperij iudicârat, defecit, atque sententiam in eum latam non tam Iurisprudentia, quàm odio Imperatoris improbauit, atque rescidit. Magnarum tum contentionum inter Pontificem & Heinricum semina iacta erant: sed ea, præcipite atque præmatura huius morte, ad nihilum recidêre.



Nam cùm Heinricus Siciliæ regnum, ad quod à Siculis vocabatur, occupare instituerct, atque in vigilia Assumtionis Mariæ Boncouentum venisset, à pseudomonacho Bernhardo Dominicano, qui se diu amicum Imperatoris simulârat, cœlesti victima toxico oblita, atque polline adamantino (quod præsentissimum venenum esse aiunt) sacræ optimi principis potioni indito, nouo & inaudito exemplo extinguitur. Id omnibus eius ætatis fastis, annalibus, actis, rhythmis (qui hunc Proditorem Veneficum Paulinum vocant) carminibus & epigrammatis publicè est diuulgatum. Dominicani tamen ordinis fratres id constantissimè negârunt prætendentes, ægritudine animi, quòd vindictæ auidus de hostibus, vt vellet, supplicium sumere non posset, animam Imperatorem efflasse: literis à sanctissimo patre acceptis, quæ testarentur, scelestum Iudam innocentem fuisse. Verùm enimuerò ijs fratres ordinis istius sceleris commissi suspicione exonerari non potuêre, quin eorum quàm plurimi in Thusciâ, Lombardiâ, alijsque locis, vnâ cum domibus igne gladioue perirent.

Schardius ex Nauclero, Auentino, Mutio & alijs.

Vbertinus de Casali.

Hic Minorita scripsit de septem statibus Ecclesiæ: item de reformatione Ecclesiæ contra Romanam Curiam. Dicit alicubi: Nam non assumebantur nisi virtutibus pleni, & vocatione Spiritus sancti, quibus prælatio onus erat premens solicitudine: & (non ad) suæ dignitatis recognitionem, non honor eleuans vanitate. Alia ratio fuit, vt magis esset grata & recognita perfectio Christi vitæ in paupertate, & despectu & cruce. Ex hoc enim, quòd Ecclesia per honores & temporalia ad tantam spurcitiam malorum deuenit, patet, quòd modus vitæ Christi, quem elegit carne passibili, fuit perfectior omni modo alio ad temporalia se habendo. Imper. 108 Henrico, Papa 200. Clemente 5.

Idem. In cantu verò quintæ tubæ stellaris claritas status Ecclesiastici in tantam auaritiam temporalium, quasi in terram dicitur cecidisse, quòd puteum abyssi aperuisse dicitur: quia omnem viam malefaciendi in superbia, in lasciuia, in incredulitate, in simonia, & in alijs malitijs innumeris

sua mala exemplaritate subditis subministrat: propter quod tantũ est vilificatus Iesus in statu illorum, qui videntur Ecclesiæ cultũ regere, quòd deformitas vitæ illorum magnã præbuit occasionem, vt inundaret multitudo Patarenorum diuersarum hæresium, maximè Manicheæ, quæ temporalia & omnem actum carnis condemnant. Licet enim hæresis impia sit & cæca, tamen occasionem accepit suæ renouationis, vt diceret, Ecclesiam in receptione temporalium deuiasse: quia manifestè apparebat pessimus abusus eorum in clericis & monachis, & eos imitantibus malis Christianis: & maximè, quia illi, qui inter eos dicuntur Episcopi, maximam prætendunt vitæ sanctitatem in paupertate exteriori, austeritate, & ficta humilitate, in quibus vitia opposita Ecclesiæ multum reddunt.

Idem. Quamuis per has locustas possint designari omnes mali Christiani status corrupti: quorum malicia est multa & publica, & multorum læsiua & cruciatiua, magis tamen propriè, quoad hunc ipsum sensum, designat prauam multitudinem clericorum & monachorum, & judicum, & cæterorum curialium, qui plurimos & temporaliter & spiritualiter pungunt & cruciant multis modis: qui omnes de fumo putei exierunt, quia de prauo exemplo effrenationis præfatæ originem sui mali traxerunt: & etiam, quia quasi infernales ciues, & dæmones magis quàm homines, de puteo inferni cum prædicto fumo exempli pessimi videntur exijsse.

Idem. Et sic Pontifices & Scribæ & Pharisæi dicebant, se defendere legem, & legis cultum, & honorare Deum: & tamen ipsi crucifixerunt filium Dei, legis medullam & finem. Sic similibus modis similes istis in Ecclesia dicent, se tenere locum Christi, & veritatem docere Euangelij: & perfectionem vitæ Christi horrendis transgressionibus & malitiosissimis condemnationibus crucifigent.

Idem. Nam numerus temporis eius apertè describitur in pluribus locis Apoc. qui numerus est mille CCLX. anni. Super quem numerum Abbas Ioachim omnes suas reuelationes fundauit, qui fuit vir magni luminis & virtutis, & maximè libros scripsit Concordiæ noui & veteris Testamenti, in quibus mira proportione 42. generationes secundi status, scilicet Ecclesiæ de gentibus, XLII. generationibus status primi, quas Matth. ponit, sic concordando describit. Accipit autem 42. tricenarios annorum pro 42. generationibus secundi status.

Idem. Ad tantum autem malum non potuisset subitò deduci sanctitas Prælatorum quinti temporis, nisi magno tempore priùs incepissent ruere per ambitiones pomposas, & temporalium fastuositates superfluas & multiplicatas, simoniacas auaritias, & electiones peruersas, & carnales promotiones suorum, & negligentias Spiritualium cultuum & altarum virtutum, vt sic malis dispositionibus præambulis potitis, tandem diabolus posset huius pessimi introducere malam formam.

Ibidem. Dicitur autem carnalis Ecclesia noua Babylon, quæ Ecclesia vocatur meretrix magna, cùm, quia ordo virtutum est in ipsa per deordinationem vitiorum enormiter confusus, & verus cultus & amor sponsi Iesu turpiter adulteratus: tum, quia in malo non solùm intensiuè, sed etiam extensiuè est magis: ita quòd boni sunt in ea sicut pauca grana tritici sub immenso cumulo palearum: tum etiam quia, sicut filij Israël fuerunt in Babylone captiuati, & vehementer oppressi: sic Spiritus justorum huius temporis supra modum angustiatur & opprimitur à principatu, & prædominio Babylonis, & velit nolit, in multis meretricis actibus ei seruire compellitur. Non mireris ergò, si de casu tanti sceleris cantatur à Sanctis huius vitæ solennissimum Alleluia.

Idem. Quia Iesus Christus Clero & populo multipliciter iam vilificatur & despicitur, Ecclesiaque contemnitur: ideo magna pericula nos expectant his temporibus, qui modò à ducentis annis hactenus sumus in initio sexti status Ecclesiæ, & submergimur in fecibus quinti status, in cuius fine dignitas Ecclesiastica supprimetur.

Idem. Corruptio ordinum Mendicantium spectat ad vltima feculenta sexti status, quando spiritus Iesu Christi penitus illudetur, & despicietur. Illi Mendicantes peruersi designantur per locustas, de puteo abyssi exeuntes: quia ipsi sunt scurriles, leues, volatiles, carnales, rodentes sacras literas, virides, paganicæ philosophiæ sequaces, quasi equi currentes, sic illi in vanam disputationem.

Idem in libro Arboris Vitæ Crucifixi Iesu. Gog erit vltimum flagellum post Antichristum. Et postea: & creditur, fore crudelius & acerbius flagellum Gog & Magog contra Ecclesiam, quàm fuerit illud Antichristi: quia erit cauda Antichristi.

Idem. Exinde pristina Prælatorum sanctitas paulatim decreuit, & ruere incepit per ambitiones, scilicet per pompas & simonias, per illegitimas electiones & auaritias, per multiplicationem & superfluitatem temporalium, per carnales suorum promotiones: per negligentiam diuinorum cultuum, & per alia opera peruersa, propter quæ, tanquam subiecta præambula, & malè disposita, diabolus aduersus præsentem Ecclesiæ statum est solutus, & permissus inducere suppressiones iniquas.

Idem in libro de 7. statibus Ecclesiæ, Iesus falsificatus, capite quarto. Sicut autem pius & patiens Iesus post illusionem & despectum, & post multas iniurias fuit crucifixus & mortuus, sic & post multas illusiones Spiritus sui in relaxationibus multis mortificata est veritas non solùm vitæ, sed scientiæ & doctrinæ, & prælationis Romanæ.

Ioannes Parisiensis de Antichristo.

1310. ANno Domini 1287. facta est quædam visio Trypoli cuidam monacho grisei ordinis, celebranti missam coram Abbate suo, & alio præsente monacho, intra oblationem & communionem. Nam apparuit quædam manus scribens super corporale, in quo dictus monachus corpus Domini consecrauit, sic: Cedrus alta Libani succidetur, & Trypolis in breui destruetur. Mars Saturnum superabit, & Saturnus insidiabitur Ioui. Vespertilio dominum apum superabit. Intra tres annos, vna fides & altus Deus euanuit. Filii Israel à captiuitate liberabuntur. Quædam gens, quæ sine capite vocatur, veniet. Veh autem Clero, & tibi Christianitas. Nauicula Petri iactabitur magnis fluctibus, sed euadet & dominabitur in fine dierum, & in mundo erunt multa prælia, & multæ strages, & omnis terra trita turbabitur, & fames valida, & hominum mortalitas per loca, & regnorum mutationes: terra barbarorum pervertetur: ordines mendicantium, & aliæ sectæ tam marium, quàm muliebrium, quàm plures annihilabuntur. Tunc surget leo de cauernis montium, & montana transcendet, & alium leonem interficiet: bestia Occidentalis & leo Orientalis totum mundum sibi subiugabunt: & tunc erit pax in vniuerso orbe, & copia fructuum, & omnium rerum abundantia per quindecim annos. Tunc erit passagium commune ad terram sanctam: ciuitas Hierusalem gloriabitur, & omnes ciuitates Iudeæ reædificabuntur. Sepulchrum Domini ab omnibus honorabitur, & in tanta tranquillitate audientur noua de Antichristo, cuncta mirabilia. Beatus qui tunc vicerit, non lædetur à morte secunda.

Hæc autem prophetia licet sit verificata in parte, scilicet quantum ad ea quæ prædixerat de Trypoli, tamen quantum ad residuum est obscura, quia dubium est, quid significent nomina & vtrùm simul vel distanter, & in tanta distantia futura sint.

Prophetia inuenta in oppido Mestri apud Venetias in *quodam antiquissimo lib. autentico.*

IN illo tempore, Aquila veniens à septentrione descendet in Liguriam, quasi nemine sciente, & radicabit nidum suum sagacioribus pennis, cæteras aquilasque prædicet inantea, per aliud tempus transibit ad elephantem, vir stabit: Erunt duo sponsi, vnus legitimus, alter adulter. Hæc aquila transibit in Liguriam: & incipient tribulationes & bella, & præliabitur in mari & in terra. Et legitimus sponsus fugiet, & non reperietur. Adulter verò regnabit. Clamabitur pax, & non reperietur, blasphemabitur nomen Domini. Et non erit oratio in terra: vnusquisque operabitur secundum suam potentiam. Ecce leo gallicus obuiabit aquilæ, & feriet caput ipsius, erit bellum immensum, & mors valida. Vnus admittet, & qui admittet, fugiet in Thusciam, & illic reassumet vires. Ecce prælia & mortalitas, quæ nunquam fuerunt ab origine mundi, nec erunt ampliùs vsque ad finem: quia illic congregabuntur gentes ab omni natione. Vnus eorum veniet in fine, & qui amittet, fugiet: & qui vincet, ibit ad elephantem, & ibi ponet sedem antiquam. Et conuocabit sponsus legitimus, & ponet eum in sedem suam, & deponet non legitimum. Et conuocabit leonem cum quo habet rixam, & faciet pacem secum, & ponet eum in regnum suum. Et vocabit tauros pingues & baronos: & faciet eis truncari capita per iusticiam, quam gesserunt: & reducet Ecclesiam ad primum statum, & dabit ius suum cuique petenti, & tunc terra incipiet dare fructos suos, & erit pax per vniuersum orbem.

Alia Prophetia.

GRipho regalis genitus in Francia, veniet in Orientem, trahens ad se magnam caudam: quia duobus brachiis associabitur coniuncta gente Christi. Imperator viperam inueniet in cauernis, quæ coronabilis iam existet. Ibi erit tanta strages & effusio sanguinis, quæ non fuit, ex quo gigantes fuerunt: tunc gaudebit vndique sponsus: tunc gaudebit pars diabolica, quæ Ecclesia vocabitur: tunc imperialis vndique annihilabitur: & vipera reuocabit, & iterum redibit Flo. & nomina duarum ciuitatum circundabit. Veh tibi ciuitati Phorum: veh tibi Lombarbia, regnante virtute Griphonis: quia turris gaudii tui euertetur.

His auditis, & aliis quæ in libris prophetarum continentur, orietur Leopardus & aquila Aquilonis, rufum habens colorem, rostrum plicatum, cor leonis, caudam bouis, vires lupi:

Leopardus paruus, sic tam viribus potens & magnus, cui nemo resistere poterit, nisi Deus Deorum, transiturus alios peritos, vetans potum sitientibus, infirmis sanitatem: tunc lilium deflorebit, & aquilæ reuiuiscent: tunc pars Imperialis vndique reuocabitur, & erit in campis cum Griphone : gripho verò iungetur, sed donabitur in exilium Sponsi, & non inuenietur : & iterum erit in campis cum leopardo : reminiscens leopardus prædecessorum suorum viribus extendet.

Alia prophetia. Figulus de Arabia.

FEra pessima cum cauda veneno amarissimo plena, in suum intrabit cubiculum, fœtosum nidum, in tantum, quòd maxima serpentinorum quantitas multiplicabitur : ita quòd radices per vniuersa cubicula clericorum transibunt :& dignitates sacerdotales in maxima sanguinis occisione peruenient : & propter mortis angustiam in locis montanis & spinosis suprà attendent, & spernent nomen Domini nostri. Et erunt angustiæ, & fames per vniuersa mundi loca, in tantum, quòd maxima pars gentium mortem clamabunt.

Et postea venient reges tres in vidua ciuitate, & dabunt Deum ei: & superbia auri in maritima ciuitate existens per seruitium aureum erit suffocata: & serpens sanguinolentus in ore mortuus. Nigra verò aquila cum quinque pennis aureis ad partes fluminis Tyberini, cum suarum comitiua perueniet. Et quidam Rex titulum pacis habens, dominus viduæ & sanctæ ciuitatis erit effectus. Et fiet passagium, & peregrinantes in suas intrabunt mansiones, & obtinebunt. Et lux quæ erat per tantum tempus abscondita, clara per totum mundum manebit.

Effectus futurorum.

PRimò: vnus pastor, qui recipiet vtramq; Ecclesiam concordaliter cum magna pace.

Secundò: quòd temporalia Ecclesiæ dabunt vni Regi, & hoc etiam concorditer.

Tertiò: vnitas prædicta, & Rex diu durabit in regno suo.

Quartò: deponentur tyranni in terris Ecclesiæ, & sub nomine regis gubernabuntur omnia.

Quintò: Vniuersitas Christianorum credet in electum, tanquam in verum pastorem, & sponsum Ecclesiæ.

Sextò: non erit ampliùs schisma in Ecclesia, vsque ad tempus Antichristi.

Septimò: fiet passagium per prædictum regem, & omnes gentes armorum secum ducet.

Octauò: fiet conuersio generalis, exceptis Iudæis, ad fidem Christi.

Idem F. Ioannes de Parisiis in tractatu de potestate Regiâ, & Papali. Si Papa habet à Deo potestatem secularem immediatè, & Princeps habet executionem à Papâ immediatè: ergò princeps est minister Papæ, sicut Papa minister Dei vel Christi: quod videtur inconueniens, & contra scripturam Canonicam. Dicitur enim Romanorum decimo tertio cap. de Rege & Principe: si malè feceris, time, non enim sine causâ gladium portat. Dei enim minister est, & vindex malorum in irâ, &c. & ideò præstatis tributa: minister enim Dei est. Non dicit Papæ, sed Dei. In hoc enim Christo seruitis : Glossa, seu Deo. Item priùs fuit potestas regia secundum se, & quantum ad exsecutionem, quàm papalis: & priùs fuerunt reges Franciæ in Franciâ, quàm Christiani: Ergò potestas regia nec secundum se, nec quantum ad exsecutionem, est à Papa: sed est à Deo, & à populo regem eligente in personâ, vel in domo: & sic, sicut antè. Dicere enim, quòd potestas regia priùs esset à Deo immediatè, & postea à Papa, est valdè ridiculosum. Non enim potest hoc esse, nisi Christus Petro dederit potestatem conferendi regiam potestatem, quod non est verum. Indubitanter est à Deo igitur, sicut antè.

Et aliquantò pòst inquit idem Ioannes monachus: licitum est principi, abusum gladii spiritualis repellere eo modo, quo potest, etiam per gladium materialem: præcipuè vbi abusus gladii spiritualis vergit in malum Reip. cuius cura regi incumbit. Aliter enim sine causâ gladium portaret.

Idem. Antichristus, vt quidam volunt, in Ecclesia Dei sedebit tanquam sit Deus, id est, Dei vicarius: bona Ecclesiæ furabitur, ea sibi thesaurizando, id est, consanguineis, & nepotibus. Ioachimus Abbas Antichristum nasciturum dixit anno 1300. de quo suprà.

Idem. Anno 1356. tolletur verus vsus Sacramenti, & spiritualis refectio verbi Dei.

Gerbardus Archiepiscopus Moguntinus.

FVit hic tantæ superbiæ, vt sæpiùs arroganter, & iactanter dicere ipsum non puderet, se habere Reges in pera sua: quasi ipse solus posset Reges Romanorum creare, & depone. Sed mentita est iniquitas sibi: ipse namque longè ante Albertum mortuus est. Imp. & PP. V. S.

Raymundus Lullius Catalanus Monachus.

HIc impia multa scripsit, & diabolica audacia asserebat, se à Christo sibi apparente in formâ crucifixi, in quodam monte accepisse, vt totum orbem à tenebris, quibus detinebatur, liberaret. Bern. Lutzenburgius. Imp. Henr. 7. PP. Clemente 5. V. S.

Ostentum.

HOc anno VVeiblingæ mulier Leonem peperit. Hermannus Minorita. Imp. 108. Henr. 7. Papa 200. Clem: 5.

Henricus Frauuenlob.

HIc quia multa, fortè cognomine motus, in laudem fœminei sexus scripsit, post mortem, gratitudinis ergò, à mulieribus ad sepulchrum deportatus, & magnificè, maximaque pompa incineratus fuit. Alb. Argentinensis. Imp. 109. Lud. Bauaro. PP. 201. Ioa. 22.

De Paparum cum Imperatoribus concordia.

Imperatore 109. Ludouico Bauaro. Papa 201. Ioanne XXII. & 202. Benedicto XII.

HEnrico, eo quo diximus modo, perfidè sublato, quæ tempestas in vita eius impendere videbatur, post obitum eius, sæuo dissensionum turbine, malorumq; procellis detonuit. Friderico siquidem Austriaco & Ludouico Bauaro, discordi Electorum suffragio electis, Ioannes XXII. vtriusq; exagitandi occasione oblata, initio Fridericum ignominiosissimè reprobauit. Nam cùm Cunradus Gurcensis Episcopus ab Austriacis missus, vt à pontifice Friderici imperium, Ludouico in ordinem redacto, ratum haberi peteret: & auis atauisq; Friderici collaudatis, fortes fortibus atq; bonis procreari commemoraret, is arrogantissimè respondit: Solomonem omnium mortalium haud dubiè sapientissimum, filium tamen stolidissimum genuisse. Minimè obscurè hoc innuens, Fridericum à maioribus degenerare, imperiiq; corona indignum esse. Sed paulò pòst cum ipso clàm concordia inita, ipsum contra Ludouicum, quem regem & dilectionis filium, instar Iudæ salutârat, concitatum in Italiam contra Maphæum, eiusq; filios Vicecomites, Genuam infestantes, vocauit. Ac Friderico anno octauo post electionem acie victo & capto, Ludouicum acerrimo odio persequens, vt Ecclesiæ rebellem, schismaticum & hæreticum declarat, cùm quòd statim post electionem, antequàm à Papa iuberetur, nomen iusq; Imperii vsurpasset: tum quòd fratres quosdam Minores à se hæreticos condemnatos, dirisq; imprecationibus proscriptos, suscipere, & Galeatio Vicecomiti Mediolanensi eiusq; fratribus, contra Pontificios suppetias ferre non dubitasset.

Ludouicus ergò, cùm ex diuini humaniq; iuris peritissimis eius ætatis consultis intellexisset, acta & dogmata Ioannis Christianæ doctrinæ repugnare, papam debere subesse Imperatori, nec hunc in temporalibus illi subiectum, ita confirmatus est, vt à Papa malè informato, quemadmodum loquuntur, ad Papam benè informandum, & ad conciliũ generale, quando esset Romæ in sede beati Petri, appellaret, Papæq; conatibus sese viriliter opponeret: appellationis formula per omnes Imperii fines promulgata. Cæterùm, dum ad hunc modum verbis & scriptis contenderetur: accidit, vt Romani grauissimis factionibus vexati, missis ad Ioannẽ legatis supplices peterent, vt Auinione relicta, vrbem pontificum sedem reuiseret, ac regi Romanorum imperialia signa conferret: id ni faceret, se antiquam populi Romani legem ac iura seruaturos, asserentes. Verùm pontifice petita Romanorum non solùm renuente, sed & summa cum ignominia, terroribus ac minis oratores auditos à se repellente: illi indignitate fastus pontificalis moti, Ludouicum, tanquam legitimum Imperatorem, literis & nunciis Romam vocant. Ludouicus ergò ipsorum postulatis acquiescens, Italiam cum exercitu petit: ac Mediolani ab archiepiscopo pro more coronatus, cùm, antequàm armis rem experiretur, rabiem pontificis deliniendam statueret, missis ad eum legatis, Imperialia signa sibi more maiorum ab eo conferri benignè, rogat. At cùm Pontifex id non modò facere recusaret, sed & legatis repulsis, Imperatorem ipsum peremtoriè (vt dicitur) Auinionem citaret: Imperator, qui pontificiam tyrannidem in Ecclesia agnosceret, & Imperatoriam dignitatem diuinitus sibi collatam, sanctam & inuiolatam seruare studeret, pontifici serui instar subiici, & Auinionem petere denegat, ac pacis studio denuò per nuncios Imperialium signorum collationem postulat. Quibus à pontifice denegatis, simulq; Vicecomitibus in odium eius anathemate percussis: tum verò Ludouicus rebus Mediolani constitutis, Romã proficiscitur: ibiq; magna cum gratulatione exceptus, iussu totius cleri ac populi, vnà cum coniuge à Stephano de Columna cardinale coronatur, omnibus nobilibus qui astabant acclamantibus, Ludouicum Augustum Romanorum Imperatorem: & mox

eorum

eorum consilio, Petrum Corbariensem, professorem Minorem, virum doctum, ac ad res gerendas aptissimum, summum pontificem creat: qui simulachro Ioannis fabrefacto, id astante Cæsare ignominiosè concremat: eumq; hæreticum atque Ecclesiæ tyrannum, publicæque Christianorum pacis perturbatorem declarat.

Cæterùm Ioannes hisce auditis, & ipse durissimos processus contra Ludouicum publicat, Imperiali eum deiiciens dignitate: crudelissimaque excommunicatione, tanquam Romanæ Ecclesiæ rebellem & hæresiarcham, acerbissimè condemnans. Imperator ergò Ludouicus, cui Italia, cùm quòd longo tempore in ea fuisset commoratus, tum quòd venenum (quo Romanistas magis quàm armis certare cognouerat) metueret, displicere cœpisset: hac tanta pontificis rabie cognita, Germaniam repetiit. In quam eo reuerso, Papa Ioannes mox Auinione moritur, omnium animis in eam spem erectis, noui pontificis electione tantas turbas sedatum iri. Sed huic succedens Benedictus duodecimus nil ipso benignior in Ludouicum existit. Nam statim censuras in Bauarum à Ioanne factas, vt in vsurpatorem Imperii, confirmat, eumque omni regio honore, & ducatu Bauariæ priuat.

Cæsar itaque cùm hoc à pontificibus agi cerneret, vt Cæsarea dignitate conculcata, tyrannidem suam stabilirent: Francofurtum principibus, ac humanæ diuinæque sapientiæ doctissimis quibusdam conuocatis, decretum de consilio doctorum sub sigillo suo contra processus defuncti Ioannis promulgat, rationem fidei suæ clarissimè reddit, planè ingenueque profitens, se Christianum hominem, articulos fidei integrè credere. Ad hæc multa præclara proponit, publica atque solenni acclamatione nouas confirmationes antiquis legibus addens, easque corroborans: scilicet vt Electores imperii, & nullus alius, regem Romanorum eligant: cuique plura accedant principum suffragia, is etiam in discordia verus censeatur electus siue Rex, siue Imperator: cùm in essentia idem sint, licet nomina diuersa credantur: idemque possit, citra Apostolicæ sedis confirmationem, Imperii iura & exercere & administrare.

Debeat quoq; mox idem post principum insinuationem à Pontifice inungi, si legitimè sit electus. Quod si recuset Pontifex, possit à quocunq; catholico antistite proclamari Imperator & Augustus: cùm maximè inunctiones istæ, solennitates tantùm quædam sint adinuenticiæ, à Pontificibus excogitatæ, nomina tantùm, & non res concedentes. Quis enim Rom. Pont. consecrauit Constantinopolitanos Imperatores? Et quis, ante Carolum, multos Christianos Cæsares? & ante Constantinum, ethnicos quis sacrauit Imperatores? Nec fidelitatis iuramentum Pontifici tribuit Imperator: sed obsequii, ac fidei defensionis. Præterea falsissimum esse ostendit, per vacationem Imperii ius ad Papam deuolui: idque esse contra sacri Imperii libertatem, dignitatem, iura ac maiestatem. Longa enim & approbata consuetudine, inconcussè à maiorum ordinatione hactenus obseruata, vacante imperio, ius administrandi Imperii iura, feuda conferendi, & negocia cætera disponendi, Palatino Rheni debetur, non obstante Clementina Pastoralis.

Quis hanc prudentiam Ludouici, cum insigni moderatione coniunctam, non efferat? qui ira atq; vindictæ cupiditate repressa, omnia ita egit, vt prudentia principibus Germaniæ probata, bonitas pontifici ipsi celebrata sit? Nam cùm paulò post initia pontificatus inter Benedictum, regemque Franciæ, simultate exorta, Imperator de ea certior factus, per splendidissimam legationem à Pontifice absolutionem & restitutionem peteret: pontifex multis in laudem Germaniæ & Ludouici commemoratis, se curaturum promisit, vt nobilis iste ramus Ecclesiæ (Ludouicum intelligens) qui iam ab arbore separari cœpisset, eidem redintegraretur: & aduersus oratores regis Galliæ, Rupertique Apuliæ, qui ipsum multa nefanda contra pontificem machinatum, conquerebantur, intrepidè tutatus est: cum aperta testificatione, pontificios contra eum, non ipsum contra eos fecisse.

Verùm vtut innocentiam Ludouici agnosceret, tamen rege Franciæ in odium Imperatoris atq; pontificis, Cardinalium reditus in regno Galliæ interuertente, ac rege Bohemiæ Ioanne, & duce Bauariæ Henrico de nouo Imperatore eligendo nefaria consilia agitantibus, facilè ab absolutione innocentissimi Imperatoris se retrahi passus est: & pace tandem inter Ludouicum & Francum constituta, Pontifex, qui hanc inuitus videret, eam ratam firmamq; rogatus habere noluit: prætendens, Ludouicum ad arbitrium regis nunc hæreticum, nunc Christianissimum minimè haberi debere. En quibus artibus pontifices, nostros imperatores tractare, ludificarique soleant?

Hoc itaque modo absolutionis negocio protracto, Imperator, qui fraudes pontificias animaduerteret, Electores ac principes Rensii conuocat: quos cùm facilè comitate, liberalitate atque clementia sua sibi deuinxisset, res eò deducta est, vt non tantùm præstito iuramento, Imperii iura se se seruaturos promitterent: sed & decernerent, Ioannis quondam pontificis processus aduersus Ludouicum nullos fuisse, nec decuisse pontificem talia contra Imperatorem attentare, cùm eorum jurisdictiones distinctæ sint.

Interea Benedicto vitæ finem accipienti, succedit Clemens VI. homo mulierum, honoris, ac potentiæ cupidissimus: qui statim diabolico furore percitus, literis latinis & germanicis in foribus templorum affixis, grauissimarum pœnarum supplicium Imperatori comminabatur, nisi infra triduum Deo & Ecclesiæ (se huius nomine intelligens) satisfaceret, & ab occupatione iurium Imperii desisteret: eoque triduo exacto, & nemine Imperatoris nomine comparente, eum contumacem

declarat: ac postea per Oratores veniam petenti, cum oblatione, se omnia iniuncta pro virili facturum, formulam reconciliationis durissimam, cumque perpetua turpitudine coniunctam præscribit: nimirùm, vt omnes hæreses atque errores confiteretur, Imperium deponeret, & se atque filios suos, & bona omnia in manus ac voluntatem ipsius reponeret. Vbi hic boni pastoris forma? vbi patris aspectus? vbi sanctimoniæ specimen?

Verùm enimuerò, etsi has conditiones ne vilissimum quodque mancipium acceptasset: optimus tamen Imperator, cùm bella, cædes, ac sanguinis effusiones, si se non subiiceret, exoritura videret, formulam pontificiam ad se allatam recipit: illam non tantùm sigillo corroborans, sed & seruaturū sese iuramento affirmans: in tantum se deijciens, vt pontifex hac humilitate audita, cum toto suo purpurato collegio admodum miratus sit.

Cùm autem rem tantam citra Electorum, principum atque ordinum imperii consilium suscipi minimè fas duceret, ideoque ipsis Francofurti congregatis, formulam reconciliationis perlegendam monstraret: ipsi, qui eam in plerisque in perniciem atque destructionem Imperii conceptam iudicarent, ea reiecta, Imperatori firmum auxilium, si iura Imperii, vt antè fecerat, strenuè viriliterque propugnaret, promiserunt: simulque legatione ad Pontificem missa, ipsum monuère, vt à friuolis illis, & in læsionem Imperii excogitatis conditionibus desisteret.

Ea itaque ad Pontificem veniente, rigoremque articulorum in Imperii perniciem conceptorum declarante, nec aliud agente, aut petente: Pontifex, qui horum omnium causam in Ludouicum transferret, elusæ tigridis instar efferatus, cum Ioanne ac Carolo Bohemiæ regibus antè à Ludouico deuictis, eorumque patruo Balduino Treuirensi archiepiscopo, de Ludouici filiorumque eius extirpatione maiori solicitudine meditari cœpit.

Anno igitur humanæ liberationis quadragesimo sexto, supra millesimum trecentesimum, in cœna Domini Ludouicum Imperatorem crudelissimè execratur: ac Ioannis pontificis durissimis processibus innouatis, eam hæreticum ac schismaticum declarat. Adhæc, ne quid intentatum relinquat, principes Electores admonet, vt alium Imperatorem intra certum tempus eligant. Id ni faciant, se daturum operam, ne diutius Ecclesia patrono careat, & aduocato. Postremò, in gratiam Bohemorum prædictorum, archiepiscopum Moguntinum Heinricum de VVirtenburg, quòd Imperatori adhæreret, dignitate ac auctoritate eligendi priuat, inq; eius locum Gerlacum Adolphi Nassauiensis, quondam Romanorum regis nepotem, & pontificum sacellanum sufficit.

Nouus itaque pontificius Archiepiscopus, quò sui domini cupiditati seruiret, ac officium à Bohemis in se collatum simili officii genere remuneraret, ad nouum Imperatorem deligendum, principibus Rensii conuocatis, cum Balduino Treuirensi, Vualramo Coloniensi, Rodulpho Saxoniæ duce, & Ioanne Bohemo patre, Carolum Bohemum regem Romanorum statuit.

Etsi autem Ludouico viuo Carolus electus, & Bonnæ coronatus sit: tamen & eius autoritas, & ciuitatum erga eum beneuolentia tanta fuit, vt conuocatis post electionem Caroli principibus ac ciuitatibus Imperialibus Spiram, nullus inuentus sit, qui vel electionem Caroli approbaret, vel processus pontificios curaret, sed omnes, in fide dicta se permansuros, affirmârint.

Quid itaq;, si armis negocium transigere voluisset? At cùm nunquam, quantumuis contumeliis irritatus, vlli bellum intulisset, sed semper tantùm armis inuadentes repulisset: patriæ ac publicæ vtilitatis ratione habita, nihil armis tentandum statuit, sed ad sua se recepit: vbi in lætiori conuiuio, veneno, ex Clementis insidiis (vt quidam literis prodidère) hausto, dum venationem ingreditur, quò motu atque labore corpus calefaceret, de equo præcipitatus, indignissimè eripitur bonis omnibus, anno proximo post Caroli electionem, quinto idus octobris, anno salutis millesimo trecentesimo quadragesimo septimo: cùm annos tres & triginta inter magnas aduersationes ita tenuisset Imperium, vt quem viuentem boni omnes, spreta pontificia execratione, iuuerant, eius defuncti nomen atque memoriam contra maledicos eius constanter defenderent: vt cùm ex aliis historiis, tum ex ea, quæ de Basiliensi Consule literis est prodita, id patet.

Nam cùm Episcopus Bambergensis, sibi à pontifice commissione (vt vocant) de absoluendis iis, qui Ludouico adhæsissent, Auinione transmissa, anno sequenti post mortem Ludouici Carolum Basileam comitatus, Senatui persuadere conaretur, vt (quandoquidem partium Ludouici à Pontifice excommunicati fuissent) absolutionem peterent: tum Cunradus de Berenfels, consul ciuitatis Basiliensis, præsente Carolo, multisque aliis Ecclesiasticis atque prophanis, masculè respondit, dicens: Domine Bambergensis, sciatis, quòd nec fateri, nec credere volumus, dominum nostrum Ludouicum, Imperatorem Romanorum vnquam fuisse hæreticum: & quemcunque Imperii Electores nobis dederint, hunc recipiemus, etiamsi nunquam Papam requirat.

Vt autem hæc mascula vox Consulis animum viri, legitimum magistratum debito honore agnoscentis, ac innocentiæ, virtutis amore, testimonium perhibere minimè reformidantis ostendit: sic Ludouicus eo dignissimus fuit, vir siquidem optimus, ac imperii libertatis studiosissimus, hostisque pontificiæ tyrannidis acerrimus extitit: ita vt meritò numero eorum aggregandus videatur, qui bene de patria merendi studio, nullas aduersitates refugerunt: sed patriæ digni-

tatem

tatem commodis priuatis præponentes, omnis posteritatis memoria dignissimi censentur. Schardius ex Vrsp. Nauclero, Crantzio, Auentino, Mario, Cuspiniano, & aliis.

Robertus Liciensis monachus. 1320.

ROBertus hic in præsentia Papæ & Cardinalium suggestum ascendit: & nihil aliud, quàm hæc saltem verba subinde declamando prædicauit: Vah te Sanctum Petrum, vah te Sanctum Paulum.

Papa verò cùm eum in carcerem coniicere vellet, causamq; ipsius tam insolitæ concionis sciscitaretur, respondit ille: Non equidem satis possum collaudare Papam cum Cardinalibus, Episcopis, Monachis & id genus suis hominibus, quòd clauium potestate, sibi ipsis & aliis liberalem cœli aperiendi faciendo copiam, tam frugaliter fruuntur, & vtuntur probè, & ex hoc hilarem iucundamque sibi parant vitam, & Bacchanalia viuunt: vice verò versa Petrum Paulum & similes Apostolos vituperare, quòd clauium potestate, vtpote in quos primos à Christo illa est infusa, tam parcè vsi, duriter adeò & rigidè vixerunt, cùm illustrem pariter vitam athleticam agere, & cælum rectà intrare potuissent, vt nostrates: verùm tenaces Euclíones & austeri patres, cùm non opus fuisset, tamen cœli introitum tam difficilem finxerunt & fecerunt. Huius quoque mentionem facit Henricus Stephanus & Erasmus. Imp. & PP. V. S.

Idem. Genesis trigesimo septimo c. Iosephus accusauit fratres suos apud patrem de crimine pessimo: Robertus hic intelligit de vitio Sodomiæ. Etiam illo namque tempore homines erant Sodomitæ, Geneseos 12.

Idem. Quidam frater coniectus fuerat in carcerem, quòd dormierat cum monialibus. Ego cùm dicerem fratri, quare tam graue sacrilegium perpetrasset, respondit, sibi iniuriam fieri: nunquam enim se monialem aliquam tetigisse, quoniam plùs delectaretur coitione cum masculis. Super quo exclamat Robertus: ô vitium execrandum, ô peccatum horrendum.

Franciscus Maronius Franciscanus. 1320.

HIc magnanimum illum disputandi actum Parisiis in Sorbona subintroduxit, quo æstate per singulos dies Veneris respondetur à quinta matutina ad septimam vespertinam, sine præside, sine socio, sine prandio & pastu, sine vlla emigratione, in eadem perpetua corporis sede, & animi contentione, donec cunctis opponentibus satisfactum sit, præsertim Baculariis primi & secundi ordinis, qui sunt ad minimum sexaginta, & argumenta circiter 100. agitant. Nam singuli primi ordinis duo texunt, primus etiam, quem priorem appellant, nouem. Facinus inexpertis formidabile, at cuius causa nemo hactenus in valetudinis discrimen venerit, plures meliùs habuerint, siue quia vis audentes diuina iuuat, siue quia mentis contentio non sinit cogitare de corpore, minùs de tempore. Imp. 109. Ludo. Bauaro. PP. 201. Ioanne 22.

Guilielmus Occam Minorita. 1320

QVòd Papa intrans canonicè potest errare contra catholicam veritatem, multis exemplis ostenditur. Apertum autem exemplum est de Apostolorum principe beato Petro, quem ideo, vt videtur, diuina prouidentia, postquàm ipsum ad papatum assumsit, errare permisit, ne successores eius (ipso fide, constantiâ, & sanctitate longè inferiores) se non posse errare, putarent. Quòd autē beatus Petrus contra veritatem Euangelii errauerit, Beatus Paulus, ad Galatas secundo c. asserit manifestè dicens: Cùm autem venisset, &c. Ex illis verbis datur intelligi, quòd beatus Petrus à veritate deuiauit. Vnde, quòd à fide Christi exorbitauerit, habetur in decretis. 2. q. 7. c. 7. testes. Ecce ibi Gratianus allegat, quòd subditi valeant reprehendere prælatos per exemplum de Paulo, qui reprehendit Petrum, cui allegationi respondet, dicens: quòd hoc licet, quando prælati à fide exorbitant, sicut exorbitauit Petrus. Vnde dicit ibidem in hæc verba: Paulus Petrum reprehendit, qui princeps apostolorum erat: vnde datur intelligi, quòd subditi possunt reprehendere prælatos, si fuerint reprehensibiles.

Secundum exemplum est de Marcellino papâ, qui contra fidem errauit idola adorando: de quo Nicolaus papa, vt habetur di. 21. c. nunc autem. ait: Tempore Diocletiani, & Maximiani Augustorum Marcellinus Episcopus vrbis Romanæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeò compulsus est à paganis, vt templum eorum ingressus grana thuris super prunas imponeret. Et in legenda eius sic legitur: Marcellinus ad sacrificandum ductus est, vt thurificaret, quod etiam fecit. Et in chronicis sic habetur: quia compulsus à Diocletiano incensum idolis dedit. Et infra: ad scelus, inquit, idololatriæ iudicio me deponendum, & anathematizo, quicunq; corpus meum sepulturæ tradiderit: & flens dixit: heu me anathematizaui, & nō possum in sacerdotio remanere. Ex his colligitur, quòd B. Marcellinus Papa contra fidem errauit, scelus idololatriæ committendo.

Tertium exemplum ponitur de Liberio Papa, qui consensit perfidiæ Arrianæ, sicut in chronicis legitur manifestè. Potest Papa hæreticari, licet nunquam papatui renunciet.

quartum exemplum ponitur de Anastasio secundo Papa, qui propter hæreticam prauitatem fuit à Romanâ repudiatus Ecclesiâ, de quo in Decre. di. 19. sic legitur: Anastasius secundus natione Romanus, fuit temporibus Theodorici regis: eodem tempore multi clerici se à communione ipsius abegerunt, eò quòd communicasset, sine consilio Episcoporum vel Presbyterorum Ecclesiæ cunctæ catholicæ, decano Thessalonicensi, nomine Fotino, qui in scelere communicauerat Achaio: & quòd voluit occultè reuocare Achaium, & non potuit, nutu Dei percussus est, & dum assellaret, emisit viscera. Quintum exemplum de Symmacho hæreseos insimulato. Sextum de Leone conuicto ab Hilario Pictauiense. Septimum de Syluestro secundo, qui diabolo homagium fecerat, & dum Papa fuit, eum consuluit. Octauum de pluribus summis pontificibus diuersa contra fidem sentientibus, vt de Ioanne 22. & de Nicolao 3. item de Innocentio 3. & alijs pluribus. Papam errare posse probat etiam rationibus quindecim firmissimis, quas vide apud illum. Imp. Ludouico 4. PP. Ioanne 22. vt suprà.

Idem cap. 93. operis nonaginta dierum. Oportet probare, quòd Beatus Petrus non fuit vicarius Christi, quantum ad officium regni temporalis, nec etiam in temporalibus quibuscunque, probatur autem sic: si Beatus Petrus fuisset vicarius Christi quantum ad officium regni temporalis in aliquo regno temporali: beatus Petrus habuisset potestatem judicandi omnes, & de omnibus nō solùm credentibus, sed etiam non credentibus constitutis in regno sibi subjecto: sed Beatus Petrus de infidelibus qui nunquam fidem Christi susceperunt, habuit minimè iudicare, teste Apostolo, qui de imperio omnium prælatorum Ecclesiæ dixit 1. Corinth. 5. Quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare? Ergo B. Petrus de his, qui foris erant, in quocunque regno, non habuit iudicare & ita non fuit vicarius Christi in quocunque regno temporali. Secundò sic: Qui est vicarius generalis alicuius regis temporalis in aliquo regno non habentis superiorem, habet jurisdictionem temporalem super omnes constitutos in regno, qui per regem minimè sunt exemti: sed Christus instituendo Beatum Petrum vicarium, nullum exemit à jurisdictione Beati Petri: Ergò Beatus Petrus habuit jurisdictionem temporalem super omnes constitutos in regno: ita cùm regnum ipsi non plus fuerit vnum quàm aliud, sequitur, quòd Beatus Petrus habuit jurisdictionem super imperatorem, & omnes alios reges: ex quo sequitur, quòd, cùm Romanus Pontifex sit successor Beati Petri, & ei æqualis in potestate à Christo sibi concessa, quilibet Romanus Pontifex habeat jurisdictionem temporalem super imperatorem Romanum & omnes alios reges mundi, quod sacris canonibus repugnat apertè. Vnde Nicolaus Papa, vt habetur di. 96. c. cùm ad verum &c. sic ait: Cùm ad verum ventum est, vltrà sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatoris vsurpauit, quoniam idem mediator Dei & hominum, Christus Iesus actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit. Ex his datur intelligi, quòd Romanus Episcopus ex successione Beati Petri non habet jurisdictionem temporalem super imperatorem. Quòd etiam Papa non habeat jurisdictionem super alios reges, testari videtur Innocentius 4. qui, vt habetur Extra. de judicijs. cap. 13. ait, non putet aliquis, quòd jurisdictionem illustris regis Francorum perturbare aut minuere intendamus, &c. non ergò Papa super regem Francorum jurisdictionem obtinet temporalem. Item si Papa haberet ex successione Beati Petri jurisdictionem temporalem super reges, multò magis ex eadem successione haberet jurisdictionem temporalem super possesiones eorum & aliorum, cuius contrarium asserit Bernhardus apertè, qui scribens ad Eugenium ait lib. 1. cap. 5. Ergo in criminibus non in possesionibus potestas vestra: propter illa siquidem, & non propter has accepistis claues regni cœlorum. Præuaricatores itaque exclusuri non possesiones, vt sciatis, &c. & quòd filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. &c. Et infrà subdit: Quænam tibi videtur maior dignitas & potestas, dimittendi peccata, aut prædia diuidendi? Habent hæc infima & terrena iudices suos reges, & principes terræ: quid fines alienos inuaditis, quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Ex quibus verbis patet, quòd papa per potestatem sibi datam à Christo, super possesiones jurisdictionem non obtinet. Ex his alijsque quàm plurimis patet, quòd B. Petrus jurisdictionem temporalem super imperatorem & reges non habuit: & ita non fuit vicarius Christi in aliquo regno temporali.

Idem librum (qui extat) aduersus Carolum, atq; Clementem scripsit: vbi hunc hæreseos notâ inurit, ipsumq; Antichristum, paupertatis Christianæ osorem, hostem Reipub. coniuratum Celticorum Tyrannorum, Germanorum gentis Christianissimæ inimicum, sectatorem Clementis quinti & Ioannis vigesimi secundi, falsorum pontificum, & sæuissimorum luporum appellat. Carolum perjurij, læsæ maiestatis, parricidij, impietatis in auum & parentem postulat, quòd fidem jurisjurandi, quâ Ludouico astrictus sit, frangat, quòd legib. Confluentiæ, Francofordiæ, & in Lonstain, ex concilij decreto perlatis, perfidè fraudem faciat, obiectat. Mancipium Auinionensium sacrificulorum, à quibus Imperium emerit, appellat. Contra decus Imperij & maiestatem populi Germani, in loco obscuro & ignobili, contra morem à perfidis electum, exprobrat. Inauspicatissimum eius fore Christiano orbi Imperium, ominatur. Postremò indignum esse, qui in Germaniâ, nationum reginâ, imperet, docet, maximè quando amicus sit regi Francigenarum: qui perpetuò hostis sit Alemannorum, & Reipublicæ Christianæ tyrannus, disturbator pacis, author discordiæ & seditionum. Cuius leuitate, atq; superstitione, & viribus freti pontifices Max. libertatem Christianam oppresserint, Imperij maiestatem labefactârint, Rempublicam antiquârint, Germanicam virtutem discordiæ malis debilitârint, attriuerint, populū Christianum in seruitutē redegerint durissimam. Et cùm alios Gallicus rector, ad Imperium orbis terrarum iam pridem aspirans,

fastu & gentilicia auiditate perdiderit, seipsum tamen non fefellit, dum, sese & Pontificem Max. & Imperatorem in suo regno esse, prædicat.

Idem VVilhelmus cum collegis alium libellum edidit, in quo, pastorem Romanum, atque rerum dominum diuersa esse, argumentis probat. Hunc terræ dominari, illum dispensare spiritalia: illius munia, amare oues, pascere gregem, crucem egeni & mendici Christi ferre: huius imperare, strictum ensem gestare, belligerari asserit. Item docet, Imperium nequaquam sacerdotis, sed Dei optimo maximo beneficium, cuius populus sit, esse. Cæsarem continuò esse & vocari, posteaquàm à Septem Viris delectus sit. Ad Cæsarem regna, Imperia, diuitias, bella, huius seculi potentiam spectare, sacerdotem Romanum nihil horum contingere, ac procurare debere, nisi Antichristus esse velit. Cæteri Theologi, item vtroque iure periti, in eandem sententiam pleraque disputârunt, in libellos redegerunt, quæ opera cum blattis in Bibliothecis colluctantur. Leopoldus Episcopus Bambergensis de hac re scripsit: eius opusculum ante annos tredecim, Iacobus VVimpfelingius, sacrarum literarum professione, & disciplina inclytus, excudendum curauit, Fridericoque Saxonum rectori, Musarum patrono, & omnium eruditorum Mecœnati dedicauit. Alium quoque librum VVilhelmus Occomensis, & eius collegæ publicârunt, cui Vindex pacis Christianæ titulus est. Ibi sacræ historiæ testimoniis arguunt Romanum Pontificem, nisi Antichristi fastum, quàm Christi, & eius comitum paupertatem, æmulari malit, infimi cuiusque Christiani, nedum supremæ potestatis seruum esse: tantum abesse, vt cum maxima Reipublicæ Christianæ iactura, dominari, quicquid libitum fuerit, factitare, Deus non solùm dici, sed credi postulet. Auentinus.

Idem in prol. comp. errorum Ioannis 22. PP. Locuti sunt aduersus me linguâ dolosâ, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis, qui se dicunt Apostolos: sed inuenti sunt mendaces, & tyranni persequentes innoxios, promouentes perfidos, diffamantes catholicos, exaltantes schismaticos, odientes probos, veritatem opprimentes, & totis suis conatibus, viisque possibilibus hæreticam extollentes intrepidè prauitatem. Venit proh dolor tempus, de quo vaticinatus est beatus Apostolus Paulus 2. Timoth. 4. Erit enim tempus, cùm sanã doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertentes, ad fabulas conuertentur, quæ reuerâ prophetia diebus nostris (quod lamentando refero) est penitus adimpleta. Nam insurrexerunt in me & alios viros, vtique realiter Christianos, fideles, catholicos, & orthodoxos, testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Qui vt intentum suum horrendum ad finem possint optatum perducere, scripturas sacras subuertunt, dicta sanctorum denegant, sacros canones, legesque ciuiles reprobant, defendentes veritatem molestant, persequuntur, & captiuant, & vsque ad interemtionem absque misericordiâ cruciant. Et vt multa verbis paucis concludam, regem etiam & legem diuinam, legemque humanam fronte meretriciâ ausuque execrabili subuertere & satagunt & festinant. Suntne iuuenes & omninò illiterati talia nefanda etiam fabricantes? sed sunt seniores populi, pontifices, scribæ & pharisæi, nec non legisdoctores, veluti fuerunt qui Christum crucifixerunt, vt signanter possimus dicere verbum Dan. 13. scriptum: Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum: per istos, inquam, inductus sum cum aliis Christicolis, cum iniuriâ in Pathmon deportatus.

Idem in dialogi libro 7. partis 1. cap. 70. Vna causa, ex qua multitudo Christianorum Papæ hæretico adhæret, est falsa & erronea æstimatio, quam habent nonnulli de papa. Est autem ea æstimatio multiplex: quidam enim putant, quòd papa peccare non potest: quemadmodum quidam imaginantur, &, quod in quodam loco antiquo legi, in fauorem Sergii Papæ tradiderunt. Vnde quidam (vt audiui) his temporibus publicè dicunt, quòd papa est Deus in terris, non quidem vt omnes sacerdotes dicantur dii, qui tamen peccare possunt, sed sic, vt malefacere nequaquam possit, & in terris omnia, quæ vult, possit. Quidam putant, quòd papa contra fidem errare non potest. Quidam putant, quòd licet papa peccare & errare contra fidem possit, de omnibus tamen quæ facit, debemus supponere, quòd sint benè facta, & de nullo quod facit, licet nobis iudicare, quòd sit malè factum. Quidam putant, quòd licet valeamus reputare, aliqua facta papæ esse mala & malè facta: tamen nulli licet Christiano papam arguere vel iudicare, reprehendere, aut aliquam contra eum iudicialiter ferre sententiam. Et ex his quatuor æstimationibus falsis de papâ, & ex qualibet earum accideret, quòd papâ effecto hæretico, ei Christiani aliqui adhærebunt.

Idem capite 123. Operis nonaginta dierum. Si Papa per quamcunque potentiam diffiniret aliquid contra illud, quod scientia dictat diffiniendum in fide, & in bonis moribus: diffinitio sua nulla penitus esset: imò liceret cuilibet Christiano hoc scienti ipsam detestari, conspuere, & sicut hæreticam reprobare.

Idem in compendio errorum Ioannis vigesimi secundi papæ Romani. Ioannes XXII. sæpiùs reprehensus à diuersis personis, &, vt pestiferas suas reuocaret assertiones, vel saltem cessaret ab eisdem, per cardinales suos & alios publicè, & quotidie admonitus fuit, & rogatus. Nec profuit correptio cuiuscunque: quin imò correptores suos & admonitores in tantum terruit, quòd etiam Cardinales, Episcopi, & in Theologica facultate magistrati, qui aliquando fortissimè sibi restiterant, & ipsũ reprehenderant de suis erroribus profanis & detestandis, timentes ipsius furiã,

à suis correptionibus salutiferis, ne damna temporalia incurrerent, pauidi cessauerunt. Quidam etiā frater de ordine Minorū, nomine frater Bonagratia de Pergamo dictum Ioannem in Consistorio suo, publicè & in scriptis corripuit, ac vt ab erroribus suis resiliret, admonuit & suasit, nec non ab ipsius erroribus in sua præsentia appellauit, cuius rei gratia prædictum fratrem Bonagratiam ipse Ioannes contra iura & iustitiam statim capi fecit, & tetro carceri crudeliter mancipauit, vbi ferè per annum integrum absque aliqua causa detinuit & afflixit. Cernens itaque frater Michael de Cesena, ordinis fratrum Minorum generalis minister, & doctor Sacræ Theologiæ, prædictum Ioannem 22. contra fidem & bonos mores effrænatè debacchari, & pertinaciter errores suos perniciosos defendere & affirmare, & fidei Christianæ periculū imminere, & scandalum intolerabile, ad quod præcauendum de necessitate salutis pro posse tenebatur: audiensque quòd scilicet in faciem dictus Ioannes vigesimus secundus determinationem Ecclesiæ, in decretali, exiit qui seminat, contentam: & in concilio generali approbatam, pluries, & furiosè, audientibus quàm pluribus, asseruit & pronunciauit hæreticam: occurrendum censuit esse malitiæ, & adhærentibus sibi religiosis viris fratre Francisco de Esculo, fratre Guilhelmo de Occam, Sacræ Theologiæ professoribus, & fratre Bonagratia de Pergamo vtriusque juris perito, cum quibusdam alijs, à dicti Ioannis vigesimi secundi erroribus (tanquam pernitiosis & pestiferis) ad sanctam matrem Ecclesiam, & ad concilium generale futurum, iustè & absque dolo in loco tuto congregandum, & celebrandum per admonitionem in conuentu fratrum minorum, ritè & legitimè appellauit, & ab ipsius Ioannis vigesimi secundi obedientia & communione cum sibi adhærentibus proinde recessit, & in partes Thusciæ ad ciuitatem Pisanam, Deo fauente, properans, appellationem suam pro injurijs & grauaminibus, sibi & fidei Christianæ multipliciter irrogatis, interpositam solenniter publicauit. Notum est autem, quòd præfatus Ioannes sæpius in occulto, & postea in propatulo fuit correptus à pluribus sine omni fructu, imò cum damno, quòd seipso peior & durior fuit effectus, ac in suis erroribus pertinaciùs radicatus: dictum etiam fuit Ecclesiæ, quòd cùm de erroribus suis publicè in consistorio suo coram suis Cardinalibus & alijs prælatis (qui quantum sunt Catholici, sunt pars Ecclesiæ) fuisset legitimè per quendam fratrum Minorum correptus & reprehensus, eum ex seipso, vt proscribitur, truserit in carcerem. Quare ex quo audire ipsum renuit, à Catholicis huiusmodi scientibus, tanquam Ethnicus & Publicanus, meritò est euitandus.

Ioannes de Poliaco.

1320. ANno Domini 1320. Ioannes de Poliaco, Theologus Parisiensis, docuit, Mendicantibus monachis non esse confitendum de peccatis, nec Papam posse dare jus audiendi confessiones, cui velit: sed vnumquemque in sua parochia ministros adire debere. Atque ita resistere voluit turbationibus ministerij, quæ passim in Ecclesijs per cucullatos istos circulatores, & mendicos diuites, Bullis Antichristi instructos, oriebantur. Verùm à Monachis & Ioanne vigesimo secundo Papa oppressus fuit. Damnatio eius extat in Extrauagantibus communibus: referuntque id etiam Paulus Æmilius, & Balæus Cent. 4. cap. 94. in Appendice. Imp Ludouico 4. PP. Ioanne vigesimo secundo.

Dantes Aligherius de Florentiâ.

1321. DAntes Aligherius scripsit librum, quem appellauit Monarchiam: in eo affirmat, Papam esse sub Imperatore, Constantini donationem rejicit, & ostendere volens, Romanum Imperium non dependere à Papâ, his vtitur argumentis. Ad illud primò, quod quidam dicunt, duo magna luminaria cœli, Solem & Lunam, designare Papam, & Imperatorem: & Lunam non habere lucem, nisi prout recipiat à Sole, sic & Imperium destitui auctoritate, nisi prout recipiat à Papa: ait, non quadrare. Quia non omnia, quæ gesta narrantur, etiam aliquid significare putanda sunt. Et quoniam regimina eiusmodi accidentia sunt hominis, Deum ordine vsum fuisse peruerso, dicendum esset, quod absit, producendo accidentia priùs, quàm subiectum proprium. Nam luminaria illa duo producta sunt die quarto, & homo die sexto: cùm ista regimina sint hominum directiua in quosdā fines: si autē homo stetisset in statu innocētiæ, in quo à Deo factus est, talibus directiuis nō indiguisset: sunt ergò ea regimina, remedia contra infirmitatem peccati. Cùm ergò non solùm in die quarto peccator homo non erat, sed etiam simpliciter homo non erat: producere remedia, certum est fuisse ociosum, quod est contra diuinam bonitatem. Igitur, licet Luna non habeat lucem abundanter, nisi vt à Sole recipit: non propterea sequitur, quòd Luna ipsa sit à Sole. Aliud enim est esse ipsius Lunæ, aliud virtus eius, & aliud operari. Quantum est ad esse, nullo modo Luna dependet à Sole, nec etiam quantum ad virtutem, nec quantum ad operationem simpliciter: quia motus eius est à motore proprio, & influentia sua à proprijs suis radijs. Habet enim aliquam lucem ex se, vt in eius eclipsi manifestum est. Sic regnum temporale non recipit esse à spirituali, nec virtutem (quæ est eius auctoritas) nec etiam operationem. Deinde ad illud, cùm quidam dicunt: Leui filium Iacob, quem sacerdotij patrem faciunt, in natiuitate præcessisse Iudam, quem temporalis regiminis patrem faciunt: Ergò Ecclesiam præcedere Imperium in auctoritate: ait, plus esse in conclusione, quàm in præmissis: diuersissima enim esse natiuitatem, & auctoritatem: nec, qui natiuitate præcedat, etiam auctoritate præcedere consueuisse. Ad illud quoque, quòd, sicut

Samueli & dandi, & tollendi regimen temporale potestas fuit, sic Papa auctoritatem eam habeat, ait: Samuelem ceu nuncium singularem, tantùm quæ iussus fuerat, expediuisse, & argumentationem non valere à singulari ad vniuersale.

Item ad illud, quod dicunt: Deus est Dominus spiritualium, & temporalium: summus pontifex est vicarius Dei: Ergò est Dominus spiritualium, & temporalium: ait, in syllogismo esse quatuor terminos, quoniam vicariatus principali auctoritati non æquiualet. Item ad id: Petrus potuit omnia soluere, & ligare: Successor Petri potest, quod Petrus potuit. Ergo successor Petri potest omnia soluere, & ligare: vnde inferunt, auctoritatem, & decreta Imperii soluere, & ligare ipsum posse: ait, non absolutè sumendam esse eam potestatem, sed respectiuè, ad aliquid. Aliâs enim impœnitentem, matrimonia, & quosuis contractus ciuiles soluere posset. Respexisse autem Christum ad potestatem clauium regni cœlorum, regni, quod non est de hoc mundo. Vniuersale illud signum, quod includitur in Quodcunq;, contrahi in sua distributione ab officio clauium regni cœlorum. Et ideo ait, nequaquam sequi, quòd Petrus possit soluere decreta Imperii. Item ad illud: Ecce duo gladii: ait, omninò non subinnuere prædicta duo regimina. Typicè enim non intelligi posse. Christum enim non dedisse istos gladios, sed iussisse, vt emerent in futuros vsus propter necessitatem: sed quia Petrus duos adesse aiebat, cùm Christus vellet, vt quilibet ex duodecim vnum coëmeret, respondisse: satis esse. Ideò intentionem Christi omninò non fuisse, per istos duos gladios intelligi debere duo ista regimina. Quod & inde apparet, quòd, cùm Petrus gladio seculari vteretur, increpatus à Christo iussus est, vt reconderet: & vt planiùs faceret Christus, duos gladios Petro non competere, ait: qui gladium (scilicet cui ego non concessi) acceperit, gladio peribit.

His, quæ ex diuinis petita sunt, obiectis sic solutis, progreditur etiam ad ea, quæ in gestis, & ratione humanâ radices habere putantur. Primùm, cùm inquiunt Papæ: quæ Ecclesiæ sunt, nemo de iure habere potest, nisi ab Ecclesiâ: Romanum regimen est Ecclesiæ: ergo ipsum nemo habere potest de iure, nisi ab Ecclesiâ. Minorem probant, quòd Constantinus Imperator mundatus à leprâ intercessione Syluestri Papæ, Imperii sedem, Romam cum multis aliis Imperii dignitatibus Ecclesiæ donauit. Probationem hanc respondet, esse nullam: quia Constantini officium non fuit, ideò nec potuit alienare Imperii dignitates: nec Ecclesiæ fuit easdem recipere: & si aliquæ dignitates per Constantinum essent alienatæ, vt dicunt, ab Imperio, excessissent in potestate Ecclesiæ: scissa esset tunica inconsutilis, quam scindere ausi non sunt, qui Christum verum Deum lanceâ perforârunt. Fundamentum Ecclesiæ esse Iesum Christum, petram, super quam ædificata est Ecclesia: Imperii verò fundamentum ius humanum. Et sicut Ecclesiæ non licet contrariari suo fundamento: sic nec Imperio licet contra ius seipsum destruere. Nam Iurisdictio est prior suo iudice: quia Imperator ab eâ recipit esse, quod est. Ideò eam permutare non potest: nec etiam ab imperio auferre quicquam potest. Minoratio enim esset Iurisdictionis.

Præterea Ecclesia indisposita omninò est ad temporalia recipienda, per præceptum prohibitiuum expressum Matth: 10. Nolite possidere aurũ, &c. ergò nec recipere per modum possessionis, nec illa conferre per modum alienationis Ecclesia potest. Item cùm argumentantur ab exemplo: Carolum Magnum ab Adriano Imperii dignitatem accepisse: Ergò omnes Imperatores debere ab Ecclesiâ aduocari: ait Dantes: vsurpationem iuris non facere ius. Aliâs & Ecclesiæ autoritas dependeret ab Imperatore: quia Otto Imperator Leonem Papam restituit, & Benedictum deposuit. Et quòd inferunt: Imperatorem & omnes alios homines esse reducendos ad Papam velut regulam, & mensuram: quia omnia, quæ sunt vnius generis, reducenda sunt ad vnum, quod est mensura omnium, quæ sub illo genere sunt: ait Dantes: Papam, & Imperatorem ad vnum reduci non posse: quia diuersa sunt in illis accidentia. Aliud enim est esse Imperatorem, aliud esse Papam. Et hæ sunt breuissimè errorum solutiones, quibus Dantes pronunciatum illud falsum, Imperium dependere ab Ecclesia, infringit.

Nunc ostendit veritatem, Imperium non dependere ab Ecclesia, hoc modo: Ecclesia auctoritatis Imperii causa esse nequit: quia Imperium virtutem & auctoritatem habebat, nondum existente & operante Ecclesiâ. Nam virtutem, quam longè antè Imperium habuit, ab Ecclesiâ, quæ longè pòst demum extitit, accipere nullo modo potest. Habuisse autem virtutem, & auctoritatem Imperium, Christus testatur nascendo, & moriendo, Ecclesia quoq;, Paulus enim ait: ad tribunal Cæsaris sto, vbi me oportet iudicari. Item Angelus ait: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere. Et iterum Paulus ait: Cæsarem coactus sum appellare, vt eruerem animam meam de morte. Ex his patet: Cæsarem iudicandi temporalia potestatem habuisse. Item ait: Ecclesiam virtutem auctorizandi Romanum principem non habere, nec à Deo, nec à se, nec ab Imperatoribus, nec ab vniuerso mortalium assensu. A Deo accepisse vel per legem diuinam, vel naturalem, nullibi reperitur: quinimò, ait, se inuenire, de præcepto sacerdotes ab illâ remotos esse. Nec à se: quia, quod non habet, dare non potest. Nec ab Ecclesia: quia nec ipsa dare potuit, quod non habuit. Nec ab Imperatore: quia nec hic habet attribuendi alteri, quod præiudicat suæ iurisdictioni. Nec ab assensu omnium, vt palàm est. Etenim & Asiani, & Africani omnes, quin & maior pars Europæ hoc abhorret. Item potestas ea non potest esse de numero virtutum Ecclesiæ: quia est contra naturã eius. Nam natura Ecclesiæ est, vitam Christi referre. Christus autẽ abnegauit tale regimen corã Pilato, & alibi. Concludit ergò Dantes: Imperiũ à solo Deo pendere immediatè. Quod illo tẽpore dicere periculosius tantò fuit, quantò Papa regnabat potentiùs: qui vtiq; multò meliora dedisset, ni absterruisset eum, vt plurimos alios, sæuitia. Imp. & PP. V. S.

Scripsit etiam hic Dantes vulgari Italico sermone non pauca, in quibus multa reprehendit in Papa, eiusque religione. Queritur alicubi prolixè, intermissam esse verbi Dei prædicationem, & pro ea prædicari à monachis vanissimas fabulas, eorumque nugis fidem haberi: atque ita oues Christi non vero pabulo Euangelii, sed vento pasci. Dicit alibi, Papam ex pastore factum lupum, vastare Ecclesiam, non curare vnà cum suis spiritualibus verbum Dei, sed tantùm sua decreta. Alicubi in conuiuio amatorio, æquat coniugium cœlibatui.

Adiiciemus aliquot eius dicta, vlterioris fidei & perspicuitatis gratiâ. Ac primum quidem ex Monarchiâ eius, vbi inter alia etiam hæc in tertiâ eius operis parte dicit:

Igitur contra Veritatem, quæ quæritur, tria hominum genera maximè colluctantur. Summo namque Pontifici, Domini nostri Iesu Christi Vicario, & Petri successori, cui non quicquid CHRISTO, sed quicquid Petro debemus, zelo fortasse clauium, Græcorum Christianorum pastores, & alii, quos credo zelo solo matris Ecclesiæ permoueri, Veritatis quam ostensurus sum, de zelo forsan (vt dixi) non de superbiâ contradicunt. Quidam verò alii, quorum obstinata cupiditas lumen rationis extinxit, & dum ex patre diabolo sunt, Ecclesiæ se filios esse dicunt, non solùm in hac quæstione litigium mouent: sed & sacratissimi principatus vocabulum abhorrentes superiorum quæstionum & huius principia impudenter negârunt. Sunt & tertii, quos Decretalistas vocant, Theologiæ ac Philosophiæ cuiuslibet inscii & expertes, suis Decretalibus (quas profectò venerandas existimo) tota intentione innixi, de illarum præualentia credo sperantes, Imperio derogant. Nec mirum, cùm iam audiuerim quendam de illis dicentem, & procaciter asserentem, Traditiones Ecclesiæ fidei esse fundamentum. Quod quidem nefas de opinione mortalium si submoueant, qui ante traditiones Ecclesiæ in Filium Dei CHRISTVM siue venturum, siue præsentem, siue iam passum crediderunt, & credendo sperauerunt, & sperantes charitate arserunt, & ardentes ei cohæredes futuros esse, mundus non dubitat.

In poëmate porrò de Paradiso capite nono sic scribit:

NAm parùm Papæ tangit memoriam
Tua vrbs, quæ prima est eius planta.
Qui primus vertit terga suo authori,
Et cuius est inuidia tam diu plorata,
Producit & spargit execratum florem,
Qui auertit oues & agnos:
Quia lupum fecit ex pastore.
Hanc ob rem Euangelium & doctores magni
Sunt derelicti: & tantùm Decretales
Leguntur sic, vt id ex vestium lumbis appareat.
In hoc incumbit Papa & Cardinales:
Nec eunt eorum studia Nazarethum,
Vbi Gabriel expandit alas:
Sed Vaticanum cæteraq; electæ partes
Vrbis Romæ, quæ fuerunt cœmiterium
Militiæ, quæ Petrum est secuta,
Actutum liberæ fient ab adulterio.

Porrò capite aut cantione 18.

Olim solitum fuit gladiis fieri bellum:
At nunc fit, modò hic modò illic auferendo
Panem, quem pius Pater nulli claudit:
At tu, qui, vt deleas tantùm, scribis,
Cogita, quòd Petrus & Paulus, qui mortem oppetiuêre
Propter vineam, quam vastas, etiamnum viuunt.
Potes tu quidem dicere, firmum habeo desiderium,
Sic ad eum, qui voluit viuere solus,
Quiq; per saltus fuit pertractus ad supplicium?
Equidem nec piscatorem agnosco, nec Paulum.

Cantu

Cantu 29. admodum grauis querela est, de commutata prædicatione verbi in inanes nugas ac fabulas:

Etiam isthuc hic sursum toleratur
Minore odio, quàm cùm postponitur,
Diuina scriptura: & cùm torquetur,
Non reputatur, quanto sanguine stetit,
Cùm in mundo seminaretur, & quantum placet,
Qui animo demisso ei adhæret.
Vt videatur, quisque studet, & profert
Sua inuenta: & illa pertractantur
A concionatoribus: & Euangelium tacet.
Alius dicit, lunam se retorsisse
In Christi morte, seq; interposuisse,
Vnde lumen solis non se porrexit.
Alius, lucem se occultasse
Per se: idcircò Hispanis atq; Indis,
Vt & Iudæis, talem eclipsin visam esse.
Non habet Florentia tot Lapos, totq; Bindos,
Quot huiusmodi fabulæ per annum
E suggestu hic & illic declamitantur.
Ita ouiculæ, quæ hoc ignorant,
Redeunt è pascuis pastæ vento,
Nec eas excusat sui ignorantia damni.
Non dixit Christus suo primo cœtui,
Ite & prædicate mundo nugas:
Sed verum illis dedit fundamentum,
Et illud tantùm sonuit in ore ipsorum:
Itaq; illi ad pugnam, vt fidem accenderent,
Ex Euangelio fecerunt clypeum & hastam.
Nunc iocis & facetiis itur
Ad prædicandum: & modò benè rideatur,
Intumescit cuculla, nec vltrà quicquam requiritur.
Verùm ea auis in rostro nidum habet:
Quam si vulgus videret, cerneret
Veniam, cui confidit,
Per quam tanta stultitia in terra creuit:
Vt sine approbatione cuiusquam testimonij,
Cuiuis promissioni conueniret.
Ex hoc saginat porcum sanctus Antonius,
Et alios simul, qui magis sunt sues,
Moneta persoluendo, non signata, &c.

Ad manus sunt adhuc multa, ex hoc Dante, & Occam, alijsque infinitis ferè collecta, pulcherrima quidem: sed hîc omittuntur, ne nimium excrescat liber.

Idem. Maximè fremuerunt, & inania meditati sunt in Romanum principatum, qui zelatores fidei Christianæ se dicunt: nec miseret eos pauperum Christi, quibus non solùm defraudatio fit in Ecclesiarum prouentibus, quin imò patrimonia ipsa quotidie rapiuntur, & depauperatur Ecclesia, dum simulando iusticiam exsecutorem iusticiæ non admittunt. Nec iam pauperatio talis absque Dei iudicio fit: cùm nec pauperibus, quorum patrimonia sunt Ecclesiæ facultates, inde subueniatur: neque ab offerente Imperio cum gratitudine teneantur. Redeunt vnde venerunt: venerunt benè, redeunt malè: quia bene data, & malè possessa sunt. Quid ad pastores tales? Quid si Ecclesiæ substantia diffluit? dum proprietates propinquorum suorum exaugeantur: sed forsan melius est, pio silentio Saluatoris nostri exspectare succursum.

Idem in Cant. 32 ait, Papam esse Meretricem Babyloniam. Tribuit deinde eius ministris, id est, Episcopis bicornia capita, quibusdam quatuor, quibusdam vnum cornu, qui sunt Patriarchæ: ipsi verò meretrici instar cuiusdam arcis.

Maximum frigus.

1322.

HOc anno gelidissimo frigore cōstringebatur mare, vt pedestri itinere per glaciē de maris littore Lubecensi in Daniam & Prussiā trāsiretur, dispositis per loca opportuna in glacie hospitijs,

Chronicon Saxoniæ.

1323. EPiscopus Bogardus Magdeburgensis, quia nouis exactionibus ciues grauabat, captus à ciuibus, & in cellâ, in qua captiuus seruabatur, claua, qua ianua obseratur, occisus fuit. Imp. Ludouico Bauaro. Papa Ioanne 22. vt sup.

Ibidem. Caroli M. tempore Episcopus Monasteriensis Ludgerus pontificia decreta gnauiter promouit, & seculare potestate affectauit, & sibi vendicauit: in clypeoque gestauit pedum pastorale, & gladium.

Monstra.

1323. HOc anno gemelli in lucem editi sunt, quorum ora rostris, & dextra brachia alis anserinis haud absimilia fuerunt. Die autem natiuitatis tertio arriserunt sibimet ipsis: verùm propter deformitatem, prætor eius loci eos interfecit. Eodem anno exundatio Rheni & Danubij pontes passim interrupit, ædes deiecit, segetesq;, & arbores euulsit, ac prata perdidit. Accidit & Lunæburgi terræmotus. Chron. Saxoniæ. vt sup.

Vlricus Augustanus.

1324. VIxit hoc anno quidam Vlricus Augustanus, intimus Secretarius Imperatoris, qui Ioannem Papam 22. solitus est appellare Bestiam è mari ascendentem, seu ortam, de qua in Apocalypsi cap. 13. Epit. Chronicor. Imp. & Papa. vt sup.

Ordo Militum Iesu Christi.

1324.



PAnuinius, exortum hunc ordinem esse primùm in Lusitaniâ, scribit, Rege Dionysio eius authore, anno 1336. Francus ponit annum 1324. Marianus Scotus annum 1319. & Ioannem Papam 22. in Regno Portugaliæ, ad resistendum ibi Saracenis, instituisse, refert Constituit eis domum in castro Maurino Syluensis diœcesis, concessis illis omnibus bonis Templariorum, quò libentiùs militiæ Christi vacarent. Moderator illorum est Abbas Alcohasiani monasterij Cisterciensis Ordinis, Vlyxibonensis, quem & ipsi profitentur. Qui Abbas potestatem habet conscribendi & exauctorandi milites. Platina in vitâ Ioannis Papæ, Sab. Naucl. Francus, Cranzius in Metrop. Polydorus, qui dicit, eos crucem rubram in nigro affigere pallio: & centum aureorum millia in redditibus habere, indicat Volateranus. Imperat. & Papa vt sup.

Nicolaus de Lyra.

1326. FVit hic Lyranus, vt Dresserus & alij quidam volunt, conuersus Iudæus, & scripsit inter alia librũ de visione Dei contra Papam. In Commentarijs super Danielem cap. 8. inquit: Et post regnum eorum, scilicet Græcorum, inquit, quia regnum Antichristi pertinet quodammodo ad regnum Romanum, de quo, vt prædictum est, orietur, regnum est Romanum, de quo fit mentio in parte immediatè præcedenti, videlicet: Cùm creuerint iniquitates, &c. quia secundum testimonium Saluatoris Matthæi 24. imminente tempore Antichristi abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Consurget rex impudens facie: quia Antichristus ad omne malum erit inuerecundus, & intelligens propositiones, quia Antichristus erit callidissimus ingenio naturali, & auxilio diaboli familiaris sibi: quia habebit dæmonem principem. Roborabitur fortitudo eius, quia excedet omnem terrenam potestatem tempore suo, sed non in viribus suis, quia non erit hoc virtute humana, sed diabolicâ, in cuius virtute faciet illa mirabilia, Deo tamen permittente. Et suprà, quàm credi potest, vastabit vniuersa, &c. quia potestas Antichristi sic subitò apparebit, quòd omnibus admirabilis erit. Et interficiet robustos, &c. id est, illos, qui inuenientur firmi in lege Dei, nolentes ei obedire. Et dirigetur dolus, &c. id est, ad finem intentum ab eo perducetur, licet ad tempus breue. Et cor suum magnificabit, quia extolletur super omne illud, quod dicitur De⁹, vel colitur, vt dicit Apostolus 2. ad Thess. 2.

Et in copia omnium rerum occidet plurimos, quia per fortitudinem militiæ, & thesauros diuitiarum naturalium & artificialium, multos interficiet.

Et contra principem principum consurget, id est, contra Deum. cultum eius auferens, & sibi vsurpans, quia in templo Dei sedebit, ostendens se tanquam sit Deus, vt dicitur 2. ad Thess. 2. Et sine manu conteretur, quia Dominus Iesus Christus eum interficiet Spiritu oris sui. Imper. & Papa vt sup.

Idem. Septuaginta interpretum adulterationes, & deprauationes Iudæi ita excusant. Vbicunque veritas Hebraica facit mentionem de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, aut de industriâ tacuerunt, aut aliter omnia interpretati sunt, scilicet propter Ptolomæum, cognomento Philadelphum, Regem Ægypti, vnius Dei cultorem: qui nondum potuit capere mysterium Trinitatis, & præcipuè, ne hoc magis Platonicum, quàm Theologicum videretur. Plato enim locutus est de τῷ & τἀγαθῷ, & animâ mundi: & vt quidam dicunt, νοῦν appellauit Patrem: τἀγαθὸν verò primum in intellectu, id est, Filium: animam mundi Spiritum sanctum, qui replet orbem terrarum. Sed melius est, vt dicatur anima mundi quædam vis regeneratiua, & intereausata (aliâs, in creatura) sed non Spiritus sanctus. In hoc enim tertio signo defecerunt Philosophi per rationes naturales: & si concedatur, esse Spiritus sanctus, tamen intelligendum est, quòd non intellexerit ibi (dialogo 11. de Legib.) Plato vnitatē essentiæ, sed sic quasi tres Deos in diuersitate essentiæ ponere, videbatur. Et quòd Ptolomæus erat vnius Dei cultor: ideo timebant hi 70. ne si cadere quid videretur in dogma Platonis proponentis tres Deos, hoc etiam ita esse crederet apud Hebræos: sicut patet ex verbis Hiero. & Aug. super Epist. ad Col. quòd nunquam per illa verba intellexerit Plato distinctionem personarum in Trinitate. Videtur tamen in Epistola ad Paulinum sentire contrarium, sed ibi soluitur contrarietas. De his vide Cyrillum suprà.

Ordo Alcanthare Militum. 1326.



SVperiori Ordini scilicet militum Iesu Christi, subijciuntur Alcanthare milites: differunt tamen cruce viridi, quâ insigniuntur. Eorum caput in Regno Castellæ, apud oppidum Alcanthare, à quo & nomen est ipsis inditum, iuxta Tagum Cœnobium amplissimum, conspicitur. Volat. Polyd. Hospinianus. Imper. 109 Lud. Bauaro. Papa 201. Ioanne 22.

Marsilius Patauinus. 1326.

SCripsit hic aduersus vsurpatam Rom. Pontificis iurisdictionem, pro inuictiss. Rom. Imp. Ludouico IV. Bauarico, à tribus Pontificibus indigna perpesso.

Habent inquit hæc infima, & terrena iudices suos, inquit Bernardus, Reges & Principes terræ: quid fines alienos vos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Hanc rursum sententiam repetit, & confirmat lib. 2. cap. 4. vbi ad propositam intentionem sic inquit: Nunquid dominationem (supple, reliquit Apostolus Petrus) successoribus suis? audi ipsum (Petrum videlicet) non dominantes, ait, de clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum de solâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Euangelio, reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Et infert, vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergò tu, & tibi vsurpare aude, aut dominus Apostolatum, aut apostolicus dominatum: planè ab vtroque prohibeberis, supple simul habendo: & hoc est, quod subdit ibidem Bernardus: si vtrumque simul habere voles, perdes vtrumque, alioquin te non exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus sic: Ipsi regnauerunt, & non per me: principes extiterunt, & non cognoui eos.

Ampliùs eandem profert sententiam in epistola quadam ad Archiepiscopum Senonensem, vbi sic inquit: Hæc isti suggestores, (inobedientiæ scilicet) sed Christus aliter & iussit, & gessit. Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Quod ore locutus est, mox opere implere curauit. Conditor Cæsaris non cunctatus est, Cæsari reddere censum. Exemplum enim dedit vobis, vt & vos ita faciatis. Quomodo verò Dei sacerdotibus debitam negaret reuerentiam, qui hanc quoque secularibus potestatibus exhibere curauit? Noluit ergò Christus Principibus

huius sæculi temporaliter dominari, sed subijci, & debitum illis censum, atque reuerentiam reddere, id faciendi cunctis suis successoribus, Apostolis primùm, demum sacerdotibus, & Episcopis præbens exemplum.

Adhuc expressiùs eandem sententiam infrà subiungens, ait: Quid igitur vos, ô monachi, sacerdotum grauat auctoritas? metuitis infestationem? sed si quid patimini propter iustitiam, beati secularitatem contemnitis, id est, principantes in seculo. Sed secularior nemo Pilato, cui Dominus astitit iudicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Iam tunc pro se loquebatur, & in se experiebatur, quod pòst per Apostolos clamauit in Ecclesijs: Non est potestas nisi à Deo: & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ite nunc ergò resistere Christi vicario, cùm nec suo aduersario Christus restiterit: aut dicite, si audetis, sui præsulis Deum ordinationem nescire, cùm Romani præsidis potestatem Christus quoque super se fateatur fuisse cœlitus ordinatam. Vsurpat ergò Episcopus alienum officium, & in alienam messem falcem extendit, dum se de iudicio secularium actuum ingerit inter homines, cuiuscunque conditionis existant. Imp. & Papa. vt sup.

Idem. De beato verò Petro, in quo secundum propositorum apparebit, dico, per scripturam sacram conuinci non posse, ipsum fuisse Romanum Episcopum: & quod amplius est, ipsum non vnquam Romæ fuisse. Hocque probatur multis rationibus: vide ibi.

Et postea. Nam clericos, præsertim sacerdotes aut Episcopos, arma sumere, vel per se sumi iubere, grande nefas, & quasi monstrum ciuile fuisset visum priscis temporibus. Vnde Ambrosius, vt suprà, 9. huius induximus: Dolere potero, flere potero aduersus arma, milites, Gothos quoque: lachrymæ meæ arma mea sunt: talia enim munimenta sunt sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere.

Et postea. Ampliùs potest hoc esse ad ciuile incommodum grande, quoniã sacerdotes sub confessionis titulo, mulierum habent persæpè secreta colloquia. Hoc, quia, vt facilè seducibiles sunt, præsertim ipsarum iuuenes, tam virgines quàm etiam coniugatæ (vt apparet Gen. 4. & inducit Apostolus 1. ad Timotheum 2. Adam enim seductus non fuit, sed mulier in præuaricatione) sacerdos peruersus existens, ipsarum mores, & pudicitiam facilè corrumpere poterit, quod etiam frequenter his temporibus propter sacerdotum qualitatem euenire videmus, est ciuile incommodum non modicum, considerare volenti, quæ sequantur ex hoc inconuenientia.

Idem. Talia namque, qui super maiores thronos Ecclesiæ sedent, operantur, vt futurum Dei iudicium in alio seculo nullatenus credere videantur.

Idem omnia, à Paulo de Antichristo præscripta, de Pontificibus, & eorum ministris accipit: & dicit, eos non gerere vicem Christi.

Idem in defens. pacis 2. part. Papa ceu calefactus coluber, vide ex quantâ paupertate, deiectione, ac persecutione per Romanos Principes ad abundantiam, throni sublimitatem, potestatem, & tranquillitatem releuatus, ingratus, & beneficiorum immemor nunc existat, &c.

Idem part. 2. cap. 26. de Papa loquens, ait: Draco ille magnus, serpens antiquus, dignè vocari debet diabolus & Satanas: quoniam omni conamine seducit, & seducere tentat vniuersum orbem.

Idem. Talis depositio Regis, & alterius institutio, propter rationabilem causam, non ad Episcopum, neque ad clericum aliquem, aut clericorum collegium pertinet: sed ad vniuersitatem ciuium inhabitantium regionem.

Idem. Omnis Ecclesiasticæ Oeconomiæ præuaricatus est ordo, & omne ciuile regimen impeditum simpliciter, aut in parte turbatum, cùm tamen huius Episcopi, & ipsius Ecclesiæ siue collegij sermones, & opera constituta sint, velut exemplum omnium aliorum. In quos (siquidem velint) quæso fideles conuertant lumina (dudum quodam honestatis sophisticæ plurimorum ex ipsis obumbrata velamine) cernent seipsis limpidè, qui Romanæ curiæ (imò veriùs cum veritate dicam, domus negotiationis, & latronum horribilioris speluncæ) limina visitârunt, aut qui ab hac abstinuerunt, numerosæ fide dignorum multitudinis relatione discent, eam penè sceleratorum omnium, & negotiatorum, tam spiritualium quàm temporalium receptaculum esse factam. Quid enim aliud ibi, quàm Simoniacorum vndecunque concursus? Quid aliud, quàm causidicorum strepitus, & calumniatorum insultus, & iustorum impulsus? Ibi periclitatur innocentium iustitia, vel in tantum differtur, si eam pretio redimere nequeant, vt tandem exhausti & innumeris fatigati laboribus, iustas & miserabiles suas causas cogantur deserere. Ibi namque intonant altè leges humanæ: silent, aut rariùs resonant diuinæ doctrinæ: ibi tractatus, & scrutinia inuadendi prouincias Christianorum, & per armatam, & violentam potentiam obtinendi, & eripiendi ab his, quorum custodiæ licitè sunt commissæ. Acquirendarum animarum nulla solicitudo, neque consilia. Et adde, quòd ibi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitet. Qui verò vidi, & affui, videre videor terribilem statuam, quam Danielis secundo Nabuchodonosor in somnio recitatur vidisse, caput siquidem habentem aureum, brachia verò & pectus argentea, ventrẽ autem & femora ærea, tibias quidẽ ferreas, pedumq; partem vnam ferream, & reliquam fictilem. Quid enim aliud ingens hæc statua, quàm status personarum curiæ Romanæ, seu summi Pontificis, quæ olim peruersis hominũ terribilis, nunc verò cunctis studiosis horribilis est aspectu. Huius enim statuæ superiora mẽbra, caput, pectus &

brachia,

brachia, quid sunt aliud in conspectu, in affectu, & in amplexu, quàm aurum, & argentum, & opera manuum hominum ? Eius verò venter & femora, quid aliud, quàm secularium litium, seu causarum, calumniarumque, ac Simoniacarum negotiationum, tam spiritualium, quàm carnalium rerum sonitus, & tumultus ? Nec modò dicam excommunicationum, & anathematum, tam vocalium, quàm liberalium, tonitrua & fulmina in Christi fideles Romano Pontifici, & ipsius Ecclesiæ seculariter subijci, sed & ipsorum carnalia siue temporalia, quamuis iustè recusantes tribuere. Quid aliud, dic quæso, ænea femora, quàm voluptatum, luxus, & vanitatum quasi omnium, etiam laicis indecentium, apparatus pomposus, quem sensibus hominum imprimunt, qui cæteris esse debent castitatis, & honestatis exemplum ? Ipsius autem ferreæ tibiæ, ac pedes, & digiti, quibus statua figitur, secundum partem fictiles & testei, in quid aliud tendunt, quàm secularium principatuum, regnorum, & prouinciarum vsurpationem, inuasionem, & occupationem, per armatorum, seu ferreatorum violentam potentiam, secum portantes in hoc superiora membra, auri, & argenti exhibitionem, armatos ad hoc inuitantem, ventrem quoque, ac femora ænea talium, sonorâ promissione, ac peccatorum & pœnarum vocali, quamuis fallaci, absolutione, propriam verò libertatem defendentium, suisque Principibus debitam fidem obseruare volentium, iniustâ (quamuis Deo protegente prorsus innocuâ) condemnatione ac maledictione ? Pedum verò bases, & digiti testei, fictiles & proinde fragiles, quid aliud repræsentant, quàm inconstantiam Romanæ curiæ ? quid aliud notant, quàm, quibus innititur Romanus Pontifex aduersus Christi fideles opprimendos, occasionum debilitatem, non modò dicam falsitatem, & iniquitatem omnibus manifestam ? Verùm eodem testante Prophetâ, super hanc statuam casurus est lapis sine manibus abscissus de monte, id est, Rex, quem de hominum vniuersitate per suam gratiam electum suscitabit Deus, illi scilicet conferendo potestatem, & cuius regnum alteri non tradetur, hic inquam magis virtute siue gratiâ Trinitatis, quàm opere, seu potestate manuum hominum, huius terribilis & horribilis ac monstruosæ statuæ primùm conteret, atque comminuet testeam partem, pedum videlicet, quibus inconuenienter innititur, falsas scilicet ac iniquas causas, & occasiones caluas, veriùs dixero cùm Poëtâ, omnibus populis, & principibus ipsarum reserato sophismate ac humanis demonstrationibus impugnato, & scripturæ sacræ veritatibus annullato, innotescere faciendo: deinde verò ferrum ipsius, scilicet atrocem, & impiam potestatem arcendo: æs autem consequenter, id est, maledicendi, quam sibi præsumsit in Principes, & populos, auctoritatem: secularium quoque iurisdictionum vsurpatarum, & proinde causarum, & vexationum tumultum silere, & obmutescere faciet: luxus quoque voluptatum: & pompas vanitatum cessare: demum verò, argentum & aurum, id est, auaritiam, & rapinam Romani Pontificis, & superiorum membrorum curiæ Romanæ compescet, temporalium quoque vsum moderamine debito sibi concedet. Sicque pariter secundum Prophetam conterentur ferrum, testea, argentum, & aurum, omnia scilicet suprà dictæ curiæ vitia, & excessus extinguentur, quasi redacta in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento. Quod enim tam contra naturam, legem humanam atque diuinam, & omnem rationem est, diu permanere non potest.

Et postea: Assumserunt enim titulum quem de se prædicant, & huius nequitiæ instrumentum facere student, plenitudinem videlicet potestatis, quam à Christo, in persona beati Petri, aiunt sibi, tanquam huius Apostoli successoribus, singulariter fuisse concessam. Quo siquidem exsecrabili titulo, & oratione sophisticâ, secundum æquiuocum, omnibusque fidelibus nihilominùs, tanquam falsa, secundum omnem eius sensum, semper & vbique neganda, paralogizauerant hactenus, paralogizant adhuc, & amplius paralogizare nituntur, & in ipsorum seruitutem redigere omnes mundi principes & populos, collegia & singulares personas. In eo namque sensu, secundum quem plenitudo potestatis, signare videtur vniuersalem animarum curam, seu pastoratus vniuersalitatem, & rursum secundum quem sensum potestatem importat: omnes enim homines singulariter absoluendi à culpis & pœnis sub specie pietatis, charitatis, & misericordiæ dicto titulo plenæ potestatis per Romanos Episcopos sibi primùm assumto: ex his paulatim atque latenter (vt deduximus 23. huius) transiuerunt, & demum sibi sumserunt hunc titulum in eam, & secundum eam significationem, quâ potestatis plenitudo per ipsos intelligitur auctoritas vniuersalis, & suprema iuris dictio, siue principatus coactiuus, omnium Principum, populorum, & temporalium rerum.

Et postea: Vnde in approbatis legitur historijs (vt verum est) edictum hoc emanasse de populi Romani consensu communi. Leo Papa in Synodo congregatâ Romæ in Ecclesiâ sancti Saluatoris, ad exemplum beati Hadriani Apostolicæ sedis Episcopi, qui domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum, & Longobardorum patriciatus dignitatem, ac ordinationem Apostolicæ sedis, ac inuestituram concesit: Ego quoque Leo, seruus seruorum Dei, Episcopus, cum cuncto clero, ac populo Romano constituimus, confirmauimus, & roborauimus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus, atq; largimur domino Othoni primo Regi Theutonicorum, eiusq; successoribus, huius regni Italiæ in perpetuum tam sibi facultatem eligendi successorem, quam summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hæc Archiepiscopos, seu Episcopos, vt ipsi ab eo inuestiturâ suscipiant, consecrationem autem vnde debent, exceptis his, quos Imperator Pontifici, & Archiepiscopis concessit. Et nemo deinceps, cuiuscunque sit dignitatis, vel religiositatis, eligendi, vel patricium, siue

Pontificem summæ sedis Apostolicæ, vel quemcunque episcopum ordinandi habeat facultatem, absq; consensu ipsius Imperatoris qui tamen fiat absq; omni pecunia, & vt ipse sit patritius, & Rex. Quòd si à clero quis episcopus eligitur, nisi à suprà dicto Rege laudetur, & inuestiatur, non consecretur. Si quis contra hanc auctoritatem aliquid moliatur, hunc excommunicationi subiacere decreuimus: & nisi resipuerit, irreuocabili exilio, vel vltimis supplicijs puniri. Hoc siquidem edictum confirmauit Stephanus Papa, prædicti Leonis successor, & Stephani successor quidam Nicolaus, ipsum sub terribilis anathematis pœna seruari præcipiens, vt videlicet eius violatores seu transgressores cum impijs, qui non resurgent, debeant computari. Ex hoc autem edicto singulariter notandum est, quòd auctoritas hæc, quam de inuestituris Romanus Episcopus cum vniuerso populo in Imperatorem transtulit, quantum erat ex parte Papæ, fuit renuntiatio quædam.

Idem. Congregatio enim Apostolorum amplioris fuit auctoritatis, quàm solus Petrus, aut alter Apostolus. Vnde legimus, Petrum ab ipsa missum in Samariam, vt apparet Actuum 8. Cùm autem audiuissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quòd recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Cur ergò, & vnde assumunt adulatores sacrilegi quidã dicere, quenquã Episcopũ habere à Christo plenitudinem potestatis etiam in clericos, nedum in laicos: cùm beatus Petrus aut vllus alius Apostolus nunquam talem sibi potestatem adscribere præsumserit opere, vel sermone? Hoc enim asserentes deridendi sunt, nihil credendi, minusq; timendi, cùm scripturæ oppositum clament in literali, & manifesto sensu ipsarum. Nam B. Petrus nunquam super Apostolos, aut alios talem habuit potestatem, sed cum ipsis potiùs, vt iam diximus, æqualitatem, iuxta Christi præceptum seruauit. Vnde Matth. 23: Nolite vocari Rabbi: vnus est enim Magister vester Christus: omnes autem vos fratres estis, id est, æquales. Et dixit omnes, excipiendo neminem.

Idem. Omni regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur. Hæc est enim bonarũ artium decora mater. Hæc mortaliũ genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores excolit. Et tantarum rerũ ignarus agnoscitur, qui eam minimè quæsisse sentitur. Verùm quia contraria per se factiua sunt contrariorum: ex discordia, quæ opposita est tranquillitati, prouenient ciuili regimini, seu regno cuilibet, fructus & incommoda pessima: vt videre sat est in regno Italico, & nulli est occultum. Cuius discordiæ etsi causæ primitus sint plures, & coniunctæ non paucæ, quas solitis modis euenire possibile est: est tamen vna quædam singularis, & occulta valdè, quã Romanũ imperium dudũ laborauit, laboratq; continuè, vehementer contagiosa, nil minùs & prona serpere in reliquas omnes ciuitates & regna: ipsorumq; iã plurima sui auiditate tentauit inuadere. Est autem, & fuit opinio peruersa, & affectio non recta, Episcoporum Romanorum principatus, quem sibi deberi asserunt ex plenitudine potestatis, quam Christus Petro, & Rom. Papis, tanquam Petri successorib. & Christi ipsius vicarijs tradiderit. Hoc sophisma singularis causæ, litium nocumenta non parua, regnis atq; communitatibus omnibus minantis, resecare, quia communis vtilitas, vel potiùs necessitas foret, (nec enim aliter nequitia hæc humani generis communis hostis succidetur perfectè: nec peruitiosi, quos hactenus produxit, fructus arescent) tenentur singuli fratres, eoq; magis collegia & communitates se inuicem iuuare, tam supernæ charitatis affectu, quàm vinculo, siue iure societatis humanæ. Quod Philosophi etiam gentilium, vt Cicero, vt Plato, & inprimis sacræ literæ iubent, & Dominus Christus exemplo suo exstimulat.

Ibidem. In decretis reperitur priuilegium quoddam Imperat. Constantini, à Pontificib. approbatum, quo B. Syluestro Romano Pontifici concessit iurisdictionem coactiuam super omnes mundi ecclesias, reliquosq; presbyteros seu episcopos omnes. Cumq; concessionem illam fuisse validam, fateatur Papa Romanus, & cum eo presbyterorum seu episcoporum reliquus cœtus, consequenter ipsis concedendum est, eundem Constantinum hanc iurisdictionẽ seu potestatem in eos penitus habuisse. Ex his Marsilij huius verbis videmus, ante ducentos annos Papæ obiectum fuisse, vniuersalem episcopatum orbis terrarum ipsum habere non posse à Constantino, quia Constantinus nullum omnino habuit episcopatum, ideoq; non plus iuris in alterum, quàm quantum ipse habuit, transferre potuit. Fatentur quoq; Canonistæ, secularem principem, ne vnius quidem ecclesiæ, etiam exiguæ sacerdotium, seu episcopatum habere posse: nedum vniuersalem. Papa primatum habet, & tamen legitur in Decreto ex Chrysostomo: Quicunq; desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo, nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit: dist. 4. c. multi. §. quicunq;. Item, Primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid eiusmodi, sed tantùm primæ sedis episcopus. Vniuersalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur. ca. primæ sedis. dist. 99. quod idem duobus cc. seqq. totidem propè verbis inculcatur.

1328. *Mirum.*

ANno Christi 1328. uvæ in Aprili flores genuerunt, & circa S. Ioannis iam multis in locis ematuruerant. Annal. VVirtemb. Imp. & Papa vt sup.

1329. *Michaël Cesenas Minoritarum Generalis.*

SCripsit hic contra tyrannidem, fastum, & primatũ Papæ. Accusauit eum præterea vt Antichristũ: & Romanam Ecclesiam, id est, Spirituales, & Prælatos, tanquam Babylonicam meretricem, pro-

rum sanguine ebriam. Dixit, duas esse Ecclesias: alteram impiorum florentem, in quâ Papa regnet: alteram afflictam, piorum. Veritatem penitus fermè exstinctam esse. Atque ob eam causam à Papa suâ dignitate priuatus est. Verùm ille nihilominùs in sententiâ permansit. Contra eum scripsit Petrus de Lucia. Damnatus quoque est cum Ioanne quodam propriâ bullâ, in Extrauagantibus Ioan. 22. Antoninus Florentinus sic in quartâ parte Summæ de hisce proximis duobus, & de Petro de Corbaria, scribit: In Extrauagante Ioan. 22. quæ incipit, Dudum ab audientiâ, &c. reprobantur vt hæreses, errores Petri de Corbariâ, Ioannis & Michelini Ordinis Minorum, qui pertinaciter asseuerabant, quòd Petrus Apostolus non fuit magis caput Ecclesiæ, quàm quilibet Apostolorum: & quòd Christus nullum Vicarium in Ecclesia dereliquit, vel caput. Et quòd Papa non habet corrigere, & punire, instituere, vel destituere Imperatorem.

Item dixerunt, quòd sacerdotes omnes, cuiuscunque gradus existant, sunt æqualis authoritatis, potestatis, & iurisdictionis, institutione Christi: sed Cæsaris institutione Papam esse superiorem, qui etiam potest hoc reuocare. Item quòd nec Papa, nec tota Ecclesia potest punire quemquam punitione coactiuâ, nisi hoc habeat ab Imperatore. Hactenus Antoninus. Habuit sui dogmatis multos, magnique nominis adstipulatores, & etiam discipulos, ex quibus plurimi à Papâ interfecti sunt. Nomina quorundam eius adstipulatorum adscribam: Vuilhelmus Occam, Ioannes de Castilione, Franciscus de Arcatara: vterque ex posterioribus exustus est. Cat. Imp. Ludouico 4. Papa Ioanne 22. vt sup.

Petrus Bertrandus Cardinalis: & Petrus de Cugnerijs. 1329.

Habes in libello impresso huius Bertrandi articulos multos grauaminum Regis, & regni Galliæ contra Prælatos, & Episcopos, à Petro de Cugnerijs milite, & consiliario Regio in præsentiâ Regis, & Cleri prolatos, quibus temporalia illis auferenda, & tantùm spiritualibus secundum legem, & præceptum Christi, frui licere, retulit: sed vsitato excommunicationis fulmine, & promissione vitæ æternæ obtinuerunt facilè veterem errorem: vt ibi. Vt sup.

Nilus Thessalonicensis Archiepiscopus. 1330.

Quidam Nilus Thessalonicensis Archiepiscopus scripsit prolixum librum contra Latinos, id est, Romanæ Ecclesiæ adhærentes. In primo eius capite totam dissidij & schismatis inter Orientalem, & Occidentalem Ecclesias culpam in Papam reijcit, sicut & Humpertus de Romaniâ, sui ordinis magister seu Rector, qui circa an. Dom. 1220. vixit. Dicit, eum solum, contra omnes veteres Canones, velle imperare, neminem audire, nullum liberum Concilium pati congregare, &c. Eoque res ac controuersias inter Græcam & Latinam Ecclesiam discerni, ac dijudicari, componique minimè posse. In secundo capite, ex professo accuratiùs contra Primatum Papæ disputat. Ostendit enim primò, eum non diuino iure, sed humano, aliquam præ alijs Episcopis dignitatem habere: quippe, quam ipsi Concilia, Patres, & Cæsares concesserint. Nec concessisse tamen ob aliam grauiorem rationem, seu grauius ius, nisi quia ea Vrbs tunc orbis terrarum Imperium habuit: non quia Petrus ibi vel fuerit vel non fuerit. Secundò ostendit, eum ipsum primatum, seu prærogatiuam, nequaquam talem, ac tantam esse, quantam ipse, eiusque adulatores sibi vsurpant. Ac refutat ordine præcipuas Papistarum propositiones, seu neruos ipsorum tyrannidis. Ostendit, Papam nihil habere imperij super alios Patriarchas: posse enim errare ipsum, sicut & alios mortales: subiectum eum esse legibus & Concilijs, sicut & alios Episcopos: non esse ipsius ius conuocare concilia, sed Cæsarum: nihil eum posse sine alijs Episcopis, in rebus Ecclesiasticis statuere: & deniq;, nihil eum aliud ex Petri successione, quàm vt sit Episcopus, habere, quod & alij omnes Episcopi à suis apostolis habeant. Cat. Imp. Ludo. 4. Papa Ioan. 22. vt sup.

Thomas de Valas. 1330.

Thomas de Valas, ordinis Prædicatorij, theologiæ magister insignis, circa hæc tempora exponens se periculo ob fidem Catholicam, prædicauit Auinione publicè contra Papam Ioannem, propter errorem eius de cæcitate animarum separatarum, omnibus prælatis ecclesiasticis dissimulantibus, & diu tacentibus. Qui ob id anno proximo ab inquisitore hæreticæ prauitatis sed latenter incarceratur Auinione, vbi pro Christi fide multa passus est. Sed paulò pòst precibus Philippi Regis Gallorum, pro eodē Papæ scribentis, libertati datur. Chron: Zitic ense. Imp. Lud. 4. Pp. Ioan. 22. vt sup.

Annales Scotiæ. 1330.

Thomas Ranulphus Scotiæ Rector Monachi fraude veneno sublatus est. Imp. Lud. Bauaro. Pp. Ioan. 22. vt sup.

Alexander de S. Elpidio Italus.

1330. SCripſit libros de Eccleſiaſtica poteſtate, vnitate, & paupertate. Imperat. Lud. 4. Papa Ioan. 22. vt ſup.

Ex Aſtexario, Concilio Ancyrano, canone Niceno,

Burckardo, & Gratiano.

1330. QVo pacto ab adulterio, inceſtu, homicidio, cæde, parricidio, periurio, ſacrilegio, fornicatione, falſo teſtimonio, Magia, ſuperſtitione, Sodomia, commodè & facilè abſolui poſsis, & quid ſit carrena, quadragena, ſeptena, & de varijs ſatisfactionum generibus, vide prædictos autores. Imp. & Papa. vt ſup.

Petrus Aponenſis.

1330. QVidam qui iam armis, aut eruditione, aut arte aliquâ præſtant, à nigromantiæ ſtudio non leue incrementum ſe habere autumant. Velut Petrus Aponenſis, conciliator dictus, palàm ſcripſit, ſe gloriam æternam conſecutum necromantiæ auxilio. Vigebat olim in Hiſpaniâ hæc ars, publiceque docebatur in Academiâ Salamantica. Vnde ibi aliqua adhuc artis experimenta ſupereſſe dicuntur. Imp. Ludo. 4. Papa Ioan. 22. vt ſup.

Auguſtinus de Ancona.

1330. SCripſit inter alia multa etiam de ſumma poteſtate Eccleſiaſtica: & eſt vnus ex maximis aſſentatoribus Paparum, vt reperies ſub titulo de Paparum maieſtate, infrà. Imperat. & Papa vt ſup.

Petrus de Lutra Monachus.

1330. SCripſit de ſummi Pontificis eminentia, & contra impugnatores eius. Vt ſup.

Memorabile.

1336. PVella nouem annorum ad Confluentiam Rheni, & Moſæ, ex ſeruo concepit, & puellum peperit hoc anno. Maffæus. Imp. Lud. Bauaro. Papa 202 Benedicto 12.

Conuentus Francofurtenſis.

1336. COnſtitutum eſt in conuentu Francofurtenſi anno 1338, nihil accipere Imperatorem à Papa, nec iuriſdictionem vllam politicam in Imperio habere Pontificem Romanum: in Eccleſiaſticis verò Concilij generalis auctoritatem maiorem eſſe quàm Pontificis. Hoc decretum, inquit Dreſſerus in querelis de Pontificum inſidijs, per Germaniam ſemel factum ab Imperatore Ludouico, approbatumque ab Epiſcopis, & Antiſtitibus, firmus eſt murus, quo arceri poſſunt, & repelli Pontificiæ molitiones, quibus vel regnum, aut tyrannis in Germania quæritur: vel ius poteſtaſque tuendi, aut exſequendi pontificia dogmata in Imperio, prætexitur. Imp. & Pp. vt ſup.

Petrus Præmonſtratenſis, Benno, & alij.

1336. SYlueſter ſecundus, natione Gallus ac profeſsione monachus, Gilbertus primùm appellatus, in Floriacenſi cœnobio Benedicti regulam adoleſcens profitebatur, & artibus diabolicis intentus, totum ſe ſatanæ mancipabat. Monaſterio demum relicto, in Hiſpaniam ſe contulit, profanarum artium ſtudio feruens: & ad Philoſophum Saracenum magiæ peritum, Hiſpalim peruenit. Apud quē non eruditione ſolū, ſed & ambitione creuit: cogitauitq; quo pacto ſibi viā inueniret ad altiora honoris & opum faſtigia: putauitq; nihil ad eam rē conducibilius eſſe, quàm vt magicis artibus ſe addiceret. Viderat antè apud magū hoſpitem, librum necromanticum: eumq; vt ei ſurriperet, operā dedit. Cùm verò codicē religioſiùs ille ſeruaret, quàm à Gilberto ſurripi poſſet, perſuaſit filiæ, quā domi habuerat magus, cum qua ſibi interceſsit domeſtica familiaritas, vt patris librum ſecretò tolleret, daretq; ſibi perlegendū. Puella morem geſsit, fitq; ille voti compos. Libro accepto, clàm parat abitionē: metuens tamē, ne ex furto illo ſibi vitæ periculū immineret. Satanæ igitur iureiurando ſe tradidit, ea lege, vt eius præſidio tutus in Galliam veniret, & conſequeretur non vulgares dignitatū gradus. Venit in Galliam, ſcholas cum quibuſdā alijs aperuit: liberales artes non ſine auditorum admiratione docuit. Vnde plures habuit in prædicta arte diſcipulos, Conſtantinū ſcilicet, abbatem D. Maximi prope Aurelianum, Lotharium archiepiſcopum Senonenſem, Adelboldum epiſcopū Vuirtzenburgenſem

Otho-

Othonem Imperatoris filium, Robertum Franciæ regem, Theophylactum, Laurentium, Malfitanū, Brazutum, Ioannē Gratianum, sacerdotes Romanos, atq; alios multos. Horum opera & largitionib. fiebat primùm episcopus Rhemensis, vt dictum est: deinde malis artib. adeptus est archiepiscopatū Rauennæ: postremò diaboli ope adiutus, Romani Papatus sedem accepit: eius vicarius factus, quem è puteo Tartareo suis præstigijs & necromantijs soluit, Apoc. 20. Nam & Petrus Præmonstratensis cum quibusdam alijs scriptoribus, refert, illum in anno à Christi natiuitate 1000. assumsisse Papalem cathedram. In quo anno terræmotus magnus & mirabilis (teste Massæo) contigit, & cometes horribilis visus erat 14. die Decemb. Magicas artes in Papatu celabat: & necessitudinem illam, quā cum ipso habuit diabolo, dissimulabat. Caput verumtamen æneum in abdito quodam loco seruabat: à quo, cùm quicquā peteret à maligno spiritu illo, responsa semper accepit. Tandem sibi pulchrè placens in papali fastigio, sciscitabatur ex suo congerrone diabolo, quàm diu potiturus esset pontificatu? Diabolus ambiguè respondit, non moriturum illū, priusquàm in Hierusalem missam celebrauerit. De vitæ ergo diuturnitate bona spe accepta, omninò cœpit esse securus, quòd sciret, se posse cauere, ne Hierosolymam (Palæstinæ vrbem intelligens) proficisceretur. Mos verò fuit, vt Pontifex in quadam quadragesimalis stationis die, Romæ sacra faceret in basilica S. Crucis, quæ Hierusalem vocabatur. Vnde Syluester de sua vita securus, cùm tamen in cauendis satanæ insidijs non satis circumspectus esset, missam ex more in eo templo peregit. Qui statim graui correptus febri, ex strepitu dæmonum sensit, sibi mortem adesse, pen[n]umq; satanæ reddendum. Scelus magici erroris publicè plorans inde confitebatur, miserabili & horrendo hoc interitu præuentus. Et inter ipsas mortis angustias supplicat, (inquit Benno) manus & linguam abscindi (sunt qui addant genitalia) per quas in ipso cœlibatu sacrificando dæmonibus, Deum ipsum blasphemauit. Atq; ita anno Domini 1003. dignum suis meritis exitum sortitus est. Sed eius discipulos mors hæc teterrima ab idololatriæ studio non deterruit, quibus etiam non defuit diuina vltio. Et quis non hinc intelligat, qualenam istud munus sit, qualis dignitas, quale officium, quod diabolus suis conferre nouit, quodq; sathanicis & nefarijs artib. adipisci possunt homines perditissimi? Quale sit etiam missæ sacrificium, quod viuis & mortuis prodesse tam crebrò iactitatur, cùm diabolus tantam tragœdiam aduersus sanctissimum D. Petri successorem & socium (Simonem Magum potiùs) sub eo excitauerit, atq; ad lacum tartareum secum tandem traxerit. Huius Syluestri sepulchrum, ossium collisione & sudore emisso, ab eo tempore dicitur, semper Pontificum mortem prænunciasse. Dubio procul ideò, vt diabolus significet, cum Pontificibus successoribus eandem necessitudinem sibi esse, quæ cum Syluestro fuit: quem etiam suæ mortis ante obitum admonuit. Imp. & Pp. vt sup.

Idē Præmonstratensis, & Ioannes Euerisdenus. Sanguis de cœlo, anno 786, in Anglia profluxit & cruces apparuerūt in vestib. hominū. Et vt Petrus refert, hoc tempore stellæ de cœlo cadebāt, Ap. 6.

Idem Præmon. sic refert de Ioanne de rupe scissa Franciscano, de quo etiā infrà: Plura ille prophetauit (inquit) de Antichristo, & de summis Pontificib. futura. Crematus est propterea à Clemente 6. Papa Auenione, primo anno Pontificatus. Multa ex eius vaticinijs visa sunt euenisse.

Bartholomæus de Pisis in libro Conformitatum. 1338.

HVc apparitionum & figmentorum satanicorum ingentia possent conuehi plaustra ex lib. Conformitatum, ob conformitatem B. Francisci cum vitā Domini Nostri Iesu Christi, sic inscripto, à Fr. Bartholomæo Pisano, approbatoq; à Fr. Henrico ordinis fratrum Minorum generali ministro, anno 1389. 2. Augusti, ac impresso Mediolani apud templū S. Satyri, anno 1511. finitoq; die 10. April. Hic Alcoranus Franciscanorū alicubi nuncupatur. In eo legitur, dæmonē per mulierē Rauennatem nomine Zautesem, confessum fuisse cuidam Iacobo presbytero Bononiensi: Franciscum occupare Luciferi cathedram: eundē quoq; Christi esse vexilliferum, atq; eā ratione Regi proximum: nec vllum ecclesiasticum ordinem esse Christo viciniorem cœtu Franciscanorum, & Franciscum gloriosè latus Regis regum claudere: sedere item super omnes cœli sanctos, exceptā Dei matre, S. Io. nunc Bap. istā, Ioanne Euangelistā, & Apostolis. Mirū est, cognouisse satanam, Franciscum in eius successisse locum, & illum in cœlis seruari ordinem, quum à lapsu reuocare eò gradum nequiuerit. At idipsum visione obseruasse Rudolphum episcopum Erphurtensem, factum eo nomine monachū gregis Franciscani: duos item ciues Venetos hoc vidisse scilicet, velut & Fratrem Pacificum extasi in cœlos raptum, alibi in eodem veritatis opere narratur. Legēda item antiqua asseuerat, monachum expulisse dæmonē, qui de Francisci sanctitate rogatus responderit: nato Francisco, mox metu tanto fuisse perculsum vniuersum illud dæmonum collegium, tamq; graues turbas motas, vt extremum adesse diem fuerint veriti. Quum verò hic se falsos viderent, inter sese dicebāt, puerum certè natum esse, qui Auerno grauiter turbato, horrendā ipsos clade afficeret. Quare Beelzebub princeps è uestigio in omnem terram suos ablegat inuestigatum, vbinam locorū hic puer mundo apparuisset. Tandem intellexêre, Franciscum esse hunc, quem nimis coarctaturum Tartara, habuerūt persuasissimū: quocirca vt è medio tolleretur, infanti insidiabantur, sed frustra. Angelus enim Domini in peregrini forma venit ad Francisci matrem, domusq; famulam, præmonitum, vt ob diaboli insidias singularis haberetur pueri ratio. Quare Dæmones indignanter dixêre: Esto, si Franciscus tolli nequit, eius tamen ordinem persequemur, vexabimus, & affligemus. Alibi ad hæc in dicto volumine scribitur, satanam ex obsessā fœminā fassum esse: cùm Christus Deum patrem festinare videret ob populi peccata ad extremam mundi punitionem finemque: cum rogasse patrem, vt Franciscum sibi adiungeret, in portanda cruce manus auxiliatrices subministraturum

rum. Inde in Francisco apparuêre quinque vulnerum stigmata, à Christo illi, vt suo coadiutori, & in omnibus ipsi simili impressa. Canonisatus est à Papa circa annum Domini 1231. Imperat. 109 Lud. Ba. Papa 202 Bened. 12.

Ibidem. Christus B. Franciscum sibi fecit non solùm in actibus passionalibus parem, sed etiam in passione per sacrorum stigmatum impressionem, & in actibus perfectionalibus, vt declaratum est.

Ibidem. Franciscus continuè quinque sua vulnera obligare, & aliquid eis oppilare cogebatur, ad sistendum sanguinem: sed à singulo vespere diei Iouis ad sequentem Veneris vesperam ea non obligabat, sed sanguine fluere identidem sinebat magnos dolores perferendo. Propter Christum enim circa id tempus cum crucifixo Christo etiam crucifigi & affligi volebat.

Ibidē. Cùm Franciscus concionaretur, & asinus in populo tumultuabatur, Franciscus ait: Frater Asine, esto tranquillus, quoad concionem absoluero. Confestim asinus dicto audiens, se intra Francisci pedes, composito gestu reponit.

Ibidem. In Prædicatorum aliquo monasterio Franciscus suis cum quinq; stigmatibus appictus erat, eò monachus quidam deuenit, & viso Francisco indignabatur, aliquando autem dormientibus fratribus, ad picturam ascendit, & eam carbone atrauit, manè luculentior erat Franciscus, quàm antè, id quod monachum malè admodum habuit: alterâ nocte vulnera Francisci abrasit, sed multò splendidiora manè erant, quod monacho stomachum vehementiùs mouebat: tertia nocte penitus eum extinguere in animo habebat: & cùm radendo ad sinistri lateris vulnera peruenisset, ecce sanguis erumpebat, vt monachus retrò, ac si fulmine adigeretur, caderet: vulnera autem sanguine totam noctem manabant: manè grande damnum deprehendebatur, conclaue ceu lacus sanguine exundabat, & frater in eo semiviuus iacebat: tum vulnera obturabant, sed irrito labore, nam sanguis tanquam ex scaturigine prosiliebat. Monachi conuenerunt, & deliberantes decreuerunt, vt nudipedes fratres accerserentur, & citò aduenirent, dabantque consilium, vt Deus & Franciscus adoraretur, quò sisterentur vulnera Francisci, & miser sanguine madidus frater rursus ad se rediret, quod & factum est: Frater autem Franciscum postmodum valde adamabat: imaginem renouare volebant, sed ea seipsam de integro effingebat, & pulchrior, quàm antea apparebat.

Ibidem. Approbatum est hoc opus à fratre Henrico, ordinis fratrum Minorum generali ministro, & seruo, & cæteris ministris, & diffinitoribus capituli generalis, apud sacrum locum de Assisio die 2. August. anno Domini 1389, in qua epistola sunt hæc verba: Opus quod diuina fauente clementia, & intitulatur de conformitate beati Francisci, ad vitam Domini nostri Iesu Christi fecisti, inspici, discuti, & examinari fecimus diligenter, cum arbore quam nobis personaliter præsentasti, & nihil inuenimus correctione dignum, &c.

Ibidem fol. 72. Frater Franciscus dicendo missam, in calice araneam inuenit: quam nolens proijcere, bibit cum sanguine: postea fricans crus, & scalpens, vbi pruritum sentiebat, ipsa aranea à crure exiuit sine læsione fratris.

Item fol. 67. Quidam nomine Bonelus noluit credere, quòd hostia consecrata esset corpus Domini: & dixit, quòd sua asina comederet hostias: quod audiens B. Antonius missam celebrauit, & hostiam consecratam asinæ detulit, & ostendit, statim asina genu flexit, & capite inclinato, reuerentiam exhibuit, quod videns Bonelus catholicus est factus.

Itē fol. 18. Franciscus plus fuit, quàm Ioannes Baptista: quia hic tantū fuit pœnitentiæ prædicator: Franciscus fuit prædicator, & ordinis pœnitentiæ institutor. Ille fuit præcursor Christi: hic prædicator & signifer Christi, quâ in re Ioannem ipsum excedit. Item, Ioannem Franciscus præcedit: quia plures ad Dominum conuertit, & pluribus in locis, videlicet in toto mundo. Ioannes duos annos & parùm plus prædicauit: Franciscus 18. annos. Ioannes verbum de pœnitentiâ accepit à Domino: Franciscus à Domino & à Papâ: quod plus est. Ioannes Baptista qualis esset futurus, per angelum patri, per Spiritum sanctum, & Prophetas fuit declaratus: S. Franciscus verò à Prophetis, à Domino Iesu Christo, item per Angelum matri & famulis in specie peregrini declaratus. S. Ioannes in vtero & extra prophetauit: B. Franciscus in vtero, id est, in carcere apud Perusium captus, cum gaudio, se magnum futurum prædixit. Ioannes mundo singularissimus fuit sanctitate: Franciscus excellentissimus fuit ad Christum præ alijs, stigmatisationis conformitate. S. Ioannes in ordine Seraphico sublimatus: B. Franciscus in ipso ordine in sede Luciferi collocatus.

Ibidem. Frater Leo huiusmodi visionem habebat: Scalas scilicet duas à terrâ ad cœlum vsque protensas videbat, alteram rubram, alteram candidam: in rubræ cacumine Christus, in candidæ Maria stabat. Simulac hoc Franciscus vidit, fratres suos adhortatus est, vt audacter in rubra scala ad cœlum ascenderent. Hoc cùm conarentur, alter hîc, alter illic de eâ cecidit: ægrè hoc ferebat Franciscus, & Christum interrogauit, quomodo istud fiat: Christus ostendens ei suum latus, & manus, quæ ita sanguine fluebant, ac si recenter transfixa essent, inquit: Hoc mihi fratres tui fecerunt: Franciscus cùm hoc audiret, fratribus suis acclamauit, & ne animum desponderent, monuit: iussitque, vt in altera candida scala ascenderent: illi hoc facientes, continuò à virgine Maria sine omni labore in regnum cœlorum suscepti sunt.

Sciat æquus lector, similium miraculorum & blasphemiarum maximos me posse aduehere cumulos, hinc inde gnauiter collectos: quia animus fuit illa huic operi inserere: verùm cùm pleraq; ficta, fabulosa & falsa sint, (adeò vt & ipsum Ius canonicum illis tribuere quicquā vetet) & ad quæstus

ac præ-

ac prædas captádas tantùm, constet excogitata, placuit, illa silentio hac vice præterire, & in aliud tempus reseruare. De his etiam suprà anno 1290. et infrà anno 1550. apud Ochinum.

Cestriensis, Ranulphus, Matth. Paris, Ioan. Buriensis Abbas, Fabianus & Triuetus.

HI vnà cum Balæo mentionem faciunt Roberti Grostesti, (de quo etiam nonnihil suprà) eum scripsisse contra Prælatorum ignauiam, de scala paupertatis, & tonitru contra curiam Rom. 1339.
Pontificis Innocentij quarti, in suis concionibus publicè, sed modestè, quòd absens tunc esset: auaritiam, tyrannidem, & fastum multifariam reprehendens. Quod tam ægrè ferebat Pontifex, si vera refert in suis Annalibus Ioannes Buriensis abbas, vt eo mortuo, cogitauerit de exhumando eius cadauere. Ad eundem Innocentium aculeata etiam dedit scripta, quòd pro suis nepotulis ac spurijs, Angliam tot exactionibus insolitis vexaret. Propterea priuatus tandem sacris, & diris maledictionibus ad inferos execratus, atque tum demum ad sanguinariam illam, vt illic compareret, curiam citatus, à Papistica tyrannide appellauit ad æternum Iesu Christi summi iudicis tribunal. Et eodem anno defunctus (si iusta sunt quæ Ranulphus, vterque Matthæus, & Fabianus narrant) Pontificem ipsum, apud Neapolim lectulo decumbentem in visione sic percussit, vt manè repertus sit mortuus, sinistro latere cruentato: dum toto Siciliæ regno se breui potiturum, speraret. Cestriensis narrat lib. 7. quòd etiam audita sit vox in curiâ Papæ clamans: veni miser in iudicium Dei: & apparuerit in eo plaga liuida, ac si fuste verberatus fuisset. Sacerdotes non Dei, sed hominum mandata docentes, Antichristos, Satanæ ministros, fures nocturnos, latrones diurnos, morum corruptores, animarum carnifices, & angelos tenebrarum vocabat: eorumque à Papa exemtiones retia diaboli esse, dicebat. Excommunicationem Papæ tam fortiter tulit, vt in ea mortuus fuerit. Disputabat quoq; Papam nihil contra iustitiam veritatemq; posse: imò cùm id attentet, peiorem esse Lucifero & Antichristo. Matthæus Paris sic de eo scribit: anno Domini 1253. migrauit ab huius mundi exilio sanctus præsul Robertus Lincolniensis, pius sui regis monitor, terrificus Papæ redargutor, manifestus & audax Prælatorum reprehensor, monachorum corrector, presbyterorum director, clericorum instructor, scholarum fautor, populi prædicator, orphanorum & viduarum defensor, incontinentium persecutor, scripturarũ perscrutator, veritatis amator, Romanorum verò malleus & contemtor, Lincolniæ sepultus. Ille magnus Ecclesiæ doctor Hebraicè, Græcè, & Latinè peritus, multa de glossis Hebræorum extraxit, ac de Græco pleraq; in Latinum sermonem transtulit, vt patet de Testamentis Patriarcharum, & de operibus Dionysij, Damasceni, Suidæ, atq; aliorum. Nicolaus Triuetus ait: Vir fuit excellentis sapientiæ & purissimæ doctrinæ, omniumq; virtutum exemplar, & qui de glossis Hebræorum multa extraxit. Cùm vellet Innocentius iratus, ossa Roberti huius Lincolniensis episcopi extra ecclesiam proijci, vt per totum mundum acclamaretur ethnicus, rebellis, & inobediens: in visione nocturna ab eo, vt fertur, ad mortem percutitur. Imp. 109 Lud. Baua. Papa 202. Benedicto 12.

Voracius.

HOc tempore prodijt illo titulo insignitus liber de Ioanne 22. Papa: in quo recensebantur ipsius 1339.
Simonia, auaritia, tyrannis, atheismus, Epicureismus: & quòd ipse esset illa bestia iniquitatis, de qua in Apocalypsi. Vt sup.

Apologus Propheticus, quem Ioannes à Rupe scissâ Franciscanus monachus, super opibus, luxu, & ambitione Ecclesiasticorum, recitauit Cardinalibus Auinione, dum in carcere esset: 1340.

Decerptus ex secundo volumine historiarum sub finem, Ioan. Frossardi, thesaurarij, & Canonici Chymayensis in comitatu Hannoniæ, diœcesis Leodiensis, qui eodem seculo & vixit, & historiam condidit.

PEr id tempus Auinione fuit quidam Frater Franciscanus, præditus ingenio, & eruditione summâ, vocatus Ioannes de Rupe scissâ, quem Papa Innocentius VI. tenebat vinctum in castello Baignosi, propter res miras, quas euenturas ille dicebat, præsertim super Prælatos, spirituales, & præsidentes in Ecclesiâ, quos reprehendebat de multis grauiis. sceleribus & officij sui extrema neglectione, dicendo: Ecclesiam Romanã esse meretricem, Papam ministrum Antichristi, Cardinales pseudoprophetas, scilicet ob immensum luxum, & ambitionem, quibus dediti erant: atq; itidem super regnum Franciæ, & potentiores Christianitatis principes, quoniam plebem tenuem tam miserabiliter opprimerent. Probaturum se verò, aiebat Ioannes, omnia sua dicta per Apocalypsin & veteres libros sanctorum Prophetarum, qui ipsi per gratiam sancti Spiritus essent retecti, sic, vt diceret multa creditu difficilia. Conspiciebantur sanè quædam euenientia eo ipso tempore, quo pronunciauerat: neq; dicebat quicquam vti Propheta, sed per Scripturas veteres, & sancti Spiritus gratiam, qui ipsi largitus erat scientiam declarandi omnes illas veteres prophetias, ad annunciandum omnibus Christianis annum & tempus, quibus debebant impleri: & confecit complures libros magnâ doctrinâ bene fundatos. In vno quodam eorum composito Sal. anno M. CCCXLVI. res complexus erat tã mirabiles, vt eas ægrè quisquã esset crediturus: sed earum compluriũ euentus iam est visus. Et quando

interrogabatur de bello Anglorum in Francos, dicebat, iam antè visa nihil quidem esse præ
illis, quæ superessent videnda, Neque enim fore pacem, neque finem bellandi vllum, donec
regnum Franciæ per omnes vndequaque regiones esset vastatum, & exhaustum: idque omne est
vitum postea accidere ita. Nam nobile regnum Franciæ fuit afflictum, & omni calamitate pro-
stratum, inprimis eo ipso tempore, quod Franciscanus ille denuntiârat, scilicet anno Salut. 56.
57. 58. 59. supra M. CCC. Porrò idem Frossardus sub finem 2 voluminis, narrans de schismate
in Ecclesia, & de Vrbano VI. apud Perusium per Clementis VII. milites obsesso, ita scribit: Scio
equidem, demiraturos super hisce rebus posteros, & Ecclesiam in talem turbationem delabi,
aut delapsam durare tam diu posse. Sed hæc plaga fuit à Deo immissa, quò Ecclesiastico ordi-
ni ob oculos considerandum exhiberet pomposum statum, & luxum, quem vsurpabant: sed
plures nullam eius rei habebant curam, aut rationem. Nam ita erant superbia & arrogan-
tia occæcati, vt quisque alteri par esse contenderet: ac proinde res malè succedebant. Et nisi
fides nostra confirmata fuisset per manum & gratiam Spiritus sancti, qui corda deuia illumi-
nat, inque vnitate continet firmâ, lapsabunda quidem vacillasset: sed principes seculares, à qui-
bus bona primùm venerunt ad Ecclesiam, nihil aliud quàm ridebant ac ludebant, eo tempo-
re, quo condebam hæc Chronica, anno Salutis M. CCCXL. Ideoque populus mirabatur,
quomodo tam potentes Principes, vt Rex Franciæ, Rex Alemanniæ, alijque Christianitatis
Reges & Principes, nihil huic rei remedij aut consilij adferrent. Idem verò Frossardus, tum
vt populo satisfiat, cùm vt Principes sint excusati, prolixius ibidem (allato in medium simi-
li quodam) omnem culpam in Ecclesiasticos reijcit, nimirum, cùm neque populus neque Prin-
cipes boni plus vel teneant vel faciant, quàm ab Ecclesiasticis edoceantur, planè iuxta illud E-
uangelicum: si sal infatuatum, &c. recensens etiam, qui Reges ac Populi cuique Papæ essent
addicti. Tandem hæc quæ sequuntur subiungit.

Scribenti autem mihi de hoc statu rerum, quem meo seculo conspiciebam in orbe & Eccle-
siâ, quæ tunc admodum vacillabat, & de principibus secularibus, qui ita durabant, & dissimu-
labant, redit in memoriam, quomodo in meâ iuuentute Papa Innocentius Auinione regnans
in carcere asseruabat Franciscanum quendam, hominem bene eruditum, nomine Fratrem Ioan-
nem à Rupe scissa. Iste Frater (vti Papa aiebat, & ipse referri audiui) pluribus in locis, priua-
tim tamen, non publicè, proposuerat, ac proponebat complures authoritates, & notabiles col-
lectiones, & præcipuè de aduersis casibus qui ipsius tempore, atque etiam pòst euenerunt in re-
gno Franciæ. De captiuitate Ioannis Regis Franciæ loquebatur valdè planè, & exponebat quæ-
dam rationi consentanea: scilicet quòd Ecclesia adhuc multum haberet sufferre, propter enormem
luxum, quem videbat inter eos, qui baculum regiminis tenebant. Atque eo ipso tempore, quo
eum vidi carcere contineri, recitabatur mihi aliquando in Papæ palatio apud Auinionem
quoddam exemplum, quod ipse recensuerat Cardinali Hostiensi, qui dicebatur ab Arthe-
siâ, & Cardinali Anxerrensi, qui eum accesserunt visum, & de ijs quæ differeret, castigatum.
Itaque dum suas vicissim adferret defensiones, id
quoque addidit simile, quod subijciam. Refe-
rebat Ioan. Rupescissanus hoc modo: Cùm ali-
quando volucris in lucem prognata esset absque
plumis, re ad alias aues delatâ, venerunt illam
visum: & quia conspiciebant esse bene formo-
sam, ac gratiosam imprimis, contulêre super
eâ consilia, quid gratificarentur, quum sanè absq;
plumis neque volare, neque viuere commodè
posset. Voluerunt autem, ob insignem formæ
elegantiam, omninò, vt viueret: neque fuit ibi
auis vlla, quæ de plumis suis non aliquid ei largi-
retur.

Quò autem fiebat formosior, eò plus dona-
bant plumarum, ita vt tandem volucris illa pror-
sus esset pulcrè pennata, ac volare incipe-
ret. Atque etiamnum, dum illam volantem
intuentur aues pennas suas elargitæ, magnâ
voluptate adficiebantur omnes. Volucris au-
tem illa cùm videret, se adeò opulenter penna-
tam, & pariter ab omnibus honorari auibus, cœ-
pit superbire, neque ampliùs habere rationem
vllam earum, à quibus euecta fuerat: imò
illas rostro pungebat, vellicabat, & passim in-
festabat. Tum verò aues in concilium con-
gressæ, deliberabant de volucri illâ, quam pen-
nis induerant, atque auxerant, mutuoque se in-

terrogabant, quid facto esset optimum? nam de suo tantum se volucri illi elargitas, vt iam plus satis aucta, & in superbiam elata, ipsas facilè contemneret omnes. Ibi Pauo respondit: nimirùm quidem meis plumis exornata est, itaque easdem repetam. Subijcit Falco: sanè & meas ego repetam. Ac breuiter eunt eam in sententiam aues reliquæ omnes, incipientes mox vnaquæque reuellere, ac sibi vendicare, quod plumarum donauerat. At volucris illa fastuosa ita secum agi videns, illicò demisit grandes spiritus, & palàm agnouit, omne id, quod tenebat bonum, honorem, & plumarum cultum insignem, non ab seipsâ profectum, sed per alias sibi donatum aues: quæ æditam primùm nudam, & implumem sicuti vestierant, ac pennis exornârant, ita & dona sua repetere poterant. Quare supplex veniam rogauit, pollicens, admissa omnia se correcturam sedulò, neque commissuram, vt posthac vnquam per superbiam aut luxum plumas perderet. Iterum ergò generosæ aues, quæ priùs plumas deuouerant, cùm viderent illam ita demissam ac supplicem, commotæ miseratione, omnes quas abstulerant plumas, eidem restituunt, his tamen adiectis verbis: lubentes quidem te inter nos volitantem conspiciem⁹, sed tantisper, dum in animi humilitate officio tuo fungi velis: id quod egregium imprimis habet decorem. Verùm hoc planè ita habe, si posthac te in superbiam extuleris, mox plumis omnibus te exuemus, eumque redigemus ad statum, in quo primùm inuenimus.

Hunc prorsus ad modum (dicebat frater Ioannes) domini Cardinales, vobis eueniet. Nam Imperator Romanorum & Alemanniæ, Regesque Christiani, ac potentiores terrarum Principes vobis donârunt bona, fundos, & diuitias, vt seruiretis Deo: at vos ea profunditis per superbiam, nequitiam, & luxum. Quare non legitis vitam S. Syluestri Papæ Romani, & vobiscum (vti par est) expenditis, quomodo, & quâ lege Constantinus Imperator donauerit bona Ecclesiæ? Profectò non prodeambulabat per mundum S. Syluester, stipatus ducentis aut trecentis equitibus: sed humiliter se Romæ continebat, & sobriam cum Ecclesiasticis solùm suis vitam degebat. Quum igitur Imperator Constantinus Ecclesiæ donaret munera præclara multa, & ditiones amplas, certè non aliud habuit consilium, quàm vt iuuaret religionem nostram, & Ecclesiam proueheret: atque hæc ipsa bona & ditiones administrarentur in humilitate, atque iusticia, & neutiquam per superbiam & luxum. Sed hodie fit planissimè contrarium, eoque nomine Deus irascitur. Et irascetur quidem aliquando magis etiam contra eos, qui tempore futuro subsequentur, ita quòd nobiles, qui liberaliter donârant terras, census, & ditiones, quas possident Ecclesiastici, effecti iam frigidiores largiri desinant, & fortè etiam priùs donata auferant: neque hic longè abest euentus.

Ita quidem Ioannes Rupescissanus, quem Cardinales Auinione vinctum tenebant, explicabat verba sua ijs, qui intelligere volebant: atque sanè eo modo, vt Cardinales sæpe demirarentur. Optabant verò, ipsum è medio tollere, si vllam necis iustam causam inuenire potuissent: sed erat planè nulla. Itaque vitam ei concessêre, quàm diu se potuit tolerare: neque audebant è carcere ipsum dimittere, quòd argumenta proponeret tã profunda, & scripturas exquireret adeò sublimes, vt mundum fortè in errorem aliquem adducturus fuisset.

At certè interim visa sunt euenire multa, vt quidam asserunt, qui accuratiùs, quàm ego, verba eius obseruârunt, quæ prædixerat, & in carcere conscripserat. Volebat autem confirmare omnia, quæ dicebat, per Apocalypsin: & comprobationes veræ, quibus se armabat, sæpius ipsum seruârunt quò minùs exureretur. Non deerant quoque quidam Cardinales, qui misericordiâ affecti, non erant in ipsum tam seueri, quàm esse poterant. Imp. 109 Lud. Bauaro. Papa 202. Ben. 12.

Vaticinium, quid fructuum in Ecclesia Dei adferat cœlibatus sacerdotum: scriptum lingua Gallica per M. Alanum Chartierum, Secretarium Caroli VII. Reg. Francorum, in Opere cui titulum fecit, AVLICVS. 1340

QVum explicatam iam teneas institutionem Sacrificiorum, reliquum est, vt tibi exponam de natura, & ratione ipsorum Sacrificantium. Perspicuum verò est, Deo offerri columbas & agnos ita quidem, vt pius affectus id munus dedicet. Idonei sacerdotes edunt agnos, & vitam ducunt ex oblationibus sacrificiorum: Deus autem seruat sibi cor ipsum sacrificantis. Argumentum seu testimonium sacrificij sunt res oblatæ, sed ipsum verum sacrificium situm est in conscientia. Indeque scriptum extat, esse Deo gratius exhibere cor obediens, quàm sacrificare pecudes. Creator ipse non opus habet, vt nutriatur à victu istarum oblationnm: quoniam ipse qui satiat famelicos, non esurit carnem agnorum: ipsaque cerea nullam lucem eius splendori inferunt, qui est Sol clarissimus.

Vbi est virtus sacrificij tui, nisi in tua obedientia & humilitate? Oblationes exteriores nihil sunt, quàm figura perspicua, & apertum quoddam mysterium diuini cultus. Et is quidem iustum Deo facitat sacrificium, qui ipsi tota mente se deuouet, atque contendit, vt eius præcepta pro viribus exequatur. Id enim cor, quod totum Deo est deditum, nunquam potest deficere donum Spei: eiusq; sacrificij gratia fuit missus in terram. Ausculta, quid tibi dicat Dauid, qui tam ardens fuit in sacrificijs, tamque assuetus Spei: sacrificate Deo sacrificium iusticiæ, & tunc sperate in eum. O homo, qui Deo facis sacrificium de rapinis, eique offers id, quod à proximo tuo rapuisti, quam spem debeo

ego concipere de tuis ſacrificijs? Id ſanè, quod rapuiſti, dignum nequaquam eſt, vt offeratur: atque idipſum quod offers, non tollit indignationem diuinam, quum offeras de rapina. Tu ſacrificas oculis hominum, qui te intuentur: ſed redde quod rapuiſti, & ſacrificabis in oculis Dei. Pulchrè equidem decipitur ſtolida ſpes illorum, qui videntur ſibi magnum quoddam opus facere, quando Eccleſiæ in ſenectute offerunt id, quod in iuuentute malè acquiſiuerunt. O craſſa intelligentia, perſonato fictoque recta ſacrificio. Per rapinam ſuſtuliſti Deo obedientiam præceptorum, & timorem nominis ipſius: & cogitas illum placare per id, quod tuum non eſt. Scias, quòd odor incenſi tui ipſi putet, & ſacrificia tua longè magis ſunt moleſta quàm grata.

Scriptura te edocet, quòd ſæpe contemſit ſacrificia eorum, qui faſtidiebant maieſtatem ipſius, propter abominationem intentionis eorum. Audi, quid dicat populo duræ ceruicis, & abalienato à perfectâ ſuâ obedientiâ: Vos contemnitis præcepta mea, & vultis, quòd laudem oblationes veſtras: Vos reijcitis diſciplinam meam: & vultis, quòd oblationes veſtras acceptem. Faſtidium me capit ſacrificiorum veſtrorum, veſtras ſolennitates audire graue mihi eſt. Auertam igitur faciem meam, cùm cogitabitis, me ſacrificijs veſtris placare: quia intelligo, quòd populus hic, qui me labijs honorat, cor ipſum longè à me habet. Prohibeat Deus, ne hæ reijcientis ſententiæ, Iudæis iam olim vita defunctis dictæ, verificentur in Chriſtianis viuentibus. Profectò vereor ego, ne corda eorum, qui nunc vitam agunt, valdè ſint remota ab eo, qui ante omnes ſibi adiunxit populum Chriſtianum. Et credo, quòd iam, hiſce diebus noſtris remotiſsimi ab ipſius obedientia ſint omnium, proximi apud ipſius altare. Olim fuerunt fundatæ Miſſæ per homines, qui contemnebant temporalia, & aſsignatæ magiſtris ſacrificiorum: nunc verò hi quærunt omnes occupationes ſeculares, & refugiunt ſua myſteria & officia ſpiritualia, non ſecus quidem, quàm opera dedecoroſa ſiue reprehenſibilia. Nemo quærit, quid ſuo in officio agere debeat, ſed quanti ſit præbenda.

Ah ah maledicta introductio, ah ah diffluens abuſus: vos eccleſiam Dei effeciſtis ſpeluncam latronum, & ſanctuarium diuinum, vt iam ſit forum cauponatorium. Sancta Euangelia ſunt ſuppreſſa, & canones ſublati: exercitium autem Simoniæ & lucri quàm maximè vberis regnant, & ſanctæ Patrum doctrinæ ſunt reiectæ atque poſthabitæ. Nonnulli poſſent ac deberent ſufficere vnicuique myſterio in Eccleſia, ſed quiſque nouam voluit ſibi induere perſonam.

Porrò fuit olim factum nouum ſtatutum in Eccleſia Latina, quod diſcidit ordinem ſancti matrimonij ab dignitate ſacerdotali, ſub prætextu puritatis & caſtitatis ſine ſordicie: nunc viget ſtatutum ad concubinatum contrarium, & ipſos clericos attraxit ad exercitia mundana, atque ea flagitia, quæ carni adlubeſcunt. Et quod plus eſt, mancipant ſeſe immenſæ auaritiæ, per Simoniam aliaſque rationes illegitimas & litigioſas, corruptelis ac alijs modis varie quærentes præbendas, atque Prælaturas ſpirituales: quodque indignius eſt, ſordidati & occupati in rebus profanis, negotijſque & curis temporalibus. Atque hoc primum ſtatutum ſegregauit olim Eccleſiam Græcam à Latina: & inde enormis auaritia ſacerdotum fecit, vt diſcederent populi Bohemiæ ab Eccleſia Romana. Quid dico Bohemiæ? Imò verò penè totius orbis Chriſtiani. Nam homines Eccleſiaſtici ſua culpa ita profanârunt & ſe & ordinem ſuum, quòd iam planè & à magnis & à paruis in toto mundo habeantur deſpicatui: ſuntque corda omnium abalienata ab obedientia Eccleſiæ, per prauitatem miniſtrorum ipſius. Quia, vt iam eſt dictum, illi ipſi miniſtri dereliquerunt coniugium: cæterùm huius loco aſſumſêre ſibi illegitimas, vagas ac diſſolutas libidines.

Nolo longiùs extendere hunc ſermonem: quia tantum hæ valent conſtitutiones, quantum inde percipitur voluptatis. Quid autem conſtitutio, ne ſacerdotes ſint vxorati, affert aliud, quam ſubuertere & euitare legitimam generationem, vt ea conuertatur in adulterium: & honeſta cohabitatio cum vna duntaxat ſponſa, abeat in multiplicationem effrenis libidinis? Si dicerem hic totum id quod in animo eſt, amplè dicerem, quòd pinguedo bonorum temporalium, permixta cum dolore inuidiæ, & calor ambitionis atq; libidinis, iam facerent ſuum apparatum, vt conijciant flammam in Eccleſiam. Sed hoc argumentum nimis eſt grauis ac profundæ inueſtigationis, & diſſenſio ambigua ſatis hoc comprobat.

De hoc igitur in præſentia taceo: niſi quòd precor illum, qui eam ipſam matrem noſtram ſanctam Eccleſiam ſuo digno conſecrauit ſanguine, ne ſinat hoc ipſum euenire, quod nunc me ſinit animo cogitare. Quanquam hìc non ſtatui vituperare bonos viros ſeculares, qui ex perfecta deuotione donârunt Eccleſiæ prædia: quia exonerârunt ſeſe, vt ad Deum tantò expeditiores in ſpiritu aſcenderent: & ordo ſacerdotalis tam magnam grauemque ſarcinam humeris ſuis impoſuit, vt ipſum planè in terram decuruet, ac impediat, quò minùs ſurſum in cœlos poſsit aſpicere. Nam auaritiæ ſtudium in Eccleſiaſticis ita corrupit eorum intellectum, quòd ipſorum damnatio inde euidenter appareat: adeoque omnium etiam bonis temporalibus calamitatem inuexit, quòd eſt veluti vniuerſali militanti Eccleſiæ opprobrium & ruina: ac maximè ipſis Eccleſiaſticis, qui talia crimina committunt. Dolor hæc mihi verba extorquet. Nam abijcio ſpem omnem de duritia eorum, quæ, vt facile eſt iudicare, iamiam ipſis appropinquat in omni deſperatione. Mare cùm vehit nauem nimis grandem, velificatur magno cum diſcrimine, neque vllum flumen extra ſuum alueum diu perdurat. Iam recollige membratim id, quod tibi dixi de dignitate ſacrificiorum, & de indignitate ſacrificantium: & habe hoc tibi certum axioma, quòd quando Deus vertit ſe contra ſacrificia, tum perſecutio in homines incipit, ac maximè ipſos ſacrificantes. Et vt breuiter tibi per exemplum ſatisfaciam, iuxta noſtrum inſtitutum, huius rei tibi argumentum ſeu confirmationem ſume Ophni & Phineam, filios Heli, miniſtros altaris, quorum ſacri-

ficia fuerunt Deo abominabilia. Atque exitus quidem ipsorum explicatus extat in sacra Scriptura, vt res iam præterita: cæterùm, reliquū adhuc est, vt eueniat prophetia Danielis, qui demonstrat aduentum Antichristi, ac tempus persecutionis propter abominationem templi, & oblationem iugis sacrificij. Ex ista digressione, pendente à quæstione suprà dicta, potes intelligere, quòd oratio & sacrificium conducunt ad conseruandas, ac restaurandas res tam priuatas, quàm publicas. Imp. & Papa vt sup.

Ex eodem Chartieri Aulico.

PRVDENTIA.

Satisfaciunt mihi, ô Fides, quæ respondisti hactenus. Sed cur Deus sanctam suam Ecclesiam, & consecratos eidem ministros ita opprimi, vilipendi, & contemni patiatur, libens equidem adhuc, si bonâ tuâ fieri posset gratiâ, quærerem. Neque temperare mihi sanè possum, quin ita faciam, posteaquàm video, initiatos Deo presbyteros, sacrosque monachos, & ordinem clericalem vniuersum haberi ludibrio, & omnium insectari primùm, ac bona Ecclesiæ exposita esse prædæ ac rapinæ. Attamen ô supreme pastor Deus, tu poteras, si videretur, Ecclesiam tuam, & oues tueri ab omni violentia & bello, quemadmodum & iussisti manum abstinere: & in sacrâ Scripturâ protulisti sententiam, vt quicunque eosdem attingat, idem pupillam oculi tui attigerit.

SVMMA CAPITIS SEQVENTIS.

Quomodo ambitio, auaritia, & mala exempla vitæ sacerdotum in causa sunt, cur Ecclesia affligatur, eiq; honor adeò imminuatur: & planè quemadmodum initio sui ortus per paupertatem & humilitatem eleuata est, ita nunc per diuitias & ambitionem est in contemtum adducta, eiusq; decus abolitum.

Fides respondet ad propositam à Prudentiâ quæstionem.

Malachias Propheta hanc tibi quæstionem resoluit, per cuius os Deus enunciauit maledictionem super iniquitates hominum Ecclesiasticorum peruersorum, ipsis ita dicens: Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, qui redditurus est rationem de bonâ obseruatione legis: quia sacerdos est veluti angelus, & legatus Dei victoriosi. Et vos recessistis de viâ rectâ, & scandalizastis populum prauo, & pernitioso exemplo vitiorum vestrorum: & rupistis promissionem sanctæ puritatis, quam mihi feceratis. Ego iudico, & dico: quòd propter transgressionem sacri ordinis vestri deijciemini, & proculcabimini infra quemuis alium: & nemo non vos oppugnabit, ac contemnet haud aliter, quàm abominationem in vniuerso mundo. Hæc sunt verba Dei. Nunc autem res ipsæ euenerunt, pœna exsecutioni mandata, & prophetia est impleta.

Nunquid enim vides superbam pompam, non dicam ambitionem, & omnem pudoris terminum supergressos mores eorum, qui se dicunt ministros Dei, & seruiunt mundo? Quanta est hodie eorum turba, qui tantùm quærunt prædam redituum, & fructus sacerdotiorum: seruitium autem Dei & salutem animarum planè negligunt? Lubentes quidem operam ipsam officij committunt alijs, sed pro se retinent emolumentum. Ipsi se dedunt voluptatibus mundanis, & ingerunt vanitatibus aularum secularium, & laicorum prophanis negocijs: & tibi Deo cœli, cuius se volunt in terris vicarios appellari, relinquunt curam tuæ Ecclesiæ. Ah ah bone Deus, vicariatus tam durus non erat ita audacter ambiendus à tam negligenter administraturo. Et demiror profectò, quia audeat quisquam hominum sibi sumere superbiam, & fastum ex dignitate sacerdotij, cuius quidem etiam ministerium, ac officium dedignatur. Ah quòd non solùm habent contemtui ipsum officium & sacrificium, sed pudet eos vel habitum clericalem induere, & seruare statum suæ professionis: & pro ignominia habent eum ordinem, cuius tantoperè exoptant & laudant emolumenta. Postquàm igitur ipsi non honorant suam dignitatem, quis eam est honoraturus? Si ipsi dedignantur sanctum presbyteratum, quis ipsum laudibus vehet? Si idem ipsis est pudori & oneri, à quo tandem commendabitur ac fulcietur?

O sancta mater Ecclesia, tu fuisti fundata super humilitate, quæ est lapis primus ædificij Iesu Christi, & per humilitatē conseruata in Dei timore, & eleuata in exaltatione super mundum: nunc autem per superbiam contra Deum necesse est, te infra mundanos omnes recidere. Ministri tui & prædicatores in fide, olim fuerunt in sanguine affecti martyrio: & nunc ijdem sunt tyranni, pecuniosi, & negociatores terræ. Sancta conuersatio clericorum commouit olim corda principum, & opulentorum, vt tibi largirentur: hodie luxus clericorum impellit vnumquemque, vt tuum tibi eripiat. Et tu quidem Dantes Poëta Florentine, si viueres etiamnum, haberes materiā exclamandi contra Constantinum, quem etiam tempore benè obseruatæ religionis ausus es reprehendere, impu-

tans ei in quodam tuo opere, quòd in Ecclesiam ipse conieciſſet venenum, & toxicum allaturum eidem vaſtitatem & deſolationem: ideò nempè, quia primus Eccleſiæ donauit poſſeſſiones,& prædia: id quod ſanè alij probati doctores ei vertunt laudi, ac benefactum cenſent. Quid mouebat te, vt tam catholicum Imperatorē vituperares, niſi fortè ſchiſmata, diſcordiæ,luxus & improbitates,quas videbas in Eccleſia ſuccreſcere ex abundantia diuitiarum ordinis clericalis, quæ ſunt alimenta ambitionis & inuidiæ non aliter, quàm pinguedo nutrit ignem, & oleum flammam? In hoc quidem ego neutiquam tibi aſſentior, quòd propter accipientis abuſum fruſtretur charitas donatoris. Et ſi clerici non poſſunt abuti poſſeſsionibus, niſi eas habeant: non ſequitur tamē, Conſtantinum non feciſſe opus bonæ intentionis, aut citra peccatum illas non donauiſſe: imò debet pœna recidere ſuper abutentes, minimeq́ ſuper eum, qui ad bonum vſum quicquam donauit, & ne victus indigentia induceret aut cogeret ſanctæ Eccleſiæ miniſtros ad peccandum, neue manifeſta paupertas eiuſdem Eccleſiæ tam facilè proculcaretur per aliquam poteſtatem ſecularem, aut contemtim deſtitueretur.

Verum id quidem eſt, non largitum Conſtantinum hominibus ipſis, ſed Deo: quoniam videbat, rem eò iam inclinari, vt Eccleſia & ordo clericalis desererentur, & valdè paucos ambire locum S.Petri, ob fructum & reditum inde refundi ſolitum. Tunc igitur ad bonum permotus Conſtantinus, ad Eccleſiam inſtaurandam, donauit ei poſſeſsiones terrenas, quas tenet: quæ & poſtea locupletata eſt è decimis & oblationibus, augeſcentibus vnà cum ipſis fidelibus & Eccleſiaſtico ſacrificio, quæ ſunt verum crucifixi patrimonium, quod precioſo ſuo ſanguine per doloroſam acquiſiuit paſsionem. Sacerdotes autem ſunt diſpenſatores, & adminiſtratores bonorum Eccleſiæ: & exiget Deus rationem ab ijs, qui ea volunt tanquam res proprias poſsidere, & inde ditare cognatos, ac priuatum ſuum augere patrimonium.

Quomodo negligentia Prælatorum, & luxus inferiorum ſacerdotum generat omne ſcandalum in Eccleſia.

O Sancte Propheta Dauid, tu iſtum abuſum clarè in ſpiritu præuidebas, cùm verba faciens de ijs, qui vſurpant ſanctuarium Dei non ſecus, quàm proprium patrimonium, condemnaſti eos, vt fierent ſicut rota, cuius pars ſuperior ad infima deuoluitur: & ſicut ſtuppa, quæ à facie venti durare haud poteſt. Verbum tuum nunc eſt opere ipſo impletum. Nam dura oppreſsio ordinis clericalis in Franciâ, de quâ tu, ô Prudentia, ingemiſcis, & perſecutio presbyterorum in Bohemia occiſorum, vel in exilium eiectorum, hoc ipſum nobis clarum certumq́ue reddit. Vtinam Deus non permittat, talem confuſionem multiplicari in peius, ſuper Eccleſiam. Et ſanè quidem rerum præſens ſtatus facit, vt inſequentium euentus magno ſit timori, poſtquàm peccata clericorum tam grauiter prouocant Dei indignationem, & accerſunt odium contemtus Legis ipſius, nam ſecta illa perniciosa plus habet fautorum, quàm aduerſariorum: & radix ſi in Bohemiâ eſt, frondes & rami extendent ſe aliò, & volet vnuſquiſque eripere Eccleſiæ id, quòd non dedit. Luxus & corrupti mores inferiorum ſacerdotum excitârunt iſtam plagam in Bohemia, & negligentia Prælatorum faciet eandem creſcere, & confirmari vbique nimiùm, qui ſancta concilia non ſecus refugiunt, quàm pueri ſcholam.

Ampliùs, etiam hoc eſt mali, quòd volunt metui, & prorſus faciliter fulminare ſententias & excommunicationes ſuper hominibus, propter minuta debita, & leues quaslibet impetitiones. Ipſi verò interim nihil metuunt ſententiam æterni ſacerdotis, qui poteſt ligare & ſoluere, quiq́ue obtulit corpus, & vitam ſuam pro peccatis noſtris. Videmus palàm, totum ordinem, & regulam ſancti clericatus eſſe ſubuerſam, & velle iam ſubditos omnes (id quod vehementer graue ac indignum eſt) ſeſe exemtos à Prælatis ſuis: quia & ipſi ita viuunt Prælati, ſeq́ue exhibent vt exemtos ab officio ſtatus ſui, & à timore Dei. Saltem id non intelligere non poſſunt, IESVM CHRISTVM eſſe ſupremum in Eccleſia epiſcopum, cuius Teſtamentum fuit ex humilitate & charitate, atque tali iudicio, à quo nemo poterit appellare. Tunc ipſis ſuccurret in memoriam reuelatio Iſaiæ, qui clara voce exſecrabatur paſtores qui non niſi ſeſe ipſos paſcunt. Horrorem certè tunc concipient de magnâ calamitate, quam Deus minatur.

Taceo de Simoniâ, & contractibus illicitis, quia metuo, vel ſolâ ex recitatione cœlum ipſum obſcuratum iri. Neque libet altiùs penetrare ad deteſtandam promotionem indignorum, de quâ & Eccleſia gemit, & ego Fides plango, & regna cadunt vndequaque in exitium & opprobrium. Ah Deus meus, neque mirum quidem eſt, ea debilitari & detrimento affici, poſtquàm reges ipſi procurant tales promotiones, è quibus ipſorum regnis ſurgit penuria conſilij, deſertio doctrinæ, exemplum malitiæ, & ſpectaculum ignorantiæ. Quia ergo iam ſatisfactum eſt tuæ interrogationi, poſthac minùs dolebis opprobrium, & vexationem clericalis ordinis. Vbi enim adferebas, Deum grauiter interminatum, ne quis attingat ipſius miniſtros: viciſsim cogitandum erat, per dignitatem ſtatus horum, offenſam quoque fieri grauiorem. Præterea autem priuilegium amittere, qui ipſo abutitur: & eum, qui tranſit in aliquam apoſtaſiam aut irregularitatem, alienum eſſe ab adminiſtratione Eccleſiaſtica, & omni ſuo exutum priuilegio.

Anno

Cur polluantur, & vastentur Ecclesiæ & loca sacra, quæ nihil ipsa peccauerunt: & vti Deus hoc toleret, ad puniendam sacerdotum superbiam, qui sub prætextu Ecclesiæ, sibi arrogant honorem Deo debitum.

PRVDENTIA.

NEc dum verò sublata est dubitatio circa violentiam ipsarum Ecclesiarum, & locorum sanctorum pollutionem: quæ iniuria Dei est propria, non ministrorum eius. Nam malitia viciosorum sacerdotum nequaquam culpare potest immunitatem sanctorum templorum.

FIDES.

EGo te super hoc adire iubeo Ezechielem: vbi leges, quomodo vanitas sacerdotum, qui se extollunt in præfecturis templi, & sese oblectant, ac venditant honoribus Deo debitis, puniantur in eo ipso, quo sectantur vanam suam gloriam: & diuina promissio loca sancta violari patitur, vt deijciat ipsam omnia polluentem superbiam eorum, qui sibi honorem & dominationem arroganter vsurpant. At nihilominùs Diuinitas Omnipotentis manet inuiolata, & locus, quem sanctificauit dignitas, nullum vtique sentit detrimentum ex ipsis hominum malefactis. Si pollutio aliqua, aut sacrilegium est patratum aduersus templum, tum conscientia authoris iam antè est polluta, & eius fides violata: neque macula templo adhæret, sed animabus crimen committentium: aut eius adeò, qui causa est, cur Deus tale permittat euenire maleficium. Factum in se quidem est infame, sed omnis infamia recidit super culposos ipso de crimine.

Christiani, quos Deus elegit consortes vitæ æternæ, & qui extulistis ipso ex sacrosancto baptismo notam, & insigne IESV CHRISTI Dei vestri, & Domini ac magistri vestri, cur audetis violare hoc ipsum, quod vobis reliquit inferiùs pro vestra sanctificatione & sui memoria? Vnde habetis cor? quo impellimini? vnde pedes qui vos sustinent, vt per violentiam & peccatum ingrediamini eum locum, ad quem debetis recurrere, vt à peccatis vestris purificemini? Est refugium pœnitentium, & vos facitis vt sit receptaculum latrociniorum. Est locus hic reconciliationis, & vos ibi per vim exequimini consilia malitiæ. Vos Deo, à quo proueniunt omnia, eripitis id, quod retinuit, ac consecrauit sibi pro suâ portione: & ille vos excludet à participatione Gratiæ suæ.

Miror, quomodo manus consecratæ possint obsequi cordi indurato, ad exequendum crimen tam grave, cuius iniuria tendit rectà aduersus ipsum Deum. Quare creatura audet tantum insurgere contra suum creatorem, vt omnibus viribus moueat rebellionem & violentiam in domo Principis & Domini omnis virtutis?

Quomodo non revereri Deum, & negligere administrationem iustitiæ, sunt causa ruinæ regnorum, cladium in bellis, omniumq́; calamitatum.

SCiant cuncti, & præsertim vos Franci, quòd non reuereri Deum, & negligere administrationem iustitiæ, vos assuefecerunt latrocinijs, & sacrilegijs. Discite si nescitis, quod hoc solum crimen sufficit ad subuersionem regnorum & ditionum, ad perditionem & dissipationem exercituum, bellorum, & pugnarum: & ob peccatum vnius fieri possunt infelices omnes ipsius consortes. Nam hæc offensa adeò est damnabilis, vt præcidat omnem benè agendi gratiam, & omne robur ad virtutem proficiendi, adimat.

Pompeius post tot victorias stabulauit equos suos in templo Salomonis: neque inde vel sibi vel Reipublicæ vnquam profuit, aut nomini suo honorem vllum adiecit: imò ex omnibus, quæ gerenda susceperat, nihil reportauit, quàm iacturam, fugam, ac denique mortem infamem.

Heliodorus spoliatum adueniens templum, à Deo coram omnibus percussus fuit.

Antiochus, ille templorum exspoliator, fuit à vermibus corrosus, & viuus vidésque in fœtorem, ac putredinem redactus.

Et regnum Assyriorum fuit ad Persas, & Medos translatum sub finem dominationis Balthasaris: scilicet ob sacrilegia patris eius. Nec possum quidem nimiùm detestari horribile, & tetrum hoc scelus, cuius offensa solum respicit Deum, & ipsi soli reseruata vltio. Religio enim tam sublimis est excellentiæ, quòd etiam ob violata ethnicorum tépla, Deus permisit euenire punitiones publicas. Quippe licet idololatræ diuinitatem rebus vanis attribuissent: attamen noluit, vt contemtus & violentia vlla impunè committeretur in loco per ipsos consecrato sub titulo Deitatis: & hoc nimirùm ideò, ne Pagani scientes, ac prudentes turpiter prophanarent, aut ludibrio haberent id, quod per errorem adorabant vti Deum Omnipotentem.

Huius rei fecêre Galli periculum post captam Romam, cùm tentârunt, oppugnare templum Apollinis Delphici, vbi amisêre multitudinem exercitus sui, & robur militiæ eorum fuit

dissipatum, & extinctum. Aliorum exemplorum suppeditabit copiam tibi Valerius Maximus. Et siquidem velis obseruare futuros euentus, videbis incidere vitam miserabilem, aut pudendâ morte decedere omnes eos, qui se abalienârunt à Deo per huiusce peccati noxam.

PRVDENTIA.

TAmetsi tuæ sanctæ resolutiones ita erudierint, ac humiliârint cogitationes meas, vt optimè nunc sentiam de diuinâ iusticiâ: cuperem tamen ampliùs etiam cognoscere, quinam in partibus nostri regni punitio ipsa tam diu perduret, atque proximis viginti annis indies augescat.

FIDES.

QVin verò dicis tu mihi, quàm diu nunc est, quòd Principes tui, ac populus Francicus cœperunt corda sua laxare, ac dedere vanitatibus, & fœdationibus honoris ac morum vitæ, & mox ipsa respondebo.

PRVDENTIA.

FAteor equidem, nostris diebus rarò nos vidisse, qui seruaret honestatem vitæ, grauitatem morum, puritatem conscientiæ: imò vnusquisque applicat authoritatem suæ potentiæ, & abundantiam diuitiarum ad sui status voluptatem.

FIDES.

SI igitur Deus tam diu sustinuit mores vestros obstinatos, & expectauit emendationẽ vitæ vestræ corruptissimæ, quomodo non potestis vos sustinere æquitatem iusticiæ eius? Vos vultis, vt ille patiatur, viuere vos iniquos & malos, & ipsum non vultis ferre iustum & bonum? Tam citò vos tædet castigationum eius, & ipse tanto tempore tolerat vestras culpas? Dimetire & confer tempora temporibus, & inuenies, peccata longè diutius durasse quàm punitionem: quia & multo tempore cœperunt ante pœnam, & perdurant ac multiplicantur indies ipsam inter castigationem. Tu vis, vt Deus flagellum suum à peccatoribus remoueat, & ipsi non volunt dimouere corda sua à peccatis. Excusa mihi, si potes, tam induratam, & longam cordium vestrorum obstinationem. Si ipse conatur mitigari, magis vos differtis pœnitentiam agere. Omni die manum suam ad percutiendum habebit extentam, donec populus eius conuertat faciem suam versus ipsum in humilitate. Timor & humiliatio conciliant misericordiam: murmuratio autem exaggerat vindictam.

Quomodo autem essent digni ipsius gratiâ & pace, qui subinde eum prouocant ad grauiorem indignationem? Bos qui contra stimulum calcitrat, dupliciter pungitur: & qui resistit disciplinæ, & contemnit correctionem, contemnetur à correctore: & si filius quispiam refractarius prehenderit ferulam patris sui, recurrit hic ad baculum, qui longè est durior, & castigationis disciplinæ obliciatur per rigorem punitionis. Et per os Sapientis dicit Deus eis, qui negligunt doctrinam, & reiiciunt castigationem ipsius: quòd ridebit in exitiali eorum miseriâ, & in subitaneâ confusione subsannabit eos.

Hæc omnia Alanus Chartierus, subiungens statim declamationem benè longam in corruptos Principum mores, qui malè educati ac instituti, ac improbis addicti conuictoribus, aut ambitioni se dedunt, magno reip. detrimento: aut solas sectantur vanitates, & delicias pudendas, contemtis legibus & iusticia, & neglectis subditorum vtilitatibus: deplorans etiam nobilitatis Francicæ insignem à maiorum pietate, religione, prudentia, honestate, & bellica virtute degenerationem.

Postremò de blasphemationis peccato breuiter hæc adijcit, quæ sequuntur: O Franci Franci, vos per damnatum, & adsuetum blasphemandi peccatum ludibrio habuistis nomen eius, cui omne genu se debet inflectere: & ipse contrà per consuetam suam iusticiam fecit, vos esse vituperium & opprobrium nationum, curuari corpora vestra, & inclinari capita coram hostibus vestris. Vita vestra violentiæ plena recidit in mortem calamitosam, vaga & voluptuaria vanitas in angustam captiuitatem, & ferocitas superba in humilem & abiectam seruitutem. In summâ, qui deserit timorem Dei, & officium magistratus sui negligit, ac potiùs in morem brutæ bestiæ solas sectatur delicias & voluptates: cum vicissim gratia, pax, & securitas deserunt: & pœna, infamia, & calamitas vsque in finem ignominiosum persequuntur. Hæc illc.

1340. *Ioannes Baconthorpius 4. sent. dist. 2. quæst. 1.*

HIc mentionem facit cuiusdam Eremitæ Angli, de quo etiam historici affirmant, eum in Ecclesiâ Paulinâ Londini disseruisse: ea non esse Sacramenta à Christo instituta, quorum tunc

vsus fuit. Fo[illegible]n Ranulphus is erat, cuius fit mentio in Floribus historiarum, de quo etiam Foxus. Imp. & Papa vt sup.

Idem in quarto sent. Beguuina quædam, quæ libellum aduersus Clerum ediderat, prope Parisium combusta fuit cum quodam conuerso, qui à fide (vt dicunt) apostatasset, anno 1329.

Idem scripsit apertè, sacerdotale fastigium regnorum monarchis succumbere.

Hunc autem suis carminibus etiam Mantuanus celebrat:

Iste tenebrosi damnat vestigia Scoti,
Et per sacra nouis it documenta vijs.

Albericus de Rosate in L. Benè à Zenone. Col. 6. n. 18. cap. de quadr. præscript. 1340.

APprobat hic in loco dicto sententiam Ioannis Parisiensis, & Dantis Alhigerij: Imperium non dependere à Papa. Refert etiam, & approbat legem Lud. Bauari Imperat. ex sola electione verum Imperatorem fieri, sine vlla Papæ, vel suæ sedis approbatione: & contrarium asserentes omnibus feudis, & bonis Imperij ipso facto priuari, & crimen læsæ maiestatis incurrisse. Imp. Lud. 4. Papa Bened. 12. vt sup.

Ibidem, Præsidentes, ait, Ecclesiæ Romanæ sua astutâ, & sagaci prudentiâ secundum temporum varietatem sua variauerunt statuta: modò imperium sublimando, modò paulatim deprimendo de tempore in tempus. Sed ad quid? nisi vt sensim omnia & cœlestia & terrena, tum spiritualia cùm temporalia (vt vocant) pedibus suis, vt palàm gloriantur, subijcerent.

M. Conradus Hager. 1340.

VIxit Herbipoli M. Conradus Hager, circa annum Domini 1340. Is, vt ex bullis quibusdam Othonis Episcopi Herbipolensis patet, confessus est, se annis 24. sensisse & docuisse, Missâ nullo modo esse sacrificium, aut cuiquam vel viuo vel mortuo prodesse: eoq; nequaquam celebrandâ.

Dixit, pecuniam, quæ à morientibus pro Missis relinquatur, esse veluti furta & sacrilegia quædam sacerdotum, quæ illi pauperibus impiè subtrahant. Dixit etiam, se, si haberet hypocaustum plenum aureis, non vnicum daturum pro Missis. Affirmauit etiam, se putare, propterea populum abhorrere à Missis, quòd ipse multos eam sententiam docuerit. Abhorruisse autem incolas eorum locorum tunc à Missis pro mortuis, non solùm hinc, sed etiam ex alio eiusdem Episcopi mandato apparet, vbi seueriter subditis præcipitur, vt persoluant ea, quæ à suis maioribus pro statis Missis legata Testamento fuerant.

Ob hanc sententiam ille bonus magister damnatus, ac in carcerem inclusus est. Quem verò sit finem sortitus, ignoratur. Vtinam aliquid plenius de eius doctrina haberi posset. Fortè etiam scripsit aliquid. Haud dubiè ille auditoribus verum sacerdotem, verum agnum, verumque sacrificium, pro isto commentitio Antichristi digito, cum Ioanne ostentauit. Cat. Imperat. Ludouico 4. Papa Benedicto 12. vt sup.

Marc historiarum. 134[illegible]

HVius libri autor est Ioannes de Columna, qui mirabile quoddam refert, nempe, puellam nouem tantùm annorum peperisse filium in quadam regione prope Mosellam fluuium. Aliud magis incredibile scribitur ab Herberfteinio in sua Moscouia: scilicet, puellas septem annorum rem habere cum masculis. Imp. & Papa vt sup.

Idem Ioannes de Columna.

LEonis Pontificis exercitus, dispensante Domino, in conspectu suo cæsus est. Non enim fuit sui officij (inquit Nauclerus) vt armata manu personaliter ad bellum procederet, cùm primo pastori, Petro dictum sit: Mitte gladium tuum in vaginam tuam. Quod tamen Papa defendit, dicens: priùs abscindendam auriculam. Sic luditur sancta vox Christi.

Aluarus Pelagius in Planctu Ecclesiæ. 1341.

PRælati carnales ædificant templum Domino, & præsunt illi, non obstante, quid dixerit Dominus ad Dauid 1. Paralip. 22. Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es. Romani multi Pontifices nostri hypocritalis temporis, & iam multa lustra transierunt, quib. licet Dei veri vicarij, Extra. de translat. quinto. Iesu Christi pauperis crucifixi. xxv. di. ecclesiæ, & Petri Vicarij. 1. q. 1. non quales. & successores Petri pauperis piscatoris, manu, & arte victum quærentis, reti & nauiculâ prædiuitis, XXIIII. q. 1. quantum. nepotulos, & alios consanguineos clericos, nedum ad altas

prælationes promouent ditißimas, & altißimas, sed etiam ad statum Cardinalatus inscios totaliter, & indignos: & committunt eis iudicare, & regere mundũ totum, qui regere nesciunt semetipsos, &c.

Et paulò pòst. Vnde & totam Ecclesiam & monasterium implent consanguineis: vt per eos aliquis consanguineus eligatur. Et sic quantum possunt, volunt sanctuarium Dei iure hæreditario posidere: sicut Patriarcha Constantinopolis Venetis faciebat. Quia verò Prælati hodie consanguineos plùs honorant quàm Deum, audiant, quid loquatur eis Dominus in persona Eli 1. Reg. 2. Honorasti filios tuos plùs quàm me, &c. qui fractis ceruicibus expirauit, & filij eius in bello consumti sunt.

O quot nepotes, & consanguineos Prælati præmittunt, & sequuntur ad inferos? eis beneficia impetrantes, & conferentes, quorum amplißima stipendia recipiunt, non militaturi in eis, nec debitum seruitium in suis beneficijs Domino impensuri, de curâ animarum non curantes, sed de bursâ prouentus beneficiorum luxuriosè expendentes aut in suis pompis, vel possesiones sibi vel suis ementes, & Ecclesias defraudantes. Imp. Lud. 4. Papa Benedicto 12. vt sup.

Ibidem. Iam religiosi, contra eorum regulas, & statuta, in vestibus pretiositatem quærunt, si possunt, non vilitatem: longitudo per terram serpit: plicatur cum suturis subtilißimis: caputia post nates descendunt: amplitudo eius vt tentorium est. Cordula Minorum subtilis, & alba perplurimis nodulis terram tangit: quod à Francisco humili pro dedecore datum est, priuignus eius accipit ad decorem, crucis habitus crucem conculcat: quales foris, tales intus.

Ibidem. Sacerdotes imponunt missas pro pecuniâ confitentibus sibi, vt pecuniam pro eis ipsi recipiant, & fingant, se dicere, quod non debent facere.

Item in artic. 26. Canonici delicati aut octo, aut nouem, vel plures canonicatus habent, & de suis reditibus ecclesiasticis emunt filijs, & consanguineis suis possesiones, & sub eorum nomine emptionum confici faciunt instrumenta, & sic defraudant ecclesias. In plerisque partibus, vt in Portugallia, vbi missa pro tribus solidis est taxata, quæ taxatio Simoniam inducit, Extra. de simo. dilectus filius autem, &c. inoleuit, quòd missa taxata tribus vel 4 denarijs, vel vno solido venditur, & emitur à populo cæco, & Presbyteris Simoniacis sceleratis, contra id Extra. de simon.

Ibidem. Multi Presbyteri, & alij constituti in sacris, maximè in Hispaniâ, Asturijs, & Gallicià, atque alibi, & publicè, & aliquotiens per publicum instrumentum, promittunt, & iurant quibusdam, maximè nobilibus mulieribus, nunquam eas dimittere, & dant eis arrhas de bonis Ecclesiæ, & possesiones, &c. & publicè eas ducunt cũ consanguineis, & amicis, & solenni conuiuio, ac si essent vxores legitimæ, propter quod reputo eos quasi bigamos, propter malã intentionẽ cũ opere subsecuto.

Ibidem. Generaliter omnium clericorum defectus tangendi sunt. Offendunt igitur in intentione, quia non sunt hodie clerici propter Deum, vt ei seruiant, sicut sonat verbi significatio. Clericus enim à κλῆρος, quod est sors, dicitur, quasi in sortem Dei electus: sed propter beneficia maximè nobiles, qui larga habentes patrimonia beneficia præripiunt pauperib. debita. Tabernas sine necesitate intrant. Magicis artibus, & augurijs, siue incantationib. multi intendunt. Arma offendibilia ferunt: in bellis pugnant multi. Illicitis lucris & quæstibus se immiscent: vsuras frequenter exercent: malè dispensant res Ecclesiæ. Filios, & consanguineos de bonis Ecclesiæ nutriunt: magis in philosophicis & literis secularibus, quàm diuinis studentes. De bonis Ecclesiæ testantur: iura, & parochias alienas inuadunt. Crapulæ, & ebrietati, & incontinentiæ, quod est eorum vitium comune, intendunt, & plerique vicio contra naturam, de quo in tren. c. 4. in oratione. Dant histrionibus: intersunt conuiuijs vbi intersunt ioculatores. Ludunt ad aleas, & taxillos. Immiscent se secularibus negotijs. Non sunt in exemplum bonum laicis, sicut deberent, imò potiùs in contrarium, quia communiter hodie peiores sunt clerici, quàm laici. Nec intendunt literarum studio, sicut debent. Item, cùm res clerici sint pauperum, non tamen intendunt hospitalitati, & eleemosynæ: sed aut in suis superfluitatibus, & vanâ gloria expendunt, aut suis consanguineis dant, aut in suis immunditijs consumunt. Contra sanctam castitatem, quam Domino promiserunt, sic offendunt continuè, etiam publicè, præter ea nefandißima, quæ in occultis perpetrant, quòd nec chartæ reciperent, nec posset calamus exarare.

Ibidem. Ordinant Episcopi per Simoniã, pecuniam accipiendo pro ordinib. vel minus, quodcunq; per se, vel per suos mediatores, nunc participando cũ notarijs suis lucra literarum, nunc sigillorum, nunc totũ lucrum accipiendo: neq; vix credo, maximè in Hispania, quòd de centũ Episcopis sit vnus, qui non sit simoniacus in ordinibus, & beneficijs conferendis: nam nec propter aliud ordines celebrant, dantes suas benedictiones à Domino maledictionis, 1. q. 1. maledicta, &c. nisi vt lucrentur pecunias. Vnde in vnâ ordinatione lucrabitur ibi Episcopus nunc per expressas, nunc per tacitas simonias suarũ literarum, sigillorum, portariorum, materculatum obtentu, quadringentos, & quingentos, & eo ampliùs frequenter florenos. Nec de hoc videntur habere conscientiã, obcæcati à Domino in cupiditate sua, non consuetudinem, sed corruptelam veriùs, illius prouinciæ allegantes. Nec absoluunt aliquem, nisi absolutio redimatur.

Ibidem. *Seruierant tibi Roma priùs domini dominorum:*

Seruorum serui nunc tibi sunt Domini.

Item, quia dicit Dominus Mar. 10: qui maior est vestrûm, erit minister. Non veni ministrari, sed ministrare, 9. q. 3. Nullus Primas &c. Ex hac humilitate Papa Leo se committit iudicio Imperatoris. Ex hac humilitate Gregorius Doctor nõ vult vocari Papa vniuersalis, sed vocat hoc verbũ superbæ appellationis, 99. di. ecce. & tamẽ vniuersalis est, & in omnib. Ecclesijs ordinarius Papa,

Cesset ergò fastus Romanorum Pontificum, vicariorum filij Dei, in carne humiliati, Phil. 2. & crucifixi, nostro infelici tempore tumentiū: & succedant sic in humilitate Gregorio, sicut & dignitate. Vnde Hieronymus, Fatiscat, ait, inuidia Romani culminis, recedat ambitio: cum successore Piscatoris, discipulo Christi loquor, 24. q. 1. qui vetus, &c. vbi glossa dicit: Quòd, cùm duo certarent de electione Papatus, & vnius nobilitas allegaretur, alius ex aduerso respōdit: Piscatori, & Christo Fabri filio (Matth. 13. Marc. 6. Luc. 4. Ioan. 5.) successorem quærimus, non Augusto.

Ibidem. Abbates incautatam familiaritatem habent cum mulierib. quas sibi commatres faciunt, & incautè cum monialib. conuersantur. Item in articulo XXVII. ait: sacerdotes sæpe cum parochianis mulieribus, quas ad confessionem admittunt, scelestissimè fornicantur, in quo casu statuit Ecclesia Roman. pœnitentiam aliquot annorum. Nimis incontinenter viuunt presbyteri, & vtinā nunquam continentiam promisissent, maximè Hispani, in quib. prouincijs in paulò maiori numero sunt filij laicorum, quàm clericorum. Et quid sceleratius est, quàm quòd per plurimos annos de latere concubinæ qualibet die surgunt vel non præmissā confessione, vel hypocritali cum proposito redeundi, & procedunt ad altare ad terrificam hostiam consecrandam, panem pollutum, quantum in eis est, Domino cordibus & labijs scelestis offerentes? Item quòd immiscent se spectaculis & pompis mulierum, & conuiuijs publicis, & vitæ inhonestæ, vsuris, & turpib. lucris, fraudibus, amori pecuniæ, secularibus negotijs, atque officijs: munera continua recipiunt pro beneficijs medicinæ, id est, pro sacramentis: dolosi sunt conspiratores, sectantes odium, æmulationes, obtrectationem, inuidiam: sunt vagi oculis, effrenes linguâ, petulantiâ & gestu fluido laborantes: inverecundi sunt & obscœni: virgines, & viduas, aliasq; mulierculas frequentantes: inobedientes: sese iactantes & extollentes: doctrinam, lectionem, psalmos, hymnos, cantica fugientes: item libentiùs dant ioculatori, & meretrici, quàm pauperi: plùs diligunt venari quàm psallere: & alia negotia secularia exercent, & officium notariæ exercent, & aduocationis & tutelæ: sunt procuratores, & ministri rerum secularium.

Ibidem. Dignum laudabili memoriâ factum Martini monachi Cisterciensis & Claræuallensis. Is presbyter Cardinalis functus aliquando legatione in Daciâ: pauper tamen remeauit, vt penè, expensis & equis deficientibus, vix perueniret Florentiam. Ibi Episcopus loci donauit ipsi equum, quo Pisas vsq;, vbi eramus tunc, prouectus est. Post triduum secutus episcopus (erat enim illi causa cū aduersario, & agendi aderat dies) cœpit requirere suffragia amicorum. Cumq; per singulos solicitaret, ventum est ad Martinum: fiducia erat maior in illo, qui non posset esse immemor recentis beneficij: tum Martinus, decepisti me, inquit, nesciebam, tibi imminere negotium, tolle equum tuum, ecce in stabulo est, & horâ eâdem resignauit illi. Quid dicemus, ô domini Cardinales, adhoc, qui manus apertas, insatiabiles ad carpendum habetis, nec vnquam dicitis, satis est: nónne alterius seculi res est, redisse legatum de terrâ auri sine auro: transijsse per terram argenti, & argentum nescisse: donum insuper, quod poterat esse suspectum, illicò reiecisse. Narrat similiter de Ganfredo episcopo Carnotensi, legato in partibus Aquitaniæ, qui legationem proprijs sumtibus strenuè administrauit. Cui cū à quodam presbytero præsentatus esset piscis, quē vulgus vocat sturionem, interrogans, quanto fuerit venditus, non accipio, inquit, nisi receperis precium: & resignauit ei solidos quinq; inuito, & verecundo. Item cùm quædam domina obtulisset ipsi præ deuotione cum manutergio paropsides pulcras ligneas, tantùm laudauit eas: sed homo scrupulosæ conscientiæ non acquieuit accipere, quin nec argenteas recepisset, quæ ligneas refutauit. Et paulò pòst inquit: Quis felix Cardinalis securâ conscientiâ posset hodie dicere cum Moyse: Tu scis, quòd nec asellum cuiusquam acceperim, nec afflixerim quemquam eorum, Num. 16. Fateor, quòd non acciperetur hodie à Cardinalibus asellus Christi, sed equus à Constantino concessus libenter, XCVI. di. Constantinus vltra colum. vers. & vt Clerici candidissimo colore decoratos equos equitent, siue albus, siue rufus, siue niger, siue pallidus, &c.

Ibidem. Intuére, quomodo Prælati incedunt nitidi, & ornati, circumamicti varietate vestium, non morum, Psalmo XLIV. tanquam sponsa carnalis procedens de thalamo suo, Psalmo XVIII. Nā si repentè quempiam talium procedentem aspexeris, sponsam potiùs p. tabis, quàm sponsæ Ecclesiæ sanctæ custodem. Vnde verò hanc illis existimas exuberare rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarū luxuriam, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ. Inde est, quòd illa Ecclesia sancta pauper, inops, & nuda relinquitur facie miserandâ, inculta, hispida, exsanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed perdere: non defendere, sed exponere: non instituere sed prostituere: non est pascere gregem, sed maculare & deuorare: de quib. Dominus dicit in Ps. XIII. & LII. Deuorant plebem meam sicut escam panis. Et in sequenti articulo inquit: Abbates ad Ecclesias ad ipsos pertinentes sine pecuniâ neminem repræsentant: & vt vitium vtrumq; pallient, plerumq; Ecclesiâ vacante, super eâ mutuum recipiunt, vsque ad aliquam certam summam pecuniæ, & eam sic obligatam demum conferunt dicentes, quòd quælibet res transit cum onere suo. de d'ci. pastoralis. & de pig. ex literis.

Aithonus Armenus. 1340.

Scripsit hic librum de Tartaris, & in eo narrat rem incredibilem penè, nimirùm, Tartaros vltra Montem Belgiam habitantes, postquàm aliquando tota nocte in orationibus perseuerassent, man' facto per siccum mare traduxisse exercitum in Asiam.

Lupol-

1340. *Lupoldus de Babenburg, Episcopus Bambergensis.*

SCripsit hic librum de Germanorum veterum principum zelo, & feruore in Christianam religionem, atque Dei ministros. Vide ibi caput 5. & 9. Imp. 109. Ludouico 4. Papa 202. Benedicto 12.

1340. *Saxo Grammaticus.*

REx Daniæ pontificales decimas exsecratus, sacerdotibus coniugia decernebat: quorum etiam sacra sibi, exploso Pontificis ministerio, sufficere prædicabat. Imp. & Papa vt sup.

Notabit hîc obiter Lector, Huic Saxoni Gram: à Frisio tribui annum 1200.

Idem. Suenonem quendam ex Norvegia oriundum Danorum rex suum sacerdotem fecerat, hominem literarum prorsus ignarum, attamen regi admodum charum. Cuius æmuli cùm in formulâ precationis pro rege dicendæ, vt Deus regem, suum famulum protegat, &c. priores duas literas exsculpsissent, ipse verò latini sermonis ignarus, Mulum appellasset regem, omnium eum ludibrio, & risui exposuerunt.

Vaticinium eiusdem Sax. Grammat.

HIc vaticinatur & dicit, fraudulenter quæsitas res eadem sorte defluere, qua comparatæ sunt: nullumque diuturnum esse fructum, qui scelere ac perfidiâ partus sit. (Viderunt Papæ de possessionibus suis.) Fortunæ enim suæ uitia vlciscitur, quod dolo & fallaciâ paratur.

Idem lib. 10. & Ioan. Magnus in hist. Goth. lib. 18. de Vrso, milite Suetico. Vrsus, miles ille mirabilem natiuitatis ortum habuit. Cuiusdam enim patrisfamiliâs in agro Suetico filiam liberalis formæ, cum ancillulis lusum egressam, eximiæ granditatis vrsus, deturbatis comitibus, complexus rapuit, exceptamque vnguibus præ se leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportauit. Cuius egregios artus nouo genere cupiditatis aggressus, amplectendi magis, quàm absumendi studio agebatur, petitamque laniatui prædam in vsum nefariæ libidinis conuertit. Continuò enim ex raptore amator effectus, famem concubitu soluit, ardoremque gulæ Veneris satietate pensauit: quoque eam indulgentiùs aleret, crebris incursionibus vicinum acriùs incessabat armentum, nec nisi lautioribus antè vesci solitam, sparsis sanguine dapibus assuefecit. Adeò enim captiuæ species efferatam raptoris sæuitiam fregit, vt quem sanguinis sui cupidum extimescebat, amoris auidum experiretur, pastumq; ab eo perciperet, cui fore protinus alimonia metuebat. Tandem fera à canibus & retiarijs circumuenta, ac venabulis occupata confoditur. Vt ergò duplicis materiæ benigna artifex Natura nuptiarum deformitatem seminis aptitudine coloraret, generationis monstrum vsitato partu edidit, syluestremque sanguinem humani corporis lineamentis excepit.

Hoc modo Vrsus natus, & paternum nomen à necessarijs adeptus, anno 890. tandem, agnita suæ propaginis veritate, à patris interfectoribus funesta exegit supplicia. Postea quoque res maximas bello gessit, atque regibus Daniæ & Suetiæ gratissimus fuit. Huius filius Trugillus Sprachaleg nihil à paterna virtute degenerans, Vlphonem genuit, qui Estritam Canuti regis Daniæ sororem, vxorem duxit. Ab eo Rex Sueno, & cætera Danorum Regum stemmata longo successionis ordine profluxerunt.

1340. *Ricardus Rolle de Hampole.*

REliсto hic tandem, vt fertur, Theologici Doctoratus fastigio, Eremiticam vitam deinceps in magnâ simplicitate spiritus duxit. Videbat ille, vt in quodam Commentario restatur, sacerdotes iectar impudicitias quasdam, & illicita lucra: ac religionem iactitantes, suarum iniquitatum prodere feces. Heu, inquit, heu, idolorum seruitium admittentes, Christianæ militiæ decus amiserunt. Væ presbyteris, qui tanto cum clamore decimas exigunt, scelerate viuentes. Excommunicant eos, qui ab ecclesijs iura subtrahunt: quod tamen ipsi omnium primi faciunt, dum Dei verba non rectè nunciant, &c. Bal. Imp. Ludouico 4. Papa Benedicto 12. vt sup.

1342. *Simon de Cassiâ.*

SPiritu prophetico insignis fuit iste, & scripsit varia: Volateranus Carsulanum nominat. Interalia refert: Multi doctores appellati catholici nomine fuerunt: nescio si in animo extiterunt. Credendum, & conferendum, alibi ait, more Christi & Apostolorum, non Aristotelis & Dialecticorum: quos in totum damnat, & reijcit. Imp. Lud. 4. vt sup. Pp. 203. Clemente 6.

Benedictus 12. Papa 202. 1342.

Eius Epitaphium legitur hoc:

Hîc situs est Nero, Laicis Mors, Vipera Clero:
Deuius à vero, Cupa repleta mero.

Meyerus in annal. Belgicis.

VViclerus Cancellarius Treuerensis. 1343.

Cum anno 1343. Papa in Comitijs Francofordiensibus, regnante Imperatore Ludouico, vellet, vt Imperium & Imperator à solo Papa dependerent: VViclerus his valdè se opposuit, dicens: Si hoc fieret, ruinam totius Imperij non procul abesse, adductis pluribus rationibus, quas inuenire licet apud Ioannem Kymeum. Imp. vt sup. Papa 203. Clemente 6.

Abbates fiunt Principes. 1346.



Temporibus Othonis 3. vel vt alij volunt, Caroli 4. Abbates Ordinibus Imperij adscripti sunt, vt Principes Imperij nunc dicantur. Et sunt quatuor eorum: Fuldensis, VVissenburgensis seu albi castri, Campidonensis, & Murbacensis. Sedent hi in conuentibus Imperij proximè ad pedem Imperatoris: & Fuldensis, Imperatricis Cancellarius est constitutus. Ex his quoque Bertoldus Abbas infulam, mitram, baculum, & alia ornamenta pontificalia, vt & Huldericus Santgallensis Abbas, interueniente magna vi argenti, à Papa primi impetrârunt. Hoc ipsorum est Euangelium, hoc cœlum. Münzer in Chron. Stumpfius, & Bruschius, qui tamen hoc ipsorum factum oblinit Aaronis exemplo, vt apud eum: sed Blesensis in totum vituperat, & reijcit: vt ibi.

Postero tempore ex Monachis bellatores facti, infulam, & mitram conuerterunt in loricam: & sic bona monasteriorum ad pios vsus destinata, ad crudeles & detestandos abusus peruenerunt: vt ita mirum non sit, si Deus sua iterum ab ingratis istis repetat, & in meliores vsus conuertat. Imperatore 110. Carolo 4. Papa 203. Clemente 6.

Abbatissæ quoque fiunt Principes.



Sed & Pluto (inquit Hospinianus) non tantùm filios suos Monachos, sed etiam filias & sorores Monachas eò euexit, vt Principibus Imperij sint adscriptæ. Quod priuilegium Bruschius Lindauiensi, & Buchaugiensi attribuit: & huic Abbatissæ in celebrioribus pompis librum & gladium anteferri, in vsu & consuetudine fuisse, ait.

1346. ## Rudimentum Nouitiorum Ptolomaei Lucensis.

BVfones & serpentes de cœlo per pluuias deciderunt: quibus multi mortales læsi interierunt. De hoc authore alibi quoque in hoc opere.

1346. ## Petrus Præmonstratensis.

PApa Clemens VI. ad quinquagesimum annum, auri gratia Iubilæum reduxit: & absens anno Domini 1350 Romæ celebrauit. Et erant quotidie intra dictum annum quinque millia peregrinorum, Romæ intrantium & exeuntium, vt benè poterant computari.

1346. ## Hayabalus.

TEstatur Henricus de Erfordia, quòd anno Domini 1345, sit Auinione à Clemente VI. vexatus quidam monachus Minorita, nomine Hayabalus, propterea, quòd solitus est publicè concionari, & affirmare, se diuinitus iussum concionari, Ecclesiam Romanam esse Babylonicam meretricem, & Papam, ac Cardinales esse meros Antichristos: Benedictum, & Ioannem huius prædecessores esse damnatos :& alia complura huius generis. Dicit quoque prædictus Chronographus, eadem ista illum monachum constanter, & intrepidè coram Papa ipso, cùm accusaretur, affirmasse: seque esse diuinitus per visionem dicere ea, iussum, & porrò si posset, concionaturum. Obiectum enim est eidem monacho, quòd hæreticorum libros haberet, quorum nomina non indicantur: vt verisimile valdè sit, cum plurimos Papæ errores animaduertisse, taxasse, & damnasse. Non satis clarè indicatur, quánam ratione illum perdiderint. Sed tamen videtur, ex textu id propemodum colligi posse, quòd sit in perpetuos carceres conclusus.

Accessit verò non pœnitenda historiola vexationis huius monachi, quòd, dum hic coram Pontifice accusatur, & ipse vicissim Papæ iniusticiam accusat, aduenit sacerdos cum Papali bulla, quam ante Papæ pedes proijcit, inquiens: accipe tibi tuam bullam, quandoquidem mihi prorsus est inutilis. Iam enim hîc triennio institi ac supplicaui, nec tamen mihi secundum hanc tuam bullam ius meum restituitur. Quo veluti manifesto experimento fuit monachi accusatio Papalis iniusticiæ comprobata. Verùm non tulit id ille miser impunè: nam grauissimè virgis cæsus, in carcerem vnà cum monacho proijcitur, vbi fortè cum eo etiam computruit. Cat. Imper. 110. Carolo 4. Papa 203. Clemente 6.

1346. ## Gerardus de Cussaco, & Gerardus Magnus Dauentriensis.

HI scripserunt adhortationem ad Clerum, de regimine Monialium, contra fornicatores sacerdotes, & alia similia. Imp. 110. Carolo 4. Papa 203. Clem. 6.

1348. ## Radulphus Camertianus Monachus.

SCripsit hic inter alia librum de futuris euentibus. Imperatore Carolo 4. & Papa vt suprà.

1348. ## Conradus à Magdeburg, Astronomus.

ANno 1348. octaue Calendas Februarij, in Norico, quæ Pannoniæ, Illyrico, Dalmatiæ, Carniæ, Histriæque continuatur, maximus terræmotus exortus, continuè durabat, nec ante dies quadraginta sistebatur, varieque terra quatiebatur, miraq; edebantur opera. Morauia, Boiaria superior id sensit, & sex atq; viginti vrbes ac castella prostrata esse, in acta eius anni relatum est. Homines cum pecoribus interierunt, mœnia, templa, ædes subuersa sunt, totæ vrbes corruerunt, montes abrupti cladem insuper eam pressère.

Nam duo montes concurrerunt, vrbibus deuoratis, agrorumque tractu hausto: villæ elisa, animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata sunt. Hiatus subsecutus partim remásit, partim cuncta sorbuit, ita inducto solo, vt nulla vestigia extent. Quinquaginta ampliùs homines & rusticos, multas

item

item gentes cum vaccis extinctas diriguisse, & corpora à Spiritu terreno in salarias statuas redactas apud Charinos, hæcque simulachra sibi & Cancellario Austriaco conspecta esse, refert Conradus de Meidenburg, eius tempestatis insignis Philosophus & Mathematicus. Auentinus in Annal. Boiorum lib. 7. Imp. Carolo 4. Papa Clem. 6. vt sup.

Rupertus Holcot Dominicanus, Petrus de Aquila, Ioannes de Guivverd, Georgius Cassander, & Gabriel Biel. 1349.

HI diuersum ab alijs Pontificijs in adoratione, & cultu imaginum, ac crucis non sentiunt tantùm, sed & omninò eas, tanquam Idololatrica damnant: quod inprimis notandum est. Vide apud illos. Imp. & Papa vt sup.

Idem Holcot in lectura lib. sapientiæ, lect. 40. mouet quæstionem, vtrùm plùs peccet adulterando laicus, vel sacerdos. Affirmat, quòd plùs peccet Sacerdos: & ratio sit, quia sacerdos vouerit solenniter continentiam ab omni muliere, & totaliter se Deo dedicârit: cum sequentibus rationibus varijs.

Ordo flagellantium.



HIc Ordo, cùm maxima fames & pestis per vniuersum orbem esset, Perusiæ in Thusciâ, ab alijs in Vngariâ cœpisse, dicitur. Albertus Argentinensis, circa annũ 1349. 1349. in Germaniâ ortum, affirmat. Ad expianda enim peccata & scelera, reconciliandumque Deum, vestibus se exuentes, supernè vmbilicotenus nudi, cætera linteo talari tecti, scuticâ nodosâ, siue flagello humeros atque pectus secabant, & crudeliter se verberabant. Vnde etiam Sanguinaria pœnitentia dicta fuit. Inter verbera hos tres versus recitabant:

Schlagt euch sehr/
In Christus Ehr/
Durch Gott laßt die Sünd mehr.

Modò procumbebant, modò palmas ad sidera tendebant, & pectora pugnis contundebant. Monachis, ne & illi ad duriorem vitam cogerentur aliquando, hæc vita displicuit: & illos hæreseos insimulabant. Quibus apud Magistratũ effecerunt, vt è finibus eijcerentur. Auentinus lib. 7. Annal. Boiorum. Repressa igitur, sopitaque per aliquot tempus rursum increbruit circa annum Domini 1349. & pariter inter viros, & mulieres flagellatio hæc recruduit.

Francus in Chronico ait, dogmata flagellantium inter alia esse: 1. Boatum seu cantum Sacerdotum in templo non pluris esse æstimandum, quàm latratum canum. 2. Vnctionem Chrismatis commentum esse humanum. 3. Si Christus veraciter sit in Sacramento, Sacrificulos peiores esse Iudâ, qui triginta denarijs Christum vendiderit: isti verò tribus obolis tantùm. 4. Panem consecratum tam exiguo pretio vendere sacerdotes, quo tamen totum mundum comparauerint. 5. Sacramentum altaris nihil aliud esse, quàm cucullum sacerdotum. 6. Indulgentias esse aucupium Sacerdotum. 7. Leuitam & sacerdotem, qui apud Hiericho semimortuum, & vulneratum præterierunt, sacerdotes pontificios esse, qui Christo ingrati sint, nec eius crucem ferant. 8. Antichristum esse Episcopum, sacerdotes, & alios Prælatos. 9. Heliam occisum fuisse Erfordiæ, & Begardum appellatum. 10. Enochum fuisse Conradum Sinet, qui Euangelium prædicauit in Thuringiâ, & propterea occisus sit. 11. Purgatorium nullum esse: & exequias & vigilias ad nihil prodesse, quàm vt sacerdotes ijs tempus fallant, & loculos impleant.

Ne igitur periret Sacerdotibus quæstus suus primarius ex vigilijs, exeqnijs, vnctionibus, & venditione Missarum, contra eos excitârunt & conduxerunt Ioannẽ Hagen, qui librum contra eos scripsit. Videt ergò hîc Lector, & ante Lutherum quæstum Sacerdotum mundo fuisse cognitum: effecisseq; ideò, vt à Carolo quarto damnati, & Germaniâ excedere iussi fuerint.

Alb. Argentinensis, Nauclerus, Alb. Crantzius in Vandalia, Tritheymius, & Francus, Vrstisius in Chron. Basiliensi Flagellantium ceremonias, ritus, originem, & dogmata satis prolixè recensent: de quib. vide ibi. Ethnicis similes fuisse ritus, habes apud Tertul. in lib. ad Martyres, & in Apologetico, Polyd. & Herodotum, qui dæmoni Maximo vaccam certis ceremonijs immolatam, & dum ardebat, omnes verberatos fuisse, affirmant. Hosp. Imp. & Papa vt sup.

M. Albertus Argentinensis in Chronico. 1350.

PApa Ioannes de militari progenie natus, ditans fratris, & sororum suarum filios, & nepotes diuitijs & honorib anno pontificatus sui 19. moriẽs reliquit sedi decies septies 100000. florenorum, anno 1334. Erat autem quidam vicinus Episcopus Romæ, in via eundi ad Curiam Auinio-

nensem ad Papam, cui in nocte mortis Papæ in somno apparuit quidā dicens: Papam quæris? non est. Et post pusillum: Vis videre Papam, ecce iste est, monstratā sibi personā magnā incognita. Qui procedens in itinere, audiuit de morte Papæ Ioannis. Veniens autem Auinionem, iuit in consistoriū, ingredientes diligenter inspiciens singulos Cardinales. Et cùm non vidisset personam sibi monstratam, quæsiuit à quodam, numquid omnes Cardinales ingressi fuissent: & responso accepto, quòd omnes, excepto Cardinale Blanco, ordinis Cisterciensis, illum quæsiuit in domo ipsius, ipsumque inspiciens, faciem perpendit monstratam, eiq; soli in camera sua dixit: pater, vos estis Papa futurus. De quo cùm ille risisset (nulla enim fuit spes promotionis illius, cùm esset humilior, & pauperior inter omnes,) Episcopus exposito sibi somnio, adiecit: Pater, ille qui mihi monstrauit faciem vestram, introduxit me ad stabulum immundissimum, stercorib. plenum, vbi vidi arcam marmoream albissimam, sed vacuam. Vos estis illa arca, quam debetis in officio vestro implere virtutibus, & signis. Et ô pastor, & stabularie, curiam, & sedem Apostolatus, iam immundissimum stabulum, ab auaritijs, & Simoniacis stercoribus expurgate, vobisque sanctam Romanam Ecclesiam, & vrbem recommissas habete. Imp. 110. Carolo 4. Papa 203. Clem. 6.

Summa Commissionis Babenbergensi Episcopo datæ.

Ex eodem.

CVm multi, qui tulerunt sententias, processus, & pœnas Ioannis Papæ, inflictas adhærentibus quondam Ludouico de Bauaria hæretico, & de hæresi damnato, redire cupiant ad ecclesiæ vnitatem: committimus tibi, vt qui confessi fuerint errores suos, confessatos & non confessatos, & pœnas quas inciderunt explicitè vel implicitè, & iurauerint, deinceps se fidem catholicam habere, & fideles fore sedi Apostolicæ: & nulli deinceps hæretico vel schismatico fauere, & credere, quòd non spectat ad Imperatorem, Papam deponere, & alium creare, sed hoc hæresim esse damnatam: & quòd nullum pro Imperatore habebunt, nisi per sedem Apostolicam probatum, & Carolo Romanorum regi per sedem approbato parebunt, ab huiusmodi sententijs & pœnis absoluas, &c. ita quòd, si in aliquo contrauenerint, in sententias & pœnas pristinas relabantur: & quòd procuratoriorum & gestorum formam ipse Bambergensis Papæ rescriberet, sub publicis instrumentis.

Idem. Verba Rudolphi erant sæpius: Quicunque tres lites habet, duas si poterit, reformet: hoc est consilium meum.

Idem. Bonifacius Papa alludens suo tempori, centesimum annum statuit Iubilæum, quod antè cum nunquam aliquis attentauit: in quo, sc. millesimo, trecentesimo, Romam multitudo maxima Christicolarum confluebat. Hunc Bonifacium Columnenses de auxilio Franci Anagniæ capitiuârunt, qui tentus, nec dum illos absoluere voluit: imò ampliùs maledixit, & præ irâ manus arrodens, tandem liberatur per Rom. Egrediens de Anagnia, conuersus ad eam dixit: Si non memine-ro tui, obliuioni detur dextera mea. Verùm breuiter expirauit. Hic est Bonifacius, de quo dicitur, quòd Cælestino prædecessori suo, viro vtique sancto, de quo curia doluit, se in lucris non proficere, per longam cannam loquebatur ad lectum: Cælestine cede, Cælestine cede: quo etiam cedente, & Bonifacio tanquam certissimo creato, tamen populus adhuc Cœlestinum venerabatur vt Papam: de quo etiam alibi.

Idem. Anno 1353. affixa fuit quædam clausa litera ostio Cardinalis, Papæ & Cardinalibus directa: qua apertā, reperitur, quòd Leuiathan princeps tenebrarum salutat vicarium suum Papam & Cardinales seruitores suos: quorum ope iam Christum vincat, nitentem exaltare pauperes, & humiles contra Rempublicam mundi: & introductis Prophetis, eos de omnibus commendat vitijs, & salutant eos mater eorum superbia, & sorores eorum Auaritia, Luxuria, & cæteræ, quæ se iactant collaudant ... rum adiutorio bene stare, & multa talia: & subscribitur: Datum in centro inferni, præsente cæterua dæmonum. Et commotus Papa perquirere nititur, & postea statim in infirmitate grauissimā detinetur, de qua tamen conualuit; sed scriptor literæ prædictæ certificari non potuit.

Idem. Circa annum 1286. Henricus ex Episcopo Basiliensi Archiepiscopus factus, habuit maiorem affectionem ad milites, quàm ad Clerum. Vnde quadam vice habens festum, cùm clerici citiùs militibus ad mensam sederent. dixit Archiepiscopus: bini & bini milites recipiant vnum clericum pro puluinari. Vnde & super morientis sepulchrum scripsit quidam versus, de quibus etiam suprà, tales:

Nudipes Antistes, non curat clerus, vbi stes:
Dum non in cœlis: stes vbicunq; velis.

Idem. Post Fridericum Imperatorem creuit potentia, & superbia sedis Apostolicæ, ac Minorum, ac Prædicatorum, quos eò, quòd Fridericum, & suos detestabantur, ipsa sedes Apostolica præ cunctis ordinibus priuilegijs exaltauit in tantum, quòd nunc ipsa sedes, & clerus vix defensantur ab illis.

Guilhelmus de Pagula. 1350.

Scripsit Oculum sacerdotis dextrum, & sinistrum. Speculum quoque religiosorum, & Prælatorum. Imp. Car. 4. Papa Clemente 6. vt sup.

Ordo Charteriorum Equitum. 1350.



Hunc etiam Caligulæ vocat Girardus in Chron. Gallico. Eduardus enim 3. Angliæ Rex cum amasia sua Comitissâ quadam colloquens, fasciam eius cruralem decidisse conspexit: quam subitò cùm tolleret, simul eius tunicam ita discooperuit, vt crura conspicerentur ab omnibus aulicis. Comitissam igitur sic turbatam, ac pudefactam vt placaret iterum, Ordinem Charterij instituit, ita vt 40. Equites primarij Regni in illum illecti fasciam gemmis & auro ornatam sinistro pede gestarent, cum inscriptione: Honni soit, qui mal y pensoit: Hoc est, pudefiat qui malum suspicatur. Et hoc modo amorem in honorem conuertens, ordini initium dedit. Girardus in Chron. Gallico. Polyd. Genebrardus, & Bal. Imp. & Papa vt sup.

Clemens VI. in bulla super anno Iubilæo. 1350.

Qvicunque peregrinandi causa ad sanctam ciuitatem accedere proposuerit, illa die, qua de hospitio suo viam arripere voluerit, eligere potest, inquit, confessorem, seu confessores, & in via & in locis alijs quibuscunque. Quibus quidem confessoribus autoritate nostra concedimus plenam potestatem, absoluendi omnes casus Papales, ac si persona nostra ibi esset. Item concedimus, quòd si verè confessus in via moriatur, quòd ab omnibus peccatis suis sit immunis penitus, & absolutus. Et nihilominùs prorsus mandamus angelis Paradisi, quatenus animam à purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam introducant, &c.

Atque in alia bulla, Nolumus, inquit, quòd pœna inferni sibi aliquatenus infligatur: concedens insuper cruce signatis, ad eorum vota, tres aut quatuor animas, quas vellent, è purgatorio posse eripere. Quod Papæ factum tunc Parisiensis Schola palam detestata est, atque corripuit.

Hic dum Papa Angelis & cœlo, quæ vult, mandat, illud Iambelichi de Mysterijs & Porphyrij eius Præceptoris in mentem venit, dum narrant, sacerdotes consueuisse violentis quibusdam minis aduersum superos vti, veluti: nisi vos ita feceritis, vel contrà, si feceritis aliquid, cœlos confringam, vel occulta Isidis patefaciam, vel arcanum in abysso reconditum diuulgabo. Imp. 110. Carolo 4. Papa vt sup.

Hic idem Papa fecit prædicari bellum contra Turcos, & his qui pecunias dabant, vltra solitas condonationes, etiam indulsit esum ouorum, & lacticiniorū in quibuslibet ieiunijs, præter quadragesimam. Hoc Treuerensis, & Coloniensis Archiepiscopi propter vberiorem contributionem, in perpetuum impetrârunt. Moguntinus quia recusabat contributionem, in hodiernum diem mansit, vt in tota eius diœcesi non liceat ouis vti tempore cuiuslibet ieiunij, sicuti permittitur in alijs duabus diœcesibus. Trithemius, & Genebrardus.

Henricus de Erfordia. 1350.

Mortuo Damaso II. cùm Romani legatos ad Henricum tertium Imperatorem misissent, oratum, vt optimum Pontificem sibi daret: is statim Baunonem Episcopum Tublensem (Brunonem Tullensem legunt alij) virum bonum, & simplicis ingenij, legatis, & Ecclesiæ Romanæ obtulit. Cui quidem Romam Pontificio habitu petenti, Abbas Cluniacensis & Hildebrandus monachus (qui postea Gregorius VII. fuit) obuiam facti persuasêre: vt deposito Pontificali ornatu, Romam priuatus ingrederetur: quòd dicerent, Henricum nullam creandi Pontificis potestatem à Deo habere, sed ad clerum populumque Romanum id pertinere. Motus his verbis Bauno, cùm etiam vocem è cœlo inter eundū audiuisset: Ego cogito pacis cogitationes, non afflictionis: deposito Pontificio apparatu, priuatus vrbem ingreditur, seipsum accusans, quòd Imperatori maluerit, quā Deo obtemperare. At verò Romanus clerus, suadente Hildebrando, eundem Baunonem in Pontificem

eligunt, sub nomine Leonis IX. eò libentiùs, quòd omnem auctoritatem eligendorum Pontificum ab imperatore ad Clerum transtulisset. Fecerant autem vitia quorundam Pontificum, vt meritò ipsi clero sublata potestas videretur Dei iudicio: quò in melius eorum mentes flagitijs contaminatæ aliquando verterentur: ne Christiana Resp. malis rectoribus commissa pessundaretur. De his etiam Platina.

Idem cap. 92. Anno 1201. miles quidam in Vemendisio reuixit, multa futura prædicens: & multo tempore pòst superstes existens, sine cibi & potus vsu.

Idem cap. 96. Robertus Sosatensis scholasticus, & canonicus, Iudaicam amplexus religionem, inter Francofordianos Iudæos aliquandiu vixit. Sed cùm vltimo Adolphi Imperatoris anno mortem obijsset, vasculo includitur, & ad sepulturam per rusticum curru clàm deportatur. Sed cùm ad pontem peruenisset, ex vltione diuinâ, ignis, qui nulla arte, vel aqua extingui poterat, cadauer cum vasculo totum absumit. Iudæi ideò hæc ei euenisse fingebant, quòd secundum legem ipsorum minùs vixisset. Imp. 110. Car. 4. Papa 203. Clemente 6.

Ibidem cap. 96. Cæterùm hominum papalium fastum, cui hactenus dediti fuerunt, fortè detestatus Cælestinus V. primo, postquàm Papalem cathedram ascendisset, conuentu constituit, vt ab eo tempore nec Papa, nec Cardinales cum tantâ pompâ solennibus equis vterentur. nec mulis quidem, sed asinis tantùm veherentur, dicens: Iesus Christus, filius Dei, humilis asini dorso vectus est, cuius nos imitatores esse debemus.

Idem. In Gadibus est lapis antiquus in margine maris, opere Saracenico optimè sculptus super transitu, deorsum latus & quadratus, sursum strictus & tantæ altitudinis, quantum solet volare coruus in sublime: super quem eleuata est statua hominis de orichalco, in pedes erecta, faciem habens versus meridiem, & clauem ingentem dextra manu tenens. Quæ clauis, vt tradunt Saraceni, de manu eius cadet anno, quo Rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam Hispaniam Christianis legibus in nouissimis temporibus subiugabit. Moxque vt viderint Saraceni clauem lapsam, gazis suis in terra positis omnes fugient. Tradunt Saraceni, quòd idolum illud Mahomet, dum adhuc viueret, fabricârit, & quandam legionem Dæmonum arte magica eò alligârit, quæ tam fortiter id obtineat, vt à nullo vnquam frangi potuerit, nec Christianos sine periculo accedere patiatur, sed solos Mahometanos: & aues ei insidentes subitò enecet.

Idem Henricus de Erfordia, Drogo, & Luitprandus Ticinensis.

SI Papa enormiùs delinquit, à Cæsare corrigendus est, & in ordinem redigendus: alioquin Deus totas regiones propter talia scelera puniturus est.

Emericus sedis Apostolicæ Cancellarius.

1350. AD Emericum, Cancellarium sedis Apostolicæ, scripsit epistolam quidam prior Carthusianus, in qua grauiter accusat Episcoporum, & Prælatorum non tantùm delicatam, sed & sceleratam vitam: item quòd templa studio bellandi dispolient, omniaque à pijs in templorum ornamenta collata conuasantes, ciuilia bella inter Christianos excitent, cunctaque Christiano sanguine contaminent. Idemque etiam ipsum Papam factitare, affirmat. Imp. Car. 4. Pp. Clem. 6. vt sup.

Bartholus de Saxo ferrato I. C.

1353. BArtholus in arduis quæstionibus admonere auditores solebat, dicendo: Nos sine præiudicio veritatis interea locum Papæ relinquemus cum ipsum, quem ei Gregorius Magnus attribuit. Imp. vt sup. Car. 4. Papa 204. Innocent. 6.

Adon Episc. Viennensis Ætate sexta.

1353. AIstulphus Ecclesiæ Romanæ eripuit ea, quæ à maioribus suis dicebantur collata: dixitque, ea à Pontifice diabolico ingenio esse à Republicâ ablata. De quo etiam Iuo in Chron. sub Constantino, & Liber Pont. in vitâ Steph. 2. Papæ. Imp. Car. 4. Papa Clem. 6.

Portentum.

1354. POrtentum hoc anno in cœlo visum est, quod à Philosophis appellatur candela rotunda. Fasc. temp. Imp. 110. Car. 4. Papa 204. Innocent. 6.

Ioannes Beka de rebus Hollandicis. 1350.



NEgant Italici quidam scriptores, Henricum septimum à Monacho fuisse intoxicatum: de quo audiendus est hic autor cum alijs multis. Domiti propè erant (inquit) ferro fameque Florentini, qui posteaquàm, armis se longè inferiores esse, viderent, ad scelera se conuertunt. Subornant nefarium ac maleficum monachum: Bernhardus a monte Pessulano ei nomen erat. Hunc maximis promissis inducunt, vt dominum quocunque posset modo, toxico necaret: erat quippe Henrico a sacris confessionibus. Aderat iam dies Deiparæ assumtioni sacer: consuetudo erat religioso principi, frequenter in re diuina cum sacerdote sacrosanctum sumere corpus Domini, quod quidem, (proh facinus) sceleratissimus ille monachus vna cum veneno illi ministrauit. Ferebatur, (inquit Cuspinianus) maledictus iste monachus sub vnguibus venenum habuisse. Ægrotare Princeps mox cœpit, decimoque pòst die obijt apud oppidum BonumConuentum, Pisis inde sepultus. Decessit autem 9. Calendas Septembris, qui dies est sacer D. Bartholomæo. Inter consolabiles Principum planctus, Petrus archiepiscopus Mogunciacensis cum magno eiulatu expromente indignationem casus tanti viri, ingenuè est testatus, intra quingentos annos nullius mortē Principis tanto toti mundo fuisse detrimento. Sunt, qui ob honorem ordinis excusare importunissimum latronem, ac parricidam, nituntur, sed hæc non ab vno duntaxat, sed passim omnibus constanter traduntur scriptoribus: maximè autem ab Beneuenuto Imolensi, eius temporis æquali: à Ptolomæo Lucensi, qui & ipse per ea ferè tempora floruit, vt taceam interim Ephemeridas tunc temporis de Henrici actis conscriptas. Nec tam nefarium scelus potuit silere nostràs per idem tempus (quisquis sit) versificator, qui graphicè satis per suos versiculos (licet barbaros) id depingit. Audite posteri insignem poëticam:

Iure dolet mundus, quòd sit Iacobita secundus
Iudas: quod restat, mors Cæsaris hoc manifestat,
Anno milleno, ter centeno, duodeno
Vno non pleno, priuati luce veneno.

Ioannes Beka de rebus Hollandiæ ecclesiæque Traiectensis, nec non & Chronica quædam Flandriæ domestica referunt, præter Florentinos, reos mortis sanctissimi Principis fuisse Robertum illum Apuliæ seu Siciliæ regem, Philippum regem Franciæ, Ludouicum Nauarræ regem, ac Principē præterea Tarentinorum. Nec desunt, qui Clementem quoque adijciunt Papam: qui totum se parare ad bellum, atque in Henricum insurgere cœperat. Addit Beka, Monachos illius ordinis quadraginta millia florenorum à dictis iam Principibus ad hoc accepisse: fratresque ampliùs viginti in eadem (vt fatebatur ipse proditor) fuisse coniuratione, qui omnes mecum (inquit) concurrerunt: sed heu me miserum, cuius manus pessimè ad brauium peruenerunt. Factum est (inquit Beka) post aliquot annos, vt scelestissimus ille proditor, autoribus Gibellinis Principibus, Florentiæ captus excoriaretur, morteque turpissima damnaretur. Valerius Anselmus, nefando (inquit) domini Castri calice Bonconuenti sublatus, ipse Pisis, Augusta Genuæ, & frater Cremonæ dignâ mausoleis pompâ funt illati. At Cuspinianus non Cremonæ, sed Veronæ habet. Imp. & Papa vt sup.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia. 1354.

Imperat. 110. Carolo Quarto. Papa 203. Clemente 6. & 204. Innocentio 6.

CArolus itaq; defuncto Ludouico, cùm competitores imperij, sibi à Moguntino, Palatino, Saxonico & Brandeburgico Electoribus obiectos, varijs modis placasset, tandem à liberis ciuitatibus imperialib. occasione pollicitationis, de impetranda ipsis absolutione excommunicationis, quòd Ludouico adhæsissent, susceptus, inque Italiam profectus, Imperialem coronam obtinuit,

ſed maiore cum dedecore, quàm ſuperiorum Imperatorum quiſquam. Siquidem cùm pedes vrbem ingrederetur, Senatorum quidam oratione ad populum in Capitolio habita: Ecce (inquit) Rex tuus venit tibi manſuetus, ſalsè ludos iocosque de ipſo faciens. Et Hoſtienſis Cardinalis ab Innocentio VI. ad eum coronandum Auinione miſſus, non alia niſi hac conditione eum admittere voluit, vt neque Romæ, neque in Italia diutius moraretur. Quàm verò turpis & ignominioſa hæc conditio Imperatori fuerit: ex Franciſci Petrarchæ, eius ætatis diſertiſsimi, omniumque bonarum artium inſtauratoris eruditiſsimi, epiſtolis colligere licet, dum ad ipſum Carolum ita ſcribit: Neſcio quid Romano Pontifici pollicitus, iureiurando interpoſito, quaſi muro valido ſeu monte inuio, Romanæ vrbis aditu te prohibueris. Quænam iſta ſuperbia eſt, principem Romanum, publicæ libertatis autorem, libertate priuari: vt, cuius eſſe debent omnia, ipſe non ſit ſuus? Et alio quodam in loco Nerio Foroliuienſi ſcribens, ab hiſce non aliena ſentit: Omnis (inquiens) poteſtas impatiens conſortis erit: cuius rei ſi qua antiqua non ſufficerent, vereor, ne recens nobis exemplum caſus attulerit: neu iam Pontifex Romanus principem Romanum Romæ eſſe vetuerit, quod fama loquitur, quem nunc diademate contentum ac imperij titulo eſſe iubet: & quem dici Imperatorem ſinit, imperare nullo modo ſiturus eſt. Vt verò Caroli ſocordia, hanc pontificis deteſtandam ſuperbiam atque tyrannidem diſsimulanter ferentis, meritò culpanda eſt: ſic Pontifices odio digniſsimi ſunt, qui Imperatoribus optimis pro ſua libidine remotis, ſuarum cupiditatum miniſtros atque ſatellites per horribilia bella ſubſtituerunt: Imperium in eam calamitatem, in qua adhuc hodie proſtratum iacet, ſceleratiſsimè conijcientes. Hic ſiquidem Carolus, quò competitoribus imperij pacatis, bonis imperij, quibus ſemper inhiârat, liberè potiretur, deque ijs ex animi ſententia negociari poſſet, Gunthero comiti Schvvartzburgico, viro ſtrenuo & militari, ab Electoribus ſibi contrarijs electo, & Imperatori deſignato, viginti duo millia marcarum argenti, ac duo oppida Imperialia in Thuringia, ad tempus vitæ dedit: Friderico marchioni Miſnenſi, qui in Schvvartzburgici extincti locum electus erat, decem millia marcarum ſoluit, vt Imperio cederet: mox Romam ad coronam accipiendam profectus. Ex ea autem tanta ignominia, quanta Imperatorum nullus, ſub ſpecie venationis elapſus, atque Mediolanum reuerſus, familiæ Vicecomitum, qui tum Mediolani plurimum poterant, ingenti pecuniæ vi accepta, vt perpetui vicarij Cæſaris per Longobardiam eſſent, in magnum imperij detrimentum, conceſsit: regnum Arelatenſe ab Othone primo imperio adiectum, ſumto magno prandio in villa noua prope Auinionem, Galliæ regi tradidit: Gerlaco archiepiſcopo Moguntino, cuius ſuffragio electus erat, ius regis Bohemiæ inaugurandi Moguntinæ Eccleſiæ competens ademit, atque in Pragenſem archiepiſcopum à Clemente VI. cõfirmatum tranſtulit, inque collegium Canonicorum regularium Ingelheimenſe, Moguntinenſis diecœſis, ſolos Bohemos recipi ſanxit: mox quoque, vt lucrum ſperatum ex Imperio conſequeretur, ſedecim liberas ciuitates Suenicas ad Imperium pertinentes, vicinis principibus vendidit: Bopardiam & Vueſaliam Imperiales ciuitates Cunoni archiepiſcopo Treuerenſi arctiori impignoratione obligauit: Luſatiam, quæ Imperialis beneficij nomine multis annis ab archiepiſcopo Magdeburgenſi poſſeſſa fuerat, archiepiſcopo eius temporis pecunia corrupto, vt iura Eccleſiæ ſuæ venundaret, regno Bohemiæ in omne æuum adiunxit: vt filium Vuenceſlaum, hominem ignauia, torpore, ocio, luxu, delicijs, omnique voluptatum genere corruptiſsimum, ſucceſſorem ſibi pararet, aduerſus leges auitas & patrias, contra morem maiorum nouo, inaudito & peſsimo exemplo, cuique Electorum centena millia aureorum promiſit: quæ cum ſoluendo non eſſet, quibuſdam vectigalia, Palatino autem (vt memoriæ proditum eſt) Cæſaream Luthream, Oppenhemium, Odenhemium, Ingelhemium, pro centum millibus aureorum oppignorauit. Vnde Imperatoria maieſtate ad nihilum redacta, Imperium hucuſque caput attollere nequiuit. Illis ſiquidem vectigalibus, quæ Imperij patrimonium erant, partiris, deplumata eſt Aquila, vt cæteris animantibus contemtui ſit. His ergò ſe ita habentibus, quis Imperialis maieſtatis patriæque amans, Pontifices horum malorum autores, tanquam filios perditionis, atque teterrimas Chriſtiani orbis peſtes, non exſecraretur?

Schardius ex Theodorico de Nihem, Tritheimio, Nauclero, Crantzio, Cuſpiniano, Ziglero de viris Illuſtribus Germaniæ, & alijs.

Richardus Armachanenſis.

1355. Richardus Armachanenſis in Hybernia primas & Epiſcopus, Iuris & Theologiæ egregiè doctus, aduerſus Mendicantium religionem librum edidit, & Innocentio VI. Pont. Max. circa annum Dom. 1357. dedicauit: in quo teſtimonijs ſacræ ſcripturæ comprobat, religionem mendicantem propter Chriſtum ſuſceptam, veluti culturam falſorum deorum, aduerſam eſſe pietati & veritati Chriſtianæ: Chriſtum, eiusque comites non ſolùm non mendicaſſe ſtipem oſtiatim, victumque mendicando quæſiuiſſe, ſed prohibuiſſe etiam: nec cuiquam Chriſtianorum licere, ſuâ ſponte profiteri mendicitatem. Eſſe etiam mendicitatem non tantùm contra ius diuinum,

verùm

verùm etiam contra ius naturæ, & contra ius positiuum. Confessiones audire esse contra statum mendicantium, nec priuilegijs ad hoc datis posse eos vti sine animæ suæ detrimento. Confessos etiam mendicantibus, vigore priuilegij Apostolici, teneri nihilominùs de necessitate, semel in anno suo Curato confiteri. Antoninus tit. 24. cap. 9. ver. 19. Auentinus libro 7 Annalium. Imper. Carolo 4. Papa 204. Innocent. 6. vt sup.

Hic idem Nouum Christi Testamentum in Hybernico sermone translatum, anno vno aut altero ante suam mortem, in quodam ecclesiæ suæ muro occultauit: in cuius fine, quasi prophetizans, hoc scripsit: Cū hic liber inuentus fuerit, veritas toti mundo manifestabitur, vel Christus orbi mox apparebit. Et repertus est ille liber circa annum à nato Seruatore 1530, in reparatione eiusdem Ecclesiæ. Abdidit librum anno 1358: mortuus enim dicitur anno 1360. Balæus.

Semper verò ei pessimè cum Fraterculorum Mendicantium ordinibus conuenit, præsertim Franciscanis, ac Dominicanis, arrogantissimis hominum generibus. Nimirùm solebat in publicis lectionibus eorum ineptias, fraudes, imposturas, luxurias, libidines, fastus, petulantias, pompas & alias fratrales virtutes facetè & amœnè detegere. Addiditque interdum, turpe esse Christianis hominibus, sponte suâ mendicare, cùm Dominus id vetet Deut. 15. his verbis: Omninò mendicus, & indigens non erit inter vos. Feruntque VVicleuus in Trialogo, & VValdenus in suorum zizaniorum fasciculo, illum ab Anglorum Episcopis, & Prælatis ad id incitatum, qui eorum tunc arrogantijs mirum in modum offendebantur. Confirmationem quoque in quæstionibus Armenorum, asserit, tam ad sacerdotes, quàm Episcopos pertinere: imò olim sacerdotes, & Episcopos eosdem fuisse.

Ioannes VVicleph.

Hic multa contra Papam docuit, vt: non debere esse in Ecclesia aliquem supremum Episcopum: Papam non solùm non esse vicarium Christi, sed etiam Antichristum: eius priuilegia, bullas, dispensationes, & indulgentias esse cùm otiosas ac inutiles, tum etiam impias: Spiritualibus non esse dandum dominium politicum: Papam ac eius Spirituales rapuisse claues regni cœlorum: & nec ipsos ingredi, nec alios permittere intrare. Transsubstantiationem, Missas, officia, horas canonicas, & alias battologias improbauit. Ex baptismo sustulit chrisma, ac simplici aqua baptizandos esse fideles, docuit, sicut Christus fecit. Confessionem auricularem, vel eius abusum improbauit. Reprehendit & Papisticam doctrinam de pœnitentia & satisfactione. Ait, esse talem satisfactionem imponendam, qualem Christus adulteræ imposuit: Vade, & noli ampliùs peccare. Tantùm duos ministrorum ordines esse debere, iudicauit, nempe Presbyteros & Diaconos. Sacramentum confirmationis, & extremæ vnctionis planè improbauit. Venerationem reliquiarum & sanctorum reprehendit. Affirmauit, doctores summos & infimos tantùm eatenus audiendos, quatenus verbum Dei afferunt. Ritus humanos, & nouas vmbras, ac traditiones planè reiecit. Negauit, cuiquam licere, quicquam addere ad religionem in sacris literis comprehensam, eamque facere difficiliorem: sicut Papam fecisse queritur. Basilicas, & totam istam pompam & cultus Papæ, itemque varios spiritualium gradus tollendos, putauit. Ordines monachorum, tanquam superstitiosos, impios, & veræ religioni plurimùm noxios, damnauit, & quàm primùm deserendos, censuit. Accusauit Papam ac eius Spirituales, quòd multipliciter Ecclesiam aggrauauerint, eamque libertate à Christo donata spoliauerint. Defendit quoque communionem sub vtraque specie: vt ex damnatione Ioannis Huss apparet. Imp. Carolo 4. Papa Innocent. 6. vt sup. 1357.

Idem in lib. de Hypocrisi. Tanta erat hac ætate morum corruptio, & peccandi licentia, vt sacerdotes ac monachi, præter violatas virorum coniuges & moniales, virgines quasdam concubitum eis denegantes occiderent. Prætereo eorum Sodomiam, quæ omnem mensuram excessit.

Fœminis persuadebant eorum plures, multò leuius esse peccatum cum illis coire, quàm cum laicis: interim iactantes, se eas absoluere posse, & pro earum peccatis responsuros esse, semper in maximis sceleribus eas nutriebant. Spoliatis etiam hæredibus veris, suos nothos & spurios mirum in modum ditabant. Sub cappis, cucullis, & vestibus suis iuuenculas traducebant, aliquando etiam capitibus earum rasis. Mulierum complexiones & secreta ex libris disquirebāt, docentes, cum illis concūbere in absentijs maritorum, maximè esse contra varias ægritudines salubre.

Mendicantium ordinum fratres, exauditis confessionibus, dum viri nobiles essent in bellis occupati, negotiatores in negotijs, mercatores in mercibus, ac rustici in agris, illorum vxoribus abutebantur: neque à iuuenibus in cœnobijs abstinebant. Ex aliorum vxoribus sorores & hi faciebant, vt inde filios educerent, & ex suo genere fraterculos post se relinquerent. Prælati eorum nonnas & viduas occupabant. Et sic carnem omnes votis oblitis nutriebant in desiderijs.

Idem. Sub Vrbano sexto omnia Antichristi mysteria sunt reuelata. Et alibi: Cruciatæ papalis procuratores, & indulgentiarij, fratres scil. mendicantes, pseudoapostoli & mendaces probantur.

Idem, Æneæ Syluij testimonio, scripsit plus quàm ducenta volumina: pleraque contra Paparū Monachorum, & Cleri impiam vitam, traditiones, & abusus. Ob quæ aliquādiu in exilio vixit, sed restitutus in Ecclesia suâ de Luttervvort (quod vocabulum bene consideratum mysterio non caret)

Leyce striensis prouinciæ sepultus fuit. Habebat fautores multos, vt ex VValdeni scriptis apparet: & primarios ex ordine equestri, qui in suâ ditione deleuerunt imagines, & alios ritus Paparum eiecerunt.

Gerhardus Ridder.

1360. GErhardus Ridder scripsit libellum quendam titulo Lachryma Ecclesiæ. In quo vehementer disputat contra monachos, præsertim mendicantes. Dicit, eorum vitæ genus non esse perfectionem Christianam: quia sit contra charitatem, ex alieno, cùm laborare possis, viuere: eos esse hypocritas, libidinosos, alijsque multis sceleribus contaminatos, dicit. Item, eos humani fauoris, atque adeò turpis lucri gratia, miscere Theologiæ fabulas apocryphas & vaniloquas. Dicit item, deficisse sanctos, & diminutam esse veritatem. Dixit præterea, monachos prætextu prolixarum precularum deuorare domos viduarum: & alioqui multipliciter perturbare Ecclesiam suis confessionib. concionibus & sepulturis. Suadet etiam Prælatis, vt licentiam & abusus monachorum coërceant. Imp. 110. Carolo 4. Papa 204. Innocentio 6.

Idem. Minorita quidam in Germania prædicabat, Ioannem Euangelistam Mariæ naturalem filium potiùs fuisse, quàm Iesum: cùm hæc verba in cruce, ex illius (Christi) ore processerint, qui mentiri nunquam potuit: Mulier ecce filius tuus: & ad Ioannem: Ecce mater tua.

Bibliotheca Londinensis.

1360. ANno Domini 1360. Iuuenis quidam Anglus fuerat, qui scripsit contra Mendicantium Fratrum spontaneam mendicitatem, librum valdè aculeatum, acerrimè impugnans eandem non solùm scripturis, & rationibus: sed etiam in fine per prophetias Hildegardis, Ioachimi Abbatis, ac Cyrilli Presbyteri. Liber incipit: Quia omnia communiter omnibus data, &c. Balæus Cent. 5. cap. 100. in append. ex Bibliotheca Londinensi. Imp. Car. 4. Papa Innocent. 6.

Ioannes de Molinis in speculo Carmelitarum, cap. 6.

1360. A Tempore Heraclij (inquit) Imperatoris vsque ad nostra tempora, die vergente ad vesperam, eclipsin passa Ecclesia ad Occasum cecidit, imò ferè ad defectionem peruenit. Imp. & Pp. vt sup.

Ordo Equitum Stellæ.

1380.



BErnhardus Girardus Gallus refert, Ioannem Delphinatum Regem primum hunc ordinem instituisse, ad imitationem prædecessorum suorum, qui milites suos primarios annulis honorauerunt, à temporibus Hugonis Capeti, qui erant olim verum & vnicum equestris ordinis insigne. Voluit Rex, Equites stellam illam gestare in togæ capitio, ceu loco conspicabiliori, in memoriam Stellæ illius, quæ apparuit Magis, cùm proficiscerentur tempore nati Christi ad Vrbem Bethlehem.

Omnes regni confiscationes Equitum Stellæ collegio destinauit. Sed vilescere citò cœpit adeò, vt hodie adhuc Lutetiæ vigiliarum tribunos eam gestare in sagis suis, videamus. Tessera Ordinis erat: Monstrant Regibus astra viam: vt Claudius Paradinus, Gabriel Simeon in Symbolis heroicis, Genebrardus, & Balæus testantur. Imp. & Papa vt sup.

Petrus Ioannis Piranensis Minorita.

1360. HIc cùm alia multa contra Papam docuit, tum etiam, quòd Papa sit Antichristus: & synagoga Romana sit magna Babylon. Scripsit super Matthæum, epistolas Pauli, & Apocalypsin.

Hunc

Hunc cùm viuum nequijsset exurere Papa, longo post mortem tempore ossa eius effossa exussit Clemens 6. Facit eius mentionem Nicolaus Emerici, in libro suarum Inquisitionum: aitque, ab eo porrò Michaëlem Cesenatem sua dogmata mutuatum esse. Cat. T. V. Imp. & Papa vt sup.

Bartholomæus Ianouesius. 1360.

HIc ex insula Minorica oriundus, præfixit terminum Antichristo, quo eius discipuli essent per vniuersum orbem apparituri, nimirùm die Pentecostes anno Domini 1360. Imp. & Papa vt sup.

M. VVilhelmi Friesen Mastrichensis Vaticinium. 1360.

TOtus Clericatus, & ij, qui sacra tractant, prorsus humiliabuntur, & præ ingenti fame in angustum redigentur & distorquebuntur. Monasteria diruentur, & monachi sacrificuliq; in ijs degentes in extremâ paupertate exulare cogentur, nec vllibi locum inuenient, vbi tuti esse possint. Prȩlati Ecclesiarum non serico, non purpurâ, coccino, bysso, aut alijs preciosis vestibus induentur. Temporis enim successu Romana curia vndiquaque labefactabitur: tum nec Pontifex, nec Cardinales, nec Apostolici nuncij, nec Episcopi, nec quisquã Prælatorum, & magnatum spiritualium, qui in omnibus blasphemijs, & nefandis libidinibus sese circumvolutant, in suo dominatu permanebunt. Nam ob eorum auaritiam, superbiam, & alia quàm plurima peccata grandia, amittent omnem gazam, omnia dominia, arces, & splendida domicilia. Principes, reges, & proceres contumeliâ ipsos afficient: inclementer & immisericorditer tractabunt, omni eorum dignitate, potentiâ, pompâ, & & insolentiâ, imò & omnibus Ecclesiasticis facultatibus, quas latrocinando, defraudando, & mentiendo acquisiuerunt, exuent & priuabunt: & tã denudatos dimittent, vt vix storeã, tegetem, aut centonem ad tegendum corpus habeât, prout persecutores erga ipsos affecti fuerint. Expellentur enim, & ludibrio habebuntur: de angulo in angulum discurrent, quærentes locum quò se proripere queant: vti videbunt, & experientur illud haud dubiè, nec mutare nec euitare poterunt, sed pati cogentur. Tum demum sapientes & intelligentes reddentur, vt humili mente peccata sua fateantur: & obortis lachrimis, & flebili voce Dominum Deum inuocabunt, & dicent: O Domine, bonum est, quòd cruces, afflictiones, persecutiones, & ingentes ærumnas sustinemus. Supra modum enim in te peccauimus: auari, superbi, luxuriosi, libidinosi, desides, & innumeris alijs onusti sceleribus fuimus. Hæc ita si confitebuntur, & scelerum pœnitudine ducentur, tum Deus Ecclesiasticum ordinem in primum, pristinum, & qualis Apostolorum temporibus fuerat, statum restituet: mediocres sustentationes, vnde pro necessitate honestè & piè victitare poterunt, recipient. Cæterùm ampla salaria, reditus, & prouentus dapsiles nunquam recuperabunt: nec copia, vim & tyrannidem in suos sibi commissos exercendi, dabitur eis.

Tale infortunium spirituales manet, & breui in eos redundaturũ est, quòd prolatu & cõsignatu ἀδύνατον est. Hoc suasu optimum, vt nonum caput Ezechielis Prophetæ diligenter relegatis, & animum aduertatis: ibi enim admiranda vaticinia plurima, ad Ecclesiasticos cernentia deprehendetis

Postea non magni fiet potentia humana, nec Episcopatus, & dapalia stipendia sacerdotalia pecuniâ acquirentur: sed ij solummodò qui digni sunt, & verbum Domini annunciare valentes eligentur, vt in primitiuâ Ecclesiâ Apostolorum factitatum est: quantumuis abiectissimi, & excrementa quasi mundi habeantur. Indulgentiæ, missificationes, & eiuscemodi nugæ prorsus abolebuntur: quilibet Ecclesiastico suo munere in loco deputato perfungetur: modico victu, & alimento mediocri illis prospicietur. Imp. Carolo 4. Papa Innocent. 6. vt sup.

Prodigia. 1361.

VVEnceslaus ignauus Imperator Norinbergæ natus, & aqua lustrali tinctus est. Accidit&q;, vt eandem aquam, adhuc infans lotio suo respergeret: sicut alius fimo ipsam arcam, in qua nondum bimulus coronabatur, coinquinauit. Vtrumque peritiores inter prodigia retulêre. Dubrauius. Krentzheymius ex Chronico Norinberg. eum Baptisterium concacasse, refert.

Ranulphus in Polychronico lib. 5. cap. 29. & Chronicon Hirsaugiense. 1363.

CVm Fridericus in Episcopum Traiecti esset consecratus, & in prandio Ludouicus Pius Imp. ad dextram ei assidens, monuisset illum, vt recentis professionis memor, sine vllius personæ respectu, ius Dei in sua vocatione administraret: respondit ille, Rectè me mones Imperator: sed quæso tua maiestas dicat, vtrùm honestius sit, piscem hîc appositum à capite an à cauda aggredi? Ille statim inquit: Caput præstantius membrum est, inde fiat initium. Episcopus ergo ait: Bene dixisti,

Ergo & tu renuncia incesto matrimonio, quod cum Iuditha contraxisti. Hoc sermone Imperator motus, vxorem à se dimisit. Re ad Pontificem Romanum delata, alia pronunciatur sententia: quòd nimirùm pœnitentiâ præstitâ, quæ erat satisfactio aliquot millium aureorum, Imperator cum vxore deinceps legitimo possit vti connubio. Iuditha indignè ferens episcopi libertatem in veritate dicenda, per sicarios eum in templo ad aram curauit interfici. Imp. & Papa vt sup.

Idem. Cælestinus 3. Henricum 6. coronauit in Imperatorem sub hac formâ. Inprimis recepto ab eodem iuramento ante gradus Ecclesiæ Romanæ, quòd Ecclesiam Dei defenderet, eius iura conseruaret, rectam iusticiam teneret, patrimonium Petri, si quid ablatum fuerit, pro posse reuocaret. Econtrà Papa in cathedrâ sedens, coronamque Imperialem manibus tenens, inclinato capiti Imperatoris imponit: quam tamen statim pede in terram excussit, designans per hoc, quòd ipse Papa haberet potestatem creandi Imperatorem, si meruerit: & deijciendi, si demeruerit.

Idem lib. 5. cap. 28. in Polychronico. Ecclesiæ Græcorum indignatæ ob translationem imperij ad Francos, Romanis postulantibus, vt ad Ecclesiæ vnitatem redirent, rescripserunt: Quia vos à nobis vos subtraxistis, ideò & nos à vobis nos subtraximus.

Idem. Etheluolphus, seu Adulphus vt alij scribunt, Anglorum Rex, Romam profectus cùm vidisset, suos Anglos publicè pœnitentes, ferro vinctos ad templum stare, fertur accessisse Pontificem, ac illam suæ gentis ignominiam redemisse constitutione illâ, vt de singulis domibus regni sui annuatim denarium acciperet, ac insuper quotannis trecentas marcas ad centum luminaria Petri, & totidem Pauli, & centum Papæ misisse: atque ita impetrasse, ne Angli pœnitentes, extra patriam suam vnquam vincula gestarent.

Idem. Circa annum 1202. mense Decembri, prima noctis vigilia, visæ sunt 5. Lunæ, hoc modo dispositæ, vt vna in Oriente, altera in Occidente, tertia in Meridie, quarta in Septentrione, quinta in cœli medio conspiceretur. Quinta hæc reliquas circuiuit, & post horam tandem euanuit.

Grando etiam cecidit forma quadrangulari, ad oui magnitudinem, vt non tantùm segetes, arboresque, sed homines quoque eâ contererentur.

Idem. Anno Domini 1103. cùm, damnato sacerdotum coniugio, sodomia vbique per Angliam regnaret, conuocatâ ad Pauli fanum synodo, Anshelmus Cantuariensis archiepiscopus hoc edidit frigidum statutum: Sodomiticum flagitium facientes, & (dictu horrendum) eos in hac voluntate iuuantes, graui anathemate (quod Lex diuina morte mulctat) damnamus, donec pœnitentia & confessione absolutionem mereantur. Qui verò in hoc crimine publicatus fuerit, statutum est, si quidem fuerit persona religiosi ordinis, vt ad nullum ampliùs gradum promoueatur: & si quem habet, ab illo deponatur. Si autem laicus, vt in toto regno Angliæ legali suâ condignitate priuetur. Et ne huius criminis absolutionem ijs, qui se sub regula viuere non vouerunt, aliquis nisi Episcopus deinceps facere præsumat, statutum quoque est, vt per totam Angliam in omnibus Ecclesijs, & omnibus diebus Dominicis excommunicatio præfata publicaretur, ac renouaretur.

1364.

Carolus V. siue Sapiens, Rex Galliarum, autor Somnij Viridarij.

HIc Rex cognomen Sapientis obtinuit, cùm propter eximiam sapientiam ac pietatem, tum præsertim, quòd sacras literas verti curauit in Vulgarem linguam, vt promiscuum vulgus intelligere eas posset, contrà, quàm nunc Papistæ contendunt, nefas esse laicis sacras literas legere.

Idem etiam, teste Molinæo, curauit, librum edi contra tyrannidem & rapacitatem Paparum & Harpyiarum ipsorum, titulo Somnium Viridarij, in quo prolixè ac liberè disputatur de toto regno Pontificio, eique non tantùm politicus gladius, sed etiam superioritas super Episcopos adimitur. Est impressus iam olim fermè ante 140. annos Parisijs.

Adscribemus verò vnum eius dictum, vt totius libri argumentum & Christiana parrhisia inde cognosci queat. Sciendum itaque, quòd Ecclesia Romana, ab initio sui vsq; ad tempora Constantini, obtinuit licitè prioritatem hanc ex aliarum Ecclesiarum quasi electione, præbentium eidé consensum & obedientiam, spontè tamen, non quidem, quia eidem forent aliqua authoritate subiectæ, sed propter Apostolorum Petri & Pauli præeminentiam charitatis, & in fide constantiam. Et rursum, propter multitudinem solennium personarum in ea honestate præpollentium, atq; dominia: qui etiam propter ipsorum charitatem, immensam curam, & singulares fideles alios instruere & fraternè monere solent. His autem ipsorum monita tanquam doctorum suscipientibus, ipsorum etiam ordinationes circa Ecclesiasticum ritum, quoniam vtiles videbantur, postmodum susceperunt, & demum ipsorum mandatis sub Ecclesiastica censura excommunicationis vel interdicti, propter fidelium vnitatem seruandam, obedierunt: quæ siquidem obedientia spontanea per longam consuetudinem obtinuit vim electionis cuiusdam. Vnde licet circa initium Ecclesiæ reliqui Episcopi & Ecclesiæ fidelium, neque diuina, neque humana aliqua necessitatis lege obligarentur obedire mandatis

vel institutis Ecclesiæ vel Episcopi Romanorum, plùs quàm è conuerso: inualescente tamen hac vtili & rationabili consuetudine, quâ fideles in Veritate ampliùs seruabantur, eò quòd tunc fideli caruerunt legislatore, ipsos ad ordinem reducente, ac in vnitate seruante, obligati fuerunt posteri lege diuina ad obedientiam in licitis & honestis, ac si demum Episcopum & Ecclesiam per electionem sibi iudicem statuissent circa Ecclesiasticum ritum, & hoc præsertim vsque in hæc tempora, quibus potuissent publicè congregari, & de statu Ecclesiæ perfectionis ordinare de contentiosis actibus.

Hanc igitur prioritatem Romanus Pontifex, & ipsius Ecclesia licitè ab initio per quandam sui charitatem & solicitudinem obtinere cœpit, quæ postmodum propter consuetam deuotionem, reuerentiam, & obedientiam spontaneam, electionis quasi robur assumsit. Nunquam enim ex Scriptura colligi potest, quòd ex præcepto Christi vel consilio alicuius Apostolorum, Ecclesiæ vel Episcopi reliqui subesse deberent Ecclesiæ vel Episcopis Romanorum, etiam Ecclesiastico ritui. Quod tamen, si necessitas fuisset, & debitum ad salutem fidelium, quemadmodum asserunt iam quidem Romanorum Episcopi, nec solùm circa Ecclesiasticum ritum, verùm etiam in iuribus coactiuis, non tantùm super clericos, verùm etiam super seculares principatus quoslibet: quomodo est credibile, CHRISTVM & ipsos Apostolos hoc prætermisisse? sed quòd Christus & ipsi Apostoli apertè statuerunt oppositum, præsertim in iurisdictionibus coactiuis, secundum quod pluries est ostensum.

Tempore Constantini primi Romanorum Imperatoris, qui primus Christi fidem & baptismum assumsit, imò fideles inceperunt publicè congregari, & dubia circa fidem diffinire, & Ecclesiasticum ritum ordinare, vt ex Isidori codice apparet, de primitiua Ecclesia in synodo Nycena. Ab hoc igitur Constantino per edictum Imperiale, iuxta laudabilem & antiquam consuetudinem, obtinuit Episcopus & Ecclesia Romanorum prioritatem, quâ ipsi super alias conueniens & rationabile est competere, prout ex iam dictis euidentijs comprobatur: & vltra prioritatem hanc quarundam prouinciarum possessiones atque dominia, quamuis ante tempora Constantini, & pòst etiam, Romanorum Episcopi suis epistolis siue decretalibus quibusdam prioritatem, quam super alios illis conuenire monstramus, electione vel constitutionibus Principum, sibi singulariter absque requisitione legislatoris humani, fidelis Collegij cuiusquã, vel personæ singularis, cuiuscunque præeminentiæ vel dignitatis existat, docuerunt diuina lege deberi. Cuius tamen oppositum superiùs est ostensum.

Post tempora verò Constantini primi Imperatoris, præcipuè imperiali sede vacante, & hanc sibi deberi prioritatem, quandoque Lege diuina, quandoque verò constitutione Principum, suis epistolis affirmàrunt. Insuper Episcoporum aliqui confirmantes de omni iurisdictione coactiua super omnes mundi ministros Ecclesiarum, & ipsorum collegia, qua vtentes tanquam sibi conuenienti ex concessione principis, (quòd diu potens extitit Romanorum Princeps, ipsiusque regnum & plena sedes: principatu verè deducto in seditionem.) & præcipuè Imperiali sede vacante, per temporum interualla functi sunt hac potestate, tanquam sibi diuina LEGE concessâ, & etiam suis epistolis expresserunt, sibi conuenire temporalium omnium dispositionem seu distributionem pro voto, absque collegij cuiusquam, aut personæ singularis, cuiuscunque dignitatis vel authoritatis, requisitione & consensu.

Quibus etiam ipsorum excessibus moderni non contenti, suis expresserunt epistolis siue decretalibus, authoritatem siue iurisdictionem coactiuam supremam super omnes mundi principatus, populos, & singulares personas, sibi Lege diuina deberi, sic quidem, vt nullus principantium prædictorum iurisdictionem coactiuam, quam vocant ipsi gladium temporalem, præter, siue contra ipsorum dictamen seu consensum, licitè valeat exercere: præter autem vel contrarium facientes, Reges aut populos excommunicationis vel interdicti sententiæ vocaliter pronunciando subiectos. Asserunt igitur, se solos in mundo CHRISTI vicarios, qui Rex sit regum, & Dominus dominantium: hoc latenter intendentes, sibi deberi dictum titulum plenitudinis potestatis, propter quod etiam ad suam autoritatem pertinere dicunt omnia mundi regna & principatus: item, licitè posse conferre & auferre Regibus & alijs principantibus Imperia, atque regna omnia, titulo suprà dicto, plenitudinis videlicet datæ potestatis à Christo.

Hæc & hisce similia plura sunt in eo libro, quæ grauiter, piè ac verè contra primatum ac tyrannidem Papæ opponuntur. Nec tamen solùm hæc pars regni Antichristi ibi accusatur, sed etiam multi alij abusus & impietates eius taxantur, & refutantur. Vnde apparet, illum verè sapientem Regem, eiusque proceres ac consiliarios non adeò imperitos fuisse veritatis, vt plerique potentes tunc & postea fuerunt: nec ita superstitione seruiliter fractos ac prostratos, vt omnibus Papæ nutibus necessariò obediendum, putarent. Quin potiùs statuerent, pium esse sanctumque, Pontifici Romano etiam publicis scriptis reclamare. Illyr. Imp. & Papa vt sup.

Ex eiusdem Somnio Viridarij, de utraq; potestate, seculari & Ecclesiasticâ.

NVnquam illud debet sibi vendicare Vicarius, quòd planè & plenè ad se non pertinere, voluit & expresit eius Dominus, cuius vices gerit, sicut habetur Matth. 1c. cap. Non est

discipulus supra Magistrum, nec seruus supra Dominum: sufficit discipulo, vt sit sicut magister. Si Saluator Magister voluit, & expressit, se non habere regnum, quod est mundanum, & temporale, sicut apparet in Euangelio Io. 18. cap. Regnum meum non est de hoc mundo, &c. Ergò nec Papa quicquam vendicare sibi deberet ex Christi vicariâ, quòd habeat temporale regnum: nec per consequens, quòd habeat super omnes temporale dominium.

Ibidem. Petri gladius non significat iurisdictionem temporalem: nec Christus habuit, nec habere voluit dominium in temporalibus.

Apostolos se subtraxisse à iugo principum, quod nunc non faciunt Episcopi.

Christum voluisse, omnes homines obedire Magistratui: & vicarium Christi non debere dominari in temporalibus. Papam enim in temporalib. non habere plenitudinem potestatis: nec esse à Deo constitutum super gentes & regna. Item Papæ erranti à quouis resisti posse.

Ibidem. Glossa Danielis 2. cap. dicit: Quòd, sicut ab initio nîl fuerit fortius Romanorum Imperio: sic in fine nîl debilius inuenietur.

Ibidem. Nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat vniuersis: pari formâ & in curiâ Ecclesiastica, non quantum quisque mereatur, sed quantum dare sufficiat, sæpius æstimatur. Cùm igitur auri sacra fames vsque ad penetralia veneranda proserpserit, quid tandem poterit tutum esse, aut securum?

Ibidem. Vos Prælati, & Clerici nostris temporibus adeò estis superbi, & elati, quòd in vobis verificabitur illud, quod alibi scriptum est: quòd radices superbarum gentium arescent. Deus enim perdit memoriam superborum, & relinquit memoriam humilium.

1364.

Vrbanus 5. Papa 205.

ANno 1368 factum est, vt Romam ad Vrbanum veniret Nestorianus quidam, Marcus nomine, quem initiatum Pontifex ad suos remisit. Sed & alius Nestorianus ad Clementem 6. venit, rogans, vt in hac sua religione Patriarcham ipsum crearet, atque inungeret: quod & factum est. Papa ergo est supremum caput in terris. Hoc si credideris, nihil refert, vtrùm Nestorianus, an alius sis. De quo vide Iacob. Nauarchum in epistola Asiatica.

Hic idem Vrbanus V. Papa duos donauit equestri ordine: ex quo constat, etiam Papam equites creare. Imp. 110. Car. 4.

Miserat etiam hic aliquando Legatum & literas ad Mediolanenses, quarum indignatione moti illi Legatum cogunt literas illas deuorare: ad quod facinus vindicandum, Papa Imperatorem in illos concitat, qui tamen acceptâ pecuniâ, cum indignatione Pontificis bellum distulit. In Paralip. Vrsp. Imp. Car. 4. Papa vt sup.

1364.

Concio coram Papa & Cardinalibus habita à NICOLAO OREM.

Iuxtà est salus mea, vt veniat: & iustitia mea, vt reueletur. Esa 56.

SEcundum sententiam B. Pauli Rom. 2. & in pluribus locis, ante Christi Natiuitatem, totus mundus erat diuisus in duo genera hominum, scilicet Iudæos & Gentiles. Illis quidem, expectantibus apertionem Ianuæ Paradisi per Sanguinem Saluatoris venturi, per quem populus Gentium, qui ambulabat in tenebris, erat vocandus ad lucē, & iustificandus ex fide, vt habetur Rom. 5. Hanc autem salutem promiserat olim DEVS patribus in Propheris, vt huiusmodi rei desideria in eorum cordibus accenderet, & firmam spem & fidem augeret. Mich. 6. Vox Domini clamat, & salus erit hominibus timentibus nomen suum. Esa. 46. Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam. Item multa rursum. Quia spes, quæ differtur, affligit animam: nimirùm spes frequentius intulit de tarditate fastidium, & de propinquitate solatium. Esa. 14. Propè est, vt tempus eius veniat. Et Abacuc 2. Veniet, & non tardabit. Et multa similia. Expectabant enim sancti Patres in limbo, vt ipse educeret de conclusione vinctum, & de domo carceris sedentem in tenebris. Esa 42. Et appropinquauit tempus, in quo plenitudo Gentium intraret. Rom. 11. Et in qua voluit Dominus [illegible] facere diuitias sacramenti huiusmodi, quod erat absconditum à seculis & à generationibus. [illegible] Col. 1.

Dominus igitur vno eodemque oraculo Patres nostros de Saluatoris aduentu certificat, de propinquitate lætificat, & iustificationem Gentium pro fidei intelligentia instare, designat Dominus in verbis assumtis, Iuxtà est salus, &c. Hoc autem impletum est, quando notum fecit Dominus salutare suum, & in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suam. Quantum igitur ad prius, & ad propositum: Prima pars assumti verbi, ad Dominicæ Natiuitatis Vicinitatem debet applicari, qua Dominus dicit, Iuxtà est salus. Secunda ad mysterium aduentus Christi, cuius est hodie

quarta

Anno

quarta Dominica, potest aptari: cùm dicitur, vt veniat: Propè enim est vt veniat. Quia, Ecce ego ad vos, dicit. Tertia, de seueritate diuinæ vindictæ nobis tremenda poterit exponi. Quia dicit, & iustitia vt reueletur, scilicet primitiua, de qua Amos 5. Et reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrens fortis.

Primò igitur ad contemplationem solennitatis sacratissimæ vigiliæ, cum gaudio suscipiamus verbum Dei patris, Iuxtà est salus mea: scilicet Christus: cui dicit Esaiæ 49. *Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea ad extremum terræ*, de quo Esaiæ 46. Salus mea non morabitur. Nam eius proximationem Euangelium hodiernum patefecit, vbi Matth. inquit: Cùm esset desponsata viro Maria mater eius Ioseph, antequàm conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ex hac re apertè cognosci poterit, quòd Saluator debeat in breui de claustris pudoris oriri, sicut Propheta prædixit: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Nam quemadmodum grossior vua maturat ad vinum, & flos expansus festinat ad fructum: ita salus mundi in eleuatione ventris virginis cœpit humano generi propiùs imminere. Tunc enim apparuit benignitas & humanitas Saluatoris, cùm mater eius inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto, sicut in sequentibus testatur Angelus cùm dicit: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Sed quomodo in ea natum est? Quia etsi non sicut cæteri, decursu nouem mensium paulatim formatus, sed ab instanti conceptionis eius simul fuit & verus Deus, & verus homo perfectus: & si non mole corporis, tamen decore virtutis, est quasi iam natus: vt dicit Augustinus in epistola ad Dardanum. Etiam potest dici iam natus, quia propè est ortus eius, dicente Domino, Esaiæ 51. Propè est iustus meus, egressus est Saluator meus: sicut in prima parte verbi propositi dicebatur.

Secunda pars eiusdem verbi, contemplationi mysterij aduentus Christi in carnem, potest aptari, cùm dicit, vt veniat. Aggæi 2. Veniet desideratus cunctis Gentibus. Quamuis & de secundo aduentu, de quo Esaiæ 3. dicit, Dominus ad iudicium veniet, posset exponi: pro cuius memoria, quarta Dominica fuit olim à sanctis Patribus dedicata. Et de ista die iudicij dicitur illud Sophoniæ primo: Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est & velox nimis. Et quamuis non in se, tamen in tribulationibus, præambulis eius, sicut ait beatus Gregorius: Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenietur, licet nondum statim sit finis. Ideò transeundo ad tertium videamus, si fortè de tribulationibus præuenientibus vltimum aduentum Christi, sit propinqua aliqua ventura, vt de ea exponatur vltima pars verbi propositi, quo dicit Dominus: Et iustitia mea, vt reueletur, scilicet primitiua, vt adducatur iustitia, & impleatur prophetia Danielis 9. Et ad finem: Quòd hoc malum per nostram conuersionem ad Dominum cum humana prudentia posset vitari, aut minui, aut saltem differri.

Circa hæc, quatuor sunt dicenda: primò, quòd si futurum est de tribulatione, vt reueletur. Secundò de eius acceleratione, quia iuxtà est. Tertiò de falsa æstimatione circa hæc, quia dicit, Vt veniat. Et quartò de consultatione, quæ potest fieri, vt iuxtà sit salus.

Quantum ad primum, ita notorium est, & exercitatum in sacra Scriptura, quòd Ecclesia patietur, quòd superfluum videtur ad hoc allegare: vt quia ex hoc potuit huiusmodi mali modus & causa perpendi, & terminus coniecturari. Pro qua promitto duas regulas. Vna est, quòd per duo regna gentis Hebræorum, quæ fuerunt olim, videlicet per regnum Israël, cuius caput erat Samaria, significatur in Prophetis Synagoga, & per secundum regnum Iudæ, de cuius stirpe natus est Christus, à quo videlicet Iudæi sumus, secundum Apostolum: & per Ierusalem, quę fuit secundum regnum, Metropolitana designatur Ecclesia. Ista regula non est mea, sed habetur in glossa authentica Hieronymi, & est Origenis, & vltima in Homelia super vetus Testamentum, per Ecclesiam approbata: vbi probatur duplici ratione, & sacri canonis authoritate. Alia regula est, quòd per meretricium & fornicationem intelligitur Simonia, & abusiua dispensatio atque promotio, quæ fit lucri causa, seu alio adulterino fauore. Nam tale quid, quoad officia & honores seculi, per leges Gentium reprobatur, vt scitis: Merx namq; dicitur à mercede, pro qua venditur illud, quod natura fecerat non venale.

Dare ergo aliquid pro pacto, quod erat debitum pro virtute, est quoddam genus corruptionis spiritualis, quod olim meretricium dicebatur: secundùm quod Esaiæ 1. de Ierusalem queritur, Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Et Ose. 9. Ierusalem fornicata es à Deo tuo, dilexisti mercedes super omnes areas tritici. Et in multis locis Scripturæ non potest fornicatio aliter recipi. Ergò si secundum doctrinam beati Petri Apostoli voluerimus sermoni Prophetico benè facientes attendere, ac noscere, quòd Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines: super hanc Ecclesiam indagemus, seu etiam discurramus per Scripturas, instructi regulis suprà dictis, quibus tanquam duabus clauibus reserabitur nobis & aperietur intellectus earum super statu Ecclesiæ præterito, & futuro.

Ex causa videamus de vno. Dominus enim Ezechielis 16. huic Ecclesiæ loquens sub nomine Hierusalem, sic ait: In die, in qua nata es, vidi te conculcari in sanguine tuo: videlicet loquitur de tempore martyris. Sequitur: Et multiplicata es, & grandis effecta, & mundaui sanguinem tuum ex te (scilicet ex cessatione persecutionis,) & dedi coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento, vestita es bysso, & decora facta es vehementer, & perfecta eras in decore meo, quem posueram super te. Et magis videtur historia, quàm prophetia, de prosperatione Ecclesiæ. Sequitur: Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine meo, fornicatione suprà dictâ: quod de carnali nequaquam potest intelligi.

Et post omnes abominationes tuas, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ: scilicet de statu primæuo, quando eras nuda, id est, pauper, & conculcata in sanguine tuo: & abominabilem fecisti decorem tuum. Ecce, quomodo lucidissimè prædicitur deterioratio Ecclesiæ? Et statim sequitur punitio: Et ecce, dicit Dominus, dabo te in manus odientium te, & destruent lupanar tuum, & demolientur prostibulum tuum: scilicet locum, vbi exercebas iniusta: & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa gloriæ tuæ, & derelinquent nudam, plenam ignominiâ.

Ecce potestis videre, quid Ecclesiæ sit venturum, & subdit capitulum, dicens: Soror tua Samaria, id est, Synagoga, dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eam sceleribus tuis. Ergò & tu porta confusionem tuam. Et infrà 23. capite, postquàm diffusè descripsit malitiam & deteriorationem Synagogæ, adiecit de Ecclesia dicens: Quod cùm vidisset soror eius, plùs illa insaniuit. Libidinem & fornicationem suam præbuit impudenter Ducibus & Magnatibus ad se venientibus, indutis veste varia.

Insaniuit, inquam, libidine, cupiditate diuitiarum, & concupiscentia deliciarum. Erat namque futurum, vt Prælati non vererentur Ecclesiæ primitiuæ venerandam pudicitiam precio & precibus, & primis actibus infamare. Cui sic prostitutæ consequenter Dominus dicit: Confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ. Et subiungit punitionem, dicens: Recessit anima mea ab ea, sicut recesserat à sorore eius: scilicet synagoga. Et repetit causam, dicens: Scelus tuum & fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi.

Similia reperiuntur in Esaia, Ieremia, Ezechiele, & cæteris prophetis: ex quo, quia eodem sensu ac propè eisdem verbis locuti sunt, concluditur, quòd omnes vno ore pronunciauerunt, hanc Ecclesiam grauiter peccaturam, & suis excessibus multa mala passuram, ac bonis temporalibus, nisi pæniteat, spoliandam. Vnde Oseæ secundo c. Auferat fornicationes suas à facie sua, ne fortè expoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ, id est, in paupertate primitiua: quoniam nisi sic faciat, ipsa erit, de quo Nahum tertio dicitur: Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ & gratæ, & habentis beneficia, quæ vendidit. Item & post pauca sequitur: Ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Patet igitur, quòd super hanc Ecclesiam aliquando est reuelanda Dei iustitia primitiua. Et hæc de primo.

Ad secundum, quia dicitur in themate, iuxtà est: quamuis non sit nostrum nosse tempora, forsitan tamen ex quibusdam signis, quæ dicam, poterunt suspicari aliqua de proposito. Vnde recipio ex Apostolo ad Thessalonicenses 2. capite 2. vbi ait. Nisi venerit discessio: quod Hieronymus in vltima quæstione, ad inquisitiones Ianuarii allegoricè exponit de Romani Imperii desolatione, inter quam & persecutionem Ecclesiæ præsentia Antichristi nullum ponit medium. Nunc autem qualis eiusdem Imperii præsens sit status, & præcipuè ad eius pristinam maiestatem, vos iudicate. Quædam glossa dicit: Quòd erit discessio aliquarum Ecclesiarum ab ipsa Romana. In illud, Signum erit, quando Ecclesia erit peior moribus, quàm fuerat synagoga, vt patet per Glossam Ordinariam allegatam Ieremiæ tertio, vbi dicitur, Iustificauit animam suam auersatrix Israël, id est, synagoga, in comparatione præuaricationis Iudæ, id est, Ecclesiæ. Vbi Origenes: De vobis dictum intelligite. Ezechielis decimo sexto Dominus dicit: Vicisti sororem tuam sceleribus tuis.

Pharisæos, qui (vt ait Hieronymus) erant clerici Iudæorum, Saluator noster vocauit, vt scitis, de auaritia, quia permittebant vendi columbas in templo Dei: & de hoc, quòd solis labiis honorabant Deum: & quod dicebant, non faciebant: & erant hypocritæ. Videatis igitur, si peius est, sacramenta & beneficia vendere, quàm permittere vendi columbas in templo.

Hic sunt aliqui, qui nec labiis DEVM honorant, qui non solùm non faciunt bona, sed nec dicunt, nec prædicant: canes muti, non valentes latrare: canes impudicissimi, nescientes saturitatem. Ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum. Sic etiam sunt nonnulli, quorum insolentia & malitia ad modum ignis in tantum succensa est, quòd hypocrisis pallio nequit operiri, sed facti sunt verecundi, quorum Ecclesiæ improperando dicitur: Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.

Tertium signum sumitur ex proportione inæqualitatis nimiæ: quia alius quidem esurit, alius verò ebrius est. Sicut enim ad bonam harmoniam requiritur vocum inæqualitas moderata in musica, quæ si nimis excedit, tollit melodiam: ita secundum Philosophum, propter immoderatam disparitatem ciuium corrumpitur politia: vnde taliter instituta, in qua sunt mediocres, est diuturnior & securior. Nunc autem non puto posse in historiis reperiri, quòd vnquam fuerit aliqua Gentium politia benè instituta, in qua esset tanta doctrina, quàm nunc sit in politia sacerdotum: vt ii quidem essent maiores, quàm Principes seculi, cæteri deiectiores vulgo. Communitas talis vocatur Oligarchia.

In corpore enim (cui iuxta sententiam Apuleii, Plutarchus scribens ad Traicinum, assimulauit Rempublicam) idem videamus, si nutrimentum fluat ad vnum membrum, ita vt enormiter ingrossetur, & alia nimiùm macerentur, non potest diu viuere: sic in corpore

Reip.

Reipub. Ecclesiasticæ, si superiores augmentatione substantiæ ita graues in statu sunt, quòd vix possunt ab inferioribus sustineri. Hoc est signum & causa propinquæ ruinæ. De hoc enim vltrà se offert illud Esaiæ 1. Omne caput. &c.

Item, si verò vides, operibus languere capita: quibus dicitur Amos 6. Væ, qui opulenti estis in Sion, & qui confiditis in monte Samariæ optimates. Item sequitur: A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas: in inferioribus, præ inopia non potentibus viuere: in superioribus, præ excessu diuitiarum impediente à bono opere. Vltra, Vulnus & liuor & plaga tumens: Ecce periculum, vt sequatur vulnus diuisionis & discordiæ, liuor rancoris & inuidiæ, plaga tumens rebellionis & contumeliæ.

Quartum signum est, fastus Prælatorum. Fuerunt enim quidam, qui fatuè disputauerunt de paupertate Christi, & inuexerunt in Prælatos, quia non sunt sancti: & depinguntur in Apoc. Sed hæc phantasia venit ex ignorantia moralis Philosophiæ & Theologiæ, defectu naturalis prudentiæ, quia in omni gente & lege vulgata de iure, quod est propriè naturale, sacerdotes habuerunt, & debent habere, vnde possint viuere honestiùs, quàm populares: & prælati, quàm subditi. Sed ex hoc non conceduntur equitaturæ, seu familiæ superflua pompa, quæ tarò potest absque superbia duci, & salua iustitia sustineri, & prælium non sine iniurijs indebitis. Vnde Iustinus de Carthaginensibus: Familia, inquit, tantorum Imperatorum grauis erat liberæ ciuitati.

Talis fastus in Ecclesia Dei, potissimùm temporibus istis, non tantum mouet paucos ad reuerentiam, quantum multos ad indignationem: & plures inuitat ad prædicta, qui se reputarent Deo sacrificare, si possent quosdam crassos presbyteros spoliare: istos præcipuè, quibus nec nobilitas generis, nec scientia suffragatur: sed sunt viri mendaces, seruiles, & fraudulenti, quibus Dominus dicit Amos 4. Vaccæ pingues Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, ecce dies veniet, &c.

Quintum signum est, tyrannis præsidentium, quæ cùm sit res violenta, durare diu non potest. Sap. 6. Oportebat sine excusatione venire interitum exercentibus tyrannidem. Proprietas tyranni est, quærere non bonum subditorum, sed velle proprium. Tales sunt pastores, qui non pascunt gregem Domini, sed semetipsos: quibus dicitur Ezech. 24. Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos, &c. Item multa ibidem contra pastores: Væ, qui gaudent de malefactis eorum, quos possunt peculiariter condemnare, nec quærunt, quantum soluere possint. Quibus Dominus dicit Mich. 3. Vos odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eos, & carnem eorum desuper ossibus eorum: & ita comederunt carnes populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt. Idem dicit Ezech. 34. Cessare eos faciam, vt non pascant vltrà gregem meum: liberabo eum de ore eorum, & non erit eis vltrà in escam.

Sextum signum est, promotio indignorum, & vilipensio meliorum. Hæc secundum Aristotelem, est maxima causa dissolutionis politiæ. Et sæpè contingit in militia seculari, quòd inhonoratio illustrium, & exaltatio inferiorum, seditionem parit. Nam propter hoc in parte, & propter quædam præmissa, non solùm in codicibus legimus, sed oculis nostris vidimus, quædam regna penè destructa, vbi homines pauci facti sunt, & vexati sunt à tribulatione malorum, & dolore: effusa est contentio super Principes, sicut Haymo in Christianarum rerum memoria recitat ex Origene. Hæc est semper humanæ duritiæ incredulitas, vt non solùm audiendo, sed etiam videndo non credat, alios interijsse, nisi & seipsos videant interire.

Septimum signum est, tribulatio politiæ secularium, & commotio populorum, quæ in multis partibus iam experta est: & quoniam ait Seneca, Mala indignantur sola venire, timendum, ne postmodum Ecclesiastica politia non solùm incidenter, sed etiam intrinsecus patiatur: & impleatur, quod dicitur Ieremiæ 3. Contritio super contritionem vocata est repentè, vastata sunt tabernacula mea, Ezech. 7. Adducam pessimos de gentibus, & possidebunt domos eorum: & quiescere faciam superbiam potentum, & possidebunt seminaria eorum: conturbatio super conturbationem, auditus super auditum, & Lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.

Octauum signum est, recusatio correctionis, si forsitan de Principibus Ecclesiæ euenit, quod scriptum est Ieremiæ 7. Noluerunt attendere, & cor suum posuerunt adamantem, ne audirent verba, quæ misit Dominus in Spiritu suo, per manus Prophetarum suorum. Et Esaiæ 3. Filij mendaces, filij nolentes audire legem, qui dicunt, nolite accipere verba, quæ vera sunt, loquimini nobis placentia. Hoc autem implebitur, quando Prælati veridicos & scientificos habebunt inuisos, sicut de ipsis est scriptum Amos 5. Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati sunt. Et ideò Ecclesiæ Ierusalem dicit Dominus Osē. 4. Quia tu repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblitus es Legis Dei tui, gloriam filiorum tuorum in ignominiam commutabo: & erit sicut populus, sic sacerdos.

Multa quidem alia dicta sunt in Prophetis de deiectione sacerdotalis honoris. Et præter hoc sunt alia signa, vt puta, recessus iustitiæ, & penuria sapientum, prælatio puerorum, & nouitas opinionum. Sed attentis prædictis, iudicare poteritis, vtrùm præsentia tempora

ſecura, & vtrùm habeant locum hæc, quæ Dominus in themate dicit: Iuxtà eſt iuſtitia mea, vt reueletur. Et hæc de ſecundo.

Quantum ad tertium: quatuor opiniones poſſunt hominibus circa hoc occurrere, quibus tamen ſacri Canonis contradicit authoritas.

Vna enim nimis confidentium, atque dicentium, quòd Prælati ſunt Eccleſia, quam Dominus ſemper cuſtodiet, nec deſeret eam: ſicut promiſerat eis in perſonis Apoſtolorum, dicens Matth. 28. Ego autem vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Sed hoc intelligendum eſt, quantum ad fidem, de qua Chriſtus dicit Luc. 21. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Vnde Eccleſ. 9. Fides in ſeculum ſtabit. Et dum refrigeſcet charitas, fides manebit in paucis, inter mundi preſſuras, quas idem Saluator frequenter prædixit eſſe venturas. Et ne fortè aliqui ſe putent à tribulatione ſecuros, quia ſunt de Eccleſia: huic opinioni obuiat Dominus, cùm dicit Ierem. 7. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, Templum Domini eſt. Et paululum plùs: Vos confiditis in verbis mendacij, quæ non proderunt vobis.

Alia opinio eſt prorogantium. Benè enim concedunt, quòd Eccleſia turbabitur: ſed non ita citò, quia jam multæ cauſæ prætactæ, & ſigna aliàs extiterunt. Nam dudum per ſanctos doctores, Gregorium & Bernhardum, fuerunt reprehenſi Prælati de receptione muneris, de pompis, de promotione indignorum, & aliis vitijs, quæ quidem regnauerunt in Eccleſia etiam plùs, quàm nunc: & tamen Dei gratia vſque adhuc proſperè ſtetit. Non vides, ſi domus aliquandiu fuit ruinoſa, quòd propter hoc ſit à caſu remotior, aut minùs periculoſa? Etiam multotiens accidit in principatibus, quòd poſteri pereunt temporaliter pro peccatis prædeceſſorum. Vnde Thren. 5. Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitatem eorum portamus. Iuſtè huic cogitationi occurrit Dominus in exemplo Ezechiel. 12. dicens: Fili hominis, ecce domus Iſraël dicentium: Viſio, quam hic vidit, in dies multos, & in tempora multa ipſe prophetauit. Propterea dices ad eos, dicit Dominus: Non prolongabitur vltrà verbum, ſed in diebus veſtris faciam illud. Et Eſaiæ 3. Subitò vidimus diebus quædam, quæ nuper erant incredibilia. Et ſimile aliàs euenit, ſicut ſcriptum eſt Thren. 4. Non crediderunt Reges terræ, & omnes habitatores orbis, quòd ingredietur hoſtis & inimicus per portas Hieruſalem, propter iniquitatem ſacerdotum eius, &c. Per Hieruſalem, vt dictum eſt, deſignatur Eccleſia.

Tertius error eſt valdè peruerſus, quorumlibet dicentium: Veniat, quod poterit, conformemus nos huic ſeculo, temporiſemus ſicut illi, qui dixerunt Sap. 2. Fruamur bonis, quæ ſunt, & impleamus nos item. Tales namque ſunt valdè præiudiciales bonis in Eccleſia Dei: & ſi Principes Eccleſiæ forent ita viles, vt haberent hanc cogitationem tam peſsimam, non poſſent in Tartarum nimis profundè intrudi. Hæc quidem Eccleſia per Apoſtolos in Chriſto fundata, tot martyrum ſanguine dedicata, tot Sanctorum virtutibus & meritis aucta, & tam magnificè Principum ſeculi deuotione dotata, & ita diu proſperata, ſi tandem in manibus talium poſita, in periclitationis diſpendium incidat, ob eorum culpam & negligentiam, ſuccurrere ſatis poſſent, adeò maledici: imò etiam vel ipſi hîc incurrent temporale periculum, quod magis timent, dicente eis Domino Prouerbiorum 1. Omne conſilium meum & interpretationes meas neglexiſtis, & ego ſuper interitu veſtro ridebo, cùm irruerit ſuper vos tribulatio & anguſtia.

Quartus eſt alius error diffidentium, & non videtur, remedium in hoc poſſe dari, ſed quòd ſicut aliæ res & præterita regna habuerunt periodum ſuam, ſeu periodos ſuas, iuxta illud Matth. Tempus habent, ipſo incurſu ſeculi irreuocabili, neceſſe eſt, quòd huiuſmodi Eccleſiæ dominatio capiat finem, exigentibus demeritis & obſtinationibus gubernantium: ſicut Ieremiæ 8. Nullus eſt qui agat pœnitentiam, omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas: & vos poteritis bonum facere, cùm vos malum didiciſtis. Exodi 17. de Iuda ſignificante Eccleſiam: Pactum Iudæ ſcriptum ſtylo ferreo in vnguine adamantis, quaſi diceretur quod eſt indelebile. Sicut & de pœna Ezech. 21. Ego dominus eduxi gladium meum de vagina irreuocabilem. Verùm hæc omnia non ſignificant impoſsibilitatem, ſed difficultatem: quia peruerſi difficilè corriguntur.

Vnde opinio de mutabilitate euentuum futurorum, non ſolùm aduerſatur Theologiæ, Philoſophiæ, Aſtronomiæ: ſed quod plus eſt, veteri ſuperſtitioni doctrinæ, quæ fortunas hominum tribuit fato. Vnde N. Marcellus de doctorum indagine, poſt allegationes famoſiſsimorum, Virgilij, Saluſtij, Lucilli, & Homeri, ex eorum dictis concludit, quòd in poteſtate noſtra ſit mutare fatum: poteſt, inquit, fatum morum mutabilitate conuerti, vt ex ijs celeriùs vel tardiùs aut bonum fiat aut peſsimum. Hoc dixi propter eos, qui magis adhærent talibus, quàm ſacræ Scripturæ. Namque & ipſæ de hoc canunt. Nam Ion. 3. dicitur: Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus? Item propterea, quòd dicitur Ierem. 26. Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant, & conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & pœnitat me mali, quod cogitaui facere propter malitiam ſtudiorum ſuorum: ſicut Exod. 32. legitur, quòd Dominus placatus eſt, ne faceret malum, quod locutus fuerat contra populum ſuum. Reperitur & Niniue conuerſa remanſiſſe. Similiter & Conſtantinopolitanæ vrbis deſtructionem Dominus reuelauerat, cuius & ſigna monſtrauit, vt recitat Auguſtinus in quodam ſermone: & hoc tertiò.

Vltimò restat salubre consilium, quod concluditur ex prædictis, videlicet quòd si iuxta causas & signa præmissa super Ecclesiam sit tribulatio præparata, nihilominùs animos cum prudentia modestemus, si corde & opere ad Deum recurramus, ipse modo inæstimabili nos iuuabit, & à flagellatione cessabit: sicut ipse dicit Ieremiæ decimo octauo capite: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, ita egi pœnitentiam super malo, quod cogitaui facere: & loquitur more humano.

Nunc ostenditur, quod ad Dei misericordiam postulandam, pronior quidem tribulationis de propè imminentis. Quia puto, quòd à multis annis non fuerunt tot & tanti maleuoli, corde rebelles, & animosi contra Ecclesiam Dei, sicut iis diebus: nec desunt, qui libenter machinarentur, nouitatis sectarii: & videtur, quòd Dominus conuertet cor eorum, ne oderint populum eius, & dolum facerent in seruos eius, scilicet in sacerdotes, quos reputat peiores presbyteris: quia adhuc per Dei gratiam multi sunt boni, veruntamen non est auersus furor Domini, sed adhuc manus eius extenta. Et nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum. Sed postea expectat Dominus, vt misereatur vestri, Esa. 30.

Et idcircò, sicut ad supplicandum nos incitat vis timoris, ita nos debet attrahere spes salutis: præcipuè hac sacra die, quando incipiunt festa natalia, solennia festa, frequentia Deo dante sine intermissione proderit oratio sancta, & continuata deuotio: quia valet deprecatio iusti assidua. Et si Reges terreni in die celebritatis suæ se solent liberaliores ostendere: quantò magis sperare debemus, quòd Rex cœlestis clementissimus, in die ortus sui ritè petentibus veniam non negabit? Ideò sicut scriptum est Iosuæ septimo, Sanctificamini in crastinum: & dicite ei illud 1. Regum 2. Inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus ad te.

Quòd si illud petiueritis, quod ipse in natiuitate attulerit, scilicet pacem Ecclesiæ temporalem, quam Angelicus sonus cecinit, & per experientiam probauit, testibus Tito Liuio, Plinio, cæterisque historicis gentilibus, qui sunt hoc admirati. Dixerunt enim, tantam pacem in terra non nisi diuino munere contingere potuisse. Sic enim Dominus promiserat Esa. 66. dicens: Declinabo super eam, quasi fluuium pacis. Et in Psalmo: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Ergò patres in Domino conscripti, & vos alii, ecce nunc dies salutis, nunc est opportunitas deprecandi Deum, vt quod ista vice contulit orbi, Ecclesiæ suæ diebus istis dignetur largiri.

Et quemadmodum Niniue subuersa est non in membris, sed in moribus: ita & hoc, quod dicit Dominus in themate, iuxtà est iustitia vt reueletur, verificetur in nobis, non de iustitia primitiua, sed de nostra sanctificatione per gratiam, vt in ortu crastino nostri Saluatoris oriatur iustitia nostra simul: & super nos fiat benedictio, quam promisit Deus, dicens: Iuxtà est salus mea vt veniat, de qua Esaiæ 51. Salus mea in sempiternum erit. Hanc salutem nobis concedat Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

Hunc sermonem fecit Magister Nicolaus Orem coram Papa Vrbano & Cardinalibus, in vigilia natiuitatis Dominicæ, quæ fuit quarta Dominica aduentus, anno Domini 1363. ipsius anno secundo. Imp. Carolo 4. PP. Vrbano 5.

Idem. Edita autem est ab hoc Nicolao & sequens Epistola Luciferi, in qua gratias agit ingentes Ecclesiastico ordini, quòd relictâ doctrinâ Christi, & Apostolorum, quâ nullæ omninò animæ ad infernum transmittebantur, nunc omnibus flagitiis, idolomaniis, & traditionibus dediti, infernum totum animabus repleant, & illi primi sint, qui descendunt. Elocat præterea illis filias suas nouem, & alia disponit.

Bullam verò istam Luciferi, cuius mentionem quoque facit Vincentius libro 25. capite 89. ille, qui nostro tempore edidit, sub initio ad marginem annotauit, se, quia Lucifer eodem modo, quo Papa suas orditur bullas, nescire, num diabolus papizet: an verò Papa diabolizet?

Bulla autem sic habet, vt sequitur.



Epistola de non Apostolicis quorundam moribus: qui in Apostolorum se locum successisse gloriantur.



LVcifer, Princeps tenebrarum, tristia profundi Acherontis regens imperia, dux Herebi, rex inferni, rectorque gehennæ: Vniuersis sociis regni nostri, filiis superbiæ, præcipuè modernæ Ecclesiæ principibus (de qua noster aduersarius Iesus Christus per Prophetam prædixit: Odiui Ecclesiā malignantium:) Salutem, quam vobis optamus, & nostris obedire mandatis, ac prout incepistis, legibus parere Sathanæ, & nostri iuris præcepta iugiter obseruare.

Dudum quidem Christi Vicarii, sequentes eius vestigia, signis & virtutibus coruscantes, & docentes sub quadam paupere vita, per suas prædicationes & opera, quasi totum mundum à nostræ tyrannidis iugo ad suam conuerterunt doctrinam & vitam, in nostri Tartarei regni illusionem maximam & contemtum, nec non in nostræ iurisdictionis non modicum præiudicium & grauamen: non verentes nostram lædere potentiam, & terrificam nostri status offendere maiestatem. Illo namque tempore nulla recipiebamus à Mundo tributa, nec con cursu solito cateruatim veniebant ad nostri barathri limina flebile vulgus, sed via procliuis & lata, quæ ducit ad mortem, sine vllo strepitu manebat, nullis miserorum gressibus conculcata. Et tota nostra vacante curia, vlulabat infernus gemens anxius & spoliatus.

Quod nostri Plutonis impatiens feritas ampliùs ferre noluit: neque dira Ducis inclementia potuit diutius tolerare. Sed præcauentes & in posterum obuiantes periculis, de remedio prouidimus opportuno, & loco istorum aduersantium Prophetarum & duodecim Apostolorum, cæterorumque sequentium eos moribus & doctrina, per nostram astutiam atque potentiam succedere fecimus vos, qui Modernis temporibus Ecclesiæ præsidetis. Sicut ille de vobis dixit Oseæ 8. c. Regnauerunt & non ex me.

Semel namque sibi promisimus omnia Regna mundi, Matthæi quarto capite, si cadens nos adoraret. Ipse verò noluit, dicens, quòd regnum suum non erat de hoc mundo. Et fugit, quando turbæ voluerunt eum in Regem eligere temporalem. In vobis autem, qui de statu gratiæ cecidistis, & nobis ministratis in terris, impleta est promissio, & iam per nos & à nobis terrena, quæ vobis contulimus, & humana imperia possidetis. Ille enim de vobis dixit, vt scitis: Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed super omnes filios superbiæ voluit nos regnare. Subiiciebantur itaque principibus huius seculi in temporalibus nostri aduersarii antè dicti, & hoc docebant, dicentes: Subiecti estote omni creaturæ propter Deum, siue regi, &c. & rursū: Obedite præpositis vestris. Sic enim magister eorū proposuerat & præceperat, dicens: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, benefici vocantur. Vos autem non sic. Et, sicut prædiximus, despicabilem vitam & inopem gerebant, in continuis laboribus & ærumnis: vt nos vobis diximus: Vos autem non sic.

Venenum diu est effusum: iam estis inflati, iam & ipsis primis patribus, estis non solùm dispares, sed penitus contrarii in moribus & vita, super omnes elati, & omnia possidentes effecti, nec reddentes quæ sunt Cæsaris, Cæsari, nec quæ sunt Dei, Deo.

Primò, secundum nostra decreta vtriusque gladii iusticiam exercentes vel iurisdictionem, vos mundanis immiscetis, & nobiscum militantes, secularibus negociis implicati, de paupertatis miseria gradatim ascenditis ad culmen honorum, & ad summa fastigia dignitatum, per astutias, practicas, & fallaces fabricas, per hypocrisin, adulationem, mendacia, periuria, fraudes, simonias, & cæteras nequitias ampliores, quàm excogitare possent nostræ furiæ infernales.

Cùm autem illuc peruenistis, non sufficit: sed estis famelici plùs quàm antè: pauperes opprimitis, omnia rapitis, totum peruertitis, inflati superbia, luxuriosè viuentes. In deliciis & fruitionibus corporalibus ducitis in bonis dies vestros, vocatis vobis nomina in terris, vos Deos,

sanctos & sanctissimos appellando. Bona etiam, quæ aut violenter rapitis, aut per abusiones dolosè surripitis, & fallaciter extorquetis, aut falso titulo possidetis, quæ pro sustentatione pauperum Christi (quos odimus) fuerunt antiquitus erogata, in vsus vobis placitos expenditis. Vnde meretrices & lenonum turbas nutritis, cum quibus equitantes pompaticè velut magni principes inceditis, aliter, quàm illi pauperes Christi sacerdotes Ecclesiæ primitiuæ. Vobis ædificatis palatia, omni amœnitate & pulchritudine plena spectabilia. Comeditis cibaria & bibitis vina, omni curiositate, delicatione & leccacitate exquisita. Thesauros coadunatis infinitos: non sicut ille, qui dicebat: Argentum & aurum non est mecum. Vos aurea secula reparastis.

O societas gratissima dæmonibus nobis olim per prophetam promissa, & ab illis priscis temporibus antiquitus reprobata: dum te Christus vocauit synagogam Sathanæ. Et te signauit per meretricem magnam, quæ fornicata est cum Regibus terræ, facta de matre nouerca, de sponsa Christi adultera, de casta meretrix. Confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ: charitatem tuam primam reliquisti & nobis adhæsisti.

O dilecta nostra Babylon: ò ciues nostri, qui huc de Hierusalem transmigrastis, vos meritò diligimus, vobis applaudimus: quia leges Simonis Petri negligitis, & legibus Simonis Magi amici nostri penitus adhæretis. Ipsas tenetis ad vnguem, & publicè exercetis, in templo Dei vendentes & ementes spiritualia contra Christi præcepta. Distribuitis beneficia & honores aut prece aut precio, aut pro turpi seruitio seu fauore: & ecclesiasticas dignitates, reprobando dignos, & indignos promouentes, vtpote ganeones, lenones, & ignaros vestros nepotes, aut filios proprios, ad Christi hæreditatem euocatis, vt sanctuarium Dei hæreditariè possideatis: & vni puero multas confertis præbendas, quarum minimam probo pauperi denegatis. Personam accipitis, & innumeram curam habetis pecuniarum & non animarum. Domum Christi fecistis speluncam latronum: omnes abusus, omnes extorsiones in stylo vestro millesies plùs practicantur, quàm apud seculares tyrannos. Leges statuistis, & eas non tenetis: & totum vestra dispensatione ad libitum dissipatis. Iustificatis impium pro muneribus, & iusticiam iusti aufertis ab eo. Et omnia genera scelerum & scelera generum, prout volumus, perpetratis, & multum vestri gratia in nostro seruitio insudatis, potissimè quantum ad destructionem fidei Christianæ.

Iam enim laici de fide hæsitant: & si quæ sibi prædicatis quandoque (licet rarò) tamen non credunt, quando vident manifestè, quòd quilibet vestrûm contrarium operatur, & sic ostenditis aliud esse, quàm dicitis. Vnde ipsi vos sequentes, qui sibi estis in exemplum, iam vt plurimùm benè vtuntur regulis nostris, irruentes in pelagus vitiorum. Et ad firmatas sedes barathri assiduè confluit ipsorum maxima multitudo.

Tot enim ex omni hominum genere nobis quotidie transmittitis, quot capere non possemus: nisi nostrum chaos insatiabile mille faucibus additis innumerabiles animas deglutiret. Et sic etiam per vos nostri Imperii Principatus extitit reformatus, & damnum nobis importabile est restitutum.

Vnde vos habemus viriliter commendatos: atque vobis grates magnas referimus, vos nihilominùs exhortantes, vt perseueretis, sicut facitis, vlteriùs procedendo: quia per vos intendimus, totum mundum sub nostram ditionem iterum reuocare.

Iam enim multitudine, quam nobis quotidie destinatis, in his obscuris recessibus mirabiliter occupati, vobis interim committimus vices nostras, & volumus vos nostros esse Vicarios vel ministros: quia etiam de missione propinqua Antichristi cogitamus, cui viam optimè præparatis.

In vestrum tamen consilium & auxilium de stygiis eminentibus & satrapis inferni aliquos destinamus vel deputamus: quorum suggestionibus acquiescere, & dolosis inuentionibus addere vestra astutia consueuit & nouit prudentia. Insuper vobis, qui summum tenetis apicem, consulimus ad cautelam, vt inter Principes seculi pacem fictitiè procuretis, sed Ecclesiæ causa discordiam nutriatis: & sic astutè Romanum imperium destruetis.

Ita nec permittatis aliquod regnum nimiùm ampliari, ne fortè nimis fortificati & pacem habentes, velint deprimere vestrum statum, & à vobis auferre thesauros, quos apud vos in deposito pro Antichristo fecimus reseruari: commendatas habentes nostras charissimas filias, superbiam, auariciam, fraudem, luxuriam, & alias: præcipuè dominam Simoniam, quæ fecit vos, ac propriis lactauit vberibus & nutriuit.

Ipsamque non vocetis Simoniam seu peccatum: quia omnia vestra sunt. Nihil potestis vendere: quia de proprio soluuntur. Nec vos estis superbi: quia talem requirit

magnificentiam status vester. Nec auari: quia pro sancto Petro est, quicquid congregatis. Et de thesauris Ecclesiæ seu patrimoniis crucifixi promoueatis vestros: sicut Christus ad Apostolatum vocauit cognatos & notos: & sicut ipsi vocabantur ad statum pauperem & humilem, sic & vos vestros vocate ad statum diuitiarum & superbiæ. Ipsique reliquerunt omnia, vos autem non: quia pro defendendo Ecclesiam vestra bona tenetis: & sic de aliis.

Sed vt meliùs nostis, perpetrate vitia sub virtutum specie palliata. Allegetis pro vobis, & glossetis distortè, & adducatis ad vestrum propositum indirectè. Et si quis prædicet contra vos, aut doceat, ipsum excommunicantes violenter opprimite, & à vobis tanquam hæreticus condemnetur. Eaque ideo faciatis, vt valeatis locum habere, quem vobis paramus sub nostro habitaculo in secretissimo fundamento, quod vobis singulariter reseruamus. In quod quisquam nondum nouit accedere, exceptis maioribus satrapis regni nostri.

Vos enim nec speratis futurum præmium, nec formidatis æternum supplicium. Ideoque nec vitam, quam non creditis, habebitis, sed nobiscum mortem obtinebitis, quam, dum viuitis, non timetis. Valeatis illa felicitate, qua vos desideramus & intendimus finaliter præmiare.

Datum apud centrum terræ in nostro palatio tenebroso: præsentibus catervis dæmonum propter hoc specialiter vocatorum ad nostrum consistorium dolorosum. Sub nostri terribilis signeti charactere in robur præmissorum. Anno à Palatii nostri factione, ac consortum nostrorum substractione, millesimo trecentesimo quinquagesimo primo.

Beelzebub vester specialis amicus.
Farfarellus.
Catabriga Secretarius.

Ordo Iesuatorum.

1365.



HI etiam dicuntur Iniesuati, & Senis Initium habuerunt Ioanne Columbano, & Francisco Vincentio Senensibus, autoribus, anno 1365, vt Francus vult: sed iuxta Sabellicum anno 1366. Polyd. Volat. & Crantzium, anno 1368. secundum alios verò anno 1389.

Victum ab initio labore manuum quærebant: Iesuati dicebantur, quòd nomen Iesu frequens esset in eorum ore. Vestitus ab Vrbano quinto illis certus deinde datus fuit: alba sc: tunica, tegumentum capitis album, cum laciniâ quadratâ à ceruice ad humeros deiectâ. Cinctura scortea zona, nudi pedes, cum ligneis soleis. Polyd. Postea tamen canusinum pallium superiniectum tunicæ fuit. Francus.

Cùm postremi dicti essent Apostolici viri, Pontificis permissu, tandem planè concidisse, & loco eorum Iesuitas hodiernos resuscitatos, ferunt. Imp. 110. Car. 4. PP. 205. Vrbano 5.

Militzius Bohemus & Iacobus Misnensis.

1366. IAcobus Misnensis scripsit inter cætera etiam de aduentu Antichristi. In eo scripto facit mentionem cuiusdam docti viri, nomine Militzii, quem famosum ac venerabilem prædicatorem appellat. Fuit ille concionator Pragensis. Floruit longè ante Hussium. Citat & ex scriptis eius quædam satis prolixè. In illis dictis narrat admodum piè bonus Militzius, quónam modo sit inuitus impulsus à Spiritu sancto, vt ex sacris literis quæreret de aduentu Antichristi: comperteritq; eum iam suo tempore venisse. Idemque se, ait, Romæ, coactum à Spiritu, publicè concionatum, & postea coram inquisitore affirmasse: Magnum scilcet illum Antichristum, de quo Scripturæ prophetizant, venisse.

Affirmat quoque idem Militzius, Ecclesiam negligentia pastorum desolatam esse, abundare temporalibus diuitiis, spoliatam spiritualibus, & sic impleri Euangelium: Abundauit iniquitas, videlicet ex mammona iniquitatis. Dicit, esse in Ecclesia Christi idola destruentia Ierusalem,

& desolantia templum, sed hypocrisi ea tegi. Dicit etiam, multos esse, qui negent Christum, quia tacent, nec audent agnitum Christum, eiusque veritatem coram hominibus confiteri, quique scientes Veritatem & iustitiam Dei detineant.

Inuenitur quoq; Bulla quædam Gregorii XI. ad archiepiscopum Pragensem, in qua eum iubet, excommunicare & persequi Militzium, eiusque auditores. Narrat autem ea Bulla, fuisse eum priùs Canonicum Pragensem, sed postea renunciasse canonicatui, cœpisseque concionari. Narrat etiam, eum anno 1366. docuisse, Antichristum iam adesse, ac propterea à Ioanne Archiepiscopo Pragense fuisse incarceratum. Atque hunc ponit primum eius errorem. Indicat etiam, eum habuisse suum cœtum, quem docuerit, ac fuisse inter alios etiã scorta quædam, quæ tamen conuersa à suis peccatis destiterant, pieque viuebant, quæque ille solitus sit præferre omnibus sacris virginibus.

Docuit quoque publicè, quòd (vt Bullæ verbis vtar) in Papa, Cardinalibus, Episcopis, Prælatis, sacerdotibus, & aliis religiosis, exceptis adhærentibus sibi, nulla veritas esset, nec viam veritatis docerent, sed ipse solus cum suis doceret veram viam salutis. Postillam eius adhuc inueniri posse putamus. Tribuuntur ei alioquin & alii quidam incommodi articuli, quos tamen existimamus calumniosè ab aduersariis deprauatos esse. Habuit, vt ex eadem Bulla apparet, plures suæ doctrinæ adhærentes, superioris & inferioris conditionis homines. Cat. Imp. 110. Carolo 4. PP. 205. Vrbano 5.

Ordo Saluatoris seu Scopetinorum. 1366.



HIc Ordo ad exemplum Augustinensium institutus fuit prope Senas, in Scopeto per quendam Franciscum Bononiensem, anno D. 1366. Vrbano 5. Pont. Max. Pòst Stephanus & Iacobus eum Senis restaurârunt, anno 1408. Vestitus eorum est pallium album cum cuculla alba super linea alba toga. Panuinius & Francus. Imp. & PP. V. S.

Planctus Bernhardi VVesterrodis Corbeiensis. 1367.

COllationis gratiâ
Pertractaturus aliqua
De statu clericali:
Narrabo de insaniâ,
Quæ regnat in Ecclesiâ,
Processu criminali.
Vbiq; nunc religio
Recedit à vestigio
Sanctorum præcessorum:
Mundanis est mundanior,
Et vanis multò vanior
Vbilibet locorum.
Non est in eâ sanitas,
Sed vanitatum vanitas,
Et omnia neglecta.
Permixta secularibus,
Et fœminis & maribus,
Omninò fit despecta.
A maximis ad minimum,
Vix habet vnum filium
Religio tam sacrum:
Qui purè propter Dominum,
Religionis habitum
Portare videatur.
Sed permulti nunc, proh dolor,
Conuersi quidem non ad cor,
Sed magis ad pulmonem:
Vt viuant commodiùs,
Et bibant gloriosiùs,
Intrant religionem.
Non sic vos impii, non sic,
Sed tanquam puluis estis hic,
Qui rapitur de terrâ:
Si viuitis neutraliter,
Torquebimini pœnaliter,
Sub inferorum serrâ.
Indigni Deo Domino,
Despecti quoque seculo,
Peribitis in Guerrâ:
Vos omnes esse, timeo,
De presbyterorum numero
Damnabili reuerâ.
Omnes ad clericalia
Recurrunt, vt per talia,
Quæ sua sunt, acquirant:
Messiam non inueniunt,
Nec inuenire cupiunt,
Spontaneè delirant.
De Christi patrimonio,
Sub pompis & præconio
Viuentes, intumescunt:
Intenti voluptatibus,
Et mundi vanitatibus,
De cappis erubescunt.

Non solùm noto monachos,
Sed etiam canonicos,
Et fictas moniales:
Quæ propter Iesum minimè
Videntur esse filiæ,
Et filii spiritales:
Sed magis, vt diuitijs
Fruantur, & deliciis,
Et cæteris cupitis:
Quæ replicare nequeo,
Nec volo, neque debeo,
De istis hypocritis.
A quibus multa patitur,
Confunditur, & quatitur
Nauicula marina:
In quâ dormit iam Dominus
Quem suscitat discipulus,
Et postulat diuina.
Væ mundo nunc à scandalis,
Et clericis & laicis
In mundo constitutis:
Impellitur nauicula,
Iam tanta sunt pericula,
Quòd vix est spes salutis.
Vix tamen surgit aliquis,
Et rogat Dominum pro iis
Periculis instanter:
Ne nauis sanctæ fidei
Mergatur ab hypocrisi,
Quæ regnat abundanter
In cunctis terræ finibus,
In ventis & turbinibus
Innumeris, tam dirè:
Quòd nisi Deus faciat
De speciali gratiâ,
Timendum est, perire
In die propinquissimo
Zizania cum tritico,
Et è conuerso quidem:
Nam Satan est in foribus,
Et in mille coloribus
Ad destruendum fidem,
Quam Christus suo sanguine
Construxit in examine
Cruentæ passionis:
Dum perfidos damnauerat,
Et credulos saluauerat
In propriis personis.
Quid ampliùs edisseram,
Si vera loqui debeam,
De vitâ clericorum?
Prælati sedent hodie
In opulentâ requie,
De sorte miserorum
Viuendo superuacuè:
Qui charitatem maximè
Deberent exercere,
Præ cæteris fidelibus,
In omnibus hominibus:
Virtutes exhibere
Cum bonis exemplaribus
Tam fœminis, quàm maribus:
Viam salutis dare:
Non alta quidem sapere:
Non fremere: non rapere:
Non aliquem truffare.
Hæc essent meritoria,
Seruorum Dei gloria,
Fidelium tutela:
Per quæ manerent principes,
Et Christiani simplices
In fidei sequelâ.
Sed vbi possunt hæc discerni?
Cùm nec priores, nec moderni
Pro Deo famulentur:
Imò pro temporalibus
Omnes ceu spiritalibus
Insistere videntur.
Maiores cum minoribus,
Indocti cum doctoribus,
Et cæteri de clero,
Non habent rectam speciem,
Nec curant cœli precium,
De Christo Deo vero,
Sub cuius vmbrâ latitant,
Et sua bona dissipant
In pompâ seculari:
Sunt Pilati, non Prælati,
Plùs quàm tyranni, deprauati:
In virtutibus ignari.
Per quos & grex fidelium
Tractatur in interitum,
Messiâ permittente:
Corrupti simul pereunt,
Abominabilesq; facti sunt,
Diabolo suadente.
Non est qui bonum faciat,
Non est qui Deum diligat,
Inutiles effecti.
Ad munera respiciunt,
Iustitiam non sitiunt,
Deliciis illecti.
Non viuunt Christianiter,
Nec iustè, nec humaniter,
In seculo præsenti:
Vt magna fortalitia,
Et plura beneficia
Possideant, intenti.
Eorum verè spiritus
Inanis est, & irritus
Ad Dei famulatum:
Ab istis omnis grauitas
Egreditur, & ruit prauitas
In seculo passatum.
Emergit insolentia,
Recedit conscientia

Commu-

Communiter à clero:
Quæ, qualis, quanta furia
Committitur in Curiâ?
De Curtisanis quæro.
Nam illi sciunt practicam
De Simone truffaticam,
Scripturas & Calendas:
Quas ille mille artifex,
Diabolus, eorum rex
Inuenit exercendas:
Vt pauperes abiiciant,
Et diuites alliciant,
In modis & in formis.
Quid aliud per atria,
Quàm patens idolatria,
Et clericus enormis?
Non psallitur Dauidicè,
Sed prorsus hypocriticè,
De beneficiatis:
Qui qualiter, & quomodo
Seruire solent Domino,
Iam dicebatur satis.
Nunc de eorum vestibus,
Et moribus, & gestibus
Ad modicum tractabo:
In quibus fatualiter,
Et merè laicaliter,
Incedunt, increpabo.
Canonici, cum cæteris
Collegiorum sociis,
Mundaniter imbuti,
In variis & serico
Vestiti vadunt, Iericho
Mollissimis induti.
Ne quid eorum corpora
Sustineant, vel aspera
Tenerrimos offendant:
De preciosis pellibus,
Subtilibus, & mollibus
Camisias emendant.
Vt placeant hominibus,
Nituntur suis crinibus
Incedere politis:
Coronas in capitibus
Ferunt de pilis mitibus,
Et rebus exquisitis.
Sic imitantur Dominum,
Qui pro salute hominum
Est spinis coronatus.
Sic seruiunt altissimo,
Qui non pepercit filio,
Dum stetit immolatus
In cruce nudis genibus,
Et manibus & pedibus,
Et dextrâ perforatus.
Sic deridetur Dominus,
A seruo nihilominùs
In viâ prosperatus.
Præbendas habet quatuor,
Et est Ecclesiæ pastor,
Vel potiùs mercator:
Si fortè chorum visitat,
Non propter Iesum ibi stat,
Præsentiæ spectator.
Mox habitâ præsentiâ,
Cum magnâ vehementiâ
Recurrit ad mundana:
Sequentibus consociis,
In seculi negociis
Multiplicat prophana.
Cum longis, amplis manicis,
Et actibus tyrannicis,
Incedit equitando:
Persequitur deificos,
Subsannat scientificos,
In malis gloriando.
Eligitur Præpositus,
Decanus, vel Scholasticus,
Vt alios defendat:
Qui semetipsum destruit,
Et omnia quæ repperit,
Diabolo commendat.
Vocatur tamen arduus,
Vir probus, atq; strenuus
In terrâ VVestphalorum:
Quæ plena est maleficis,
Raptoribus, veneficis,
Fascina miserorum.
In quâ laudatur impius,
Peccator imperterritus,
In laicis & clero:
Qui clausâ conscientiâ,
Non pertimescit aliqua
Nefaria sub cælo.
Nil plus de hac materiâ,
Tractabo nimis seriâ,
De aliis intentus:
Plangam de secularibus,
Et arguam mordaciùs
Studentium conuentus.
Iam fit magister artium,
Qui nescit quotas partium
De vero fundamento:
Habere nomen appetit,
Rem verò non curat, nec scit
Examine contemto.
Iam fiunt Baccalaurei,
Pro munere denarii,
Quàmplures idiotæ:
In artibus, & aliis
Egregiis scientiis
Sunt bestiæ promotæ.
Quid dicam de presbyteris,
Quos præsul sine literis
Ad ordines deducit?
In quibus nec scientia,

Nec vitæ condecentia
Ad minimum relucet.
Apparet de militibus,
Qui bellant pro diuitibus,
Pauperibus neglectis:
Hos nituntur deuastare,
Quos deberent defensare
Sermonibus & factis.
Vt mihi dicunt somnia,
Peruersè fiunt omnia,
Quæ cernimus in mundo.
Iam dies est nouissima,
Vt credo, propinquissima
Dolore cum profundo.
Peccatis exigentibus
Citissimè peribimus,
Prophetâ conquerente:
Heu qui nunc dilatabimur,
Subitò tunc damnabimur.
Maleficâ cum gente.

De Corruptione omnium statuum, & imminente mundi interitu, Satyra ex vetustissimo codice in Heluetiis descripta, quæ ad hunc Bernhardi Planctum rectè accommodatur.

AD occasum cuncta ruunt:
Sed & ipsa studia,
Quibus olim Roma potens
Superabat sidera.
Quando cœli templa virgo
Petiuit Cyllenia,
Totus mundus in errorum
Voluitur caligine.
Nullus curat obedire
Verbis sapientiæ:
Non senectus, non iuuentus,
Non ætas infantiæ:
Non clerus, non sacerdotes,
Non eorum præsules:
Non conuentus populorum,
Non eorum principes.
Cuncta, proh dolor, ad suum
Properant interitum.
Monachorum norma fugit,
Perit vita Angelica:
Crescit rancor, crescit ira,
Crescit & inuidia.
Quod in ipsis Christi fuit,
Mammona surripuit.
Totus iam mundus senescens
Malos ædit homines,
Et in bonis imbecilles,
Et ætate fragiles.
Et à priscâ rerum formâ
Discolorant omnia.
Premit reges præpotentes
Impotens ignauia:
Effrenos malè corrumpit
Dulcis insolentia.
Monachi cum toto clero
Tabescunt desidiâ:
Perit indisciplinata
Rustica simplicitas.
Verbi Dei aliena,
Et pastoris indiga
Ouis Christi, per deserta
Vagatur erratica.
Cuncti namq; præpediti
Curis secularibus,
Plebem Dei castigare,
Miseri negligimus.
Sic paulatim nauis Christi
Sine nautâ mergitur.
Sic præceptis contraimus:
Sic Christum negligimus.
Qui lex esse debuimus,
Sic legem confundimus.
Sic contemto redemtore,
Ad hostem conuertimur.
Sic omnes præuaricati,
Nil docere possumus.
At si quosdam verbis tantùm
Docere, præsumimus,
Hoc erit, cùm facta desint,
Dedocere potiùs.
Nam verbis facta pensantes,
Quam magistros viderint
Sequi viam, mox tenebunt
Dociles discipuli,
Ruituri cum magistris
Ad infernum sceleris.
Hinc est, quòd multi vagantur
Laico sub habitu,
Arma ferunt, bella quærunt,
Contra fas superbiunt.
Quod deberent Saluatori,
Referunt ad Zabulum.
Aliena quisq; sibi
Violenter appetit.
Et totum peruertit rapax
Seculum cupiditas,
Mores turbat, scindit fratres,
Sacras leges temerat.
Versipellis, fraudulentus,
Adulator, callidus,
Primas partes sortiuntur
De bonis alterius.
Vbicunq; libet malis,
Ius reclamant proprium.

Et quis potest, quantâ laude
Dignus sit, conijcere,
Falsum illum, qui peierans
Fratrem nouit fallere?
Hic namque primus vocatur,
Qui primus in scelere.
Nullus nostrâ tempestate
Iustus index cernitur.
Est Astrea vetus verbum:
Veritas est somnium.
Praualent mendosa verba,
Veritas est fabula.
Ad mensuram nummi fiunt
Omnia iudicia.
Frustra stat ante tribunal
Pauperum simplicitas.
Frustra clamat vox pupilli,
Frustra plangunt viduæ.
Si quid enim sine nummis
Ad tribunal obsecras,
Nihil iuuat, nihil prodest:
Verba fiunt mortua.
Tibi verò, si quid dabis,
Frons arridet iudicis.
Sedet iudex in occulto,
Capiendo simplicem:
Mulcet illũ blandimentis,
Minis terret varijs:
Donec sibi abtrahendo
Quadrantem det vltimum.
Nummus erat imperator,
Nummum colunt principes:
Nummus regit, nummus regnat,
Nummus & iustificat.
Quod in Deo non disponunt,
Per nummum hoc faciunt.
Si non habet pauper nummum,
Facti reus dicitur.
Iudex damnat innocentem,
Dans nocenti veniam:
Plena cui crumena pendet,
Hic iustus clamabitur.
Sic est nummus Imperator,
Sic deridet miseros.
Annuit, ne dicam verum,
Summis potentatibus.
Domat reges, & venale
Efficit iudicium.
Nulla virtus est perfecta,
Hac ætate pessimâ.
Nullus bonus, cui non insit
Quædam deprauatio.
Pauci sunt, qui viuant castè,
Nisi per hypocrisin.
Ternis est libido fœda
Coniuncta pedissequis:
Per quas totum replet mundum
Vaga petulantia.
Quarum trium vix est vllus
Non fœdatus maculâ,
Scilicet adulterorum:
Post hanc immundicia:
Et leprosa Sodomorum
Tertiant contagia.
Hæc pro certo lædunt Christum,
Cùm deturpent seculum.
Omne genus in procliue
Vitiorum trahitur.
Nullus metus, nullus pudor
Abutenti vitio.
Insuper dignus est laude
Magister in scelere.
Nec ad Deum, nec ad sanctos
Vlla reuerentia.
Ridet excommunicatus
Præsulis imperia.
Nullus macer ex iniunctâ
Sibi pœnitentiâ.
Sæua furit, atq; totum
Perturbat Tisiphone.
Passim clamor, passim cædes,
Bella strident vndiq;.
Pax non redit fugitiua,
Neque cessant prælia.
Omni die crescit malum,
Abundat iniquitas.
Ideo per totum mundum
Refrigescit charitas.
Antichristum iam inuitat
Hominum malitia.
Nullum lædat, inhumana
Tetigisse vitia.
Neque triste ferat ille
Occultus hypocrita,
Quando mihi nullo pacto
Mea parcit Satyra.
Esse namque cùm non velim,
Dici volo Clericus.
Incedo quasi modestus,
Coronato vertice,
Vt sic clarus esse possim.
Sub Cleri velamine.
Probo mala, tento bona,
Quia peruersè cogito.
Cute lotus, mente fœdus,
Ad altare supplico,
Hoc non esse Christiani,
Certus, non considero.
Hoc infelix non obseruo,
Quod dicente Domino
Legitur: si munus offers
In templi sacrario,
Relinque, donec offerri
Corde possit nitido.
Fornicem relinquens fœdum,
Impudens altarium

Accedo: sic rursum fœdus
Relinquo sacrarium,
Recurrens ad vsitatum
Denuò volutabrum.
O miser, Gehennæ flammas
Aliquando cogita.
Et cum peccatrice cadens
Ad Christi vestigia,
Resurge cum fide magnâ
De misericordiâ.
Restant multa præter ista,
Quæ non queo tangere.
In peccatis totum mundum
Cernimus defluere,
Ac vbiq; desæuire
Rabiem discordiæ.
Breue tempus habet mundus,
Instat Dies Domini.
Non vult Deus, sanctos suos
Falsâq; pace decipi:
Vt possint probatiores
Inter plagas fieri.
Sed tu Deus, omnem sensum
Cuius pax exsuperat,
Inter sæua tuis seruis
Iam succurre scandala;
Vt adhuc in bonâ tibi
Possint vitâ viuere.
Ne fiat longinqua nobis
Tua miseratio:
Qui dixisti tuis seruis,
Cùm hæc esse cœperint,
Exultate: quia vestra
Propinquat redemtio:
Cuius nos redemtionis
Facias participes,
Et in cælis inter diuos
Exultare proceres,
Vbi regnat Iesus Christus
Sine fine permanens. Amen.

Theolesphorus de Cusentia.

INcipit liber de magnis tribulationibus in proximo futuris, compilatus à docto, & deuoto Presbytero, & Eremitâ, Theolesporo de Cusentiâ prouinciæ Calabriæ: collectus verò ex vaticinijs nouorum Prophetarum, scilicet beati Cyrilli, Abbatis Ioachim, Dandali, & Merlini, ac veterum Sibyllarum. Deinde abbreuiatus per venerabilem fratrem Rusticianum: vnà cum tractatu Magistri Ioannis Parisini ordinis Prædicatorum, de Antichristo, & fine mundi: & fratris Vbertini à Casali de septem statibus Ecclesiæ.

Postea creabitur angelicus Papa. Interim post breue tempus, rege Aquilonis mortuo, dictus sanctus Papa, priuatis Principibus, seu Electoribus Imperatoris Germaniæ, coronabit in Imperatorem Regem Franciæ coronâ spineâ, ob memoriam & reuerentiam passionis Iesu Christi Domini nostri. Et dictus angelicus Papa cum dicto Franciæ rege Ecclesiam reformabit: & omnes Prælati abdicabunt omnia bona temporalia, & expulsis omnibus alijs religionibus seu ordinibus (vt inquit ille) vnam nouam religionem instituent, quæ omnes prætericas sanctitate præibit: in qua se continebunt omnes summi Pontifices, de qua etiam ad instar 12. Apostolorum, assumentur 12. viri religiosi & sancti, qui prædicabunt Euangelium per totum orbem, & omnes conuertent ad Christum præter Iudæos.

Idem. Dicit sanctus Methodius, quòd in nouissimis diebus, post sextum millenarium annorum seculi, exient de eremo filij Ismaëlis. Et erit aduentus eorum castigatio sine misericordia: & tradet Deus in manibus eorum omnia regna Christianorum, & gentium, propter peccata & scelera, quæ operati sunt contra Dei præcepta. Et quoniam Christiani obliti sunt præcepta Domini, multa facientes illicita maculando semetipsos, quod turpe est dicere: propterea tradet illos Deus pollutis barbaris seu Saracenis, & in manibus eorum: & erit iugum eorum graue super omnes gentes: & omnia ornamenta ecclesiæ eorum erunt, ex quibus induent se & mulieres eorum, & iumenta eorum ad sepulchra sanctorum ligabunt, tanquam ad præsepia: & mulieres habentes in vtero partus similiter interficientur gladio. Nec non & sacerdotes in locis sanctorum interficientur: & in Ecclesijs sanctorum concumbent cum mulieribus, & sacra maculabunt, & Ecclesias incendio cremabunt: & corpora eorum in plateis proijcient, eò quòd non sint qui sepeliant: & erunt regiones sine via, & vocabitur via eorum angustia, & incipient dicere: Beati sunt illi, qui de hac luce nos præcesserunt.

Idem. Hic orant fideles & iusti, dolentes, seque affligentes, videndo tam horrendas & pessimas iniquitates, ac turpia scelera, perpetrata à malignis Christianis, tam laicis quàm ecclesiasticis tam rectoribus quàm subditis: vt citò veniat Deus cum flagello ad puniendum eos, & bonos ac iustos ab eis afflictos & suppressos ad liberandum: & vt mali adeò flagellati, conuertantur: aut saltem extirpatis & resecatis ipsis, iusti pacificè Deo seruire valeant, suamque Ecclesiam à lupis rapacibus laceratam, ac ferè totaliter adulteratam, velit, atque dignetur reformare, & bonos pastores ac rectores in ea locare.

Nota. Habet autor hoc loco imaginem.

Mali

Mali verò omni Dei timore postposito, terga vertunt ad altare, bibentes, ludentes, atque saltantes.

Ibidem. Hic diabolus solutus de carcere, seducit & tentat Christianos in omni statu, & gradu, ac sexu, tam Ecclesiasticos quàm laicos, videlicet Papam, Cardinales, Episcopos, Presbyteros, religiosos, & religiosas: vt seminet & immittat innumeras discordias, seditiones, bella, & schismata. Propter quæ iratus Deus contra Christianos mittat flagellum, & puniat malos diabolo seruientes. Quæ nunc in his nostris infelicissimis temporibus omnia videmus accidisse, & multò maiora & sceleratiora, quàm dici posset: ita vt nulli ampliùs sani capitis, dubium sit, omninò flagellum maximum nobis imminere.

Nota. Habet autor & hic imaginem.

Idem. Causa autem finalis est Reformatio & Compositio Cleri in Spiritualibus, punito & castigato clero: & solùm necessaria victui relinquendo. Nam cùm diuitiæ & dominia temporalia multùm impediant spiritualiter viuere, ipse Deus disposuit ipsa bona & dominia temporalia auferre: vt ipse clerus discat viuere & attendere spiritualibus tantùm, secundum formā datam ipsi clero à Petro, & alijs fundatoribus ipsius cleri, & Ecclesiarum.

Ibidem. In diebus illis Ecclesia Dei in bonis superfluis circumcisa, ac bonis temporalibus spoliata: Spiritualibus autem maximè prædita erit. Sed antequàm hæc fiant, necesse est vt clerici incrassati, & in superbia eorum viuentes, tonsuram suam abscondant, & se Clericos negent.

Ibidem. Ioachim super Hieremia ad Henricum super verbo: Ab aquilone, prudenter sic dicit: Imperatores siquidem reipublicæ olim, pro Christo paupere, suæ dignitatis gloriam exuentes, induerunt Ecclesiam quasi nouum hominem in Siluestro: nunc autem necesse est, vt abundante malitia nudus ab eo Petrus vel succinctus effugiat, & mutet se summus Pontifex, in angustia temporis, spoliatus bonis temporalibus: & filius captiuitatis in mare gentium sitibundarum. Vt vnde opum & diuitiarum egressa sunt flumina: illuc per angustos meatus angustiæ & deiectionis Ecclesiæ reuertentur: & sic extorquebuntur scoriæ Ecclesiæ meretricis; & restituentur in ea iusti iudices & consiliarij pacis: sicut antiquitus in Apostolis formabantur. Vnde iam non discant homines carnaliter viuere, sed potiùs spiritualibus inhærere.

Item in libro intitulato De flore de summis Pontificibus: postquàm Ecclesia Romana destruxit Fridericum Imperatorem, qui quotidie molestabat Ecclesiam Romanam, & ipsa Romana Ecclesia habuit quietem & libertatem: vitijs & semper insolentijs adhæsit. Vnde ipse Ioachim exclamans contra libertatem & quietem prædictas, ait: Veh libertati huic: quia propter libertatem & dominium temporale in nimia quiete, fides Christi pluribus acutis gladijs ferietur. Et delectatio metallorum, & auara cupido prædictorum species improbas concipiet. Quorum vitia, & malorum principia accendet vetula elegans & formosa, vis omnium malorum inceptrix.

Idem. Sed non est opus omnia explicare: existimo autem ex hac scriptura, quòd inualescentes clericorum reges & Principes, regionum prouentus ecclesiasticos coarctabunt, ne ipsa Ecclesia nimia crassitie seu vbertate superbiens, sui memorari iā desinat. Quid prodest cruces diuitijs sublimare: & sublimi fastus non tabescat. Nónne melius existeret, fortè senem coniugare puellam, ne meretricaretur: & nutrire pupillum, ne latrocinetur: concingere nudum: famelicum saturare: quid nitidiùs fulget ara, & pauper nigreat fame amara? non murum, neque aram, sed pauperem Christi sanguis redemit.

Ijdem sunt mercantes Spiritualia, qui regnabunt tunc temporis in Ecclesia Romana.

Idem. Plurima quidem rapit & rapiet Romana Ecclesia alicui non sui iuris, quibusdam assentationibus, quadamque hypocrisi secularium principum: quæ tandem euomet cum dolore, vt leæna comminatur.

Idem. Diadema enim corona Imperialis est, cuius multos lapides preciosos excussit Romana Ecclesia: vel in floribus multi coloris designatur, vt sertum sibi conficeret delicatum, id est, multa iura imperialia vsurpauit, vt se in delicijs roboraret, & suum gladium exerceret potenter: veruntamen cum reti. Quid sit rete cum grano, ac paralyticus iuxta portam, non video: nisi fortè intelligamus reges & principes insimul conuenire aliquando, & à Romana Ecclesia, quæ rete calculum, id est, Romæ. Vnde & quare tanta surrexerit excessiua, memorabunt illam parabolam retis Petri: Ioannis quoque ac Iacobi: grani quoque sulcati per sata ob famem: simulque paralytici iuxta portam, cui beatus Petrus respondit: Argentum & aurum non est mihi.

Idem. Ostensis igitur causis efficientibus & finalibus instantis schismatis, id est, vitijs & peccatis cleri, prouenientibus maximè ex abundantia diuitiarum, & exercitio dominij temporalis: Deus disposuit, vt suprà apparet, auferre à Romana Ecclesia, & toto clero: vt ipsi dimissis bonis temporalibus delectentur in spiritualibus solùm: & ipse Clerus dimissis sordibus viuat lætus in Domino. Restat, videre de religiosis mendicantibus, bona temporalia possidere non debentibus. Attamen antequàm ad eorum statum deueniatur, sciendum est, quòd suprà dicta reformatio, & omnia suprà dicta tangunt Clerum quemcunque, qualemcunque, & cuiussuis nationis & patriæ, tam Germanicum quàm Gallicum.

Idem. Ex hoc committitur loco, quòd priùs ancillanda est Romana ecclesia: & ferè tota Italia danda populis, & Principibus Alemannis. Consequenter premenda est Francia à Germanis: vt auxiliator Francus corruat. Et fiat baculus arundineus Rom. Ecclesiæ, & Clero Gallico: cui baculo

si quis innititur, baculus frangitur & innitentis manus perforatur. Item afflictio tangit: omnes ordines Ecclesiæ affligentur. Nam primi sunt vastandi: secundi disseminandi: tertij præcipitandi. Veh primis, seminauerunt triticum fidei coniugalis, & spinas messuerunt fornicantes: Veh secundis, currebant ad temporalia, & ego non mittebam eos, nisi ad spiritualia: Veh tertijs, scopulis cur. rentium inclinati sunt: quia de vitio contemplantur. Veh sublimibus, inclinantur ad terrena desideria vanitatis: Veh oneri, aut ruinæ fratrum, & millium hospitalis sancti Ioannis Hierusalem: prout Ioachim in libro de oneribus scribit ad Henricum Imperatorem: ibi omnis vallis visionis: quòd non solùm, &c. Veh monasterijs, aut Cistercensibus: Veh monasterijs Claræuallis, molis motus firmitate, & pontiniachi destruendis.

Idem. De peccatis religiosorum mendicantium & eorum vitijs, propter quæ petam: ipsi religiosi, & eorum ordines iusto Dei iudicio destrui & auferri debent ab Ecclesia Romana, & de vniuersali ecclesia. Item de sancta & noua religione fienda & ordinanda virtute Spiritus sancti: quæ præcedet omnes antiquas religiones sanctitate, bonitate, & virtute.

Vertatur nunc stylus ad statum religiosorum mendicantium, qui temporalia bona possidere non debent fronte verecunda: dico dolens de ipsorum proxima clade & inextricabili ruina, quoniã Spiritus sanctus dicto Cyrillo, non semel, sed pluries dixit eorum ruinam: ac vnum singulare capitulum Spiritus sanctus composuit de principio, medio, ac fine dictorum religiosorum, vbi tetigit Spiritus sanctus de ipsis in capitulo 6. Cyrilli.

Idem. Romana Ecclesia & Prælati perdent magnam partem dominij temporalis, & alior ũ bonorum tempore instantis schismatis: ac etiam punientur in personis: multa damna & iniurias recipientes. Itẽ Ioachim in libro de flore, Merlinus & Dandalus in libro superiùs nominato, expressè dicunt: Quòd tempore Angelici pastoris, & duorum successorum ipsi Romani Pontifices sponte renunciabunt omni dominio temporali, spiritualibus adhærentes. Et per concilium generale ordinabitur, quòd Prælati, & Clerus habeant solum victum & vestitum honestum, & naturæ necessaria: reiectis omnibus pompis & delicijs, & Prælatorum, & Cleri bonis distributis, vt dentur pauperibus.

Per quos Romana Ecclesia, & alius Clerus debeat molestari realiter, & personaliter.

AD secundum autem, videlicet, per quos Romana Ecclesia & Clerus debeant molestari & conculcari personaliter & realiter, dico, quòd Ioachim super Hieremiam ad Henricum Imperatorem clarè & notanter dicit: quòd Romana Ecclesia & Clerus totus tripliciter percutietur his tribus temporibus, antequàm flagellum cesset. Quæ verba Hieremiæ sunt hæc: Secundum numerum ararum tuarum, Dij tui Iuda. Et sic dicit, Romana Ecclesia, & Prælati percutiendi sunt virga pastoralis potentiæ: atterendi gladio Pseudoprophetæ: vessandi leone gentis incredulæ: ad exterminandum vitæ carnalis libidines. Nam ipsa tria nocentia sunt: Virga disciplinæ: Gladius doctrinæ: & Leo potentiæ. Disciplinæ modus corripit inquietos: doctrinæ sensus corrigit imperitos: potentiæ actus, opprimit dissolutos. Quis autem imperator sit, qui percutere debeat Romanam Ecclesiam, respondetur, quòd erit Alemannus, qui vltimus Alemannorum Imperator erit. Hic suprà, quàm credi potest, omnia deuastabit, secundum concordiam omnium prophetarum, tam veteris quàm noui Testamenti: de quo inferiùs dicetur. Quis sit Pseudopropheta suprà dictus, respondetur, quòd erit Pseudopontifex, seu antipapa, qui erit natione Alemannus, eligendus malitia dicti Imperatoris. Vnde Ioachim supra Apocalypsim, super verbo Tenebræ, clarè dicit: quòd vltima persecutio pseudoprophetæ erit grauior & inhumanior omni alia præterita persecutione, Clero & populis Christianis, per pseudoprophetam præambulum Antichristi, sibique contemporaneum inferenda. Cui Alemannus regulus illius perfidiæ, potentiora venena diffundet: quod ex illo Apocalypsis loco committitur: vbi bestia de terra consurgens, prioris bestiæ vniuersam faciet visionem. Hæc Ioachim. Quæ autem sit hæc gens incredula, quæ debeat percutere clerum & populum Christianum, respondetur per Spiritum sanctum in libro Cyrilli in capitulo, Grandis aquila, quòd erunt Turci, Græci & Saraceni, qui coniungentur dicto Imperatori Alemanno: vt Ecclesiam & populum Christianum humilient, & destruant. Etiam erunt alij Saraceni & Tartari secundum Sibyllam Hellespontinam: vbi ponitur de sexto millenario. Et Ioachim: his temporibus fortiter debent affligere clerum & populum Christianum: id est, in fine sextæ ætatis, in qua sumus secundum omnes Prophetas.

Viso, per quos affligi debet Ecclesia: restat videre in quibus, respondetur, quòd personaliter & realiter, vt dictum est, affligetur & persequetur. Et etiam in bonis, cùm ea pauperibus, & egenis debeant distribuere: & mouent arma, vbi deberent orationibus insistere. Et primò perdet donationem factam Romanæ Ecclesiæ per Constantinum Imperatorem, quam dotem in cap. 6. Cyrilli vocat primarium virus: quia verè virus Constantinus in Ecclesiam Dei effudit.



Idem. Hic coronatur antipapa Germanus à diabolis: & habet comitiuam maiorem omnibus alijs adulteris, ac etiam vero Papa, cuius titulus est: Propter se & te disperdam satorem magnum de Babylone, tenentem falcem in tempore messis. Hæc Abbas Ioachim.

Nota. Habet autor imaginem præsentem.

Idem. De ista cruenta bestia dicit Sibylla Erythræa, & de Imperatore, cuius fauore dictus Antichristus mixtus assumetur in Ecclesia, & nutrietur, vt tandem creetur in Papam: Post hæc veniet altera aquila: quæ ignem fouebit in gremio sponsæ. Et erunt ei tres adulteri, vnusque legitimus, qui alios deuorabit. Erit vnus, cui erunt tria nomina blasphemiæ. Cantus eius abominatio, ascendens in conspectu altissimi: & finis interitus.

Idem. Per hos enim tres schismaticos exsurget in Ecclesia tam maxima tribulatio, quæ talis non fuit antea, Deo permittente: propter nauclia scelera Christianorum, & præcipuè Clericorum, propter quos orta erit hæc tempestas.

Item Merlinus in reuelatione facta à Deo, de summis Pontificibus, loquens de schismate & ipso pseudopontifice, sic loquitur: Inique, non poteris super terram extendere fimbrias tuas. Iactabis retia & laqueos: & plures apprehendes, velabis oculos, teges corda, confundes scientiam, satiaberis auro. Sed intellectum tuum non implebis, quia XII. idus duplicatos vel triplicatos non transies: eritque finis cruentatus. In cuius aspersione cruoris prædicabitur Euangelium æternum: & vt puto in sui effusione cruoris taurus mugiet: & eius mugitu stellæ resurgent: & claritatem reddent.

Ibidem. Vt igitur finis detur tam horrendo monstro, id est, pseudopontifici cum suis sequacibus: à fidelibus habita de hostibus victoria, Ecclesia reformetur. In potenti conflictu antipapa succumbet cum complicibus suis, in agro Perusino, secundum abbatem Ioachim super Cyrillum cap. 6. vbi sic dicit: Non bene video, nisi per pisum intelligamus Perusium, quod verè frondosum, id est, populosum turritumque existit: sitque Tyberi irrigatum, cùm secus illud existat.

Ibidem. Quid tu monstrum virginem tentabas, cuius piè phylacterijs pascebaris. Tu quidem clamabis: sed surdebis ad clamorem alterius: vt ignores vbi stella roris tepentis, olim tu perfluentissimè irrigaris: Hæc Cyrillus. Vbi reprehenditur de ingratitudine, cùm ab ipsa virgine, id est, Ecclesia sponsa Christi, sine ruga, tot & tanta bona receperit, videlicet diuitias, honores, & dignitates: & postea ingrassatus & impinguatus recalcitrârit, tentans totis suis malignis astutijs, & conatibus eam destruere. Idcircò cùm superuenerit ei repentinus interitus, clamabit postulans auxilium siue diuinum siue humanum, & non inueniet: sed turpissimè interfectus mittetur cum complicibus in lacum ignis ardentis, perpetuò cruciandus, defraudatus omninò à spe vana sua diu viuendi. Quia, vt dicit Merlinus in reuelationibus de summis pontificibus, sic alloquitur istum: Tuum intellectum non implebis: quia duodecim idus duplicatos vel triplicatos non transies, eritque tuus finis tunc. Quæ tamen verba mihi non sunt clara: tamen considerata intentione Spiritus sancti, & Ioachim in 6. & 7. cap. Cyrilli, qui volunt omninò, quòd cognoscatur in hoc schismate, quis erit verus Papa, & quis Pseudopapa.

Ibidem. Nummularij) nummulariorum nomine Cardinales siue Prælatos intellige, Spiritualia temporalibus ambientes, prauitatem Symoniacam committentes.

Ibidem. Ioachim in libro de vltimis tribulationibus, per illud Apoc. Vidi bestiam, & reges terræ, &c. dicit: quòd his temporibus tribulatis, reges & Principes seduci debent à Pseudopontificibus, vt sint contra verum Papam & Ecclesiam. Item secundum multos Theologos asserentes, se Spiritu Dei loqui, dicunt: quòd anno natiuitatis Domini 1515. Alemanni, Franci, Hispani, & Italici, erunt in bellis.

Ibidem. Quies & abundantia diuitiarum Ecclesiam reduxerunt in peccata & diuersa vitia: propter quæ Ecclesia Dei patietur instans schisma, & multa discrimina, & maiora patietur.

Nota. Habet hic autor imaginem adiacentem.

Ibidem. Hic dæmones seducunt reges decem propinquiores Hierusalem, mediantibus etiam prædicatoribus ipsius Antichristi: quorum Regum fauore, & diabolo consiliante ac suggerente, Deo quoq; permittente, exigentibus peccatis hominum malignorum, vt cognoscantur ab electis Dei, accipiet Antichristus monarchiam ferè totius orbis.

Ibidem. Tempore Antichristi, Imperium Romanum in decem regna & reges diuisum erit, qui pro maiori parte seducti, aut propter metum Antichristi, se Antichristo submittent seu subijcient. Quibus mediantibus, vt dictum est, monarchiam totius orbis obtinebit. Item dicitur Dan. 7. Et bestia habebat cornua decem: considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum de medio eorum, id est, Antichristus apparebit, quando Romanum imperium diuisum fuerit in decem regna.

Ibidem. Si quis habet aurem audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hîc est patientia sanctorum. Itaque vt dicit Saluator Matth. 24. Erit tunc tribulatio maxima, qualis non fuit ab initio.

Et de stellis cadent, id est, doctores aliqui & Prælati & religiosi, & de reliquis, qui videbuntur esse stellæ magnæ, vt alijs lumen tribuerent, tunc manifestabuntur esse falsi & maligni Christiani: quia Antichristo adhærebunt propter gloriam & delectationem mundanam: ac etiam aliquos, imò multos metu, & alios sub specie sanctitatis & hypocrisis, & doloa astutia sua & suorum Pseudoprædicatorum tepidos & debiles, & simplices Christianos ad se conuertet. Et si non fuissent abbreuiati dies illius, ferè totus mundus in eum crederet: sed Deus propter electos, ne in errorem inducantur, breuiabit illos, vt ibidem dicitur.

Ibidem. Hic Antichristus, postquàm totum ferè mundum suæ ditioni subiecerit, exceptis paucis, (quia vt Merlinus dicit, Antichristus non poterit subiugare Venetias, nec Parisios, nec ciuitatem regalem Angliæ) eleuabitur cor eius, nec reputabit Deum patrum suorum: scilicet magnificabit seipsum, nominans se verum Mesiam Iudæis promissum in Lege. Et residens in throno imperiali, in tanta gloria, in quanta nullus vnquam fuit, ex quo mundus factus est, Imaginem suam ponet in templo, & in altari, vt ab omnibus adoretur: & qui eum noluerit adorare, & characterem suum super se portare, interficiet. Et sic ferè ab omnibus adorabitur.

Ibidem. Hic notandum, vt communiter dicitur, quòd postquàm Antichristus viderit, se obtinuisse ferè vniuersum orbē, & quòd sine comparatione excesserit in gloria & potestate omnes reges ac Principes mundi, qui ante ipsum fuerunt, & Deus ab omnib. reputabitur: finget se mori, & postea tertia die resurgere: & ministerio dæmonū ascendet in aëra supra montem Oliueti, vt fecit Christus. Quod videns benedictus Dei filius Iesus Christus, & nolens vltrò tantam iniquitatem ac superbiam tolerare, & præcipuè propter electos, qui iugiter ad eum clamabunt: mittet angelum Michaëlem, qui eum statim interficiet, vniuersis videntibus, & præcipuè in ipsum credentibus, ac eum sequentibus, vt Iudæi & falsi Christiani.

Habet autor hic imaginem.

Ibidem. Hic Archangelus Michaël ex Christi præcepto, magno impetu irruit in Antichristum, ipsum interficiendo, & prius opprobriando, ac insultando dicens: Zachariæ 2. O pastor & idolum derelinquens gregem, quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa: posuisti os tuum in cœlum, & dixisti: quis me videbit? Propterea Deus nunc destruet te, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: & radicem tuam de terra viuentium, Ezech. 28. eò quòd eleuatum est cor tuum quasi cor Dei. Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum à te. In sapientia & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem, & acquisisti aurum & argentum in thesauris tuis: & eleuatum est cor tuum quasi cor Dei, ecce ego enudabo gladium meum super te, interficiam te, & detraham te in terram, & morieris in interitu incircumcisorum. Nunquid dicens loqueris: Deus ego sum; coram interficientibus te, cùm sis homo & non Deus? Esa. 14. Infernus subter te conturbatus est in occursum aduentus tui. Detracta est ad inferos superbia tua: concidit cadauer tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq; prospicient & diligent. Nunquid iste est vir qui conturbabat terram? qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit.

Ibidē. Regetur Ecclesia Dei tempore dicti Antichristi, secundū Ioachim, & alios Theologos & Prophetas, vt infrà dicetur. Et primò Sibylla Erythræa sic ait: sponsa silebit: gallus raucescet: fietq; agni contumelia. Sed cœlum, ignis, elementa videbuntur in abominationis testimonium. Sponsa est Ecclesia: gallus est Papa: agnus est Deus. Tunc enim impij testamentum simulabunt fraudulenter: & ipsi contaminabunt Ecclesiam. Deficiet ergò sacrificium & oblatio: destruetur ordo ecclesiasticus, ita vt non sit aliquis in multitudine populi, qui liberè audeat inuocare Deum.

Ibidem. Sed eo tempore quo Carmelus, id est, Romana Ecclesia deleretur à defensoribus suis, dissoluto & destructo populo Christiano, tam in Ecclesijs, quàm in monasterijs & substantijs, quàm personis à voce prædicatorum equitis, id est, Antichristi, & fortium ad discurrendum terram, & mittentium sagittam correctionis ad templum, id est, peccatrices animas sauciandas: fugiet omnis terra. Item subiungit super verbo: Tu autem vastata quid facies? Si certæ vrbes & plebes de tuo circuitu delebuntur, & quid Romana sedes facies? Nunquam effugies: non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

Ibidem. Hic angelus denunciat & hortatur fideles, vt se præparent & vigilent in orationibus & bonis operibus, quia de proximo venturus est Dominus ad iudicium, ne fortè, cùm venerit, inueniat eos dormientes ac negligentes in bonis operibus, & fortè, quod peius est, malè operantes: de quib. ipse dixit Matth. 24. cùm venerit filius hominis, putas, inueniet fidem super terram: quasi dicat, modicam: quia refrigescet charitas multorum, & subdit: sed erit sicut fuit in diebus Noë, edebant, bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem, qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium & perdidit omnes. Ita erit in diebus filij hominis: nam cùm dixerint pax pax, superueniet eis repentina calamitas. Estote ergo parati. Apposuit autor ... imaginem.

Ibidem. Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina illa dies: tanquam laqueus enim superueniet in omnes. Vigilate itaq; omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

Ibidem. Roma valde concutietur: Turci Venetias polluent, & Romanum Imperium atque Ecclesiam Carnalem delebunt.

Item Mauri siue Tartari Aquilonares percutient Vngariam & Alemanniam, & ipsam Romam.



Angelus effundens phialam plenam iræ Dei super sedem bestiæ, id est Antipapæ, & suorum sequacium, qui sunt sedes eius, super quibus sedet: sicut enim anima iusti est sedes Dei, ita impij sedes diaboli. Nota. Habet autor imaginem adiunctam hic.

Hic expressè affirmat, Antichristum fore prælatum de Ecclesiā Dei, atque fore Cardinalem, cùm assumptus fuerit ad Papatum dolo seu fraude & vi. & secum (ait) ducet magnam caudam. Vocabitur autem (inquit) bestia ipse pseudopapa, propter eius bestialem vitam, & totaliter terrenam, quam habet. Dicitur eius Regnum tenebrosum, quia Deo permittente malitia eorū occæcabit eos, ne cognoscant verum Papam, sed adhærebunt schismatico, vt tandem cum illo pereant. Deum blasphemabūt, nec pœnitentiam agent, sed in malum obstinati & desperati peribunt, cum domino suo perpetuò cruciandi.

Ecclesiā vocat Virginem, hanc sponsam sponsus, id est, Prælatus prostituit, id est, venalitati eam exponit.

Mendicantium ordo totus destruetur, plurimorum, non omnis.

Ipse Franciscus vaticinatur ordinis sui destructionem.

Telesphorus 22 schismata & 25 Papas de Roma expulsos, scribit. Notat etiam, Henricum secundum conuocasse & congregāsse concilium generale: non vocato Papa vel Cardinalibus, quia erant discordes. Et addit, quod ibi statuta valuerint, & seruata sint in Ecclesia, non obstante absentia Papæ & Cardinaliū.

Tribus vitijs, (inquit) superbia, auaritia, & luxuria quoq; Salomon Rex corruptus studijs mulierum, typum gerit prælatorum modernorum: ac idcircò præsul effœminatus quisq; prouideat, ne ad diripienda spolia crucifixi, seculares Principes ac si milites, accingantur. Vnde & de Aquila legitur: Manus ad monilia eius, scilicet Ecclesiæ, cultumque eius depauperabit.

Nota. Habet autor adiacentē figuram.



Hîc Antipapa Germanus coronat Imperatorem suum Allemannum: cuius fauore & ipse assumtus est ad Papatum.

Verba Antipapæ.

ACcipe coronā Romani Imperij. (Et præpara, & instrue te, & omnem multitudinē tuam, quæ coaceruata est ad te: & esto eis in Imperatorem & in præceptum. Et ascendens quasi tempestas venies, & quasi nubes, vt operias terram, tu & omnia agmina tua, & populi multi tecum: equi & equites vestiti loricis vniuersi, hastā & clypeum arripientes & gladium: vt diripias spolia, & inuadas prædam, & inferas manum tuam super eos & interficias. Venies autem de loco à lateribus Aquilonis tu & populi multi tecum, ascensores equorum vniuersi: cœtus magnus & exercitus vehemens. Hæc dicit Dominus: tu ergo es ille, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu seruorum meorum Prophetarum, vt adducerem te super populum meum, Ezech. 38.) In coronatione prædictorum Antipaparum, & Imperatoris semper adsunt diaboli, à quibus coronantur, tanquam sui ministri & membrà.

Idem hic inter alias in epistolà ad Anthonium Ducem Genuensem reuelatioues ponit, de mutatione Ecclesiæ Latinæ, fineque seculorum, & Antichristo. Is cùm multa de Cleri corruptione fuisset vera, vt apparet, vaticinatus, subijcit: Exsurgent ab illo tempore multi Antichristi, præcipuè sub Friderico Rege, sub quo multi Papæ vniuersum orbem turbabunt, & Germaniæ terram in errores collocabunt. Et tunc incipiet cantare optimus Gallus, hoc est, Angelicus Papa, qui legitimè ad cathedram S. Petri vocabitur ab omnipotente Deo, sicut Aaron ex tribu Iudæorum. Is Christianam fidem postliminiò referet in eum statum, vt eam Christus plantauit, hoc est, quòd omnes hæreses, Symonias, & malitias remouebit. Et postea: & extollet se contra Prælatos Ecclesiæ, quòd à luxu diloemonias, & malitias remouebit. Et postea: & extollet se contra Prælatos Ecclesiæ, quòd à luxu dilectant. Hi contrà fabulas excogitabunt, & noua opera, ac præcepta, quæ ipsi ferre non poterunt, alijs imponent, & in populorum dorsa, quibus ipsi nō confident, & nec minimo attingent digito, solummodò pauperes aggrauando.

Idem meminit cuiusdam sancti Eremitæ, qui, formidandum nimirùm fore, censet, propter malitiam præsentis temporis, quòd irata diuina maiestas nequeat vltrà nostras tolerare iniquitates: sed mittat super nos iram indignationis suæ, quoniam dies mali sunt, & mundus totus immundus est, & in maligno positus, terraq; repleta iniquitate, & non est, qui faciat bonum, non est vsq: ad vnū, sed omnes declinauerunt, & elongauerunt se à semitâ mandatorum Dei, atque inutiles facti sunt.

Idem alibi inquit, certum esse, ex aliquâ Aquilonis regione futuram tyrannidē, quâ templa, & monasteria diripientur: & clerus ad pristinam nascentis Ecclesiæ paupertatem redigetur.



Idē Theolesphorus, Rabanus, & Abbas Ioachimus.

ANgelus Domini de cœlo manu ostendit legatis, seu ambasiatorib. religiosum nigra cucullâ indutum, vt sunt Eremitani S. Augustini, totum mœstum, & cogitantē super his malis, quæ videbat in Ecclesia Dei, quem legati salutant, rogantes, vt veniat, quia ab Angelo missi sint. vt sit pastor in Ecclesiâ Dei.

Legati autem isti missi fuerant ad prædictum religiosum, qui erat reclusus in arctissimo carcere, instinctu diaboli, ab ipso pseudopontifice: vnde ad denunciationem istorum legatorum educitur de carcere, vt assumatur in sanctum pastorem Ecclesiæ. Et hic erit ille quem Ioachim Abbas vocat pastorem Angelicum. Ad quem Angelus Domini: Superinduere, inquit, nouis vestimentis, ne pigriteris, pensa de fine, & ad bonum dirige sceptrigeram: alia quidem non metues. Tempus etenim desuper istud redemisti: solùm tribus autoris circundati anni, vndenario stellæ completo, bono fine sacratus. Quid admiraris? annunciationem sanctam recipis: reliquisti placidè vanitatem, planta nunc habitationem. Benè finisti diem in principijs, bono fine comple vniuersam culturam, & habitationes ambula cœlestes: etenim in te principium bonorum & finis.

Quidam arcanorum periti viri, hoc de Luthero intelligendum esse, putant. Qui S. Augustini Eremita damnatus & proscriptus, cùm anno 1521. VVormatiâ iterum domum à caduceatore Cæsaris esset reducendus, in via ab equitibus quibusdam prope Isenacum abreptus, clàm in arcē VVartburg, locum solitarium deductus, & ibi per aliquot menses, tanquam in carcere inclusus fuit, donec vniuersitatis VVittembergensis legati ad eum missi iterum ad Ecclesiam suam reuocârunt eum.

Chronicon Fratrum Minorum Ordinis Prædicatorum. 1370.

ACcidit Neapoli in Conuentu sancti Dominici, vt post completorium refectionis ingrederetur, cui erat cura illius commissa, qui mox in ingressu vidit, illum fratribus circumquaque refertum, & illi cappas habebant indutas, & illic sedebant. Accurrit ille sine morâ ad Priorem, & istud illi aperit: Prior fratrem delirum putat, attamen dum vrgetur, vadit, videt, & credit. Et mox cum monasterij patribus illos accedit, in nomine Domini adiurat, & quærit ad quid venerint, & quid velint? Qui videbatur præcipuus inter illos, dixit, quòd ipsi omnes fuerint eius ordinis religiosi, & quòd omnes damnationis sententiam ob ambitionem, superbiam, inuidiam, & alia huius generis plurima vitia acceperint. Et quòd diuinâ permittente clementiâ iussi fuerint illuc venire, vt eos & vniuersos ordinis cultores commonerfacerent, vt suæ vocationi satisfacerent, nam se, quia minimè id præstiterint, omnes damnatos esse. Istius rei adhuc perseuerat memoria in illo conuentu nostro, quasi per traditionem recepta ab antiquis. Nec talis visio arbitranda est propter conuentum illum tantummodò ibi accidisse, sed propter vniuersi ordinis alumnos. Mirum autem videtur, hos fraterculos non priùs purgatorio, sed statim inferno fuisse destinatos: de quo cogitabit Lector. Imp. Carolo 4. Papa Vrb. 5. vt sup.

Fœdus appellatum der Pfaffenbrieff. 1370.

FOedus peculiare fecerunt inter se hoc tempore sex pagi Heluetici, Tigurini, Lucernates, Tugienses, Vrij, Suitij, & Vndervvaldij, contra iniquas Sacerdotum excommunicationes, propter debitas scilicet pecunias, & res seculares. Imp. Carolo 4. Papa Vrbano 5.

Ioan. Taulerus Coloniensis, Ecclesiastes Argentinensis. 1370.

DOcuit hic, Ecclesiam egere graui quadam reformatione: & de gratuitâ iustificatione satis rectè. Nam quòd tantoperè inculcat, hominem debere ledig vnd loß sein aller Creaturen / vnd seiner selbst: haud dubiè, vt ex multis eius concionum locis apparet, eam vim habet, vt doceat, pios debere penitus de se, omnibusq; humanis auxilijs desperantes, in solum Deum conijcere suam fiduciam, atque ita ex solo Deo pendere, omniaque ab eo solâ fide impetrare. Humanorum operum merita, & traditiones vehementer extenuauit: ac omninò omnium superstitionum hostis fuit acerrimus, solam Dei misericordiam diligenter commendans. In concione Epiphaniæ dicit, nostros Prælatos esse cæcos & cæcorum duces: verendumque esse, ne & duces & ducti simul in exitium æternum ruant. In concione primæ Dominicæ Quadragesimæ dicit, vehementer obesse pijs cordibus spirituales illos, qui externa sanctitate & disciplina præfulgent, atque ita homines tantùm ad externa opera trahunt. Concione supra Euangelium illud, Simile est regnum cœlorum patrifamiliâs, clarè improbat Sanctorum inuocationem: Verba eius hæc sunt: Ja es seind etliche geistliche Menschen die ohne trost nicht wöllen sein. Deñ ehe sie lauterlich vnd warlich ohne trost wöllen sein/vnd ledig vnd loß funden werden/ so nemmen sie ehe für sich Himlische Creaturen/ als die Heyligen/vnd die Engel/ vnd besitzen die in ihnen selber mit einer geistlichen lust/ vnd setzen die für sich zu einem trost. Als/ dieser Heilige ist mir lieb vor andern Heiligen/oder der Engel vor andern Engeln/vnd wer jnen dañ diesen Angelaß vmbstoßt/daß es nit soll sein/so haben sie darinnen wenig friedens/sie haben wol darinnen vnfriede. Vnd das ist dann zumal vnrecht/vnd ist dir gegen Gott ein groß hindernuß. Du soltest ledig stehn aller Creaturen im Himelreich vñ auff Erdtreich/vnd auff niemand ruhen noch bleiben/dañ bloß

lauter auff Gott allein. Wenn du das thätest warlich vnd lauterlich / so weren alle Heilligen warlich vnd vollkommentlich von dir geehret vnnd gewirdiget. Denn die liebe Heilligen allezeit gesenckt werden einmütiglich in den Göttlichen Vätterlichen abgrund der heiligen Dreyfaltigkeit.

Supra sepulcrum eius Argentinæ, in monasterio Dominicanorum, dicitur esse ipsius imago, digito Dei agnum ostendens: quâ ipsâ picturâ vel ipsemet, vel aliquis alius indicare voluit, eum Christum (vnicum agnum peccata tollentem) prædicasse, neglectis omnibus humanis meritis, iusticijs ac sanctitatibus. Illud sanè memorabile est, & multi diuinitus factum putant, vt cùm illud monasterium in scholæ formam redigeretur, casu, certè sine vllo humano consilio, eius sepulcrum illa præclara imagine insignitum ante lectorium remanserit: veluti si Deus ipse eo Mercurio ianitore, tanquam epigrammate quodam, intrantes monere voluerit, qualisnam ibi doctrina doceatur: aut certè id iam mortuo tribuere, vt etiam in sepulchro iacens vocem Christi puriorem auscultaret, quam cum multis pijs & sanctis, & audire & videre illam felicem diem viuens frustra exoptauit. Sæpe enim repetit, Ecclesiam indigere graui reformatione. Celebratur inprimis hoc eius dictum, quòd nunquam homo sit tam auidus accipiendi beneficij, quin DEVS id secundum sua promissa dare magis cupiat. Velle enim eum esse veracem. Concionibus eius Basileæ 22. anno impressis additæ sunt & aliorum quorundam: vt cuiusdam M. Eckhardi, qui circa eadem tempora fuisse dicitur, consimilis notæ orationes. Vnde apparet, omnibus temporibus aliquos pios doctores fuisse. Mirabilis etiam illius historia est, qui eum ex Pharisaismo eduxit. Illyricus. Imperat. & Papa vt sup.

1370.

S. Brigita.

S. Brigida, siue Brigita, siue Pyrgita, virgo Scotica, S. Patritij familiaris, fuit alia à Brigitta vidua, cuius extant vaticinia & precationes, ducissa Neritiæ in regno Suecorum, quæ & erexit in patria Monasterium Vuasteem, cuius prima abbatissa fuit D. Catharina, ipsius filia. D. Catharina, ipsius filia. Floruit enim in Sueciâ & Romæ, temporibus magni Sineech Sueciæ regis, obijtque circa an. 1363. Vtraque à Platina & Volat. vitiosè confunditur.

Prolixum autem post se librum, titulo, Reuelationum Cœlestium, mundo reliquit, qui sæpè est impressus. Papistæ eam pro Prophetissa habent, & Papa in sanctorum numerum retulit. Multùm autem reprehendit Papæ eiusque spiritualium turpitudines. Papam vocat animarum interfectorem, ouium Christi dispersorem & laceratorem. Dicit, eum esse abominabiliorem Iudæis, immitiorem Iuda, iniustiorem Pilato, peiorem & deteriorem ipso Lucifero. Sedem Papæ dicit, demergendam in profundum, sicut lapidem ponderosum. Assessores eius dicit, arsuros in igne sulphureo & inextinguibili. Episcopos, Prælatos, aliosque sacerdotes nihilo mitiùs alloquitur. Clericos, dicit conuertisse diuinam sapientiam in aliam prauam & vanam. Simplices præcipitare euntes per viam Domini, odisse eos esse leprosos & mutos: & denique decem Dei præcepta in vnicum verbum commutasse, in hoc nempe, Da pecuniam, id est, eos totam veram pietatem lucri causa subuertisse. Illud quoque breuiter adijcio, Brigittam affirmasse, vidisse se diuam virginē dicentem ad filium: Romam esse feracem agrum, respondisse verò Christum: Est, sed zizaniæ.

Ampliùs verò inquit: Clerus deberet esse pastor, & scrutator ouium: qui iam earum dispersor, & lacerator est, imò occisor per mala exempla. Vendit sacramenta pro turpi lucro, sicut Iudas Christum. Cleri malitia & transgressio omni gladio est amarior.

Et infrà: Maledicti sacerdotes dicunt Deo: discede à nobis, quia verba tua sunt amara, & opera tua grauia, & scandalum nobis faciunt. Et Christus ait: Ego sto ante eos, quasi ouis mitissima: de quâ sumunt lanam ad vestiendum, & lac ad reficiendum, & adhuc pro tantâ dilectione abominantur me.

Et infrà: Clericus, qui ore, & opere debet clamare voluntatem Dei, factus est leprosus, & mutus: quia omnis, qui quærit, in clerico videre pulchritudinem morum, & virtutum, recurrit retrò, turbatur visu, & abhorret accedere ad eum, propter lepram superbiæ, & cupiditatis suæ. Si verò quærit eum audire, mutus factus est clericus à laude Dei, & garrulus ad laudem propriam.

Rursus beata Maria in pluribus locis conqueritur de sacerdotibus, qui superbiunt de bonis, & possesionibus temporalibus animarum: templa eorum depicta sunt vanitate, & curiositate mundi. Quàm pernitiosa sit clericis superbia, habetur in dialogo Cath: Senen.

Simonia prætereà regnat in capite: arca Testamenti sublata, id est, capta est: lucernæ virtutum exstinctæ: mensa deuotionis desolata.

Et postea, 4. Bri. 33. Pro sacramento confessionis confessor recipit munus. Interdum in casibus, cum pœnitentiario de summâ pecuniæ pro modo culpæ fit pactio: quare timendum est, fidem perituram.

Et infrà, 4. Bri. 59. In clero superbia diligitur pro humilitate: impuritas exercetur pro munditiâ: Dei lectio non attenditur, sed liber mundi: negligentia apparet in altaribus: sapientia Dei reputatur fatuitas: salus animarum non curatur: vestes Dei proijciunt, & arma Dei contemnunt.

Anno

Et infra: Clerici à viâ suâ recesserunt: non diligunt continentiam, paupertatem, nec deuotionem. Quid autem sunt clerici? nisi pauperes & eleemosynarij Dei, vt viuentes de oblatione Dei sint humiles? Nam Ecclesia primùm surrexit a tribulatione, & paupertate: vt sicut clerus hæreditas omnipotentis Dei dicitur: ita Deus esset hæreditas clericorum, qui non in mundo, nec in carne, sed in Deo gloriarentur. Post Syluestrum ecclesiæ sunt bona temporalia data, non ad voluptatem, sed ad necessitatem clericorum, & ad pauperum sustentationem: quò clerici ad prædicandum essent expeditiores.

Iterum ad Brigittam Christus ait cap. 132. Sacerdotes non loquuntur mirabilia mea, nec docent doctrinam meam: sed mundi amorem & voluptatem suam prædicant: perdiderunt clauem, quâ miseris deberent aperire cœlum: illam autem, quâ aperitur infernus, diligunt & reconditam habent. Qui cum quatuor vulneribus eos accedit, ab eis cum quinque recedit. Quandoquidem viso prauo sacerdotum exemplo, peccator fiduciam peccandi sumit, & incipit de peccato, quod prius putabat erubescibile, gloriari: ideo ipsis erit præ alijs amplior maledictio: quia se vitâ suâ perdunt, & alios exemplo suo lædunt. Deteriores sunt Iudâ, qui pro solis denarijs me vendidit, illi autem omni mercimonio: qui me sanctificare deberent, ad me non accedunt, nisi sperent sibi fructum. In prælo me premunt, quia inter suam luxuriam, & cupiditatem me ponunt: poscunt nempe mulieres maledictas, vt voluptatem suam perficiant, & me repellant: ipsi quasi fures & proditores produnt me, & quasi meretrices me contingunt.

Rursus Brigitta: Sacerdotes me negligunt, & diligunt alium Deum, sc. vitulum aureum per affectum mundi, qui est dulcis per voluptatem, & ardet in eis per affectionem mundi: sunt feri quasi lupi rapaces: sunt instabiles quasi lapis in muro infirmo: sunt in tenebris quasi fures: sunt timidi milites ad pugnandum pro honore Dei: stant quasi asinus, qui inclinat caput ad terram: sunt impudici quasi meretrices: sunt pice maculati, quia ad se accedentes commaculant: & adeò abominabiles sunt, vt omnis exercitus cœli eos abominetur. Sunt enim turpes in conspectu Dei. Isti maledicti sacerdotes ad me simulatoriè accedunt quasi proditores, quia aliud faciunt, aliud ostendunt: claudunt cœlum, & aperiunt infernum: corpus meum amariùs crucifigunt, quàm Iudæi: ideo sicut proditores, non sicut sacerdotes, iudicabuntur.

Et infrà, 4. Bri. 134. Sacerdotes præ omnibus angelis, & hominibus elegi: ipsi autem præ omnibus Iudæis, & gentilibus, ac præ omnibus dæmonibus me magis prouocant.

Et infra, 4. Bri. 135. Maledicti sacerdotes deberent esse membrum meum, & ita excellentes præ alijs, sicut digitus in manu: sed ipsi deteriores sunt diabolo: ideò præ omnibus diabolis profundiùs submergentur in infernum. Tres amicos magis, quàm me diligunt, scil. mundum, corpus, & diabolum: ideò væ eis, quòd vnquam sacerdotes & membra mea facti sunt. Væ talibus, quòd vnquam nati fuerunt. Ipsi enim profundiùs cadent in infernum, quàm aliquis alius.

Et alibi iterum Christus: toti clero sum onerosus quasi lapis: sapio eis quasi venenum: ingluuiei eorum sum quasi mica. Ecce quid mihi pro meâ charitate, & passione rependitur? Ideò clerus à Christo grauiter maledicitur, vt inferiùs habetur.

Veniam eis ribaldis statim, non sicut amicus, sed sicut, qui vltionem capiam ex eis. Væ eis, qui tempore pacis suæ noluerunt quærere æternum bonum: ideo nunc consurget eis paupertas, & captiuitas, pudor, humiliatio & dolor.

Et infrà: Principes terræ, & Prælati Ecclesiarum, ac omnes status mundi libentiùs aspiciunt delectamenta terrena, quàm passionem meam: & nisi mutauerint corda sua, & conuerterint se ad me, condemnabuntur cum illis, qui partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Iterum 7. Bri. 30. Audite omnes inimici mei in mundo viuentes, scilicet omnes clerici, archiepiscopi, episcopi, cæteriq; inferioris gradus, seu religionis, cuiuscunq; ordinis estis: audite reges & principes, & iudices terræ, omnesq; seruientes: audite mulieres, reginæ ac omnes dominæ & ancillæ, aliæque cuiuscunque conditionis & gradus estis: magni & parui, qui habitatis orbem. Vos recessistis à me, & dedistis fidem diabolo: vos reliquistis mandata mea, & sequimini diaboli voluntatem, & obedistis suggestionibus eius: non attenditis, quòd decepti estis, ideò portatis iugum & onus diaboli cum suauitate fallaci, & nescitis, nec ista sentitis, antequàm dolor super onus interminabile appropinquet. Magna est enim voluptas carnis, & insatiabilis cupiditas, quasi saccus perforatus: quia nihil est, quod satiare potest cupiditatem vestram: qui merces vestras mittitis in sacculum pertusum. Videor vobis quasi vermis mortuus in hyeme: ideo facitis quæcunque vultis, & prosperamini. Ego autem consurgam in æstate: & tunc vos silebitis, & non effugietis manum meam. Redite igitur ad me, & excutite graue iugum diaboli à vobis, & recordamini charitatis meæ.

Similiter Apostolus inquit: Resipiscant à diaboli laqueis, &c.

Complebuntur omnia verba, quæ dicta sunt tibi. Brigitta. Iudicium meum adimplebitur super omnes gentes, quæ ad me cum humilitate non reuertuntur. Ego visitabo multos, & in pluribus terrarum partibus ostendi quibusdam, quomodo peccatum emendari debuit, & misericordia consequenda sit, priusquàm in eisdem partibus feci iudicium & iustitiam, sed homines non curant.

Et postea. 6. Brigit. 54. Via, quam ego ipse ostendi, & per quam amici mei longo tempore incedebant, nunc dissipata est. Dormitant enim pastores, & custodes Ecclesiæ: transeuntes delectantur vanis & nouis. Ideò exurgam & non tacebo: auferam vocem gaudij, & locabo vineam meam alijs, qui facient fructum tempore suo.

Et infrà: Ecclesiarum Prælati pleni sunt superbiâ, cupiditate, & putredine corporalis delectationis contra mandata Dei, & statuta Ecclesiæ, præbentes subditis mala exempla. Ideò oportet me ab eis exigere iusticiam, in inferno perpetuò cruciandis.

Et infrà: Supra colla Prælatorum, qui pro vanâ gloriâ magnos equos ascendunt, sedent diaboli, & suis calcibus pectora eorum impellunt.

Christus insuper apud Brigittam inquit: Tria facinora exercent Ecclesiæ prouisores: in carne vitam meretricalem habent: secundò sunt insatiabiles, similes voragini maris ad cupiditatem pecuniæ: tertiò bona irrationabiliter, & prodigaliter, sicut torrens in impetu suo aquam fundens, pro superbiâ largiuntur. Quorum horribilia peccata in cœlum ascendunt ante conspectum Dei, contra orationem meam, sicut tetræ nubes contra claritatem aëris.

Et infrà: Redditus ecclesiæ non dignis Dei seruitoribus dantur: sed diaboli satellitibus, lenonibus, fornicarijs, lusoribus, venatoribus, parasitis, & similibus. Et ita domus Dei facta est diabolo tributaria, & homagiata.

Et infrà: Abbas extra monasterium morari no deberet, vt esset caput & speculum religiosorum: sed est caput meretricum, habens spurios. Deberet esse exemplum pauperum, & distributor indigentium: sed de eleemosynâ ostendit, se esse magnum dominum: quia potiùs inhabitat castrum, quàm claustrum. Deberet esse doctor, & pater fratrum: sed est eis seductor, & vitricus. Nam ipse in delitijs, ac pompâ ludit, dum illi afflicti murmurant totâ die.

Ille qui Onus Ecclesiæ conscripsit, dicit cap. 23. Vendunt luxuriosi clerici, & adulterant verbum veritatis amore pecuniæ; & desiderio temporalium: qui se carnis concupiscentijs mancipârunt. Ideò sunt ob lasciuiæ immunditiam aliquando celeriter ruituri. Subtrahunt sacerdotes aurum & argentum Ecclesiæ: & erogant illud in semetipsis: dant ex ipso prostitutis, & meretrices ornant.

De illis in Brigittâ reuelatur istud præconium: Sacerdotes, qui non viuunt in castitate & continentiâ carnis, sunt maledicti, & excommunicati apud Deum, & digni carere sacerdotali officio: concubinarij quoque celebrantes æquiparantur Sodomitis. Et licet eorum missa est efficax: (quia presbyter, quantumuis pollutus, diuina officia polluere nequit) tamen osculum pacis, quod presbyter fornicarius præbet, est sicut osculum Iudæ, Christum tradentis. Atque manus pollutæ immeritò Dei sacra tangunt: neque filius Veneris dignè tractat filium Virginis.

Et postea: Petrus Apostolus ad Brigittam: Roma erat ciuitas pugilum, cuius plateæ stratæ auro & argento: nunc autem lapides eius sapphyri versi sunt in lutum. Habitatores eius paucis mi: quorum oculus dexter erutus est, dextra manus abscissa: bufones & viperæ habitant cum eis: pro quorum veneno animalia mitia non audent apparere, nec pisces mei eleuare caput.

Iterum Christus ad Brigittam: O Roma, tu mihi pro multis beneficijs malam retributionem rependis: verba & opera mea pro nihilo reputando: mihique ⁊ matri meæ, ac sanctis meis in ioco & serio, in lætitiâ & irâ maledicendo, & contumelias pro gratiarum actione offerendo.

Et infrà: Iam igitur per vnam viam eis incognitam veniam cum potentiâ Deitatis meæ, vindictam meæ humanitatis contemtoribus inferendo. Hæc reuelatio videtur minari Romanæ vrbis exitum.

Item apud eandem Bri. text. 51. Qualis est dispositio Romanæ curiæ, quæ sedes mea deberet esse? sed peruersa est in eâ superbia pro humilitate, propria voluntas pro obedientiâ, auaritia pro iustitiâ, ira & inuidia pro charitate & misericordiâ, vocari Rabbi & doctus pro diuinâ sapientiâ. Ideò meritò corruet.

Audi quid vlteriùs apud Brigittam de Romanâ Ecclesiâ, 3. Bri. 10. dicitur: In dexterâ parte sanctæ ecclesiæ fundamentum tam vehementer dilapsum est, quòd summa testudo plures in se rupturas habet, dans ex se casus periculosos, ita, quòd multi de subeuntibus perdunt vitam: pleræque columnæ eius, id est, Cardinales, quæ in altum tendere deberent, vsque ad terram se inclinant.

Item Christus de Rom. Pontifice loquitur dicens: In Papâ insignia humilitatis ita sunt repleta superfluitatibus, diuitijs & facultatibus, vt ad nihil aliud custodiantur, quàm ad superbiam: quia nihil apparet humile, sed tota Christi humilitas in eius vicario conuersa est ad pompam, ac inclinatur ad mundialia.

Rursus ad Papam Christus ait: Cur tantum odis me? quare tanta est audacia & præsumtio tua contra me? Nam curia tua mundana deprædatur cœlestem meam curiam: tu verò superbè spolias me ouibus meis: bonaque Ecclesiastica, quæ propriè mea sunt, & bona subditorum ecclesiæ meæ indebitè extorques, & surripis, & das illa amicis tuis temporalibus. Tu autem bona rapis, & recipis iniustè à pauperibus meis: & illa das, & distribuis indecenter diuitibus tuis. Propter quod nimia est audacia & præsumtio tua, eò, quòd tu tam temerè intras curiam meam: & non parcis eis, quæ mea propria bona sunt.

Et cur facis, quòd in curiâ tuâ residet superbia maxima, cupiditas insatiabilis, & luxuria mihi exsecrabilis, ac etiam vorago pessima horribilis Simoniæ? Insuper etiam rapis, & deprædaris à me

innu-

innumerabiles animas. Nam quasi omnes, qui veniunt ad curiam tuam, mittis in gehennam ignis, ex eo, quòd non diligenter attendis ea, quæ pertinent ad curiam meam. Quia tu es prælatus, & pastor ouium mearum: ideò culpa tua est, quòd non discretè consideras ea, quæ ad spiritualem salutem earum sunt facienda, & corrigenda.

Veni ergò tu non cum superbiâ solita, & mundanâ pompâ, sed cum humilitate, & ardenti charitate. Et postquàm sic veneris, extirpa, euelle, & dissipa omnia vitia de curiâ tuâ: remoue etiam à te consilia carnalium, & mundanorum amicorum tuorum: & sequere humiliter consilia amicorum meorum: incipe renouare Ecclesiam meam, quam ego acquisiui sanguine proprio: & renouetur, ac spiritualiter reducatur ad pristinum statum suum sanctum. Ecce, veluti Deus olim per Hieremiam, ita hîc Christus per modernam prophetissam Brigittam præcepit summo pontifici reformationem Ecclesiæ. Quæ quidem necessaria reformatio minimè attenditur, quia iam nunc magis veneratur lupanar, quàm sancta Dei Ecclesia. Vnde illud proh dolor diuinum responsum timetur impletum iri, vbi ad principem domus Israël, in typo summi pontificis, Dominus Deus dicit: Super faciem terræ cades, quasi dicat, terrenis rebus incumbis, ideò bestijs terræ, & volatilibus cœli dedi te ad deuorandum: & scient omnes habitatores Ægypti, quia ego Dominus, pro eo, quòd fuisti baculus arundineus domui Israël, quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum: & innitentibus eis super te, comminutus es, & dissoluisti omnes renes eorum.

Sequitur ex Brigittâ: Papa qui clamare deberet: venite, & inuenietis requiem animarum vestrarum: clamat: venite, & videte me in pompâ & ambitione plùs quàm Salomonem: venite ad curiam meam, & exhaurite bursas vestras: & inuenietis perditionem animarum vestrarum. Sic enim clamat exemplo, & facto.

Ecce, Roma nunc est vorago & mammon inferni: vbi diabolus totius auaritiæ capitaneus residet, vendens patrimonium Christi, quod sua passione promeruit, qui nobis præcipit, vt gratis demus, quod gratis accepimus. Id modò versum est in prouerbium:

Curia Romana non petit ouem sine lanâ.
Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit.

Quamobrem vehementer præsumendum est, ac prouidè est timendum, propinquam nunc esse ruinam Ecclesiæ Latinæ circa dignitatem Ecclesiasticam: quoniam debile fundamentum ruinam causat. Vnde columna Dei viuentis iam penè videtur nutare, & sagena summi piscatoris, scilicet Petri, procellis intumescentibus, cogitur in naufragij profunda submergi. Quod nemo percipit corde, neque ad prædictas reuelationes & auisationes fit cuiusquam emendatio: sed singuli pontifices tam summi, quàm inferiores carnalia sequentes, exhibent se magis mixti antichristi præcursores, quàm veri Christi fideles seruitores.

Ex præmissis igitur ingens apparet Ecclesiæ ærumna, à quâ absque ope diuinâ erui nequit. Tota certè corrueret, vbi Dei adminiculo nō iuuaretur. Quapropter maximè indiget reformatione.

4. Bri. 49. Ad reformandam autem Ecclesiam, & ad reducendum statum pristinum bonum & sanctum, necesse est, vt papa primus seipsum, deinde Cardinales & Episcopos, cæterumque clerum emendet. Alioquin veniet ira Dei super ipsum Papam, omnesque clericos, tam maiores quàm minores, qui exuentur præbendis ac dignitatibus suis cum confusione maxima. Reformatio autem non erit vnius hominis, vtpotè Papæ, nec multorum Cardinalium officium, sed totius Christianitatis, imò cunctipotentis Dei, qui solus sapit, ac valet suam reformare Ecclesiam: quem in spiritu aduenturum expectamus, vt reformet corpus humilitatis nostræ. Nempe huiusmodi reformatio soli reseruatur Christo, qui Ecclesiam iam propè dilaceratam resarciet, atque docebit in secundo suo aduentu, quâ die filius hominis reuelabitur, hoc est, in sexto præsenti Ecclesiæ statu, quem Apostolus significauit, per opitulationes & gubernationes, quibus ad Ecclesiæ reformationem deuenitur. Siquidem Ecclesia renouabitur in agnitione Dei.

Hinc nos obsecrat Apostolus, vt diuinæ voluntati nos conformemus, dicens: Reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei: vt sicut portauimus imaginem terreni per labem peccati, ita portemus imaginem cælestis per reformationem nostri.

Porrò deuiatio nostra vnà cum cæteris erroribus transibit, donec Christus proximè venturus visitauerit Ecclesiam. Cuius reformationem ad fidelium preces nobis Deus & apud Catharinā promittit, & pariter apud Tobiā: Hierusalem ciuitas Dei, confitere Domino, & benedic Deum seculorum, vt reædificet in te tabernaculum suum. Beati igitur, qui ad huiuscemodi reformationis cœnā vocati peruenerint.

Reformatio autem non fiet, nisi in aliquo generali, & libero, candidoq; concilio, vbi Spiritui sancto, non maligno, locus ad spirandum detur.

Heu cum formidine conijcio, nostrum seculum non esse dignum congregatione legitimi concilij, in quo, vitijs reprehensis, & virtutibus promotis, Ecclesia reformetur: adeò errorum illudimur operationibus. Concilia profectò debita rarò, & segniter celebrantur, vel Romæ aut alibi coram potentibus tractantur, vbi humilibus & fidelibus non libera est expresio, vt in eis lentè corrigantur ea, quæ diuinum cultum & Christianam religionem, reformationemq; concernunt. Vnde crimina iam diu incorrecta, vsq; adeò increuerunt, vt multa modò flagitia reputentur esse licita sub fictione scilicet longæ, & inolitæ consuetudinis.

De Cardinalibus Brigitta inquit, 4. Bri. 49. Cardinales extenti, & effusi sunt ad omnē super-

biam, cupiditatem, & delectamentum carnis, vt formidandum sit, iam finem adesse, de quo Deus per prophetam ait: Venit finis super populum meum Israël: non adiiciam vltrà, vt pertranseam eum. Et stridebunt cardines templi in die illâ. Q. d. quia cardines Ecclesiæ Romanæ sunt rubiginosi, ideò subdit: Vidi Dominum stantem super altare, & dixit: percute cardinem, & commoueantur superliminaria. Auaritia enim in capite omnium, & nouissimum eorum in gladio interficiam.

Quidnam expedit, tantam tempore nuper elapso esse electam multitudinem Cardinalium? qui omnem substantiam, quâ reliquus clerus sustentari deberet, deuorant: & ita census ecclesiasticus ad cardines cæli dissipatur. Modò verificatur Hieronymi sententia, quòd singuli superiores per potentiam sibi vendicant totum, quod inferiorum clericorum est, ac in suos vsus redigunt. Mendicat infelix clericus, seruili operi mancipatus: qui dum stipendia perdit, clamat ad Dominum, & exauditur à Christo. Nec differetur diuinæ vltionis sententia, si cardinales bona pauperis cleri defraudantes, non reddant vniuersa.

Venite igitur, & ædificemus muros Hierusalem: id est, clerum & populum Ecclesiæ reformemus, atque cum Catharinâ Senensi Deum altissimum oremus, dicentes: O Domine, respice ad necessitatem Ecclesiæ sponsæ tuæ: aperi oculum spiritualium, &c.

Item Brigitta, 1. Bri. 14. de Papâ præsagit: Hæc est vera iustitia, vt Papa, qui sedet in sede Petri, & opera habet Luciferi, amittat cum contemtu sedem, in quâ præsumit sedere, & particeps sit pœnæ Luciferi.

Et iterum: Sedes tua, Papa, demergetur quasi lapis ponderosus, qui non subsistit antequàm venerit in nouissimum profundi. Digiti, id est, assessores ardebunt igne sulphureo & inextinguibili. Brachia tua, id est, vicarii, qui ad animarum profectum extendi deberent, sed extenduntur ad vtilitatem propriam, & mundi honorem, iudicabuntur pœnâ, quam exprimit Dauid: Fiant filii eius orphani, & vxor eius vidua. Vxor anima est, quæ relinquetur à gloriâ cœlesti, & erit vidua à Deo. Filii eius sunt simplices mei, qui sub ipsis erant, at separabuntur ab eis, & dignitas eorum ac bona ad alios deuoluentur, & ipsi pro dignitate confusionem æternam habebunt. Deinde ornatus capitis eorum demergetur in lutum inferni, à quo nunquam consurgent: vt, sicut hic per honorem & superbiam super alios ascenderunt: sic in inferno præ aliis demergantur, adeò profundè, vt eis impossibile sit resurgere.

Et infrà, 4. Bri. 143. Nam si etiam Papa expulsus esset à papatu suo, melius esset, quòd humiliaret se, faciendo concordiam, quàm liti inhærendo, antequàm propter eum tot animæ perirent in æternam damnationem: quæ animarum damnatio sic aperta est, vt ad illam plerique quasi laborent.

Brigitta forsitan in Spiritu præuidit horrendas in Christianum sanguinem cædes, quibus tempore nuper transacto crudelis (Onus Ecclesiæ hæc dicit) pastor Iulius secundus occasionem præstitit, & suam curam pastoralem in factiones fixit. At quis satis dimetiri potest, quanta sanguinis innocentis effusio, & perditionis labes processerit ex eiusdem Iulii, plurimorumq; aliorũ pontificum factionibus? Sed qui scandalizat vnum duntaxat de pusillis istis, qui in Christum credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria è collo eius, & demergatur in profundum maris.

Ibidem 4. 134. In mille annis, vt pote in prioribus statibus, non fuit tanta ira Dei super mundum, vti nunc, scilicet in præsentibus quinto, & sexto statibus. Misericors denique Dominus nos hactenus plerisque admonitionibus pulsauit, quibus tamen spretis, in consuetis peccatis obduramur: meritò igitur pestilentia, & cæteræ infirmitates immaturæ, fames, atque alia incommoda eueniunt in Ecclesiæ solo, quia nos Christiani ingrati dona Dei accipimus, eisque donis abutimur, neque honorem Deo debitum impendimus: idcircò, qui nolumus Deum læti cognoscere, intelligere ipsum cogemur tribulati.

Ibidem 3. 10. & 4. 78. Ecclesia Dei stat nimis periculosè, vt nil sit ei vicinius quàm ruina. In ipsa quidem Ecclesiâ humilitas & charitas debent renouari. Pauimentum eius totum defossum est, & propter has causas stat nimis periculosè Ecclesia Dei: & quid sibi ex hoc eueniet, statim propinquius esse dignoscitur: nam ruinam citissimè patietur, nisi reparationis iuuamen habuerit: & ipsius ruina tam grandis erit, quòd per totam Christianitatem audietur.



Ordo

Ordo S. Brigitæ. 1370.



S. Brigita (non illa Scotica, quæ vixit circa annum Domini 530.) Regina quondam Suetiæ ✝ veniens Romam voti causâ, ab Vrbano quinto confirmationem Ordinis sui instituti impetrauit. Vol. anno 1360. id factum fuisse, scribit, Francus anno. 1370. Trith. Polyd. Palmerius, Panuinius, Crantzius, Bal. S. Basilium in principio ita constituisse, ferunt, vt fratres & sorores simul habitarent: sed cùm eorum vita omnibus propter hæc redderetur suspecta, Brigitta ordinauit, vt quidem sub vno tecto, attamen muris disiunctæ atque interclusæ essent.

Vestimentis tam fratres quàm sorores griseis vtuntur, sc. tunica cum chlamyde grisea, & rubeâ cruce desuper in chlamyde, cum quodam rotundo albo in medio eius. Carnibus vtuntur. Regulam ab ipso Iesu dictatam Brigita persuasit omnibus. Antoninus, Nauclerus, Crantzius, Francus, Polydorus. Imp. & PP. V. S.

Ioannes Bocatius. 1370.

Bocatius refert de nobili Lombardo, qui Hierosolymitanæ militæ nomen dederat, ad occupandam terram Sanctam: discedensque coniugi suæ partem annuli signatorii reliquerit, cum hoc pacto, vt si intra triennium ab ea die non rediret, vxori liberum foret, arrha hac & symbolo neglecto, alteri marito nubere.

Sed in Iudæa captus, ac in Ægyptum adductus, Sultano (quem iam olim in Europa peregrinantem, attamen ignotum hospitio receperat pater eius) propter parentis hospitalitatem, virique prudentiam ac dignitatem, mox adeò placuit, vt probatis diutina familiaritate eius moribus, eum omnibus rebus suis præfecerit. Vertente triennio, in extremam incidit tristitiam. Cuius causam Sultanus expiscatus, Magum aduocauit, qui illum in lectulo precioso consopitum, & magna auri gemmarumque vi onustum, postrema trium annorum nocte Papiam in summum templum deferendum curauit. Æditus eo conspecto trepidus fugit, ac cùm aliis de spectro narraret Ægyptio, obuium eum habuit ad ædes vxoris properantem, iam ab alio sponso vesperi domum ducendam. Imp. &. PP. V. S.

Suicetus. 1370.

Hic scripsit Ephemeridas in arte Cabalistica, & calculationes astronomicas admirandæ perfectionis. Imp. 110. Carolo 4. PP. 205. Vrbano 5.



Ordo Turlupinorum.



1371. IOannes Tillius in Chronico, Turlupinos, qui cognomen, Paupertatis societatem, sibi assumserunt, ortos: sed statim damnatos, exustos, & deletos fuisse, scribit, anno 1371.

Henricus de Hassia vel Langenstein.

1371. HIc Henrici de Iota tempore vixit, quem & collegam illius, & adeò celebrem in docendo virum fuisse aiunt, vt etiam à quibusdam in publicis scriptis, Gymnasij Viennensis plantator sit appellatus. Is in lectura super Genesin dicit, esse timendum errorem, & formidandam superstitionem in eo, quod narratur, aliquos sanctos suam memoriam colentibus aliqua bona aut corporalia, aut etiam spiritualia impetrasse. Pro exemplo affert, quòd Sancta Barbara remissionem peccatorum omnium suis cultoribus, in extrema eorum hora impetrauerit. Postea etiam prolixiùs sanctorum legendas insectatur, & affirmat, multa ibi pueriliter & ineptè, multa etiam fabulosè & falsò scripta esse. Scripsit libellum dudum publicè editum, contra insulsas & noxias monachorum rixas, vt de conceptione diuæ Virginis, & similibus obscuris, ociosis ac inutilibus, & interim publicæ quieti perniciosis controuersiis. Qui libellus oppidò displicuit monachis, eò quòd non admodum eorum maiestati, seu inani gloriæ & culinæ profuit.

Prolixam quandam eius epistolam ad episcopum VVormaciensem Iacobus Cartusiensis suo operi de erroribus Christianorum, inserit. In ea author admodum grauiter de multis grauissimis vitiis accusat spirituales omnium ordinum, atque adeò etiam ipsum sanctissimum. Dicit, gubernatores Ecclesiasticos comparari Soli prælucenti diei, & politicos Lunæ lucenti nocti: sed præsentes spirituales neque diei, neque nocti prælucere, sed vtrunque obscurare magis sua caligine, id est, turpitudine, inscitia, & impietate. Citat quoque ex prophetia Hildegardis hæc verba: ideò & diabolus in semetipso de vobis sacerdotibus ait, Escas epulantium & conuiuia omnis voluptatis in istis inuenio: sed & oculi & aures, & venter meus, & venæ meæ de spumis illorum plenæ sunt, & vbera mea plena sunt de vitiis illorum, &c. Denique inquit, eos quotidie conari (vt Luciferum) altiùs ascendere, sed quotidie magis cum eodem in profundum ruere. Catal. Imp. 110. Carolo 4. PP. 205. Vrbano 5.

Idem citat & Bernardum serm. 33. cuius verba sunt: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, & maculauerunt me à turpi vitâ, à turpi quæstu, à turpi commertio, &c. super quibus ait Henricus de Hassiâ: Si hæc à Beato Bernardo dicta sunt, multò magis nunc dici possunt: quia tunc Ecclesia de malis ad peiora processit, & in omni tam spirituali, quàm seculari statu, abiecto decore virtutum, in variam cecidit turpitudinem vitiorum. Propterea extunc quidam spirituales, mala multa subtilioris intelligentiæ oculo præuidentes, cuncta prædixerunt: sicut patet in libris Abbatis Ioachimi, & Hildegardis, quos non esse contemnendos, quorundam magnorum doctorum probat authoritas. Hæc autem Deum misericordissimum, qui solus ex malis bona nouit elicere, ideò permittere, credendum est, vt eorum occasione Ecclesia sua in melius reformetur: quod ni celeriter fiat, audeo dicere, quòd licet magna sint, quæ videmus, tamen in breui incomparabiliter maiora videbimus: & post ista tonitrua tam horrenda, alia horribiliora in proximo audiemus. Eapropter summoperè vigilandum est circa reformationem.

Albertus Leycheisen.

1372. EXtat senis cuiusdam, Alberti Leycheisen Erfurdiensis prophetia constans his verbis: Cùm annis Christi præteritis annumerabuntur 128. hisque accesserint iterum anni 28. prodibit in Germania res omnium in terris maxima: quæ ex seipsa summas habebit vires, ac imperare sibi neminem patietur: vim inferentibus inferet ipsa. Cæsarem ea tempora puerilem & imbellem habebunt, & magistratus Ecclesiæ & Politia malitiâ præditos, leuiculos: sed propter Ecclesiasticos Romanos aduersus maximam istam potestatem insurgent multi. Ea verò Cæsari erit incommodo, eiusq; familiæ imperium eripiet forsitan, successuro ei alio, cuius insignia coronam habent: quis ille sit, Deus nouit. Sub hoc potentia illa prædicta suprema ex seipsa locum inueniet, & inhabitabit vrbes liberas, & antiquas: quæ propter eam miserias & calamitates perpeti cogêtur multas & magnas: deniq; tamen ipsæ ex seipsis per eandem triumphabunt. Imp. 110. Car. 4. PP. Greg. 11.

Franciscus Petrarcha.

FRanciscus Petrarcha, vir apprimè doctus, in epistola vigesima appellat Papæ curiam Babylonem, & meretricem Babyloniam super aquas sedentem, matrem omnium idololatriarum & scortationum, cum qua scortati sunt Principes & Reges terræ: asylum hæresium & errorum, &c. de qua in Apocalypsi Spiritus sanctus prophetauit: vide locum: prolixè id ibi disputat. Quo modo cùm de curia Papæ locutus sit, planè videtur sensisse, Papam esse Antichristum. Et sanè illud quoque vehementer hoc confirmat, quod dicere solitus est, nullum cuiquam maius malum optari posse, quàm vt fiat Papa. Reprehendit alioqui valdè crebrò scelera & impietates pseudospiritualium.

In Italicis suis rhythmis scribit inter alia sic de Roma: Schola de errori, & templo de hæresia: id est, Schola errorum, & templum hæreseos. Sic & sæpè aliàs in eodem poëmate eam vocat Babyloniam: item matrem errorum, item nidum proditionum. Dicit, eam crescere ex alienis calamitatibus. Ait quoque, eam se extollere contra suos fundatores, id est, Imperatores, qui ipsi multa antea largiti sunt. Talia propemodum infinita in eius opusculis, de Papa ac Roma, dicta extant. Apparet etiam, Papam ei infestum fuisse, eumque persecutum. Nam in cantilena 92. inquit: Del empia Babylonia, onde fuggita ogni vergogna, onde ogni bene fuori, Albergo di dolor, madre de errori, son fuggito io per allungar la vitta. Extat quoque dialogus Pyladis & Orestis, in quo disputatur, Romam modis omnibus fugiendam esse, tanquam quandam latronum speluncam, & malorum fontem ac primariam officinam. Illyr. Imp. Car. 4. V.S. PP. Gregorio 11. V.S.

Idem. Ecce iam oculis vides, iam manibus palpas, qualis est Babylon illa nouissima, feruens, æstuans, obscœna, terribilis: quam nec Cambysis opus Babylon Niliaca, nec illa vetustior regia Semiramidis Babylon æquet Assyria: Nilum & Euphratem Rhodanus vincit, nempe qui tartarea flumina, Cocytum vincit, & Acherontem.

Quicquid vspiam perfidiæ & doli, quicquid inclementiæ superbiæque, quicquid impudicitiæ effrenatæque libidinis audisti aut legisti, quicquid deniq; impietatis & morum pessimorum sparsim habet, aut habuit orbis terræ, totum isthic cumulatim videas, aceruatimque reperias. Nam de auaritiâ, deque ambitione superuacuum est loqui, quarum alteram ibi regni sui solium posuisse, vnde orbem totum popularetur, ac spoliaret: alteram verò alibi nusquam habitare, compertum est.

Idem de vrbe Româ.

IRarum sedes, omnisq; doloris origo,
Mater es erroris, dogmata falsa docens.
Roma tibi nomen, sed nunc Babylonia verè es
Dicta dolo, fastu: te tamen omnis amat.
Regula de tribus es, carcer mœroris & iræ:
Hic pius emoritur, sed malus euehitur.
Te velut infernum viuorum cur, ego miror,
Non Christus tandem perdat, & eiiciat?
Prodere conaris Reges, & regna mouere:
Totius mundi crimina sola paris.
Dedita nequitiæ es, cordi tibi pulchra cupido
Est, & luxuriat perdita vita tua.
HæC ego sI paVCIs tIbI sCrIpsero sIngVLa VerbIs,
Est A LeCto MaLIs agnIta: IVste sVge.

Idem. G. Summi Pontificatus arcem rego. R. Solebant primi ex hoc statu ad martyrium peti, nunc ad delicias vocari credunt. Ideoque certatim hic locus appetitur, & huc omnium fermè mortalium vota suspirant. Quis autem vel Romanum, vel quemcunque Pontificatum aliam cupit ob causam, nisi quò potentior, ac ditior sit? Contra iustitiæ præceptum præesse quæritur, non prodesse: quodque sacrilegium, pudendumque vel dictu est, magnis sæpè muneribus, quin & pactis, & sponsionibus spes emitur sacerdotii pinguioris. O vertigo morum pessima: ad quod olim consueuerant, & debebant cogi homines, inde nunc retrahi non possunt: & tam præceps feruet ambitio, vt non Christianus pudor, ac modestia videatur, sed ardor & peruicacia paganorum, quam in huiusmodi petitionibus tantam fuisse, didicimus, vt de Iulio Cæsare lectum sit, quòd Pontificatum maximum petiit non sine profusissimâ largitione, in quâ reputans magnitudinem æris alieni, cùm manè ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti, fertur: domum se nisi pontificem non reuersurum: nec fefellit. Pontifex est reuersus. Liquet autem, quo impetu illud ambierit, quo non impetrato vel moriendum sibi certè, vel exulandum esse, decreuisset. Hoc illi autem vtrunque licuerit, cui à patriâ errare propositum sit, regnare ita, vt iniuriam suam putet, si qua est super orbe potestas altera, quàm Cæsar, si tellus vlla duorum est: at Christiano homini, cui propositum sit seruire, dominique sui iugum ferre, pontificatum quomodo liceat ambire, non vi-

deo, non modò largitione profusissimâ, sed quod non multò minùs est turpe, blanditiis, atque mendaciis, & indignis viro artibus, sed tamen communibus adeò, vt hæc ferè iam vnica sit in altum via. G. Romanus Pontifex sum. R. Seruorum seruus diceris: caue, ne dominorum Dominus fieri velis: memento professionis, memento debiti, memento Domini, qui meritò nulli magis, quàm vicario læsus irascitur.

Idem. Non sunt autem longè quærendi, Babylone habitant, omnis vicus his vermibus scatet. Vis formam ac decus honestatis agnoscere, contemplare, quanta est fœditas vitiorum, quorum omnium exemplar in oculis est tibi. Quocunque respexeris, videbis, cuius odio simul Dei ac virtutis amantior fieri queas. Tu autem gaude, contrario saltem magistra virtutum: gaude, inquam, & ad aliquid vtilis inuenta gloriare, bonorum hostis, & malorum hospes atque asylum, pessima rerum Babylon, feris Rhodani ripis imposita, famosa dicam an infamis, meretrix fornicata cum Regibus terræ.

Illa equidem ipsa es, quam in Spiritu sacer vidit Euangelista: illa eadem, inquam, es, non alia, sedens super aquas multas, siue ad littora tribus cincta fluminibus, siue rerum atque diuitiarum turbâ mortalium, quibus lasciuiens, ac secura insides, opum immemor æternarum, siue, vt idem qui vidit, exposuit: populi, & gentes, & linguæ, aquæ sunt, super quas meretrix sedet: recognosce habitum. Mulier circundata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu suâ, plenum abominatione & immunditiâ fornicationis eius.

Noscisne te ipsam, Babylon? nisi illud forsan errorem facit, quòd in illius fronte scriptum erat, Babylon magna, tu verò Babylon parua es. Parua vtique murorum ambitu: sed vitiis & ambitu animorum, & infinitâ cupidine, cumuloque malorum omnium, non magna modò, sed maxima, sed immensa es.

Et certè, quod sequitur, tibi vni conuenit, non alii, Babylon, mater fornicationum & abominationum terræ. Mater impia partuum pessimorum, quando, quicquid vsquam terrarum abominabile, quicquid fornicatorium, ex te prodit: & cùm semper parias, semper tumens, & talium plenus & grauidus vterus tuus est.

Si nunc quoque dissimulas, audi reliqua. Et vidi, inquit, mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Quid siles? aut aliam hoc sanguine ebriam ostende, aut omninò si potes, te hanc ebriam nega. Vera enim Euangelistæ & Apostoli visio sit, oportet, qui si te in spiritu videns, miratus est admiratione magnâ, quantâ nos admiratione profundimur, qui apertè oculis te videmus?

Ex omnibus quidem fornicationibus tuis, de quibus biberunt omnes gentes & Reges terræ, & ex omnibus abominationibus quid exspectes? nisi quod Ioannes idem ait: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum.

Nota sunt quæ sequuntur: verè iam talis facta es. Quantò enim homo perditus, & desperatæ nequitiæ dæmone melior? Verè habitatio, imò regnum dæmonum facta es, qui suis artibus, humanâ licet effigie in te regnant.

Tu verò, amice, cum eodem Apostolo audi vocem aliam de cœlo dicentem: Exite de illâ populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius: quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum, quia in corde suo dixit: Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo. Ideo in vnâ die venient plagæ eius, mors & luctus, & fames, & igni comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.

Hæc, & quæ Apostolicus ille locus habet, audi omnia: audi & fuge, si qua via est, ne innocentiam tuam ruinæ nocentium, & Babylonicæ premant iniquitates, quarum non modus, non numerus, non mensura, non æstimatio demum est.

Taceo hæreditatem Symonis, & illam hæresis speciem non vltimam, Spiritus sancti dona mercantium.

Taceo mali illius auaritiam matrem, quæ idolorum seruitus ab Apostolo dicta est.

Taceo vtriusque pestis artifices, & concursantes Pontificum thalamis proxenetas.

Taceo crudelitatem humanitatis immemorem, & sui ipsius oblitam insolentiam, atque illos vanis flatibus tensos vtres.

Taceo denique illa prodigia, quæ insensibilis vereque orbus terrarum orbis tam diu, quasi Ætnam Enceladus, aut Inarimem Typhœus pati potest, quorum omnium mœsta nimis, & seuera narratio est.

Ad ridicula simul atque odiosa festino. Quis enim, oro, non irascatur & rideat illos se-

nes pueros, comâ candidâ, togis amplissimis, adeoque lasciuientibus animis, vt nihil illo falsius videatur, quàm quod ait Maro:

Frigidus in Venerem senior.

Tam calidi, tamque præcipites in Venerem senes sunt Cardinales, tanta eos ætatis, & status, & virium cepit obliuio, sic in libidines inardescunt, & sic in omne ruunt dedecus, quasi omnis eorum gloria non in cruce Christi sit, sed in comessationibus & ebrietatibus, &, quæ has sequuntur, in cubilibus, & impudicitiis. Sic fugientem manu retrahunt iuuentam, atque hoc vnum senectutis vltimæ lucrum putant, ea facere, quæ iuuenes non auderent: hos animos, & hos neruos (sua ipsis senectus) tribuit. Hinc Bacchus indomitus, hinc Orientalium vis baccarum.

O Ligustici & Campani palmites, ô dulces arundines, & Indicæ nigrantes arbustulæ, ad honestas delitias & vtilitates hominum creatæ, in quos vsus, & quantam animarum perniciem cladem que vertimini?

Spectat hæc Sathan ridens, atque in pari tripudio delectatus, interque decrepitos ac puellas arbiter sedens, stupet, plus illos agere, quàm se hortari: ac ne quis rebus torpor obrepat, ipse interim & seniles lumbos stimulis incitat, & cœptum peregrinis solibus ignem ciet, vnde fœda passim ordiuntur incendia.

Mitto stupra, raptus, incestus, adulteria, qui iam Pontificalis lasciuiæ ludi sunt: mitto raptarum viros, ne mutire audeant, non tantùm auitis laribus, sed finibus patriis exturbatos: quæque contumeliarum grauissima est, & violatas coniuges, & externo semine grauidas rursus accipere, & post partum reddere ad alternam satietatem abutentium, coactos: quæ omnia non vnus ego, sed omne vulgus nouit, etsi taceat, quamuis ne id ipsum taceat, iam maior est indignatio, quàm metus, & minacem libidinem vicit dolor: hæc, inquam, vniuersa prætereo.

Malo quidem te hodie ad risum, quàm ad iracundiam prouocare. Ira enim, quæ vlcisci nequit, in se flectitur, & in dominum suum sæuit.

Fuit ergò Cardinalis seniculus quidam, ex eo numero vnus, cunctis annalibus implendis idoneus. Hircina libido homini inerat, vel si quid libidinosius atque olentius hirco est. Hic seu mures metuens seu lemures, dormire solus non audebat, nil apud eum tristius, nil miserius cœlibatu, nouas quotidie nuptias celebrabat, & creber vagis amplexibus sponsus erat, cùm & os illi vacuum, & ætas plena esset, septuagesimum quippe pridem annum excesserat, septimo vix iam dente superstite.

Erat illi puellarum auceps vnus ex multis, domini sui libidine nihilò segnior, cuius retia & laquei omnes vicos, omnium, & præsertim pauperum domos obsederant: huc pecunias, huc redimicula, huc annulos, huc postremò blanditias, huc cœnæ reliquias, huc omne genus escarum, & quæcunque flexura muliebres animos conuehebat: ipse interim suspensus animo canebat. Nam & reuera cantor erat, sed qui vocem ab altaribus ad choreas ac lupanaria transtulisset.

Nôram, hominem vulgi digito monstratum, qui his artibus multas prædas in os lupi senis inferre solitus, diceretur. Mille locus hic ridiculosas historias capit, vnam accipe.

Multis ille pollicitis misellam virgunculam, aut meretriculam, illexerat, vt domino suo, vtique & excelsi gradus, & magnarum opum, sed nec formæ nec ætatis amabilis, obsequi, in animum induceret. Quid multis agam? acquiescit, &, velut Psyche illa Lucii Apuleii fœlicibus nuptiis honestanda, ignoti viri thalamum subit.

Re compertâ, impatiens moræ senex aduolat, & vlnis arreptam pendulis labiis exosculans, atque inermi ore commorsitans, consummare nouas nuptias anhelabat.

Repentino malo percita, & olente senio vultuque lurido deterrita, exclamat, ad magnum se quendam & insignem prælatum, non ad deformem & decrepitum sacerdotem aduenisse, non posse sibi fraudem fieri. Vis si fiat, manibus, quoad posset, deinde gemitibus atque vlulatibus occursuram, neque, dum reliquiæ spiritus vllæ essent, passuram, seà tam turpi sene violari. Hæc vociferans vbertim flebat.

Ille autem & manu scabrâ, & ore hispido spumantique, tenerum os præcludens, fletibus & querimoniis conabatur obstare, atque incondito murmure, & ineptissimis blanditiis (erat enim præter cætera blæsus adeò, vt à nemine posset intelligi) ægram animi solari. Sed cùm nil proficeret senex egregius, in secretarium se proripit, arreptoque, quo conscripti patres à reliquis discernuntur, rubenti pileo, & insigne suum albo caluoque vertici imponens, Cardinalis sum, inquit, Cardinalis sum, ne timeas, filia. Sic amasiolam adhuc flentem, & præsenti specie, & futurâ spe magnificè consolatus, in geniale cubiculum deduxit, pronubâ non Iunone, sed Tisiphone ac Megærâ.

Ad hunc modum miles cupidinis veteranus, Baccho sacer & Veneri, non armatus, sed togatus & pileatus de suis amoribus triumphauit. Plaude, fabula acta est. Nosses hominem, iucundissimè sonuisset: & huius & reliquorum mille sunt talia, quorum quædam non ludicra, sed pudenda: alia verò inania & horrenda sunt. I nunc, mirare, ducibus his & propitium populo suo Christum, & Rempub. prosperari.

Idem de Papâ Ioanne 22. scriptum reliquit, reperta in eius mortui ærario ab ipsius hæredibus fuisse non minus, quàm vicies quinquies millena aureorum millia. Quam summam Galli sic exprimunt, viginti quinque milliones auri: Germani verò, ducentas quinquaginta auri tonnas.

Idem. Summus pontificatus, si ritè geritur, summus est honor, summum onus, summa seruitus, summus labor: at si malè, summum animæ periculum, summum malum, summa miseria, summus pudor, anceps ex omni parte negotium.

Idem. Hi etenim tales sunt, quales dico, immò verò quales dicere nequeo. Sic ad extrema dedecorum atque nequitiæ, quæ vtcunque olim steterat, prolapsa res est: ex quo sancta, & potens tunc Romana, nunc Auinionensis Ecclesia tangit vertice sidera, & digito cælum voluit id, vbi & Iudas, si triginta illos argenteos suos, pretium sanguinis, attulerit, admittetur, & pauper à limine Christus arcebitur. Quod ita esse, Christianus nemo est, qui nesciat: nemo qui non doleat: nemo qui vindicet.

Idem. *Quid Romæ faciam? mentiri nescio: librum,*
Si malus est, nequeo laudare, & poscere: motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum: ranarum viscera nunquam
Inspexi: ferre ad nuptam, quæ mittit adulter,
Quæ mandat, nôrint alii: me nemo magistro
Fur erit.

Ecce ergò, quomodo Iuuenalis Italicus, tanquam bonus Satyricus Romanorum vitia denudârit. Cùm enim dicit: Quid Romæ faciam, mentiri nescio, ipsos esse mendaces, denotauit. Cùm autem dicit: ferre ad nuptam, &c. reprehendit eos de turpi maculationis infamiâ. Cùm dicit: me nemo magistro fur erit, reprehendit eos de vilis latrocinii malitiâ.

Idem. O felicissima Apostolorum tempora, & primitiuæ Ecclesiæ, dum etsi vnus erat malus inter duodecim: nunc autem inter duodecies duodecim nullus, aut vix vnus bonus. O quanto periculo fluctuat Petri nauicula? Prædicatio Pauli contemnitur, & doctrina Saluatoris non curatur: in curia Romanæ Ecclesiæ, quæ est omnium Ecclesiarum caput, à plantâ pedis vsque ad verticem non est sanitas.

Ex quinta, sine titulo, epistola eiusdem.

NVnc me Gallicus orbis habet, & Occidentalis Babylon, qua nihil informius Sol videt, & ferox Rhodanus æstuanti Cocyto, vel tartareo simillimus Acheronti, vbi piscatorum inopsquondam regnat hæreditas, mirum in modum oblita principii: stupor est, memorare pauperes illos, hos cernere auro onustos & purpura, superbos principum ac gentium spoliis: videre pro inuersis ratibus luxuriosa palatia, & mœnibus clausos montes pro retibus paruis, quibus olim in æstu Galilæo victus vix exiguus quærebatur, quibus in stagno Genesareth tota nocte laborantes nihil ceperant, manè autem facto, capta est in nomine Iesu ingens multitudo piscium: audire nunc mendaces linguas, spectare membranas vero vacuas, & pendenti plumbulo versas in retia, quibus in nomine eodem, sed in operibus Belial Christianorum turba concluditur, vt mox squamis exuta, curarum flammis & desolatoriis carbonibus exuratur, auari ventris expletura voraginem: cernere pro sancta solitudine frequentiam sceleratam, & circumfusas acies satellitum pessimorum, &c.

Ex XVIII. eiusdem.

ET quid adhuc hæres, an non hæres? sed teneris & obluctans raperis, hoc potiùs reor, malo, vim, quàm socordiam opinari. Non est tuus torpor, ardens ingenium, mens ignea, generosus impetus: sed quid hæc? si fortius impedimentū est, quàm virtus: magna etiam vis hebet, oppositâ vi maiore, & necessitati omnia succumbunt. Illa te Babylon traxit, illa te detinet: durum, sed ferendum. Loci natura est, omne bonum ibi perditur, sed primū omnium libertas, mox ex ordine quies, gaudiū, spes, fides, charitas, animæ iacturæ ingentes: sed in regno auaritiæ nihil damno adscribitur, modò pecunia salua sit. Futuræ ibi vitæ spes inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur, fabulosa omnia: resurrectio carnis, & mundi finis, & Christus ad iudicium venturus inter nænias habentur. Veritas ibi dementia est, abstinentia verò rusticitas, pudicitia probrum, ingens denique peccandi licentia est magnanimitas, & libertas eximia, & quò pollutior, eò clarior vita, quò plus scelerum, eò plus gloriæ: bonum nomen cœno vilius, atque vltima mercium fama est. Hapbes, quantum in tam paucis licuit, illius sacræ vrbis expressum statum, quem non magis in his literis hodie, quàm in illorum frontibus hominum quotidie perleg s, quorum vitam nullus stylus, nullum æquet ingenium. Cæterùm, omnium primum (vt dixi) ibi libertatis iactura est. Quisquis limen illud introiit, confestim suus desiit esse, iam nec quiescere, nec abire permittitur: sed rotatur, & inde efficaci labore consumendus atteritur.

Paucos inde diuina clementia eripit à lege, vt Hierusalem diligant, atque oderint Babylonem. Hæc mihi de te spes reliqua est, alioqui tuis de rebus actum crederem, tam tenaci profundo-

que limo te demersum & infixum video: interim non voluntati aut iudicio, sed necessitati imputo ac fortunæ, quòd tam diu ibi sis, & moras, quas vehementer odi, libenter excuso: quòd si qua fortassis in profectione culpa fuit, in mora ipsa vtique iam non culpa ipsa, sed supplicium & purgatio culpæ est. Sed quoniam multi multa sæpe in carcere didicerunt, quid vetat, & te in vinculis discere aliquid, quò perpetuò sis doctior? Quædam nullo modo meliùs, quàm contrario discuntur. Ideoque qui Mathematicas artes docent, si quando parùm veri capax mens discipuli visa erit, solent falsa proponere: quæ dum refugit animus, ad veriora confugiat. Tu quoque solitus & religioni & honestati semper operam dare, (quarum altera ad illius aspectum erigit optantem animam, de quo ait Psalmista, Quærite faciem eius semper: alterius ea facies est, quæ si oculis cerneretur, vt ait Plato, miris animum amoribus inflammaret: neque tamen minùs amanda est, quòd animo cernitur) si quid tibi nunc etiam ad vtriusque notitiã summam deesse putas, omne studium in aduersa reflectito. Arrige aures, fige oculos, intende animum, pulchritudinem nosce, cerne, quanta est hostium eius obscœnitas.

Ex XIX.

NVlla vnquam te mala cupiditas tangat, vt illos principes tenebrarum rursus adeas, quos cum suis opibus, suisque flagitiis Dii Deæque omnes, imò verò deorum Deus viuos ac mortuos malè perdat, qui cœlestis agni sanguine saginati, calcitrant ac rebellant. Eò me (mirum) meus ille nunc euocat, qui te præsente persuadere mihi non potuit, vt venirem, ille mihi hortator est fidus quidem, sed improuidus, vt in Babylone viuere eligam ac mori, cur autem, siue ad quid? vt videam bonos mergi? malos erigi? reptare aquilas? asinos volare? vulpes in curribus? coruos in turribus? columbas in sterquilinio? liberos lupos? agnos in vinculis? Christum denique exulem? Antichristum dominum? Beelzebub iudicem? ad hæc spectacula reuocor, non audiam, malè mihi cum illis, malè illis mecum conuenit. O crudelis & impia secta hominum, nil nisi se ipsos amantium, idque ipsum peruersè prorsus ac nefariè, quis releuabit oppressum orbem? quis vindicabit afflictam vrbem? quis euersos mores reformabit? quis colliget sparsas oues? quis pastores erroneos arguet? quis reducet aut retrahet in sedem suam? nullusne licentiæ ac scelerũ modus erit? an frustra per Prophetam Spiritus sanctus intonuit? hæc fecisti, & tacui, existimasti iniquè, quòd ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam: intelligite, qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat, intelligite, inquam, nobis loquitur, Dei hostes intelligite, surdis loquitur sopitisque, nunquam intelligent, nisi horrendo tonitru, sed quoniam intonuisse non sufficit, trisulco fulmine experrecti, &c.

Epigramma eiusdem Petrarchæ in Romam.

FOns ærumnarum, domus iræ, plena furoris,
Errorum ludus, sectarum nobile templum,
Roma quidem fueras, nunc es Babylonia fallax,
Ex qua tot luctus, gemitusq́ feruntur in orbem.
O fraudum mater, carcer teterrimus iræ,
Carnificina boni, sed iniqui sedula nutrix,
Viuorum infernus: miraclum insigne futurum,
Si nunquam contra te Christi sæuiat ira.
Casta in pauperie tua sunt fundamina iacta,
Sed modò fundantes oppugnas cornibus altis.
Quidnam frontis habes meretrix? quo niteris audax?
Spes in adulteriis, spes est in diuite cista.
Non igitur redeat te Constantinus adaugens,
Protinus at, miserum qui sustinet, auferat, orbem.

Idem Amico,

Quòd in Galliis habitare desideret, dissuadet.

DIu distuli, expectans & materiã & nuncium, vtrumq; simul affuit: quamuis, vt es tu semper honestorum actuum prælargus, ego, etsi ingenii inops, scripturæ vtiq; non auarus, horum alterum deesse non possit. Adest ecce nuncius, vltrà quàm optari possit idoneus, quo nihil tibi deuotius, nil mihi familiarius: adest & scribendi materia. Peregrinationis tuæ inamœnæ tumor longè difficilis, mihi iam pridem calamum suggerebat, nisi quia incertus eram, vbinam terrarum esses inueniendus: neq; enim aut ipse mihi persuadebam, longas te moras apud inferos exacturum sponte tuã, aut omninò suspicari poteram, te illuc aliter, quàm coactum cuiuspiam magnæ necessitatis imperio perrexisse, itaque tuum tacitus excusabam iter, quòd illa iussisset, quæ adamantinum sæpè Regum quoque Pontificumque ceruicibus iugum imponit.

Nunc, quia incolumem te reuersum gaudeo, ex familiaritate illâ, quam mihi peperit tua di-
gnatio, mea fides, libet ex te quærere, quid viro optimo cum pessimis locis, quid tibi cum Ba-
bylone? Fortissimos Romanorum, legimus, vitare solitos Campaniæ Bajas, apricum licet,
& salubrem locum, vbi vt exiguum honestatis, sic saltem voluptatis & lætitiæ multum erat:
adeò rebus omnibus neglectis, vni studio virtutis intenti erant: si hoc ita est, quis non Rho-
danum vitet? quis, oro, non fugiat Babylonem, & vitiorum simul omnium, & laboris ac
totius miseriæ mœstam domum? de quo quidem aliquid nosse debes. Visa loquor non au-
dita, fato meo pessimo, (in eas terras puer euectus, cuiusque ad hanc ætatem, indignati equi-
dem, sed fortunæ compedibus, nescio quibus, vincti, magnæ illic partes ætatis in gemitibus
abierunt,) noui expertus, quòd nulla sit ibi pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei re-
uerentia, nullus timor, nihil sancti, nihil iusti, nihil æqui, nihil pensi, nihil denique vel hu-
mani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant: de veritate quidem sileo. Nam quis vs-
quam vero locus, vbi omnia mendacijs plena sunt, aër, terra, domus, turres, vici, atria, pla-
teæ, porticus, vestibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diuersoria adi-
tum, penetralia templorum, iudicum subsellia, Pontificum sedes? Ad postremum ora homi-
num, nutus, gestus, voces, frontes, animi? quid ais? an mentior, an verò de mendacijs ve-
rum loquor? Si illic fuisti, & (nullo tuo maiore negotio distractus) in nephariam illam sce-
lerum scænam acumen ingenij, atque oculos intendisti, alium iudicem non optabo, quàm si-
licet omnia ibi virtute veroque sint vacua, plena fallacijs, plena fucis, plena blanditijs, plena
pessimis artibus, ambitionis, auaritiæ, superbiæ, liuoris. Vidisti, fictè & inaniter fieri omnia
non tantùm hominibus, sed & Deo: notasti subdolos risus, corda flebilia: serena superci-
lia, nubilas mentes: molles manus, actus asperrimos: angelicas voces, dæmoniacas inten-
tiones: suaues cantus, ferrea pectora: & verba prædulcia, pulmone amaro, & sicco ore ca-
dentia, summisque labijs vix expressa, in quibus planè Dauidicum illud impletur: Mollifi
enim sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula. Neque verò impunitum modò
apud eos, sed gloriosum etiam est mentiri, ceu maioris sit ingenij qui fefellit, maioris sta-
tus, quem increpare audeat nemo.

Ex alia epistola eiusdem. Si, quicquid animus meus fert, de huius Occiduæ Babylo-
nis statu, cuius fato, seu veriùs peccato meo, inuitus totiens ciuis fio, velim stylo committere,
vereor pater, ne & dolorem meum lamentis exaggerem, & sanctissimas curas tuas, occupatio-
nesque pulcherrimas intempestiuis & inutilibus querimonijs interpellem. In summâ scito,
non modò hunc, sed ne Ciceronianum quidem calamum rebus parem. Quicquid de Assy-
riâ vel Ægyptiâ Babylone, quicquid de quatuor Labyrinthis, quicquid denique de Auerni fi-
mine, deque tartareis syluis, sulphureisque paludibus legisti, huic tartaro admotum fabula
est. Hîc turrificus simul atque terrificus Nemroth, hîc pharetrata Semiramis, hîc inexorabi-
lis Minos, hîc Rhadamantus, hîc Cerberus vniuersa consumens, hîc Tauro supposita Pasiphaë,
mixtumque genus (quod Maro ait) prolesque biformis Minotaurus inest, Veneris monimen-
ta nephandæ: hîc postremò quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile vsquam
est aut fingitur, aspicias. O semper virtutibus tuis fœlix, nunc absentiâ etiam fœlicior tuâ,
putasne, ciuitatem hanc esse, quam vidisti? longè alia est, longeque dissimilis. Fuit illa
equidem omnium pessima, eaque tempestate fœdissima: hæc verò non iam ciuitas, sed lar-
uarum, ac lemurum domus est, & vt breuiter dicam, scelerum atque dedecorum omnium
sentina, atque ille viuentium infernus, tanto antè Dauidico ore notatus, quàm fundatus aut
cognitus.

Idem ad amicum,

Veritatem scribere, metu se victum non audere.

VNde nunc ordiar, an verò non ordiar, in dubio est, & poëticum illud identidem occursat,

Eloquar, an sileam?

Loquar tandem, ne fortè de silentio suspiceris, te aut per desidiam negligi, aut per insolenti-
am contemni: sed quid primùm, aut quid penitus loquar, seu potiùs quid non loquar, tam
diuersa certatim & me vrgent, & se inuicem premunt, impediuntque concursum. Non vacat
omnibus obsequi, infinita sunt enim: & si vacet, minimè tutum erit. Itaque nullis licet oc-
cupationibus, nullisque curis obsidear, quarum tamen pondus ac numerum non ignoras, vel
solus calamum timor excusat. Siquidem extra virtutis regnum imbecillis semper, & nuda ve-
ritas, atque omnis præsidij inops fuit: quid euenturum censes, vbi extinctæ prorsus, & sepul-
ta pridem virtus est? Ibi profectò summum crimen est veritas, & sola sufficiens ad quærenda
multorum odia, cùm vnius hominis amor multis obsequijs sit quærendus, & multis inserui-
at necesse est, qui multis charus esse vult: at qui omnibus odiosus, minus negotij habet. Non

Anno

arma capiat, non hostem feriat, oportet, lingua liberior pro gladio est, verax sermo pro vulnere: quid ni autem id accidat, vbi nemo est, cui verum verbum absque graui conuitio dici possit? vbi nulla pietas, nulla charitas, nulla fides habitat. Vbi tumor, liuor, luxus, auaritia cum artibus suis regnant: vbi pessimus quisque prouehitur, & munificus prædo ad cœlum tollitur, iustus pauper opprimitur, vbi simplicitas amentiæ, malitia sapientiæ nomen habet: vbi Deus spernitur, adoratur nummus, calcantur leges, irridentur boni, usque adeò, vt iam fere nullus, qui irrideri possit, appareat. O mores hominum, ô seculum nostrum, ô tristem & miserum exilij mei locum, & ô felices oculos tuos, qui ista non vident, iucundissimus labor tuus, & inuidiosa pauperies, si huic obscœnæ ac marcidæ quieti, & his malè collectis, & malè fundendis diuitijs conferantur. Vetus verbum est, cecidit denarius in cloacam: cuius intellectum qui non habet, huc veniat, verbum hoc in frontibus singulorum, cum mille alijs æquè famosis titulis, scriptum leget. Vnum ego libenter huic scelerum vniuersali diluuio eximerem, & mereretur, fateor: sed ridiculum visum est, tam solidam & tam latam regulam vnius nominis exceptione conuellere. Nullus igitur hinc Noë, nullus Deucalion enatabit: ac ne putes, Pyrrham fœliciùs nauigasse, prorsus scito, nullum emergere, ciuitatem simul obscœnissimarum voluptatum fluctus inuoluit, atque incredibilis quædam muliebrium criminum procella, pudicitiæque fœdissimum fine exceptione naufragium.

Hæc pauca de multis ausa veritas, victo metu, ex quibus & ea, quæ silentio premuntur, elicis. Si tamen hinc, aut ex quibusdam pestiferis animantibus, vel herbis, salutare tibi aliquid, amici ope, conflari posse, confidis, scribere illicò ne differas. Omni enim studio festino, irremeabile Labyrinthi huius limen attingere. Iamque, ni fallor, quod vnum hinc sperari potest, generosi contemtus filium teneo. Si quid optas, ora, interim fiet pro viribus, & supra vires fiet. Ego enim tantis in tenebris, quid tibi, aut etiam quid mihi præter fugam expediat, non video. Optat tibi salutem discipulus tuus, qui vtinam tecum esset: nisi forsan vtilius mecum est, vt ab annis teneris discat, hoc infandum specus, hunc verè tartareum carcerem horrere, ne quando per errorem capi possit, vbi ego propè infans, (nescio, an parentum meorum, an meis, sed certè nondum admissis illâ ætate, piaculis) captus fui: & nunc, cùm sæpius euasissem, atque iterum et iterum in laqueos recidissem, ad postremum, sponte mea jam vir, imò verò senior, captiuus, præter me ipsum non habeo, quem accusem. Huic autem epistolæ neque manum meam, neque annulum, neque locum, neque tempus apposui. Scis vbi sim, & vocem loquentis agnoscis.

Idem ad amicum,

De tertia Babylonia, & quinto Labyrintho in Gallia.

SVbscriptiones mearum epistolarum miraris: nec immeritò. Non nisi geminam enim Babylona cùm legeris, alteram apud Assyrios olim, vbi clarum Semiramis nomen habet, alteram apud Ægyptios, nostra ætate florentem, quæ Cambysem habet auctorem: cuius nunc Babylonis inauditum tibi nomen ingeritur, tecum voluis: non quòd nescias, quosdam ex nostris Romam quasi alteram Babylonem, propter proportionem Imperiorum & climatum, statuisse: sed quia, me almam, sanctam, & reginam vrbem hanc vocitare solitum, tenes, huius nouissimæ Babylonis tibi nunc etiam stupor manet. Desine iam mirari, & sua Babylon huic terrarum tractui est. Vbi enim, quæso, digniùs in Occidentali plaga ciuitas confusionis existeret? A quibus quidem condita, incertum: sed à quibus habitata, notissimum: certè ab his, à quibus iure optimo nomen hoc possidet: & si vis, hic, mihi crede, Nemroth potens in terrâ, & robustus venator contra Dominum, ac superbis turribus cœlum petens: hic pharetrata Semiramis: hic Orientali quoque vesanior Cambyses, & ipse Regum ceruicibus actus, postremò pastus cæde suorum, ab insonti principio redactus ad miserrimam egestatem. Non ego te ad Poëtas, (neque enim Pierijs opus est,) non te ad Historicos mittam: consule Catholicos tractatores, sed præcipuè Augustinum super eo psalmo, qui sic incipit, vt epistolarum ad te mearum aliquæ, quæ desinunt, &c. inuenies, quid sibi Babylonicum nomen velit, quod cùm legeris, dices, non minùs Rhodano quàm Euphrati debitum, aut Nilo. Neque verò miraberis, si in mentem redierit, Ambrosium in eo libro, quo indignum Valentiani iunioris interitum deflet, hoc vsum esse cognomine, dum de Rhodano loqueretur: atque vt hac admiratione succisâ, à radice aliam conuellam, de quinque Labyrinthis potes etiam mirari, cùm apud cæteros scriptores non, nisi de quatuor, mentionem inueneris, vt puto. In quibus cùm famam habeant Ægyptius, Lemnius, Creticus, & in Italiâ Clusius, Labyrinthum Rhodani tacuerunt, omnium inextricabilissimum, ac pessimum: siue quia nondum erat, siue quia nondum noscebatur. Huius apud me mentio crebra est: quàm iustè autem, qui noscere cupit, huc properet.

Non hic carcer horrendus, non tenebrosæ domus error, non fatalis vrna humani generis fata permiscens, denique non imperiosus Minos, non Minotaurus vorax, non damnatæ

Veneris monimenta defuerint: sed remedia, sed amor, sed charitas, sed promissorum fides, sed amica consilia, sed fila perplexum iter tacitâ ope signantia, sed Ariadne, sed Dædalus, vna salutis spes in auro est, auro placatur Rex ferus, auro immane monstrum vincitur, auro salutare lorum texitur, auro durum limen ostenditur, auro vectes & saxa franguntur, auro tristis ianitor mollitur, auro cœlum panditur: quid multa? auro Christus venditur.

Idem de vitâ solitariâ lib. 2. Heu quid, præter gemitum & querelas, relictum est misero, quando & nostri Reges nil nisi delitias, & nostri Pontifices nil nisi diuitias amant: populi verò, vel serui flent, & insaniunt liberi, & omnes quæ sua sunt quærunt, quæ Christi autem, nullus: cuius peculiare patrimonium, nobis spectantibus, otioseque sedentibus, laceratur. Quid loquor, aut quid omnium occupatissimos otiosos voco? imò verò dum fremimus, & meditamur inania, dum cœno voluimur, ac libidinibus exercemur, & nitimur profugas retinere, dum nummos pauperum numeramus atque abdimus, dum superuacuas, & ineptas turres in nouissimâ Babylone construimus, vt cœlotenus scandat ruitura superbia, non est, qui humilimam Christi sedem tueatur ac vindicet?

Scripsit Franciscus Petrarcha etiam de annis Climactericis seu Scansibilibus, Hebdomaticis, Enneaticis, atq; decretoriis ad Boccatium, vt & Censorinus in libro, quem de seculis edidit, Iulius Maternus Firmicus Siculus libro quarto Matheseos, Boëtius, & ante hos, Plato Philo Iudæus, P. Alexandrinus, Aulus Gellius libro quinto capite sexto, Macrobius, Cicero, Diuus Ambrosius, Diuus Augustinus, Beda, Georgius Valla: & ex Modernis Henricus Rantzouius, vir Nobilis, Regis Daniæ vicarius: qui testantur, hanc obseruationem non esse superstitiosam, sed vsu & experimento comprobatam.

Gregorius XI. PP. 206.

1375. HOc tempore Papa decimam solicitauit ab Ecclesiasticis, per omne Imperium. Sed Archiepiscopi tres ad Rhenum obuiam vadunt, se opponentes, vt & debuêre, emunctioni cleri sui. Crantzius. Imperatore vt suprà.

Eduardus III. Rex Brittanniæ.

1376. EDuardus III. Anglorum rex, Eduardi secundi filius, homo permodestus & frugi, illos summè diligebat, honoribusque ornabat, qui probitate, modestia, ac vitæ innocentia alios antecederent. Nam Vuicleuum, eminentissimum eius ætatis Theologum, atque organum Dei aduersus impios, non est passus à malignis Antichristi ministris violenter opprimi. Sed illum sapienter audiebat, protegebat, fouebat, eoque in viuis, Kyriandro teste, inter feroces & indomitos Samariæ tauros tutus semper euasit. Authore autem Ioanne Vuicleuo, amisit tunc in Anglia Rom. Pontifex creandorum Episcoporum ius, & potestatem imperandi sacrorum prouentuum decimas ac Petri denarios: decretumque fuit, vt iudices ac procuratores causarum, non Normannicè deinceps, vt hactenus, sed Anglicè loquerentur, ad plebis suæ commodum, ne ampliùs haberent interprete opus. Sed hæc tam ægrè Polydorus Virgilius tulit, vt pertinacem & infamem hæreticum Vuicleuum vocârit: præcipuè, quòd regi ante omnes, summum in cunctos ordinis præfectos imperium & ius tribuerit. Ex Chronicis. Imp. Car. 4. PP. Greg. XI. V. S.

Monstrum Babylonis.

1378. EXtat in quibusdam Bibliothecis poëma, titulo Inuectiua in monstrum Babylonis, scriptum contra schisma illud longissimum, quod incepit inter Papas anno 1378. & multis annis durauit. Tribuit totius mali originem superbiæ, auaritiæ & ambitioni, aliisque sceleribus spiritualium. Hæc enim sunt eius verba:

Adduxit Cleri hoc monstrum fastus maledictum,
Cleri magnifici, tenuit qui culmina mundi.

Et paulò pòst inter alia sic de clero loquitur:

Quò cecidit fastus, quò venit honor, decus, atq;
Diuitiæ grandes, quibus ipse fuit cumulatus?
Venit in opprobrium fastus, decor iste superbus
Abscessit iustè: tolluntur opes, perit omnis
Ornatus cleri, quem tanta superbia vexit
In cœlum suprà, quasi vellet Lucifer esse.

Tribuunt verò id poëma quædam exemplaria Eccardo Episcopo VVormaciensi, hosce enim quatuor versus cæteris proponunt:

Præsulis Eckardi reuerendi Vuormaciensis,
Egregii patris plangentis deuia mundi,
Sic loquitur carmen patris sapientis ad aures:
Flebile de mæsto prorumpens corde loquatur, &c.

Illyr. Imp. 111. VVenceslao. PP. 206. Gregorio 11. V. S.

S. Catharina Senensis.

SOlita est hæc sancta fœmina plurimùm queri de pessimo Ecclesiæ statu, & præsertim de Prælatis, de curia Romana, ac ipso Pontifice Romano. Verùm hæc, quoniam multis communia sunt, iam missa faciam: illud tantum adscribam eius dictum, in quo disertè & apertè præsentem Ecclesiæ Dei reformationem prædixit. Nam cùm primùm indicasset, futurum ingens schisma in Ecclesiâ, quod etiam mox consecutum est, & vsque ad Constantiense concilium durauit: deinde grauia bella, quæ etiam acciderunt, & fermè vsque ad nostra tempora permanserunt, demum etiam subiunxit, pulcherrimam exoptatissimamque Ecclesiæ Dei reformationem consecuturam esse. Quæ ipsæ temporum ac rerum series, nos ad præsentem religionis instaurationem necessariò volentes nolentes deducunt.

Sic enim Antoninus in tertiâ suæ historiæ parte ad verbum de ea scribit. Itaque paretis vos ad patientiam, quia oportebit vos ista videre. Quod cùm tunc non appareret, post breue tempus patuit veritas prophetiæ eius, cùm sc. mortuo Gregorio, & creato Vrbano sexto, schisma secutum est. Cùm verò virgo Romam profectura esset iam inchoato schismate, eique frater diceret, impletum iam esse, quod prædixerat, respondit ipsa: Sicut dixi vobis tunc, quòd illud erat vt mel & lac: ita dico vobis, quòd illud, quod videtis nunc, est vt ludus puerorum, respectu futurorum, & præcipuè in patriâ circumstante (denotans Regnum Siciliæ, cum patriâ Romanâ & regione circumiacente: quod rei postmodum probauit euentus, propter grauia bella. Postquàm autem illa sic dixerat, ego curiosus factus ad inuestigandum de futuris post illam conquassationem, interrogaui eam, ex quo manifestè innotuerat, futura sibi diuinitus reuelari: obsecro, inquam, præclarissima mater, quid post hæc mala futurum est in Ecclesiâ Dei? & illa: His tribulationibus & angustijs, modo imperceptibili hominibus, purgabit Deus Ecclesiam suam sanctam, & suscitabit spiritum electorum suorum: sequeturque post hæc tanta reformatio Ecclesiæ sanctæ Dei, & renouatio pastorum sanctorum, quòd ex solo cogitatu exultat Spiritus meus in Domino: & , sicut aliàs pluries vobis dixi, sponsa, quæ nunc est tota deformis atque pannosa, tunc erit pulcherrimis monilibus preciosis ornata. cunctique fideles gaudebunt, se tam sanctis pastoribus decoratos. Et populi etiam infideles bono Christi odore tracti, ad ouile Catholicum reuertentur, & conuertentur ad verum pastorem & Episcopum animarum suarum. Agite igitur gratias Deo, quòd post hanc tempestatem dabit Ecclesiæ suæ grande serenum. Illyr. Imp. 1 1 1. VVenceslao. Papa 206. Greg. 9.

Eadem orat. 1. 3. 11. 14. & 2 2. Venite igitur, & ædificemus muros Hierusalem, id est, clerum & populum Ecclesiæ reformemus, atque Deum altissimum oremus dicentes: O Domine, respice ad necessitatem Ecclesiæ, sponsæ tuæ: aperi oculum tui in terris vicarij, vt non propter se colat te: sed seipsum & te diligat propter te. Nam dum te amat & se propter se, perimus nos miserè oues eius. At si amauerit te & se propter te, viuemus feliciter, à bono pastore exemplum vitæ recepturi. Fac deniq; , vt tuam voluntatem aspiciat, & operetur ne pereamus: crescat in gratiâ tuâ, vt sit fortis athleta in vexilli sanctæ crucis erectione: purifica eius cor, quò habeat desiderium reformandi Ecclesiam, membraque illius deprauata. Rursus in eo ardeat desiderium honoris tui, & salutis ouium sibi commissarum. Nec acquiescat consilijs carnis, sed boni spiritus. Reforma vitam suorū astantium, vtpote Cardinalium, vt sincero animo ac simplici corde tuam sequantur voluntatem. Illumina atque robora pastorem, ministrosq; eius, vt rectè consulant, & imitentur lumen verum, quod eis infundere dignaberis.

Eadem cap. 1 2 5. Insuper Episcopi debitam solent omittere hospitalitatem, pauperes Christi negligendo, semetipsos impinguando, canes aliaque animalia alendo. & sic vna bestia nutrit aliam, ac si sponte velint esse de numero eorum, in quos Dominus proferat sententiā iustam, Hospes, id est, pauper fui, & non suscepistis me, ideo discedite à me maledicti in ignem æternum. Passim quoque Episcopi penè omnes morbo cupiditatis laborant, aliena rapientes, ecclesiastica bona dilapidantes: quæ diuinis vsibus, & pauperibus Christi dispensare deberent, aliorsum expendunt. Non autem sua sunt, sed duntaxat talium bonorum administrationem gerunt: ideò ipsis, proprietatem eorum sibi imbursare, non licet, quoniam Episcopi ecclesiasticarum rerum procuratores tantùm sunt, non domini. Ait enim canon: Gloria episcopi est, pauperum opibus prouidere: ignominia sacerdotis est, proprijs studere diuitijs.

Item cap. 1 1 9. 1 2 8. 1 2 9. Dicit Dominus: Patientia mea sustinet sacerdotes: qui nisi se correxerint, vniuersæ gratiæ eis concessæ redundabunt in iudicium & confusionem sui, quia veluti obstinati dæmones meam contemnunt misericordiam. Et paulò infrà: ô sacerdos, non attendis, quòd securis iusticiæ diuinæ iam ad radicem arboris vitæ tuæ posita sit? Hoc autem apertissimè noueris, quoniam iniquitates tuæ suo tempore, & loco tibi cum vsurâ compensabuntur, & grauiùs quàm cæteri punieris: nempe pro te, & tuis subditis pœnam lues.

Item c. 1 1 6. A ministris meis non fit mihi debita reuerentia, ideò honor eorum diminuetur, ac ob sua peccata persecutionem sustinebunt. Et paulò infrà: Si sacerdotes vitam suam emendare neglexerint, dignitas sacerdotalis redundabit eis hîc in ruinam, illic ad ignem æternum. Respondit denique Saluator ad quæstionem, quid Dominus facturus sit malis colonis, dicens: veniet Dominus, & perdet colonos istos, dabitque vineam alijs.

Item c. 114. & 119. Fuerunt olim virtuosi, & fideles sacerdotes: sed hodie sunt scelerati. Nam sicut olim rari fuerunt mali, sic hodie raró boni inueniuntur.

Item c. 132. Moderni, & infelices clerici temporalibus incumbentes, ob suam malitiam luce diuinâ priuati, seipsos amant, Dei & proximi dilectionem negligunt: deteriores sunt secularibus, quos vnâ secum perdunt: sanguinem, & lac sugunt ex medullâ Ecclesiæ, vt ipsa palleat: affectum charitatis, quâ Ecclesiam afficere deberent, ad semetipsos retorquent. Ab eâ enim eliciunt beneficia, pensiones, census, & cætera: delicijs, & flagitijs dediti, salutem & curam membrorum ecclesiæ, id est, animarum fidelium Christi negligunt.

Ob eiusmodi reproborum clericorum vitam seculares veniunt ad irreuerentiam, & inobedientiam Ecclesiæ. Quinimò seducuntur à cæcis ducibus, qui (proh pudor) sunt ignari idiotæ, præsumtuosi, hypocritæ, auari, Simoniaci, luxuriosi, inuidi, tardi ad bona opera, proni ad mala, post temporalia currentes: deberent esse lapides templi, sed dicuntur dispersi lapides sanctuarij, id est, ecclesiæ, in capite omnium platearum. Nam sacerdotes, qui contra dæmones ecclesiam defendere deberent cum exercitio spiritualium, sunt dispersi in plateis huius mundi, ignorantes spiritulia, sequentes carnalia.

Vbinam hodie est clericorum decor continentiæ in gestu, victu, vestitu, & risu? In conuiuijs, tabernis, ludis, & theatris, vbique vagantes crebriùs reperiuntur, quàm in locis Deo dicatis. Quàm perniciosa autem, & impertinens sit vniuersali ecclesiæ clericorũ scurrilitas, ignorantia, fornicatio, Simonia, aliaque crimina, quibus modò totus penè clerus est infectus, nemo ambigit.

Et alibi c. 128. & 129. inquit: Clerus ex superbiâ cadet ab altitudine sacerdotalis dignitatis in profundum miseriæ, vt diabolus: quia qui se exaltat, humiliabitur.

Eadem c. 125. Religiosi collocati sunt in religione velut angeli: sed quàm plurimi sunt dæmonibus deteriores. Electi sunt ad annunciandum verbum Dei in doctrinâ pariter & vitâ: ipsi autem conciones suas potiùs ad auditorum ostentationem, quàm ad Dei laudem, vel proximi salutem, cum facundiâ mundanâ componere student. In pluribus denique iniquis deprehenduntur excessibus: facti sunt arma diaboli, corrumpentes religionem intus, in se, & fratribus, ac extrà circa seculares: propria possidere nituntur, aliaq; plura committunt inconuenientia, & præsenti tempore obuiantia religionibus. Quæ licet sint in se bonæ, & instinctu Spiritus sancti inchoatæ, tamen religionum membra frequenter sunt putrida, in tantum, vt à transgressoribus irrideantur humiles sui ordinis obseruatores, vestigia maleuolorum sequi recusantes.

Item c. 14. 113. 114. 121. 122. 125. 126. 127. & 132. Ministri Ecclesiæ quia vbere eius, dulcissimoq; lacte nutriuntur, vtpote viuunt de rebus ecclesiæ, vice versa ad vbera & lac ecclesiæ tenere, ac ex eis alere deberent membra ecclesiæ, quod minimè faciunt. Et infrà: Percipe corde amaritudinem, & dolores super miserias meorum ministrorum. Si debitè attenderent dignitatem suam, & non iacerent in tenebris peccatorum, inquinantes faciem suarum animarum, qui sunt vncti Christi mei, angeli terrestres in corpore Ecclesiæ: sed inuoluunt se luto fœtentis immundiciæ, ex culpâ sibimetipsis crudeles pariter, & proximis per mala exempla. Et infrà: Quocunque te verteris, videbis, omnes clericos, seculares & religiosos, prælatos & subditos, paruos & magnos, iuuenes & senes culpâ infectos, diuitias deliciasque sequentes, pauperum alimoniam, & animarum curam negligentes, temporalibus incumbentes, gratiâ Spiritus sancti simoniacè vendentes, Ecclesiasticis reb. abutentes.

Væ ipsorum vitæ miserabili & infelici! quod Christus suâ pœnâ crucis acquisiuit, hoc cum meretricibus expendunt, animas sanguine Christi redemtas corrumpunt, de patrimonio Christi spurios alunt. Et infrà: Ministri mei nunc pro pectoris sui fibulâ gestant iniusticiam, qua eis coniungitur amor sui, in quo fundantur iniquitates eorum sequentium inordinatas concupiscentias, quibus penè omnes clerici vacant.

Et postea ad clerum: ô diabolicum tabernaculum: elegi vos veluti angelos terrestres, vos autem estis incarnati dæmones, quorum opera facitis. O miserum animal immundum! carnem tuam oleo sancto vnctam, & mihi consecratam meretricibus exhibes, imò deteriùs inquinas! tu oues in Christi sanguine lotas rursus fœdas fimo luxuriæ tuæ, &c. Sed quia animal brutum es, ideo in bestiaibus actibus delectaris, vsque adeò excæcatus, vt non consideres, æterna supplicia tibi esse parata.

Notabit Lector, infrà anno 1455. huius Catharinæ, & ordinis eius denuò mentionem fieri: aliqui enim voluut, ipsum cœpisse anno 1372. quidam 1455. quam dissonantiam ita conciliari posse existimo, vt dicamus, Catharinam tertium ordinem Prædicatorũ ingressam, iuxta priorem sententiam, anno 1370. vel paulò antè. Quia verò constabat ordo ille ex coniugatis quoque, & ijs, qui non adeò strictè viuerent, vt cæteri religiosi: Moniales Catharinam imitari malentes peculiarem sibi formam præscripserunt, & eius nomen assumserunt circa annum 1455.

1380. *Theodorus Magnus Logotheta.*

ANdronicus Maior Palæologus, Imperator Constantinopolitanus etiam Astrologiæ arti operá dedit. Nam cùm Constantinopoli pictus ante sacellum Deiparæ virginis equus, quo sustinebatur Diuus Georgius, media nocte bis hinnitum ederet, Logothetam sibi à consilijs intimum & Astrologum consuluit, quidnam iste insolitus picti equi sonitus portenderet? Logotheta Astrologicam figuram delineauit, ex qua positus siderum & prænotiones futurorum indagauit, hostiumque aduentum & imperij confusionem, nec non imperatorij

principatus discrimen prænunciauit. Et domum tendens Logotheta mœrore conturbatus, querens vxori & liberis dixit: imminet grauis hostium impreſsio nobis, siue terra siue mari aduentantium, sed quorum, nescio, sed nobis grauiſsimas clades importabunt. Hæc Nicephorus Gregoras scribit, qui ex Logotheta ipso audiuit, quem & vt fratrem dilexit, & à quo Astronomicam disciplinam didicit, quam solus eo tempore perfectiſsimè calluit. Imperat. 111. VVenceslao. Papa 207. Vrbano 6.

Nicephorus Gregoras lib. 10. historiæ Romanæ. 1380.

PApæ legatis in vrbem Imperatricem Constantinopolim disputaturis aduenientib. Nicephorus hic in consilio suo ad Patriarcham, eos non admittendos in colloquium, putat, sic inter alia inquiens: Hîc verò cuius emolumenti spe, quo fine proposito, quisquam disputare cum Latinis velit, equidem non video: siquidem nec ipsi nostris, nec nos illorum decretis assentiri vnquam decreuimus, quamuis omnes hoc lapides, omnes stipites clamitant. Quòd si duæ partes sumus qui contendimus, nec tertium veritatis arbitrum & iudicem habere poſſumus, eaque de causâ alterutris de controuersiâ pronunciandum est: nos illorum esse iudices, non illos nostri oportet. Nostrum enim dogma illi non minùs, quàm nos, rectum esse concedunt: solis autem illis videtur, additamentum ab illis excogitatum, & à verâ viâ deflexionem reprehensione vacare, nobis autem minimè.

Si ergo pendente lite noua illorum opinio admittenda est, iudicare & pronunciare nostrum fuerit, non illorum qui rei sunt. Quòd si illi, se diui Petri sedis succeſſores & hæredes esse, dicunt, idq; telum in nos vibrant, vt nubes fulmina, eaque ratione, nos opinionum suarum ministros & executores esse oportere, opinantur, id minimè curandum est. Ob hoc enim maiore odio & auersatione sunt digni, quòd aliter, quàm sancta sede dignum sit, se gerunt. Neq; enim, quæ vellent, dogmata statuere Clementem & cæteros iuſsit Petrus, sed ea ligare quæ liganda essent, ea soluere quæ soluenda essent. At isti, ijs, quæ omnibus sacris concilijs statuta & decreta sunt, neglectis, ea fecerunt quæ ipsis solis placuerunt.

Deinde nec veterem morem ab antiquis & Imperatoribus & doctorib sancitum, violari decet. Est enim in more positum, cùm in Ecclesiâ certamina de dogmatibus mouentur, omnes communi edicto & decreto Ecclesiæ propugnatores citare, nec eos tantùm, qui Euangelij præconij causa metropoles vbique gentium sortiti sunt, sed patriarchicâ etiam autoritate præditos, vt sunt Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Antiochenus antistes, quib. non accersitis causa dabitur, turbandæ concordiæ nostræ, & Ecclesiæ ver in hyemem commutandi. Imp. VVenceslao. Pp Vrb. 6. vt sup.

Idem. Multo antè quàm moreretur ANDRONICVS senior Imp. repererat librum, qui & perplexis literis, & obscuris imaginibus indicia continebat eorum omnium, qui vnquam imperio potituri essent. In quo animi & prudentiæ huius Imperatoris signum præter cætera, erat vulpes: obitus autem tali in loco posita sella, & duo nigro vestitu astantes adolescentuli apertis omninò capitib. Niger autem vestitus, & aperta capita, & duo tantùm adolescentuli Imperatori monasticum cucullum significârunt, & Imperatoriæ calyptræ amiſsionem per biennium. Sub eo enim habitu duos annos exegit.

Idem. In Adrianopolitano palatio ante fores, paulò supra limen superius, circulus depictus inuentus est, & iuxta circulum quatuor animalia depicta, Leo, Pardalis, Vulpes, Lepus: & supra ea versus fatidicus, qui significaret, Imperatorem quendam è Palæologorum familia, vbi Thessalonicam venisset, obiturum esse. Is circulus in altum longitudine duorum virorum à terra distabat, vt incredibile videretur, ab homine depictum esse: nulli enim occasio fuisset scalis appositis ascendendi, & perocium pingendi, cùm & Imperator adesset, & plurimi atq; adeò innumeri & ingrederentur & egrederentur. Michaël autem Andronici F. paulò pòst ibi mortuus est.

Indulgentiæ damnatæ. 1380.

HOc tempore schola Parisiensis, cùm Papæ largiſsimas profunderent indulgentias, tubis, campanis, & alijs publicis testimonijs illas damnauit. Imp. 111. VVenceslao. Pp. 207. Vrb. 6.

Robertus Ormeskircus ex Biblioth. Oxon. 1380.

TEmpore huius Roberti Ormeskirci dicebant quidam eruditi viri, Carmelitas sodales (quòd tetrè VVicleui discipulos infestassent) frustra petijsse suam originem à Carmelo monte, & à Thesbyte Heliâ. Si sacer locus, inquiebant, & tempus longum probos faciunt homines, Satan ipse valde probus est, qui in cœlo cœpit ante hominem creatum. Addiderunt quoque, inaniter gloriari illos in virginis Mariæ titulo: potiùs enim debuissent in suam aduocatam aſsumsisse Ægyptiacam meretricem illam, cùm sint tam egregij sacerdotes. Bal. Imp. & Papa vt sup.

1380. ## *Guilhelmus Paradinus in annalibus Burgundiæ,*

lib. 3. & sequentibus.

DEscribit Paparum ambitionem, auaritiam, luxum, & perfidias erga Imperatores. Inprimis autem Othonis primi reformationem Romanam, & Ecclesiasticorum, cum periculo vitæ. Qui etiam, venenum, & ruinam Ecclesiæ esse diuitias, affirmat. Et præterea, honorem defunctorum ossibus illatum, sacrosanctum Euangelium (cui soli honor debetur) obscurasse.

1382. ## *Eberhardus Comes à Kirchberg.*

HIc Episcopus Augustanus factus, eius in puniendis Cleri criminibus negligentiâ factum est, vt Magistratus aliquos Sacerdotes in terrea cauea publicè expositos, fame necârit: Antecessoris verò huius (quia melior non fuit) cathedrale palatium vnà cum monetaria officina in publico foro à ciuibus dirui mandârit. Munsterus de quo infrà. Imperat. 111. VVenceslao. Papa 207. Vrbano 6.

1382. ## *Philippus Repington.*

PHilippus Repington Leycestriensis cœnobij abbas, & Oxoniensis Academiæ Theologus, VVicleui discipulus, audacter in cleri Papistici corruptissimos mores, atque impura dogmata declamabat tam in sermonibus, quàm etiam in lecturis publicis, in eosque vehementer inuehebatur. Aduersus Romanum Pharaonem, hominum traditiones, fraterculorum mendicabula, sacerdotum prouentus superfluos, decimas, missas, peregrinationes, auricularem confessionem, & huiusmodi plura Oxonij disputabat: suffragantibus ei vnà cum Cancellario eius temporis Roberto Riggo Academiæ procuratoribus.

Scripsit Defensorium VVicleui librum vnum: & pro doctrinâ morali eiusdem, librum vnum. Sed minis tandem coactus 24. articulos reuocauit, Lincolniæque Episcopus factus gregem Christi persequebatur. Imp. VVencel. Papa Vrbano 6. vt sup.

1382. ## *Ioannes Astonus.*

SVper 24. iste articulis contra Papam accusatus, ad perpetuos carceres damnatus fuit. Scripsit autem contra vsurpationes Cleri, de recto vsu Sacramenti, & contra mendicitatem ociosam.

1382. ## *Thomas Netter VValdenus in Fasciculo*

Zizaniorum.

ANno Domini 1382. Ioannes Gallus sacerdos, ob Euangelij prædicationem, per Simonem Cantuariensem archiepiscopum, & Guilhelmum Londinensem episcopum Londini incarceratus, à communi plebe liberabatur à vinculis, interfecto archiepiscopo cum duobus alijs sacerdotum principibus. Deinceps per Angliam peragrans & vaticinia edens, per Robertum Treuilianum Couentriæ captus, adiudicabatur crudeli suspendio, ac membrorũ dilacerationi ad fanum Albani. Moxque idem Treuilianus, summus iusticiarius, eadem pertulit Tiburni, in communi suppliciorum loco suspensus, iusta Dei retaliatione. Imp. VVenceslao. Papa Vrb. 6. vt sup.

Idem. Magnates quidam dicebant, quòd lex continentiæ adiuncta sacerdotio in totam Ecclesiam Sodomiam induxit. Delicata cibaria (inquiunt) virorum Ecclesiasticorum quærunt naturalem purgationem, velp eiorem. Votum continentiæ moniales cogit ad horribilia peccata: vt sunt: interfectiones abortiuorum, destructio naturæ per medicinas, mutuæ libidines, & alia non dicenda. Quibus addiderunt hos versus:

Plangunt Anglorum gentes crimen Sodomorum;
Paulus fert, horum sunt idola causa malorum.
Surgunt ingrati Gyesitæ, Simone nati,
Nomine prælati, hoc defensare parati.
Qui reges estis, populis quicunque præestis,
Qualiter his gestis gladios prohibere potestis?

Anno

Epitome commenti & blasphemiæ execrandæ, quæstus causa excogitatæ, de hostijs Sacramenti viuifici inuentis in VVilsnagk,

Ex Matthæo Ludeco.

ANno 1383. templum & vicus VVilsnacensis exustus est. Sacerdos autem Ecclesiæ illius Ioannes, hinc inde perlustratis ruderibus & cinere, reperit (vt fingebat) iuxta altare inter quisquilias tres hostias sanguine consperlas, quarum virtute pòst multa fiebant stupenda miracula, quæ in libro edito copiosè describuntur: & de ijsdem Albertus Crantzius hæc literis tradidit: Hoc est autem illud tempus anni 84. post mille trecentos, quo cursus ille in VVilsenacum, oppidum Prignissæ VVandalico in solo, cœpit per eam occasionem vulgari. Erant nonnulli in ea regione habitantes vel hostes vel latrunculi, (incertum enim reliquerunt, qui signârunt annales) qui incensa villa VVilsenaco, Ecclesiam pariter in cineres redegerunt.

Sacerdos cùm ad proximam villam confugisset: essetque noctu in strato, audisse fertur vocem: Surge, præpara te sacris ministerijs, dicturus missam in altari exustæ nuper Ecclesiæ. Ille autem primam vocem arbitratus ludificationem, contemsit: repetitâ verò secundò, repetitâ quoque tertiò, non potuit negligere ita firmatam denunciationem. Surgit, & ex more, soluto labiorum penso, ad Ecclesiæ locum proficiscitur. Stabat altare post incendium: duo ibi cerei ex latere vtroque, in medio mundam videt sindonem, inque ea trinam hostiam, quæ videbatur in vnam coaluisse, camq; cruentam. Stupefactus rei nouitate, vnde hostiæ cruentæ post incendium: reuerenter inclinans, & componens quomodo poterat, concitò petit loci Antistitem Hauelbergensem, quid audierit, & deinde quid viderit, enarrat. Miratus & ille, proficiscitur cum Clero: videt, miratur, cuncta percunctatur: vbi præter diuinum miraculum nihil videt, recondit hostiam crystallo: & vicinis primùm locis, inde remotioribus Dei mirabilia nunciantur, accurrunt vndecunque populi, abvsque Vngaria, Francia, Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Norvvegia.

Multa fertur renouâsse Christus Dominus, in reuelatione corporis sacri, sub altaris velamento mirabilia: sed vt fit, vanitate partim populi, partim accedente auaritia cleri, facta & infecta nunciantur. Fuêre aliquando Doctorum super ea re contradictiones, scripsêre nonnulli, quid videretur: sed populus semel incalescens deuotione aut superstitione, non facilè reuocatur: nisi, quòd clarescente nuper in Sterneberg miraculo, cursus prior elanguit, quamuis non omninò interierit. Hæc Crantzius.

Sed & Ioannes Hufs de huiusmodi miraculis fictitijs conscripsit quendam libellum, in quo multis argumentis euincit, ipsa vana esse & nullius momenti: finemque tandem facit hisce verbis: Ex quibus patet, quòd mali spiritus per se, & per homines malos procurant miracula, vt decipiant Christicolas, & seducant.

Sic enim nunc maligni Spiritus per malignos sacerdotes procurant sanguinem in hostia.

Aliquando in hostia consecrata, vt per quendam Monachum in Bononia, qui postmodum comprehensus, & confessus nefas suum, in ferrea catasta in porta ciuitatis diu nutritus, tanquam auis, in huiusmodi pœnitentia vitam suam miserabiliter terminauit.

Aliquando in hostia non consecrata, sicut in Chrudim in Pragensi diœcesi per quosdam Presbyteros, qui confessi scelus proprium erant carceribus mancipati,, quorum vnus mortem subijt, alius effractis carceribus fugam cepit. Aliquando præter hostiam, vt in Cracouiensi diœcesi, rubigo in manubrio crystallino derelicta à lamellâ, velut sanguis Christi fuit per multa tempora adorata, & ibidem resina defluens ab imagine crucifixi fuit habita pro sangine Christi.

Aliquando hostia non consecrata est, tanquam sacramentum venerabile, pro corpore Christi habita, vt in Bohemia in montibus Cutnis, vbi scholaris portans hostias ad villam, amiserat inuitus vnam paruam hostiam, quam reperientes, statim magna multitudine congregata hominum, populi adorabant. Sed per viros sapientes & potentes receptâ hostiâ, veritas est inuenta.

In Vngaria etiam in diœcesi Pozpuiensi, duodecim sacerdotes propter subordinationem sanguinis, fuerunt, vt audiui à multis presbyteris, carceribus inclusi.

Et sunt multa alia loca, in quibus maligni Spiritus per malignos Presbyteros sanguinem prætensum propter auaritiam ordinârunt, qui per mendacia seducunt populum, vt impleretur verbum Christi Matth. 24. Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, & quoniam abundauit iniquitas, scilicet illorum sacerdotum, & refrigescit charitas multorum, scilicet subditorum.

Nam illi iniquitatem cumulant decipiendo, & populus refrigescit in charitate, in ipsorum verbis & miraculis confidendo, quæ tamen eis non proderunt, dicente Domino Hierem. 23. Audiui, quæ dixerunt Prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium.

Et infrà: narrauerunt somnia, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis, cùm ego non misissem eos, nec mandâssem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.

Et quomodo mendaces sint Sacerdotes isti, qui, miracula se edere, proclamant, probat idem Huss adducto hoc manifesto exemplo. Nam bonæ memoriæ Petrziko de Ach, ciuis Pragensis, manum habens contractam, obtulit in VVilsnack, in nomine illius sanguinis quem ibidem prædicant, manum argenteam, & volens experiri, quid prædicarent presbyteri de illa manu, mansit vsq; in diem tertium, & ipso præsente in Ecclesia proclamauit Presbyter in ambone dicens: Audite pueri miraculum: ecce vnus ciuis Pragensis sanatus est in manu contracta per sanguinem Christi, & in testimonium illius, ecce obtulit istam manum argenteam. Ipse verò stans eleuata manu, dixit: O sacerdos cur mentiris? ecce adhuc manus mea est contracta, sicut priùs. Et istius facti testes sunt hodie in Praga amici sui & familia. Hæc Hussus.



Vt igitur dictum, ad prodigiosum hunc Christi cruorem invisendum, multi quotidie confluebant homines ex Dania, Suecia, Bohemia, Vngaria, alijsque quàm plurimis locis, totum iter, religionis ergò, pedibus emensi.

In ipsis templi adytis pendebat lanx (vt puto, ex textu Danielis cap. 5. Appensus es in statera, & inuentus fuisti leuior.) magna, in quam exteri huc peregrinantes collocari solebant, sacrificulis asserentibus, per eam multitudinem peccatorum explorari posse.

In altera bilancium stetit homo (mas vel fœmina) peccator: in alteram imponebantur allata ab ipso munera, & primùm quidem panis, lardi, cereuisiæ, vini, vel aliorum victualium. Quòd si igitur pondera huic lanci imposita grauitate non superabant hominem stantem in bilance altera, dixerunt sacrificuli, oportere eum insignem esse peccatorem, multorumque criminum reum: & tunc eum addere plura oportuit, interdum etiam auri & argenti pondera.

Cùm verò bilanx ista plura iam, vt erat multorum capax, capere non posset, tunc demum sacrificus (libripens) bilancem alteram, in qua stetit aut sedit homo peccator, eleuari in altũ permisit: (erat. n. adulterata & fallax lãx illa: nã sub ea habebat occulta quædam, adque dolum composita restis, qua pedibus illam depressit sacrificus, humique tam diu detinuit, donec immissorum munerum satis esse putauit) atque hoc pacto omnium peccatorum plenam & totalem remissionem homo impetrare potuit.

Peregrinatoribus verò, vbi iam votis suis satisfecerunt, & sacrificijs absolutis domum remearunt, data sunt simulachra quædam ex plumbo fusili fabrefacta instar hostiarum cruentarum, in testimonium, ipsos sanctum istum locum visitâsse. Quique peregrinabantur longiùs, præfixerunt ea pileis, & sic saluum conductum quacunque eundi obtinuerunt.

De his fictitijs miraculis scripsit anno Domini 1400. Doctor Ioannes VVünschelbergius, & pios illa fugere iussit. Idem fecit Henricus à Token, canonicus Magdeburgensis doctissimus, (de quo & alibi in hoc opere) qui Episcopum illius loci acriter reprehendit & obiurgauit, quòd turpis lucri gratia has abominationes toleraret: & de hoc aliquot extant adhuc eius epistolæ.

Cùm verò Episcopo Hauelbergensi hoc figmentum quotannis immensam pecuniarum vim pareret, hoc ad Pontificem Romanum detulit negotium, qui, interueniente pecunia, illud de nouo approbauit, adeoque eò deuentum est, vt etiam à duobus concilijs, Constantiensi & Basiliensi, publicis suffragijs & diplomatis fuerit confirmatum.

Anno autem 1551. quidam reformatæ religionis illi Ecclesiæ præfectus fuit, Ioachimus Elfeldt, vt ibi concionaretur, & sacra faceret: is pius, & ardens zelo verbi Dei atque veritatis, durantem adhuc idolomaniam illam ampliùs ferre nolens, falsas hostias exussit.

Verùm Canonici Hauelbergenses videntes, quanto sibi detrimento sit ablatio hostiarum, pastorem conijciunt in vincula, & consilium petunt ab Vniuersitate Lipsiæ & Francofurti, volentes ipsum, tanquam hæreticum & miraculorum destructorem, publicis addicere flammis. Sed dictæ Vniuersitates, nihil se, ob multas difficultates, ad propositam quæstionem respondere posse, rescripserunt.

Nihilominùs tamen Hauelbergenses executuri sententiam suam, ipsum capitis damnârunt, & igni etiam exussissent, nisi Principis Electoris Brandenburgensis potentia obstitisset eis, qui liber-

tari eum restituit, & patria abire iussit. Integram historiam habes editam à Matthæo Ludeco, Decano Ecclesiæ Hauelbergensis, anno 1586.

Pupilla Oculi Ioan. de Burgo. 1384.

SCripsit Ioannes de Burgo librum hoc titulo, ex qua apparet, meretriciæ artis sacrificulos non fuisse inscios. Tradit enim in illo arcana quædam, qualiter & coniugatæ, & etiam meretrici extra matrimonium pœnitentia sit iniungenda. Imp. VVenceslao. Papa Vrbano 6. vt sup.

Magister Ioannes Muntziger. 1384.

IOannes Muntziger rector scholæ Vlmensis anno 1384. recitauit publicè in schola orationem quandam, in qua contendit, corpus Christi non esse Deum: atque ideò nec adorandum vt Deum, adoratione latriæ, vt Sophistæ loquuntur. Eadem postea & scriptis defendit. Fecit autem id eo fine, quòd voluit ostendere, Sacramentum non esse adorandum.

Asseruit quoque, Christum in resurrectione omnem sanguinem, quem effuderat in passione, secum assumsisse: volens nimirùm inferre, cruores istos Christi, qui passim adorantur, non verè Christi sanguinem dici posse, nec adorari debere. At opposuerunt sese ei mox monachi, vtpote quibus ex talibus idololatrijs vberrimus quæstus prouenit.

Tandem, de voluntate etiam Senatus ciuitatis, reiecta est res ad scholam Pragensem, quæ probauit quidem propositiones prædicti Rectoris scholæ: sed tamen sacramentum adorandum esse, statuit, propter concomitantiam diuinitatis, de quâ sophistæ ociosè in sacramento speculantur & rixantur. Cat. Imp. VVenceslao. Papa Vrbano 6. vt sup.

Cuiusdam Episcopi Coloniensis illaudabile factum. 1388.

ANno Domini 1388. pro ducatu Lympurgensi depugnabant acerrimè Dux Brabantiæ, & Comes Gellerensis. Immiscebat etiam se bello Episcopus quidam Coloniæ Agrippinæ, sed in conflictu acierum à Comite Bergensi, qui Duci suppetias ferebat, capiebatur, & vsque dum interpositis quibusdam conditionibus comes acquiesceret, in vinculis aliquot annorum spatio detinebatur. Exsolutus ergò cùm pro conductu saluo comitem, & vt ipse viam secum iniret, compellaret: ille facilè tantum ipsi largitus est, atque iterambo iam ingrediuntur.

At vbi ad pagum Teutsch, è regione Coloniam, interfluente Rheno, respicientem, est deuentum: Episcopus omni fraude instructus, & arte Pelasgâ, subornatis sicarijs, iam longiùs digressum comitem dat capiendum, & rectà in vincula conijciendum: quibus sanè per omnem vitam miser ille numquam poterat liberari. Eum etiam immanis Episcopus æstiuo tempore, ferreis inclusum cancellis, atque totum melle & abdomine oblitum vespis, & fucis, alijsque bestiolis volatilibus compungendum, & ita miserè diuexandum propinauit. Ea fuit illius sancta humilitas, ea fides, deuotio, & charitas. Imp. VVenceslao. Papa Vrb. 6. vt sup.

Ex libro scholæ Parisiensis de Periculis Ecclesiæ, qui scriptus est anno 1389. 1389.

SVper illud Apocaly. 6. Et cùm aperuisset quartum sigillum, audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni & vide: & ecce equus pallidus, &c. Gloss. Videns diabolus, nihil se nec per apertas tribulationes, nec per apertas hæreses posse, mittit falsos fratres, qui sub habitu religionis obtinent naturam rufi & nigri equi, peruertendo fidem: id est, tantam faciunt persecutionem in Ecclesia, quantam fecerunt aperti tyranni, quos appellat rufum equum: & aperti hæretici, quos appellat equum nigrum.

Vnde persecutio istorum æquiparabitur illis duabus persecutionibus transactis: & ideò, quia sub specie pietatis decipient, plùs poterunt nocere Ecclesiæ Dei, quàm aliqui homines alij huiusmodi speciem non prætendentes: quia sicut dicit Greg. in pasto. Nemo plùs nocet in Ecclesia Dei, quàm qui peruersè agens, nomen habet sanctitatis, & ordinis: propter hoc plùs nocere poterunt, quia e-tunt familiares inimici. Imp. VVenceslao. Papa Vrb. 6.

Ibidem. Profectò iurisdictio negociorum forensium, & quæ ipsis Prælatis in terris extitit, & possessio honorum temporalium apud ipsos non diutius remanebunt. Cur enim habeant carnalia bona Ecclesiæ, qui spiritualia bona non ministrant? 1. Cor. 9.

Anno

Quàm dolosè præcedant illi seductores ad inducendum memorata pericula, prædicit Apo-
stolus consequenter: quòd, licet non habeant curam vel regimen animarum sibi commissarum,
tamen autoritate propriâ, callidè subintrabunt domos singulorum, rimantes proprietates, siue se-
creta cuiusq;: quod fieri non posse constat, nisi ingerant se ad audiendum confessiones.

Cùm autem rimati fuerint secreta & proprietates huminum per confessiônes, vel alio modo,
tunc subdolis, ac versutis verbis primò seducent mulieres, & postea per eas viros earum: sicut dia-
bolus priùs seduxit Euam, & per eam Adam. Seducent etiam præter mulieres, & viros, quos
inuenient seductibiles ad modum mulierum. Adeoque seducent eos, vt scilicet ad se, siue ad con-
silia sua ducent, quòd redigent eos in propriam potestatem, quasi captiuos, aut per iuramenta, aut
per vota astringendo.

Ibidem c. 12. Eorum enim Deus venter est, qui fœdâ curâ necessaria sibi prouident. Isti dici pos-
sunt, se immittere secularibus negotijs: quoniam ex tali causâ vt plurimùm colligunt magnam pe-
cuniam, contra Apostolum dicentem 2. Timoth. 2. Nemo militans Deo, implicat se secularib. ne-
gotijs. Glossa: Illa negotia sunt secularia, cùm quis occupatur colligendæ curâ pecuniæ, sine labore
corporis. Cura enim non manibus operatur. Heu modò non attenderent viri religiosi, qui se curijs
Principum ingerunt: quòd Petrus semel curiam principis intrauit, & ter Christum negauit.

Ibidem c. 14. Per hoc enim, quòd aurum & argentum recipiunt, apparet, quòd non causâ salu-
tis prædicant, sed causa lucri. Nam Matth. 10. scriptũ est: Nolite possidere aurum, neque argentum.
Gloss. si hæc habeant, non videntur prædicare causâ salutis, sed causa lucri. Idem dicit Hier. super
Malach. Quia quidam Prophetæ pecuniam accipiebant, prophetia eorum facta est diuinatio; id est,
prophetia eorum declarata est non prophetia, sed diuinatio: id est, non esse à Deo, sed à diabolo: &
hoc legitur 1. q. 1. nunquam diuinatio, &c.

Illi ergò prædicatores, qui circumueniunt homines, vt dent eis bona sua temporalia, siue in vi-
tâ, siue in morte, non sunt veri Apostoli, sed pseudo. Item paulò pòst: Signum est, quòd veri Apo-
stoli non cupiunt corporalia bona eorum, quibus prædicant, per quod discernuntur à lupis, id est,
pseudo apostolis. Actor. 20. Argentũ & aurum nullius concupiui. Gloss. Per hoc cognoscuntur lupi,
quòd talia concupiscunt. Et paulò pòst: Illi ergò prædicatores, qui quærunt hospitia, vbi meliùs pa-
scantur, & recipiunt munera malorum diuitum, vt eorum mala tegant, dolis illorum munera re-
cipiunt.

Ibidem. Circa 8. videlicet, quòd non longè remota sint illa pericula nouissimorum temporum,
& quòd eorum inquisitio, & repulsio non sit magis differenda, ex eo patet sic: quia dicit Apostolus
2. Cor. 10. Nos sumus, in quos fines seculorũ deuenerunt: Gloss. Quia in vltimâ ætate seculi sumus.

Post enim istam sextam ætatem, quæ est Pugnantium, cum quâ currit septima ætas, quæ est
Quiescentium: no est ventura ætas alia nisi octaua, quæ est Resurgentium. Ergò nos sumus in vlti-
ma ætate huius mundi, & illa ætas non minùs durabit quàm aliæ, quæ currunt per millenaria anno-
rum: quia istæ iam durauerunt per 1264. annos.

Verisimile est, quòd nos sumus prope finem mundi, & periculis nouissimorum temporum pro-
pinquiores, quæ futura sunt ante aduentum Christi: præcipuè cùm dicatur Iacobi 5. Ecce iudex an-
te ianuam assistit. Gloss. Veniet citò ad retribuendum. Item Ioachimi super Ierem. Omne tempus à
1200. vltrà æstimo periculosum. Item ad Hebr. 10. Adhuc aliquantulum modicum, qui venturus
est, veniet, & non tardabit. Item Philip. 2. Scimus, quia nouissima hora. Gloss. id est, scimus, quòd
absque dilatione dies iudicij veniet. Item Matth. 20. Circa vndecimam verò horam exijt, &c. Gloss.
Vndecima hora est ab aduentu Christi usque in finem mundi: & certum est, quòd huius vndecimæ
iam transacti sint 1264. anni vsque ad hoc tempus huius anni: relinquitur ergò, quòd in nouissi-
mis temporibus sumus, & illis valdè propinqui.

Sed præter has prædictas authoritates, ostendemus per octo signa, quòd iam prædicta pericula
instant.

Primum est, quoniam iam transacti sunt 55. anni, quòd aliqui laborabant ad mutandũ Euan-
gelium Christi in aliud Euangel. quod dicunt fore perfectius, & melius, & dignius, quodque appel-
lant Euangelium S.S. siue Euang. æternum, quo adueniente euacuabitur Euang. Christi: vt parati
sumus ostendere in illo Euang. maledicto. Hoc autem signum manifestũ est, quòd propè est tem-
pus Antichristi, de quo in Psalmis: Constitue Domine super eos legislatorem. Gloss. Antichristum,
legis prauæ latorem. Et in eodem: Auferuntur iudicia tua à facie eius, id est, Antichristi.

Secundum signum est, quòd illa doctrina, quæ prædicabitur tempore Antichristi, videlicet
Euangelium æternum, positum fuit iam publicè ad exemplandum anno Domini 1255.

Nisi enim veniat primùm defectio, non veniet Filius iniquitatis, 2. Thessal. 2. Vnde caueant
Episcopi, ne dicti prædicatores pseudoprophetæ procurent eorum percussionem, id est, ablationem
potestatis eorum, sicut significatur in Euangelio æterno.

Tertium signum est, quòd, sicut in Babylone reprobâ, postquàm visa est manus scribens, Ma-
ne, Thecel, Phares, statim secuta est subuersio eius, Danielis 5. Sic & in Babylone dilectâ, id est, in Ec-
clesiâ, cùm iam visa sit dicta scriptura, propè sunt pericula eius. Tria autem ista verba iam visa sunt
scripta in Ecclesiâ: scripta enim sunt in illo maledicto libro, quem appellant Euangelium æternum,
quod iam in Ecclesia propalatum est, propter quod timendum est de subuersione Ecclesiæ. Pri-
mum verbum est Mane, id est, numerauit Dominus regnum tuũ, & conclusit, vt exponitur Dan. 5.

Ibi

ibi enim numeratur regnum Ecclesiæ secundùm Euangelium Christi, & concluditur in 1260. annis ab incarnatione.

Item ibi inuenitur Thecel, quod est, appensũ in staterâ, & inuentum est minus habens, vt exponitur Dan. 5. Nam ibi comparatur Euangelium Christi ad Euangelium æternum, id est, inuentum est habens minus perfectionis, & dignitatis, quàm Euangelium æternum, tantò scilicet, quantò minùs lucet Luna, quàm Sol, & quantò minus valet testa quàm nucleus: & multæ tales ibi positæ sunt comparationes, quibus probatur, minus valere Euangelium Christi, quàm Euangelium æternum. Item in scripturâ illâ, id est, in Euangelio æterno inuenitur Phares, quod interpretatur, diuisum est regnum tuum à te, vt exponitur Danielis 5. Nam ibi inuenitur, quòd Euangeliũ Ecclesiæ diuiditur post prædictum tempus ab illis, qui tenent Euangelium Christi, & dabitur tenentibus Euangelium æternum.

Sic ergò certum est, quòd scriptura illa, Mane, Thecel, Phares, visa est in Ecclesia, vnde nihil aliud restat principibus Eccl. qui sedent in mensa scripturæ, nisi quòd surgant de mensa ad obuiandum subuersionibus Ecclesiæ, secundum quod præcepit Dominus per Esa. 21. vbi loquitur de eadem materia dicens, Comedentes & bibentes. Glos. id est, sanguinem & carnem Domini nostri Iesu Christi, scilicet principes. Surgite & accipite gladium. Glos. sumite armaturam fidei, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, in quo possitis ignita tela diaboli extinguere.

Nihil etiam restat speculatoribus Ecclesiæ, id est, prælatis, nisi ascendere speculas, vt quodcunque viderint, annuncient, iuxta præceptum Domini paulò pòst datum Esaiæ 21. Vade, pone speculatorem, vt, quodcunque viderit, annunciet. q. d. Excita prælatos ad speculandum.

Quartum signum est, quòd, appropinquante fine seculi & aduentu Antichristi, quidam, qui apparent in Ecclesiâ sanctiores & tamen faciunt quod displicet Christo, corrigentur per aliquos, iuxta visionem Ioannis de correctione Ecclesiarum Apoc. 2. & 3. Ipsi autem correptores tradentur in tribulationem, & procurabunt, vt ab omnibus odio habeantur, & vt aliqui ex eis occidantur. Et hoc est, quod dicitur Matth. 24. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: & tunc propè erit consummatio seculi. Hoc enim signum & tria sequentia sunt de propinquis signis ipsius consummationis, & initia dolorum, quæ erunt tempore Antichristi. Vnde sequitur ibidem: Hæc omnia initia dolorum sunt, scil. qui erunt tempore Antichristi.

Quintum signum est, quoniam, appropinquante consummatione seculi, illi, qui videntur sanctiores in Ecclesiâ, reprehendentur de falsâ sanctitate, & de suâ præsumtione: propter quod multi, tam ipsi scilicet quàm eorum fautores, scandalizabuntur: & hoc dicitur consequenter Matth. 24. & tunc scandalizabuntur multi.

Sextum signum est, quoniam, appropinquante consummatione seculi, surgent in Ecclesiâ prædicatores, commendantes semetipsos, contra Apostolũ 2. Cor. 10. Nos non audemus nosmetipsos inserere, aut comparare quibusdam, qui semetipsos commendant. Glos. sicut pseudoprophetæ, qui semetipsos commendant, non eos Deus, & extollentes se, & gloriantes vltra mensuram Ecclesiæ, quã mensus est Deus 2. Cor. 10. Glos. Vltra mensuratũ sibi à Deo populum, qui gloriantur in prædicando plebib. suis: & isti sub specie sanctitatis multos seducent, id est, à consilijs prælatorum ad sua consilia ducent: & hoc est quod dicitur Matth. 24. Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.

Septimum signum est, quòd, appropinquante consummatione seculi, quidam, qui videntur in Ecclesiâ maximi zelatores fidei, & maximè amare Christum, dimittent Euangelium Christi, & adhærebunt Euangelio æterno, quod ex toto absorbet fidem Christi: vnde refrigescet charitas, quia sermo Dei non custoditur, Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c. Et tunc implebitur signum Matth. 24. Et quoniam abundabit iniquitas. Glos. id est, infidelitas, refrigescet charitas multorum.

Octauum signum, quoniam, appropinquante consummatione seculi, annunciabuntur necessaria signa propinqua consummationi seculi, vt sic intelligant metuentes Christum, propè esse consummationem seculi, & dolorum, qui erunt tempore Antichristi: iuxta illud Psal. Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vel à signis annunciantis: tunc veniet consummatio.

Vnde Deus, postquàm illa nunciari præcepit, statim subiungit Matth. 24. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio.

Cùm ergò iam annuncientur signa prædicta, vt necesse est nunciari, quoniam iam apparent satis, apparet ex verbis Domini, quòd citò ventura est consummatio seculi.

Qui hæc signa non vident esse iam in Ecclesiâ, dormire videntur: vnde acquiescamus consilio Apostoli 1. Tim. 5. Non dormiamus, sed vigilemus. Euigilate ergo iusti 1. Cor. 15. Et per signa prædicta, quæ iam apparent, videbunt, consummationem seculi propè esse: & dolorem, qui erit tempore Antichristi, iam inchoari.

Patet ergò, quòd non est ampliùs differenda speculatio, & repulsio dictorum periculorum, præcipuè, cùm tempore Apostoli mandauerit ea Apostolus prædicari cum instantiâ tam volentibus quàm nolentibus, tam repugnantibus quàm recipientibus: & causam subiungit, scilicet, quoniam futurum erat, vt multi sanam doctrinam non reciperent, sed vount illa tantùm sibi prædicari, quæ libenter audiunt.

Et hoc videmus temporib. istis, cũ quidam homines sustinere non possunt, vt dictorũ periculorũ

veritas prædicetur. Hoc est quod dicit Apostolus 2. Timoth. 3. Testificor coram Deo & Chri-
sto Iesu : id est, adiuro te, teste Deo Patre, & Iesu Christo, qui venturus est iudicare viuos &
mortuos, prædica verbum, instá opportunè & importunè, argue, obsecra, impera in omni pa-
tientiâ, & doctrina.
Sequitur: Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt. Glos. Quasi onus sit
eis: sed secundum sua desideria coaceruabunt sibi magistros. Glos. multos, qui eos doceant quæ
volunt. Prophetia est hæc sancti Apostoli, qui fuerat præscius futurorum. In doctrina enim prædi-
citur instandum, vt contra hoc, quod futurum erat, præparetur Ecclesia.
Tales enim prædicit futuros, qui pro desiderijs doceri volunt, & à magistris constantibus, &
veracibus ad hos conuertantur, qui hæc illos doceant, quæ libenter audient: quia veritas aspera eis
videbitur, vt relictâ verâ doctrinâ fabulis vacent. Et sic patet ex prædictis, quòd non sunt remota lon-
gè, sed propinqua, dicta pericula: & quòd eorum speculatio & inquisitio, & repulsio non sint am-
pliùs differendæ.

M. Matthias Parisiensis.

1390. Matthias cognomento quidem Parisiensis, fortè quòd ibi diu studuerat, sed natione Bohemi-
us, vt opinor, (certè in Bohemia diu vixit ac docuit) valdè prolixum librum de Antichri-
sto scripsit, ac probat, eum iã venisse: subinde non obscurè, ipsum Papã esse Antichristũ, subindicans.
Insectatur alioqui grauiter vitia turpitudinesque Cleri, & officij sui in regendâ Ecclesiâ Dei
neglectionem. Locustas in Apocalypsi descriptas, dicit, esse hypocritas in Ecclesiâ regnantes. Dicit
quoque, opera Antichristi esse, quòd fabulæ & adinuentiones hominum in Ecclesia regnent: quòd
passim statuæ & falsæ reliquiæ colantur. Item quòd alij alios Sanctos ac Seruatores pro Christo co-
lant. Nam ait, vnumquemque hominem, & vnamquamque ciuitatem suum Christum habere, ia-
ctare, hic aut ibi esse Christum, & vel hunc vel illum Sanctum pro Christo ac suo Seruatore colere.
Negat, esse alligandam pietatem, aut cultum diuinum ad loca, personas, aut tempora, tanquã
hoc loco magis exaudiaris, quàm illo, aut hoc tempore, quàm alio, &c.
Reprehendit monachos, quòd relicto vnico Seruatore Christo, sibi suos Franciscos, Domini-
cos, &c. elegerint, quos pro suis Seruatoribus habeant, ac de quib. triumphent & glorientur, plurima
de eis comminiscentes ac mentientes. Negligere ait monachos, vel potiùs sepelire verbum Cristi:
& pro eo celebrare, ac omnibus obtrudere suas regulas, & canones.
Affirmat, id vehementer pietati obesse, quòd sacerdotes, monachi, & monachæ, sese solos spiri-
tuales, reliquos mundanos, ac seculares vocitent: ad se solos opinionem sanctitatis, & pietatis tra-
hant, & alios homines, totamq; politicam & domesticam vitam, tanquam prophanam præ suâ con-
temnant: sic enim partim desperare de salute laicos, partim etiam pietatis curam remittere.
Scribit quoque, Antichristum omnes Vniuersitates, & eruditorum collegia seduxisse, ita vt
iam nihil sani doceant, aut Christianis rectè suâ doctrinâ præluceant. Denique prædicit futurum, vt
Deus adhuc semel pios doctores excitet, qui spiritu, ac zelo Eliæ feruentes, errores Antichristi, i-
psumque Antichristum mundo patefaciant, ac refutent.
Inseruit autem suo opusculo de Antichristo, etiam aliorum de eâdem materiâ scripta, ac sen-
tentias, vt scholæ Parisiensis, conciones Vuilhelmi de S. Amore, & M. Militzij ac aliorum quorun-
dam veterum.
Iacobus Misnensis testatur in suo libello de Antichristo, multos prædicto M. Matthiæ eximium
testimonium honestissimæ vitæ, summæque pietatis præbere. Cat. Imp. VVenceslao. Pp. Vrb. 6.

Matthias Paris in historia Anglica.

ANno Domini 1252. verno tempore imminente, vt cum serenitate anni respiraret ab ipsâ Ec-
clesiâ dominus Papa, quem Perusienses honorificè receperant, scientes, ex eius aduentu emolu-
menta peruenire, septem creauit Perusij Cardinales. Et cùm neptes suas fastigiosè nimis, & sumtuo-
sè maritasset, apposuit adhuc, vt suam partem magis roboraret, vnam neptem suam Henrico filio
Friderici, nepoti scilicet Regis Angliæ, matrimonialiter copulare, vt idem Henricus fieret quasi fili-
us Papæ adoptiuus, & sub alis Ecclesiæ protectus, & à sententiâ, quâ innodabatur, penitus absolu-
tus, summâ pacè sibi gratularetur. Quod cùm Magnates Imperij audirent, maximam conceperunt
indignationem, eò quòd præsumeret Papa, tam nobilem, tamque generosum adolescentem igno-
bilitare.
Idem. Non semper Missis, sed frequentiùs sermonibus audiendis est vacandum.
Idem. Anno Dom. millesimo, ducentesimo, quinquagesimo octauo, cùm obijsset ex improuiso
M. Bernhardus de Nymphâ, non procul ab vrbe Româ oriundus, vir equidẽ vafer & nummosus, qui
Clericus extiterat Richardi Comitis Cornubiæ, & extortor nummorum à cruce signatis argumento-
sus, inuentum est vnum scrinium eius plenum schedulis bullatis, & non scriptis, vt pro voluntate suâ
talibus chartis, cùm scriberentur, abutens, ab insontibus pecuniam, quasi authoritate papali, fraudu-
lenter extorqueret.

Idem. Anno Domini millesimo, ducentesimo, quinquagesimo sexto, ex prodigalitate Prioris Vuintoniensis expulsi, recepit mensa papalis incrementum qualibet die per annum vnius marcæ argenti in redditu perpetuo, quem dominus Papa patentibus rictibus deglutiuit. Sunt autem in anno dies trecenti, & sexaginta quinque: reditus igitur extortus ad tot marcas ascendit. Et cachinnantibus Romanis, recessit idem Prior infecto negocio de curiâ, omni fraudatus proposito desiderato. Nam munera sui aduersarij, videlicet Electi Vuintoniensis, ad plus ascendisse perhibentur.

Idem. Anno Dom. M. CC. XXVIII. Imperator Fredericus 2. cùm à referentibus, se excommunicatum, cognouisset, perturbatus est valde: & sicut Papa (Gregorius 9.) per literas suas in omnibus Christianorum finibus latam fecerat sententiam publicari, ita dictus Imperator scripsit vniuersis Regibus & Principibus Christianis, conquerens, sententiam in se fuisse iniuriosè latam.

Denunciauit etiam singulis, & vniuersis, se non friuolis excusationibus, sicut ei Papa mendosè imposuit, à peregrinatione reuersum inchoatâ, sed maximæ infirmitatis causâ, illius super hoc testimonium inuocans, qui est testis in cœlo fidelis. Affirmauit insuper, quia quàm citiùs sibi Deus prosperitatem præstiterit corporalem, votum suæ peregrinationis (sicut decet Imperatorem) cum honore congruo persoluere Domino procurabit.

Inter cæteros siquidem catholicos Reges, literas auro bullatas Anglorum Regi transmisit, proponens in eisdem, Romanam Ecclesiam tanto iam auaritiæ succensam esse incendio, & concupiscentia manifestâ, quòd bonis Ecclesiasticis non sibi pro voto sufficientibus, Imperatores, Reges, & Principes exhæredare, & tributarios constituere non vereatur. Habeat autem de præmissis Rex Anglorum ex seipso exemplum, cuius patrem, Regem scilicet Ioannem, tam diu excommunicatum tenuit, quousque ipsum & regna eius constituit sub tributo.

Habeant etiam generaliter omnes idem exemplum de Comite Tholesano, & alios Principes multos, quorum terras & personas tam diu sub interdicto concludere molitur, donec illos in consimilem redigat seruitutem. Simonias, exactiones diuersas, & à seculis inauditas, quas in Ecclesiasticas personas incessanter exercent, vsuras manifestas, & palliatas, quibus hactenus incognitis totum mundum inficiunt, prætermitto.

Sermones habent super mel mellitos, & super oleum mollitos, insatiabiles sanguisugæ, dicentes, curiam Romanam esse Ecclesiam, matrem nostram, ac nutricem: cùm sit omnium malorum radix & origo, non materno, sed actus exercens nouercales, ex cognitis fructibus suis certum faciens argumentum. Reuolsant hæc inclyti Barones Angliæ, quos Papa Innocentius bullatis literis communitos animauit, vt in Regem Ioannem quasi Ecclesiæ inimicum insurgerent obstinatum.

Sed postquàm enormiter memoratus Rex est incuruatus, & se suumque regnum Ecclesiæ Romanæ, velut effœminatus, mancipauit, prædictus Papa proceres, quos priùs sustinuit & excitauerat, postposito mundi pudore, Dominique timore, conculcauit, morti expositos, & miserabiliter exhæredandos, vt more Romano, proteruo hiatu, quod pinguuis erat, proh dolor, absorberet: & factum est, quòd incitante Romanorum auaritia, princeps prouinciarum facta est sub tributo.

Ecce mores Romanorum, ecce laquei Prælatorum, quibus vniuersos ac singulos quærunt illaqueare, nummos emungere, liberos subiugare, pacificos inquietare, in vestibus ouium, cùm sint intrinsecus lupi rapaces, Legatos huc & illuc mittentes, excommunicare, suspendere, punire potestatem habentes, non vt semen, id est, verbum Dei seminent fructificandum, sed vt pecuniam extorqueant, colligant, & metant quæ nunquam seminauerunt. Sicque fit, vt Ecclesias sactas, pauperum refugia, & sanctorum mansiones diripiant, quas pij ac simplices patres nostri in refectionem pauperum, ac peregrinorum & religiosorum sustentationem fundârunt.

Exnunc ad imperia & regna degeneres & ignobiles (quos solæ literæ faciunt insanire) ausu temerario contendunt anhelare. In paupertate quidem & simplicitate fundata erat Ecclesia primitiua, cùm sanctos, quos catalogus sanctorum commemorat, fœcunda parturiret. Sed aliud fundamentum nemo potest ponere, præter illud, quod positum est à Domino Iesu, ac stabilitum.

Porrò quia in diuitijs nauigant, in diuitijs volutantur, in diuitijs ædificant: timendum, ne paries inclinetur Ecclesiæ, ne maceriâ depulsâ, ruina subsequatur.

In nos etiam, nouit scrutator omnium, iniustè debacchantur, dicentes, nos nolle terminis transfretasse constitutis, cùm multa me de eo & Ecclesiæ & Imperio ineuitabilia ac ardua negocia, præter infirmitatis incommoda, detinebant. Quorum primum fuit rebellium Siculorum insolentia.

Nec videbatur nobis, sanum fuisse consilium & expediens Christianitati, nos in terram Sanctam transisse, bellum intestinum post terga relinquentes: sicut nec medico, ferro infixo vulneri, fomentum adhibere medicinæ.

In conclusione quoque demum hoc adiecit, exhortans orbis Principes vniuersos, vt contra tantam sibi prospiciant auaritiam, & iniquitatem, quia

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Idem. Anno Domini 1240. dominus Legatus accepit in mandatis domini Papæ, vt iam excogitato alio argumento pecuniam à fidelibus abraderet hoc modo, qui per sequens scriptum diligenti Lectori satis manifestatur.

Ille, vel ille Episcopus dilectis in Christo filijs omnibus Archidiaconis per diœcesin suam constitutis, salutem. Literas domini Legati suscepimus in hæc verba: Otho, &c. Cùm, sicut intelleximus, nonnulli Cruce signati regni Angliæ, qui sunt inhabiles ad pugnandum, ad sedem Apostolicam accedant, vt ibidem à voto crucis absolui valeant: & nos nuper receperimus à summo Pontifice in mandatis, vt tales non solùm absoluere, verùm etiam ad redimenda vota sua compellere debeamus: volentes eorum parcere laboribus & expensis, paternitati vestræ, quâ fungimur authoritate, mandamus, & quæsumus, vt potestatem prædictam à summo Pontifice nobis concessam, faciatis in vestris diœcesibus sine morâ quálibet publicari, vt præfati Cruce signati ad nos accedere valeant, beneficium super hoc iuxta formam nobis traditam accepturi. Datum Londini 15. Calend. Mart. anno Pontificatus domini Gregorij Papæ decimo tertio.

Idem. Eo tempore, quo mortuus est Fridericus filius, Ipsemet etiam pater morbo, & alijs oppressus aduersitatibus inconsolabiliter doluit. Vnde humiliatus (secundum illud Dauidicum: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine) obtulit honestam pacis formam domino Papæ. Sed Papa lætificatus de aduersitatibus illius, noluit, quæ obtulit, acceptare: vnde multorum incurrit indignationem, & Francorum Nobilium, qui cœperunt ipsum Fridericum consolari, & eidem adhærere, & superbiam serui seruorum detestari.

Idem. Papa & tota curia Romana, eò quòd cruce signati venduntur, & absoluti pro pecunia absoluuntur, & multiformiter retardantur, gratiam tam cleri, quàm populi diatim amisit. Tota Christianitas exortis ex odio, & discordiâ inter ipsum Papam, & Fridericum bellis perturbatur, & Ecclesia vniuersalis periclitatur.

Idem. Rex Ioannes nouerat, & multiplici didicerat experientiâ, quòd Papa (Honorius 3.) super omnes mortales ambitiosus erat, & superbus, pecuniæque sititor insatiabilis, & ad omnia scelera pro pecunijs datis, vel promissis cereus, vel procliuus. Missis igitur sub omni festinatione nuncijs, magnam thesauri summam ipsi transmisit, & promisit ampliorem, spopondítq́; suum se esse, & semper fore subiectum tributarium, eâ conditione, vt nacta subtiliter occasione, Cantuariensem Archiepiscopum confundere niteretur, & Barones Angliæ, quos priùs fouerat, excommunicaret.

Idem de Alexandro 4. Papa. Et quid de te Papa? qui pater sanctitatis, speculum pietatis, tutor iustitiæ, & custos veritatis toti mundo deberes lucere in exemplũ, tali consentis, talem laudas, & tueris? Sed hac de causâ exhaustorem pecuniæ Anglicanæ tibi inclinantem defendis, vt in barathrum Romanæ auaritiæ omnia demergantur.

Idem. An. Dom. 1246. diffinitum erat in parlamento apud Anglos, vt efficaciter scriberetur domino Papæ, vt à consuetis oppressionib. cessaret. Scripserunt igitur episcopi per se, scripserũt abbates & priores, scripserũt comites & barones, scripsit & ipse rex, ita vt ferina potuerint emollire corda. Eodē anno Papa audiens per quosdã susurrones, quòd clerici quidã in Angliâ opulenti, morbo repentino correpti, indecenter à seculo migrassent, statuti fecit, vt defunctorũ clericorum bona in eius vsum deinceps cederent. Nam Ioannes Hotoft, archidiaconus Northamptonensis sic moriens 5. marcarum millia, cum 30. cuppis argenteis, & aliquot aureis, atque infinitis pocalibus reliquit. Ita etiam fecerunt Robertus Hayles archidiaconus Lincolniensis, Almaricus archidiaconus Bedfordiensis, & alij plures. Cùm hæc ad regis aures peruenissent, arctè præcepit, ne inaudita hæc nouitas procederet, nec prælati quicquam illi contribuerent. Sed his cognitis, frendens Papa rescripsit, vt contributio solueretur, potentes executores mandati constituens Vuintoniensem ac Norvvicensem episcopos. Hi verò negotium Papale fulminibus ita exequebantur, vt territis prælatis, regi silentium imposuerint, vt ne mutiret quidem. Non enim iuuat frustratorios regis conatus describere, cùm finem tam flebilem sortiantur. Assumens ex præteritis audaciam Papa, miseros Anglos opprimere non cessabat. Sed & solito imperiosiùs prælatis mandabat, vt omnes in suis beneficijs residentes, tertiam bonorum suorum partem ei per triennium conferrent: non residentes dimidiam, adiectis conditionibus durissimis. Ad quod exequendum, episcopum Londinensem vicarium constituit. Atque vt eò celeriùs fierent, Eadmundum Abyndonium canonizauit. At rex per suos clericos hæc fieri prohibuit. Et postquàm Papa & sui clientes Imperatorem deposuissent, in eius necem proditoriè conspirauerunt.

Idem. Anno Domini millesimo, ducentesimo, XLVIII. Archiepiscopus Cantuariensis B. qui in partibus Lugdunensibus, minùs solicitus quantum ad animarum custodiam, & Ecclesiæ, domino Papæ militauit, ab Ecclesijs in suâ Prouincia vacantibus, quas per annum retinuit, authoritate fultus Apostolicâ, thesaurum non minimum, à miserrimâ Angliâ, quæ facta est vinea ab apris exterminanda, quam vindemiant omnes prætereuntes, extorsit. Et vt magis corda spoliatorum cruentaret, per Decanum Beluacensem, suum in hac procuratorem, fecit denunciari, omnes fuisse excommunicatos, qui clàm vel palàm obloquentes vel detrahentes, gratiam, quam dominus Papa concesserat, & contulerat eidem Archiepiscopo, quomodolibet impedirent, vel fraudem facerent

suprà

suprà dictis, exceptis tantummodò domino Rege & Regina, & eorum liberis, & nobili viro Comite Richardo. Et hoc mandatum per totam Angliam in singulis Ecclesiis diuulgatum, in multorum cordibus indignationem, tum propter ipsam iniuriosam, & inauditam auidamque pecuniæ extorsionem, cùm propter annexam adulationem, generauit, dominumque Regem talia tolerantem, & talibus consentientem præcordialiter maledixerunt.

Idem. Anno D. 1226. venit magister Romanus ad partes Gallicanas, à domino Papa (Honorio 3.) missus, vt ibi legationis officio fungeretur: quò cùm peruenisset, fecit conuocare Regem Francorum cum Archiepiscopis, Episcopis, & Clero Gallicano ad concilium, cum comite Tholosano, pro quo specialiter ad partes illas missus fuerat, sicut sequens relatio declarabit.

Conuenerunt igitur ad Bituricam ciuitatem ad concilium Lugdunensis, Remensis, Rothomagensis, Thuronensis, Bithuricensis & Auxianensis Archiepiscopi: Burdegalensis verò Romæ fuit, & Narbonensis Ecclesia vacabat. Conuenerunt igitur nouem prouinciarum Suffraganei circiter centum, cum Abbatibus, & Prioribus, & singulorum procuratoribus capitulorum, mandatum summi Pontificis audituri. Sed quoniam Lugdunensis Archiepiscopus vendicabat sibi primatiam super Archiepiscopum Senonensem, & Rothomagensis super Bithuricensem, Auxianensem, Narbonensem, & eorum suffraganeos, timebatur de discordiâ, & ideò non fuit sessum quasi in concilio, sed vt in consilio. Quibus sedentibus, & lectis in publico legationis literis, apparuerunt Comes Tholosanus ex vnâ parte, & Simon de Monte forti ex alterâ, qui petiit, sibi restitui terram Reimundi comitis Tholosani, quam dominus Papa, & Rex Francorum Philippus sibi, & patri suo contulerunt, exhibens supra donatione factâ vtriusque, Papæ scilicet & Regis, munimenta. Addiditque, comitem Reimundum abiudicatum fuisse Romæ in concilio generali propter hæresin, quæ dicitur hæresis Albigensium, ad minus à parte maiori terræ, quam nunc tenet.

Econtrà Comes Reimundus obtulit, se facturum erga Regem Francorum & Ecclesiam Romanam, quicquid facere deberet pro hæreditate suâ. Tunc cùm peteret pars aduersa ab eo, vt subiret iudicium duodecim Parium Galliæ, respondit Reimundus: Recipiat Rex homagium meum, & paratus sum subire: quia fortè non haberent me pro Pari, si secus fieret. Cumque hinc inde fuisset plurimùm altercatum, præcepit Archiepiscopis singulis Legatus cum præsentibus, vt conuocatis seorsim vnusquisque Suffraganeis, cum eis deliberarent super negocio præfato, & traderent Legato consilium suum redactum in scripto. Quo facto, Legatus excommunicauit omnes qui super hoc sua consilia reuelarent, dicens, se ea velle domino Papæ significare, & Francorũ Regi ostendere.

Post hæc ostendit Legatus domini Papæ authenticum, in quo exegit à singulis Ecclesiis cathedralibus duas præbendas, vnam à capitulo, & alteram ab Episcopo. Et in Cœnobiis similiter, vbi sunt diuersæ portiones, Abbatis scilicet & Conuentus, duas exegit præbendas, vnam ab Abbate & aliam à Conuentu, æquali facta distributione bonorum suorum, à Conuentibus, quantum pertinet ad vnum monachum, sicut ipse interpretatus fuerat legatus, & ab Abbate tantundem. Tunc allegauit commoda, quæ possent inde prouenire, illud videlicet, quòd amoueretur scandalum à Romanâ Ecclesiâ, quæ mater est omnium Ecclesiarum, concupiscentia scilicet, quæ radix est omnium malorum, cùm nullus pro aliquo negocio in curiâ Romanâ faciendo aliquid offerret, vel aliquis oblata reciperet.

Ad hoc respondit procurator Archiepiscopi Lugdunensis: Domine, nullo modo volumus esse sine amicis in curiâ, & largitate donorum. Alii æquè sua incommoda allegabant, damna scilicet rerum, consiliorum, auxiliorum, obsequiorum, in hunc modum: Erit enim in qualibet diœcesi, vel ad minus in prouinciâ nuncius vnus continuus, procurator Romanus, qui non viuet de proprio, sed graues exactiones & procurationes exiget ab Ecclesiis maioribus, & fortè etiam minoribus, vt nullus remaneat impunitus, nomenque procuratoris habens, legati officio fungetur.

Item dixerunt, imminere turbationes capitulorum: fortè enim demandaret dominus Papa, cùm vellet, procuratori suo, vel alii, vt vice suâ interesset electionibus, qui eas turbaret: & sic lapso tempore deuolueretur electio ad curiam Romanam, quæ in omnibus vel pluribus Ecclesiis Romanos poneret, vel tales, qui eis plurimùm essent deuoti. Et sic nullæ essent partes indigenarum Prælatorum, vel principum, cùm multi sint viri Ecclesiastici, qui potiùs curiæ Romanæ, quàm Regi vel regno prouiderent. Item addiderunt, quòd si proportionaliter fieret bonorum distributio, omnes in curiâ fierent diuites, cùm multò plus essent recepturi, quàm Rex proprius. Et sic non solùm diuites, sed & ditissimi fierent. Cùm igitur vermis diuitum sit superbia: maiores vix causas audirent, sed eas in immensum differrent, & minores scriberent inuiti.

Cuius rei experimentum in euidenti est, quia & modò negocia protrahunt, etiam post percepta obsequia, & securitatem percipiendi: & sic periclitaretur iustitia, & oporteret conquerentes mori in ianuis Romanorum tunc plenissimè dominantium. Item, cùm vix possibile sit, fontem cupiditatis desiccari, quod nunc faciunt per se, tunc facerent per alios, & suis multò maiora, quàm nunc, dari munera procurarent. Modica enim nulla sunt in conspectu diuitum cupidorum. Item multæ diuitiæ facerent Romanos insanire, & sic inter diuersas parentelas tantæ orirentur seditiones, quòd posset timeri totius excidium ciuitatis, cuius etiam & modò penitus expers non est.

Item dixerunt, quòd, licet se obligarent, qui modò præsentes sunt, id non susciperent eorum successores, nec illam obligationem ratam haberent. Nouissimè autem sic negocium concluserunt: Domine, moueat vos zelus vniuersalis Ecclesiæ, & sanctæ sedis Romanæ: quia si omnium esset vniuersalis oppresio, posset timeri, ne immineret generalis discessio, quod Deus auertat. His auditis, respondit legatus (vt videbatur, plurimùm commotus in his omnibus) se, cùm esset in curiâ, nunquam huic exactioni consensisse, & has literas accepisse, postquàm Galliam fuerat ingressus, & se multùm super hæc doluisse. Addidit etiam, se, quicquid præceperit, tali conditione, licet tacitâ, intellexisse, si Imperium & alia regna consentirent. Adiunxit insuper, se nihil ampliùs super hæc attentaturum, donec per regna alia Prælati consenserint, quod credidit, prouenire non posse.

Idem. Anno Domini 1226. cùm magister Otto, domini Papæ nuncius, tempore quadragesimali ad Northanhumbriam profecturus, & procurationes desideratas exacturus, Northamtonam vsque peruenisset, venerunt ad eum (Cantuariense Archiepiscopo procurante) literæ domini Papæ, in quibus continebatur expressum, vt statim visis literis Romam veniret, eius potestate penitus eneruata.

Obliquo igitur oculo literis inspectis, demisso vultu, eas proiecit in ignem. Atque illicò proposito mutato, clitellis vacuis ab Anglia recessit confusus, iniuncto Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, sicut erat in literis domini Papæ expressum, vt conuocatis Rege & omnibus Angliæ Prælatis, responsum eorum super negocio, pro quo idem Otto missus fuerat, domino Papæ transmittere non omittat. Magistro igitur Ottone Angliam à tergo salutante, Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus, vocatis ad concilium cunctis apud VVestmonasterium, post Pascha, quod negocium tangebat, recitari fecit literas suprà dictas de beneficiis Romanæ Ecclesiæ conferendis, coram Rege & Prælatis Angliæ, qui ad eius vocationem plenè conuenerant. Sed illis auditis, ac diligenter intellectis, singuli singulos ad risum mouebant super concupiscentia Romanorum, qui illud morale non intelligunt, videlicet,

Quòd Virtus reddit, non copia, sufficientem:

Et non paupertas, sed mentis hiatus egentem.

Tunc Rex, conuocatis seorsum Prælatis & quibusdam Magnatibus, hoc Archiepiscopo dedit responsum: Ista, quæ suadet nobis dominus Papa, vniuersam Christianitatis latitudinem respiciunt, & quia nos quasi in extremis orbis constituti sumus partibus, cùm viderimus, qualiter cætera regna erga tales se habuerint exactiones, dominus Papa, cùm ab aliis regnis habuerimus exemplum, in obsequiis nos inueniet promtiores. Et his dictis, concessa est omnibus licentia recedendi.

Idem. His sic Deo dispensante ordinatis, inuidente antiquo seminatore schismatum & discordiarum Sathana, incolæ terræ, præcipuè Templarii & Hospitalarii, inuidentes factis Imperatoris, sumserunt cornua ex odio Papali. Audierunt enim, quòd iam Papa Imperium hostiliter inuaserat. Volentes igitur, omnia magnalia hæc eis adscribi, qui à tota Christianitate tot prouentus recipiunt, &, solummodò ad terram sanctam defendendam, tantos redditus ingluriunt, & quasi in voragine barathri demergunt, significauerunt subdolè ac proditiosè Soldano Babyloniæ, quòd Imperator proposuit adire flumen, vbi Christus baptizatus est à Ioanne baptista, ibidem Christi vestigia, & præcursoris eiusdem, quo non maior surrexit inter natos mulierum, pedes cum paruo comitatu clàm humiliter adoraturus: & ibidem posset ad votum eundem Imperatorem vel capere vel trucidare. Quod cùm audiret Soldanus memoratus, & super hoc chartam noto sibi sigillo signatam conspexisset, detestatus est Christianorum versutiam, inuidiam, & proditionem, & maximè eorum, qui videbantur habitum religionis cum crucis charactere baiulare: & aduocans duos secretissimos ac discretos consiliarios, instillauit auribus illorum vniuersa, ostendens eis epistolam, cui adhuc signum adhærebat, & ait: Ecce fidelitas Christianorum. Inspectisque literis, post longam ac diligentem deliberationem, sic responderunt: Domine, inita est pax vtrobique beneplacita, quam violare facinorosum foret: sed ad omnium Christianorum confusionem, mittatis hanc epistolam cum signo adhærente, ipsi Imperatori, & erit vobis amicissimus, & meritò. Quorum consiliis Soldanus obtemperans, misit dictam epistolam Imperatori, & omnem dolum prælocutum ei denunciauit. Insuper dum hæc fierent, Imperator per diligentissimos & expeditissimos exploratores suos commonitus, priùs hæsitabat, non credens, tantam maliciam de religiosis prorupisse. Et dum sic dubitaret, venit nuncius Soldani ad eum, dictam portans epistolam ei, per quam pleniùs de prædictis significabatur. Gaudens igitur, quòd laqueos abscondítos euasisset, omnia cautè dissimulabat, vsque ad tempus retributionis, & quæ ad reditum in terram suam fuerant necessaria, præparauit. Et hoc fuit seminarium odii inter Imperatorem & Templarios ac Hospitalarios.

Idem. Anno Domini M. CC. XXXI. suborta est in Angliâ maxima rerum perturbatio, imò vt verum fateamur, indiscreta præsumtio, propter Romanorum insolentiam clericorum, quæ tam nobiles regni, quàm ignobiles ad temerariam compulit vltionem, sicut in subscriptis expressum continetur. Tali Episcopo, & tali Capitulo Vniuersitas eorum, qui magis volunt mori, quàm à Romanis confundi, salutem. Qualiter circa nos & alias personas ecclesiasticas Angliæ hactenus se habuerint Romani, & eorum Legati, vestram non dubitamus latere discretionem

benefi-

Anno

beneficia regni sui, secundum quod eis placet, conferendo, in vestrum, & omnium aliorum regni intolerabile præiudicium & grauamen. In vos etiam & coëpiscopos vestros aliasque personas ecclesiasticas, ad quos collatio beneficiorum pertinere dignoscitur, (quod magis dignum est pro confusione notari) suspensionis sententias fulminando, ne alicui de regno beneficia conferatis, donec quinque Romanis nec dum proprio nomine nominatis, imò nato Rumfredi, & nato talis & talis, in singulis Ecclesijs vestris per totam diœcesin sit prouisum, vnicuique eorum vnum in redditu centum librarum.

Alia etiam grauamina quàm plurima tam laicis, & magnatibus regni super aduocationibus suis, & eorum eleemosynis, ab eis & antecessoribus suis datis in pauperum regni sustentationem, quàm clericis & alijs viris religiosis regni, super rebus & beneficijs, inferunt. Nec præmissis contenti, ad vltimum à clericis regni beneficia, quæ obtinent, vt ea Romanis conferant, non secundum quod decet, sed sicut eis placet, auferre volentes, in se (fas & nefas contemnentes) illam intendunt prophetiam adimplere: Spoliauerunt Ægyptios, ut ditarent Hebræos, multiplicando gentem suam, non magnificando lætitiam: sic dolorem dolori nobis & vobis omnibus accumulando, vt melius nobis videatur mori, quàm viuere sic oppressis. Vnde licet graue sit nobis contra stimulum calcitrare, tamen quia qui nimis emungit, elicit sanguinem, nos seueritatem eorum animaduertentes, qui ab initio tanquam aduenæ sunt ingressi Romam, nunc autem nos non tantùm iudicare, sed etiam condemnare intendunt, allegantes onera importabilia, quæ nec in se nec in suos digito mouere volunt, de communi consilio magis elegimus, licet tardè, resistere, quàm eorum oppressionibus intolerabilibus ampliùs subiacere, seu maiori subiici seruituti. Hinc est, quòd vobis mandamus, districtè inhibentes, quatenus, cùm nos Ecclesiam, Regem similiter & regnum nitamur à tam graui iugo seruitutis eripere, circa eos, qui de Romanis vel eorum redditibus se intromittunt, nullas partes vestras interponere præsumatis, pro certo sciturі, quòd si huius mandati, quod absit, extiteritis transgressores, quæ vestra sunt, incendio subiacebunt, & pœnam, quam Romani incurrent in personis, vos in possessionibus vestris indubitanter incurretis. Valete.

Item, Religiosis & aliis, qui habent Ecclesias Romanorum ad firmam, vniuersitas prædicta salutem. Post innumerabiles confusiones, & infinita grauamina, quæ Romani, vt scitis, regno Angliæ inflixerunt ad præsens, in præiudicium Regis & Magnatum regni, circa aduocationes Ecclesiarum suarũ, & eleemosynas eorum, qui clericos regni spoliare nituntur beneficijs suis, vt ea Romanis conferant, in maiorem regni, & nostri confusionem, de communi consilio Magnatum elegimus, magis, licet tardè, resistere, quàm eorum oppressionibus intolerabilibus de cætero subiacere, & eos per subtractionem beneficiorum suorum per totum regnum, quod alijs intendebant inferre, sic arctare, vt à regni molestatione desistant.

Hinc est, quòd vobis mandamus, districtè iniungentes, quatenus de firmis Ecclesiarum, siue de redditibus camerarum, quas de Romanis habetis, vel debetis eis, de cætero neutiquam respondeatis: sed dictas firmas, & redditus habeatis paratos in crastino Dominicæ, quâ cantatur, Lætare Hierusalem, procuratori nostro literatoriè à nobis ad hoc dato: Abbates scilicet & priores, in suis monasterijs: alij verò presbyteri & clerici, vel laici, ad proprias Ecclesias tradituri: pro certo scientes, quòd, si hoc non feceritis, quæ vestra sunt, incendio subiacebunt, & nihilominùs periculum, quod Romanis imminet in personis, vobis imminebit. Valete. His ita gestis, prædicta vniuersitas misit per milites & ministros literas has, nouo quodam sigillo signatas, in quo sculpti erant duo gladij, & inter gladios scriptum erat: Ecce gladij duo hîc, in modum citationum ad Ecclesias regni cathedrales: vt si quos inuenirent contradictores, iuxta quod prouisum fuerat, punirent eos.

Idem. Anno gratiæ millesimo, ducentesimo, quadragesimo, permittente vel procurante Papa Gregorio, adeò inualuit Romanæ Ecclesiæ insatiabilis cupiditas, confundens fasque nefasque, quòd deposito rubore, velut meretrix vulgaris & effrons, omnibusque venalis & exposita, vsuram pro paruo, Simoniã pro nullo inconuenienti reputauit, ita vt alias affines prouincias, imò etiam puritatem Angliæ, sua contagione maculârit. Cuius etsi multa, quæ se offerunt, exempla abũdant, tamen vnum saltem duxi, vt pateat, quàm iustè, etsi serò, excanduit ira Dei in dictam curiam, breuiter memorandum.

Dominus Papa Gregorius cuidam suo cupiens speciali subuenire, missis in Angliam literis, quosdam super Ecclesijs dignoscitur sic aggrauare. Missum est tunc temporis Abbati & conuentui de Burgo mandatum Apostolicum, cum precibus armatis, & monitis terrificis, vt redditum alicuius Ecclesiæ, cuius patrocinatus ad eos spectabat, quæ annuatim centum ad minus valeret marcas, Papæ conferrent. Et si in duplo plus valeret, benè ei complaceret: concederet autem dominus Papa ipsis illam Ecclesiam tenẽdam ab eo ad firmam annuam, ita scilicet, vt pro ea annuatim centum marcas soluerent domino Papæ, omne residuum in proprios vsus conuertentes. Et vt memoratos Abbatem & Conuentum ad consensum huiusmodi prouisionis (imò potius perniciosæ pactionis, & Simoniæ, & occultæ fraudis) quasi proprio vsui necessariæ, inde faciliùs dominus Papa inclinaret, scripsit quibusdam clericis Transalpinis, in Anglia optimè beneficiatis, vt ipsos super hoc efficaciter admonerent, deinde compellerent, eis concessâ potestate. Ipsi igitur Papalibus parentes iussionibus, venerunt Burgum, vocatisq; Monachis dixerunt: Ecce fratres & amici, imminet vobis ad manum magnum Papale beneficium. Postulat enim à vobis, quod vos deberetis flexis ge-

nibus & iunctis manibus ab ipso humilimè postulare. Et cùm cuncta seriatim, quæ peteret Papa, explicassent: spoponderunt ipsi, quòd quasi fideiussores & fideles executores, omnia hæc fideliter ex parte Papæ consummarent, dummodò petita clàm, quasi sine scandalo, concederent postulata, facientes de necessitate virtutem. Ipsi autem responderunt, se sine Regis permissione hoc facere non posse, qui patronus est & fundator huius & multarum in hac regione Ecclesiarum. At ipsi clanculò hæc fieri flagitabant, similia in aliis Ecclesiis facturos se sperantes, & ab illa concessione sumentes exempli consequentiam.

Monachi autem nolentes fallacibus circumueniri sermocinationibus, inducias petierunt, donec Abbas eorum, qui tunc absens erat, domum rediens, assensum, si videret expedire, huic præberet postulationi. Miserunt igitur ad Abbatem suum, huius rei seriem eidem explicantes. Abbas autem per quendam fidelem & prudentem clericum suum VVilhelmum de Burgo, Regem, & eius super hoc consilium est affatus, intimans pericula, quæ inde emergere potuerunt. At Rex concipiens, huiusmodi factum Ecclesiæ illius, & consimili modo aliarum esse detrimentum, cùm ipse sit earum defensor, patronus, & gubernator, laqueos absconditos & Romanæ curiæ detestans auaritiam, prohibuit districtiùs, ne tam enorme factum ampliùs etiam aëra macularet.

Idem. Anno D. 1252. in tantum permissa est Romanorum auaritia, & in tantum adeò ascendit, vt Episcopus Lincolniensis super hoc stupefactus, fecerit à suis Clericis diligenter computari, & considerari alienorum prouentus in Angliâ, & inuentum est, & veraciter compertum, quòd iste Papa præsens, videlicet Innocentius quartus, plùs Ecclesiam vniuersalé depauperauerat, quàm omnes prædecessores à tempore papatus primitiui. Redditusq; Clericorum per ipsum in Angliâ alienorum, quos Ecclesia Romana ditauerat, ad plus quàm 70. millia marcarum ascendit. Redditus merus non ad eius partem tertiam computatur.

Idem. Anno D. 1256. cùm quidam Iudæi, infames de morte miserabili pueri Lincolniæ crucifixi, per iuramentum 25. militum morti adiudicandi, in carcere Londinensi reseruarentur ad suspendium, secretos nuncios, prout æmuli eorum affirmant, ad fratres Minores miserunt, vt intercederent pro eisdem, vt à morte, & carcere liberarentur, qui tamen morte digni erant turpissimâ. Ipsi verò, vt perhibet mundus, si mundo in tali casu credendum est, mediante pecuniâ, ipsos suis precibus, & intercessione, & à carcere, & à morte quam meruerant, liberârunt.

Idem. Anno Domini M. CC. XL. comperiens Legatus, Papam cum Imperatore treugas vsque ad Concilium in proximo Paschate celebrandum accepisse, iratus valdè, significauit eidem, quòd effœminatus animo & pusillanimis frangebatur, metius in desperationem, & immeritò, cùm in solâ Franciâ iam collectam adunauerat in auxilii suum pecuniam, vnde per annum integrum bellum consertum contra imperatorem valeret indubitanter intrepidus continuare. Vnde Papa hæc audiens, pœnitens & dolens, quòd treugas acceperat, vocauit magistrum Ioannem de Columna, & dominum Reimundum, excellentes Cardinales, dictarum treugarum mediatores, & aduersus Imperatorem intercessores, & dixit Ioanni: Confundor in memetipso, quòd treugas concessi inimico Ecclesiæ Frederico. Vade igitur tu, qui interpres fuisti super hoc inter nos, festinus ad ipsum, ipsas me nolle acceptare, denuncians, me illi inimicum fore ex hoc nunc & inantea, sub diffiduciatione audacter attestando. Cui Ioannes: Absit, domine, hæc leuitas verborum in ore tanti viri ad tantum Principem destinanda, præcipuè per nos, qui non vulgares reputamur: huic enim consilio instabilitatis ac infidelitatis nequaquam consentio, sed constanter contradico. Cui Papa: Nec ego de cætero te habeo pro Cardinali. Et ait ei Ioannes: Nec ego te pro Papâ. Et sic recessit, de amico factus aduersarius: iuxta illud: Quidam Imperator iniuriosus dixit in irâ, & superbiâ cuidam suo Senatori: Recede, non te ampliùs pro Senatore habeo. Cui Senator intrepidus: Nec ego te pro Imperatore. Sicut subditus domino, ita dominus subdito tenetur.

Idem. Anno Domini M. CC. XL. quidam, quasi honestæ vitæ ac seueræ vir, habitum & gestum prætendens ordinis Cartusiensis, captus est apud Cantabrigiam, nolens intrare Ecclesiam aliquam. Super quo deliramento requisitus, cùm secus, quàm deceret, respondisset, arctiori custodiâ reseruabatur, ita quòd post paucos dies sequentes transmissus est ad Legatum, in turri Londinensi recludendus. Palàm enim asseruit, Gregorius (Nonus) non est Papa. Non est caput Ecclesiæ. Sed aliud est caput Ecclesiæ. Ecclesia prophanata est, nec debent in ea diuina celebrari, nisi reædificata fuerit. Vasa & vestimenta eius reconsecranda sunt. Diabolus solutus est: Papa, hæreticus. Polluit Ecclesiam, imò mundum, Gregorius, qui Papa dicitur. Et præsentibus & audientibus domino Abbate R. de Euesham, & magistro N. de Firham, magistris quoque P. de Burdegali, & H. de Susa, & multis aliis, dixit Legatus illi deliranti: Nónne concessa est desuper potestas domino Papæ soluendi animas, atque ligandi, vt vices beati Petri exsequatur in terris? Et cùm omnes expectarent, quid responderet, credentes iudicium ab hac sua responsione dependere, ait sub interrogatione, & non sub assertione: Quomodo possem credere, quòd cuidam Simoniali, & vsurario, & fortè maioribus facinoribus inuoluto, concedatur talis potestas, qualis concessa fuit beato Petro, qui immediatè factus est Apostolus, & secutus est Dominum, non tantùm incessu pedum, sed virtutum claritate?

Idem. Anno Domini M. CC. XL. inceperunt ipsi Prædicatores fratres & Minores, & alii viri literati, præcipuè Theologi, Cruce signatos absoluere à voto suo, acceptâ tamen pecuniâ, quanta sufficere videbatur vnicuique ad viaticum vltramarinum. Et factum est in populo scandalum

cum schismate. Absurdum enim videbatur etiam simplicibus, quòd tam diuersis muscipulis simplicem Dei populum substantiâ suâ moliebatur Romana curia priuare, nihil petens, nisi aurum & argentum.

Proposuit etiam dominus Papâ eodem tempore, & dignum censuit, extorquere quintam partem bonorum in redditibus vltramarinorum clericorum beneficiatorum in Angliâ, ad ingerendum grauamen Imperatori, quem vndique pericula inimicorum cingebant, quos Papa per pecuniam, ab Angliâ collectam & extortam, sustentabat. Nec desinebat interim omnes absoluere, qui eidem Imperatori fidelitate tenebantur: & induratum est odium horribile, diatim suscipiens incrementum. Dicebant etiam Regi sui fideles: Domine princeps nominatissime, quare permittis, Angliam fieri in prædam & desolationem transeuntium, quasi vineam sine maceriâ, omni communem viatori, ab apris exterminandam: cùm habeas efficax priuilegium, vt non fiant tales in regno isto exactiones: nec sit dignus priuilegio, qui eo concesso abutatur? Quibus talia persuadentibus, ait: Nec volo, nec audeo domino Papæ in aliquibus contradicere. Et facta est in populis desperatio nimis deploranda.

Idem. Anno Domini M. CC. XXXIX. scripta quædam, quæ videbantur futurorum esse prognostica, propter imminentia pericula, & discordiam ortam inter tam graues personas, quibus non sunt maiores, imò nec pares, ad memoriam sunt redacta, & recenter recitata. Quorum vnum est hoc sequens:

Excitabitur Roma contra Romanum, & Romanus substitutus Romani Romano imminet. Allenabuntur virgæ pastorum, & solatium eorum erit in ocio. Turbabuntur seduli, & orabunt: & in lachrymis multorum erit requies. Humilis alludet furibundo, & furor extinguens palpabitur. Nouus grex serpet ad cumulum, & qui intitulantur in Veteri, tenui cibo cibabuntur. Frustrata est spes sperantium, & requiescit solatium, in quo parant fiduciam. Qui in tenebris ambulârunt, ad lucem redibunt. Et quæ erant diuisa & dispersa, consolidabuntur. Non modica nubes incipiet pluere: quia natus est immutator seculi. Leoni substituetur agnus: & agni in leones deprædabuntur. Surget furor contra simplicem, & simplicitas attenuata spirabit. Decor conuertetur in dedecus, & gaudium multorum erit luctus.

Hisce dictis intellectæ (anno Gratiæ 1119. inscripto) comminationes iam instare tunc dicebantur. Aliud scriptum est, quod videtur procurasse Imperator, fertur tamen pro vero, quòd inuenti sunt hi versiculi in cubiculo Papæ scripti, modus autem & author penitus ignoratur:

Fata docent, stellæque monent, auiumque volatus,
Totius mundi malleus vnus erit.
Roma diu titubans, variis erroribus acta,
Totius mundi desinet esse caput.

Quos versus, cùm dominus Imperator, & alii multi interpretabantur, in interitum & desolationem Papæ, & Romanæ curiæ redundasse, Papa in eundem Imperatorem hos versiculos retorquebat:

Fama refert, scriptura docet, peccata loquuntur,
Quòd tua vita breuis, pœna perennis erit.

Idem. Anno Domini M. CC. XXXVIII. ad tantam ausus est proteruiam impetu temerario prorumpere Antiochenus Archiepiscopus, consentiente Germano Constantinopolitano Archiepiscopo, Græcorum aduocato, & vices agente Antipapæ, quòd dominum Papam cum tota sua Romana Ecclesia & curia inani authoritate excommunicauit. Et illam blasphemando, se autem suamque Ecclesiam, solenniter prædicando, tempore & dignitate domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ præposuit, & esse & fuisse Romanâ Ecclesiâ excellentiorem, eò quòd beatus Petrus Apostolus primò Ecclesiam Antiochenam cum summo honore rexerit per septennium, ibidem cum summa qua decuit receptus reuerentia, & similiter honorificè incathedratus: Romæ verò fuerit multis iniuriis & conuitiis multipliciter lacessitus: tandemque mortem sub Imperatore Nerone passus, cum coapostolo suo sancto Paulo, speciali Græcorum doctore, diræ mortis supplicium consummauit. Vnde meritò charior & amabilior eidem esse tenetur ea ciuitas, & regio cum suis ciuibus & omnibus incolis, quæ eidem beato Petro Apostolo honorem & reuerentiam contulerunt, quàm quæ dedecus & tormenta inflixerunt: Potestatemque ligandi & soluendi liberaliter potiùs Ecclesiæ Græcorum contulisse, quàm Romanæ, quam simoniæ & vsuræ, auaritiæ & aliorum facinorum maculis constat iam sordere.

Idem. Anno Domini M. CC. XXXVI. facta est prædicatio solennis tam in Angliâ, quàm in Franciâ à Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, & aliis famosis clericis, Theologis, & religiosis, per autenticum domini Papæ, cruce se signaturis plenam concedentibus peccatorum indulgentiam, de quibus confessi verè fuerint pœnitentes.

Qui ciuitates, castella, & pagos peragrantes, & in temporalibus multa remedia promittentes, scilicet de vsuris contra Iudæos, ne ampliùs currerent, & protectionem domini Papæ in redditibus & rebus impignoratis pro viaticis suis, omnibus cruce signatis, infinitum populum ad votum peregrinationis accinxerunt. Et postea misit dominus Papa in Angliam fratrem Thomam Templarium familiarem suum, cum autentico suo, vt quos vellet, & prout expedire videret, cruce signa-

ros, acceptâ pecuniâ, quam se ducebat vtiliùs ad promotionem terræ sanctæ expensurum, à voto peregrinationis absolueret.

Quod cùm viderent cruce signati, admirantes insatiatam Romanæ curiæ cupiditatem, magnam conceperunt mentibus indignationem, quòd tot argumentis nituntur Romani tam impudenter loculos emungere populorum. Addiderunt namque Prædicatores: Quòd si quis cruce signatus vel non signatus, qui in propriâ personâ iter peragere non posset tam laboriosum, quod facultas permitteret in bonis, in subsidium terræ sanctæ conferre non omitteret, & sic plenissimè indulgentia gauderet prænominata.

Sed hæc omnia auditores suspicaces reddiderunt. Dicebant namque: Ecquis dispensator noster fidelis erit? Sicq; factum est, quòd dominus Papa, concepta indignatione aduersus populum, mouit guerram, & nummos extorquens, collegit decimam ex omnibus regionibus, & infinitam pecuniam adunauit, vt Ecclesiam defenderet. Sed citò pace composita, facti sunt Papa & Imperator amici, sed nunquam pecunia fuit restituta. Et sic diatim multorum deuotio, fidesque titubauit plurimorum.

Idem. Anno D. M. CC. XXXII. Rex Anglorum Henricus fuit ad natale apud VVintoniam, cui Petrus eiusdem vrbis Antistes necessaria omnia procurauit, & festiua tam Regi, quàm suis exhiquit indumenta, cum donatiuis.

In illis autem diebus natalitiis distracta sunt in VVingham horrea cuiusdam Romani ditissima, per prædictam vniuersitatem, vt creditur, à paucis armatis seruientibus, & capitibus velatis.

Procurator verò illius ecclesiæ & custos cùm talem violentiam inspexisset, venit ad Vicecomitem regionis, & de violata pace Regis, & iniuria domino suo illata, ei patenter ostendit. At Vicecomes mittens ad locum ministros suos cum militibus quibusdam vicinis, iussit inquiri, quidnam hoc esset?

Venientes autem ad horrea milites memorati, inuenerunt homines illos armatos, & sibi penitus ignotos, qui iam ex maxima parte horrea euacuauerant, & bladum bonis conditionibus, & ad commendum totius prouinciæ vendiderant, sed & pauperibus charitatiuè petentibus ex animo conferebant.

Milites verò qui aduenerunt cùm interrogassent eos, vnde essent, qui pacem Regis offendere, & talia facere præsumebant? illi continuò milites seorsum vocantes, ostendebant literas Regis patentes, adulterinas & sophisticas, prohibentes, ne quis eos præsumeret impedire. At milites hoc audientes, tam ipsi, quàm alii qui aduenerant, pacificè recesserunt.

Idem. Erat in Eboracensi prouincia Sacerdos quidam, & Vicarius diues valdè, & in officio sanctæ prædicationis magnus, sed tamen auarus, qui in æstate mortaliter infirmabatur, secundùm iudicium præsentium medicorum. Venerunt autem ad eum visitandum propter famam religionis, quam iuxta opinionem totius regionis habebat, vicini eius Abbates & Priores, ignorantes, quòd lupus in ouicula, anguis lateret in herba. Cùm autem æger ille Prælatos ad se venientes reuerenter salutaret: nullam tamen de salute animæ suæ fecit mentionem, nisi ob hoc, quòd Prælatos illos diligens, legauit illis bladum non modicum, quod in curia sua extra horrea positum habebat, diuidens illud singulis, prout sibi meliùs competere videbatur. Cumque Abbates illi, & Priores ad præceptum ægrotantis exirent, vt bladum sibi legatum viderent: conspexerunt iuxta congeries illas quendam hominem stantem, Vicario, quem in domo reliquerant lethaliter ægrotantem, in indumentis & forma corporis per omnia consimilem, qui nimis acerbè loquens dicebat: Quid hic quæritis? Sciatis certissimè, quòd bladum hoc totum, & ille, cuius esse videtur, possessio mea est: quia Vicarius, qui illud vobis legauit, meus est, & omnia, quæ habet, mea sunt, vt qui iunctis manibus mihi fecit homagium. Et noueritis indubitanter, quòd die quarta morietur, & tunc, quod meum est, plenè recuperabo, & eum quem ditaui, inuenietis in magna egestate.

Audientes hoc Abbates, & qui cum eis erant, nimio terrore perculsi, reuersi sunt ad Vicarium, quem inuenerunt iam in extremis laborantem, cui omnia, quæ viderant & audierant, per ordinem referebant. Et cùm coram illo replicassent, quòd scilicet homo diaboli esset: verum inquit, dicit, quia iam elapsis viginti annis, cùm pauper essem, pro dignitate terrena, & lucro temporali, homagium diabolo feci, qui vobiscum nunc est confabulatus.

Idem. Rex Anglorum prouocatus iniuriis Romanorum, eorumque multiplici lacessitus auaritia, domino Papæ sic scribit:

Sanctissimo in Christo Patri, ac domino I. Dei gratia summo Pontifici, Henricus, eadem gratiâ Rex Anglorum, &c. Salutem & pedum oscula beatorum. Quò ampliùs paternæ voluntati se ingerit filius, & mandatis eius promtiùs se exponit, atque deuotiùs, eò ampliùs paternum habere patrocinium promeretur, & deuotionis suæ, & obsequiorum commoda reportare. Inde est, quòd cùm omni tempore Regni nostri, nos & Regnum nostrum in omnibus, & per omnia paternitatis vestræ voluntati exposuimus, & mandatis, licet quidem in quibusdam nostris Regniq; nostri negociis paternam solicitudinem inuenerimus plerunque, & gratiam, in quibusdam tamen prouisionibus vestris, clericis Angliæ & aliarum regionum frequenter à vobis concessis, nos & regnum nostrum sentimus non mediocriter prægrauatum, & oppressum.

Tot & tantis etenim Ecclesiæ Anglicanæ oneratæ sunt huiusmodi prouisionibus, quòd non solùm patroni, & hi, quorum interest conferre beneficia ecclesiastica, iure suo defraudantur, verùm

etiam proinde multa deficiunt opera charitatis: cùm illa beneficia, quæ religiosis domibus ad sustentationem ipsarum conferri solebant misericorditer, & ferè omnia alia, in vestris prouisionibus refundantur. Cùm igitur sedes Apostolica ita petentibus debeat esse fauorabilis, quòd ius alterius non lædatur, paternitatem vestram duximus exorandam, quatenus ab huiusmodi prouisionum concessione dissimulare, vel ad tempus desistere, vestræ placeat sanctitati. Interea paternitati vestræ supplicamus, quatenus iura nostra, & libertates, quæ non aliena, sed propria potestis meritò reputare, paterna solicitudine velitis tueri, & illæsa, & integra conseruare, nec aliquorum suggestionibus eadem velitis in vestra curia aliquatenus perturbari. Nec contra nos vestra sanctitas moueatur, si in aliquibus tenori mandatorum vestrorum obuiauimus, cùm ad hoc nos compulerit clamor conquerentium, qui nemini debemus in suo iure deesse, sed ex concesso nobis à Deo Regiæ dignitatis officio, in ciuilibus plenam iustitiam exhibere. A D. 1231.

Idem. Anno Gratiæ millesimo, ducentesimo, quadragesimo quinto, domino Papâ procurante, sed tamen dissimulante, quidam Cardinalium, qui solius erant amatores pecuniæ, chartam quandam domino Regi, sub specie multæ amicitiæ transmiserunt, cuius tenor talis extitit: Consilium damus vobis amicissimum, vobis salubre, & honorificum, & regno vestro gloriosum, nec mediocriter profuturum: videlicet, vt preces domino Papæ per solennes nuncios dirigatis, humiliter eidem supplicantes, quatenus dignetur Regnum Angliæ, in quo ius dignoscitur habere speciale, sua præsentia feliciter illustrare. Et nos ipsum supplicationi vestræ reddemus, pro posse supplicando, fauorabilem, qui vestrum & regni vestri felices successus desideramus.

Excellentissimus enim vobis honor foret, & gloria immortalis, si temporibus vestris, quod non recolitur aliquibus diebus euenisse, dominus Papa, qui Patrum pater esse dignoscitur, Anglorum finibus personaliter appareret. Recolimus etiam eum dixisse (vnde gaudemus) quòd gratanter videret delicias VVestmonasterii, & diuitias Londinenses. Hæc cùm domino Regi innotuissent, gaudebat, & huic subdolo consilio de facili incuruaretur, nisi peritiorum consiliis ad contradicendum, vel dissentiendum erigeretur. Qui dicebant, quòd satis, imò nimiùm iam, suorum Caursinorum vsuris, & Romanorum ac Italicorum rapinis & simoniis, Angliæ puritas maculatur, quamuis non ipse Papa præsentaliter bona Ecclesiæ & Regni dissipet, & prædetur. Similiter & regni Francorum introitus, quem per solennes nuncios postulauit, & Arragonum, denegabatur. Infamia enim curiæ Papalis id promeruerat, cuius fœtor vsque ad nubes fumum teterrimum exhalabat.

Idem. Instabat interim vigilantissimè & incessanter sæpè dictus ille Magister Martinus, domini Papæ clericus, in redditibus quomodolibet ad opes Papæ, papalibusque consanguineis congregandis ac conferendis. De cuius proterua & iniuriosa rapacitate honestius & tutius esse, ob reuerentiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, arbitror silere, quàm aures offendere audientium, & mentes fidelium talia enarrando perturbare. Redditus autem Thesaurarii Sarisberiensis, cum aliis multis, violenter, vt prætactum est, sed præcipuè à viris religiosis rapiuntur. Procurationes & munera exiguntur, sibi festinanter transmittenda, & contradicentes grauiter puniuntur. Rex quoque parti suæ fauit, eandem contra omnes protegens: fortè propter retributionem: & facta est Regni conditio miserrima.

Vrgente igitur necessitate totius Regni Angliæ maxima, præceptum est ipso tempore ex parte aliquorum Magnatum, pro multiformi & incessabili oppressione, & deprædatione Regni dolentium, & miserantium, vt diligenter & arctè custoditis omnibus portubus Angliæ, papales literæ, quæ quotidie ad emungendam pecuniam portabantur, caperentur. Contigit autem eisdem diebus, vt vnus domini Papæ cursor, talibus literis bullatis oneratus apud Doueram applicans, peruenisset, quem statim custos portus illius, & villæ præpositus comprehendit, vt sibi mandatum erat, & abstulit ab illo omnes illas epistolas, & bullatas literas, multas abominationes de diuersis argumentis emungendi pecuniam continentes, & ipsum cursorem in castro Doueræ incarcerari fecit. Quod cùm audisset magister Martinus, Regem adiit, super hoc querelam ei præsentaturus. Cuius rei cùm Rex se auctorem negasset, ipsum cursorem liberari præcepit, & in perniciem Regni & honoris sui, ipsas epistolas à Maiore Doueræ violenter extortas, Magistro Martino fecit gratanter præsentari, & de aliquarum effectu ad votum gratulari.

Diebus verò Rogationum, in triste præsagium, apud Lugdunum quædam domini Papæ camera, quæ conclaue, id est, Guarda roba dicitur, cum omnibus, quæ in ipsa continebantur, combusta est, asserentibus nonnullis sinistrè interpretantibus, quòd gratis accensa est, vt sic occasionem dominus Papa acciperet, pecuniam petendi & extorquendi à Prælatis, ad concilium venire properantibus. Sed cùm incendium plùs quàm credebatur desæuiret, combusta sunt etiam quædam, quæ habebantur chariora. Et fuit multorum assertio, quòd detestabilis illa charta, quæ de tributo Angliæ, sub flebilis memoriæ Rege Ioanne, confecta fuerat, eodem incendio in cinerem est redacta.

Eodem tempore, cùm vellet dominus Papa, quibusdam præbendis Lugdunensis Ecclesiæ vacantibus, quosdam alienigenas, consanguineos vel affines suos, inconsulto Capitulo, introducere, restiterunt ei in faciem Canonici Lugdunenses, comminantes, & cum iuramento obtestantes, quòd, si tales apud Lugdunum apparerent, non posset eos vel Archiepiscopus, vel Canonici protegere, quin in Rhodanum mergerentur. Hoc comperto, nec

ipsi qui beneficium fuerant accepturi, vltrà vsquam comparuerunt. Eisdemque diebus, cum quidam ostiarius domini Papæ proteruiùs cuidam ciuium Lugdunensium, introitum ciuiliter & humiliter postulanti, inciuiliùs & frontosiùs, quàm deceret, denegaret: idem ciuis indignatus, & iratus manum prædicti ostiarii penitus amputauit. Vnde idem mancus cùm coram domino Papa grauem reponeret querimoniam, brachium suum ostendens mutilatum, dominus Papa, secundum legem ciuitatis vindictam sibi postulauit exhiberi. Quam Philippus de Sabaudia custos pacis Ecclesiasticæ, procurauit qualiquali modo, vt honor Papalis saltem superficialiter saluaretur.

Idem. His diebus, videlicet in crastino Apostolorum Petri & Pauli, postquàm quædam torneamenta plena occulto odio, per dominum Regem propter imminens periculum, prohibebantur, quorundam apud Luitonam & Dunestapliam congregatorum, missus est Fulco filius VVarini ex parte Vniuersitatis Regni ad Magistrum Martinum, Papæ clericum sæpè dictum, Londini commorantem apud nouum Templum.

Qui toruo vultu respiciens, eum sic est affatus: recedens statim exi ab Anglia. Cui Magister Martinus: Quis mihi hoc mandat? An tu ex te ipso hoc habes? Cui Fulco: Hoc tibi per me mandat armatorum, qui nuper apud Luitonam & Dunestapliam apparuerunt, vniuersitas. Et si sano credis consilio, ne moreris vsque in tertium diem, ne tu & omnes tui in frusta concidaris.

Recedente igitur Fulcone irato nimis, & minas minis cum terribili iuramento cumulante & exaggerante, Martinus trepidus & anhelus statim dominum Regem adiit, & dixit ei: Domine Rex, talia nunc audiui: fitne hoc auctoritate vestrâ, vel vestrorum temeritate? Cui dominus Rex: Non me huiusmodi rei auctorem profiteor. Sed Barones mei vix se continent, quin insurgant in me, eò quòd in Regno meo tuas, quæ ius & modum excedunt, deprædationes & iniurias hactenus toleraui. Quorum etiam furorem vix compescui, quin & in te irruentes, te membratim non dilacerârunt.

Cui Magister Martinus humili & trepida voce ait: Peto igitur, domine Rex serenissime, ob Dei amorem, & domini Papæ reuerentiam, liberum exitum, & tutum à terra vestra cum conductu vestro recessum. Cui dominus Rex, commotus & iratus nimis ait: diabolus te ad inferos inducat, & perducat.

Dumque circumsedentes vix Regem mitigassent, iussit Rex cuidam Marescallo Palatii sui, nomine Roberto Norisco, vt ipsum magistrum Martinum vsque ad mare saluum perduceret.

Igitur cùm statim iter aggrediens, ducet suum Robertum dictus Magister Martinus iuncto latere sequeretur, & quandocunque, vt contingit, equitantes aliquos conspiceret, vel transeuntes, ipsum timor & tremor adeò contraxerunt, vt, sicubi terra hiaret, sub cespite latitaret.

Et cùm procedentes ad lymbum cuiusdam syluæ venalis peruenissent, quam electus Cantuariensis venalem exposuerat, vbi compatriotæ ad emenda & eligenda robora conuenerant, conspiciens eos Martinus, pauidus ait duci suo R. Heu, heu, quod timebam accidit mihi, ecce nos inuasuri. O Amice & domine mi R. habesne filium, nepotem, consanguineum, vel amicum, quem cupis in redditu ecclesiastico promoueri? præstò sum, vt procurem omnia tibi postulata. Ecce insidiantes animæ meæ: protege me sub vmbra alarum tuarum.

Cui respondit Robertus: absit, vt aliquis meorum talem habeat in ecclesiasticum beneficium per me ingressum: nescio, qui sunt illi: veruntamen ad ipsos vadam quantocyus, te me hic expectante: vt monstrato Regis autentico, si maleuoli sint, eorum reprimam temeritatem.

Qui ad ipsos veniens cùm rei veritatem cognouisset, citò rediens ad Martinum, vt illuderet ei, ait: Vix eorum compescui furorem, quin te frustatim detruncassent. Sed nunc latenter & cautè ambulemus, ne deterius quid tibi contingat: & nauigans irrediturus, si sapis, recedas, ne in laqueos quærentium animam tuam infeliciter præcipiteris.

Ex tunc igitur Magister Martinus, equinis lateribus non parcendo, moram ducis redarguens ad mare properabat. Et ad Doueram perueniens, die sancti Suitheri nauem ascendens, multos in recessu suo lætificauit.

Sed ne virulentæ pestis efficacia penitus cessaret, cuidam magistro Philippo, auctoritatis sibi concessæ, adhuc exequendi extorsionem reddituum, potestatem concessit, & sic post terga fœda reliquit vestigia.

Hæc igitur dixerim, vt sciat quilibet, quàm formidolosi sunt hi pecuniæ solùm inhiantes, quos propria sauciat conscientia.

Hæc cùm ad notitiam plurimûm Italicorum, optimis Angliæ redditibus saginatorum peruenissent, disparuerunt, in abditis latitantes. Multi quoque Caursinorum, qui iam regiones Occidentales (hactenus talium ignaras) vsurarum suarum veneno pestifero miserabiliter intoxicârunt, latenter recesserunt.

Magister interim Martinus ad dominum suum Papam cùm peruenisset, & quæ præscripta sunt, eidem pleniùs enarrasset, infrenduit Papa, & ira excanduit vehementi. Et recolens, quòd tam rex Francorum quàm Arragonum ingressum Regnorum suorum vetuissent ipsi postulanti, nec Rex Anglorum aduentum suum in Angliam acceptasset, imò potiùs, ipsum exsecrando,

Anno

nuncium suum & clericum ab Anglia probrosè eiecisset, dixit in iracundia magnâ, voce susurrâ, oculos obliquando, & nares corrugando: Expedit, vt componamus cum principe vestro, vt hos Regulos conteramus recalcitrantes: contrito enim vel pacificato dracone, citò serpentuli conculcabuntur. Quod verbum in vulgus promulgatum, in multorum cordibus offendiculum indignationis generauit.

Idem. Anno Domini 1246. emanârunt etiam ab Apostolica sede literæ, non modicum Regis & Regni præiudicium continentes. Videlicet, quòd aliqui Prælati decem milites strenuos, alii quinque, & alii quindecim inuenirent domino Papæ, qui in seruitio Ecclesiæ Romanæ starent per annum integrum, & Prælatorum stipendiis militarent, cum equis & armis sufficienter instructi, vbi dominus Papa duxerit prouidendum: quod seruitium militare nulli, nisi soli Regi, & Regni Principibus debetur, nec ab aliquo vsque ad nostra tempora aliquo tempore exactum fuisse recolitur.

Et si summo Pontifici placuisset, absque assensu regio huiusmodi exactionem fecisse, aut pro eâ non modicam redemtionem recepisse, nullatenus debuisset. Præterea, ne dominus Rex contra hoc sibi prospicere potuisset, fraudulenter fuit à quibusdam nunciis Ecclesiæ prouisum, & singulis Prælatis ab eisdem mandatum, quòd huiusmodi exactionem & pro ea grauem redemtionem receptam, vsque ad dimidium annum, sub pœna excommunicationis, nulli omninò reuelarent.

Item, in vniuersorum, & singulorum patronorum Ecclesiarum Angliæ præiudicium non modicum & grauamen, his diebus domino Cantuariensi concessum est, vt obuentiones siue fructus vnius anni beneficiorum, quæ vacare contigerint in prouinciâ Cantuariensi, eidem domino Cantuariensi conferantur.

Idem. Anno Gratiæ M. CC. XLVI. postquàm dominus Papa decretum constituerat, quòd bona intestatorū in vsus eius cederent, & ad hoc fratres Prædicatores diligenter exequendū constituisset, solicitus de Imperio Constantinopolitano, & Græcorum schismaticorū insolentia, ministro fratrum Minorum prouinciali in Anglia direxit, vt tam fratres Minores quàm Prædicatores à via humilitatis & paupertatis voluntariæ, quam sectatores sunt professi, auertens, suos constitueret procuratores, literas districtum præceptum Papale cum diuersis articulis continentes. Quorum vnus tenor est, vt ipse vel fratres sui inquirant de vsurariis viuis, & eorum per vsurariam prauitatem malè acquisitis, & ipsa colligant ad opus Imperii Constantinopolitani, & quòd per censuram ecclesiasticam compescant contradictores. Alterius tenor est, quòd, qui velint Cruce signari pro liberatione prædicti Imperii, vel de catallis suis ibidem mittere, sufficienter de peccatis suis absoluantur. Alterius tenor est, quòd relicta in testamentis decedentium, per vsurariam prauitatem acquisita, colligant ad subsidium Imperii memorati, & quòd compescant contradictores & rebelles. Alterius tenor est, quòd colligant relicta in testamentis decedentium, vel quæ vsque ad triennium relinquentur pro restitutione bonorum, quæ decedentes malè acquisierunt, ad subsidium prædicti Imperii, contradictores & rebelles compescendo. Alterius tenor est, quòd ea quæ relinquuntur distribuenda in pios vsus, secundum arbitrium executorum testamentorum decedentium, nec præfata relicta ab ipsis testatoribus certis locis aut personis deputata fuerint, vel de iure aliis debeantur, aut per prædictos executores in vsus huiusmodi sint conuersa, ad subsidiū prædicti Imperii colligant, & significent ei de quantitate ipsorum, & compescant, &c. Alterius tenor est, quòd de malè acquisitis viuentium inquirant diligenter, & colligant ad subsidium Imperii memorati, dummodò personæ, quibus pro taliter acquisitis satisfieri deberet, inueniri non possint, & rescribant Papæ, & compescant, &c. Alterius literæ talis est tenor, quòd dictus minister habeat potestatem absoluendi excommunicatos, qui scienter fraudem commiserint in his, quæ colligenda sunt ad Imperium prædictum, dummodò ministro vel fratribus suis, ad illud negocium deputatis, congruam satisfactionem impenderint.

Idem. Anno Domini M. CC. XLVII. tepuit deuotio fidelium, & filialis affectus charitatis, quem quilibet Christianus aduersus patrem nostrum spiritualem, videlicet dominum Papam, gerere teneretur, non sine animarum periculo, læsus deperiit, imò & in odium exsecrabile, & maledictiones occultas est conuersus. Videbant enim omnes & singuli, & videntes sentiebant, ipsum dominum Papam pecuniæ, & pecuniarum rapinis in multorum damnum, & depauperationem insatiabiliter inhiare. Nec credebant iam multi, ipsum potestatem beato Petro concessam cælitus, videlicet ligandi & soluendi, obtinere, qui penitus beato Petro dissimilis probabatur. Resolutum est igitur os iniqua loquentium, & obloquentium, vbique locorum, & præcipuè in Franciâ: in qua multi nobiles in ipsum Papam, & Ecclesiam, quod nunquam meminimus euenisse, conspirabant.

Idem. Anno Domini 1249. fratres Prædicatores & Minores, de præcepto domini Papæ, cui obedienter obtemperabant, instanter nimis, ac diligenter prædicationibus intendebant, & ad augendam fidelium deuotionem, cum magnâ solennitate ad loca, vbi prædicatio eorum priùs indicebatur, accedebant, & aduenientibus in multos dies indulgētias concedebant. Occurrebant namque eis sacerdotes & clerici in vestibus albis, cum crucibus & vexillis, trahentes secum fidelis populi non minimam numerositatem, sicut solet diebus Rogationum. Prædicantes igitur pro negocio crucis, homines cuiuscunque ætatis, sexus, vel conditionis, vel valoris, imò etiam valetudinarios, vel valetudinarias, & ægrotantes, & senio deficientes, cruce signauerunt, & in

crastino

crastino & etiam in continenti pro quantocunque precio crucem à cruce signatis deponentes & recipientes, quemlibet à voto suæ peregrinationis absoluebant. Quod videbatur multis inconueniens & absurdum, quia non post multos dies consequentes, Magistro Berardo clerico, & Italico vindemiante, comes Richardus in ærario suo omnia coaceruauit. Vnde non minimum scandalum in Ecclesiâ Dei, & vniuerso populo est exortum, & tepuit fidelium deuotio manifestè.

Idem. Anno Domini M. CC. XLIX. Fredericus diuersis arduis causis vndiq; exagitatus, qui citra montes venerat, vt dominum Papam inuaderet, rediit in Apuliam, vt dicitur, potionatus. Qui cùm grauiter infirmaretur, consilium habuit à suis physicis, vt purgationem medicinalem, & postea quoddam balneum, ad hoc specialiter præparatum, acciperet. Habuit autem magister Petrus de Vineâ, qui ipsius Frederici familiarissimus consiliarius, & singularis animæ illius custos fuerat, quendam physicum secum, qui ex præcepto tam Frederici, quàm ipsius Petri, ad purgationem dictam necessaria præparaturus, subdolus accessit. De consilio enim ipsius Petri, venenum lethiferum, & efficax valdè potioni immiscuit, & balneo, vt dominum suum in ipsis perimerent confidentem. Ecclesiæ autem inimici dixerunt, quòd Dominus Papa ad hoc facinus cor Petri eneruando muneribus, & pollicitis maximis, inclinârat. Fredericus verò super hoc scelere per aliquem amicorum suorum in ipsâ horâ, quâ sumendus fuit potus ille prætaxatus, secretiùs præmonitus, & pleniùs edoctus, Physico potionem ostendenti, & Petro, ait: Amici, confidit in vobis anima mea : caueatis, supplico, ne mihi in vobis confidenti virus pro medicinâ porrigatis. Cui Petrus: O domine mi, pluries dedit iste meus Physicus salutarem nobis potionem, quare modò formidatis? Fredericus autem ostendenti scyphum Physico dixit, toruo tamen aspectu, & positâ à tergo custodiâ, ne euadere possent proditores : Propina mihi potum dimidiando.

Physicus igitur obstupefactus, & sibi conscius de scelere, simulans, offendiculum pedibus lapsum fecisse, corruit in faciem suam, & venenum effudit pro maiori parte. Minimam autem, quæ supererat, partem damnatis quibusdam iussit extractis de carcere dare, & statim miseras animas exhalârunt. Certificatus igitur de proditione lethiferâ sibi præparatâ iussit Physicum suspendi, & meritò Petrum exoculatum per multas Italiæ, & Apuliæ ciuitates fecit duci, vt in propatulo coram omnibus conceptum facinus confiteretur. Tandem iussit idem F. vt Pisanis, qui ipsum Petrum inexorabiliter oderant, præsentaretur perimendus. Quod cùm audiret Petrus, ne arbitrio hostium moreretur, quia, vt dicit Seneca, Arbitrio hostis mori est bis mori, ad columnam, ad quam alligatus fuerat, caput fortiter allidens, seipsum excerebrauit.

Idem. Applicuit in Angliâ Episcopus Sabinensis, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, iturus in partes Boreales Legatus, videlicet Norvvegiam, Daciam & Suetiam, & Regem Norvvegiæ Haconem in Regem inuncturus, & coronaturus. Qui tamen in Angliam ingressurus primò difficultatem de licentiâ à Rege inuenit, quia semper solent Legati qualesquales, & omnes nuncii Papales Regna, quæ ingrediuntur, depauperare, vel aliquo modo perturbare, donec iurasset in animâ suâ, quòd ob nullum Regis vel Regni, vel Ecclesiæ detrimentum, in Angliam veniret: nisi tantummodò tranquillum transitum faceret per ipsam terram de portu Dovere ad portum Lenne, ad regna vlteriora statim tempore opportuno, & obtento vento prospero, migraturus.

Sed postquàm licentiam benignè dicto modo obtinuisset, intrepidus intrauit, & domino Rege salutato, & muneribus gratuitis acceptis ab eodem, ad Lennam iter maturauit, & ibidem per tres ferè menses commorans, non potuit Romanis innatam cupiditatem cohibere, quin ad Episcopos, & Abbates, & Priores nuncios furtiuos, aduberes mitteret postulando procurationes, & munera preciosa, in domibus manerii Episcopi Norvvicensis, quod Geyvvudæ dicitur, commorando, ita quòd quæstus suus ad quatuor millia marcarum ascendere dicebatur: veruntamen vt sub specie sanctitatis omnia palliaret, crebrò sermonem faciebat populo. Et cùm nauem ascensurus fuisset, quam opulentissimè communiuerat multo frumento, & doliis quàm plurimis vino plenis prælecto, & aliis victualibus, iussit cuidam fratri de ordine Prædicatorum in ipsa Missam celebrare, quod & factum est, non sine multorum, qui hoc non præuiderant, admiratione. Habebat namque in ipsa naui, sicut de Arcâ Noë legitur, diuerticula & tristegas, cameras & conclauia, quæ specialiter propter ipsum artificialiter fuerunt composita. Et sic vento flante prospero, dataque Angliæ, & suis Anglis prodigis benedictione, pelago septentrionali sese diues factus commisit.

Ibidem. Anno Domini M. CC. XLVII. capti sunt duo milites Italici Lugduni, qui post captionem suam affirmabant, circiter quadraginta milites audacissimos in necem Papæ præstito sacramento conspirasse, qui, si etiam Fridericus defunctus esset, propter nullam mortis pœnam omitterent, quin ipsum Papam, totius mundi perturbatorem, & Ecclesiæ maculatorem, in frusta trucidarent, credentes firmissimè, se Deo & hominibus placentia consummasse, si talem feliciter iugulassent. Ex hoc igitur tempore dominus Papa in camera sua latuit, circiter quinquaginta armatis die ac nocte diligenter custoditus, nec est ausus, extra cameram suam, vel castrum, vel palatium suum eminus apparere, in tantum, vt vel ad Ecclesiam saltem iret Missam celebraturus. Necesse est enim, vt multos timeat, qui à multis timetur, & multorum perturbator multipliciter perturbetur.

Idem

Anno

Idem. Anno Domini M. CC. XLIX. obiit Archiepiscopus Maguntinus, magnus Frederici aduersarius. Sed ne de eius morte diu gauderet, dominus Papa tradidit ipsum Archiepiscopatum custodiæ, dominationi, & ordinationi Archiepiscopi Coloniensis: quia constanter militauit pro Ecclesia contra Fredericum, & filium eius Conradum. Postea dominus Papa quandam nobilissimam Abbatiam vacantem tradidit in manus eiusdem Archiepiscopi Coloniensis, qua non est ditior vel nobilior Abbatia, vt dicitur, in mundo: dicitur autem Vuolsa: hæc mille millites nouo Imperatori cuilibet, postquàm apud Aquisgranum coronatus est, tenetur ab antiquo inuenire. Has igitur nobiles Ecclesias viduatas adeò depauperauit memoratus Archiepiscopus Coloniensis, in stipendiis suorum militum omnia pendens, quòd dispersis monachis & clericis, vix habebant pauci, qui residui remanserant sacerdotes, vnde vitam exilem sustentarent.

Quicquid in eis preciosum fuerat in auro, argento, gemmis & vestibus preciosis, & omnibus opulentis reditibus, diripuit & abrasit. Sed quem finem talis rapina sortita est, sequens sermo declarabit. Obtinuit insuper idem armipotens & belliger Archiepiscopus priuilegium à domino Papa, à toto Archiepiscopatu suo ad prælia sua sustinenda, pecuniam extorquendi infinitam à pauperibus, quorum clamor querulus ad cœlum creditur ascendisse.

Idem. Tales fructus parturiunt rapinæ & deprædationes, quas faciunt Magnates, pauperibus multimodas iniurias patientibus, vt eorum marsupia repleantur, permittente, imò docente Ecclesia Romana, quoties peregrinaturi, vt Deo militent, proficiscuntur. Patet ergò luce clariùs ex præmissis, quantum Deo displiceat quæstus talis, qui de pauperum surgit oppressionibus & depauperatione.

Etsi autem aliæ pecuniarum extorsiones per regnum Francorum factæ, irrecitabiles dignæ æterno sint silentio: vnum tamen exemplum huic paginæ duximus inserendum. Notum est, quòd dominus Francorum Rex, ex permissione Romanæ Ecclesiæ, per triennium decimam ab Ecclesia regni Francorum emunxit, tali conditione, vt Papa tantundem in posterum ab eadem extorqueret, vt Fredericum potentiùs expugnaret. Cui tamen post primam triennii collectam, scilicet suam, Rex Francorum præmonitus, volenti suam vindemiare, multiformis emunctoris ars vt artem falleret, in faciem contradixit, hanc prætendens rationem, quòd nullo modo toleraret, ecclesiam sui regni depauperari, ad expugnandum Christianos: ad expugnandum verò incredulos, æquanimiùs toleraturum, & potiùs à laico, quàm sacerdote. Præterea, si alio proximo triennio deprædaretur, irrestaurabili prædæ, quod tamen non curaret, pateret. Extorsit igitur, vt prætactum est, pecuniam memoratam per quosdam Papæ ministeriales, vt efficaciùs ipsam exigeret, & vt certiùs sciretur, ad quantum pars Papalis ascenderet colligenda. Vnde multorum corda dolore præcordiali cruentabantur, maledicentium & imprecantium, vt prophetæ Esaiæ, imò Dei verificaretur sententia, qui odio semper hactenus habuit rapinam in holocausto. Vtinam hæc rationis libramina perpenderent dominus Anglorum Rex, & frater eius Comes Richardus & alii Principes cruce signati, turpibus emolumentis incumbentes. Quamuis enim pium constat esse actum sanctæ peregrinationis: viatica tamen turpiter acquisita, piæ actionis coinquinant executionem. Hæc enim causa, licet aliæ fortè non desint, creditur fuisse iam descriptæ confusionis. Harum quoque in Francia factarum extorsionum vnam, quia turpissima, duximus memorandam. Contigit, vt memoratus Papalis exactor obuium haberet vnum clericulum de villa venientem, aquam in vasculo cum aspersorio & frusto panis, dato sibi pro aspersione aquæ benedictæ, baiulantem. Cui Romanus insidiator ait: Ad quantum precium ascendit beneficium hoc tibi ab Ecclesia concessum per annum? Cui clericus, laqueorum ignarus Romanorum, respondit: Ad viginti, vt æstimo, solidorum. Cui Romanus iam se manifestans, ait: Hic ergò assurgunt ad fisci commodum per annum viginti & quatuor denarii, scilicet duo solidi. Et suffocauit ipsum pauperem ostiatim mendicantem, dicens: Redde domino Regi, quod debes. Vnde pro illa substantiola persoluenda cogebatur ille pauperculus, multis diebus scholas exercens, venditis in paruisio libellis, vitam famelicam & Codrinam protelare. Talibus igitur omissis sermocinationibus collateralibus, ad materiam redeamus principalem.

Idem. Vsurarii, qui nomine Christiano censebantur, dicti Caursini, Papâ tolerante primò, & postea manifestè protegente, in Angliâ receptacula, & pacem inueniunt: & se sine rubore mercatores, vel escambiatores nominant Papæ. Suspenduntur Prælati à collationibus beneficiorum, donec satisfiat auaritiæ Papali, & indignis barbaris suis, qui nunquam in Angliâ apparuerunt, nec de animarum custodiâ quicquam curauerunt. Plurium ordinum fratres scatent, nunc Prædicatores, nunc Minores, nunc Cruciferi, nunc Carmelitani. In Alemanniâ autem mulierum continentium, quæ se Beguinas volunt appellari, multitudo surrexit innumerabilis, adeò, vt solam Coloniam mille, vel plures inhabitarent. Prædicatores verò & Minores, primò vitam pauperem, & sanctissimam deducentes, prædicationibus, confessionibus, diuinisque in Ecclesiâ obsequiis, lectionibus & studiis penitus intendebant, paupertatem voluntariam pro Deo, relictis multis redditibus, amplectentes, nihil in victualibus vsq; in crastinum sibi reseruantes. Sed infra paucos annos sese solicitè instaurabant, ædificia sumtuosa nimis construentes. Papa insuper de ipsis licet inuitis, suos fecit telonarios, & multiformes pecuniarum exactores. Videbatur igitur tempus innouari, de quo plenus spiritu sanctorum omnium factus, in principio regulæ suæ commemorat Benedictus, vbi de generibus diuersorum tractat Monachorum. Nec est ipsius sancti Benedicti, vel beati Augustini, à suæ principio constitutionis, per tantum temporis, ordo (in tantum, vt iste) retrogressus.

Idem. Eodem anno, arridente festiuâ serenitate, dominus Papa recessit à Lugduno, comitantibus Cardinalibus quàm plurimis,& Nobilibus. Philippus quoque Lugdunensis electus, ipsum cum ingenti comitatu armatorum conduxit, propter insidias Fredericalium. Et cùm omnia præpararentur ad recessum, frater Hugo Cardinalis, quasi ex parte domini Papæ valedicturus ciuibus Lugdunensibus, sermonem populo fecit generalem. Et postquàm omnes eleganter informasset, & informatos ex parte domini Papæ & totius curiæ ciuiliter salutasset, vnum sermonem addidit, quem duximus, huic paginæ propter Satyricam reprehensionem inserere: Amici, magnam fecimus, postquàm in hanc vrbem venimus, vtilitatem & eleemosynam. Quando enim primò huc venimus, tria vel quatuor prostibula inuenimus: sed nunc recedentes vnum solùm relinquimus. Verùm ipsum durat continuatum ab Orientali porta ciuitatis vsque ad Occidentalem. Et erat verbum offensionis in auribus omnium mulierum, quarum infinita multitudo sermoni asidebat. Omnes enim ciuitatem inhabitantes voce præconia conuocabantur ex parte domini Papæ recessuri. Hæc autem Ironia in ore multorum versabarur, quia Cynicè momordit vniuersos.

Idem. Anno Domini millesimo, ducentesimo, quinquagesimo tertio, cùm dominus Papa Innocentius quartus significasset per Apostolica scripta, præcipiendo Episc. Lincol. R. quatenus quiddam faceret, quod ei videbatur iniustum, & rationi dissonum, prout frequenter fecerat illi, & alijs Angliæ Prælatis, rescripsit is Papæ in hæc verba: Salutem.

Nouerit discretio vestra, quòd mandatis Apostolicis affectione filiali, deuotè, & reuerenter obedio. His quoq;, quæ mandatis Apostolicis aduersantur, paternum zelans honorem, aduersor,& obsto. Ad vtrunque enim teneor ex diuino mandato. Apostolica enim mandata non sunt, nec esse possunt alia, quàm Apostolorum doctrinæ, & ipsius Domini nostri Iesu Christi, Apostolorum magistri & Domini, cuius typum & personam maximè gerit in Hierarchiâ Ecclesiæ dominus Papa consonâ, & conformi. Ait enim Dominus ipse noster Iesus Christus: Qui non est mecum, contra me est. Contra ipsum autem nec est, nec esse potest Apostolicæ sedis sanctitas diuinissima. Non est igitur prædictæ literæ tenor Apostolicæ sanctitati consonus, sed absonus plurimùm & discors. Primò, quia de illius literæ, & ei consimilium longè lateque dispersarum superaccumulato Non obstante, nec ex legis naturalis obseruandæ necessitate inducto, scatet cataclysmus inconstantiæ, audaciæ, & procacitatis, inuerecundiæ, mentiendi, fallendi, diffidenter alicui credendi, vel fidem adhibendi: & ex his consequentium vitiorum, quorum non est numerus, Christianæ religionis puritatem, & socialis conuersationis hominum tranquillitatem commouens, & perturbans. Præterea, post peccatum Luciferi, quod idem erit in fine temporum ipsius filij perditionis Antichristi, quem interficiet Dominus spiritu oris sui, non est, nec esse potest alterum genus peccati, tam aduersum, & contrarium Apostolorum doctrinæ & Euangelicæ, & ipsi Domino Iesu Christo tam odibile, detestabile, & tam abominabile, quàm animas curæ Pastoralis officij, & ministerij defraudatione mortificare, & perdere. Quod peccatum euidentissimis scripturæ sacræ testimonijs committere dignoscuntur, qui in potestate curæ pastoralis constituti, de lacte, & lanâ ouium Christi viuificandarum, & saluandarum, pastoralis officij, & ministerij salarium comparant, & debita non administrant.

Ipsa enim ministeriorum pastoralium non administratio, est scripturæ testimonio, ouium occisio & perditio. Quòd autem hæc duo genera peccatorum, licet dispariter, sint pessima, & omne alterum genus peccati inæstimabiliter superexcedentia, manifestum est ex hoc, quòd ipsa sunt duobus existentibus & dictis, licet dispariter & dissimiliter, optimis directè contraria: pessimum enim est, quod optimo contrarium est. Quantum autem est in dictis peccantibus, vnum peccaminum est ipsius Deitatis superessentialiter & supernaturaliter optimæ: alterum verò Deiformitatis & Deificationis ex diuini radij gratificâ participatione essentialiter & naturaliter optimæ interemtio: & quia sicut in bonis causa boni melior est suo causato, sic & in malis causa mali peior est suo causato. Manifestum, quoniam talium pessimorum interemtorum Deiformitatis & Deificationis in ouibus Christi in Ecclesia Dei introductores, ipsis pessimis interemtoribus sunt peiores, Lucifero & Antichristo proximiores, & in hac peioritate gradatim, quantò magis superexcellentes, qui ex maiore & diuiniore potestate sibi diuinitus in ædificationem, non in destructionem tradita, magis tenerentur ab Ecclesiâ Dei tales interemtores pessimos excludere, & extirpare. Non potest igitur sanctissima sedes Apostolica, cui à sancto sanctorum Domino Iesu Christo tradita est potestas omnimoda, testante Apostolo, in ædificationem, non in destructionem, aliquid vergens in huiusmodi peccatum Domino Iesu Christo tam odibile, detestabile, & abominabile, & humano generi summè pernitiabile, vel mandare, vel præcipere, vel quoquo modo aliquid tale conari. Hoc enim esset suæ potestatis euidenter sanctissimæ & plenissimæ, vel defectio, vel corruptio, vel abusio, vel à throno gloriæ Domini nostri Iesu Christi omnimoda elongatio, & in cathedrâ pestilentiæ pœnarum gehennalium duobus prædictis tenebrarum principibus proxima coassessio. Nec potest quis immaculata & sincera obedientia eidem sedi subditus & fidelis, & à corpore Christi, & ab eâdem sanctâ sede per schisma non abscissus, mandatis vel præceptis, vel quibuscunque conaminibus, vndecunque emanantibus, etsi à supremo Angelorum ordine, obtemperare, sed necesse habet totis viribus contradicere & rebellare. Propter hoc, reuerendi domini, ego ex debito obedientiæ & fidelitatis, quâ teneor vtrique parenti Apostolicæ sedis sanctissimæ, & ex amore vnionis in corpore Christi cum eâ, his quæ in prædictâ literâ continentur, &

maximè,

maximè, quia, vt prætactum, ad peccatum Domino Iesu Christo abominabilissimum, & humano generi pernitiosissimum euidentissimè vergunt, & Apostolicæ sedis sanctitati omninò aduersantur, & contrariantur catholicæ fidei, vnicè, filialiter, & obedienter non obedio, contradico, & rebello. Nec ob hoc potest inde vestra discretio quicquam durum contra me statuere, quia omnis mea in hac parte & contradictio & actio, nec contradictio est nec rebellio, sed filialis, diuino mandato debita patri, & vestri honoratio.

Breuiter autem recolligens dico, Apostolicæ sedis sanctitas non potest, nisi quæ in ædificationem sunt, & non destructionem: hæc enim est potestatis plenitudo, omnia posse in ædificationem. Hæ autem, quas vocant, prouisiones non sunt in ædificationem, sed in manifestissimam destructionem. Non igitur eas potest beata sedes apostolica acceptare, quia caro & sanguis, quæ regnum Dei non possidebunt, eas reuelauit, & non pater Domini nostri Iesu Christi, qui est in cœlis.

Hæc cùm ad Domini Papæ audientiam peruenissent, non se capiens præ irâ & indignatione, toruo aspectu & superbo animo ait: Quis est iste senex dilirus, surdus, & absurdus, qui facta audax, imò temerarius, iudicat? Per Petrum & Paulum, nisi moueret nos innata ingenuitas, ipsum in tantam confusionem præcipitarem, vt toti mundo fabula foret, stupor, exemplum, & prodigium. Nónne Rex Anglorum noster est Vasallus, &, vt plus dicam, mancipium, qui potest eum, nutu nostro, incarcerare & ignominiæ mancipare?

Et cùm hæc inter fratres Cardinales recitarentur, vix compescentes impetum Papæ, dixerunt ei: Non expediret, Domine, vt aliquid durum contra ipsum Episcopum statueremus: vt enim vera fateamur, vera sunt, quæ dicit. Non possumus eum condemnare. Catholicus est, imò & sanctissimus, nobis religiosior, nobis & sanctior, excellentior, & excellentioris vitæ, ita vt non credatur inter omnes Prælatos maiorem, imò nec parem habere. Nouit hoc Gallicana, & Anglicana cleri Vniuersitas, nostra non præualeret contradictio. Huiusmodi epistolæ veritas, quæ iam fortè multis innotuit, multos contra nos poterit commouere. Magnus enim habetur Philosophus, Latinis & Græcis literis ad plenum eruditus, zelator iustitiæ, lector in Theologiæ scholis, prædicator in populo, castitatis amator, persecutor simonialium. Hæc dixerunt dominus Ægidius Hispanus Cardinalis, & alij, quos propria tangebat conscientia: & consilium dederunt domino Papæ, vt omnia hæc conniuentibus oculis sub dissimulatione transire permitteret, ne super hoc tumultus excitaretur. Maximè propter hoc, quia scitur, quòd quandoque discessio est ventura.

Idem. Anno Domini 1253. quia noctes tunc temporis in longum protrahebantur, tertiâ nocte ante festum sancti Dionysij, Episcopus Lincolniensis Robertus lethali tædio, & infirmitate prægrauatus, accersiri præcepit aliquos de clericis suis, vt saltem mutuis collocutionibus recrearetur, quibus Episcopus dolens de iacturâ animarum per Papalis curiæ auaritiam, suspirans ait: Christus venit in mundum, vt animas lucraretur: ergò si quis animas perdere non formidat, nónne Antichristus meritò est dicendus? Dominus sex diebus mundum condidit vniuersum, sed vt hominem repararet, plus quàm triginta annos laborauit, nónne ergò animarum destructor inimicus Dei, & Antichristus censetur?

Priuilegia sanctorum Pontificum Romanorum prædecessorum suorum Papa impudenter annullare per hoc repagulum, Non obstante, non erubescit, quod non fit sine eorum præiudicio, & iniuriâ manifestâ: sic enim reprobat & diruit, quod tanti, & tot sancti ædificârunt, ecce sanctorum contemtus. Meritò igitur contemtor contemnetur, secundùm illud Esaiæ: Væ qui spernis, nónne contemnêris? quis eius priuilegia conseruabit? Errorem suum ad hoc respondens Papa sic tuetur: Par in parem non habet imperium: ergò Papa me Papam minimè præualet obligare. Ad hoc respondeo, ait Episcopus: Mihi videtur, quòd non sunt pares Nauigans in mundi periculo, & Gratulans in portus securitate.

Da, vt aliquis Papa saluetur: absit dicere contrarium. Dicit Saluator: Qui minor est in regno cœlorum, maior est Ioanne Baptista, quo maior inter natos mulierum nemo surrexit. Nónne maior est ergò aliquis Papa, dator priuilegiorũ vel confirmator isto viuente? Profectò mihi maior videtur, ergò in minorem habet imperium: non igitur debet præteritorum, &c. Nónne dicit Papa de suis plerisque prædecessoribus, ille vel ille piæ recordationis prædecessor noster, &c. & sæpè, adhærentes sancti prædecessoris nostri vestigijs, &c. Quare ergò, quæ iecerunt, diruunt fundamenta qui sequuntur?

Plures Apostolici viri vnum aliquod priuilegium priùs piè concessum confirmârunt. Nónne plures diuinâ gratiâ saluati, maiores sunt vno solo adhuc periclitante? Item, antiqui patres nostri viri Apostolici tempore sunt priores, & quos antiqui temporis attollit reuerentia, venerabiles habere tenemur. Hoc benè attendebat sanctus & virtute venerabilis Benedictus, omnium spiritu sanctorum repletus in regula sua. qui priùs venientes qualescunque autenticis viris tardiùs ad ordinem accedentibus præponit, & esse præcipit venerabiles & priores. Vnde ergò hæc iniuriosa temeritas, priuilegia antiquorum sanctorum multorum in irritum reuocare?

Præterea, etsi multi alij viri Apostolici Ecclesiam afflixerint, iste grauiùs alijs coëgit ancillari, & inconuenientia multiplicauit. Caursinos enim, manifestos vsurarios, quos sancti patrês & doctores nostri, quos vidimus & audiuimus, (videlicet magister eximius in Franciâ prædicator, Abbas quoque de Flay Cisterciensis ordinis, magister Iacobus de Viteri, Cant. Archiepiscopus, Stephanus exulans, magister Robertus de Curcun) prædicando à partibus Franciæ eiecerunt, quia antea hac peste Anglia non laborabat, iste Papa suscitauit & protegit suscitatos: & si quis obloquatur, damnis & laboribus, teste Episcopo Lond. Rogero, fatigatur.

Nouit mundus, quòd vsura detestabilis habetur in vtroque Testamento, & à Deo prohibetur: nunc domini Papæ mercatores vel scambiatores, obmurmurantibus Iudæis, palàm Londini fœnerantur, viris Ecclesiasticis & maximè religiosis diuersa machinantur grauamina, cogentes quos grauat egestas mentiri, & signa sua scriptis mendacibus appendere: quod est idololatrare, & veritati, quæ Deus est, abrenunciare. Verbi gratiâ, mutuò accipio marcas per annum pro centum libris, cogor conficere scriptum & signare, in quo confiteor, me centum libras mutuò in fine anni soluendas recepisse. Et si fortè sortem pecuniæ infra mensem vel dies pauciores acquisitam vsurario Papali soluere volueris, non recipiet, nisi integraliter centum libras. Quæ conditio grauior est, quàm Iudæorum, quia quandocunque sortem Iudæo attuleris, recipiet benignè, cum tanto lucro, quod tempori tanto se commensurat.

Præterea nouimus, Papam fratribus Prædicatorum & Minoribus præcepisse, vt morituris assistentes, quos inquirant diligenter, persuadeant vrgenter, vt condant testamenta sua ad commodum, & subsidium Terræ sanctæ, & crucem assumant, vt cùm conualuerint, substantiolas eorum emungant, vel si moriantur, ab executoribus tantum recipiatur, vel extorqueatur. Cruceque signatos personis laicis, sicut quondam in Templo oues, & boues venundari consueuerunt, vendit apportiandos. Inspeximusque literam Papalem, in quâ insertum reperimus, quòd testamenta condentes, vel crucem suscipientes, & subsidium Terræ sanctæ impendentes tantundem recipient indulgentiæ, quantum pecuniæ largientur. Præcepit insuper Papa Prælatis in multis suis scriptis, vt tali vel tali alieno, & absenti & penitus indigno, qui nec literas, vel linguam nouit indigenarum, vt prædicare posset, vel confessiones recipere, vel saltem, propter pauperes reficiendos, & transeuntes suscipiendos, residentiam facere, prouiderent in Ecclesiastico beneficio, quantum vel quale duceret acceptandum.

Item scimus, dominum Papam scripsisse Abbati de S. Albano, vt prouideret cuidam Ioanni de Camezana, quem nunquam viderat, in beneficio competenti: & infra breue tempus prouisum est ei in Ecclesia, quæ annuatim 40. marcas & amplius valebat. Sed ipse eâ non contentus, conquestus est Papæ. Scripsit igitur Papa Abbati memorato, vt dicto clerico vberiùs prouideretur, nihilominùs tamen reseruatâ eidem domino Papæ prioris Ecclesiæ donatione. Et ab hinc post dies non multos venerunt ad prædicti Abbatis cœnobium duæ satis despicabiles personæ literas Papales deferentes, in quarum tenore insertum fuit, vt illicò ipsis viris nobilibus ad sua negotia expedienda sine difficultate ad manum decem marcas Abbas conferret, quibus ampullosa & minantia verba proferentibus Abbas finem fecit.

De viris quoque sanctis & literatis, qui seculum ordine irregreßibili pro Deo imitando reliquerunt, suos facit Papa telonarios, ad pecuniam argumentosè extorquendam. Quod & ipsi onus inuiti suscipiunt, ne inobedientes esse videantur. Et sic de secularibus fiunt seculariores, & mentitur in eis tragulorum vilitas, dum sub habitu paupertatis spiritus habitat elationis: & quia non debet mitti in Angliam Legatus, nisi à Rege postulatus, mittit Papa Legatos sophisticos & transformatos, sed non rubeis vestibus redimitos, magnis armatos potestatibus: nec est difficile exemplum inuenire. Tot enim frequenter adueniunt huiusmodi, vt eorum nomina audientibus tædium generarent.

Cæterùm, quod videre non consueui, concedit Papa ob fauorem secularem, vt aliquis Episcopatum obtineat, nec tamen Episcopus existat, sed electus sempiternus: quod tantundem significat, vt lac & lanam habeat ouium, lupos tamen non abigendo, pristinos etiam redditus retinendo.

Et cùm detestaretur hæc & alia enormia, videlicet omne genus auaritiæ, vsuram, simoniam & rapinam, omne genus luxuriæ, libidinem, gulam & ornatum, quæ in curia illa regnant, vt verè de ipsa dicatur,

Eius auaritiæ totus non sufficit orbis,
Eius luxuriæ meretrix non sufficit omnis:

nitebatur prosequi, quomodo confisa curia illa, vt Iordanis influat in os eius, patulo hiatu aspirabat, vt etiam bona intestatorum & distinctè legatorum sibi vsurparent, & vt licentiùs hoc facerent, Regem in rapinis suis consortem facerent & participem. Nec liberabitur Ecclesia ab Ægyptiacâ seruitute, nisi in ore gladij cruentandi. Sed hæc profectò leuia, in breui, scilicet hoc triennio, ventura sunt grauiora.

In calce verò huiusmodi propheticæ locutionis, quam prærumpentibus singultibus, lachrymis & suspirijs vix pronunciasset, abbreuiata est lingua eius, & deficiente halitu, organum vocis siluit mutilatum.

Migra-

Migrauit igitur ab huiusmodi mundi, quem nunquam dilexit, exilio sanctus Lincolniensis Episcopus Robertus secundus, apud Bugedonam manerium suum, in nocte sancti Dionysij, domini Papæ & Regis redargutor manifestus, Prælatorum correptor, Monachorum corrector, Presbyterorum director, clericorum instructor, scholarium sustentator, populi prædicator, incontinentium persecutor, scripturarum sedulus perscrutator diuersarum, Romanorum malleus & contemtor: in mensâ refectionis corporalis dapsilis, copiosus & ciuilis, hilaris & affabilis: in mensâ verò spirituali deuotus, lachrymosus, & contritus: in officio Pontificali sedulus, venerabilis, & infatigabilis.

Idem. Fecit Magister Rustandus publicè prædicari, vt crux assumeretur, Londini primò, & postea alibi, ab omnibus sanctæ Ecclesiæ zelatoribus, contra Memfredum Frederici quondam Romanorum Imperatoris filium, Dei & Ecclesiæ Romanæ & domini Regis Anglorum inimicum, Saracenis adhærentem, & eosdem receptantem & fouentem, & alienum Regnum iniustè occupantem. Et quicunque iter aduersus ipsum assumeret, plenissimam peccatorum suorum consequeretur remissionem, ac si terram Sanctam adiret peregrinans.

Quod cùm audirent fideles, mirabantur, quòd tantum eis promitteret pro sanguine Christianorum effundendo, quantum pro cruore infidelium aliquando. Et mouerunt sannas & risum super prædicatorũ mutabilitate. Et aliquo loco cùm Magister Rustandus prædicaret, in fine sermonis annexuit: Estote filij obedientiæ, obligamini tali & tali Mercatori in tanta pecuniæ quantitate. Et hoc inter Religiosos in capitulo, cùm tamen nunquam super hoc antea solicitasset.

Idem. Iste semiuiuus, iam moriturus, cùm videret, consanguineos suos circumstantes lugere, plangere, &, vt moris est ibi, vlulare, & vestes & capillos decerpere, subleuans oculos iam in morte natantes ait: Quid plangitis miseri? Nónne vos omnes diuites relinquo? Quid ampliùs exigitis? Et hæc dicens, districtum Dei iudicium subdituram animam exhalauit.

Cecidit autem eâdem septimanâ, quâ Papa Innocentius quartus migrauit ab hoc seculo, visio quædam nocturna mirabilis cuidam Cardinali, cuius nomen supprimitur ad cautelam. Videbatur enim sibi, quòd fuerat in cœlo coram maiestate Domini sedentis pro tribunali, à cuius dextris stabat beata Virgo, mater eius: à sinistris verò quædam matrona nobilissima corpore, & habitu venerabilis: quæ extento brachio supra manum sinistram deferebat quasi templum, & scribebatur in fronte templi illius literis aureis: ECCLESIA: coram verò Maiestate diuina incuruatus Innocentius quartus, iunctis manibus, & erectis flexisque genibus petens veniam, & non iudicium.

Nobilissima autem mulier ait ex aduerso: Iuste Iudex, rectè redde iudicium. Accuso enim eum super tribus. Primò, cùm in terris Ecclesiam fundasses, libertatibus eam donasti, quæ à teipso processerunt: hic verò eam reddidit ancillam vilissimam. Secundò, fundata est Ecclesia in salutem peccatorum, vt scilicet lucrifaceret animas miserorum: hic verò fecit eam mensam nummulariorum. Tertiò, fundata est Ecclesia in fidei firmitate, iustitia & veritate: hic verò fidem & mores fecit vacillare, iustitiam sustulit, veritatem obumbrauit: iustum ergo iudicium redde mihi. Ait autem Dominus: Vade, & pro meritis tuis mercedem apprehende. Et sic ablatus est.

Cùm verò ex terrore sententiæ euigilasset Cardinalis, clamans effectus est, quasi extra se esset, vt omnes sui dicerent, ipsum furere. Tandem, mitigato dolore, visionem suam pleniùs cœpit enarrare, & publica facta est in partibus illis. Ista visio, nescitur si fantastica, multos perterruit &, vtinam cum effectu, castigans emendauit.

Idem. Anno Domini millesimo, ducentesimo, quinquagesimo quarto, mense Iunio orta est grauissima dissensio inter dominum Papam & Conradũ Regem Siculorũ. Oderat enim eum Papa, licet infirmatus, & ab Episcopo Lincolniensi Roberto acriter correptus, sed minimè correctus. Et accusauit eum Papa immisericorditer, odio Frederici fomitem ministrante, quia nec adhuc sine igne cinis erat, in multis articulis. Rex autem singulis respondit moderatè, constanter tamen inficiando. Imposuit enim ei, quòd hæreticus extitit, & homicida, & clauium Ecclesiæ contemtor: fecitque, vt asseruit Papa, celebrari diuina in Interdicto: & quòd quendam Fredericum nepotem suum veneno interfecit, & Henricum fratrem suum per Ioannem Maurum priùs veneno, & cùm moram faceret vt moreretur, quodam manutergio suffocauit. Sed hæc finxit Papa, vt dicitur, vt sic Regem Angliæ contra ipsum Conradum excitaret prouocatum. Obiectiones autem Papales, & responsiones Conradi, in libro Additamentorum poteris, si volueris, ad signum anchoræ rubræ reperire.

Idem. Anno Domini M.CC. LV. Rustandus Vniuersos Angliæ Prælatos cõuocauit authoritate Papali Londinum conueniendos, vt ibi domini Papæ præceptum obedienter audirent, in quindena sancti Michaëlis: & de arduis tam domini Regis, quàm Papæ negocijs contractantes, tanquam filij obedientiæ, discretè ac fauorabiliter de rebus postulatis, & postulandis responderent. Vbi cùm dictis loco & tempore conuenissent, lectis & intellectis Rustandi potestatibus, fecit idem sermonem fieri, ab vniuersis exigendo infinitam pecuniam per scripta plena iniurijs & iniquitate,

quæ possent pientissimi cor virulenter sauciare. Quæ pecunia si consideraretur & colligeretur, Ecclesia Anglicana, imò totum regnum vilissimæ subiaceret seruituti, & irrestaurabili læderetur paupertate.

Erat autem onus importabile, quod alijs i posuit baiulandum, nolens illud digito mouere. Vt enim de alijs sileam, soli domui sancti Albani iniunxit sexcentas marcas domino Papæ numerare, exceptis vsuris & grauibus conditionibus, qui ius ipsam domum arctarent mercatores vsurarij, quibus concessa potestas ad suæ voluntatis fuerit arbitrium, Ecclesias opprimendi. Præterea conabantur Rustandus & Episcopus Herefordensis, & eorum complices, terminum solutionis festinando abbreuiare, sub pœna suspensionis & excommunicationis, quem terminum nullo modo tenere possent obligati.

Sed hoc factum est, vt cogerentur Prælati, mutuò accipere ipsam pecuniam à mercatoribus, & eorum vsuris illicò intricati subiacere. Quod omnibus & singulis non tantùm difficile, sed impossibile videbatur. Et cùm tristissimum consilium super his per plures dies haberetur, longa trahens præcordialiter suspiria Episcopus Londinensis F. ait: Antequàm tantæ Ecclesiæ consentiam seruituti, & iniuriæ, ac intolerabili oppressioni, profectò decapitabor. Cuius constantiam cùm audisset Episcopus Vuigorniensis VV. ait in propatulo: Et ego, priusquàm tali subiaceat Ecclesia sancta subuersioni, suspendio condemnabor. Quorum salubribus assertionibus omnes alij firmiter animati, constanter promiserunt, se vestigia beati Thomæ martyris, qui pro libertate Ecclesiæ se permisit excerebrari, pedetentim secuturos.

Attamen arctabantur vndique, Rex aduersabatur, Papa pecuniæ inhians inimicabatur, Magnates matri suæ Ecclesiæ non compatiebantur, Rustandus homo literatus & efficax ad nocendum stimulabat: Archiepiscopus Cantuariensis, qui vacillantis Ecclesiæ Petri ac nauiculæ fluctuantis nauclerus esse teneretur, in partibus transmarinis ac remotis terrenis negocijs implicatus, gregem suum minùs quàm expediebat, gubernauit: Eboracensis Archiepiscopus, vir magni consilij & profundi pectoris, in fata concessit: electus Vuindoniensis, tum quia Pictauiensis, tum quia frater Regis persequentis, tum etiam quia non Episcopus, suspectus habebatur, atque idcircò vitabatur. Herefordensis verò Episcopus non suspectus, sed manifestus aduersarius habebatur.

Inuocata igitur sancti Spiritus consolatione, appellantes ad præsentiam Papæ, qui sinum refugij pandere habet omni oppresso, super tam intolerabili & inaudita exactione contradixerunt voluntarijs & impetuosis magistri Rustandi oppressionibus & comminationibus. Et illicò acclamatum est Londini voce præconia, authoritate Episcopi Londinensis, ne aliquis authoritate literarum magistri Rustandi placita moueret, vel exequeretur diebus pluribus. Quod cùm eidem Rustando intimaretur, conquestus est Regi grauissimè, asserens, quòd Episcopus Londinensis omnes alios Prælatos animauit ad contradicendum voluntati Regiæ ac Papali. Rex autem iratus valdè conuiciabatur Episcopo, asserens, quòd nec ille Episcopus, nec aliquis de genere eius ipsum Regem dilexisset. Et quòd efficaciter procuraret, vt Papa animaduertat in ipsum & puniat. Ad quod Episcopus: Auferant Episcopatum, quem tamen non possunt de iure auferre, Papa & Rex, qui me fortiores sunt: tollant mitram, galea remanebit. Ipso etiam tempore instillatum est multorum auribus quoddam incredibile, quod quidem absurdum est & nefas credere, quòd scilicet quidam falsarij Bulla nequiter abutebantur: & schedulis vacuis Bullam appendebant, vt, quicquid placeret eis, postea inscriberetur.

Idem. Anno Domini M.CC.LV. transijt annus ille Romanæ Ecclesiæ & Papali curiæ, si deuotionem populi reputet, virulentissimus: expirauit enim, quæ consueuit haberi, deuotio habita à Prælatis & populo penes matrem nostram Romanam Ecclesiam, & patrem & pastorē nostrum dominum videlicet Papam. Etsi illa curia fideles Christi multoties vsque ad amaritudinem spiritus cruentauerit, nunquam tamen, sicut hoc & sequenti anno, tam lethaliter vniuersos Christi seruos & singulos sauciauit. Cogūtur enim insontes idololatrare, & quasi Apostatæ, veritati Deoq; abrenunciare. Et præter hoc, quod etsi intolerabile sit, tamen tolerabilius reputatur, bonis temporalibus violenter deprædantur.

Quæ autem inconuenientia annus iste Angliæ præsentauit, præsenti pagina duximus inferenda. Cassantur sanctorum priuilegia, nec indulgentiæ reputantur, & hoc non sine iniuria eorundem: potestatem habet Papa in his, quæ operantur in ædificationem, non in his, quæ ad ruinam, secundum Episcopum Lincolniensem Robertum. In triennium commutatur quinquennium in promissione decimæ, subitò & tacitè, quia promissa sit per triennium. Nouum super terram. Consueuerunt semper laici Prælatis decimare, tantum nunc Prælati laicis decimare coguntur. Concessa fuit decima in subsidium Terræ sanctæ, cogimur transferre eam in subsidium Apuliæ contra Christianos. Concessa fuit decima pro obseruatione chartæ, quam tenere prædictus Rex Henricus tenebatur, quæ tamen non obseruatur. Concessa fuit decima, vt Regi in terram sanctam peregrinanti, particulatim secundum prouisionem distribueretur: non vti nunc, de obligatione iniustissima, grauiora subire cogimur, & multipliciter mentiri, falso profectò iuramento, quod cœlitus prohibetur in vtroque Testamento. Concedere cogimur terminos solutionis, quos nullo modo tenere possumus, vt incidamus in laqueos vsurariorum suorum, quos socios eorum noui-

mus

mus & participes. Datur potestas personis prorsus indignis super nobiles Ecclesias, & eorum Prælatos excellentes. Venduntur Prælati vt boues & asini: ecce vltimæ conditio seruitutis. Ecce venditores, eiiciendi à templo, & flagellandi. Sed quia ignobilius est facere iniuriam violenter, quàm pati cum innocentia, credendum est, quòd super hoc clamor ascendat querulus ad DEVM Dominum vltionum.

Idem. Anno Domini M.CC.LVII. imminente quadragesimâ missus est à Domino Papâ, nesciebatur ad quid, Archiepiscopus Messanensis, in magno apparatu familiæ, & equorum, videlicet Fratrum de ordine Prædicatorum. Et cùm habuisset literas Papales de procuratione exigendâ, & recipiendâ, cum magnâ pœnâ contradictores puniendi, misit literas imperiosas ad quemlibet Prælatum, vt ei, secundum quod eiidem significauit in procuratijs, prouiderent, ita quòd ex domo S. Albani & eius cellâ viginti & vnam marcam extorsit.

Et cùm venissent Monachi S. Albani, vt ipsum in hospitio suo ciuiliter visitarent, non permisit eos exire, imò ipsos quasi incarceratos retinuit, donec suæ auaritiæ satisfecissent. Et cùm modestè respondissent Monachi, se nullum ibi habere denarium, iratus Archiepiscopus respondit procaciter: vt quid tam mendici estis? Mittite igitur pro aliquo Mercatore, qui vobis commodare velit: & factum est ita, quia sic oportuit. Non enim permittebantur exire Monachi, quamuis essent de Conuentu prælecti, videlicet Archidiaconus S. Albani, & dominus Ioannes, Abbatis baiulus & procurator. Iste Archiepiscopus Messanensis fuit Frater de ordine Prædicatorum, in quo humilitatem sperabamus vberiorem, quia à Domino Papa de procurationibus extorquendis talem literam meruit obtinere.

Idem. Sub eiusdem anni curriculo quædam naturæ degenerantis nouitas prodigialis & inaudita, in Episcopatu Lincolniensi, in omnium audientium cordibus stuporem generauit. Quædam enim mulier stirpe nobilis, forma decens, conditione libera, cuidam diuiti matrimonio copulata & puerpera, quandam aliam mulierem similibus dotibus insignitam imprægnauit, modo nouo ac mirabili patrissando. Et ex ea duos filios cùm progenerasset, & tertio infantulo eandem grauidam reddidisset, ipsa mater talis peccati nouam detestans deformitatem, reatum vtriusque palàm protestata, aliam compulit ad plenam rei gestæ eminus confessionem. Quæ culpam propriam turpiter palliando & se impudenter accusando, suam accusauit genitricem, affirmans, ipsam eodem vicio laborasse.

Talium verò mentionem facit glossa super hunc locum in Genesi scripta: Masculum & fœminam creauit eos, dicens, quòd sunt homines Androgoni, vel Androgamei: videlicet quoddam genus Hermaphroditorum, dicti ab Andros, quod est vir, & gamos, quod est fœmina, eò, quòd patiantur & agant, coëundo pariant generentque vicissim, &c.

Idem. Anno Domini 1226. Richardus de Marisco Dunelmensis Episcopus pro turpissimâ causâ, quam agebat contra monachos suos, vtpote monachorum & religiosorum persecutor ab antiquo, ad diem Londonijs constitutum cum tumultu valido reboantium Legistarum properans, apud Burgum S. Petri in Abbatiâ hospitatus est. Vbi post splendidam refectionem, cùm nocte sequenti lecto sese recepisset, clerici eius, manè facto, & Sole iam in altum ascendente, thalamum eius intrantes, & illum excitare volentes, inuenerunt eum mortuum, & omninò exstinctum. Qui maximâ confusione stupefacti, celauerunt mortem eius die illâ vsque ad vesperam, eò, quòd absq; confessione, & viatico expirasset. Deinde verò casum miserabilem Priori, & Conuentui indicantes, fabricatâ cum festinatione lecticâ, corpus ad sepeliendum ad Dunelmensem Ecclesiam detulerunt.

Obijt autem primâ die mensis Maij: à primis annis aulicus, & curialis Regum satelles, & thelonarius domibus religiosorum exitialis, postquàm vixerat in Episcopatu annis circiter nouem. Eius Epitaphium quidam monachus Dunelmensis fecit tale:

Culmina qui cupi-		*laudes, pompasq; siti-*		
Est sedata si-		*si me pensare veli-*		
Qui populos regi-	*tis,*	*memores super omnia si*	*tis.*	
Quòd mors immi-		*non parcit honore poti-*		
Vobis Præposi-		*similis fueram, benè sci-*		
Quod sum, vos eri-		*ad mè currendo veni-*		

Idem. Anno Domini 1235. obijt Hugo de Vuelijs, Lincolniensis Episcopus, monachorum omnium, ac sanctimonialium, præcipuè Gilbertinorum, quos ob luxurias Hædos vocabat, grauator indefessus. Cui successit Robertus Grosteteſt, homo doctissimus. Iudæi eodem anno effusâ pecuniâ admirandum priuilegium à Papa Gregorio 9. impetrauerunt, ne à Christianis regibus censerentur: & quòd eis liceret, Christianos seruientes ac nutrices habere, in dedecus ac derisum Christianorum magistratuum. Misit quoque Papa in Angliam vsurarios, quos suos mercatores, seu escambiatores vocabat. Hi Londini habitantes vniuersam terram inficiebant, omne fœnum viride comburentes, Apoc. 8. Illis strenuè se opposuit Rogerus, eius vrbis Episcopus: sed Rom. scorpij cruciatum sentiens, statim didicit ex Chamo Sem fieri, ac patris verenda tegere.

Idem. Anno Gratiæ 1241. nondum cessauit auaritia Romanorum insatiabilis. Quia post recessum Legati remanserunt in Angliâ duo Papales clerici, quasi vices Legati supplentes, exactores indefessi, scilicet Petrus cognomento Rubeus, & Petrus de Supino, autenticum Papale retinentes procurationes exigendi, interdicendi, excommunicandi, & pecuniam varijs modis à miserâ Ecclesiâ Anglicanâ extorquendi: vt talibus rapinis Ecclesia Romana, secundum assertionem eorum, quæ damnificabatur multiformiter, respiraret.

Scripsit igitur imperiosè prædictus Petrus Rubeus, qui se alteri præferebat, habens se per modum Legati, epistolas suas & literas autenticas illi Abbati, vel illi Priori, cuius titulus talis proponebatur: Magister Petrus Rubeus, domini Papæ familiaris, & consanguineus, salutem, &c. Et sub tali titulo procurationes & collectas varias exigebat & extorsit. Præterea socius suus Petrus de Supino in Hyberniam, permittente Rege, ex parte Papæ veniens, & autenticum eiusdem deferens, à Prælatis Hyberniæ omnibus, brachio adiutus seculari, cum magnâ tyrannide collegit. Vnde quidam suspensi Londinum ad eundem P. venerunt, secundum voluntatem eius satisfacturi. Rediens igitur ab Hyberniâ idem P. in autumno sequenti, & Romam tendens, mille & quingentas marcas secum clitellis refertis asportauit.

Idem. Anno Gratiæ 1246. dominus Papa, videns aliquorum Anglicorum ornamenta Ecclesiastica, vtpote in cappis choralibus, & infulis, & aurifrisia concupiscibilia, interrogauit, vbinam facta fuissent? Cui responsum est: in Angliâ. At ipse: verè hortus noster deliciarum est Anglia: verè puteus inexhaustus est: & vbi multa abundant, de multis multa possunt extorqueri. Vnde idem dominus Papa, concupiscentiâ illectus oculorum, literas suas bullatas misit ad omnes ferè Cisterciensis ordinis Abbates in Angliâ commorantes, quorum orationibus se nuper in Capitulo Cisterciensi commendauerat, vt aurifrisia, ac si pro nihilo ipsa possent acquirere, mittere non differrent prælecta, ad planetas, & cappas suas chorales adornandas. Quod mercenarijs Londinensibus, qui ea venalia habebant, non displicuit, ad placitum vendentibus: vnde multi manifestam auaritiam Romanæ Ecclesiæ detestabantur.

Idem. Anno Domini M. CC. XL. venit in Angliam noua quædam pecuniæ exactio, omnibus seculis inaudita & execrabilis. Misit enim Papa, pater noster sanctus, quendam exactorem in Angliam, Petrum Rubeum, qui excogitata muscipulatione infinitam pecuniam à miseris Anglicis edoctus erat emungere. Intrauit enim religiosorum capitula, cogens & seducens eos ad pecuniam promittendam, & promissam persoluendam, exemplo aliorum Prælatorum, quos mentitus asserebat gratanter persoluisse: dixit enim, ille Episcopus, & ille, iam libens satisfecit: quidnam vos ignaui tam moramini, vt grates cum muneribus amittatis?

Fecit etiam prædictus impostor iurare, vt hoc genus pecuniam extorquendi nulli hominum infra dimidium annum facerent manifestum, (quasi eliciens hoc ex singulorum primitiuâ professione, cùm tantùm de honestis sit consilium Papale celandum,) hoc faciendo more prædonum domesticorum, qui fidem ab expoliatis extorquent, vt nulli pandant nomina spoliantium. Sed etiamsi homines silerent, lapides Ecclesiarum contra grassatores clamorem leuarent. Nec potuit hoc maleficium latere sub tenebris: quomodo etenim possent Prælati à suis & sibi subiectis pecuniam exigere, nisi causa exactionis exprimeretur?

Idem. Anno Domini 1253. Innocentius Papa regnum Siciliæ Henrico Anglorum regi pro pecunijs obtulit, ad vsum sui filij Eadmundi: cùm tamen defuncto Conrado, Manfredum regem haberet. Sed rex nummorum expers, petitis non poterat respondere: quoniam nimis indiscretè suum regnum obligauerat Papæ mercatoribus.

Idem. Anno Domini 1256. missæ fuerunt literæ à domino Papa Abbati, & conuentui Ecclesiæ sancti Albani, vt infra mensem soluerent quibusdam Mercatoribus quingentas marcas, in quibus tenebantur eisdem Mercatoribus. Quem terminum si transgrederentur, scirent, se ex tunc suspensos. Hoc insertum fuit in tenore literarum: cùm tamen nunquam scirent se alicui obligari. Et simili modo multis alijs Cœnobijs factum est, vt videlicet sic cogerentur iugum subire Mercatorum fœneratorum. Et vt efficaciùs pecuniam extorquerent exactores, dicebant, omnia exigi ad opus domini Regis præparati ad iter peregrinationis arripiendum.

Idem. Anno Domini M. CC. XXXIIII. qui tertius erat sterilium annorum, exitialis mortalitas crudeliter vbique sæuiebat, & fames, quæ pestilentiæ tam exigentibus peccatis, quàm ex præcedente aëris intemperie, & agrorum generali sterilitate absque dubio prouenerunt. Pauperes verò diuersis in locis ob inediam tabescentes moriebantur, non inuenientes Samaritanum, qui eos stabulario committeret reficiendos, vel vulnera leniret oleo consolationis. Eleemosyna quidem, quæ etiam diuitias augere solet, vbique deserta languebat, dum diuites, qui in omnibus bonis abundabant temporalibus, tantâ cæcitate percussi sunt, quòd homines Christianos ad imaginem Dei creatos, mori præ alimentorum inopiâ permittebant. Cæci quidem fuerunt, qui non ex dono Dei, sed propriâ industria iactant se diuitias acquisiuisse. Et si hoc turpe fuit omnibus generaliter Christianis: turpissimum tamen extitit Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis.

Vnde inter primos ex vitio auaritiæ notabiles, Vualterum Eboracensem Archiepiscopum pono cæteris in exemplum. Ad quem cùm venissent plurimorum maneriorum Præpositi pariter & ministri, ostendentes, quòd in locis diuersis multum habuerit bladum quinquennali iam tempore inueteratum, quod nimis habebant suspectum, vt vel à muribus esset corrosum, vel corruptione aliquâ putrefactum: Archiepiscopus, non habens in tantâ necessitate nec ad Dominum, nec ad pauperes respectum, præcepit ministris suis ac præpositis, vt traderent frumentum vetus rusticis de manerijs suis, qui pro veteri nouum sibi redderent post autumnum.

Contigit ergò, cùm præpositus eiusdem Archiepiscopi in villâ de Ripun bladum circuiret, extra horrea positum illud trituraret, apparuerunt vbique in garbis capita vermium serpentium, scilicet colubrorum, & bufonum terribilium. Vnde ministri, qui cum præposito ad hoc spectaculum conuenerant, fugientes timuerunt, ne à vermibus læderentur.

Cumq; omnia Archiepiscopo fuerant intimata, misit Senescallos suos nimio rubore confusus, vt viderent, quid inde consultius foret faciendum? At illi venientes ad locum, non obstantium vermium multitudine, scalas applicauerunt ad bladum, & rusticos quosdam compulerunt, vt ascenderent & frumentum detegerent. Qui cùm ad summitatem peruenissent, exiuit de blado fumus nigerrimus, & fœtor quidam infernalis, & intolerabilis. Vnde cum festinatione descendentes, vt periculum mortis euaderent, testificati sunt, se nunquam antea talem sensisse fœtorem. Vocem etiam audierunt sibi dicentem, ne ad bladum manus apponerent: quia Archiepiscopus, & omnia quæ habebat, diaboli possessio erat. Videns autem Senescallus & alij, qui cum illo erant, ex vermium multitudine graue periculum imminere, fecerunt murum altum in circuitu bladi, & ignem adhibentes in gyrum omnia combusserunt, ne vermes exeuntes totam adiacentem inficerent regionem.

Idem. Anno Domini 1237. circa dies Domini Natalitios, quidam Romanæ Ecclesiæ potens ac specialis Consiliarius, scilicet dominus I. de Columnâ Cardinalis, Legato in Angliâ commanti secretiùs scripsit in hæc verba: Voluimus reformare statum, vt sæpe tentauimus, & ecce deformis destitutio subintrauit: incassum traduntur consilia, vbi voluntas non sistitur freno prudentiæ, sed impetu agitata prosilit ad procliuia, nec patitur retardari.

Idem. Clerici furiâ infecti, Legatum (Papæ) etiam in abditis secretorum latebris quæsiuerunt, clamantes, & dicentes: Vbi est ille Vsurarius, simonialis, raptor reddituum, & sititor pecuniæ, qui Regem peruertens, & regnum subuertens de spolijs nostris ditat alienos? Insequentium autem adhuc clamores cùm fugiens Legatus audiret, dixit intra se:

Cùm furor in cursu est, currenti cede furori.

Idem. Anno Domini 1238. cùm Simon de Monteforti cum gratiâ Imperatoris & literis supplicatorijs se transtulisset ad curiam Romanam, & effusâ & promissâ infinitâ pecuniâ, à domino Papâ impetrauit, vt, quamuis votum solenniter factum coram Ædmundo Archiepiscopo Cantuariensi repugnaret, liceret illicitis abuti amplexibus.

Idem. Anno Dom. 1253. conuocatis Londini Iudæis omnibus, comes Cornubiæ Ricardus pecuniam multam ab eis exegit ad opus regis, sub pœnâ carceris & mortis. Helias eorum Pontifex, Londini natus, habito cum eis consilio, pro omnibus respondit: domini proceres, videmus haud dubiè, quòd dominus Rex nos delere proponit: ob Deum petimus, vt licentiam, & conductum nobis det, à regno suo recedendi, vt alibi quæramus mansionem, ac misericordiam inueniamus: & sic recedemus, non redituri, relictis hic supellectilib. & domicilijs. Quomodo nos diligeret Iudæos misellos, qui suos Anglicos naturales in dies destruit? Habet Papales mercatores, imò suos fœneratores, ne dicam confusores, qui de præstationibus cumulos coaceruant pecuniarum infinitos. Innititur rex eis, & suis inhiet emolumentis: nos profectò supplantatos depauperauerunt. Quod vtique rex scire dissimulat, exigens à nobis quæ non possumus exhibere, etiamsi oculos nobis erueret, vel si excoriatos iugularet. Atque hæc singultibus, & lachrimis sermoné impedientibus dicens, siluit, ferè cadens in ecstasim, moriturus,

Quod cùm ad magistratuum noticiam peruenisset, non permiserunt eos à regno recedere: sed dicebant: quò fugeretis miseri? Ecce vos odit Francorum rex, & persequitur, atque exilio perpetuo vos damnauit. Vitantes Charybdin, in Scyllam mergi desideratis? Et sic pauca substantiola, quæ eis ad exilem eorum sustentationem relinquebatur, ab eisdem violenter est extorta. Et sequenti anno Iudæi denuò dicebant ad regem: Vsurarij Papæ nos supplantauerunt, permitte, vt liberè exeamus de regno tuo, &c.

Idem. Misit adhuc Alexander 4. multos alios in Angliam legatos sub reformationis colore, præcipuè F. Arlotum, & Mansuetum Minoritas: qui authoritatem habebant, absoluendi pro pecunijs, quoscunque falsidicos, periuros, votorum transgressores, adulteros, homicidas, proditores, veneficos, sodomitas, & omnes nefarios, ac sceleratos homines. Vnde mulier quædam reclusa apud fanum D. Albani, terribilem visionem habens audiuit, senem vultu venerabilem seueriter clamasse: væ væ omnibus terram inhabitantibus: & illud ter iterauit, ac recessit.

Idem. Anno Domini 1258. Ricardus Cornubiæ comes, Ioannis olim Anglorum regis filius in Alemanniæ regem eligebatur propter thesauri sui abundantiam: illique Papa Imperium procurabat, sed callide, & silenter, ne Hispaniæ regi Alphonso (à quo etiam aureos acceperat nummos) aduersarius, & impostor videretur. Thesauris enim abundabat Ricardus. Vnde Satyricus quidam,

Nummus ait, pro me nubit Cornubia Romæ.

Idem. Anno Domini 1129. Rex Henricus concilium magnum tenuit Londini Kl. Augusti, vbi à Prælatis denuò tractatum fuit de prohibendis sacerdotum focarijs (sic eorum vxores tunc vocabant) ne inuicem cohabitarent: quibus rex facetè illusit. Accepto enim à sacerdotibus depacto censu, permisit illis suas vxores, ad molestiam ac derisum prælatorum.

Simili paradigmate anno Christi 1097. rex Guilhelmus Rufus Anselmum & alios Papistici cœlibatus propugnatores lepidè deridens, pro annuo tributo presbyteris concessit liberum ad nuptias accessum, adnihilatis Hildebrandi perniciosissimis statutis.

Radulphus de Diceto etiam narrat in abbreuiationibus Chronicorum, quòd anno Domini 1137. Stephanus Anglorum rex ægrè ferens, nouum Episcopum Londini per Guilhelmum decanum, Radulphum Langforde, Ricardum Belmeys, & alios de capitulo, vt vocant, ad Pauli fanum eligi absque consensu suo regio, fecerit omnes eorum vxores capi, ad turrim duci, atque illic captiuas teneri, donec de admisso crimine plenè respondissent. Talia tunc exempla apud Anglos multa erant.

Idem. Anno Domini 1247. dominus Papa apices suos autenticos per solennes nuncios, Prædicatores & Minores, misit ad omnes Franciæ Prælatos sigillatim, supplicans, vt vnusquisque iuxta suam posibilitatem sibi vnam quantitatem pecuniæ accommodaret: & ipse procul dubio, cùm respiraret, quod cuilibet competeret, redderet indubitanter. Quod cùm Regi Francorum innotuisset, suspectã habens Romanæ curiæ auaritiam, prohibuit, ne quis ex Prælatis Regni sui sub pœnâ amissionis omnium bonorum suorum, taliter terram suam depauperaret. Et sic cum sibilo, & derisione omnium Papales Legati sophistici, quorum humeris hoc officium incumbebat, inanes, & vacui à Regno recesserunt.

Idem. Anno Domini 1241. vt quasi mille argumentis misera terra Anglicana suis bonis viduata spoliaretur, fratres Prædicatores, & Minores, autentico domini Papæ communiti, in prædicatione suâ plenam peccatorum remissionem concesserunt omnibus cruce signandis pro terræ sanctæ liberatione. Et statim, vel in crastino, vel tertiâ die, postquàm multos deuotos signauerant, eâ conditione à crucis voto eos absoluebant, vt, quantum suppetebat facultas, pecuniæ suæ portionem in subsidium Terræ sanctæ conferrent largiorem. Et vt ad hoc Anglicos inclinarent proniùs ac promtiùs, ipsam pecuniam asserebant Comiti Richardo deferendam, chartam ipsius super hoc certiùs ostendentes.

Insuper senibus & valetudinarijs, mulieribus, imbecillibus, & paruulis, crucem accipientibus, vel accipere proponentibus, tantundem indulgentiæ, accepta priùs ab eisdem pecuniâ, concesserunt, ostendentes super hoc Comitis Richardi scriptum testimoniale, à Romana curia impetratum. Et hoc genere emungendi loculos est infinita pecunia propter fauorem Comitis acquisita. Quis autem custos aut fidelis dispensator inde fuerit, hîc iam quæritur, nam nescitur.

Idem. O Romanæ curiæ sterilis solicitudo, cæca ambitio, licet sancta, sæpius tamen proauorum decepta consilio, quare freno discretionis impetus tuos non moderaris, ex præteritis erudita, ex toties expertis castigata? Ecce in tuis iacturis omnes punimur: omnes enim compatimur, vniuersalem sentimus cum opprobrijs confusionem. Duos iam in Allemanniâ Imperatores conaris creare: in quorum promotione inæstimabiles thesauros vndecunque raptos oportet expota es creare: in quorum promotione inæstimabiles thesauros vndecunque raptos oportet exponere, vtroque tamen incerto de dignitate. Et nunc in partibus Apuliæ Papalis exercitus turpiter contritus bis (videlicet semel sub ducatu VVilhelmi Cardinalis, & iterum sub Legatione vel ducatu Octauiani Cardinalis,) omnes filios Ecclesiæ vniuersalis damnis lacessiuit, opprobrijs inebriauit, doloribus sauciauit. Vt autem breuibus concludatur, vniuersalis Ecclesia, quæ à Romana tenetur curia detendi, in multis se conqueritur prægrauari.

Idem. Anno Gratiæ M.CC.XLIIII. die Lunæ ante festum omnium Sanctorum, venerunt ad synodum Episcopi Roffensis quidam nouæ religionis speciem præferentes, fratres scilicet dicti Cruciferi, dicti sic, quia cruces in baculis efferebant. Requirebant autem habitationem à potentibus, ostendentes inauditum sibi à domino Papâ priuilegium concessum: videlicet quòd nulli liceat, ordinem eorum reprehendere, vel ipsos exprobrare, vel ipsis imperare: concessa etiam fuit ipsis potestas, in tales sententiam excommunicationis inferre, admirantibus, imò obstupentibus viris sapientibus & discretis, super tot nouis ordinibus quotidie sine fine orientibus, & emergentibus, quòd spretis beatissimi Benedicti, pleni spiritu omnium sanctorum, & magnifici Augustini disciplinis, contra statutum Concilij sub gloriosæ memoriæ domino Papâ Innocentio tertio celebrati, viri

literati ad inauditos ac nouiter inuentos ordines subitò conuolarent. In quo Concilio, post ordines Prædicatorum & Minorum initiatos & authorisatos, irrefragabiliter sancitum, & statutum fuit, assensum fratribus Cardinalibus cum tota sacri Concilij Vniuersitate præbentibus, ne ex tunc amplius noui ordines adinuenirentur, vel adinuenti admitterentur, ne scilicet autentici ac iam recepti ordines vilescerent, spreti & similiter damnificati.

Idem. Cùm vterque, Papa & Rex pecuniam exigerent, & denegaretur, Rex iratus iurauit, quòd singulos damnificaret, quos omnes nequiuerat flectere ad consensum. Et quia dixerant, quòd Regem decuit, orationes magis ab eisdem exigere quàm pecuniam, iurauit, quòd voluit & orationes habere ab eis, & pecuniâ non destitui. Erat autem tunc fortè in curiâ Abbas de Bildevvas ordinis Cisterciensis, quem Rex obiurgans, sibi iussit accersiri, & ait: Quid est Abbas, quòd mihi indigenti, & humiliter postulanti auxilium pecuniare denegasti? Nónne sum patronus vester? Cui Abbas: vtinam patronus, pater, & defensor. Veruntamen non expedit vobis nos in extorsione pecuniæ damnificare, sed potiùs cum deuotione orationum suffragia postulare, exemplo pij Regis Francorum salubriter informatus. Cui Rex: vtrumque exigo, pecuniam videlicet cum orationibus. Cui Abbas: Non credo hoc posse contingere: alterutro oportet te carere. Si enim substantiolas nostras à nobis violenter extorqueas, quomodo deuotè, & sinceris cordibus pro te orabimus? Oratio nempe sine deuotione parùm, vel nihil prodesse præualebit. Rex autem, licet satis eleganter respondisset Abbas, tamen Abbatibus Cisterciensibus tacitus insidiabatur vniuersis.

Idem. Hæc cùm per Christianorum climata, præcipuè per Angliam, Christi fidelibus innotescerent, & prædicatio per Prælatos, maximè verò per fratres Prædicatores, & Minores fieret, quibus data fuit potestas cruce signandi, & votum datâ pecuniâ relaxandi: sese multi, quorum non erat numerus, cruce signauerunt. Sed citò in tantam nobilitatem, ne dicam arrogantiam, eleuabantur Prædicatores & Minores, qui spontaneam paupertatem cum humilitate elegerunt, vt recipi curarent in cœnobijs, & ciuitatibus in processione solenni, in vexillis, cereis accensis, & in dispositione vestimentis festiuis indutorum: & concessum est eis, veniam multorum dierum suis conferre auditoribus, signatosque hodie cras datâ pecuniâ à crucis voto absoluerunt. Paruoque tempore succedente, facta est tanta commutatio, tam multiformis pecuniæ exactio, nec sciri poterat, in quam abyssum tanta pecunia, quæ per Papales procuratores colligebatur, est demersa, quòd fidelium circa negocium crucis tepuit, imò potiùs charitas refriguit generalis: vnde negocium Terræ sanctæ nunquam felix super hoc suscepit incrementum.

Præterea grauiter lædebatur omnium conscientia, & in meditatione exardescente sauciabatur, quòd tota illa pecunia impreciabilis, quæ ex decimâ per magistrum Stephanum domini Papæ clericum cumulabatur, ad conterendum Imperatorem, factâ pace, sicut colligi potest per epistolam Papæ, nec in minimo quadrante est restituta, nec ad aliquod Ecclesiæ commune negocium vel honorem distributa: imò nec dum penitus fuit extorta vel collecta, & ecce subita & occulta pax est reformata, & postea facta est inquisitio grauis, quis plenè vel pleniùs persoluebat.

Idem. In familiari colloquio cum Ioanne Sarisburiensi Anglo, & veteri suo amico, has solebat Hadrianus 4. Papa proferre sententias: Ambire pontificatum (inquit) est Romulo succedere in parricidijs, non Petro in pascendis ouib. Nunquã enim ea sedes acquiritur sine fraterno sanguine. Nullus mortalium Rom. Pontifice miserior, nec vlla hominum conditio calamitosior, quàm eius est. Nam sedes spinosa est, aculeis ac stimulis vndique septa. Corona verò ignea, crudelis, atque ardens vt infernus, &c.

Idem. Hoc & similibus indicijs manifestè compertum est, Ecclesiam Romanam Dei, proh dolor, indignationem incurrisse. Ipsius enim Magistratus & Rectores non populi deuotionem, sed marsupia plena quærunt denariorum: non animas DEO lucrifacere, sed redditus rapere, & pecuniam congregare, religiosos opprimere, pœnâ, vsurâ, simoniâ, & alijs diuersis argumentis sibi aliena impudenter vsurpare. Non curatur de iustitiâ & honestate, vel simplicium informatione: imò cùm quocunque modo quis beneficio inuestitur, de summâ pecuniæ, quam inde sortiri possunt, statim sciscitatur: vltima verò, vel nulla quæstio oritur de sancto vel eius nomine, quo Ecclesia intitulatur: hinc imprecatio, murmur in populo suscitatur, & diatim ira Dei meritò prouocatur. Visâ igitur tanta maliciâ & oppressione, erigitur Græca Ecclesia contra Romanam, Imperatorem suum expellendo, & soli Archiepiscopo suo Constantinopolitano, nomine Germano, obediendo.

Idem. Quinque Cardinales elegerunt sextum, scilicet Galfridum Mediolanensem: & huic electioni fauit Imperator congratulans. Tres verò residui elegerunt quartum, scilicet Romanum, cui electioni opposuit se Imperator: habuit enim ipsum infamem, tum propter persecutionem vniuersitatis Parisiacæ, cùm quando etiam dicebatur, corrupisse eum Reginam Franciæ.

Idem.

Idem. Cùm anno 1229. Parisijs discordiâ quadam clericorum & ciuium, multi clerici iniustè interficerentur, & propter concordiam Reginæ Legatique Papæ nulla fieret iustitia, his versiculis miseriam suam deplorârunt:

Heu morimur strati, vincti, mersi, spoliati:
Mentula Legati nos facit ista pati.

Idem. His verbis, vel elegantioribus, dominus rex nimis patiens, & remissus, prædecessori suo, videlicet Papæ Gregorio, supplicauerat, vt parceret, Regnum Angliæ talibus exactionibus affligere. Sed nec ille, nec iste motus voluntarios dignabantur super hoc refrenare. Vnde credimus, Dominum, & Apostolum suum Petrum, cuius vestigia non sequebantur, aduersus Ecclesiam Romanam non immeritò prouocatos, arcum tendere, & parare illum.

Idem. Anno Domini 1247. dum fortuna præstigiosa mundo talibus illuderet fallacijs, duo fratres de ordine Minorum, Ioannes & Alexander, natione Anglici, potestatē à domino Papâ obtinentes extorquendi pecuniam ad opus domini Papæ, in Angliam ab ipso Papâ destinantur. Qui multis bullatis literis Papalibus armati, & sub ouino vellere lupinam rapacitatem pallliantes, pòst ad Regem simplici intuitu, vultu demisso, sermone blando peruenientes, per regnum vagandi postulabant auxilium, ad opus domini Papæ charitatem petituri, nullam se cohercionem facturos asserentes.

Ex licentiâ igitur domini Regis, nihil sinistri super his meditântis, dicti fratres à curia Regis, iam Legati sophistici, donis clericorum regalium superbientes, nobiles mannos obsidentes, sellis deauratis phalerati, preciosissimis vestibus adornati, calceamentisque militaribus, qui vulgariter heuses dicuntur, seculariter, imò potiùs prodigaliter calceati & calcariati, in læsionem & opprobrium ordinis & professionis suæ, profecti sunt, officio & tyrannide fungentes Legatorum, & procurationes exigentes, & extorquentes, 20. solidos pro procuratione parùm reputârunt.

Adeuntes igitur primò præcellentiores Angliæ Prælatos, pecuniam ad opus domini Papæ sub pœna formidabili procaciter exigunt, terminum responsionis, vel solutionis nimis abbreuiantes, literas Papales fulminantes ostendendo, quas quasi cornua minacia protulerunt. Et cùm ad Episcopum Lincolniensem peruenissent, qui semper ordinis eorum æmulator & amator singularis, adeò, vt ad ordinem eorum propositum habuerit conuolandi, extiterat, obstupuit vehementer, videns talem fratrum Minorum monstrosam in habitu & gestu, nec non & officio transformationem: non enim de facili deprehendi potuit, cuiúsnam ordinis iam essent vel conditionis.

Et cùm sacros apices Papalis mandati eminus deiurantes, præcipuè de credentiâ pecuniæ, non paruam quantitatem, sex millia videlicet marcarum, ex Episcopatu suo instanter exigerent, Episcopus non sine magno cordis stupore & dolore respondit: Frater, hæc exactio, salua Papali authoritate, inexaudibilis & inhonesta est, quia ad implendum impossibilis est, nec me solum contingens, imò totius cleri & populi, nec non & Regni vniuersitatem. Arbitror igitur, temerarium & absurdum fore, tibi, certum super hoc, inconsulta regni communitate, præcipitanter dando responsum, tam arduo consilio & negocio diffiniendo, consentire.

Et sic inde recedentes, ad Ecclesiam sancti Albani phalerati, & transformati, vt prædictum est, peruenerunt, & non curantes, ad solitum fratrorum Minorum hospitium, quod intra portam curiæ honestissimè cum omnibus pertinentijs ædificatum est ad opus specialiter Prædicatorum & Minorum, venire vel descendere, in hospitio solenniori, vbi scilicet Episcopi & honorabiles viri declinant, sunt recepti reuerenter. Et ecce, sicut ab Episcopo memorato sex marcarum millia exigebant, ita quadraginta marcas à dicto Abbate, ad opus domini Papæ, instantissimè sub magna pœna & in breui termino, nisi ipsi ordinando prouiderent, persoluendas postulabant. Quibus cùm Abbas eodem modo, quo prædictus Episcopus, humiliter respondisset, ipsi fratres habitum cum gestu secularem induentes, & equos suos nobiles ascendentes, cum minaci murmure recesserunt.

Idem. Anno Domini 1389. Magistri Parisienses, tempore magni in Ecclesiâ schismatis, videntes, fratrum Mendicantium crescere nequitias, librum aculeatum Guilhelmi de S. Amore, de periculis nouissimorum temporum, anno Christi 1256. editum, & ab Alexandro 4. Rom. Pontifice anno Domini 1260. damnatum, in eorum vituperium reuocabant. Hi nempe doctores in Christo fideles, & gloriosi existentes, vt lumen sanctæ Ecclesiæ super candelabrum constituti, quorum multitudo tunc erat sanitas orbis terrarum, nequissimum Antichristum, & membra eius, ac meretricem ipsius ex parte cognoscentes, & ex parte in futurum prophetantes, præcauendo sanctæ Ecclesiæ & eius gubernatoribus, apertè & nudè reuelauerunt, &c.

Idem. Gregorij Episcopi monitis auditis, sed non exauditis, non se Græci Ecclesiæ Romanæ subdiderunt: fortè tyrannidem & auaritiam eius pertimescentes, vel erecti in contumaciam, iuxta dictum Euangelistæ, quòd inuitati ad cœnam noluerunt venire, se tamen excusantes, humiles in excusatione, superbi & contumaces in operis executione. Super quo dominus Papa & Cardinales tractatum habentes diligentem proposuerunt, exercitum cruce signatorum vniuersalem

super

ſuper eos reſlectere. Et facta prædicatione ſignati ſunt nonnulli, ſuper Græcos, præcipuè Conſtantinopolitanos, profecturi.

Hoc ſchiſma & diſsidium inter Romanam Eccleſiam & Græcam, tale ſumſit ſeminarium. Quidam Archiepiſcopus electus canonicè ad quendam nobilem Archiepiſcopatum in Græcia, vel poſtulatus, Romam adijt confirmandus, nec potuit exaudiri, niſi pro impetratione illa infinitum aurum promitteret. At ipſe deteſtans proſtantis curiæ ſimoniam, infecto negocio receſsit,& hoc toti Græcorum nobilitati nunciauit. Et alij, qui Romam adierant, teſtimonium de ſimilibus aut deterioribus perhibebant, & ſic omnes à ſubiectione Romanæ Eccleſiæ tempore Gregorij iſtius receſſerunt.

Idem. Anno Domini 1203. quidam Philoſophi Græci, vultu ac geſtu venerabiles, ab Athenis in Angliam ad regem Ioannem venientes, dicebant: Latinos à veritatis tramite in fidei Chriſtianæ articulis hactenus longè errauiſſe: & ſe illuc ob id veniſſe, vt ad veritatis agnitionem inſuperabilibus argumentis eos reuocarent, vt demum ſaluarentur. Sed iuſsi ſunt recedere, nec audiebantur.

Idem. Anno Domini 1204. Calendis Aprilis, in primâ noctis vigiliâ, tantus rubor in cœlo apparuit, vt ignis ab omnibus crederetur. Et quod mirandum eſt, in ipſo rubore vehementiſſimo ſtellæ micantes apparuerunt, &c. Eo anno primùm nati ſunt Dominicani, ſanguinolentum monachorum genus.

Idem. Anno 1229. exigebat Gregorius 9. Papa aduerſus Cæſarem Fridericum 2. decimas omnium rerum mobilium in totâ Angliâ, Vualliâ, & Hyberniâ. Quod, Clero mediante, pro maiore parte obtinuit, ex reditibus, prouentibus, fructibus carucarum, oblationibus, decimis, nutrimentis animalium, ac frugibus, & de omnibus obuentionibus eccleſiarum, altarium, vel poſſeſsionum, quocunque nomine cenſeantur, non debitis, vel expenſis aliquâ ratione deductis. Habuit collector authoritatem, excommunicandi & interdicendi contradicentes.

Idem. Anno Domini 1179. concilium generale Romæ celebrabatur, in quo inter cætera conſtitutum fuit, vt Clerici continenter viuerent: & ſi qui (ex continentibus illis) deprehenſi fuiſſent in eo vitio laborare, quod eſt contra naturam, excommunicarentur, & è Clero abijcerentur. Et ſequitur: Archiepiſcopi in viſitatione ſint contenti quinquaginta equis, Epiſcopi triginta, Legati 25. archidiaconi 7. decani 2. Nec ſtare compellantur eccleſiaſtici laicorum iudicijs.

Iacobus de Terano, Canonicus Aprucinus, Archidiaconus Auerſanus. 1390.

HIc fuit Vrbani ſexti cubicularius, & librum ſcripſit de conſolatione peccatorum, aliumque edidit incipientem: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: vbi verba illa exponit temporaliter, ſcilicet, antequàm Chriſtus paſſus eſſet, & cœlos victor aſcendiſſet. Verba enim Chriſti Ioan. 12. cùm exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipſum, exponit, id eſt, omnia imperia, & regna mundi recuperabo, & auferam à Cæſare, Regibus, & alijs Principibus: idque per milites ſuos Apoſtolos.

Præcepta verò eis data, vt neque aurum, neque argentum poſsideant, ſed tantùm comedant de his, quæ apponentur, exponit temporaliter, non pro tempore legationis, quâ functi ſunt, Chriſto in terris agente, ſed quo poſt eius aſcenſionem militauerunt in humilitate, afflictionibus, & paupertate, donec imperia, & regna mundi ſubiugaſſent: quibus ſubactis, vel conuerſis, vt ait, licitum eſt eorum diſcipulis, regijs opibus, cultu, & delicijs vti, & alijs, vt ſubditis, imperare, præſertim Papæ: quem ſic probat eſſe Regem Regum, & dominum dominantium: Imperatores verò, Reges, & omnes magnos & paruos, illius ad nutum, & in omnibus ei ſubiectos eſſe. Imp. & Papa vt ſup.

Indulgentiæ conceſſæ ab Archiepiſcopo Magdeburg. Alberto ſuper particulam de brachio S. Barbaræ virginis & martyris. 1391.

ALbertus Dei gratiâ S. Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, &c. Ex ſpeciali deuotione & affectu, venerabili in Chriſto patri & domino, domino Ioanni Epiſcopo Eccleſiæ Hauelbergenſis, noſtro ſingulari dilecto dedimus quandam particulam de brachio S. Barbaræ, virginis & martyris glorioſæ, quam, ob reuerentiam eiuſdem virginis, idē venerabilis pater includi fecit in quodam lapide cryſtallino collocato inter manus imaginis per eundem patrem de auro & argento comparatæ, & in VVilſnagk oblatæ. Vnde omnibus verè pœnitentibus, confeſsis & contritis, qui ante ipſam imaginem, ob reuerentiam virginis antè dictæ, flexis genibus Deum orauerint, preceſque ſuas obtulerint, aut qui eandem imaginem oſculati fuerint, totiens, quotiens præmiſſa ſeu eorum aliquod fecerint, quadraginta dierum indulgentias in Domino miſericorditer

conce-

concedimus, & præsentibus indulgemus: in cuius rei testimonium, præsentes nostras literas nostri sigilli appensione iussimus communiri. Datum Iericho, anno Domini 1391. feria tertia ante Simonis & Iudæ Apostolorum. Imp. & Papa. vt sup.

1391.

Reuelatio Gamaleonis Vatis in Epist. ad Bonifacium Papam scripta.

GAmaleon scribit: quomodo ei apparuerit puer trimus, venustus & elegans, corpore nudus, & sereni vultus, ac amabilis faciei, crines habens albos & crispos, & capiti eius imposita fuerit corona splendida, imaginibus planetarum exornata, & inferior circulus eius septem Artibus liberalibus artificiosissimè exsculptis: & circumcirca coronam hæc extitisse verba: Nouella terribilis es, & quis resistet tibi. In læua manu flamas, & fauillas adeò coruscantes puer ipse gerebat, vt inde tota aëris regio & cœli climata plùs quàm à Solis lampade lucidarentur, meque alloquebatur: Gamaleon amice mi, saluus sis & benedictus, & benè sit tibi: surge, audi, cerne, loquere, scribe, quare ingentia Dei miracula, quæ sunt ventura, nudum me conspicis, verùm sapientia Spiritus, & ratio sic patitur.

Et ego quæro: Ecquis es tu? & confestim gladios quatuor splendescentes manu dextera tenebat: vnum versus Solis Orientem, alterum versus Occidentem, tertium Meridiem versus tendebat, quartum in manu retinebat, & ad Septentrionem se conuertens dicebat: Sapientia sibi domum ædificauit super petram, seu rupem fortissimam, & in ira magna coronam de capite in terram prosternebat, vt in quatuor partes dissiluerit, & euanescebat, exclamabatque: O Domine, beati sunt, qui in hac domo habitant, & me intuens inquiebat: Ah quàm misera & inops vita humana est, quia multifariâ indigentiâ referta est, copia & perfectio solius cœlestis perennisque patriæ est.

Visionem hanc ex mandato Dei manifesto: Septem illæ planetarum figuræ denotant septem annos aridos, qui præterierunt ab exordio mundi, scilicet quadringenti & quinquaginta anni: septem autem liberalium Artium imagines subindicant nobis sex ætates mundi iam exactas & præteritas: omnes enim homines gratuitò viuunt.

Cœlum & terram & omnia immutari & renouari, necesse est, instat enim tempus Domini, & iubet hæc omnibus nationibus patefacere. Tres gladij emissi Romanum significant Imperium, & Ecclesiam, & Germanum populum, & vtramque potestatem, cùm Pontificis tum Cæsaris. Quartus gladius, quem dextra manu vibro, subinnuit potentiâ austeram ab Aquilone prouenientis dominationis, & ad finem vsque mundi sese extendentis. Martis sidus flammam concipiet inextinguibilem, vsque dum nobilium & ignobilium multitudo innumerabilis, secundum vaticinium Ieremiæ Prophetæ, moriatur.

Nunc ergo consigna literis res paucis pòst diebus euenturas. Breui mundus interibit, nam eius septimus & vltimus millenarius effluxit, præter Lunam, quæ mundo vitam redimit. In eo anno, qui erit sexcentesimus quintus, (ita vt adhuc ad vltimum millenarium, donec compleatur, quadringenti & quinque anni pertineant,) omnis caro, id est, omnes & homines & animalia peribunt, & deficere incipient omnia: quæque Luna in crescentibus & viridantibus in terra operatur, eaque a in vocabulo Terribilis literarum decem continentur, & significant, prophetijs intra decennium eorum euentum responsurum esse. Verùm quæ ventura sunt hoc decennio ex illis perniciosissima, occident omnes principes & nobiles terræ, morte: peste enim truculenta peribunt.

Et ad me dicebat, en aspice, & ecce à Meridie prodibat armatus vir, breuis staturæ, rubra veste amictus, coronam ex solido Rubino gestans, & in dextra regium malum seu aureum mundum, cum hac inscriptione: Omnia regna huius mundi sub pedibus meis: & creatura Dei ad me dicebat: hic est magnus ille rex de campo Liliorum ex Meridie, is proferet vexillum suum, & exuet populum Germaniæ sacro Imperio, nam post aliquot annos coronabitur à Papa, & in Cæsarem inaugurabitur.

Quemadmodum enim semper per Papam & Ecclesiasticos, omnia regna, principatus & dominia sua sponte in nihilum redacta & destructa sunt, ita & nunc à Germanis populo potentissimo Imperium Romanum abstrahetur: tunc illi subibunt de iure suo certamen, & in retia corruent præliaturi: illa enim coronatio & confirmatio Cæsaris contemtus, & omnium malorum fons & fomes erit, & desolatio vniuersi clericatus, doctiq; reprobabuntur, & indignis modis tractabuntur, & plurimæ exsurgent hæreses.

Babyloniæ thesaurus principibus, nobilibus, ciuitatibus, & ciuibus distribuetur: Castellum dominabitur Ecclesiasticis, & post coronationem Cæsaris eligent Germani quendam suorum Principum, cuius nomen ab harum literarum aliqua, b.c.d. f. g.k. p. q. t. incipiet. Hic est de alta oriundus terra, de clypeo: hic commune coget concilium Aquisgrani, & comitia conscribet, quæ si

sortien-

sortientur euentum, Principes eius regionis Patriarcham Moguntiæ sancient, ille coronam electo Imperatori Germaniæ deferet: & ei conuenit nomen isthoc Terribilis es, nam signa & arma sumet contra Romanum Imperatorem de campo Liliorum, & ille Romanam vrbem infestabit, & interficiet illam, & Romani Imperii maiestas non amplius celebrabitur, nec dignitatis aliqua memoria reliqua fiet, sed ille Germaniæ solummodò prædicabitur.

Tunc omnis generis scelera & turpitudines pullulascent in Italia, & omnis populus à nouo Imperio cogetur subiugari, & à nouo Imperatore exauctorabitur, & ad tantam redigetur inopiam, vt ineffabile sit: & artes pessundabuntur, at equestris ordo incrementa sumet. Pontificis autem munus in ea dignitate, pompa, fastu, & potentia haudquaquam persistet antiqua: omnes Episcopatus Imperio Cæsaris cedent, quilibet Episcopus docebit Dei beneficia in suo episcopatu: nam fulgura illa ex bullis Romæ, vbi Petrus & Paulus habitauerunt, ampliùs nihil valebunt. Non enim Roma adeò, vt nunc, opus erit, sed tunc Patriarcha quidam Moguntiæ erit, qualem nunc Constantinopolis in Græcia habet. Gens Iudaica in omnibus regionibus supprimetur. Germania tunc piè & Christianè viuet, & honoribus adaugebitur, & incrementa & augmenta talia sumet, vt omnes dicere oporteat: Christiani præualent. Bohemi, Poloni, Morraui & Vngari breui intolerabilia patientur. Nam iugum illud ex collo ferent, quod peregrinorum & aduenarum liberos in suis regionibus ad finem vsque mundi cernent.

Et ego dicebam, cur talia fieri in sacrosancta Ecclesia pateretur? respondit ille: oculos tuos dirige versus Europam ad Occasum Solis. Et ecce mulier immunda, specioso tamen vultu, induta tunicam quadrifidam, ornata baccatis monilibus, armillis, gemmis, auroq; splendida: tunc dicebat, hæc est sacrosancta Ecclesia Dei, quam Ioannes in libro Apocalypseos vidit, & quam multo tempore persequebantur abominationes huius mulieris, quæ est magna illa meretrix Babylonica, & quæ fornicata est & nefandas libidines exercuit cum Regibus & magnatibus terræ. Imp. VVenceslao vt suprà. Papa 208. Bonifacio 9.

De Paparum cum Imperatoribus concordiâ. 1391.

Imp. 111. VVenceslao Ignauo. PP. 207. Vrbano 6. & 208. Bonifacio 9.

POst Carolum VVenceslaus filius, Imperii gubernaculis susceptis, cùm, durante schismate inter Vrbanum 6. & Clementem 7. (quo nullum perniciosius, aut diuturnius vnquam in Ecclesia fuit) Vrbano sese adiungeret, Clemens Legatos ipsius, inter quos quidam honesti sacerdotes fuisse memorantur, missos ad se magnis cruciatibus inclementissimè interfecit. At cùm, censu ecclesiastico ab Vrbano per totum imperium, in subsidium Romanæ profectionis, impetrato, auarus rex auarissimos Romanos, pecuniæ ex reditibus ecclesiasticis coactæ inhiantes, aduentus sui spe fefellisset, & is (scilicet Vrbanus) totum se ab auaritia eius auertit. Sed morte præuentus, quod in ipsum haud dubiè attentasset, Bonifacius 9. eius successor perfecit. Nam is VVenceslai deiectione ab Imperio, non tam quòd vitæ genere ac educatione corruptissimus esset, quàm quòd Romanos fefellisset, approbata, Ruperti Comitis Palatini electionem per Archiepiscopos Moguntinensem, Coloniensem, & Treuirensem factam, ratam firmamque habuit. Schardius ex Theodorico à Niem, Nauclero, & aliis.

Magister Alofresant ex Insula Rhodo, vates: 1391.

Gamaleon, & alii.

PRodiit liber circa annum 1519. in quo scriptum reperitur, sequentes prophetias ante 200. annos mundo fuisse notas: cuius verba sunt: Saluator noster dulcissimus Iesus Christus Imperio Romano suam exhibuit obedientiam, simulac in hunc mundum natus fuit. Statim namque dedit censum Cæsari: verùm non tributarium tantùm se fecit ipse Cæsari, sed mandauit etiam Matth. 22. in concione publicà, dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. Quòd si ergò tanto honore Deus ipse affecit Imperium: æquum est, etiam nos omnes debitum eidem præstare obsequium, sed vsque ad aras: Oportet enim secundum D. Paulum Act. 14. Deo magis obedire quàm hominibus. Timendus igitur piè Deus, & in honore habendus est Cæsar. Qui hoc oppugnat, aut ab hac sententia discedit, meritò plectendus est, tanquam membrum corporis peruicax & noxium.

Verùm quò diuturnior esse queat integritas & salus Reipublicæ Christianæ in Imp. necesse est, Ecclesiam Pontificiam corrigi, castigari, emendari, & reformari, quod faxit Deus ter Optimus Maximus. Amen.

Necessum autem erit, falsos Ecclesiæ doctores & fucos eiici, confundi, ac despectui exponi omnibus. Nam quantâ insolentiâ Ecclesia Romana ad gloriam, dignitatem, opes & potentiam hactenus euecta est: tanta vicissim opprimetur ignominia & calamitate. Quæras autem fortassis, quam ob causam? Nunquid enim illi non sunt ministri religionis, & homines Spirituales? Equidem sunt filii Spiritus, scilicet maligni, cuius exercent opera, heluando, scortando, ludendo, & blasphemando nomen Domini. Quis enim ille Christus, qualisúe vnquam Apostolus tales reliquit sibi, aut constituit successores, seu vicarios? Tempus igitur putationis eorum iam aduenit.

Sed etsi oggannire possint Spirituales, dicendo: promulgata esse ea, quæ reticenda, & non

omnium auribus (præsertim vulgi, quod aliàs satis biliosum est) committenda erant: nihilominùs tamen apertis verbis animi sensa ipsis prodam, si fortasis hac ratione se emendare, ac in viam redire cogitabunt: idq; hac prophetia sequenti, quæ Romæ in palatio Sapientiæ reperta est:

Gallorum leuitas Germanos iustificabit:
Italiæ grauitas Gallo confusa vacabit.
Annus millenis, quadringentis, saxagenis,
Et decem Trinariis consurget Aquila grandis.
Gallus succumbet, vix erit præsidio dignus.
Constantini & equi nitido de marmore facti,
Et lapis erectus, ac plura palatia cadent.
Papa morietur, Cæsar regnabit vbiq;
Sub quo tandem vana cessabit gloria cleri.
Dux tamen illustris complebit gaudia vitæ,
Tempore quo Venus obumbrabit cornua Martis.

Item. Qui olim vestiuère Petrum, tandem eum despoliabunt.

Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo, sequentia ex antiquissimo quodam libello Lipsiæ descripta sunt per Maternum Hatten Spirensem.

VOlabit Aquila, cuius volatu debellabitur Leo, qui regnabit Ierosolymis septem annis. Tandem conspirabunt Principes Alemanniæ, & magnates Bohemiæ opprimentur. Et Leopardus deuorabit eum. Tunc surget Rex de radice Aquilæ Orientalis, & veniet pullus Aquilæ, & nidificabit in domo Leonis, & fructu alimentoq; patruo carebit. Et eligetur Rex, cui honor regius non exhibetur. Hic regnabit, ac imperans imperabit, extendetque ramos suos vsque ad vltimos fines terræ. Tempore illius summus capietur Pontifex, & Clerus dilapidabitur, nam deprauat fidem. Heu pessima vita Cleri.

Hæc scribit Ioannes de Rupe scissa super hæc tempora. Surgent tyranni & populus iniquus, ex insperato irruent in clerum, & spoliabunt eos quasi omnium rerum temporalium, & obtinebunt eorum diuitias, ducatus, comitatus, redditus, ciuitates, oppida, castra, terras quascunque, & illudent eis, & variis tribulationibus afficient eos, nec contraualebit Clerus cum suis exercitibus, aut bellicosis insultibus huic obuiare. Et tunc omnes Ecclesiastici, cuiuscunque status fuerint, cogentur ad vitam Apostolorum redire cum pœnis & flagellis. Ita fugiet Papa cum suis Cardinalibus de sedibus suis à facie huius tribulationis præualidæ, non inuenientes requiem, aut consolationem, nisi in loco, vbi non agnoscuntur, vbi modica tranquillitate gaudere se putant, quos omnes alii sequentur latitantes. Post hæc Dominus noster Iesus Christus reformabit generalem suam Ecclesiam, & reducet oues errantes, vt tandem sit vnus pastor, & vnum ouile. Amen.

Idem perhibet Ioannes cum aurea arte, Papa vicesimus, & inquit: Nullum habebit ampliùs Pontificem Roma: & Imperator Romanus regnabit vbique: & vana sacerdotum gloria cessabit: tuncque aurea gaudebunt pace Christiani, quando Hierosolymis eligetur Papa.

Sed ô Deus, Rex cœlorum maxime, quàm difficulter hoc fieri poterit! Papa enim cum suis asseclis reluctabuntur, & excutient omnibus viribus illud REGNABIT VBIQVE. Nam putabunt, istud VBIQVE tantùm referri ad vulgus seu laicos, & seculares, vt vocant: & non extendi ad principatus & dominia, quæ ipsi per fraudes & nefas surripuerunt piis & religiosis Imperatoribus: vti hoc referunt Annales Paparum.

Verùm enimuerò vaticinia & prophetiæ raro fiunt irritæ, quamuis videantur oculis rudium vanæ, & à re alienæ: nam etiamsi multos differatur earum euentus in annos, temporis tamen successu veræ esse probantur. Sed iam ex parte respondit euentus: populus enim duræ ceruicis humiliatus est aliquantulum: restat igitur, vt & gens illa sine capite corripiatur, & ad disciplinam reuocetur, inque ordinem redigatur, quò pacata inter omnes fiat vnitas.

Tunc reformabitur Ecclesia secundum Christi & Apostolorum doctrinam: & insolentes Sacerdotum caballi vocabuntur ITE, ITE: & cui non placuerit hoc dictum, nolens volens cogetur: contra oportet nullum est remedium.

Sicut enim temporibus primi aduentus Iesu Christi in hunc mundum, Pontifices magni, Sacerdotes, Pharisæi, Leuitæ, Scribæ, Seniores, & vniuersi populi, ipsorumque regna, adeoque totus mundus subditus fuit Imperio Cæsaris Romani, isque Monarcha solus rerum Imperii potitus est, nec vllus vnquam cum eo, vel Pontifex aut Sacrificus: sic fieri debet & ante secundum eiusdem dulciss. nostri Saluatoris aduentum.

Redibit ad dominum antiquum, ad Cæsarem videlicet Romanum, orbis sceptrum: illi soli pendendum erit tributum, censusq;: ipse erit dominus, nec quisquam ex inerti clericorum grege cum eo, iuxta scripturam: vos autem non sic. Iustum igitur est, vt vero possessori restituatur id, quod suum est: & illi, qui se Spirituales nuncupant, veteri & attrita sagena sui Petri (cuius se successores & imitatores subinde gloriosè ingeminant) sint contenti.

Georgius VVidemannus.

VIxit Halæ Sueuiæ quidam sacerdos, nomine Conradus Grickenbachius. Erat is, quanquam vitæ honestæ, tamen iocosus & iucundus. Itaque frequentare domum eius viri honesti, multi etiam nobiles solebant: ibique conuiuiis & sermonibus sese oblectare. Sita erat domus ea trans amnem Cocham, in VVeilerinâ plateâ, iuxta fanum S. Ioannis, in quo, antequàm è vita Conradus discederet, sibi quotannis anniuersaria sacra quinquies ab omni sacerdotio facienda, curauerat. Illo autem tempore portæ, quæ inter vrbem & suburbium erant, solebant circa vespertinum pulsati campanâ AueMaria signum claudi. Quodam itaque die, cùm D. Conradus conuiuas secum in multam noctem haberet, vinum eos defecit: nec poterant, portis (vt dictum est) clausis, rursus ex vrbe vinum afferre: neque etiam in suburbio vendebatur. Res equidem tristis, sed cui tamen ingeniosus Conradus artificiosè succurrit. Accendit celeriter fascem straminis, perticæ impositum: ac per coquinæ caminum in tenebras porrexit. Quâ flammâ conspectâ, vigil Sammichælicæ turris, vociferari ex alto in subiectam vrbem de incendio cœpit: classicum etiam campanæ sonitu canere. Ex templò concursus hominum factus, trepidatio magna. Vbi est incendium? Trans Cocham. Quâ in parte? Circa Grieckenbachianam domum. Cursitatum vndique ad suburbium: portæ continuò patefactæ. Interim, dum ita strepitur, & portæ patent, quidam à Grickenbachio, homo vigilantis curæ, armatus vnâ atque alterâ lagenâ non paruâ, in vrbem inuolat, lagenas vini plenas affert. Sed quàm primùm portæ fuerant reseratæ: ciuesque accursuri erant: eruditus ille noster perticam iam è camino detraxerat, stramen restinxerat, silentio se suosque comprimebat. Dixisses, cochleas se intra testas suas contraxisse. Vbi incendium? Nullum est. Redite domos vestras feliciter, ciues. Apud nos omnia rectè habent. Hoc stratagemate madidis sodalibus vinum partum fuit. Res post tres menses innotuit per ciuitatem: sed risu transmissa est: nec aliquid contra Parisiensem baccalaureum actum. Quiescat in pace. Imp. VVenceslao. Papa Bonifacio 9. vt suprà.

Monstrum.

ANno 1393. in Archiepiscopatus Treuirensis quodam pago, quem Brecham vocant, natus est infans, cuius inferior corporis pars erat formæ humanæ: superior autem tetri bufonis, vt omnibus videntibus incusserit timorem, & horrorem. Vrsperg. Paralip. Imp. & PP. V. S.

Schola Pragensis, Oxoniensis, & Parisiensis.

EDitæ sunt ab Hutteno 1520. Domini an. aliquot epistolæ scholarum Pragensis, Oxoniensis, & Parisiensis, de tollendo schismate quod tunc erat, & Ecclesiasticâ libertate asserenda. Quibus adiuncta est Cæsaris VVenceslai epistola: item adhortatio quædam ad Germaniam, vt se in libertatem ex papali seruitute vendicet: quæ omnia scripta sunt ante annos 210. Duriter porrò inuehuntur in Cardinalium & Curtisanorum vitia, & tyrannidem super Christi Ecclesiam.

Asserunt, Cæsarem habere ius patronatus super Papam & Romanam Ecclesiam: Papam cum Cardinalibus errare posse, & sæpe errasse: Cardinales non habere electionem Papæ aliquo diuino iure, imò etiam Cardinales ante Gregorium non fuisse: Cæsarem & populum Romanum id ius antè habuisse, & adhuc ad se retrahere posse.

Qui eas legerit, inueniet multa tunc adhuc habita pro catholicis, quæ iam tanquam Lutherana & prorsus hæretica damnantur, & ipsis inferis deuouentur. Sed adscribam inde pauca, vt manifestè cerni possit, quàm tetris coloribus Papam, aliosque spirituales depingant: Per principes (inquiunt) sacerdotum Ecclesia prophanatur, sacerdotium temeratur, omnis ordo confunditur: quicquid est religionis, corrumpitur: quod legis, quod vitæ, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ, perditur & confunditur, in tantum, quòd etsi benedictus Dei filius multa & dura passus sit per viros synagogicos, adhuc multò duriora patitur per nostros sacerdotum principes. Hactenus ex epistolâ.

Recitatur ibidem & hæc visio de Ecclesiæ statu, haudquaquam aspernanda. Hæc autem sunt verba: Iuxta visionem cuiusdam viri, cui oranti, legitur, apparuisse quædam domina ante se regio cultu ornata: & cùm ipse obstupuisset, quæsiuit ipsa, si se agnosceret? Cùm autem ipse diceret, quòd non, nisi forsan ipsa esset beata Virgo Maria: ait illi: Non sum illa, quam existimas: sed sum illius figura, pro quâ gemis frequenter, & oras, scilicet Ecclesia, cuius est dolor mirabilis, & corruptela descendens à capite per omnes artus vsque ad pedes: & vt mihi magis condoleas, vide argumenta doloris, & amotâ corona speciosissima capitis, inclinauit caput ei. Ille autem vidit superiorem partem capitis eius ad modum crucis incisam in quatuor partes, & vermes de cerebro vidit ebullientes, & scaturientia vulnera sanie, & ait: Ecce ex his, quæ vides in capite, perpendere potes corruptelam & dolorem meum in membris aliis. Et eo dicto euanuit ab oculis eius. Quæ visio satis significanter expressit corruptissimum Ecclesiæ & religionis statum.

In prædictâ porrò epistolâ VVenceslai, vt & hoc indicem, facit Imperator mentionem Marsilii Patauini, & Ioannis de Ianduno (qui contra Papam iam pridem scripserant) tanquam qui vera scripserint. Cat. Imp. VVenceslao. PP. Bonifacio 9. V. S.

Schiltberger, Miles sub Tamerlane & Baiazete captiuus.

1395. FVit hic miles in Vngariâ per 33. annos, & in miserrimâ seruitute vixit: atque scripsit in Itinerario suo, perhibere quendam librum Turcicum, Regnum Mahometicum non vltra mille annos duraturum. Im. VVenceslao. PP. Bonifacio 9. V. S.

Ex libello olim Parlamento Londini exhibito.

1395. OBlatus fuit olim liber (de quo etiam nonnihil suprà) Parlam. Lond. in quo inter alia scribitur: Lex continentiæ data sacerdotio inducit sodomiam in totam sanctam Ecclesiam. Ratio: quia delicata cibaria virorum Ecclesiasticorum volunt habere naturalem purgationem, vel peiorem, sed Deus de potentia sua immittet apertam vindictam. Foxus. Imp. & PP. V.S.

Ioannes Treuisa.

1397. IOannes Treuisa Cornubiensis sacerdos rigidum interdum sese etiam in monachos ostendit, eorum fastum, luxum, atq; hypocrisin acriter taxans. Legimus (inquit alicubi) Christum Apostolos & Presbyteros instituisse: at monachos, aut mendicantes fratres fecisse, nusquam inuenimus: cum similibus sententiis. Balæus Cent. 7. c. 18. Imp. & PP. V. S.

Vini mira copia.

1398. HOc anno Molshemii, quod situm est oppidulum in agro Argentoratensi, septem culei, seu 140. amphoræ vini venierunt 14. octussibus Argentoratensibus, circa Mauritii diem: eodem verò anno Selestadii quatuor culei centum aureis fuerunt emti. Hedio. Imp. & PP. V.S.

Sacerdos Curiensis.

1398. FVit Curiæ Sacerdos quidam, qui crebrò sacrificulis dictitare solitus est: Vos iam Paulum sub scamnum abiecistis: veniet aliquando tempus, cùm ipse inde prorepens, vicissim vos sub scamnum protrudet. Vnde Pontificii clamitant, non esse legendas epistolas Pauli: quòd multi tantùm ex lectione Paulinarum epistolarum Lutherani facti sint. Imp. VVenceslao. PP. Bonif. 9. V.S.

Ecclesia Curiensis.

IN vetustissimis monumentis Ecclesiæ metropolitanæ Curiensis de Episcopi eius loci vxore legimus, quæ in quarundam literarum fronte hoc titulo indicatur: Ego N. Antistita, & Episcopa Curiensis, &c. Ita etiam de Seuero Archiepiscopo Rauennate memoriæ proditum est, quòd is ordinauerit, & testamento piè cauerit, se, vxorem suam, atq; filiam vno in sepulchro tumulari.

Ordo Albatorum.

1399. AVthor & origo ordinis huius est presbyter, qui anno 1399. Bonifacio 9. Pontifice, ex Alpibus descendit in Italiam cum magna hominum multitudine. Is albo indutus panno, magnam vultu ac verbis sanctitatem ostendit, adeò, vt pro Sancto coleretur: gestabat crucem, ac deplorabat rerum humanarum, & temporum calamitatem, peccata, corruptumque seculum. Rectà petebat Romam, sperans, initium reformationis ibi fieri posse, vbi mali initium factũ fuisset. Plebem cum Principibus & Episcopis etiam sibi adiunxit. Linteis albis, vnde Albati dicti sunt, circumuoluti omnes, sine discrimine mares ac fœminæ vtebantur. Bonifacius verò 9. veritus, ne, quia pro sancto viro, quod Romæ non semper moris est, habitus fuit, in Papam, se deiecto, eligeretur à turba, hominem per inuidiam captum, comburi fecit. Quod verum esse ex Crantzii verbis in Metrop. facilè fit planum, cùm dicit: Romanis Bonifacius non vt Episcopus, sed rigidus Imperator dominabatur: multosque de perfidia accusatos occidi iussit. Vide etiam Vrsp. Paral. Balæum, Plat. Anton. Polyd.



Volcuinus Abbas in Homilia.

O Domine Iesu, qualia & quanta monstra tu vides in Ecclesiâ tuâ? quando fugabis? quando purgabis? quando remedium appones? Multiplicata enim sunt mala nimis in clero. Quisnam locus sanctorum, qui non habet monstrum? habet parochia, habet canonia, habet clericatus, habent & ipsa monasteria. Habet parochia monstrum, sacerdotem duarum, vel trium Ecclesiarum, tanquam sub vno capite duo vel tria corpora gestantem. Habet canonia monstrum, canonicum duarum vel trium præbendarum. Habet clericatus clericum duorum, trium, aut plurium beneficiorum, monstrũ suum. Habent deniq; monasteria monstrum suum, tanquã lanium bicipitẽ, monachum negotiatorem. O verè ridendũ & deforme monstrũ, monachũ negotiatorẽ. Quæ enim cõmunicatio religioni & negotiationi? Quæ conuenientia claustro & foro? Etymologia huius nominis claustrum hodie mutata est. Olim sanè claustrum dicebatur à claudendo, hodie potiùs à claudicando dicitur. Dudum quippe à claudendo propriè dicebatur, quoniã viri claustrales non solùm corpore, sed & corde intus manentes, omnes sensus suos ab appetitu seculari, & omni concupiscentia temporali strenuè clauserunt : hodie verò rectiùs à claudicando dicuntur, quoniam viri claustrales rebus temporalibus inhiant, & sic quasi in vtramque partem claudicant, dum seruire Deo volunt & mammonæ, religioni & ambitioni, polo simul & foro. Quocirca talibus voce illius legalis Heliæ, in Regum libro loquentis sacerdotibus & Leuitis Baal, rectè dicitur: Vsquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini illum, si autem Baal, sequimini eum. Baal superior, vel deuorator interpretatur: sacerdotes ergò Baal sunt ambitiosi, cupidi, & gulosi. Multi sunt eius sacerdotes, quia multi eum colunt. Quid est in duas partes claudicare? In duas namque partes claudicare est simul cœlestia, & terrena appetere : Deo seruire simul & mammonæ. Ideoque in neutra parte rectè inceditur: quia nemo potest duobus dominis æquè seruire: vnde Ecclesiasticus : Væ duplici corde, labiis scelestis, & peccatori ingredienti duas vias. Hinc Hieronymus dicit: Delicatus nimis es miles, si vis in præsenti gaudere cum mundo, & in futuro regnare cum Christo. Baal ergò sequuntur, qui honores & diuitias quærunt in statu clericali, vt sint aliis superiores, vt viuant in deliciis carnis. Verùm & tu canonice, aut clerice, iam attende vnde appelleris, vnde nomẽ acceperis, & experire, quòd ratio tuæ appellationis mutata sit. Vnde canonicus, nisi à canone, id est regulâ, siue à normâ rectè viuendi? hinc certè tibi nomẽ datũ est. Sed hodie, proh dolor, hęc interpretatio exsufflata est. Quis enim canonicè, id est, rectè & regulariter viuit? siquidẽ rara auis in terris hodie, Canonicus à canone vitæ. Vnde ergò? Audi, vnde. Est namq; canon vitæ, vt dictũ est, & est canon pecunię, videlicet alicuius pensionis certæ. Vnde solet dici, solue mihi canonẽ meũ, id est, pensionẽ meam, id est, statutã pecuniam meam. Eia ergò, ô canonice, inuenimus canonẽ tuum, à quo deriuaris: id est, à canone pecuniæ, non à canone vitæ: id est, à canone regionis, non à canone religionis. Quis iam in mundo ambitiosior, quàm canonici? statim cùm idiota canonicus efficitur, neminem sibi similẽ æstimat: stans in altum vt stultus, aliũ clerum despicit: inde insolescens & se exaltans, vnde humiliari debet. Meritò ergò dici potest, Mutatum est aurum optimum, iuxta prophetam: & in quod? responderi potest, in scoriã peruersitatis, quæ sibi desponsauit filias Belial, superbiam scilicet, & auaritiam, atque luxuriam. Habet ergò auaritia canonem suum: habet & canonicum suum: hunc canonem seruant canonici, & hanc regulam practicant moderno tempore, huic solerter inuigilant, dum student auaritiæ, diligunt munera, manus semper habentes contractas ad dandum, porrectas verò ad accipiendum. Ad hunc canonem, ad hanc sortem pertinent clerici. Nam à sorte dicti sunt, dum turpis quæstus cupidi idolum auaritiæ conflant, in domo Domini vendentes & ementes, vt cæteri laici: imò, quod deterius est, & mutuum dantes, & inde aliquid sperantes, vel certè statuentes. Tales à sorte iustitiæ, à sorte hæreditatis Dei se longè faciunt alienos, de qua tamen nomen acceperunt. Quid sibi vult ista aduersa diuersitas, quòd nolunt esse clerici, & aliud cupiunt videri? nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutros se ostendunt? Nam neque pugnant vt milites, nec vt clerici euangelizant.

Quæro ergò, sicut ista fistula cœlestis, sanctus Bernardus Claræuallensis, cuius ordinis sunt? cùm vtriusque esse cupiunt, vtrumque deserunt, vtrumque confundunt? Vnusquisque, inquio, in suo ordine resurget: isti in quo? An qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? aut si summè sapiens Deus veraciter creditur, à summo vsque deorsum, nihil inordinatum relinquere, vereor, hos non alibi ordinandos, quàm vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. O miserandam sponsam, talibus creditam paranymphis, qui assignata cultui eius proprio retinere quæstui & incestui non verentur. Aduertite ergò, ô sacerdotes & clerici. Redite ad cor, recognoscite ministri Dominum, paranymphi sponsum: iudicate, si verè sitis sacerdotes Domini, sicut & vocamini ministri Dei nostri, ipso testante per Esaiam : sacerdotes, inquit, vocamini ministri Dei nostri. Sed vtinam Domini, habet enim Beelphegor sacerdotes suos, Dagon suos, Baal suos. Beelphegor seruiunt, hoc est, Deo tentiginis, qui incuruantes se ad quamcunque luxuriam, scortum nutriunt in domo sua, etiam plùs quàm laici, fœtore libidinis vaporantes. Imp. 112. Ruperto. PP. 208. Bonifacio 9. vt suprà.

Idem. Quidnam ergò maius, quid enormius, quàm in nocte tractare filiam veneris, & de die filium Virginis? Audent sacerdotes carnem agni immaculati contingere, & intingere manus suas nepharias in sanguinem Saluatoris, quibus paulò ante carnem meretricis tractauerant? Dominum maiestatis, & puritatis auctorem impurissimi corde & corpore suscipiunt, & quasi in sentinam corruptionis proiiciunt. Nec verentur, astare Angelum Domini, qui secet medios, & dispertiat eos.

Quis est laicorum ita vilis, vt in vigiliâ Paschæ suam velit tangere vxorem, corpus Domini suscepturus? Miser autem sacerdos, qui quotidie est in pascha, qui filium Dei occidit & iugulat diebus singulis, totâ nocte est in amplexibus Veneris, & pendêre ad vbera meretricis non desistit.

Idem. Aduerte nunc pœnam ambitionis, id est, amoris dominandi. Exemplum petatur à capite ambitiosorum, id est, Lucifero. Dixit enim in corde suo: in cœlum conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum: hæc dicens, irreparabiliter cecidit. Ex hoc ideo fortè inquit beatus Bernhardus: Quia omninò intolerabilis est superbia, velle dominari: ergò casus irreparabilis causa est culpa ambitionis. O pœna horribilis. O ambitio detestabilis, pro quâ Lucifer factus est vmbrifer, tam gloriosus quàm inglorius, tam decorus in gloria quàm squalidus ignominia. Signaculum denique Dei similitudinis factum est spectaculum teterrimum æternæ caliginis. Si ergò angelico decori propter amorem dominandi non pepercit Deus: quid tibi, ô homo, pro culpa ambitionis tuæ retributionis expectas, putredo, & vermis? ô ambitio, præsumtio nequissima, quæ homines nequissimos facis, quos inflas & inficis: sicut & illum nequissimum fecisti, à quo primò inuenta es.

Idem. Quid est res monstrosa? Monstrum est vnum corpus plurima capita, vel vnum caput plurima corpora habens. Siquidem monachus es, id est, vnius custos, & ab vnitate censeris, id est ab vnius custodia, ab vna lege, ab vna professione, tanquam vnum corpus bene ordinatum sub vno capite: sed alia est facies negociantis in foro, alia declamantis in palatio, alia degentis in palatio, alia conuersantis in monasterio. Ecce quatuor facies istæ non elephantorum, sed draconum. Quid igitur: Monachus es, & causidicus, & negociator, & curialis? Ergo vnum corpus quatuor facies habens, monstrum te monstras. Nolo præterire clericum, canonicum, aut plebanum. Veniat in medium, agnoscat vterque monstrum suum. O clerice, vel canonice, tu, qui plures præbendas, beneficia, altaria, commissiones, dignitates, prælaturas, prouisiones, &c. tu, qui plures habes Ecclesias, an ignoras, quia sub vno corpore plura capita, vel sub vno capite plura corpora tibi constituis, & monstrum te facis? Bicapitalis, vel tres præbendas, aut plures: tu duas, vel tres Ecclesias: tu duo, vel tria, aut plura beneficia tenes, &c.

Cæterùm alii precibus & adulationibus, alii promissis & muneribus, alii obsequiis, alii prætextu consanguinitatis cathedram pestilentiæ passim sibi vendicare contendunt. Sed quod turpiùs sonat, multi lenones maioribus meretrices nutrientes, aut adducentes, qualicunque modo ad beneficia prætextu illius promouentur. Quid abominabilius, quid detestabilius coram Domino maiestatis? Quomodo Ecclesia Dei inde exaltari posset? Nequaquam: sed potiùs deprimitur, & continuè annihilatur in rebus & personis, vt clarissimè quotidie cernitur. Quoniam hi omnes non per ostium, id est, per formam canonicæ electionis aut promotionis intrant, sed ascendunt aliunde. Quid est aliunde? id est, vndecunque, iniustè, indirectè, extraordinariè, permixtim per fas & per nefas, seditione, seductione, dolo, fraude, prece, & precio. Isti ergò se palpant in errore, & blandiuntur sibi.

Idem. Si quis vult pingere imaginem veri hominis, & illam pingit bicorporem, vel tricorporem sub vno capite, vel è conuerso, nónne potiùs imago illa monstrum reputabitur, quàm homo? Sic & tu clerice aut sacerdos, qui plures curas beneficiorum, plures habes Ecclesias: tu prælate, qui plures tenes dignitates: tu canonice, plures præbendas: tu clerice, plura beneficia, magis prænotas, magis repræsentas monstrum, quàm Christum. Ergo, vt dixi, figura es mendax, imago fallax.

1400.

Fratris Ioannis Fernandi antiquum vaticinium in Monachos impudentes.

Ite nunc pelles Monachi vetustæ,
Sola quos vestis, vacuumq́ nomen
Separat scurris, & olente pinguem
Plebe popinam.

Ite, & insanos per inane quæstus
Fundite insulsis leuibusq́ nugis:
Iam foro, iam vos triuiis iocosa
Reddit imago.

Vestra iam cunctis scabies, & atra
Carne putrescens sanies videtur:
Vos senex, vos & puer, atq́ linguax
Fœmina ridet.

Molle seu vos contineat lupanar,
Siue vinosæ strepitus tabernæ,
Seu pilæ ludus, vetitæue fallax
Alea sortis,

Siue clamosi leuitas theatri,
Sylua seu densis tenebrosa ramis,
Vsq́, vos, cunctis, monachos patescit,
Esse malignos.

Non feret rector Benedictus vltrà,
Sub suis tales latitare pennis,
Sed greges sparsos sibi præparata
Ducet ad arua.

Tunditis

Tunditis frustra scioli senatus
Candidas aures prece palliatâ:
Separat nugas sapiens, fauetq́,
Curia vero:
Curia in nostrum benè promta lucrum,
Curia in vestros malè promta nisus.
Si quid est vobis animi, deinceps
Parcite nummis,
Qui fidem raucis datis aduocatis,
Aureis vestras vacuant crumenas,
Vosq́ ridebunt: moneo, deinceps
Parcite nummis.
Nam reformati gregis arua passim,
Spiritu sancto duce, copiosâ,
Fruge pinguescent, variisq́ surgent
Semina terris.
Vosq́ mendici (nisi mente sanâ
Optimam vitæ seriem probatæ
Carpitis) latas miserè per vrbes
Deficietis.
Cur ita ô fratres? potiùs professæ
Vos iugo normæ simul obligate:
Vnus & pastor benedictus, vnum &
Fiat ouile.
Ponite, exhortor, malè complicatum
Pallium vanæ simulationis,
Nosq́ vobiscum superas iuuate
Scandere sedes.

Imp. Ruperto. PP. Bonifacio 9. V. S.

Ioannes de Brugis in libro de varietate Astronomiæ. 1400.

IVxtà est dies Domini, iuxtà est, & velox nimis. Rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem, & Ecclesiam iam dolentem confortate, iam errantem informate, iam diuisam redintegrate, naufragantem in portum reducite, ne fiat illud schisma magnum, quod præambulum erit Antichristi: in cuius aduentu de Ecclesia verificabitur illud Hieremiæ prophetæ: Omnes eius portæ destructæ, sacerdotes eius gementes: virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine. Tunc Petri nauicula schismatico turbine diutius agitata dissipabitur, in proximo submergenda. Imperatore Ruperto. PP. Bonifacio 9. V. S.

Tamerlanes Schytha. 1400.

TAmerlanes cùm Armeniorum vrbem Sebastiá frustra obsedisset, ad dolum conuersus cum oppidanis fœdera simulat, conditione apposita, vt Sagittariorum millia 12. quibus in bello vteretur, sibi auxilio mitterent, missis autem sibi omnibus pollices præscidit & in vrbem remisit: vrbemque deinceps iterum oppugnauit & cepit.

Et cùm horribili laniena in insontes mulieres & infantes rueret, ita vt à crudelitate eius etiam milites abhorrerent, Ligur quidam mercator Tyrannum humanitatis admonebat: tunc, obuersis in eum ignescentibus oculis, Tamerlanes inquit, Me, qui totius orbis malleus, ipsaque ira Dei sum, æstimas tu hominem? falleris, sanè verò ne posthac mihi occurras. Delectu habito octoginta Myriades armatorum hominum sub signis habuit: sed & Baiazethes quoque trecenta millia pugnatorum contra eum produxit. Prælio facto inter illos, ducenta millia Turcarum occubuisse ferunt. Baiazethes victus aureis cathenis vinctus ferarum more caueæ inclusus & circumductus fuit: ac quoties Tamerlanes equum conscenderet, scabelli loco vsus eo fuit, atque proiectis micis eum instar canis sub mensa aluit. Quam tamen superbiam diutius in Tamerlane Deus ferre non potuit: sed cum vita etiam Regno iterum exutus fuit. Idem quoque de Turcica crudeli Tyrannide (modò non sit malleus & ira Dei aduersus peccata nostra) auxiliante Deo, sperandum est. Imp. Ruperto. PP. Bonifacio 9. vt suprà.

Guilhelmus VVhyte. 1400.

GVilhelmus Vuhyte, aliàs Albus, ex Cantiâ, presbyter eruditus, auribus hominum id inculcabat præcipuè, non esse peccatorum remissionem, nisi à solo Deo propter Christum. Cælibatum papisticum merum diaboli inuentum esse, dicebat, Antichristi captiuitatem, & à libertate Christiana defectionem ad Sodomismum. Imagines Diuorum è Christianorum templis tollendas, persuasit, & eorum dies manuum labore celebrandos, nec mortuorum ossa putrida debere amplius venerari, ac similia. Ecclesia Romana (inquit) est ficus illa fatua, cui ob fidei sterilitatem maledixit Dominus. Caputiati, vncti & rasi sunt Luciferi infernalis milites: his clausa erit ianua, cùm sponsus, exstinctis eorum lampadibus, aduenerit. Scripsit contra Mendicantes lib. 1. De Ceremoniarum abusu lib. 1. Exustus fuit Nordouici pro 30. articulis sibi impositis à papistis, anno 1428. in Septembri, sub rege Henrico sexto puero. Cuius & vxor Ioanna eadem dogmata retinens & spargens, eodem anno, multa per Guilhelmum Episcopum eius vrbis perpessa est. Imp. & PP. V. S.

Nicolaus Gorran.

1400. HIc super verba psalmi 106. illa: fecerunt sibi vitulum in Horeb, scripsit: vitulus lasciuus juuenis est prælatus, voluptatibus deditus. Hi fabricatores, & adulatores adorant rectorem, vel prælatum suum, vt idolum, vt ab eodem exaltentur. Gregorius Heymburgius. Imp. & PP. V.S.

Ioannes VVunschelburgensis, Theologus, Prædicator Hambergensis.

1400. SCripsit librum de signis & falsis miraculis: & recenset in eo aliquot (quales etiam suprà ex Husso recensuimus) fallacias auarorum Sacerdotum: vt, de imagine Christi sudante: de rubigine in manubrio crystallino pro sanguine Christi adorato Cracouiæ: de resina ex lignea imagine defluente, & eodem modo pro Christi sanguine habita: de sacerdote, qui sanguine ad decipiendum populum, tinxit ostiam: & de superstitione: item de ementito sanguine Christi in VVilsnag, oppido Saxoniæ.

Idem quadā in concione in oppido Bauariæ Hāberg habita, anno D. 1409. ipso die S. Bartholomæi Apostoli, in ambone Ecclesiæ S. Martini, verba sequentia intonuit: Gamaleon beatus vir, & excellentis religionis, consanguineus Bonifacii Papæ, habuit quandam visionem de statu Ecclesiæ, quem habitura esset ante diem nouissimum &c. Item quartus gladius: sciant Regem Romanorum terribilem: & ille faciet malum in Ecclesiā Dei, de quo Ierem. 6. Ecce populus veniet de terra Aquilonis, & gens magna consurget, quæ sagittam, & scutum accipiet, crudelis erit, & non miserebitur. Vox eius quasi mare sonabit, & super equos ascendent, præparati, quasi vir ad prælium, aduersus te filiam Sion, id est, Ecclesiam sanctam.

Et paulò pòst. Armatus vir est Imperator, qui veniet à Meridie (nempe C. V.) qui incipiet malum Ecclesiæ, & malum habebit ortum. Ille à Papa coronabitur, & maiorem Italiam sibi subiugabit, & auferet potestatem à Teutonicis. Et hi Teutonici eligent sibi Imperatorem de Alemannia albit, id est, Rheno: & ille faciet in Aquisgrano concilium seculare, & ponet Patriarcham in Moguntiam, qui coronabitur in Papam. Et Imperator electus inuadet alium Imperatorem, & occidet eum. Et Roma non curabitur, & sedes Apostolica cooperietur. Et omnis spiritualitas exibit à Moguntiā, & possessionem auferent ab Ecclesiā, & occidentur sacerdotes, &c. Hæc ille: quæ videntur non prorsus malè hæc nostra tempora exprimere Cat.

Georgius Morgenstern.

1400. SCripsit multa de religiosorum excessibus: Dominicanos suum Dominicum Christo similem facere: Franciscanos iactare, Franciscum suum sedere in loco Luciferi, & omni anno ex purgatorio auferre infinitas animas. Citat Hieronymum affirmantem, mundum sacerdotibus & monachis repletum esse, sed inter illos paucissimos esse bonos: nec peiorem bestiam in mundo esse quàm malū monachum. Citat etiam ex vitis Patrum, Deum B. Pachumio ostendisse, paucissimos monachos saluari. Imp. Ruperto. PP. Bonifacio 9.

Græci Græcè sacra faciunt.

1400. PAlæologus Imperator Græcus Lutetiam venit Parisiorum, vbi Græci suo more rem diuinam Græcè fecerunt, cum magna Gallorum admiratione. Meyerus. Cur ergò non quilibet alius quoque sua natiua lingua? Imp. & PP. V.S.



Ordo Vallis vmbrosæ.

1400. COepit secundum Francum anno 1400. iuxta Antoninum anno 1040. Panuinium anno 1030. Polyd. anno 1060. iuxta Volat. anno 1070. Benedictum sequitur: auctorem habet Ioannem Gualbertum Florentinum. Hic Episcopum & Abbatē in publico foro vt Simoniacos proclamauit: quod tamē non ab omnibus fuit approbatum. Construxit etiam alia monasteria, & priùs condita reformauit plurima. Cumq; Muscetarum visitaret, videretq; structuras illas magnificentiores, quàm vitæ illorum conueniebat, toruo vultu Abbati dixit: Tu hoc magnis impendiis, quibus plurimi pauperes sustentari potuissent, regium palatium fabricasti: sed malè. Blasius Melanesius, & Hospinianus ex illo. A loco nomen accepit. Schedelius. Vestitus fuit griseus, siue cinericius. Anton. Vol. Pol. & Francus. Homicidium quoddam huic Ordini initium fecit. De quo Vol. Polyd. Antoninus, Francus, & Surius. Imperatore 112. Ruperto. Papa 208. Bonifacio. 9.

Ioannes Petrus Ferrariensis, I.C.

SVmmus fuit tyrannidis, & impietatis Papæ inimicus. In form. Respons. rei comment. sic scribit: Et sic nota, quibus & quot modis clerici illaqueant laicos, & iurisdictionem ampliant. Sed heu miseri Imperatores & Principes seculares, qui hæc & alia sustinetis, & vos seruos Ecclesiæ facitis: & mundum per eos infinitis modis vsurpari videtis, nec de remedio cogitatis: quia prudentiæ & sapientiæ non intenditis, &c.

Alibi dicit, ridiculum esse dicere, & abominabile audire, quòd Papa sibi vendicat superioritatem in Cæsarem: Clericos olim fuisse sub potestate & iurisdictione Imperii, postea eos benignitate Imperatorum priuilegiis donatos, quibus tanquam ingrati, pessimè abusi sint. Papam prouincias & ciuitates detinere non iure, sed merâ violentiâ: Papæ potestatē nimiùm ampliatam, auctamque, ideò necessariò restringendam esse. Non concedendum esse Papæ merū & mixtum imperium, imò potiùs penitus ei temporalem gladium extorquendum. Imperatores olim habuisse vtrunque gladium: contulisse non tantùm politica feuda, sed & Episcopatus, atq; adeò ipsos Papas creasse. Non quieturam priùs Christianitatem, quàm Papa, & clerici restituant temporarium dominium Imperatori: atq; ita reddita fuerint Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. Non debere Papam & alios Ecclesiasticos gubernatores habere temporale dominium & potentiam, quia non conueniat psalterium cum cithara: nec dictum sit à Christo, vel à B. Petro, quòd possidere debeant talia, sed quod est Cæsaris, reddatur Cæsari, & quod est Dei, Deo.

Dicit etiam, stultos Cæsares multa priuilegia concessisse clericis, quæ laicorum statum consumant: Papam & Clericos multis modis illaqueare laicos, vsurpare iura Imperii, suamq; iurisdictionem per suos canones ampliare, explendæ auaritiæ suæ causa: fieriq; stultitia Principum & Imperatorum, quòd in seruitutem clericorum redigantur. Papam & Spirituales, dum aliquos iuramentis absoluunt, periuros facere. Clericos portare conscientiam in caputio: quo deposito, simul & conscientiam amittere: auariores sceleratioresq; esse cæteris, nec vel Theologiam, vel philosophiam curare. Canones papales sub quadam simulata conscientia latos, destruere statum laicorum, & augere statum clericorum. Deus nouit (inquit inter cætera) quanta sit in principum modernorum curiis abominatio de talibus rescriptis & priuilegiis contra ius elicitis & impetratis: & maximè in curia Romani Pontificis, in qua est fundamentum omnis auaritiæ & ambitionis. Ita boni isti Iurisprudentes animaduerterunt summam iniusticiam & iniquitatē Papæ in ea materia, in qua ipsi præcipuè sunt versati. Quòd si eadem diligentia & iis studuissent, quæ religionem propiùs attingunt, plura haud dubiè animaduertissent. Imp. Ruperto. PP. Bonifacio 9. V. S.

Idem in forma sententiæ diffinitiuæ. §. sed ad quemcunq; iudicem competentem, &c. Ad Papam (inquiunt Canonistæ) quocunq; omisso medio, appellare licet: quod ideo prouiderunt, vt omnes quæstiones in curiam traherent, & eorum auaritiam satiarent: quod tamen nunquam facient. Quia clericorum animus & appetitus est enixus præ cæteris in pecuniis cumulandis contra honestatem communem, & fidem Deo promissam: non attendentes, nec studentes bonis moribus, nec scripturis tam diuinis quàm moralibus.

Idem in forma libelli, in quo agitur ex substit. §. sub corpore, &c. Scire debes, tu ignare laice, quòd imperiū aliquádo habuit vtrumq; gladiū, temporalē sc. & spiritualē, adeò; quòd tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Ecclesiastica per vniuersū orbē: & ampliùs, eligebant Papā, vt habetur in c. Adrian. 13. distin. cùm & no. per Inno. in c. 2. Ext. de maio. & obed. Vnde eo tempore, quo studebant Imperatores ampliare fidem Christianā, quæ tunc modica erat & in paruo statu, oportuit conferre multa priuilegia Ecclesiis, & iis, qui se ad fidē Catholicā conuertebant: vt patet per tit. C. de sacrosanct. Eccles. & in tit. de Episcop. & Cler. & in Aut. de sanc. Episc. & in tit. de Eccles. tit. cùm multis titulis: inter quæ priuilegia fuit istud: Quòd bona ingredientiū monasteria, applicarentur ipsis monasteriis. Propter quod priuilegiū multiplicata & fundata sunt monasteria olim infinita per vniuersū orbē, causa deuotionis: licet hodie causa rapinæ & auaritiæ in tantū, quòd destruxerunt hodie mundū, & annihilauerunt statū Imperii, & omniū laicorum: possunt ergò dici meritò talia loca, facta vel fienda, retia contexta ad capienda laicorum bona. Surgat ergò bonus Imp. & dicant omnes: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Idem in forma libelli, in actione Reali, in glos. iure dominij. nu. 53. Habes ampliū Ecclesiarum priuilegium, quod habuit & habet consumere statū laicorū. Sunt etiā alia multa Ecclesiarū priuilegia à stultis Imperatoribus eis collata: vt patet in tit. de sacrosancta Eccles. & in tit. de immu. Eccles. per quæ destructus est status Imperii. Inter quæ est, secundum aliquos, vt Ecclesia non teneatur ad expensas murorum ciuitatis, sed tantùm teneatur ad refectionem pontium & viarum, quod est falsum. Imò etiam tenetur ad expensas murorum, maximè, si muri fiant potiùs ad necessitatem, quàm ad ornatum: vt probatur per textum l. ad portus. C. de operibus publicis.

Idem in forma lib. in quo agitur ad red. ra. tute. §. ad executores. Executores vltimarum voluntatum prohibentur esse fratres Minores, de quo immensè tristantur, & condolent: quia libenter & manus & pedes vellent tam ipsi, quàm cæteri mendicantes clerici, ponere & immiscere in bonis laicorum, & eos rodere vsque ad ossa, prout quotidie faciunt. Vt est lex in Clem. exiui. de ver. sig. Quia in tali officio versatur vt plurimùm tactus & contrectatio pecuniæ, quod est contrarium regulæ beati Francisci.

Idem. In tantum creuit hic appetitus, quòd ne dum Laici, sed etiam summi sacerdotes & clerici sunt tali vitio penitus infecti.

Vides enim, quòd ipse, qui deberet, tanquam verus vicarius Christi, vestigia sequi Iesu Christi, possidere & manu armata nititur detinere iurisdictionem in terris, ciuitatibus & villis, & locis, quæ sunt naturaliter & à mundi creatione, & Christi ordinatione, Imperii Romani, iuxta illud: Quod est Dei reddatur Deo: & quod est Cæsaris, Cæsari.

Ideo attendite & memoriæ commendate, quid dicat D. Hieronymus: Veteres scrutans historias inuenire non possum, scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos, qui sacerdotes Dei positi fuerant.

Frossardus lib. 2. Histor.

HÆc nimirùm simultas & dissensio Pontificum (Vrbani scilicet & Clementis) in diuersa studia rapuit omnes ferè Principes & Reges. Hoc malum, & alia multa, quibus aliquando premeretur Ecclesiasticus ordo, Franciscanus quidam monachus Innocentii temporibus prædixerat, coniectus Auenione in vincula hoc nomine: & quòd in Scripturæ auctoritate sua firmasset dicta, capitis pœnam luiturus. Imp. Ruperto. PP. Bonif. 9. V. S.

Prophetia.

IN veteri quodam codice hi versus leguntur, incertum, quem habeant autorem:

Væ væ vobis pastoribus vacantibus nunc erroribus:
Agni lanam diripuistis, eius vestem induistis:
Propter hoc sciet populus, qui vt leonis catulus
Rugiens fermè mugiet, & mugiens deficiet.

Imp. & PP. V. S.

Finit Centenarius decimus quartus.



Anno Christi.	Num.	CENTENARII DECIMI Quarti IMPERATORES.	Anni	Mens.	Dies
1308	128	Henricus VII. Lutzelburgens.	4	9	0
1314	129	Fridericus 3. Austriacus	13	2	27
1314	130	Ludouicus IV. Bauarus.	32	10	24
1346	131	Carolus 4.	32	7	14
1379	132	VVenceslaus.	21	5	28
1400	133	Fridericus 3.	9	8	22
1400	134	Rupertus comes Palatinus.	10		

PON-

PONTIFICES.

1303	196	Benedictus 9. dictus 11. Taruiſinus.	0	8	6
1305	197	Clemens 5. Burdegalenſis, Vaſco, Gallus.	8	10	16
1316	198	Ioannes 21. dictus 22. Caturcenſis, Gallus.	18	3	28
1327		34. Nicolaus 5. Reatinus.	3	3	14
1334	199	Benedictus 10. dictus 12. Toloſanus, Gallus.	7	4	6
1342	200	Clemens 6. Lemouicenſis, Gallus.	10	7	0
1352	201	Innocent. 6. Lemouic. Gallus.	9	8	26
1362	202	Vrbanus 5. Mēmatenſ. Gallus.	8	2	23
1370	203	Gregorius 11. Lemouic. Gallus.	7	2	29
1378		35. Clemens 7. Gebēnen. Gallus.	15	11	28
1394		36. Benedictus 11. dictus 13. Arrago, Hiſpanus.	30	0	0
		CONCILIVM.	*Epiſ.*	*Seſs.*	*Can.*
1311	447	Viennenſe.			

ORDINES.

1303 *Ordo Sarabitarum.*
1323 *Ordo militum Ieſu Chriſti.*
1326 *Ordo Alcanthare militum.*
1349 *Ordo Flagellantium.*
1350 *Ordo Charteriorum Equitum.*
1360 *Ordo Equitum Stellæ.*
1365 *Ordo Ieſuatorum.*
1366 *Ordo Saluatoris, ſeu Scopetinorum.*
1370 *Ordo S. Brigitæ.*
1371 *Ordo Turlupinorum.*

1399 *Ordo Albatorum.*
1400 *Ordo vallis vmbrosæ.*

DOCTI VIRI.

Guilielmus Nangiac.
Petrus de Arragonia.
Annales Dominicanorum Colmariens.
Bernhardus Lutzelburgius.
Bernhardus Corius.
Vbertinus de Casali.
Ioannes de Parisiis.
Lambertinus de Ramponibus.
Gerhardus Archiepisc. Moguntinus.
Raymundus Lullius Catalanus.
Henricus Frawenlob.
Robertus Liciensis.
1320. *Franciscus Maronius Franciscanus.*
Guilielmus Occam.
Ioannes de Poliaco.
Dantes Aligherius.
Chronicon Saxoniæ.
Nicolaus de Lyra.
Marsilius Patauinus.
Michaël Cesenas.
Petrus Bertrandus.
Petrus de Cugneriis.
Nilus Thessalonicensis Episc.
Thomas de Valas.
Annales Scotiæ.
Alexander de S. Elpidio.
Petrus Aponensis Astron.
Augustinus de Ancona.
Petrus de Lutra.
Petrus Præmonstratensis.

Ioannes Euerisdenus.
Bartholomæus de Pisis.
Cestr ensis.
Ioannes Buriensis Abbas.
Fabianus.
Triuetus.
Robertus Grossetestus.
Ioannes à Rupescissa.
Alanus Chartierius. 1340.
Ioannes Baconthorpius.
Albericus de Rosate.
Conradus ab Hagen.
Mare Historiarum.
Petrus de Palude.
Ioannes de Columna.
Aluarus Pelagius.
Aitonus Armenus nepos Aitoni Regis.
Lupoldus de Babenberg.
Hermannus de Schildis.
Saxo Grammaticus.
Ioannes Magnus.
Ricardus Rolle de Hampole.
Simon de Cassia.
VViclerus Cancell. Treuirens.
Hayabalus.
Gerardus de Cussaco.
Gerardus Magnus.
Ioannes Vitoduranus.
Radulfus Camertianus.
Conradus à Magdeburg Astron.
Rupertus Holcot.
Petrus de Aquila.
Ioannes de Guivverd.
Georgius Cassander.
Albertus Argentinensis.
Ioannes Beka.

Henricus de Erfordia.
Drogo.
Emericus.
Bartolus de Saxo Ferrato.
Adon Episcopus Viennensis.
Richardus Armachanensis.
Ioannes VViclef.
Gerardus Ritter.
1360. *Bibliotheca Londinensis.*
Ioannes de Molinis.
Petrus Ioannis Piranensis.
Rupertus Gallus.
Bartholomæus Ianouesius.
Guilielmus Friesen.
Ranulphus.
Somnium Viridarij.
Nicolaus Orem.
Militzius Bohemus.
Iacobus Misnensis.
Bernhardus VVesterrodi.
Theolesphorus de Cusentia.
Rusticianus.
Chron. fratrum Minor. Ord. Prædic.
Ioannes Taulerus.
S. Brigitta.
Ioannes Bocatius.
Henricus de Iota.
Henricus de Hassia.
Albertus Leicheisen.
Franciscus Petrarcha.
S. Catharina Senensis.
Theodorus Logotheta.
1380. *Nicephorus Gregoras.*
Robertus Ormeskircus.
Philippus Ribottus.
Guilielmus Paradinus.

Philip-

Philippus Repington.
Ioannes Astonus.
Thomas Netter VValdenus.
Salicetus I.C.
Matthæus Ludecus.
Pupilla Oculi Ioannis de Burgo.
Ioannes Muntziger.
Liber Scholæ Paris. de periculis Ecclesiæ.
Matthæus Paris seu Parisius.
Iacobus de Terano.
Gamaleon.
M. Alofresant Rhodius.
Georgius VVidemannus.
Ioannes Treuisa.
Volcuinus Abbas.
Ioannes Fernandus.
Ioannes de Brugis.
Guilhelmus VVhyte.
Nicolaus Gorran.
Ioannes VVünschelbergius.
Georgius Morgenstern.
Ioannes Petrus Ferrariensis.
Frossardus. 1400.




LECTIONVM MEMORABILIVM ET RECONDITARVM, CENTENARIVS DECIMVS QVINTVS.

Ex Senatusconsultis & regestis Parlamenti supremiq; Senatus Francorum Regum.

1401





ANno 1401. vicesimo Iulij, intra decimam & vndecimam horam manè, ad exitum senatus, in præsentiâ prælatorum, & cleri ad gradus Palatij congregati, è carcere Luparæ per lictores adducti sunt duo bullistæ Papæ (qui truces eius censuras attulerant) & ad mulctam ignominiosam, quam Emendam honorabilem vocant, damnati: bigisq; carnificum circumuecti, dedecorosis pictisq; vestibus amicti, mitris ludibriosis infulati, & catamidiati cum inuersis insignijs Papæ, per compita traducti sunt. Imp. Ruperto. Papa Bonifacio 9.

Sic etiam ante Lutheri tempora Heluetij, lege in conuentibus lata, rescripta Pontificis Romani publicè laceranda, & eos, qui vterentur, carceribus ac vinculis coërcendos, sanxerunt. Bodinus

Speculum aureum Papæ & reliqui cleri: vel Dialogus de insolentijs Romanæ curiæ.

1404.

INuenitur passim in Bibliothecis colloquium quoddam Petri & Pauli, incerto authore, quod sic incipit: Reuerendiss. in Christo patribus & dominis &c. Scriptum est anno 1404. vt in fine legitur. Is Dialogus in tres partes diuiditur, quarum hæ sunt propositiones. Primò inquit, grauissimos errores curiæ Romanæ detegam, &c. Secundò, scripta & dicta eius erronea, minusque catholica confutabo, &c. Tertiò, totam curiam Romanam erroneam, & in statu damnationis laborantem ex verissimis fundamentis declarabo, &c. In præfatione inquit: Sic tota Romana curia à planta pedis vsque ad verticem capitis patenter excæcata est erroribus, ipsaque errorum suorum veneno inebriauit omnes fermè mundi partes, ac si immensam creatoris potentiam Papa posset limitare. In fine post multas querelas tandem concludit Paulus: reformet ipse vnigenitus Dei filius suam Ecclesiam, &c. quasi prorsus desperans, Papam vllam reformationem admissurum.

Illud verò diligentissimè obseruandum est, quòd, postquàm in præfatione dixisset, Papam & curiam cùm per se errare, tum alios seducere, subijcit: Omnes de erroribus Romanæ curiæ quidem intus murmurant, nulli autem clamant. Talis enim sanè ratio rerum iam longo tempore fuit in Ecclesiâ, vt multi Antichristi errores agnoscerent, ac apud sese, vel inter aliquos amiculos clàm damnarent: sed metu eius tyrannidis, & potentiæ, nullus vel paucissimi auderent eius errata publicè reprehendere. Citatur id scriptum à quibusdam veteribus, vt à Ioanne Huss, & in eius processu, sub titulo Aurei speculi. Et sanè sic vocandum esse, ex fine apparet. Flaccius. Imp. & Papa vt sup.

Ibidem. Præterea ratione pro prædictis sic arguitur: quâdocunq; Papa facit aliquid contra legem diuinam, vel naturalem, dispensando super incompatibilibus, innocentes deponendo, vel transferendo Prælatos, & sic de alijs, quæ habent fieri virtute clauium Ecclesiæ, quotiescunque non subest necessitas, aut communis vtilitas: ex tali dispensatione nullus subsequitur effectus, sed solùm quædam vmbra apparet in opere, sed nulla veritas subsequitur in effectu: quia cùm causa secunda non agit, nisi in virtute prioris: sic oporteret concedere, quòd Christus dedisset sibi potestatem contra se & suam legem faciendi, qui tamen ipsum voluit esse fidelem, & ob hoc prudentem, vt suprà: & quòd lex Dei esset sibi contraria: & alia infinita inconuenientia sequerentur.

Dic quæso, vnde sibi hæc potestas, clauibus Ecclesiæ prorsus contraria?

Ibidem. Certo certior sum, quòd præter hæc, quòd cum Simone mago colligunt, non solùm prædictorum omnium in curiâ Romanâ peccatorum sunt participes: verùm & omnium malorum, quæ fiunt vbique in Dei Ecclesiâ: de quanto ea aut reformare, aut prædictis prouisionibus exorbitantibus & inutilibus (quæ sunt infinitorum malorum radix & fomentum) contradicere cum affectu negligunt, aut consentiunt in errores impiorum: ex his enim, in negligentiam, desidiam detestabilem, vel consensum, noscuntur sine dubio, redundare.

Ibidem. Mirabile regentium Christi Ecclesiam iudicium ad eligendum potiùs honorem curiæ spectat, quàm ad salutem Germaniæ & Italiæ.

Ibidem. Grauissima plaga, Deo permittente, propter peccata nostra sæuit in populum Christianum: nam, quantos errores conspicio in Ecclesiâ Christianâ? Nónne totum hoc suâ venalitate curia Romana propagauit? vbi plùs diligitur, qui astutiori solicitudine, & maiori astutiâ plures decipit, & plures denarios scit venari. Res multùm miranda, quòd facta Romanæ Curiæ, & perniciosa exemplorum deliria ludo scaccorum assimilantur.

Ibidem. Vt mihi videtur, hæresis est asserere, quòd Papa licitè possit pro spirituali titulo recipere pecuniam: & multò magis, hoc facere in effectu, propter quod videtur mihi, Paule, quòd tota Romana curia est in via damnationis, per ea quæ superiùs demonstrasti. Omnis enim Curthisanus ipso facto sui officij, videtur particeps Simoniæ: &, si dicam, non tamen fortè impropriè, fautor hæreticæ prauitatis.

Ibidem cap. 3. Ex his vlteriùs sequitur, quòd gratiarum mutatio & multiplicatio est realis deceptio, & damnatio animarum.

Ibidem. Quis hominum non attendit tantam pestem, mortificantem animas, in populo Christiano grauissimè sæuientem? En schismata, en hæreses, & errores vbilibet infiniti. Verè durissima plaga Domini descendit in Israël, quam in se experitur his temporibus nostra ætas. Sed eheu, vile aurum in tantum catenauit modò mentem Moysi, quòd nedum placare non curat indignantem Dominum, sed mala malis accumulans machinatur quotidie ad deteriora prouocare. Mira supra omnem modum res agitur, vt inde exemplar omnis mali progrediatur, vnde processerat sanctitatis omnis norma: & vnde tota Christi Ecclesia, Deo ædificante, constructa sumsit exordium, inde patitur iam ruinam: illic iugum suaue Domini abijcitur, frangiturque Lex diuina.

Ibidem. Quoniam in extremis iam malorum laborantes sumus constituti, in quos cuncti errores huius seculi deuenerunt, quâ ergò ratione silere valeo, & non potiùs obmutescentibus alijs, tam præsidibus, quàm doctoribus, fortiùs exclamare? Nam etiam principes Catholici seculares, mutuis dissensionibus occupati, tantam corruptionem sanctæ matris Ecclesiæ non aduertunt.

Ibidem. Rectè iam præsumtionem vocat Ecclesiasticus, quia cœlestia etiam tentat corda. Ioannes Chrysostomus: Superbia natione cœlestis est, cœlestes appetit mentes, & ad proprios reuolat hortos: apponit, in gloriam & puritatem hominis irrumpere, quem de gloriâ & puritate angelorum erupit. Si quis à te quæreret, ô ambitiose, nunquid præferre vis te creatori tuo? sine morâ responderes: nequaquam, absit hoc à me. Ergo erubesce dolose, & mendax: quia quod verbo negas, facto clamas. Audi fistulam paradisi, sanctum Bernhardum personantem: Si dominari appetis, & præesse contendis, creatori tuo te præferre conaris, qui gloriam dominandi fugit, & erat subditus principibus suis. Vides iam, ambitiose, præsumtionem tuam nequissimam, quam tegere, quam dissimulare non potes. Igitur detumesce, punge vesicam tumoris acu diuinæ formidinis: comprime, & collide follem ambitionis, quasi quodam saxo, virtute humilitatis, ne te inuoluat turbo extremæ vltionis, & cum apostatâ angelo ventilet in profundum tartareæ voraginis.

Ibidem. Beatus Gregorius dicit: Qui in regimine est, quot subditos habet, quasi tot animas solus habet. Constat ergo, quia quot Prælatus animas hic procurat, ad tot rationes ante tribunal Christi se obligat. Cautus itaque sit, fidelis, & prudens, & omnibus solerter prospiciat tanquam suæ, quia omnes suæ sunt. Nam quotquot per negligentiam perierint, totidem animarum sanguinem de manu eius Dominus requiret. In pastoris equidem caput redundat, quicquid ouis oberrat. In Numeris siquidem sic habes: initiatus est populus meus Beelphegor: iratusque Dominus dixit: tolle cunctos principes populi, & suspende contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël. Ecce, alijs peccantibus, principes iubentur suspendi. Hac quidem iussione datur intelligi, quòd culpa subditorum in perniciem redundat prælatorum: si enim subditos peccantes non corripiunt, in conspectu veri Solis iustitiæ, omnibus videntibus, æternæ mortis cruciatibus punientur. Non enim solùm offenditur Dominus de culpâ subditorum, sed & de culpâ prælatorum, quorum exemplo, & continentiâ populus debuerat emendari. Vnde præcepit Dominus, ipsos principes, id est, ipsos sacerdotes suspendi contra Solem, vt quorum publica culpa, publica sit & pœna. Super eundem locum Origenes: Hoc si scirent homines, principatum non ambirent, non sic desudarent ad culmen honoris, si scirent, ita in se puniri facta subditorum.

1405.

Ordo D. Hieronymi, siue Hieronymitarum.



DVæ sunt huius Ordinis familiæ, scilicet Hieronymitæ, & Mendicantes D. Hieronymi, (de quibus paulò infrà) & vtræque D. Hieronymum authorem sibi faciunt, sed errant. Nam Erasmus in eius vitâ scribit, D. Hieronymum, vt se totum sacris literis & studijs dedicaret, de secessu cogitasse. Pensitatis igitur omnibus, ac circumspectis, MONACHI placuit institutum: quod, ne quis in hoc erret, id temporis longè diuersum erat ab hoc, quod hodie videmus ceremonijs obstrictum: imò quibus maximè libertas erat cordi, hi Monachi professionem suscipiebant. Primùm enim res manebat integra, manebat commigrandi remigrandique, quò vellet, potestas: manebat dulcissimum, ac liberrimum ocium ad studium: ad ieiunia, psalmos, vigilias, suapte sponte incitabantur, aut exemplis inuitabantur, non cogebantur hominum constitutiunculis. Vestitus erat simplex, nec is tamen præscriptus, sed suo cuique arbitrio sumtus: non qui prodigiosâ nouitate faceret insignem, & digito notandum, sed qui simplicitatem Christianam præ se ferret. Votorum nulla vincula. Denique, si quem fortè sui instituti pœnitentia cepisset, tota demum pœna erat inconstantiæ nota. Cuius rei si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam: legat institutionem monachi ad Rusticum, & item ad Paulinum, legat in epistola cuius initium: Audi, filia, descriptum triplex apud Ægyptios Monachorum genus, &c.

Quin inter alia præstabat & hæc commoda illud vitæ genus: Huius prætextu honestiùs licebat affinium & cognatorum vinculis temet excutere, graui nimirùm onere ei, cui nihil dulcius ocio studiorum: à publicis functionibus, à munijs & officijs Imperialis aulæ prorsus habebantur excusati. Postremò minùs patebant Episcoporum quorundam iam tum insolescentium tyrannidi. Iam hic titulus nec à functione clericatus quicquam remorabatur, & ex nullo ordine sæpius deligebantur Episcopi. Nec aliud erat quidquam tunc Monachi professio, quàm piteæ libertæque ac purè Christianæ vitæ meditatio. Hæc obiter admonenda duxi, ne, qui mos est plerisque, Hieronymum sui instituti faciant authorê ij, AD QVOS ILLE NIHIL ATTINET. Hæc Erasmus. Abijt igitur in Syriam, & in solitudine instructus Bibliothecâ aliquandiu latuit, sicut ipse in epist. ad Eustochium scribit: & lectioni etiam studium scribendi, & cognitionem Hebrææ linguæ adiunxit. Hocque ocium perpetuum sibi optabat: sed ob Ecclesiæ necessitatem retractus Romam migrauit: vbi ita se gessit, vt mortuo Damaso, summo pontificatu dignus iudicaretur. Odio tamen Sacerdotum, quorum vitas & scelera taxabat, iterum Româ ad priores suas solitudines reuênit.

Ex Erasmo igitur & Vadiano in epit. trium part. mundi perspicuum euadit, Hieronymum nunquam talem, quales hodie sunt Monachi, Monachum fuisse: aliásue Regulæ quàm Christi: aliòue vestitus genere, quàm vulgari, vsum fuisse. Hodiernum enim Monachorum genus Hieronymi ætas in totum ignorauit: vt non iniuriâ Polydorus lib. 7. c. 3. dicat: Multos esse qui Hieronymi titulum sibi vendicent, qui tamen longè ab eius vitâ absint.

Diuersi igitur sunt hi (à suo, quem iactant, autore) Hieronymiani, & longo pòst tempore cœperunt: quique, vt Polydorus annotat, natiuo amiciuntur colore.

Regulam colunt Augustini: semper gestant in manibus globulos preculares quinque, cum appendente cruciculа. Eorum vestitus est subcinericius niger, vt habet Lonicerus.

Memorabile est quod Hieronymus ad monachum Rusticum scribit de Monachis: Nunquam, inquit, de manu tua vel oculis tuis liber Psalterij discedat. Facito aliquid operis, vt semper diabolus inueniat te occupatum. Et ad Eustochium, grauissimum adducit exemplum, quod in Nitriæ deserto accidisse refert. Quidam ex fratribus illis parcior magis quàm auarior, centum solidos, quos lino texendo acquisierat, moriens dereliquerat. Initum est igitur inter Monachos consilium, nam in eodem loco circiter 500. (alij habent 5000.) diuisis cellulis habitabant, quid factu opus esset. Alij, pauperibus distribuendos esse, dicebant: alij, dandos Ecclesiæ: nonnulli, parentibus remittendos: Macarius autem, Pambo & Isidorus, cæterique patres decreuerunt, infodiendos esse cum eodem, dicendo: pecunia tecum sit in perditionem. Tantusque ex hoc cunctos per totam Ægyptum terror inuasit, vt vel vnum solidum reliquisse, esset criminis. Imp. 112. Ruperto. Papa 209. Innocentio 7.

Engel-

Engelbertus VVusterwitz.

ANno 1405. Innocentio septimo Papæ Romani ciues claues ciuitatis cum ramis palmarum obtulerunt, & omne dominium vrbis Romæ, etiam temporale, illi concesserunt: sed minùs iustè, minusque laudabiliter: quoniam illa temporalium affluentia officit haud parùm spiritualibus. Nec Petri successor, Papa, eiusmodi periculosum temporale dominium sumsisse debuerat. Nusquam equidem legitur, quòd priscis temporibus, etiam post donationem Constantini (de qua cuncti curiosi Canonistæ magnum faciunt festum) quispiam summus Pontifex temporale dominium vrbis Romæ gubernauerit. Ast nouis temporibus, nostraque memoria certi Pontifices de illo, labores & dolores sibimet inde cumulantes, se intromittere ausi fuêre: quandoquidem ab ante quo Roma semper extitit vrbs regalis & imperialis. Alioqui ab Electoribus deputatis ad Imperium legitimè sublimatus, quisquis ille foret, incassum & frustra Rex appellaretur Romanorum: quia non verbis, sed factis prosperari quis debet, cùm & lex non verbis, sed factis imposita sit. Et idipsum copiosè veteres protestantur historiæ. 1405.

Hæc Engelbertus VVustervvitz, clericus Brandeburgensis in suo Chronico Marchitico, qui aliquot annos Romæ Cardinalib. seruiendo insumserat, & prænarrata oculis viderat, & exequijs quorundam interfuerat. Imp. vt sup. Ruperto. Papa 209. Innocentio 7.

Homicidium approbatum à Theologis.

TVrpe & crudele homicidium Ducis Burgundij turpiter excusatur à Theologis, & à Petro de Lunâ Antipapa iniquitas hæc promouetur. Super quo exclamat Mayerus: vtinam à Theologiæ & sacerdotali grauitate omnes abesset vanitas, & assentatio. 1406.

Ordo Canonicorum S. Georgij in Alga. 1407.

ORdo Canonicorum Secularium, qui Regulares nūc dicuntur, & interdum Apostolici à Laurentio Iustiniano Venetorum Patriarchâ, circa annum 1407. institutus, à Ioanne verò 22. confirmatus fuit. Panuinius, Genebrardus, Polyd. Francus autem & Balæus confirmationem tribuunt Gregorio 12. Intimis vestibus lineum indusium superinduunt cum cucullione atri coloris. Extra monasterium atri coloris chlamydem assumunt cum galero concolore. Est & alius ordo eiusdem nominis candidus planè: item tertius cæruleus, Modius, & Francus. Sabellicus alium vestitum eis tribuit, vt apud eum. Imper. vt sup. Papa 210. Gregorio 12.

Ordo Mendicantium D. Hieronymi. 1407.

INstitutus est hic ordo anno 1407. (Petrus Gambazita Pisanus scribit, eum cœpisse circa annum D. 1365. Panuinius 1405. vt etiam Fr. Modius) & confirmatus à Gregorio 12. Volat. Genebrardus, & Panuinius. Regulam sequuntur Augustini. Ortum habent à Rhedone quodam Montisgranelli Comite apud Fesulas, vel, vt alijs placet, à Carolo Florino. Vestibus vtuntur fuligineis, & pallio subter tunicam rugato, atq; superiore parte à summo ad imū scisso: & scorteâ zonâ tunicam succingunt: soleisque ligneis pedes muniunt. Sab. Polyd. Modius. Vol. & Francus. Imp. & Papa vt sup.

Ordo S. Spiritus.

1407.



HÆc societas instituta est prope Venetias à Gabriele de Spoleto, anno 1407. Habet vestitum Regularium Canonicorum. Modius. Imp. & Papa vt sup.

1407.

Ordo MontOliuetensium.



HI anno 1407. cœpisse dicuntur, cùm trium Pontificum pestilens discordia orta esset. Huius enim perosi cumprimis Senenses, Principe Bernardo è Ptolemæorū familiâ, in proximum Senis collem egressi, secundum Ordinem Benedicti sese candido induerunt amictu, Gregorio XII. approbāte. Bal. Panuinius confirmationē huius ordinis tribuit Vrbano, qui anno 1370. vixit. Francus. Fuerunt etiam alij ante hos eiusdem nominis, qui solo linteamine tecti sine tibialibus, & sine pileo incedebant: quos Bonifacius 8. cum Institutore eorum Viterbij penitus deleri curauit. Hosp. Imp. & Papa vt sup.

1407.

Sundt Ciuitas.

CIrca annum Domini 1407. prohibuit Senatus Sundtensis (quæ est ciuitas, ad mare Balticum sita) ciuibus, ne tam sumtuosas & immoderatas exequias suis mortuis porrò facerent, sicut antea fuerant soliti facere: quòd eâ ratione ad extremam paupertatem redigerentur, ciuitasque tota attenuaretur. Interesse enim etiam Reipub. quomodo ciues suis fortunis vtantur. Hac quasi cohibitione rapinæ, velut grauissimâ iniuriâ, commotus Conradus Bonoluen plebanus in Voghedeshagen, præcipuâ totius ciuitatis parochiâ, factus est hostis ciuitatis: cœpitque coactâ latronum manu non tantùm rapere, & agere res Sundtensium, sed etiam quibusdam pedes, & manus præcidere. Quâ iniuriâ vulgus concitatum, quosdam sacerdotes ex eorum complicibus igni in ciuitate exussit: vnde porrò etiam maiores lites exortæ sunt. Nam Episcopus Suerinensis interdixit eis sacra, accusauitque eos etiam coram Papâ. Sed tandem res tota, datâ Sanctiss. antea (quâ solâ delectatur) oblatione, composita, transactaque est. Cat. Imp. Ruperto, vt sup. Papa 210. Gregorio 12.



Ordo Canonicorum Lateranensium 1408.
congregationis Frisonariæ.

HVnc Ordinem restitutum à Leone de Carate Mediolanensi in diœcesi Lucensi fuisse, author est Panuiniu. Deco Sabellicus, in his, inquit, temporibus, quibus scilicet schisma ingens erat inter Benedictum 13. Greg. 12. & Alex. 5. restituit Canonicorum Regularium ortum Philippus Eremitanus apud Frisonariam, Lucensis agri oppidum. Dubiam hanc rem facit inueterata contentio de Eremitanæ, & Canonicæ familiæ ortu: vtrâque suum referente ortum ad Aurelium Augustinum. De illis etiam Platina in vita Pauli 2. Vestitu vtuntur scapulari, & pileo atro. Francus. Imp. & Papa vt sup.



Ordo S. Iustinæ. 1409.

COngregatio S. Iustinæ Patauinæ, quæ postea Casinas, vel Casinensis dicta est, à Ludouico Barbo Veneto instituitur, anno Domini 1409.

Idem ferè refert Polyd. Ab Eugenio 4. fuit auctus: & à Ioan. 24. confirmatus. Francus, & Bal. Imperat. & Papa vt sup.



Ordo Mauritianorum Equitum. 1409.

AMedeus Dux Sabaudiæ, antequàm in Basiliensi concilio Pontifex creatus esset, Equestrem Ordinem siue Sodalitium Euangelicum, id est, Boni nuntij, multis additis pietatis legibus, restaurauit anno 1409. Rerum humanarum pertæsus in Eremum concessit. Sed priùs Mauritianos Equites instituit, in honorem D. Mauritij Thebæi, cuius annulum Augaunensium Præsul Petro Sabaudiæ Comiti dono dederat, vt per manus tanquam supremi principatus arrha ad successores Sabaudos transferretur: quod ita successiuè ad nostra quoque tempora obseruatum, legimus apud Philibertum Pingonium in Arbore gentilitia Ducum Sabaudiæ. Imp. & Pp. vt sup.

Ex vetusto exemplari in pergameno scripto, è bibliotheca Prædicatorum Basiliensium.

Cvr vltrà studeam probus esse, probusq; videri,
Aut inter socios famam cum laude mereri?
Cur vltrà dubitem piger ac indoctus haberi,
Et non esse velim delirus? in ordine cleri
Indoctos hodie, video, pigrosq; beari:
Plures cerno probos fortunæ nube grauari.
Arguo fortunam super his, & censeo nequam:
Quòd rigidam iustis, iniustis se facit æquam.
Ludere sic nouit Dea mobilis, ac malè ludit:
Hos fert sublimes, illos in stercora trudit.
Pœnitet esse probum iam, pœnitet esse peritum,
Qui nunquam duco noctemùe diemùe quietum.
Nocte vigil totâ non cesso versificari,
Inde die totâ cupio Diuos venerari:
Sed pereant versus, pereant simulacra Deorum,
Nil mihi quippe boni confert ornatus eorum.
Nam modò non prosunt versus, stylus, atq; tabella,
Pro quibus in studio sum passus dura flagella.
Si modò Vergilij, vel si loquar ore Catonis,
Aut si Rhetoricen teneam magni Ciceronis:
Non tamen iste labor plus confert vtilitatis,
Quàm si fortè vomam sermones rusticitatis.
Carmina sæpe dedi Prælatis Ecclesiarum,
Vt mihi compluerent de flumine diuitiarum:
Sed pro carminibus mihi nil nisi verba dedêre,
Ah pro carminibus data verba parùm valuêre.
Ista mihi merces, merces est ista laboris:
Quem faciunt duri mihi versus omnibus horis.
Si quis ad incudem me reddere posset eorum,
Qui relegunt nummos, & libras denariorum,
Me remonetari facerem meliore monetâ:
Mallem nummiculus fieri, quàm Naso poëta.
Nam si Pontifici cuiuis cantet ioculator,
Inde bonos versus legat illi versificator:
Quem magis exaudit, vel quem plùs diligit horum?
Illum nimirùm, quem turba probat fatuorum.
Qui miser esse cupit, vel qui cupit infatuari,
Libros quosq; legat, discat bene versificari:
Et qui vult felix fieri, nummisq; præesse,
Dormiat, & minimùm studeat, discat piger esse.
Ista leuant homines, & perducunt ad honores:
Illa grauant miseros, & habent sine fine dolores.
Pro nihilo Salomon hodie stultos reprehendit,
Queis de pigritiâ fructus fortuna rependit:
Iam modò plura metit, qui nec seuit, nec arauit,
Quàm qui forte gelu, solesq; graues tolerauit.
Temporibus nostris mutari secula cerno:
Nonne vetus studium perit, accedente moderno?
Artes scire bonas fuit olim gloria cleri,
Gloria magna fuit, famam sine labe tueri:
Nunc inhonesta sequi, nunc sectari leuitatem
Gens hodierna studet, morumq; fugit probitatem.
Artes scire bonas nunc pro nihilo reputatur:
Nummos scire bonos modò præualet, hocq; probatur.
Hoc hodie studium deducitur absque labore,

Quod quicunque tenet, hic sublimatur honore.
Huic hodie baculus donatur Pontificalis:
Venditur huic studio gradus omnis Simonialis.
Hoc Aerismaticam studium dixêre priores:
Hoc etenim multi sunt effecti potiores.
Aera metit, quisquis studium cupit ærimitari,
Et de stercoribus valet ad sublime leuari.
Est grauius studium bene scribere, versificari,
Discere Grammaticam, prudenter philosophari,
Quàm nummos nummis libras libris cumulare,
Ac ex vsuris vsuras multiplicare.
Dominus vobiscum, qui prædictam colit artem,
Colligit ex hominum varijs opibus sibi partem:
Atque hic denarios bene comperit omnia posse.
Quando canit, vertit gaudens ad denarios se:
Hos colit & recolit, his prædicat, hos & honorat,
His sua festa canit, magis hos quàm numen adorat.
Dominus vobiscum pingui cùm murmurat ore,
Iam sapit intus, quòd regitur fato meliore,
Quàm vir Grammaticus, qui multa legendo laborat,
Quem sequitur mala sors, quem pauperies inhonorat.
Syllaba longa breuis, breuis illi longa videtur:
Grammaticusq́ bonus cùm sit, sibi vilis habetur.
Dominus vobiscum ius contra dogmata seruat:
Nam pro doctrinâ nummos nummis coaceruat.
Pro nihilo ducit dicens aliquando, Dominus:
Nec putat errorem, si dicat fortè, cominus.
Fasq́ nefasq́, canens, credit, sibi cuncta licere:
Copia nummorum dat ei non posse timere.
Dominus vobiscum, licet argumenta ferantur,
Cuncta tamen soluit, mox & validè reprobantur.
En in marsupio sua regula, regula iusta,
Auro, denarijs, & charis rebus onusta.
Hinc se defendit, quoties metuit reprehendi:
Hinc facit à multis laudum sibi iura rependi.
Dominus vobiscum, vitando negocia dura,
Ocia sectatur, vitam ducens sine curâ,
Quæ pretiosa foro venduntur, quæ meliora,
Hic emit ad placitum, non curans deteriora.
Huic volucres, pisces, huic fercula quæque nouella,
Huic piper arridet, huic zinziber, atq́ canella.
Dominus vobiscum, si fas est vera fateri,
Eius corpus alit, quicquid melius quit haberi.
Hunc vnguenta fouent, seruatq́ manus medicorum:
Huius & ad nares fragrantia spirat odorum.
Huius doctus equus, bene doctus figere passum,
Ambulat, & nullo facit illum tempore lassum.
Dominus vobiscum cute clarâ, vesteq́ mundâ
Splendidus incedit, calidâ bene lotus ab vndâ.
Hunc domini, dominæ pascunt, famuli, famulæq́:
Donaq́ dant illi pinguissima nocte dieq́.
Suscipit ille libens, oblataq́ munera seruat,
Inq́ suis loculis massam massæ coaceruat.
Dominus vobiscum cùm regnat, denariusq́,
Pauper Aristoteles mendicat, Grammaticusq́:
Fœdere qui tanto coniuncti semper habentur,
Vt nunquam, nisi mors accedat, dissocientur.
Deniq́ quid superest, quin imperet, & dominetur,
Qui tam magnificus vel qui tam clarus habetur?

Dominus vobiscum seruat notum sibi morem:
Nam bene munitam seruat cistam interiorem.
Sed cùm vult, reserat signatam clauibus arcam,
Vt gaudens videat cum marca ludere marcam.
Crede mihi, Deus est, Deus est suus omnis & illa,
Nec de morte timet, cùm sit cinis atque fauilla.
Dominus vobiscum quid non facit imperiale?
Vendicat omne sibi ius & decus ecclesiale.
Orbem terrarum totum quasi sub pede strauit,
Colla superba sibi Regumq; ducumq; domauit.
Et ne quis sub eo se possit dicere tutum,
A nascente petit, petit à moriente tributum.
Grammaticus verò tenuis, laceris quoque pannis,
Ab obit in studijs, breuibus consumtus ab annis.
Vilia quæque fori pauper vix comparat ille,
Quamuis obtulerit preciosa poëmata mille:
Quem preciosus equus nescit per compita ferre,
Sed pes & baculus sordentes puluere terræ.
Grammaticusq; suam musam cùm cernit in arca,
Fortunam tenuem videt hîc, & carmina parca.
Cernit ibi tabulas, graphium, pluresq; libellos,
Artis grammaticæ veteres simul atque nouellos.
Hinc & Aristotelis videt arma potenter acuta,
Sed contra duram paupertatem malè tuta.
Hæ sunt diuitiæ, gazæ quoque Philosophorum,
Quamuis mendicent in regno presbyterorum.
Cui nihil est æris, nihil huic confertur honoris:
Cui satis est, probus est, & nominis hic melioris.
Prævalet insipiens locuples inopi sapienti,
Omnis honos tantùm datur, & laus omnis, habenti.
Quilibet insipiens nummorum quærat aceruos,
Et mox nobilium plures faciet sibi seruos.
Ergò, ne verbis vacuis, longisq; laborem,
Hortor eos, qui diuitias cupiunt & honorem,
Vt fieri Dominus vobiscum non remorentur:
Illo quippe gradu locupletes efficientur.
Sic ærismaticæ ditescent vtilitate,
Qui pro Grammaticæ mendicant garrulitate.

Imp. Ruperto. Papa Gregorio 12. vt sup.

1409.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

Imp. 112. Ruperto. Papa 211. Alexandro V.

VT verò Bonifacius nonus in odium VVenceslai eius deiectionem, vt diximus, facilimè promtissimeque approbauit: sic Ruperto rerum potiente Alexander V. malitiosissimus Cretensis, tertius à Bonifacio Romanus Pontifex, animo in Rupertum mutato, non tristius in imperio, quàm tunc in Ecclesia esset, schisma scelerate excitare conatus est. Nam statim postquàm in concilio Pisano cathedræ Piscatoris præfectus esset, iure Ruperti, iusto titulo Imperij possessione gaudentis, penitus neglecto, VVenceslaum, vnanimi Electorum ac principum sententia imperio remotum, literis suis regem Rom. nominauit. Vnde Rupertus hanc iniuriam ac violentiam ægertimè ferens, de ea principibus vehementissimè conquestus est: ac Alexandri obedientiam in Germania fortiter turbauit: maiora in ipsum suscepturus haud dubiè, ni incendij gliscentis scintillæ vnà cum Pontifice, pharmaco Marsilij Parmensis medici extincto, magno totius orbis Christiani commodo, sopitæ fuissent. Porrò verò dum Rupertus ijs emendandis, quæ auaritiâ Caroli, & ignauiâ VVenceslai corrupta fuissent, intendit, anno imperij decimo vitam amittit: imperio ad Sigismundum, principem sapientia, eruditione & probitate clarissimum, transmisso. Schardius ex Theodorico à Nihem & alijs.

Theodo-

Theodoricus Vriæ Augustinianus, Minorita, Episcopus Croatiæ, in libro primo de Consolatione Ecclesiæ ad Sigism. Imperatorem.

Papa stupor mundi cecidit secumq; ruere
Cælica templa Dei, membra, simulq; caput.
Papa dolor, mundiq; pudor, per crebra patescit
Crimina, terrarum notus vbiq; viris.
Heu Simon regnat, per munera quæq; reguntur,
Iudiciumq; pium gaza nefanda vetat.
Curia papalis fouet omnia scandala mundi:
Delubra sacra facit perfiditate forum.
Ordo sacer, baptisma sacrum, cum chrismate sancto,
Venduntur turpi conditione fori.
Diues honoratur, pauper contemnitur, atq;
Qui dare plura valet munera, gratus erit.
Aurea quæ quondam fuit, hinc argentea, Papæ
Curia, procedit deteriore modo:
Ferrea facta dehinc durâ ceruice quieuit
Tempore non modico, sed modò facta lutum.
Postq; lutum quid deterius solet esse? recordor
Stercus, & in tali curia tota sedet.

Idem in lib. 3. grauiter insectatur Prælatorum scelera, libidines, simoniam, ambitionem, neglectionem verbi Dei, & salutis animarum. Inter alia pronunciat, Prælatos quantò sint maiores, tantò esse deteriores. Papæ inter alia obiicit & hæc duo crimina, quòd rapiat sibi gladium contra ius, quem gestare sit Cæsaris. Item quòd Episcopi negligant suum officium, scilicet pascere gregem Christi eius verbo. Quare tandem pronunciat, Papam esse prænuncium & præcursorem Antichristi.

Idem in fine suæ prophetiæ prædixit, fore, vt Romana sedes, quæ simoniâ & libidinibus esset contaminatissima, corruat: nec quenquam, vt antea, tyrannide sua premat, sed à propriis subditis malè tractetur, & prematur. Prædixit etiam, fore, vt iustitia quæ longo tempore fuerat reclusa, in lucem prodeat, & exaltetur: item, vt Ecclesia ac vera pietas refloreat magis, quàm vnquam antea.

Laurentius Iustinianus Venetus.

Scripsit inter alia de officio pastorali, & complanctu Ecclesiæ. Imperatore vt suprà. Papa 211. Alexandro 5. 1410.

Mechtildis Prophetia.

Cvm aliis prophetiis iam olim rhythmicè scriptis edita est etiam cuiusdam sanctæ mulieris, nomine Mechtildis, prophetia: in qua illa, veluti quandam Christi epistolam ad spirituales & prælatos recitans, primùm dicit, columnas Ecclesiæ (id est, sacerdotes) fragiles, & corruptas esse: ideoque verendem, ne tota Ecclesia corruat. Deinde id explicans dicit, summos & infimos spirituales esse perditos auaritia, superbia, libidinibus, inscitia, non curare Christi mandata, negligere munus docendi, esse indoctos, defecisse à Christo: quin & factos esse lupos, iugulare & deuorare omnes, abducere oues Christi à sacris pascuis. Deinde prædicit, Deum exsuscitaturum nouos pastores, qui sanam Christi doctrinam piis proponant, eiusque iam fermè collapsam Ecclesiam sedulò reædificent, & instaurent, Christianamque religionem, quæ multis erroribus esset contaminata, repurgent, ac contra Antichristum concionentur. Postremò hortatur omnes, vt illos audiant. Sed priùs fore, vt sub finem pii grauem persecutionem patiantur ob puram religionem, quam eis Antichristus auferre sit conaturus. Certè apparet, hanc mulierem acu, quod aiunt, rem attigisse. 1410.

Summarium quoddam eius prophetiarum manuscriptum in veteri codice extat, à Minorita quopiam (vt erat adscriptum) excerptum. In eo erat primùm, multa eam prædixisse, quæ tunc, cùm monachus ille in compendium prophetiam eius redigeret, verè acciderant. Eoque non dubitat ille abbreuiator, & reliqua ab ea prædicta euentura. Deinde indicat, eam prædixisse, oritura esse dissidia in Germania ob religionem, inter Ecclesiasticos & laicos, ita acria, vt se mutuò tanquam hæreticos damnent: ob quæ primùm sacerdotes grauia patiantur, deinde fermè vtraque pars pereat. Tertiò affirmat, tunc Romanam Ecclesiam(verba eius sunt) totaliter à fide Christiana apostaturam apertè, quæ alioquin per multa tempora iam occultè apostatauerat, vt quiuis prudens coniecturare valeat. Postremò affirmat, remansurum pauperem & afflictum cœtum in Germaniâ, qui piè ac purè Deum colat.

Comprobat autem euentus ipse hanc Prophetiam. Nam orta sunt dissidia, vt re ipsa cernimus, inter sacerdotes & politicos homines de religione: ob eaque ira sese illæ duæ partes attriuerunt, vt vtraque grauiter afflicta sit. Denique & illud verum est, Papam nunc propalàm defecisse, cùm antea tantùm occultè defecisset. Ante enim aliquatenus clàm Christianam pietatem damnauit: iam verò post prædicationem Lutheri, id manifestè & apertè fecit: quippe qui agnitam Christi veritatem sciens volensque damnauerit.

Illa tamen duo loca in Mechtildis libro rectè huic operi adiicientur, quæ ad verbum describemus, quòd alterum gratuitam iustificationem per Christum, alterum communionem sub vtraque specie confirmat. Tunc cognouit, quòd omnia bona opera, quæ neglexerat, sanctissima Christi conuersatione & operibus eius perfectissimis essent impleta, omnisque eius imperfectio filii Dei perfectione altissima perfecta. Cùm enim Deus oculo misericordiæ animam respicit, & se ad miserandum illi inclinat, cuncta eius crimina perpetuæ obliuioni traduntur. Itaque cùm à Deo tam eximium percepisset donum, scilicet omnium peccatorum remissionem, & omnium meritorum suppletionem, exinde securitate accepta & audacia, reclinauit se in sinum dilectoris sui Iesu.

Et aliquantò pòst. Congregatio autem tota ad mensam illam accedens, vnaquæque sub brachio beatæ virginis Mariæ, quasi geniculando accepit Dominicum corpus de manu Domini, & beata Virgo Maria craterem aureum cum fistula aurea ad latus Domini tenebat, per quam sugebant liquorem illum dulcissimum, qui de pectore Domini emanabat.

Ex hisce clarè apparet, hanc Virginem & de gratuita iustificatione, & integrâ communione satis commodè sensisse. Flaccius.

Ioannes 23. Papa 212.

1411. PVblico edicto damnauit eos, qui affirmârunt, Christum eiusque discipulos nihil proprii habuisse: in quo Platina apertè eum reprehendit, dicens: Euangelium aliud statuere, vbi dicit, qui non vendiderit omnia, & pauperibus dederit, non potest esse dignus me discipulus.

Mandauit etiam, nihil de hac re disputare aut loqui. Condemnauit præterea ordinem eorum, qui Christi paupertatem imitari volebant, de quibus etiam multi exusti fuerunt. Vides, mandata Christi Vicarium suum damnare, & credentes in verba eius exurere. Platina.

Docuit etiam, animas ante nouissimum diem in cœlo non esse, sed priùs ex purgatorio redimendas. Quæ fabula in tantum ipsi profuit, vt in thesauro viginti quinque millium drachmarum auri post se reliquerit. Pro Hæretico à Parisiensibus habitus fuit. Durandus de S. Portiano. VVilhelmus Calethus. Imp. 113. Sigismundo. PP 212. Ioanne 23.

Laurentius Valla, Romanus Patricius, & canonicus, in refutatione donationis Constantinianæ fictitiæ.

1411. SCio, iamdudum expectare aures hominum, quódnam Pontificibus Romanis crimen impingam? Profectò ingens, siue supinæ ignorantiæ, siue immanis auaritiæ, quæ est idolorum seruitus: siue imperandi vanitatis, cuius crudelitas semper est comes.

Nam aliquot iam seculis aut non intellexerunt, donationem Constantini commentitiam fictamq; esse, aut ipsi finxerunt: siue posteriores in maiorum suorum dolis vestigia imprimentes, pro vera, quam falsam cognoscerent, defenderunt: dedecorãtes pontificatus maiestatem, dedecorantes veterum pontificum memoriam, dedecorantes religionem Christianam: & omnia cædibus, minis, flagitiisque miscentes.

Suam, aiunt, esse vrbem Romam, suum regnum Siciliæ, Neapolitanumque, suam vniuersam Italiam, Gallias, Hispanias, Germanos, Brittannos, suum denique Occidentem. Hæc enim cuncta in ipsa donationis pagina contineri: ergò hæc omnia tua sunt, summe Pontifex? Omnia tibi in animo est recuperare? Omnes Reges ac Principes spoliare vrbibus, aut cogere, vt annua tibi tributa pensitent, sententia est?

At ego contrà existimo, iustiùs licere Principibus, spoliare te imperio omni, quod obtines. Nam ostendam, quòd donatio illa, vnde natum esse ius summum summi pontificis volunt, Syluestro pariter & Constantino fuerit incognita. Quæ donationis pagina est istorum vnicum patrocinium, at non modò falsum, verùm etiam stolidum.

Sponte ad te, summe Pontifex, vt nos gubernes, venimus: sponte nunc rursus abs te, ne gubernes diutius, recedimus. Si qua tibi à nobis debentur, ponatur calculus datorum & acceptorum. At tu gubernare inuitos vis, quasi pupilli simus: qui te ipsum forsitan sapientiùs gubernare

possemus. Adde huc iniurias, quæ aut abs te, aut à tuis magistratibus huic ciuitati frequentissimè inferuntur. Deum testamur, iniuria cogit nos rebellare, vt olim Israël à Roboam fecit. Et quæ tanta fuit illa iniuria, quanta portio nostræ calamitatis, grauiora soluere tributa?

Quid enim si Rempublicam nostram exhaurias? exhausisti. Si templa spolies? spoliasti? si virginibus, matribusq; familiæ stuprum inferas? intulisti. Si vrbem sanguine ciuili perfundas? perfudisti. Hæc nobis sustinenda sunt? an potius, cùm tu pater nobis esse delieris, nos quoque filii esse obliuiscemur? Pro patre, summe Pontifex, aut, si te hoc magis iuuat, pro domino hic te populus aduocauit, non pro hoste atq; carnifice: patrem agere aut dominum non vis, sed hostem & carnificem. Nos sæuitiem tuam, impietatemq;, etsi iure offensæ poteramus, tamen quia Christiani sumus, non imitabimur. Nec in tuum caput vltorem stringemus gladium: sed te abdicato atq; summoto, alterum patrem dominumq; adoptabimus. Filiis à malis parentibus, à quibus geniti sunt, fugere licet: nobis à te non vero patre, sed adoptiuo & pessimè nos tractante, non licebit? Tu verò quæ sacerdotii operis sunt, cura: & noli tibi ponere sedem ad Aquilonem, & illic tonando fulgurantia fulmina in hunc populum cæterosq; vibrare. Sed quid plura opus est in re apertissima dicere? Ego non modò, Constantinum non donasse tanta, non modò non potuisse Romanum Pontificem in eisdem præscribere: sed etiamsi vtrumq; esset, tamen vtrumq; ius in sceleribus possessorum extinctum esse, contendo: cùm videamus, totius Italiæ, multarumq; prouinciarum cladem ac vastitatem ex hoc fonte fluxisse. Si fons amarus est, & riuus: si radix immunda, & rami: si delibatio sancta non est, nec massa. Ita è diuerso, si riuus amarus, fons obstruendus est: si rami immundi, è radice vitium venit: si massa sancta non est, delibatio quoq; abominanda est. An possumus principatum potentiæ papalis pro iure proferre, quem tantorũ scelerum, tantorumq; omnis generis malorum, cernimus esse causam? Quamobrem dico & exclamo (neq; enim timebo homines) Deo fretus, neminem meâ ætate in summo pontificatu aut fuisse fidelem dispensatorem, aut prudentem: tantum abest, vt dederit familiæ Dei cibum & escam panis. Papa & ipse bella pacatis populis infert: & inter ciuitates Principesq; discordias serit. Papa & alienas sitit opes, & suas exsorbet: vt Achilles dixit in Agamemnonem, δημόφορος βασιλεύς.

Papa non modò Remp. quòd non Verres, non Catilina, non quispiam peculator auderet, sed etiam rem Ecclesiasticam, & spiritum S. quæstui habet, quod Simon ille magus detestatur. Et cùm horum admonetur, & à quibusdam bonis viris reprehẽditur, non negat: sed palàm fatetur atq; gloriatur, licere sibi quauis ratione patrimonium Ecclesiæ à Constantino donatum, ab occupantibus extorquere. Quasi eo recuperato, religio Christiana futura sit beata, & non magis omnibus flagitiis, luxuriis, libidinibusq; oppressa: si modò opprimi magis potest, & vllus est vlterior sceleri locus. Vt igitur recuperet cætera membra Donationis, malè ereptas à bonis viris pecunias peiùs effundit, militumq; equestres pedestresq; copias, quibus omnia infestantur, alit: cùm Christus in tot millibus pauperum fame, ac nuditate moriatur. Nec intelligit (ò indignum facinus) cùm ipse secularibus auferre, quæ ipsorum sunt, laborat: illos vicissim siue pessimo exemplo induci, siue necessitate cogi (licet non est vera necessitas) ad auferenda, quæ sunt Ecclesiasticorum. Nulla itaq; vsquam religio, nulla sanctitas, nullus Dei timor. Et quod referens quoq; horresco, omnium scelerum impii homines à Papâ sumunt excusationem. In illo enim comitibus eius est omnis facinoris exemplum: vt cum Esaiâ & Paulo in Papam, & Papæ proximos dicere possimus: Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes. Qui alios docetis, vos ipsos non docetis. Qui prædicatis non furandum, latrocinamini. Qui abominamini idola, sacrilegium facitis. Qui in lege & pontificatu gloriamini, per præuaricationem legis Deum verum Pontificem inhonoratis. Quòd si populus Romanus ob nimias opes veram illam Romanitatem perdidit: si Salomon ob eandẽ causam in idololatriam fœminarum lapsus est: non idem putamus fieri in summo pontifice, ac reliquis clericis? Et propterea putamus, Deum fuisse permissurum, vt materiam peccandi Syluester acciperet? Non patiar, hanc iniuriam fieri Sanctissimo viro: non feram, hanc contumeliam fieri optimo pontifici: vt dicatur imperii regna, prouincias accepisse: quibus renunciare solent, qui clerici fieri volunt.

Pauca possedit Syluester, pauca & cæteri summi pontifices, quorum aspectus etiam apud hostes erat sacrosanctus: velut illius Leonis, qui trucem Barbari Regis animum terruit, ac fregit: quem Romanæ vires nec frangere, nec terrere potuerant. Recentes verò summi Pontifices, id est, diuitiis ac deliciis affluentes, id videntur laborare, vt quantum prisci fuerunt sapientes & sancti, tantum ipsi & impii sint, & stulti, & illorum egregias laudes omnibus probris vincant. Hæc quis Christiani nominis queat æquo animo ferre?

Verùm ego in hac primâ nostrâ oratione nolo exhortari Principes ac populos, vt Papam effrenato cursu volitantem inhibeant, eumq; intra suos fines consistere compellant: sed tantùm admoneant, qui forsitan iam edoctus veritatem, sua sponte ab aliena domo in suam, & ab insanis fluctibus sæuisq; tempestatibus in portum se recipiet: sin recuset, tunc ad alteram orationem multò truculentiorem accingemur. Vtinam, vtinam aliquando videam, (nec enim mihi quicquam est longius, quàm hoc videre) & præsertim meo consilio effectum, vt Papa tantùm vicarius Christi sit, & non etiam Cæsaris. Nec ampliùs horrenda vox audiatur: Partes contra Ecclesiam, Ecclesia contra Perusinos pugnat, contra Bononienses. Non contra Christianos pugnat Ecclesia, sed Papa: illa pugnat contra spiritualia in cœlestibus. Tunc Papa & dicetur & erit pater sanctus, pater omnium, pater Ecclesiæ: nec bella inter Christianos excitabit: sed ab aliis excitata censura Apostolica & Papali maiestate sedabit. Imp. Sigismundo V.S. PP. 2 1 2. Io. 2 3.

Idem lib. 3. Historiarum. Ferdinandus Arragonum Rex cum Alberto 1. Imp. & Benedicto XI. Pontifice prope Perpinianum congressurus, à Papâ per nuncios petit, quem ad locum, diemque libeat in colloquium vtrumque conuenire? Responso accepto, Moreliam (id nomen est loco) Imp. anticipato die prior venit, quasi officii gratia Papam excepturus. Enimuerò modestioris animi habetur, præstolari nos eum, qui par, maiorúe sit nobis, quàm velle vt ille nos præstoletur. Id Papa iniquo sanè animo tulit, interpretatus, se tanquam ad superiorem videri venisse, cùm Rex ad Papam, vt inferior venire debuisset: nec excusationem vel officii, vel ignorantiæ voluit accipere.

Reinhardus.

1413. FVturam Ecclesiæ persecutionem sub regibus Romano & Gallico, frater Reinhardus præcognouit in suis reuelationibus, scribens: Lupus terræ occidentalis aquilam eiiciet. Tunc pulli mœrebit, & sui proprii pellem eius dilacerabunt, sedensque nudus quærens adiutorium, parùm inueniet. Aquila à virgine fugata, id est, ab Italis spreta, Lilium excitabit, volabit ad Meridiem recuperando amissa. Hæc ex glossa super Methodio, quæ vlteriùs dicit: Ista futura tribulatio assimilatur præteritæ tribulationi, quæ fuit tempore Machabæorum, quia omnia in figuris contingebant illis ad nostram correptionem. Sicut ergò per regem Antiochum templum in Hierusalem fuit profanatum, & sacerdotium turbatum, deinde iterum templum restitutum, ac populus Dei liberatus, sic à simili per dictum tyrannum Ecclesia, & clerus, ob sua, & populi peccata turbabitur. Qui quidem tyrannus nequam Papam intrudet in Ecclesiam, cuius tandem status vnà cum Christianâ republica per quendam bonum principem reformabitur, sectaque Mahumetica destruetur. Imp. Sigism. PP. Ioanne 23. vt suprà.

Ex reuelatione eiusdem fratris Reinhardi.

SIcut antè incarnationem Christi, tempore Iulii & Octauiani, omnia regna mundi deuicta sunt: ita omnes gentes quæ confligunt, vt sunt Ismaëlitici & Saraceni, tandem consumentur à Romano Imperio, sed priùs purgato & castigato clero, & profanata Ecclesia Romana, & cessante summo sacerdotio ad tempus, propter peccata & populi & cleri. Hoc est, purgabitur Ecclesia Romana à sordibus suis ante destructionem Turciæ & terræ Saracenorum.

Episcopus Nazarëus & Conradus Archiepiscopus Pragensis.

1413. HI ambo, ille Hæreticorum inquisitor, hic Hussi Episcopus, testimonium dixerunt, eum non fuisse Hæreticum: & Sigismundus Imperator se propter eius iniustissimam cædem Bohemis purgauit. Imp. & PP. vt suprà.

Benedictus 13. Antipapa.

1414. HIc fertur à nonnullis primus Eucharistiam ante se gestasse ad sui custodiam. Genebrardus in Chron. Imp. & Papa vt suprà.

Ioannes Huss Bohemus, Martyr.

1414. SCripsit libros singulares de anatomia totius Antichristi, hoc est, de omnibus membris, capite, fronte, naso, ore, dentibus, barba, collo, &c. Item de mysteriis iniquitatis, reuelatione, regno, populo, vita & moribus Antichristi, id est, Papæ, meretricis Babylonicæ: ad quæ Lectorem remitto. Inueniet certè depictum cum suis coloribus. Imp. 113. Sigismundo. PP. 212. Ioanne 23.

Ex libro operum eiusdem.

REuerendissimi & fidelissimi Doctores, & Magistri in Theologiâ Parisiis ista dudum antè præuiderunt, prædixerunt, & limpidè præscripserunt in duobus libris dignissimè & à Spiritu sancto compilatis, quos si quis cupiat habere, facilè ipsos poterit in Ecclesia Iesu reperire. Sicut namq; hi viri doctissimi & probissimi illius vniuersitatis gloriosissimæ, in qua est multitudo sapientum, descripserunt, & præuiderunt ante annos 136. futura, sic in nouissimis temporibus iam ad oculum hodie visa sunt omnia esse adimpleta, & adhuc adimpleri.

Ex epistolis eiusdem.

HOc ipsum & vobis opto, & hortor vos in Christo Iesu, cum omnibus vestris commensalibus, vt sitis parati ad prælium. Quia primò inceperunt Antichristi præludia, ad quæ primò consequetur pugna. Et oportet, quòd auca alas moueat contra alas Behemoth, & contra caudam, quæ semper cooperit abominationem bestiæ Antichristi.

Ex ope-

Ex operibus eiusdem Ioan. Hussii.

CVm pro iudicio staret Hieronymus Pragensis Constantii in concilio, & audisset iam certissime mortis sententiam: iterum inter cætera dixit ad iudices & Pontifices: Vobis certum est, me inique & malignè à vobis condemnari, nulla noxa etiamnum adinuenta: Ego verò post mortem meam & fata vestris conscientiis infigam & relinquam remorsum & stimulum, & clauum in cordibus vestris: ac appello, & cito vos omnes ad celsissimum, simul & æquissimum iudicem Deum omnipotentem: vt coram eo centum annis reuolutis respondeatis mihi.

Idem Huss in responsi. ad scriptum octo Doctorum cap. 16. Remigius in homilia illius Euangelii: intrauit Iesus Hierosolymam, conformiter sic loquitur: Attendant istud sacerdotes Ecclesiæ, & caueant, ne domum Dei in speluncam latronum vertant. Latro enim est, qui lucra de religione sectatur, & ex cultu sanctitatis studet occasionibus negotiationis. Proinde metuendum est illis, ne, sicut illi de templo materiali eiecti sunt, ita isti de templo spirituali eiiciantur. Quotidie enim Dominus domum patris sui, sanctam scilicet Ecclesiam intrat, & occupatos turpibus lucris eiicit, atq; vnius criminis reos habet vendentes, & ementes. Vendentes enim sunt, qui sacros ordines ad præmium largiuntur: ementes verò, qui pro iustitia pecuniam tribuunt, & dato pretio patronis, emunt peccatum.

Notandum, quòd dicitur, mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Quid enim per mensas nummulariorum, nisi altaria intelliguntur, quæ per auaritiam malorum sacerdotum mensæ efficiuntur nummulariorum? Quid verò per cathedras vendentium columbas, nisi magistralis dignitas accipitur? quæ & ipsa dum ad lucra deflexerit, ad nihilum redigitur. Quid verò per columbas, nisi Spiritus sanctus innuitur, qui super Deum baptisatum in columbæ specie apparuit? Qui autem sunt qui columbas vendunt, nisi hi, qui Spiritum sanctum per manus impositionem ad præmium tribuunt? Sed Dominus cathedras vendentium columbas euertit: quia talium sacerdotum precium destruit. Quicunq; enim Episcopus gratiam Spiritus sancti vendiderit, etiamsi in conspectu hominum pontificali stolà fulgere videatur, iam ante Dei oculos sacerdotio priuatus est. Hinc & sacri canones simoniacam hæresin anathematisant: & sacerdotio priuari præcipiunt eos, qui pro impensa gratia spirituali precium quærunt. Hæc Remigius.

Idem in tractatulo de omni sanguine Christi glorificato. Ad tantum, heu, creuit auarorum sacerdotum malitia, quòd compertum est, multos Antic' isti nuncios cruorem suum pro Christi sanguine diabolicè in hostia procurasse, & illum à stultis, imò Christianis infidelibus, signa infideliter quærentibus, venerari.

Ibidem. Veri autem Christi discipuli non sic temporibus Antichristi, dicente beato Isidoro in de summo bono libro 1. capite 25. antequàm Antichristus appareat, virtutes ab Ecclesia & signa cessabunt, quatenus eam, quasi abiectiorem persequatur audaciùs. Ob hanc vtilitatem cessabunt sub Antichristo miracula & virtutes, vt per hoc sanctorum pateat patientia, & reproborum, qui scandalisantur, leuitas ostendatur, & persequentium audacia ferocior efficiatur. Hæc Isidorus. Et beatus Gregorius 24. Mor. dicit: Terribili quippe dispositionis occultæ examine, priusquàm Leuiatan iste in illo damnato homine (quem assumet) appareat, à sancta Ecclesia virtutum signa subtrahentur.

Idem de ablatione bonorum temporalium à Clericis, num. 35. Si omnia illa bona, quibus dotatur nostra Ecclesia, immediatè, & directè pertinent ad Papam, sic quòd Rex non habeat interesse de possessionibus iis, vel personis, cùm plus, quàm quarta pars Regni sit deuoluta ad manū mortuam, sequitur, quòd Rex noster non sit Rex totius Bohemiæ, cùm plus quàm quarta pars pro clericis in manu mortua sit decisa. Imò cùm quotidie possessiones accrescant clero, & decrescant Baronibus, militibus, & aliis secularibus, potest euenire de facili, quòd tota possessio ad Clericos regni Bohemiæ deuoluatur, sicut in Rheno contigit.

Idem in responsione ad scriptum octo Doctorum c. 1. Bonifacius 9. meis temporibus annum Iubilæum in Ecclesia VVyssegradensi per Bullas statuerat, sub isto pacto: quòd homo volens habere absolutionem à pœna & à culpa, sub conscientia sua diceret: quantum per se, vel cum familia, eundo vel equitando Romam consumeret & redeundo, & tantum ex iniunctione confessoris ad thesaurum Roma. Pont. reponeret.

Idem in anatomià Antichristi c. 44. Dicit Lyra Dan. 8. Regnum Antichristi quodammodo pertinet ad Regnum Romanum, de quo orietur: non obstante vulgari rumore, quo dicitur, in Babylone debere nasci. Quia Babylon est Roma, dicente Petro Apostolo 1. canonica 5. cap. salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, id est, in Romam illata, & inferenda. Nec tunc temporis, scilicet Apostolorum, habitabat vir in Babylone, nec quis vltrà habitabit, quia Dominus eam subuertit in desertum: vt prædicitur Isaiæ 14. & sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorram, & vicinas eius ciuitates, vt prædixerat Ierem. 50.

Ibidem c. 9. In Petro præcelluerunt multæ præclarissimæ virtutes fidei, humilitas, charitas, patientia, & aliæ permultæ. Igitur si iam dictis virtutum viis incedit vocatus Petri Vicarius, credimus, quòd sit verus eius Vicarius, & præcipuus Pontifex Ecclesiæ, quam regit: si verò vadit viis contrariis, tunc est Antichristi nuncius, contrarius Petro, & Domino Iesu Christo.

Vnde beatus Bernardus lib. 4. ad Eugenium ita scribit: Inter hæc tu pastor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate. Oues quid capiunt? si auderem dicere, Dæmonum magis, quàm

ouium pascua hæc sunt. Non sic factitabat Petrus, non sic Paulus ludebat. Et sequitur: Pastorem te
populo aut nega aut exhibe. Non negabis, ne,cuius sedem tenes, te neges hæredem: Petrus hic est,
qui nescitur processisse vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, vel vectus equo albo, nec
stipatus milite, nec circumstrepentibus ministris: absq; his tamen credidit, satis posse se implere sa-
lutare mandatum: si amas me, pasce oues meas. In his successisti non Petro, sed Constantino. Hæc
Bernhardus.

Nouit iste sanctus, quòd Eugenius Papa debuit esse Vicarius in paupertate & humilitate, non
in fastu sed in pastu ouium sequens Petrum.

Cui Saluator commendans in cœna nouissima institutionem Sacramenti venerabilis, & di-
scipulos constituens vicarios ad hoc, vt sic facerent in suam commemorationem, dixit Ioan. 13.
Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego faci vobis, & vos similiter faciatis. Et Matth. 11.
Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Vnde quoad hoc dicit beatus
Hieronymus ad Heliodorum, & ponitur in Decret. dist. 40. Non est facile in loco Petri & Pauli:
sanctorum tenere cathedram regnantiũ cum Christo, quia huic dicitur: Non sanctorum filii sunt,
qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

Et beatus Gregorius idem dicit: Non loca vel ordines creatori nostro nos proximos faci-
unt, sed nos aut bona merita coniungunt, aut mala disiungunt.

Item Chrysostomus: Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes, multi nomine & pauci in ope-
re. Videte ergò, quomodo super cathedram sedebitis: quia non cathedra facit sacerdotem, sed sa-
cerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus
sed omnis sanctus est sacerdos. Qui benè sederit super cathedram, honorem facit cathedræ: qui ma-
lè sederit, iniuriam facit cathedræ. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non
dignitatem. Hæc ille.

Item ibidem ex gestis Bonifacii martyris dicitur sic: Si Papa suæ & fraternæ salutis negli-
gens, reprehendetur inutilis atque remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quòd
magis officit sibi & ouibus, nihilominùs innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo
mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos, huius tamen culpæ eum re-
darguere, præsumat mortalium nullus.

Nec est necessarium multos sanctos allegare, cùm dicat summus Pontifex sanctus sancto-
rum Ioannis 10. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones. Et Matthæi 5. dicit discipu-
lis: Vos estis sal terræ, quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mitta-
tur foràs, & conculcetur ab hominibus. Et Lucæ 14. dicit: Bonum est sal, si autem euanuerit, in
quo condietur? neque in terram, neque in sterquilinium vtile est, sed foràs mittetur. Et volens
istam sententiam piissimus Saluator, & magister optimus mentibus hominum imprimere, statim
adiecit: Qui habet aures audiendi, audiat. Videat ergò quilibet sacerdos, si benè intrauit mun-
dus existens à crimine, cum sincera intentione ad honorem Dei, & ad profectum Ecclesiæ, & si con-
uersatur dignè, mundanos honores, & lucrum seculi parui pendens: aliter enim est mendax, Anti-
christus, & quantò in altiori officio, tantò maior Antichristus. Videat viator humilis Christum,
qui dicit Ioannis 14. Ego sum via, veritas, & vita. Ecce habet viam qui vult ire, quia Christus est
via: quò vult ire, Christus est veritas: & vbi vult manere, Christus est vita.

Idem de sacerdotum, & monachorum carnalium abominatione capite 28. O damnabile
caput de septem capitibus, quod occisum in principio Ecclesiæ fueras, quomodo plaga mortis tua
est sanata? Auariciam loquor clericorum, & sacerdotum in Dei Ecclesia, quæ in Iuda fuit suspensa
in Anania Saphiraque subita morte percussa: in Simone iniquo publicè condemnata, & anathe-
matizata: quàm nimis in altum iterum in Dei populo es ædificata, & nimiùm profecisti? Væ au-
tem bestiæ, quæ ascendit de terra, habens cornua duo, id est, potestatem dispensandi temporalia
& spiritualia: similia cornibus agni, id est, quasi essent ad protegendam Dei Ecclesiam, & guber-
nandum ex charitate: quæ tamen alia sunt, & fiunt ex terrena ambitione, & cupiditate. Quæ po-
testates aliàs per duos gladios, quos Dominus Iesus dixit sufficere in sua familia, sunt intellectæ: in
Zachariæ Prophetia per duas virgas, vnam, quæ vocata est à Domino decus, & hæc est potestas su-
per temporalia: & secundam, quæ vocata est Funiculus: quæ est authoritas spiritualis, vel potestas
Ecclesiæ in spiritualibus.

Et nota bene. Iam ambæ virgæ sunt præcisæ, secundum primam prophetiam: Priùs præcidit
Dominus decorem, id est, abbreuiauit, vel restrinxit potestatem in temporalibus: & tunc pax fuit
ablata de terrâ: quòd tunc fuit sonus quando strages, & bella inter Christianos Principes, atque
inobedientia multiplicari inceperunt: quod incepit maximè post annos incarnationis Domini Ie-
su Christi 1290. vel propè post solutionem Satanæ, qui fuit quondam ligatus.

Secunda virga, (puta Funiculus) præcisa fuit à Domino postea. Primùm tunc, quando Græ-
ci propter dotationem Papæ à Romana Ecclesia recesserunt. Dehinc ampliùs, quando etiam Fran-
ci cum aliis partium Occidentalium gentibus à Romano Pontifice recesserunt: & tunc completa est
discessio, quam beatus Paulus venire ante diem iudicii designauit, & ipsum Antichristum filium
perditionis enodauit.

Ibidem. Si Christus talia à sacerdotibus passus est, qui omnes languores verbo, idque sine pe-
cunia & sumtibus curauit, dæmonia eiecit, mortuos suscitauit, legem Dei eos docuit, in vlla re ne-
mini nocuit, neque peccatum fecit, nisi hoc tantum, quòd eorum malitiam detexit: quid mira-

mur

mur, si hodie Antichristi ministri, qui sunt magis auari, luxuriosi, crudeles & astuti, quàm Pharisæi, seruos Dei persequuntur, contumeliâ afficiunt, illis maledicunt, eos excommunicant, incarcerant, & occidunt?

Idem de Ecclesia c. 14. Et quia Vicarius debet vicem gerere superioris, à quo accepit vicariam potestatem, ergò oportet, quòd immediatiùs illi, cuius vicem gerit, in operibus conformetur. Nam aliàs potestas in eo frustraretur. Tunc ex illo formatur argumentum: illius est homo verus Vicarius, cuius vicem gerit, & à quo procuratoriam potestatem legitimè accipit: sed nemo verè gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cùm nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter, nisi sub illa conditione à Deo recipiat procuratoriam potestatem: igitur ad id officium vicarium requiritur & morum conformitas, & instituentis authoritas. Si ergò Papa est homo humilimus, mundanos honores, & lucrum seculi parui pendens: si est pastor trahens à pastu verbi Dei nomen, (de quo pastu Petro dixit Dominus: Pasce oues meas Ioan. 21.) si pascit oues verbo, & virtutum exemplo, factus forma gregis ex animo (vt docet Petrus 1. Petri 5.) si est mitis, patiens, castus, & in ministerio Ecclesiæ laborans anxie, & solicitè, arbitrans omnia mundi temporalia vt stercora, tunc sine dubio est verus Vicarius Iesu Christi, manifestus Deo, & hominibus, quantum ad iudicium extremum sensuale. Si autem viuit istis virtutibus contrariè, cùm non sit Christi communicatio ad Belial, 2. Corinth. 6. & qui non est mecum, contra me est, ait Christus Matth. 12. quomodo est verus, & manifestus Christi, & Petri Vicarius? & non magis Antichristi Vicarius, obuians Christo in moribus, & in vita? Vnde Christus Petrum, dum fuit sibi in voluntate, & verbis contrarius, Matth. 16. post promissionem dationis clauium vocauit Satanam, hoc est, aduersantem, dicens: vade post me Satana, scandalum mihi es: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Si ergò Petrus, primus Christi Vicarius ab ipso electus, & Ecclesiæ spiritualiter deputatus, vocatus est à Christo Satanas, qui ex affectu dilectionis dissuadebat ei, mortis subire supplicia, cur alius in vitâ Christo ampliùs contrarius, non diceretur verè Satanas? & per consequens Antichristus, vel eius Vicarius, vel minister præcipuus Antichristi?

Idem de vnitate Ecclesiæ. Idolum illud meretricium Romæ Clemens sextus Papa, nimis potestatem suam laxauerat, mandans in suâ Bullâ angelis Paradisi, quòd animam peregrinantis Romam pro indulgentiis, & decedentis, à purgatorio absolutam ad gaudia perpetua introducant. Iste enim volebat, quòd ad mandatum eius genua angelorum cœlestium flecterentur. Et cùm adiecit: Nolumus, quòd pœna inferni sibi aliquatenus infligatur: & sic ibi imperauit, quòd potestas vel genu infernorum ad mandatum ipsius flecteretur. Non sic præsumserunt Apostoli. Nam Ioannes non mandare, sed adorare voluit ante pedes Angeli. Vnde Apocalypseos vltimo ait: Ego Ioannes recidi, vt adorarem pedes angeli, & dixit mihi: vide, ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum, qui seruant verba prophetiæ libri huius: Deum adora. Ecce magnus ille Apostolus, & propheta dilectus Dei, qui sine dubio excessit modernos papas, & præsertim Clementem mandantem angelis, non mandare voluit aliquid Angelo, sed cadens voluit ante pedes adorare: & sanctus Angelus prohibuit, ostendens ei, quòd debet adorare Deum.

Idem. Perdent enim temporalia: sed det Deus, vt conseruent animas suas.

Idem in epistola 13. sui carceris, in fine. Spero in Deum, quòd mittet post me magis strenuos, ac nunc sunt: qui meliùs patefacient malitiam Antichristi, & exponent animas suas ad mortem propter veritatem Domini nostri Iesu Christi, qui & vobis & mihi daturus est gaudium vitæ æternæ.

Idem in epist. 29. in carcere scriptâ. O sancte Deus, quàm latè potentiam, & crudelitatem extendit Antichristus? Sed spero, quòd abbreuiabitur potentia sua, & ampliùs denudabitur iniquitas eius infideli populo.

Idem in epistola 46. in carcere scripta. Illa vita Christi per plures prædicatores meliores me, meliùs depingetur, gaudente populo, qui diligit vitam Christi: de quo ego gaudebo, vt dicit Doctoralis, euigilando, id est, resurgendo à mortuis.

Idem in epist. 48. in carcere scripta. Spero, quòd, quæ dixi sub tecto, prædicabuntur super tecta.

Idem de regno, vitâ, & moribus Antichristi capite 15. in pr. Corona superbiæ ebriorum conculcanda sunt magistratus templi carnalium virorum in Ecclesiâ, qui de suis titulis & in se, non autem in Iesu crucifixo gloriantur, veluti est, esse dominum Canonicum, dominum Decanum, Archidiaconum, & multa huiusmodi, quæ sunt nimis hodie per vanam gloriam fermentata, & ambitionem. Intimo omni homini talium, quòd, nisi redeant ad formam Euangelii, fiantq; humiliores, quantò maiores videntur in omnibus, jamjam instat tempus, quòd non tantùm non sunt idonei, mysterium Antichristi intelligere, & altitudinem Satanæ: sed etiam sine morâ à Satanâ per suas subtiles factiones capientur.

Idem in respons. ad scripta M. Stanislai cap 5. in fine. Constat enim Christi fidelibus, quòd maximi errores, & maximæ scissiones propter illud caput in Ecclesia sunt exorta, & vsq; hodie augmentantur. Donec enim illud caput non fuit institutum à Cæsare, creuit continuè in virtutibus Ecclesia: sed post constitutionem illius capitis multiplicata sunt mala, superbia, ambitio, auaritia, & simonia, & schismata, & contentiones: nec cessabunt, donec illud caput cum suo corpore ad Apostolorum regulam sit reductum.

Eiusdem defensio quorundam articulorum Ioannis VVikleff.

IDem lib. 16. super illo verbo: Quis arguet coram eo viam eius, & quæ fecit, quis reddet illi? dicit: beatus Iob, dum de omnium malorum corpore loqueretur, subitò ad omnium iniquorum caput se conuertit. Vidit enim, quòd in fine mundi, Satan hominem ingrediens, quem sacra scriptura Antichristum appellat, tanta elatione extollitur, tanta virtute principatur, tantis signis & prodigiis in sanctitatis ostensione se eleuat, vt argui ab homine eius facta non valeant, quia cum potestate terroris adiunguntur etiam signa ostendendæ sanctitatis. Et ait: Quis arguet coram eo vias eius: quis videlicet hominum illum increpare audeat, cuius visum ferre pertimescit? sed tamen eius viam non solùm Elias & Enoch, qui in eius exprobratione ad medium deducuntur, sed etiam omnes electi arguunt, dum contemnunt, dum virtute mentis eius maliciæ resistunt. Sed quia hoc ex diuina gratia & non suis viribus faciunt, rectè nunc dicitur: Quis arguet coram eo vias eius: quis etenim nisi Deus, cuius adiutorio qui electi sunt, vt resistere valeant, fulciuntur?

Idem in respons. ad scriptum octo Doctorum cap. 16. Nam vsque ad dotationem Romani Pontificis, quæ cœpit anno Domini 310. nullus Romanus Episcopus bellum instaurauit, vel in sui protectionem populum concitauit, sed patienter vel exilium, vel martyrium est perpessus. Postquàm autem dotatio, & secularis dominatio Romano Pontifici accessit, pugna, pompa, auaritia hæresis, & lis cum inuidia sequebantur, & pax, humilitas, paupertas, fides, concordia, & charitatiua dilectio, & prædicatio Euangelica in Romano Pontifice, etsi non in quolibet, decreuerunt: & martyrium, vt dicunt Chronicantes, de pòst in Romanis Pontificibus est extinctum. Si ergo dominatiua secularis possessio cum concupiscentia, est causa bellorum, & litium in Papis: tunc ablata illa, quoque bella & lites in ipsis tollerentur: nam oppositorum sunt causæ opposita, quibus positis, ponuntur effectus, & ablatis auferuntur.

Idem in Anatomia Antichristi cap. 42. Ideò istud principum est catholicè amplectendum: quòd nullus viator est aptior Romano Pontifice, vt sit Vicarius principalis Sathanæ, & præcipuus Antichristus. Patet ex hoc, quòd ipse potest faciliter fraudare Ecclesiam in hypocrisi, & omni mendacio. Item ipse potest plùs seipsum vltrà Christum extollere: & talis iuxta scripturæ testimonium est pronior, vt sit maximus Antichristus. Nam rex super omnes filios superbiæ, & pater mandacii, aptauit sibi talem vicarium, qui falsò potestatem, & dignitatem pompando prætendit, vt indulgentiis & aliis cautelis simplicem plebem decipiat, & magistro suo in peccato similior, profundus ruat. Item plus potest pecuniarum simoniacè cumulare, & sic complices de secta Magog, pro defendendo suo facinore, latiùs & diuturnius, sceleratiusque aggregare. Sed hæc omnia testantur conditiones maximas Antichristi.

Epistola LIV. Nobilium Morauiæ, pro defensione Ioannis Huss, ad concilium Constantiense.

1415.

REuerendissimis in Christo patribus & d. d. Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ambasiatoribus, Doctoribus & Magistris, ac toti concilio Constantiensi, Nos infrà & circumcircà scripti Nobiles, Milites, Militares & armigeri præclarissimi Marchionatus Morauiæ, affectum omnis boni, & obseruantiam Iesu Christi Domini mandatorum. Sane, quia iure naturali & diuino quilibet iubetur alii facere, quod sibi vult fieri: & prohibetur alii inferre, quod sibi non vult fieri, dicente Saluatore: Omnia quæcunque vultis, quòd faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: hoc enim est Lex & Prophetæ: imò Lex in vno sermone completur: Diliges proximum tuum sicut teipsum: Nos itaque præfatæ legi diuinæ & dilectioni proximi, quantum possumus, Deo autore, intendentes, pro charissimo nostro, bonæ memoriæ, venerando Magistro Ioanne Huss, sacræ Theologiæ Baccalaureo formato, prædicatore Euangelico (quem nuper in concilio Constantiensi, nescimus quo spiritu ducti, non confessum, nec legitimè, vt decet, conuictum, nullisque contra eum deductis & ostensis erroribus seu hæresibus, sed ad sinistras, falsas, & importunas duntaxat suorum, & regni nostri ac Marchionatus Morauiæ capitalium inimicorum, & proditorum accusationes, delationes, & instigationes, tanquam hæreticum pertinacem condemnastis, & condemnatum dirâ & turpissimâ morte affecistis, in nostri regni Bohemiæ Christianissimi, & Marchionatus Morauiæ clarissimi, ac omnium nostrûm perpetuam infamiam, & notam: &, vt fertur, in nostrum dedecus & contemtum ignis voragini tradidistis) sicuti primùm serenissimo Principi & domino, domino Sigismundo Romanorum & Hungariæ Regi, hæredi & domino nostro successuro, scripta nostra ad Constantiam transmisimus, quæ etiam in congregationibus vestris lecta sunt & publicata, & quæ hìc pro insertis habere volumus: ita & nunc P. V. pro dicto Magistro Ioanne Huss literas nostras patentes præsentibus duximus destinandas, publicè corde & ore profitentes & protestantes, quòd ipse Magister Ioannes Huss fuit vir vtique bonus, iustus & catholicus, à multis annis in regno nostro vita & moribus, ac fama laudabiliter conuersatus & comprobatus, legem etiam Euangelicam, & sanctorum prophetarum

Noniq; & Veteris Testamenti libros iuxta expositionem sanctorum doctorum, & ab Ecclesia approbatorum, nos & subditos nostros catholice docuit, prædicauit, & in scriptis multa reliquit, omnes errores & hæreses constantissimè detestando, & ad detestandum easdem, nos & cunctos Christi fideles continuè & fideliter admonendo.

Ad pacem quoque & charitatem, quantum sibi fuit possibile, verbo, scriptis, & opere iugiter exhortando, ita, quòd nunquam audiuimus, nec intelligere potuimus, etiam omni diligentia apposita, quòd præfatus Magister Ioannes Huss quenquam errorem vel hæresin in suis sermonibus docuisset, prædicasset, vel quouis modo asseruisset, seu nos vel subditos nostros verbo vel facto quoquo modo scandalizasset: quin imò piè & mansuetè in Christo viuens, omnes ad seruandam legem Euangelicam, & sanctorum patrum instituta, prædicatione sanctæ matris Ecclesiæ, & salute proximorum, quanto potuit verbo & opere, diligentissimè hortabatur.

Nec præmissa omnia in confusionem nostram, & regni nostri, & Marchionatus perpetrata vobis sufficerunt, quin potiùs & honorandum Hieronymum de Praga virum certissimæ eloquentiæ fonte manantem, Magistrum septem artium liberalium, & Philosophum vtique illustrem, non visum, non auditum, non confessum, non conuictum, sed ad solùm suorum & nostrorum proditorum delationem sinistram, sine omni misericordia comprehensum, incarcerastis, & iam fortè, sicut Magistrum Ioannem Huss, crudelissima morte interemistis.

Præterea ad nostram (quod nimis dolenter referimus) peruenit audientiam, & ex scriptis vestris collegimus euidenter, quomodo quidam detrectatores, Deo & hominibus odibiles, & nostri regni Bohemiæ, & Marchionatus Morauiæ æmuli & proditores coram vobis & concilio vestro. nos & regnum nostrũ, ac Marchionatum grauissimè & nequissimè detulerunt, asserentes, licet falsè, mendosè & proditoriè, quòd in præfatis regno Bohemiæ, & Marchionatu Morauiæ, diuersi errores pullularunt, & corda nostra, & multorum fidelium terrigenarum multipliciter & grauiter infecerunt, adeò, quòd, nisi lima correctionis celeriter apponeretur, prædictum regnum & Marchionatus, cum suis Christi fidelibus reciperent animarum suarum irrecuperabile damnum & ruinam.

Equidem has atroces & perniciosas iniurias, nullis nostris exigentibus demeritis, nobis & præfatis regno & Marchionatui licet falsè & mendosè impositas, quomodo sustinere possumus? cùm per gratiam Dei, aliis ferè omnibus mundi regnis sæpè vacillantibus, schismata & antipapas facientibus, regnum nostrum Bohemiæ Christianissimum, & clarissimus Marchionatus Morauiæ, à tempore, quo fidem Catholicam Domini nostri Iesu Christi susceperunt, tanquam perfectissimus tetragonus, sine vituperio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, semper constanter & indesinenter adhæserunt, & obedientiam sinceram adhibuerunt: quantisque impensis ac laboribus maximis, quantóue sacro cultu & reuerentia debita sanctam matrem Ecclesiam, & ipsius pastores per principes & fideles suos venerati sint, vniuerso orbi luce meridiana clariùs patet: & vos ipsi, si veritatem fateri vultis, vniuersorum præmissorum testes estis.

Vt autem, iuxta sententiam Apostoli, prouideamus bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus: & ne propter negligentiam celeberrimæ famæ prædictorum regni & Marchionatus nostrorum, crudeles erga proximos nostros reperiamur: ideò habentes in Christo Iesu Domino nostro firmam spem, puram & synceram conscientiam & intentionem, ac certam orthodoxamque fidem, tenore præsentium V. P. & vniuersis Christi fidelibus innotescimus, insinuamus, corde & ore publicè profitentes: Quòd quicunque hominum, cuiuscunque status vel præeminentiæ vel dignitatis, conditionis, gradus, vel religionis extiterit, dixit vel asseruit, dicit vel asserit, quòd in præfatis regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ errores & hæreses pullulassent, & nos ac alios Christi fideles ipsorum, vt præmittitur, infecissent (sola persona serenissimi principis & domini nostri Sigismundi, Romanorum & Hungariæ, &c. regis, hæredis & dominii nostri successoris, semota: quem in præmisis credimus & speramus innoxium) omnis & quilibet talis, vt præfertur, rectè mentitur in caput suum, tanquam nequam pessimus, traditor & proditor prædictorum regni & Marchionatus ac noster perfidissimus, & solus vtique hæreticus perniciosissimus, omnisque malitiæ & nequitiæ, imò & diaboli filius, qui mendax est & pater eius.

Nihilominùs tamen præmissas iniurias Domino, cuius est vindicta, & qui abundanter retribuit facientibus superbiam, nunc committentes hoc, apud futurum Apostolicum, quem Dominus Deus suæ Ecclesiæ sanctæ præfecerit, vnicum & indubitatum pastorem, ampliùs & latiùs prosequemur, ei, Deo volente, tanquam fideles filii, in his quæ sunt licita & honesta, rationi & legi diuinæ consona, reuerentiam & obedientiam debitam exhibentes. Petemus & postulabimus etiam super præmisis omnibus & singulis, iuxta legem Domini nostri Iesu Christi, & sanctorum patrum instituta, nobis & præfatis regno & Marchionatui prouideri de remedio opportuno.

Præmissis enim non obstantibus, legem Domini nostri Iesu Christi, ipsiusque deuotos, humiles, & constantes prædicatores, vsq; ad effusionem sanguinis, omni timore, statutis humanis in contrarium editis, posttergatis, defendere volumus & tueri. Datum Sterneberg, anno Domini 1415. die & festo sancti VVenceslai martyris Domini nostri Iesu Christi.

A dictis

A dictis literis in circuitu pendebant sigilla 54. cum adscriptione nominum eorum, quorum sigilla fuêre, tametsi ob vetustatem obliterata legi non potuerint.

Primum sigillum appendit Alsso Kabat de Vuyskowitz.

2. *Vlricus de Lhota.*
3. *Joannes de Kzymicz.*
4. *Iosko de Sczitowicz.*
5. *Pærdus Zuuiranouuicz.*
6. *Ioannes de Ziuula.*
7. *Joannes de Reychenberg.*
8. *Vuldko Skitzynye.*
9. *Drliko de Biela.*
10. *Kus de Doloplatz.*
11. *Joannes de Simusin.*
12. *Dobessius de Tyssa.*
13. *Drazko de Hradeck.*
14. *Stephanus de Hmodorkat.*
15. *Ioannes Dern de Gabonecz.*
16. *Barso dictus Hloder de Zeinicz.*
17. *Joannes Hmrsdorfar.*
18. *Psateska de Vuikleck.*
19. *Petrus Mg de Sczitouuicz.*
20. *N. Studenika.*
21. *N. Brischell.*
22. *N. de Cromassona.*
23. *Arannsick Donant de Polonia.*
24. *Joannes Donant de Polonia.*
25. *Joannes de Cziczouu.*
26. *VVenceslaus de N.*
27. *N. de N. deest sigillum.*
28. *N.*
29. *Josseck de N.*
30. *Heinricus de N.*
31. *VVaczlals Kuckh.*

Is Husso alter comes fuit, qui cum Constantiam deduxerunt cum aliquot equitibus.

32. *Heinricus de Zrenanouuicz.*
33. *Bartzko de Conuald.*

34. Pe-

34. *Petrus dictus Nieniczk de Zaltoroldeck.*
35 *Czenko de Moßnouu.*
36. *N.*
37. *Zibilutz de Kleczam.*
38. *Ioannes de Petersuuald.*
39. *Parsifal de Namyescz.*
40. *Zodoni de Zuuyetzick.*
41. *Raczeck Zauuskalp.*
42. *Jon de Tossauuicz.*
43. *Diuua de Spißnia.*
44. *Steffko de Draczduu.*
45. *Ießko de Draczduu.*
46. *Odich de Hlud.*
47. *Vuosfart de Paulouuicz.*
48. *Pirebbor de Triczenicz.*
49. *Rynad de Ticzeuuicz.*
50. *Bohunko de Varatisdouu.*
51. *Vlricus de Racdauu.*
52. *Deslauu de Nakli.*
53. *Bonesb de Frabenicz.*
54. *Eybl de Roissouuan.*

Imp. Sigismundo. PP. Ioanne 23.

Eo anno, quo Ioannes Huss in concilio Constantiensi crematus fuit, adeò magna & notabilis Eclipsis solis apparuit, vt alites cœli subitâ caligine deterritæ in terram deciderint, & sidera non secus quàm nocte colluxerint.

Ioannis Hussi Natalem 6. die Iulii Bohemi perinde atque sancti cuiusdam martyris veneranda solennitate celebrant. Miechouius.

Ioannes de Gerson Gallus, Cancellarius Academiæ Parisiensis. 1415.

SCribens de statu Ecclesiæ clamat: Quid vtilitatis Ecclesiæ confert tam magnifica principum gloria, tam superflua cardinalium pompa? Quæ vtique abominatio, quòd vnus ducenta, alter trecenta beneficia ecclesiastica occupat? Cultus inde diuinus diminuitur, Ecclesiæ dilabuntur atq; bonis doctisq; viris priuantur, monasteria & hospitalia depauperantur, Christi fidelibus mala exempla præbētur. Ob talē enim causam tum Romæ, cùm alibi multa loca quondā religiosa, hodie deserta iacent: & quod miserabilius est, in monasteriis ac beneficiis per Cardinales, aut aulicos occupatis nil Deo seruitur, nec populo proficitur: sed omnis illic diuinus labitur cultus, indigentiumque profectus, adeò quòd eorundem locorum professis miserè exulantibus, administratio rerum Ecclesiasticarū committitur laicis, quibus nulla prorsus est cura, quomodo ibi viuatur, qualis disciplina aut regula obseruetur: quomodo diuinum officium persoluatur, dummodò suo domino commendatori vel potiùs comestori pensio pinguis cedat. De eiuscemodi Ecclesiarum commendatoribus propheta dicit: quasi fauces virorum latronum principes sacerdotum, in via interficientiū pergentes de Sichem, quia scelus operati sunt. Item, in domo Israël vidi horrendum, & fornicationes Ephraim. Ecce nouimus afflictionem in qua sumus, quia Hierusalem est deserta, & eius portæ igni consumtæ. Nam regnantibus impiis ruinæ hominum, &c.

Scripsit hic Gerson inter alia etiam de auferibilitate Papę ab Ecclesia: de defectibus virorum Ecclesiasticorum: de signis ruinæ Ecclesiæ: de negligentia Prælatorum: remedia contra adulatores. Imp. & PP. V.S.

Idem de imitatione Christi, & de contemtu vanitatum mundi, l. 1. c. 17. Habitus, & tonsura modicùm conferunt: sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum verum faciunt religiosum. Qui aliud quærit, quàm purè Deum, & animæ salutem, non inueniet, nisi tribulationem & dolorem. Non potest etiam diu stare pacificus, qui non nititur esse minimus & omnibus subiectus. Ad seruiendum venisti, non ad regendum. Ad patiendum & laborandum scias te vocatum, non ad ociandum vel fabulandum. Hîc ergò probantur homines sicut aurum in fornace. Hic nemo potest stare, nisi ex toto corde se voluerit propter Deum humiliare.

Inter alia nonnulla eiusdem dicta, sequentes etiam sententiæ leguntur:

Quòd generale concilium vniuersam Ecclesiæ vim habeat.

Quòd conciliorum intermissio sit extrema pernicies Ecclesiæ.

Quòd vnumquodque generale concilium, etiam inconsulto Pontifice, conuocari queat.

Quòd in conciliorum constitutionibus, non Papa, verùm ipsum concilium sit, quod sententiam ferat.

Quòd bestia sit, quicunque concilium impedire velit.

Quòd concilium cogere possit Papam, vt à proposito suo, si quidem alicuius momenti rationes adsint, abstineat.

Idem in apologetico suo sub finem inquit: video, quòd Ecclesiæ reformatio nunquam ampliùs per concilium fieri possit, nisi ipsius concilii præses ita sit animatus, vt curam Ecclesiæ vnicè gerat, sitque constans, summaque prudentiâ præditus. Et in hoc operam dent prouinciarum & imperiorum ordines, vt quàm minimum, ac potest, constitutionum, & decretorũ in conciliis statuatur. Hoc enim ad res in dubium vocandas potiùs, quàm moderatè gerendas, pertinere videtur. Sed in eo neruos intendant, vt quod antè piè constitutum est, strictè obseruetur: quod verò superuacaneum est, omninò præcidatur. Video enim, ita comparatum esse hodie cum fidei pariter, atque morum doctrinâ, vt quid planè statuamus in hac rerum omnium acerbitate non habeamus. Experto crede, neque vlteriorem huius comprobationem postula: nec tu de medicinâ ægrotis adhibendâ apud surdos, & stupidos planè homines narrato: cùm & sapiens dicat, non in vanum apud hosce loquendum esse. Habes apud te ampliorem librum de Theologicâ consolatione. Tecum habita, & Deo gratias age, qui te ab eiusmodi curis immunem esse voluit: & pro aliis, qui in ea occupatione versantur, ora commiserans, lugens, atque gemens.

Hic idem postquàm in sermone coram proceribus regni Galliæ habito, dixisset, latronem, qui verisimiliter nondum compleuerat pœnitentiam pro omnibus peccatis suis, beatificatum fuisse in Paradyso ipsa hora mortis, propter hoc, inquit, apparet falsitas doctrinæ Papæ Ioannis 22. quæ damnata fuit cum sono buccinarum, vel tubarum coram Rege Philippo auunculo tuo, per Theologos Parisienses, & credidit potiùs Theologis Parisiensibus, quàm Curiæ.

Idem lib. 4. cap. 18. Cauendum est tibi à curiosa, & inutili perscrutatione huius profundissimi Sacramenti, si non vis in dubitationis profundum demergi. Qui scrutator est maiestatum, opprimetur à gloriâ. Plus valet Deus operari, quàm homo intelligere potest.

Et paulò pòst. Fides à te exigitur, & sincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei. Si non intelligis, nec capis quæ infra te sunt, quomodo comprehendes ea, quæ supra te sunt.

Et rursus. Noli curare, noli disputare cum cogitationibus, nec ad immissas à diabolo dubitationes responde: sed crede verbis Dei: crede sanctis eius, & prophetis, & fugiet à te nequã inimicus.

Et denuò. Perge ergò cum simplici & indubitata fide, & cum simplici reuerentia ad sacramentum accede. Quicquid intelligere non vales, Deo omnipotenti securè committe. Non fallit te Deus: fallitur qui sibi nimiùm credit. Graditur Deus cum simplicibus, reuelat se humilibus, dat intellectum paruulis, aperit sensum puris mentibus, & abscondit gratiam curiosis, & superbis. Ratio humana debilis est, & falli potest: fides autem vera falli non potest.

De reformatione Romanæ ecclesiæ Tractatus longè optimus, editus à Reuerendiss. patre, Petro de Alliaco Cardinale Cameracense: & oblatus, teste Trithemio, Concilio Constantiensi.

Quisquis es, Lector candidiss. qui hæc lecturus es, animum aduerte, & inuenies, non consultorem modò optimum, sed & vatem hunc fuisse.

De reformatione Ecclesiæ plura dudum per me scripta, nunc compendiosiùs recolligere, & sacri generalis Concilii Constant. examini, atque correctioni præsentare decreui: quæ Ecclesiæ reformatio quàm necessaria olim fuerit, & ampliùs sit modò, euidenter ostendit deflenda ipsius deformatio, de qua lamentabiliter conquerebatur beatus Bernardus sermone 33. super Cant. ca.

Idcirco hîc aliquas considerationes particulares scribere, & prudentum examinationi proponere dignum duxi: nec omnes quidem, quia ad hoc & maiori libro, & maiori ingenio opus esset: ad omnes autem aliàs via poterit faciliùs aperiri.

Prima autem consideratio est de reformandis circa corpus Ecclesiæ.
Secunda de reformandis circa eius caput, scilicet circa statum Papæ & Romanæ curiæ.
Tertia de reformatione principalium Ecclesiæ partium, scilicet prælatorum.
Quarta de reformatione circa religionem & religiosos.
Quinta de reformatione circa cæteros Ecclesiasticos.
Sexta de reformatione laicorum Christianorum.

Prima consideratio est de his, quæ videntur reformanda circa totum corpus vniuersalis Ecclesiæ, vbi primò occurrit, expediens esse & necessarium, quòd sæpius, quàm hactenus sit factum, generalia concilia celebrentur, & propter plures congruentias videretur conuenientius.

Item videretur expediens, quòd etiam sæpius celebrarentur concilia prouincialia: quia, vt patet 18. dist. decretum sancti patres propter Ecclesiæ vtilitatem primò statuerunt, ea bis in anno celebrari: postea verò propter fatigationem opportunè finierunt, omni excusatione remotâ, modis omnibus semel in anno fieri, & deprauata corrigi.

Vnde & Episcopi, qui ad synodum venire contemnunt, & Principes qui hæc prohibent vel impediunt, vel metropolitani, qui ex irrationabili causa hoc agere negligunt, canonicis pœnis subiacent: & hæc probantur in dicta di. c. quoniam per totam. & in multis canonibus conciliorum: vt in ij. tertij Carthaginen. & in 6. c. Toletani, & in tertio quarti Toletani, vbi sic legitur: Nulla penè res disciplinæ mores ab Ecclesiâ Christi magis expellit, quàm negligentia sacerdotum, qui contemtis canonibus, ad corrigendos mores ecclesiasticos, synodos facere negligunt.

Et certè hodie docet experientia, quot & quanta mala ex huiusmodi negligentiâ proueniant: & ideo necesse est prouidere, vt huiusmodi concilia sæpius fiant: & si non in anno iuxta rigorem canonum, saltem de termino in terminum, ad euitandum vexationes itinerum, laborum, & expensarum, & quia omne rarum pretiosum.

Et si dicatur, quòd hodie non est opus generalia concilia congregare, sicut fuit in primitiuâ Ecclesiâ, & quòd ad tollendum vexationes prælatorum in huiusmodi concilijs, Romana Ecclesia seu papalis curia potest sufficienter casibus occurrentibus prouidere: respondetur, quòd hoc non est vtique verum.

Nam primò experientia docet, quòd propter defectum conciliorum, maximè generalium totius Ecclesiæ (quæ possunt sola audacter, & intrepidè omnes corrigere) ea mala, quæ vniuersalem tangunt Ecclesiam, diu remanserunt impunita, atque incorrecta, & adeò creuerunt inueterata, quòd tandem multa & iniusta & iniqua, sub prætextu fictæ & corruptæ consuetudinis, licita reputantur.

Item multi suspicantur, quòd hæc dissimulauerit Romana curia, & super ijs concilia fieri neglexerit, vt possit ad suæ voluntatis libitum pleniùs dominari, & iura aliarum Ecclesiarum liberiùs vsurpare: quod non assero esse verũ. Sed tamẽ quia huiusmodi laborat infamia, deberet ad eam purgandam super congregatione conciliorum generalium, & prouincialium prouidere, alioqui iuxta dictum Augustini, quia famam suam negligit, crudelis est.

Item illa sanctissima Romana curia, scilicet Petri & Pauli Apostolorum, licet potuisset sine congregatione concilij per epistolas, vel aliàs negotia faciliter terminare: tamen legitur, quatuor concilia celebrasse, sicut patet Actuum primo, 6. 15. & 21. capitulis. Vnde per hoc exemplum instructionis, de sæpe congregandis concilijs, suis in posterum reliquerunt. Nam sicut Christi, sic & Apostolorum suorum actio nostra est instructio, iuxta illud Apostoli: imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

Item 15. dist. c. canones. dicit Isidorus: quia ad tempus Constantini non erat Episcopis licentia conueniendi in vnum, scilicet publicè per modos concilij generalis, ideo Christianitas in diuersas hæreses scissa est. Et ita dicere possumus modò, quòd propter defectum celebrationis conciliorum Ecclesia in diuersa schismata, & alia innumerabilia mala, fortè etiam ad hæreses disponentia, proh dolor, lapsa est, sicut experientia docet.

Item si concilia sæpius celebrata fuissent, verisimile est, quòd hoc nefandum schisma non tam diu perdurasset, nec schisma Græcorum. Vnde huiusmodi schismatibus decuisset citò per concilium generale prouideri.

In primitiuâ Ecclesiâ docuerunt Apostoli, Actuum 6. quòd, quia ortum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, &c. statim duodecim ipsum conuocatâ multitudine sedauerunt. Dicitur Actuum 15. orta dissensione propter obseruationem legalium, statim Paulus & Barnabas ascenderunt ad Apostolos in Ierusalem. Vnde patet, quàm damnabiliter peccauerunt hi, seu principes seu prælati, qui pro sedatione huius schismatis conuocationem concilij neglexerunt, aut impediuerunt.

Item aliqui sunt casus ardui necessariò reformandi, quibus non potest commodiùs quàm per generale concilium prouideri, sicut patet primò de reformatione Romanæ curiæ, quæ, vt infrà dicetur, necessaria est, & tamen non nisi per generale concilium fieri potest. Et ideo non debet Rom. curia indignari seu respuere, à generali concilio reformari, sicut nec contemsit, à generali concilio plures sui principatus honores recipere. Quia licet principaliter Romana Ecclesia principatum habuit à Domino, tamen secundariò à concilio: vt glo. 17. dist. super c. concilia.

Item reformatio totius corporis ecclesiæ, & particularis ecclesiæ Rom. est de arduis pertinentibus ad fidem. Nam eius generalis deformatio non mediocriter fidem tangit, & per consequens eius quoque reformatio. Ideo in hoc non debet Papa, aut eius curia deliberationem generalis concilij respuere: quia sicut dicit glo. 19. dist. super c. Anastasius. Papa tenetur requirere concilium Episcoporum, vbi agitur de fide: quod non solùm intelligo de articulis fidei, sed de arduis tangentibus vniuersum statum fidelis Ecclesiæ: quod notauit Archidiaconus 15. dist. c. sicut. vbi dictam glossam approbans addit, quòd nimis periculosum esset, fidem nostram committere arbitrio vnius hominis. Et idcirco Papa in casibus nouis, & arduis ad deliberationem concilij recurrere consueuit.

Item secundò. Sunt arduissimi casus, fidem & fideles omnes mirabiliter & miserabiliter concernentes, quibus esset per generale concilium necessariò prouidendum. Vnus est de modo prouidendi contra Saracenos, & alios infideles, fidem & Christianitatem impugnantes, & nunc multò periculosiùs, quàm à multis retroactis temporibus fecerunt, contra Ecclesiam catholicam insurgentes: quibus si non celeriter obuietur, timendum est, ne Constantinopolitanum Imperium iam ab eis multipliciter laceratum, & vexatum, penitus destruant, ac deinde Romanum Imperium iam diuisum, & quasi ad ruinam præparatum inuadant, & sic Ecclesiam destruant iam schismate laceratam, vt sic via præparetur aduentui Antichristi, de quo prædixit Apostolus: Nisi venerit discessio primùm, &c. quod exponit glossa de duplici discessione, seu diuisione, vnâ ab imperio, aliâ ab Ecclesiâ Romanâ, quæ præuenire debent Antichristum: & vtramque iam principaliter imminere, multi deuoti fideles non immeritò pertimescunt.

Alius casus est de modo prouidendi circa Græcos, vt ad vnitatem Ecclesiæ Romanæ reducantur: quod nunc maximè, & opportunè posse fieri videtur, dum eorum Imperator inter Latinos degens, à Romanâ Ecclesiâ, & dominis temporalibus, & à Francorum rege contra infideles cogitur auxilium, & subsidium postulare. De vijs autem circa dictos casus seruandis scripserunt plures fidei zelatores, & specialiter frater Humbertus de Romanis, Magister Quintus ordinis Prædicatorum Tractatum vtilem composuit, vt super his prouideretur in concilio Lugdunensi sub Gregorio Papa 10. celebrando.

Secunda consideratio est de his, quæ reformanda videntur circa caput corporis Ecclesiæ, id est circa statum Papæ, & suæ Romanæ curiæ. Et primò tollendus esset ille detestabilis abusus, à quo præsens schisma originem traxit, scilicet quòd vna natio, siue regnum aliquando vltra, aliquando citra montes, in scandalum residuæ Christianitatis, ita diu papatum tenuit, vt posset dicere, hæreditate possideamus sanctuarium Dei: quod quàm detestabile sit, ostendit ille qui ait, in veritate comperi, quòd non sit personarum acceptor Deus, &c.

Ita pro dictâ prouisione esset statuendum, quòd de cætero maior pars Cardinalium non posset assumi de vno regno, siue de vnâ natione, sicut quandoque hactenus factum est in magnum scandalum plurimorum: sed quòd de diuersis regnis, & prouincijs indistinctè, iuxta personarum merita assumantur: quia sicut apud Deum, ita & apud Dei ministros non debet esse personarum acceptio.

Et videretur sufficere, quòd de vnâ prouinciâ solùm esset vnus Cardinalis, vt sic in eorum prouisione & multiplicatione tolleretur, vel saltem restringeretur & arctaretur Cardinalis affectio promouentis: & vt per assumtos de diuersis prouincijs, diuersitas morum & statuum eorundem Romanæ Ecclesiæ innotesceret, ad vtilitatem & salutarem prouisionem incolarum. Ita, quòd vna causa præsentis schismatis fuit, quòd Cardinales nimis tardauerunt declarare, & fideles sufficienter informare, quòd primam electionem fecissent vi, aut metu.

Ideo ad tollendum, quod aliàs similis scandali non detur occasio, expediens videretur, arctare aliquod tempus, infra quod talis exceptio metus deberet allegari: & vltra quod nec illa, nec alia exceptio contra Papæ electionem posset per Cardinales opponi.

Et esset etiam per concilium declarandum, quis de huiusmodi causâ metus haberet cognoscere: quia Io. An. super Cle. de electi. quærit, quis de huiusmodi causâ metus cognoscere haberet, si allegaretur contra electionem Papæ: & respondens dicit, quòd ista nondum decisa, nec prouisa, egebunt prouisione.

Item necessaria erit reformatio, & prouisio circa grauamina, quæ Romana Ecclesia infert alijs inferioribus ecclesijs, & prælatis, & maximè in tribus: de quibus conqueritur præallegatus frater Humbertus in dicto Tractatu suo, parte 2. cap. 11. vbi dicit: quòd causa dispositiua schismatis Græcorum inter alias vna fuit propter grauamina Romanæ Ecclesiæ, in exactionibus, excommunicationibus, & statutis.

De primo grauamine, & contra hanc multitudinem & magnitudinem actionum prouidendum esset tripliciter: Primò per diminutionem pomposorum statuum, & excessiuarum, vt sic Romana Ecclesia minùs esset onerosa. Similiter vt & Ecclesia alijs esset exemplum humilitatis, & forma virtutis, instar Christi, cuius ipsa vicariatum, & à quo primatus honorem tenet, qui ait: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Secundò, per diminutionem, & arctationem huiusmodi exactionum, sic scilicet, quòd summa certa rationabilis determinaretur, & limitaretur pro moderato statu Papæ, & Cardinalium, subiectis ecclesijs imponenda, & per diœceses proportionabiliter distribuenda, & à diœcesanis recolligenda, & in certis terminis soluenda Romanæ curiæ: vltra quam summam noua exactio non posset imponi, sine autoritate, & consensu generalis concilij. Tertiò per diminutionem numeri Cardinalium, ita quòd non

esset

esset tantus, nec tam onerosus numerus ipsorum, sicut hactenus fuit, ne Romanæ curiæ dici possit: Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam.

Item circa statum Cardinalium, & aliorum Ecclesiasticorum prouidendum esset, quòd deinceps non tenerent illam monstrosam, & multipliciter scandalosam beneficiorum multitudinem: de quo abusu antiqui sapientes conquesti sunt: sicut Guilielmus Episcopus Parisiensis in speciali Tractatu, quem de hoc composuit: & Cantor Parisien. in verbo abbreuiato: & autor de virtutibus & vitijs: Ego de signis auaritiæ Ecclesiasticorum,&c. Quorum rationes expediret diligenter examinare, & pro serenatione conscientiarum, quid super hac re tenendum sit, declarare.

De secundo grauamine suprà tacto, scilicet de multiplicatione excommunicationum, & ex consequenti irregularitatum, quas Ro. Ecclesia in suis constitutionibus pœnalibus, & maximè in quibusdam nouis decretalibus imposuit, & per suos collectores in multorum scandalum fulminauit, & ad cuius exemplum alij Prælati leuiter, & pro leuibus causis, vt pro debitis, vel pro huiusmodi, pauperes excommunicatione crudeliter feriunt, necesse est prouidere, cùm hoc sit contra iura: vt xi. q. c. Nullus sacerdotum. & c. Nemo episcoporum,&c. cum suis concordantijs.

Nam gladius ecclesiæ, scilicet excommunicatio, quæ in primitiuâ ecclesiâ venerandâ raritate formidabilis erat, nunc per abusum contrariū contemtibilis effecta est, sicut ostendit doctor subtilis Ioan. Scotus super quarto Sententiarum di. 18. qui tamen contemtus periculosus est: quia excommunicatio maior, Anathema dicitur. Anathema autem est æternæ mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet imponi crimine, & illis, qui aliter non potuerunt corrigi: vt habetur xi. q. c. Nemo contemnat. cui concordat glo. ex. de ver. signi. ex parte.

De tertio grauamine Rom. Ecclesiæ, quod imponit alijs in onerosâ multitudine statutorum, canonum, & decretaliū, & maximè illorum, quæ videntur ad graues pœnas, & præcipuè ad mortales culpas obligare, & eadem ratione de similibus statutis, aut constitutionibus synodalibus prælatorum, prouidendum erat de rationabili alleuiatione huiusmodi oneris, ne de Prælatis verificetur, quod de Pharisæis, & sacerdotibus synagogæ à Christo improperando dictum est: Imponunt onera grauia, & importabilia in humeros hominum, digito autem nolunt ea mouere.

Item super quibusdam alijs grauationib. per Rom. ecclesiā alijs prælatis, & ecclesijs superinductis adhibenda erit prouisio, scilicet super collationibus beneficiorum, & electionibus dignitatum: similiter super exemtionum concessionibus, quas Rom. Ecclesia pluribus religionum abbatibus,& conuentibus, ac capitulis in præiudicium prælatorum concessit: de quibus iam olim plures deuoti ecclesiæ zelatores conquesti sunt, sicut B. Bernar. in libro ad Eugenium Papam, & alij. Similiter de pluribus alijs honoribus, & reuerentijs & præeminentijs, quos quidam officiarij Rom. curiæ super alios prælatos vsurpauerunt, ac multis eorum particularibus excessibus, de quibus longum esset per singula discurrere, perutilis, & necessaria erit prouisio.

Hic autem præter dicta dudum quandam opinionem recitaui, quam nuper in Tractatu de Ecclesiasticâ potestate, tanquam erroneam reprobandam esse, declaraui: videlicet quorundam detractorum Rom. ecclesiæ, qui in eius odium, prætextu quorundam abusuum, statum Cardinalium quasi inutilem vel damnosum, nec ab Apostolis vel concilijs institutum, & sine causâ rationabili vsurpatum, tanquam onerosum ecclesiæ extirpandum esse, dixerunt: sicut olim de statu Chorepiscoporum factum esse legitur. 69. di. c. Chorepiscopi.

Hunc errorem in hac synodo Constant. quodammodo aliqui resuscitare præsumserunt: qui vtinam attenderent iuxta doctrinam Christi, priùs trabem de oculo suo eijcere, quàm festucam de oculo fratris, imò patrum suorum: vtinam attenderent statum episcoporum, & aliorum prælatorum, cæterorumque ecclesiasticorum,& etiam laicorum, innumeris abusibus & vitijs deformatum: nec tamen ideo huiusmodi status dissipandus esset, atque perdendus, quoniam in multis offendimus omnes, sed vitium, & abusus corrigi debet, non status destrui, vel debitis in rebus defraudari: sicut boni medici officium est ab infirmo morbum tollere, & non infirmum destruere.

Vtinam denique considerarent, qualiter domini Cardinales pro reformatione Rom. Ecclesiæ, ac status ipsorum se effectualiter paratiores obtulerunt, quàm quicunque alij cuiuscunque status, imò plura membra ecclesiæ hic suæ reformationi restiterunt, cùm tamen reformationem capitis importunè peterent.

Quia ergo Romana Ecclesia in capite, & in membris suis se cum ratione temperare studuit, iustum est, quòd subditæ ecclesiæ eidem, suoque regimini rationabiliter obtemperare & subesse debeant, iuxta verbum Senecæ: multos reges fronte rexit.

Tertia consideratio erit de reformatione ecclesiæ circa partes eius principales, scilicet maiores Prælatos. Vnde prouidendum, quòd tales eligantur, qui non sint iuuenes, moribus incompositi, aut indigni, aut carnales, spiritualium ignari, sed graues ætate & moribus, eminentes spirituali scientiâ, & doctrinâ, qui in suis non sint rebus strenui, & in ecclesiasticis remissi, nec propria magis quàm communia iura procurent, qui angarias, & impositiones, vel huiusmodi grauamina subiectis non imponant, qui per singulos annos parochias suas cum fructuoso affectu visitent, potentes, & tyrannos populi offensores arguant, & corripiant, qui diuinis scripturis studeant, & non scientijs practicis, & litigiosis totaliter inhæreant, qui verbis, aut ludis ioculatorum, aut mimorum, aut publicis spectaculis, vel superfluis conuiuijs non delectentur, sed moderato habitu, & temperato victu contenti, etiam in mensâ lectioni diuinarum scripturarum intendant, & vt breuiter dicam, in omni-

Anno

bus tales sint, vt cæteris sint fidelibus in exemplum, sicut & esse tenentur, cùm illis in officio suc-
cedant, quibus à Christo dictum est: **Vos estis lux mundi, & vos estis sal terræ,** & multa si-
mil a.

Item vt tales ad prælaturas assumerentur, & non indigni, aut in sufficientes, prouidendum
esset, quòd electiones prælatorum non faciliter, aut leuiter quoque, sed cum diligenti, & graui exa-
minatione confirmarentur, etiam si nullùs se opponeret. Quia non sufficit bono patrifamiliâs con-
stituenti custodem thesauri sui, quòd nihil mali de illo sibi opponatur, nisi etiam ipse, alijs tacenti-
bus, de eius habilitate diligenter inquirat.

Item quia stultum esset, patremfamiliâs thesaurarium facere sine thesauro: sic similiter, facere
episcopum sine subiecto populo, sicut sæpe fecit Romana abusio, in contemtum status episcopalis,
de quibusdam solùm titularibus episcopis, mendicantibus, & gyrouagis.

Item quia mali prælati raro de suis excessibus corriguntur, quia non citò, etiam contra noto-
riè malos profertur sententia, sed per multos annos differtur, & sæpius eorum punitio totaliter ne-
gligitur, idcirco absque timore mala perpetrant, & plerique eorum suspensionem, excommunica-
tionem, irregularitatem, & alias iuris pœnas contemnunt: ideo prouidendum erit, vt circa talia vi-
sitatio, & inquisitio fiat, vt talium vita, & fama in prouincialibus concilijs, vel si opus sit, quandoq;
in generali concilio summo Pontifici referantur, & ad eorum depositionem, seu aliam condignam
correctionem procedatur.

Et licet hodie concilium non deponat, vel restituat Episcopos, sed solus Papa, vt ii. q vi. c.
Ideo. & sicut notat glossa xi. q 3. c. Episcopus. vbi tamen innocens depositus restituebatur in secun-
da synodo: fortè nunc expediret, ad antiquum morem huius capituli reuerti, vt à generali synodo
damnarentur, vel absoluerentur episcopi, vel saltem quòd hoc fieret in præsentiâ synodi, vt vel sic
magis cessarent inordinatæ affectiones, quæ solent in talibus iustam sententiam impedire.

Item si non placet seruare illum antiquum rigorem Carthaginensis concilij 4. vt Episcopus vi-
lem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem fide, o-
pere, & vitæ meritis quærat, saltem placeat moderari, quòd excessiua pompa prælatorum in vestibus,
ornamentis, familiaribus, equis, conuiuijs, & ferculis, ad congruam temperantiam restringatur.
Et quòd expensæ in talibus superfluæ, sicut fieri debet, pauperum necessitatibus applicentur.

Item tollatur monstrosus ille abusus, quo quidam prælatorum, armis spiritualibus depositis,
arma corporalia assumunt, in campis pugnantes sicut principes seculares, & sæpe cum oppressione
pauperum, & crudeli effusione sanguinis, cùm Dauid ab ædificatione templi, quia vir sanguinum
erat, fuerit prohibitus.

Item, si non placet seruare illum iuris rigorem, quòd non liceat Episcopis à suâ Ecclesiâ pl. tri-
bus hebdomadis abesse, saltem prouideatur, quòd sine speciali licentiâ & rationabili causâ ecclesi-
as suas in præiudicium animarum non deserant, sicut hodie multi prælati, &, quod monstruosius
est, religiosi, & monachi, qui plùs sunt officiales fisci quàm Christi, in curijs principum, & in cathe-
dris iudiciorum, in cameris computorum, & alijs actibus secularibus militantes, contra statuta ca-
nonum, vt xi. q. 1. c. Te quidem. cum suis similibus.

Item prouidendum erit, quòd prælati in suis synodis, & eorum officiales in suis curijs non ad
repletionem bursarum intendant, sed ad correctionem vitiorum, emendationem morum, & ædifi-
cationem animarum: & quòd exactiones pro sigillis & literis moderentur: & pœnæ pecuniariæ
vel tollantur, vel moderentur, aut in totum, vel partem ad pios vsus notoriè applicentur. Et quòd
pœna excommunicationis non leuiter, vt suprà tactum est, feratur. Et quòd litium prolixitates,
quæ spoliant pauperes, & multos de suæ iusticiæ prosecutione desperare faciunt, modis congruis re-
scindantur, & quorundam aduocatorum, & procuratorum insolentia intolerabilis reprimatur.

Item si, obstante consuetudine, non placet seruare illam rigorosam regulam contra simoniam
iure humano impositam, vt nihil pro ordinatione, vel pro pallio detur, vel accipiatur, vt habetur
ep. quinto epistolæ beati Gregorij Papæ, & multa alia, quæ scribuntur in antiquis iuribus, saltem
super his esset aliqua moderatio adhibenda, & pro conscientiarum sedatione, & multitudine er-
rantium piè condescendendo, aliqua declinatio facienda: iuxta illud Nicolai Papæ, qui præsidens
synodo Constant. Quia inquit, hoc vsque adeò verenda simoniaca pernities hactenus impleuit, vt
vix aut nullatenus aliqua etiam possit aut valeat ecclesia reperiri, quæ hoc morbo non sit aliquâ ex
parte, imò maximè corrupta: & tanta talium multitudo est, necesse est vt, dum rigorem canonici
iuris super eas seruare non possumus, dispensatoriè ad piæ condescensionis studium animos nostros
ad præsens inclinemus, & simoniacos consecratos in acceptatis ordinibus manere permittamus:
hoc enim temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit. Textus est ab illo.

Hîc ergo similiter etiam eadem, vel maiori ratione permissio, & condescensio facienda esset,
super pluribus alijs iuribus, & constitutionibus, quæ communiter in scandalum plurimorum con-
seruantur: vt verbi gratia:

Quòd nihil omninò liceat dare, vel accipere in distributione graduum, ordinum, administra-
tione sacramentorum, vel sepulturarum, aut huiusmodi spiritualium, vel spiritualibus annexorum.

Quòd scilicet non liceat, quemcunq; Episcopum, vel Clericum die Dominico absentem esse ser-
uitiorum solennium.

Quòd

Quòd clerici ad matutinum, & vespertinum officium venire teneantur.

Quòd non liceat clericis ante tertiam horam prandere.

Quòd nullus sacerdotum à quinquagesimâ vsque ad pascha carnes comedat.

Quòd sacerdotes Aduentum ieiunent: & sic de multis similibus, de quibus videretur expediens, declarare, quòd non essent præcepta, sed consilia. Et similiter de obseruantiâ ieiunij quadragesimalis, quantum ad aliquas personas, & quoad aliquas circumstantias, esset moderatio adhibenda.

Item, quia prælatis de diuino cultu specialis cura esse debet, circa huiusmodi reformationem quæ necessaria est, prouidendum esset.

Et quòd in diuini officij seruitio non tam onerosa prolixitas, quàm deuota, & integra breuitas seruaretur.

Quòd in Ecclesijs non tam magna imaginum & picturarum varietas multiplicaretur.

Quòd non tot noua festa solennisarentur.

Quòd non tot noui sancti canonisarentur.

Quòd præterquàm dominicis, & in maioribus festis ab ecclesia institutis, liceret operari post auditum officium, tum quia in festis sæpe multiplicantur peccata in tabernis, in choreis, & alijs lasciuijs, quas docet ociositas, cùm quia dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad vitæ necessaria procuranda.

Et quòd in huiusmodi festis scripturæ apocryphæ, aut hymni noui, vel orationes, seu aliæ voluntariæ nouitates non legerentur, omissis antiquis & authenticis, & iam in Ecclesiâ consuetis.

Et quòd generaliter omnis nouitas & varietas, ac vsuum diuersitas in horis, & alijs diuinis seruitijs, quantum fieri posset, vitaretur, iuxta decretum Toletani concilij vndecimi, de quo xii. di. c. De his.

Et multa alia vtilia essent per prælatorum diligentiam prouidenda, per quæ singula discurrere longum esset.

Quarta consideratio est de his, quæ reformanda essent circa statum religiosorum. Et primò videtur, quòd tanta religiosorum numerositas, & varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum, & ad contrarietatem & repugnantiam obseruationum, & sæpe ad singularitatem ac superbiam, & ad vanam extollentiam vnius status super alium.

Et maximè videtur necessarium, quòd diminuerentur religiones ordinum mendicantium: quia tot sunt & in numero conuentuum, & in numero suppositorum, quòd eorum status est onerosus hominibus, damnosus leprosarijs, & hospitalibus, ac alijs verè pauperibus, & miserabilibus indigentibus, quibus competit ius, & verus titulus mendicandi, ipsis quoq; curatis parochialibus: &, si bene consideretur, etiam præiudiciabilis omnibus Ecclesiæ statibus: & specialiter huiusmodi religiosis intolerabilis, & eorum religiosæ professioni contrarius, & maximè in multiplicatione magistrorum bullatorũ, & sæpe indignorum, ipsis religionibus onerosorum, de quâ materiâ, & eorum varijs excessibus pauca loquar: quia sunt plures doctores, qui de hoc abundè scripserunt.

Item prouidendum esset de correctione Quæstuariorum prædicantium, siue religiosorum, siue secularium, qui suis mendacijs & immunditijs maculant Ecclesiam, & eam irridendam reddunt, & officium prædicationis maximè honorandum, iam contemtibile efficiunt. Vnde prædicatio, quæ propter sui reuerentiam ad prælatos pertinet, non esset tot, & talibus vilibus quæstuarijs, & mendicantibus permittenda.

Item cùm in Calcedonensi concilio statutum sit, vt habetur xvi. q. c. Qui veri. quòd monachi tantummodò intenti sint ieiunijs, & orationibus, in locis, vbi renunciauerunt seculo, remanentes, nec ecclesiasticis, nec secularibus negotijs, propria monasteria deserendo, insistant, prouidendum esset, ne ipsi etiam occasione studij claustra relinquerent: vel saltem moderandum, quòd solùm ratione studij Theologiæ, cùm nimis multi seculares hodie studeant in litium facultate: ipsa quoque Theologia in statu secularium paucos habeat sectatores, propter abusum Romanæ curiæ, quæ Theologos contemsit, nec non in omni ecclesiastico gradu lucratiuarum scientiarum studia præposuit, cùm tamen primitiui Theologi ecclesiam ædificauerint, quam aliqui blateratores destruxerunt, & nunc eam ad extremam ruinam deducere videntur, adeò, vt tam horrendum quorundam prouerbium sit, ad hunc statum venisse ecclesiam, vt non sit digna regi nisi per reprobos.

Item nunc maximè opus esset, ad obuiandum insultibus infidelium, quòd reformarentur religiones militares, ad seruandum fidei mores, & patrum regulas, & ad priores institutiones cogerentur.

Item circa claustra monialium, quæ iam proh dolor vltrà quàm dicere audeam, dehonestata sunt, esset correctio adhibenda. Et inter alias prouisiones videretur expediens, quòd nulla religio mulierum sustineretur, nisi haberent tales redditus, vnde possent sustentari sufficienter in suis domibus reclusæ, sine mendicitate, & discursu. Et quòd de earum ecclesijs, siue quorumcunq; religiosorũ monasterijs, vel prioratibus seu domibus, vel specialiter in moribus discretis, vel in rebus temporaliter desolatis fieret applicatio ad alia claustra, in quibus religio seruaretur, vt per talem religiosorum domorum vnionem superflua numerositas religionum restringeretur, vt residua paucitas bonorum, & deuotorum commodiùs sustentaretur.

Item in monasterijs esset inuiolabiliter obseruandum, quòd nullus nisi infirmus, vel debilis,
aut hospes comederet extra refectorium, quia experientia docet, quòd in hoc seruatur meliùs reli-
gionis obseruantia, & tenetur faciliùs.

Item, pro reserenandis conscientijs deuotorum religiosorum, summoperè cauendum est, ne eis
à principibus, aut alijs redditus sui, aut alia ad eorum sustentationem pertinentia, procurentur ex
iniustis exactionibus, aut quomodolibet ex illicitè acquisitis. Ne etiam iura prælatorum, ecclesia-
rum, sacerdotum parochialium indebitè occupent, in quibuscunque prouentibus ecclesiasticis. Ne
etiam in præiudicium ordinariorum, ab eorum subiectione iuri diuino congrua, & in Calcedonen-
si concilio sanctorum patrum decreto firmata, vt patet xvi. q. 1. c. Qui vere. per importunam hu-
manorum priuilegiorum impetrationem, & violentam exemtionem damnabiliter se subducant.
Nam secundum aliquos est mediocriter dubitandum, an tales sint in statu saluandorum: vt
patet ex deductione Cantoris Parisiensis in verbo abbreuiato, capitulo 37. vbi hæc.

Item in quibusdam religionibus deuotis, quæ regulæ beati Benedicti rigorem superaddunt in
prolixitate vigiliarum, & orationum, & in austeritate ieiuniorum, & abstinentiarum, & alijs varijs
obseruantijs afflictiuis, videtur prouidendum de discretâ moderatione, & maximè circa infirmos,
quòd Christi lege saluâ nihil eis, quod diserti medici consulerent, negaretur, siue in esu carnium, si-
ue in alijs quibuscunque commoditatibus humanæ fragilitati, & naturali indigentiæ opportunis.
Alioqui non dixisset Christus, non est opus sanis medico, si non concessisset, opus esse infirmis me-
dicorum consilio.

Quinta consideratio est inferiorum ecclesiarum, & ecclesiasticorum virorum. Et primò gene-
raliter est prouidendum, quòd in ecclesiasticis beneficijs, iuxta eorum eminentias, ponantur perso-
næ benemeritæ, vt non præferantur fatui & ignari scientificis & sapientibus, nec iuuenes senibus, nec
illis de vnâ patriâ, quorum vita & conuersatio nota est & probata, alieni extranei, & alieni in mo-
ribus, linguis, & consuetudinibus: nec potentes, aut no iles præponantur clericis probatis, & fa-
mosis doctrinâ atque moribus: nec aduocati, aut intenti scientijs lucratiuis, vel curiales, aut domi-
norum temporalium seruitores sacræ Scripturæ doctoribus, sicut à multis iam retroactis temporibus
Romana curia facere consueuit.

Et ideo est expediens, quòd ordinarij, qui in suis locis habere possunt, & debent benemerita-
rum noticiam personarum, iuxta eorum merita beneficia conferant. Vel saltem quòd eorum colla-
tio non omninò tollatur, ita tamen, quòd, vt obuietur eorum abusibus, potestas ordinaria limita-
retur, quòd non possint dignitates, & officia maiora conferre nisi Doctoribus in Theologiâ, vel in
Iuribus, quandocunque in suis vel propinquis diœcesibus essent aliqui huiusmodi. Quòd non pos-
sint etiam nisi graduatis & nobilibus, vel aliâs benemeritis conferre curas personatus, aut alia bene-
ficia valoris centum librarum, vel vltrà importantia. Et ita de multis similibus prouisionibus, per
quas & digni promouerentur, & multi nobiles & ingeniosi ad studium literarum prouocarentur, &
vniuersitates studiorum florerent: &, quod valdè operæpretium est, importunæ violentæque preces
dominorum temporaliū pro indignis cessarent, quæ hodie quàm periculosè fiant, docet experientia.

Hæc autem, quæ de graduatis dicta sunt, per modum exempli ponuntur, & moderari possunt,
& alia addi, ad prouisionem aliorum sufficientium, licet non graduatorum. Item prouidendum
esset, quòd Vniuersitates studiorum reformarentur, & per prælatos scientificos visitarentur, vt gra-
dus distribuerentur dignis, sine fauore & acceptione personarū: & cum examine in scientiâ, vt do-
ctrinæ vtiles, resecatis superfluis aut minùs vtilibus, legerentur: vt instructiones Rhetoricæ, & lingua-
rum, Græcæ & Latinæ, quarum ignorantia multipliciter Ecclesiæ est damnosa, haberentur: & vt
alijs studiosis actib. reipublicæ tam spirituali quàm temporali vtilibus, iuuenū ingenia exercerentur.

Item adhibenda esset correctio circa mores ecclesiasticorum, qui iam nimis sunt, (proh dolor)
corrupti in gulâ, luxuriâ, pompâ, prodigalitate, otio, & alijs generibus vitiorum, quod cedit in gra-
ue scandalum laicorum. Et maximè obuiandum esset illi scandalosissimæ consuetudini, seu potiùs
corruptelæ, qua plures hodie non verentur tenere publicè concubinas: & quia aduersus eos pœnæ
iuris, suspensiones, excommunicationes, & irregularitates non proficiunt, sed manent in hoc, vel
alijs inhonestatib. publicis incorrigibiles: ideo habeat locū pœna depositionis ab officio & beneficio.

Item quia archidiaconi, qui ab ecclesiâ instituti sunt vt seruiant episcopis, vt habetur origina-
liter Actuum 6. & specialiùs declarantur eorum officia 14. dist. quasi per totum, ideo prouiden-
dum erit, quòd debita officia exerceant: vel, cùm sint ecclesiæ onerosi, penitus extirpentur, vt su-
pra de Choriepiscopis dictum est.

Item quia dicit Hieronymus: Pauci sacerdotes, multi sacerdotes: pauci merito, multi nume-
ro: ideo contra hanc scandalosam multitudinem esset summoperè obuiandum per hoc, quòd non
promouerentur nisi digni, & benè morati, habentes scientiam ligandi & absoluendi, & intelligen-
tiam diuini seruitij.

Item ad obuiandum ignorantiæ sacerdotum, promotoribus, in ecclesijs cathedralibus & no-
tabilibus collegiatis, essent scribendi aliqui breues tractatus, & etiam in synodis publicandi, tam in
latino quàm in vulgari, super instructione necessaria de virtutibus & vitijs, de oraculis Fidei, de Sa-
cramentis, de modo confessionis, & huiusmodi. Et in huiusmodi ecclesijs deberet esse aliquis lector
Theologiæ, qui legeret secundum, tertium, & quartum Sententiarum: vel recipiendo vtiliores ma-
terias dictorum librorum, eas sub breuitate applicaret ad expositionem & intelligentiam Epistola-
rum & Euangeliorum, quæ in Ecclesiâ per anni circulum recitantur.

Simili-

Similiter in dictis ecclesijs, & maximè in metropolitanis, deberent esse notabiles librariæ Theologiæ, Iuris canonici, & librorum moralium: & maximè, quòd magnus liber Conciliorum generalium, qui iam rarus est, licet sit perutilis & necessarius, à metropolitanis in magnis ecclesijs procuraretur.

Item quia correctio subditorum semper per eorum appellationes impeditur, & datur peccandi audacia, esset circa eos adhibenda moderatio, ne earum nimis facili receptione & admissione inferiores prælati à metropolitanis, vel Romanæ curiæ inordinatâ executione iusticiæ, grauarentur: sicut iam dudum conquerebatur beatus Bernardus in libro de consideratione ad Eugenium Papam: qui liber in hoc & alijs multis, pro reformatione ecclesiæ, non mediocriter vtilis est, sicut & plures eius libri & epistolæ.

Sexta & vltima consideratio erit de reformandis circa statum laicorum Christianorum, & maximè principum, à quorum moribus dependet morigeratio populorum: quia, vt dicit Poëta,

Regis ad exemplar totus formabitur orbis.

Et iterum: *Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

Et ideo principes Christiani prouideant, vt titulum suæ Christianitatis, quam verbo confitentur, opere non negent, contra Christi doctrinam, & per vias ei contrarias, in conspectu populi sui, corruptis moribus incedentes.

Item quòd liberos suos in bonis moribus & literarum scientijs informari faciant.

Item vt non solùm à se, sed & à suis familiaribus & domesticis superfluam multitudinem, superbiam, vanitatem, auaritiam, & tyrannidem abijciant.

Item quòd populum sibi subiectum bonis moribus ædificare studeant: eos à luxuriâ, otio, & cunctis vitijs Deo contrarijs retrahant, & specialiter a Dei & Sanctorum blasphemiâ, quæ sæpe iuramentis perniciosis committitur, arceant.

Item quòd malas consuetudines iuri diuino vel humano contrarias in suis subiectis, per consilium Theologorum & aliorum prudentum, repellant.

Item quòd artes magicas, & alias superstitiones diuinâ Lege damnatas, & omnes errores, & hæreses fidei contrarias, diligentiùs euellant, & destruant.

Item quòd ad fidei exaltationem, diuini cultus honorem, ecclesiæ reformationi inuigilent, & ad ea, quæ superiùs & inferiùs pro huiusmodi reformatione notata sunt, & alia quæcunque vtilia, diligenter elaborent.

Item quòd zelo iusticiæ contra persecutores & oppressores Ecclesiæ, pauperum, & debilium excandescant, & eorum iniurias propulsare non tardent. Vicinis quoque & peregrinis fidem catholicæ fraternitatis obseruent.

Item contra Saracenos & alios fidei aduersarios potenter insurgant. Et vtinam, dum maximè opus est, post vnitam & reformatam ecclesiam, infidelium insultibus viriliter se opponant, & propter hoc discordias & bella, quæ iam proh dolor in Imperio, & in regnis Christianis in contumeliam Christiani nominis crudeliter sæuiunt, misericorditer compescant, & ad Christianam pacem & vnionem reducant. Alioqui infallibiliter verificabitur verbum Christi: Omne regnum in se diuisum desolabitur.

Item quòd Iudæis propter vilem quæstum non faueant, eos scilicet inter suos subditos morari permittendo, sed vel Christianis seruiendo, agros colendo, vel aliàs mechanicè laborando: & non vsuras damnabiles in damnum Christianorum exercendo.

Item quòd Iudæorum conuersorum bona non rapiant, sed ad vitæ necessitatem eis possidere permittant, ne egestate compulsi iterum apostatent, & Christianos de vitio impietatis arguant.

Item multa alia essent Principibus cum generali concilio ecclesiæ circa statum Christiani populi reformanda, quæ si impediantur, imò si ea diligenter non promoueant, timendum est eis, ne contra ipsos manus Domini, prout iam incepit, gladium sui furoris exerceat.

Item propter præmissa expedit, quòd reges & principes suos mittant ad generalia concilia, non ad separandum & confundendum, sed ad honorandum & confortandum Ecclesiam, & ad ea quæ decreta fuerint, quantum in eis est, exequendum.

Item quia, iuxta euangelicam sententiam, quam etiam experientia rerum magistra docet, inter reges gentium & principes seculi sæpe fit contentio, quis eorum videatur esse maior? quam contentionem discipulos suos vitare Christus docuit: ideo non videtur expediens, quòd de cætero in generalibus concilijs, pro deliberando ad partem super rebus gerendis, fiat diuisio per nationes, vel regna: quia talis modus diuidendi magis est secularis quàm ecclesiasticus, & ad contentiones de maioritate vel superioritate dispositiuus: sed, iuxta ecclesiasticas sanctiones & sanctorum patrum obseruantias, magis videretur esse procedendum per prouincias ecclesiastico more distinctas.

Sed quia huiusmodi prouinciæ valdè inæqualiter sunt diuisæ in diuersis mundi regionibus, ideo expediens videtur hanc moderationem obseruare: quòd ad constituendam prouinciam in concilio generali, non sufficeret minor numerus quàm duodecim notabilium personarum, quarum sex ad minus essent prælati, vel legati regum, principum, vel Vniuersitatum generalium studiorum, aut doctores in Theologiâ, & in Iure, & illorū sex ad minus duo essent episcopi, non titulares aut gyrovagi: alij verò sex in minorib. dignitatib. ecclesiasticis constituti, vel in aliqua facultate graduati.

Quando verò in aliqua prouinciâ non esset talis numerus, aut talium personarum, quòd suppleretur de alijs vicinis prouincijs, & constitueretur vna ex pluribus, quæ denominaretur ab illâ cuius essent plura, & notabiliora supposita: & quòd huiusmodi personarum electio fieret in concilijs prouincialibus, generale concilium præcedentibus.

Et ibidem ordinaretur de stipendijs, sumtibus, & expensis eorundem, per modum subsidij charitatiui, ecclesiastico more, & non seculari authoritate, vel potestate illis imponendi, & exponendi.

Item quia ecclesia non potest principes ante prædicta reformanda temporaliter cogere, expediens erit, per generale concilium ipsos ad ea monitis salutaribus exhortari, vt sic faciendo quod in se est, apud summum iudicem excusentur.

Nec solùm opus erit exhortatorijs verbis, sed etiam bonorum morum & in melius reformatorum actuum exemplis: quia plùs mouent exempla quàm verba: ideo cœpit & Iesus facere, & pòst docere. Vnde nihil est, quod tam efficaciter possit, siue ad bonum siue ad malum, principes & alios laicos inducere, sicut sancta exempla ecclesiasticorum. Ideo super illud Matth. 21. quòd intrauit Iesus in templum &c. dicit Chrysostomus: Sicut de templo omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit.

Si enim sacerdotium integrum fuerit, tota ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida est. Sicuti, cùm vides arborem pallentibus folijs, intelligis, quòd vitium habet in radice: sic, cùm videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quòd sacerdotium eius non est sanum. Et inde patet, quòd necessaria est Ecclesiarum reformatio, cùm morum suorum deformatio tam periculosa cunctis fidelibus sit populis, & tam damnosa.

Auertat autem misericors Deus ab ecclesiâ suâ hanc contumeliam, vt nos omnes, Prælati, sacerdotes, & alij Ecclesiastici huius lamentabilis deformationis reperiamur culpabiles. Sed sicut olim DEVS de filijs Israël septem millia virorum reseruauit, quorum genua non sunt curuata ante Baal, sicut legitur 3. Regum 19. sic & hodie in omni statu ecclesiæ aliquos reseruasse credendus est, qui zelo Christianæ legis accensi deformatos mores in melius reformabunt, & suis salutaribus verbis ac exemplis alios informabunt. Quod ipse præstare dignetur, qui ecclesiam suam pretioso filij sui sanguine redimere dignatus est. AMEN.

Fuit hic Cardinalis etiam vates, & Astrologus, & eo anno, quo celebratum est concilium Basileæ, prædixit: nullam futuram in Ecclesiâ pacem, sed religionis exitium, dissensionesque in eâ designari ex Ioue in primâ domo in anni figurâ, retrocedente.

Pancratius Cardinalis.

1415. Referunt historici, quòd paulò antè, quàm Ioann. Huss igne cremandus esset, Pancratius Cardinalis ibi, vbi rogus Husso extruebatur, mortuum mulum sub quisquilijs defodi curauerit: vt hac ratione, si cadauer istud inter flammas intolerabili fœtore spiraret, Hussius ita fœdè oluisse, ac proinde pessimus fuisse crederetur. Imp. Sigismundo. Papa Ioanne 23. vt sup.

Constantiense Concilium sess. 13.

1415. Licet Christus sub vtraque specie instituerit Eucharistiæ Sacramentum: tamen, HOC NON OBSTANTE, ALIVD NOS STATVIMVS.

Sed & definitum fuit in Concilio tum Constantiensi, cùm Basiliensi, vt habetur in pragmat. tit. de auth. & potest. Sacro. Concilio. Concilium esse supra Papam. Quam sententiam Sorbonici quoque doctores solenni iureiurando, in adeptione Doctoratus, semper se defensuros profitentur.

Epistola Christi ad Concilium Constantiense.

Extat in bibliotheca sancti Andreæ Brunsuigæ epistola Christi ad concilium Constantiense, secundo concilij anno scripta: cuius summa & verba hæc ferè sunt: concilium promittens reformationem Ecclesiæ, nec tamen reformans Papam & curiam, simile fit fabulæ Æsopicæ, cùm parturiunt montes, & nascitur ridiculus mus: quare reformatio à Papa alijsque summi ordinis spiritualibus inchoanda.



Nico-

Nicolaus Clemangis, Archidiaconus Baiocensis,

Doctor Theologiæ Parisiensis.



LEpidam admodum historiam narrat hic in quadam epistola prolixa, quæ iam e-ita extat, de spiritu Papisticis concilijs præsi-dente. Sed adscribam eius verba: In con-cilio, inquit, Romæ à Ioanne 23. celebrato quid acciderit, audisse te arbitror? Res enim ita peruulgata fuit, vt vix quenquam latere potuerit: quam illo tempore ex veridico com-peri authore, & qui me minimè fallere voluis-set: quam paucis, si fortè non audisti, referre volo. Conuocauerat ante quatuor fermè an-nos concilium Romæ is Papa, maxima quo-rundam impulsus instantia: cumque ante primam concilij congressionem, pro inuoca-tione Spiritus sancti, solito fuit more Missa celebrata, vbi concilium assedit, ipseque Io-annes in parata sibi cathedra sublimior præse-dit: ecce dirus ac ferialis bubo, funeris aut al-terius (vt ferunt) calamitatis semper nunci-us, è latebris suis erumpens, cum sua illa hor-rifica voce continuò aduolat, superque trabē templi mediam, oculis in Papam directo in-tuitu coniectis, astitit. Cœperunt vniuersi mi-rari, quòd nocturna auis & lucifuga, diurna luce in turbæ medium aduenisset, malumque omen ex prodigio non immeritò suspicaban-tur: En (inquiebant suppressa voce alter ad alterum) in specie bubonis Spiritus adest. Cumque cæteri, & se mutuò & Papam spe-[illegible] fixa acie oculos intenderat, rubore suffusus, [illegible] angustari, atque intra semetipsum æstuare cœpit: tandemque non inueniens, qua alia posset ratione suæ tantæ confusioni consulere, soluto concilio surgens abscessit. Secuta est deinde altera sessio, in qua rursum more simili (licet, vt credo, minimè vocatus) bubo adesse non omisit, verso semper in Pontificem contuitu: quem ille redijsse conspiciens, maiori quàm priùs verecundia me-ritò conturbatus est: nec illius vltrà ferre præualens conspectum, fustibus illum terrificisque cla-moribus abigi, præcepit. Sed ille, nec clamorum inquietudine, nec alijs tremefactus molestijs, aufu-gere voluit.

Hæc ex quodam fideli amico didici, qui illis diebus recto gradu Româ veniebat. Super quibus cùm propter rei insuetudinem hæsitare cœpissem, per me vehementissimè adiuratus, verissima se re-tulisse, confirmauit. Addebat autem, omnes qui aderant, in magnum contemtum atque irrisionem concilij ex hac re adductos; paulatimque toto dilapso concilio, nihil illic prorsus actum esse. Hæc ille. Tales spirituales columbas iam longo tempore Papis & concilijs affuisse, eosque rexisse, etiamsi non semper conspectæ sunt, facilè eorum impia dogmata euincunt. Factum anno Domini 1411. Imp. Sigismundo. Papa Ioan. 23.

Idem. Nihil ferè sine simonia fit in Ecclesiâ: pro pecunijs manus imponunt, Ecclesias conse-crant, monachos recipiunt & monachas, visitant, excommunicant, absoluunt, baptisant, chri-smant, missasque demurmurant.

Idem Clemangis in libro de corrupto Ecclesiæ statu.

CVm hesterno die sacrorum eloquiorum codicem arripuissem, &, quæ prima fuit obuia, pri-mam Petri epistolam legere cœpissem: incidi in ea verba, quibus Apostolus ait: Tempus est, vt incipiat iudicium de domo Dei. Quæ non, sicut cæteras epistolæ partes, in transcursu peruolaui, sed, lectionis impetu aliquantulum remorato, concussam horrore quodam, quasi repentè suborto, mentem in his meam hœrere coëgi, atq; in se verba illa altiùs tenaciusq; defigere. Occurrerunt illi-cò animo satis horrenti & perturbato, pressuræ ac calamitates, quas nunc Ecclesia perfert, & quibus

maiores multò (nisi falsum mens conijciat) passura est. Occurrerunt pariter & causæ tantorum malorum iustissimæ.

Nam cùm Ecclesiæ ipsius ministros (quorum dos & possessio Christus esse debet) ab omni contagione terrenæ cupiditatis excussos esse oporteat: cùm pudicos esse conueniat, & ab omni inquinamento carnisque petulantiâ alienos, qui cœlestia sacramenta, preciumque dignissimum redemtionis humanæ tractant, conficiunt, alijsq; conferunt: cùm pij esse debeant, qui pijssimum iudicem vicaria sorte repræsentant: cùm iusti qui iustissimum, humiles qui humilimum, concordes & pacifici, qui pacis atque concordiæ inter Deum & homines esse debent conciliatores ac mediatores: postremò, cùm eos deceat omni luce virtutum clarescere, qui in speculâ positi, forma & exemplar viuendi cæteris esse debent: pro his atque alijs quibus adornari deberent, virtutibus, omnium collutione vitiorum contaminati sunt.

Quid tandem mirum, si illis multa aduersa eueniunt, aut si auersus ab eis Deus ob immanitatem facinorum, dicat per verba Psal. Odiui Ecclesiam malignantium? Atque vt pauca de vitijs ipsorum, quibus ab irato Deo iurè affligi meruerunt, enumerando perstringam: primùm à cupiditate (quæ omnium fomes ac radix est malorum) initium sumamus.

Nemo est (vt opinor) qui non satis audierit & mente teneat, quantum Christi Ecclesiæ ministri, viri vtique probatâ virtute clarissimi, omniq; tempore laude meritò celebrandi terrenam opulentiam contemserint: quàm nulla cura vel labore temporalia commoda quæsierint: solis victu & vestitu abundè contenti, habentes (inquit Apostolus) alimenta & quibus tegamur, his contenti simus: quamque liberaliter rem familiarem (si aliunde vberior obuenerat) ad inediam pauperum subleuandam erogare curauerint.

Metuebant profectò deuotissimi homines, solam rerum cælestium meditationem animo gerentes, ne, si ad hæc transitoria amplectenda suum paulò latiùs affectum adiecissent: tantò animus eorum à spirituali contemplatione (cui se totos deuouerant) auocatus, minùs in DEVM ferretur, quantò esset ad inferiora curanda atque cogitanda magis inflexus: doctos insuper cœlesti magisterio DEO pariter & Mammonæ seruire non posse.

Sed diuina agente gratia, quantò magis aspernabantur temporalem substantiam aut gloriam, tantò illis abundantiùs omni ex parte affluebat, instar vmbræ, quæ sequentem fugit, at verò si fugias, semper indefessa comes insequitur.

Cernentes etenim seculares homines, tam principes quam alij locupletes, eiusmodi virorum Dei sanctam & sinceram conuersationem, ab omni terrena fece diuini amoris igne excoctam, certabant vndique illis copiosissima bona congerere, vt ab omni cura soluti, feruori possent deuotionis (absque interruptione) liberiùs incumbere: beatos se existimantes, si aliquid, quod de suis opibus in vsus istiusmodi contulissent, recipere dignarentur, & pro se suorumque expiatione peccatorum, apud diuinam clementiam intercessores fieri.

Sic multis præclaris dotibus, opibusque magnificis Ecclesia aucta & insignita est: sic fundata cœnobia, conuentus instituti, extructa capitula atque collegia: sic sedes pontificales & parochiæ exortæ: sic templa, sic basilicæ pulcherrimæ sumtib. ingentissimis & mirabili opere, ex Principum plebiumque impendio fabricatæ: sic denique omnes gradus, vniuersæque professiones hominum Ecclesiasticorum in amplissimas copias excreuerunt, quas primitiui illi patres (qui suis eas acquisierunt virtutib.) non in prophanis vsibus, (quemadmodum nunc plerique) consumserunt, sed aut in eleemosynas & hospitalitatem, cæteraque charitatis ac pietatis opera impendebant, aut, si quid illis operibus mensæque frugali supererat, in cellas ædificandas, si fortassis alij fratres cœlitus inspirati, religionis gratia aduenissent, inque alia paranda, quibus parandis opus erat, conuertebant.

Nullus his thesaurus erat, nisi bonorum operum, sed amplissimus ille & refertissimus. Nulla argentea vasa nec aurea, stanneis & fictilibus bibebatur. Nullus magnorum equorum phaleratumque apparatus: nulla histrionum turba præambula: nullus calamistratorum aut comatorum iuuenum comitatus, virgatis monstriferis habitibus, patulis & terratenus defluentib. manicis, quasi ritu barbarico indutorum.

Felix erat his incolis Mundus, plenæ vrbes & agri populis, quos nulla aut rara lues absumebat, plena armentis stabula, pecora fœtibus, pomis arbores, sata frugibus, quia & cœli temperies terram suo influxu ad apta quæque germina fœcundabat, & terra nulli obnoxia maledicto, sed vberi benedictione, horum interuentu donata, quasi vltrò ferax erat omnibus bonis. Viuebant diu homines, prosperaque valetudine fruebantur: nulla erat domi seditio, nullus foris metus, pacata omnia, tuta & tranquilla. Vigebant in hominibus illius seculi charitas, innocentia, fides, pietas, iustitia, sincera amicitia, rara fraus aut calumnia proximo fiebat: quoniam in sancta vita & salubri doctrina pastorum totius boni exempla, suo gregi æmulanda, relucebant. Tanta siquidem apud Deum erat talium virorum ex vitæ integritate potentia, vt, ipsorum intercessionis obtentu, bona Mundus amplissima adipisceretur, & aduersa pauca sentiret.

Vbi verò (vt ferè assolet) paulolum ex diuitijs rerumque secundarum affluentiâ, luxus & insolentia in Ecclesiam subière: tepescere sensim cœpit religio, virtus hebescere, solui disciplina, charitas minui, tolli humilitas, paupertas opprobrio esse, simulque parsimonia: & econtra, vt pompis & luxui res subesset, auaritia crebrescere, quæ non in suis diu contenta finibus, alie-

na non modò ambire, sed rapere & inuadere moliretur, inferiores opprimere, & tam iure quàm iniuria spoliare.

Et quoniam latißimum hunc campum ingreßi sumus: libet de execrabili hac peste (quæ Ecclesiam iam adeò consumsit, vt pauca restent consumenda) paulò latiùs loqui. Ordiri autem rectißimè à prophetico possumus oraculo, & cum sancto Prophetâ Ieremia, de ministris nostris verißimè hodie dicere: A minimo vsque ad maximum omnes auaritiæ student, & à Propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.

Quid enim satis dicere de eorum auaritiâ inexplebili poßumus, quæ laicorum omnium negociatorum cupiditatem superare videtur, imò quæ secularibus vniuersis (seu Principes, seu plebeij sint) omnis iniustitiæ, doli, fraudis & rapinæ prouocatio est & incitamentum? dum simplices ouiculæ pastorum suorum exempla imitantes, quæ eos agere viderint, sibi licere arbitrantur.

Sed nos istius pestis nefariæ, ab ipso summo vertice vsque ad pedes, originem & progressum videamus. Postquàm (sicut iam dicere cœperam) ex rerum opulentiâ studium temporalium mentes seruorum Domini occupare cœpit: Deo simul & Mammonæ, duobus dominis tam aduersarijs non potuerunt pariter deseruire. Fuit itaque necessarium, vt quantum diligentiæ in vnius seruitium impenderent, tantum alteri subtraherent. Quantò verò ampliùs animum ad temporalia lucra adiecerant: tantò magis illa sitire, tantò ampliùs immergi in illis, sicque à cœlesti amore longiùs auerti cœperunt.

Hanc enim diuitiarum naturam nouimus, vt quò vberiùs habentur, eò abundantiùs animum ad sui semper incrementum maiori accendere soleant concupiscentiâ.

Ita igitur factum est, vt paulatim extincto in cordib. eorum spiritu, frigescente charitate, tepente deuotione, Deo denique oblito, solis terrenis fructibus capessendis inhiarent, sola in dignitatibus beneficijsque alijs emolumenta pensarent.

Nulla prorsus hodiernâ die in assumendis pastoralibus sarcinis, in curaque animarum subeundâ, de seruitio diuino, de salute subditorum aut ædificatione, mentio habetur, de prouentuum vbertate tantummodò & quantitate quæritur. Nec verò tantoperè quæritur, quanti sit præsenti homini & in Ecclesiâ ritè seruienti valor beneficij, quàm, quid suo possessori longiùs ocia agenti & perpetuò fortaßis absfuturo, annuo prouentu reddere valeat?

Quis enim beneficium nunc postulans (neque enim cuiquam, quantumlibet merito, absque postulatione instanti & importuna tribuitur) quis inquam talis, quis sanctus veneretur in Ecclesiâ per eum requisitâ, inuestigauit, quæ illic sanctorum dotes, quæ capsæ, quæ reliquiæ habeantur? Quis de qualitate plebis, cui præesse expetit, de moribus aut vitijs interrogat?

Quis monasterium cupiens, de regulæ in illo obseruatione, de tenore religionis, cultu ceremoniarum, de subditorum disciplina percunctatur? Quis humerorum suorum vires librat? an sufferendo oneri, cui se supponere quærit, sufficiat?

Quis sua aut subditorum pericula considerat? Quis eis prædicat aut euangelizat? Quis viam, per quam ad salutem perueniant, facto aut verbo demonstrat? imò verò, quis hodie Prælatorum non, quacunque via potest, suos vndique subditos spoliat? Quis eorum misereretur inopiæ? paupertati condolet? subuenit indigentiæ? imò quis indigentiam ipsorum non iure & iniuria amplificat? Et vt, ita rem se habere, à supremo Ecclesiæ vertice vsque ad membra humilia, doceamus, primùm de ipso capite, à quo cætera pendent, si placet, inspiciamus.

Postquàm ergò affluentiæ rerum mundanarum exuberantia & (maiorum virtutibus postpositis) immensa auaritia, cum cæcâ ambitione, virorum Ecclesiasticorum inuasit animos: ad hoc consequens fuerat, vt fastu elationis atque dominationis extolli cœperint, & luxu effœminato resolui.

Tribus itaque dominis exactoribus, vtique infestißimis, fuit satisfaciendum. Luxui, qui delicias vini, somni, epularum, munificorum ludorum, effœminatorum lenonum, scortorumque exposcebat. Fastui, qui domos excelsas, castella, arces, palatia lata, & abundantißimam supellectilem vestium charißimarũ, & equorum familiarium pompaticam requirebat ostentationem. Et suæ cupiditati, quæ ingentes ad hoc thesauros studiosiùs condebat, vt ad præmissa explenda suppeterent, aut si satis aliunde proueniret, explicanda essent, ad pascendam saltem ex figuræ numismatis aspectu oculorum delectationem: ad quorum dominorum insatiabilium exequenda mandata, desideriaque perficienda, procul dubio nec aurea (vt in fabulis est) Saturni secula (si orbi hac tempestate recurrerent) sufficere posse viderentur.

Quoniam ergò ad ea agenda, quæ hæ tres rapaces harpyiæ exquirebant, nullus, quantumlibet opimus & reditibus amplißimus, præsulatus sufficere posse compertus est: subsidia aliunde, quibus eis satisfacerent, excogitata sunt.

Summi etenim Pontifices (vt tandem ad eos veniã, qui quantum primatu & authoritate se videbant cæteris præstare, tantum, in huius primatus & supremæ potestatis argumentum, plerumque se, dominandi super alios libidine, extulerunt) cernentes, emolumenta Romani Episcopatus, Petrique patrimonium super regna quæque amplißimum (licet eorum ignauia satis iam attenuatum) ad status reuerentiam, quem, vltra Imperatores & Reges, omniumque gentium Principes, in excelso extolli statuerunt, nullo modo suffectura, in aliena ouilia, lana & lacte copiosa, incurrerunt.

Anno

Omnium quippe Ecclesiarum vacantium, quâcunque per orbem terrarum Christiana reli-gio protenditur, omnium præsulatuum, aliarumque dignitatum electione fieri solitarum, iura & collationes sibi attribuerunt, electiones ipsas, à sanctis olim patribus in tanta vigilantia & vtilitate institutas, cassas atque irritas esse decernentes, vt vel sic sua vberiùs complere possent marsupia, ex omnique prouincia, Christiano nomini dedicata, molem auri atque argenti infinitam ad suæ o-pus cameræ, sedula negotiatione congregare. Quæ camera quanti constiterit, quantum vniuer-sas Ecclesias, regna pariter & prouincias exhauserit: & inenarrabile est, & prorsus incredibile.

Sed fortè Romanæ sedis antistites creationem pontificum, collationemque superiorum gra-duum Ecclesiæ idcircò, abolitis electionibus, ad suum reuocauerunt arbitrium, vt sua prouisione salubriùs consuleretur Ecclesijs, rectoresq; in illis cùm vita laudabiliores, tum doctrina præstantiores instituerentur. Forsan ita factum hac de causa quis crederet, nisi res ipsa ex aduerso reclamans, a-pertiùs doceret, posteaquàm hæc facta sunt, ignaros inutilesque homines (dummodò pecuniosos) ad gradus sublimiores Ecclesiæ, patrocinio Simonis euectos; qui suscepta creditaque ouilia qualiter administrent, posteriùs dicam.

Sed de summis Pontificibus inchoatus sermo priùs mihi absoluendus est, qui, vt regifico lu-xu suum, quem habebant super omnes mortalium magnificentias, statum exaltarent, non solùm ea egerunt, quæ de electionib. audistis: verũ etiã, vt aurei riuuli omni ex parte deriuati suam vberiùs curiam irrigarent, omnibus diœcesanis & patronis præsentandi facultatem, conferendique liber-tatem, quoquóue alio modo de suis beneficijs disponendi, ademerunt, interdicentes illis sub pœna anathematis, ne ausu temerario (sic enim illorum loquitur tritum iam frequentiori vsu rescriptum) sub quouis beneficio sibi subiecto aliquem instituere præsumerent, quàm diu quis occurreret ex il-lis, quibus sua authoritate, beneficia illa expectare, concesserant, qui illud adipisci vellet.

Quantus verò (Deus optime) expectantium numerus, ex illo tempore, & qualium vndique effluxit, atque ibi præstò fuit? non tamen à studijs aut schola, sed ab aratro etiam & seruilibus arti-bus ad parochias regendas, cæteraque beneficia, passim proficiscebantur, qui paulò plus latinæ lin-guæ quàm Arabicæ intelligerent, imò qui & nihil legere & (quod referre pudor) alpha vix nosce-rent a betha discernere.

At morum in illis compositio hanc fortè ignorantiam excusabat? imò si parùm docti, multo negligentiùs morati, vtpote qui, absque literis in ocio educati, nihil nisi impudicitias, ludos, co-messationes, iurgia, vaniloquia sectentur. Inde omnibus in locis tot sacerdotes improbi & miseri atque ignari, qui ruinæ & scandalo sua turpi conuersatione subditi sunt. Inde in ore vulgi tantus sa-cerdotum contemtus, tanta vilipensio. Inde totius ordinis Ecclesiastici dedecus, ignominia, op-probrium, & nimis erubescenda, si erubescere scirent, sed frons multorum attrita erubescere nescit, peruicacia. Olim summo in honore apud seculares sacerdotium erat, & nihil venerabilius presby-terali ordine: nunc verò nihil abiectius aut despicabilius.

Adiecerunt autem summi Pontifices personis Ecclesiarum & Ecclesijs ipsis, vltra præmissa o-nera, vectigalia alia, ad illam suam cameram, imò potiùs charybdim, fulciendam. Statuerunt namque, vt, quoties aliquem virum Ecclesiasticum, quacunque foret dignitate vel conditione, ex ista luce migrare contingeret, aut suum cum altero quouis qualecunque beneficium permutare: to-tiens omnes in illo prouentus primi anni secuturi, certam ad summam suo arbitratu taxatos, sua memorata camera acciperet. Quòd si illam fortassis summam annua fructuum collectio, aut ex diminutione fructuum, aut alia calamitate, conficere non posset: triennali vel quandoque quadri-ennali fructuum exactione ad summam ipsam pertingi voluerunt.

Quid Prælatorum spolia, quid creberrimas decimas, omnibus Ecclesiasticis indictas, quid an-garias alias commemorem? quid concessas Principibus super clero vniuerso à Papa & Pontificibus exactiones, cum seculari in illos soluendi coërcitione? quid retentas procurationes, & sine vlla vi-sitatione ab ipsis Episcopis & archidiaconis ibi subtractas? qua nescio an maiorem plagam Ecclesia sustineat? Quantæ enim perniciei est, Ecclesiarum visitationes, rectorumque reformationes penitus suppressisse atque extinxisse, de politiæ Ecclesiasticæ destructione quæstum atque emolumenta per-cipere? Quid infinita alia quotidiana onera tributorum, ab infortunatissimis Ecclesiarum ministris exacta (quæ longum esset exequi particulatim) referam?

Ad hæc autem omnia exigenda, & ad illam, seu cameram seu potiùs charybdim dixerim, trans-portanda suos per omnes prouincias collectores instituerunt, illos videlicet, quos scirent in extor-quendo argento, vel industria aliqua vel diligentia, vel naturæ acerbitate acriores, & qui nulli o-mninò parcerent, nullum eximerent, sed vel ex silice aurum elicerent, quibus & authoritatem an-nuerunt, quoscunque etiam Prælatos anathemate feriendi, extraque communionem fidelium ex-turbandi: nisi intra præfinitos dies de postulata pecunia satisfacere curassent.

Quanta autem hi collectores mala egerint, quantùm pauperes Ecclesias ac personas oppresse-rint, ne vnquam ex loco isto pateat exitus: vtilius est præterire.

Hinc tot illæ querimoniæ infelicium Ecclesiæ ministrorum, quos audiuimus & cernimus, sub importabili iugo iuge portare ministerium, imò fame pereuntium.

Hinc illæ suspensiones à diuis, illæ à templi liminibus interdictiones, illa anathemata grauis-sima totiens exaggerata, quæ non nisi rarissimo vsu, & pro horrendo scelere à patribus infligi sole-bant: cùm per ea homo, à fidelium contubernio segregatus, in potestatem Satanæ redigitur. Sed

hodiernis diebus adeò inualuerunt, vt passim pro leuissimo quasi delicto, sæpè etiam pro nullo inferantur: sicque in nullum timorem, sed in extremum peruenerunt contemtum.

Hinc præterea illæ tantæ Ecclesiarum ruinæ: illa tot monasteriorum excidia: illæ sacrarum ædium tot in locis solo æquatarum deiectiones: dum ea, quæ in illis instaurandis ac reficiendis impendi solebant, in his tot vectigalibus exoluendis impenduntur.

Quinetiam, vt compertum est, plerisque in Ecclesiis, pro horum redditione tributorum, sacrosanctæ reliquiæ, cruces, calices, feretra, aliaque pretiosa ornamenta veniuerunt.

Quis nescit, tot abbatibus totque aliis prælatis, cùm decessissent cameræ præ inopia obnoxii, negata funeralia, negata exequiarum solennia, negatam humationem, nisi fortè in agris, aut hortulis, aut prophanis aliis sedibus clanculò tumulati sint?

Coguntur (vt videmus) sacerdotes præ angustia rei familiaris, suas villas, sua loca, sua beneficia deserere, & famelici passim victum quæritare, laicisque hominibus in prophanis officiis ministrare.

Tulerunt aliquandiu hæc onera pingues adhuc & vberes Ecclesiæ: sed iam, ferè omnibus longo emungendi vsu exhaustis, vltrà portare nequeunt.

Præterea multa alia me præterire necesse est, si ex hac velim abysso emergere, quot in Romana curia sint (sic namque illam vocabat, quamuis longè à Roma distaret) fraudes, quot doli, quot calumniæ, quot per illos litium venatores pecunia corrupti, contra innocentium iura insidiæ, quot venalia illic iudicia? quantum ibi aurum valeat ad euertendum iustitiam? quàm rarò pauper optatum finem de lite referat, si aduersarium opulentum nactus fuerit? Cur tam pauci admodum, quocunque nituerint titulo, absque lite & aduersario beneficium obtineant?

Nam quid hæ tot nouæ regulæ & constitutiones, per vnumquemque Pontificem editæ, vltraque antiqua iura & paternas sanctiones obseruari iussæ, nisi quidam captiosi laquei sunt, atque vberrima litium materia, quibus illi cauillosi curiales, sophisticique iurium peruersores, ad exuscitationem infinitarum litium, contra ius & veritatem, mille nocendi artibus abutuntur, vt vix aliquis inueniatur, etiamsi titulum Sole lucidiorem demonstraret, qui absque controuersia beneficium tulerit.

Ita namque florere & felicem esse suam illam affirmant curiam, si multis vndique causis, litibus, querelis & concertationibus, clamore insanissimo persultet: contrà verò inutilem, desertam, inopem, si litibus sit vacua, si pace gaudeat, si suis possessoribus sua pacificè iura permittantur.

Nihil itaque hodie vel parùm interest, quo pacto beneficium quis habeat, vtrúmne vero ostio verus pastor introëat, an dolosè aliunde vt latro irrumpat. Quòd si explorator aliquis intelligens liquido posset discrimine vtrorumq; internoscere numerum, non est apud me dubium, plures nunc latrones in Ecclesia repertum iri, quàm veros pastores: vt iam vera sit Christi sententia, qua ait ad negotiatores de domo sua eiectos: Domus mea domus orationis est, Vos autem eam fecistis speluncam latronum.

Iam verò Cardinalium, qui Papæ assident, spiritus, verba tumentia, gestus tam sunt insolentes, vt si artifex quisquã vellet superbiæ simulachrum effingere, nulla congruentiùs ratione id facere posset, quàm Cardinalis effigiem oculis intuentium obiectando, & tamen ex sortis infimæ clericatu in hanc elationem cum sedis apostolicæ pompatus incremento peruenerunt: quippe quibus id olim erat negocii, vt efferendis mortuis sepulturæque mandandis inseruirent. Nunc verò phylacteria sua in tantum dilatauerunt, vt non modò Episcopos, (quos episcopellos solent passim vocare) sed patriarchas primates, sed archipræsules, velut infra se positos, despiciant, imò se iam ab illis supplicibus propemodum adorari sinant: quinetiam se Regibus ipsis æquiparare contendant.

Sed hac eorum omissa vanitate, quis immensam & inextricabilem voraginem ipsorum concupiscentiæ verbis æquare valeat? nulla prorsus ad hoc verba sufficiunt, nullum ingenium, nulla facundia: & quoniam de re ista plenè disserere non nostræ facultatis est: pauca solùm summatim attingam, ex aceruo grandissimo excerpta.

Atque in primis, quantæ illud auiditatis est, quòd tantam multitudinem beneficiorum inuicem repugnantium tenent: quòd monachi simul & canonici sunt regulares & seculares: quòd sub eodem habitu omnium religionum, ordinum, professionum, iura & officia beneficiaque possident?

Non quidem duo vel tria, decem vel viginti, sed centena & ducentena, & interdum vsque ad quadringenta vel quingenta aut ampliùs, nec parua vel tenuia, sed omnium pinguissima & optima: quibus si contenti essent, postquàm ad summam illam numerosam peruentum esset, nec vltrà quærerent, prosperè cum pauperibus clericis, qui reliquias eorum expectant, ageretur: sed quantumcunque ad numerum aut summam venerint: ad ampliorem festinant, & assiduè festinant, & ardentiùs festinant. Nouas indies gratias, nouas concessiones petunt, quas cum senserint ad finem properare, integram reformari, aut denuò in maius augeri, sine vlla cessatione exposcunt. Sic omnia vacantia, quæ alicuius sunt momenti, amplectuntur, omnia rapiunt, omnia auferunt, nihil omninò, saltem quod fructuosum sit, vel pauculum nimis aliis partiendum relinquitur.

Nec tamen sitis illa vnda tanta beneficiorum extinguitur, sed vehementiùs ardet, & arentes animi fauces magis semper accendit, non modò illis fructibus omnium Ecclesiarum, toto orbe constructarum non, sed neque tota auri mole, quam Tagus suis arenis secum vehit, quamque Pactolus voluit, explebiles.

Cernentes igitur inopes alii & calamitosi Ecclesiastici, nihil se posse consequi, sed omni prorsus spe alicuius boni, nisi his authoribus, destitutos, non habentes quid faciant, aut quò se vertant: ad hos ipsos se conferunt, & aut cum simoniacâ prauitate beneficia ab eis mercantur, aut pensione annua (quod æquè simoniacum est) ab illis redimunt, aut vestigiis eorum aduoluti, in suam familiam admitti postulant: vt vel longo famulatu, sæpè etiam ignominioso, aliquem in Ecclesia titulum pariant. Nam quid hodierna die est, quòd sibi aliquis de probis moribus vel eruditione, quò promoueri valeat, blandiatur? Non iam his artibus (vt quondam apud Maiores fieri solitum esse accepimus) ad honores Ecclesiæ ascenditur, sed illis, quas modò retuli, quasq; de secularium potestatum famulatu & importunis petitionibus paulò post sum relaturus. In monasteriis autem & locis aliis, in quibus beneficia Cardinales occupant, quomodo Deo seruiatur, quomodo domus & ædificia labentia reparentur: res ipsa loquitur. Omnia illic corruunt, omnia labuntur, omnia pereunt, adeò, vt sæpè oporteat omnem ab eis administrationem per laicam manum subtrahi, donec reparationes ibi necessariæ (quæ nunquam aliàs fierent) expletæ sint. Quomodo ibi viuatur, qualis disciplina aut regula obseruetur, nihil ad eos attinet, dummodò suorum procuratorum solertiâ, bursa sua nummis multis onusta redeat. Sed iam diutiùs, quàm oportuit, leuiora rerum mediocrium detrimenta querimur: ruinam potiùs vniuersalis Ecclesiæ, ex dira ambitione horum proborum virorum profectam, queramur. Quis enim nesciat feram truculentissimam omnia exterminantem, consumentem, profligantem, sectionis scilicet schismaticæ horrendam pestem, per nequitiam Cardinalium in Ecclesiæ gremium iniectam, fotam, auctam, propagatam, tam diu inueteratam? quæ quanta cum pernicie per tres fermè & viginti annos Ecclesiam omnibus viribus, omni laude, omni honore nudauerit, quantum eam in profundum omnium miseriarum ac malorum demiserit, vix Tullius (si reuiuisceret) satis eloqui posset. Transeo simoniacas apud Papam intercessiones: transeo patrocinia venalia: transeo corruptiones aut promotiones turpissimas & damnatissimas, quæ omnes ferè istis autoribus & suasoribus fiebant: transeo mercedes & stipendia temporalium dominorum, quæ cum maximo Ecclesiæ dispendio cupiebant, vt in eorum negociis adiutores & curatores & consiliarii forent, magis illis procul dubio, quàm Ecclesiæ consulentes, imò dum eis placerent, Ecclesiæ incommoda minimè curantes.

Nec enumerare volo eorum adulteria, stupra, fornicationes, quibus Romanam curiam etiam nunc incestant: nec referre obscœnissimam illorum familiæ vitam, à dominorum tamen moribus nullatenus absonam. Sed nec illud etiam refero, quòd vsuras & commercia publicè exercent: quòd mercatoribus ac numulariis suas pro mutuo mutuant pecunias: qua ex causa numularios supremæ tabulæ, non incongruenter, eos quidam vocant. Hæc omnia aliaq; permulta, etiam grauiora (quæ longa nimiùm narratione onerosam redderent orationem) prætereo. Sed me præterire non decet, priusquàm de hac curia egrediar, quantam & quàm abominabilem fornicationem Papa & hi sui fratres, cum seculi Principibus inierint. Namq; vt sua dominia, imò verò vt suam tyrannidem, omnibus, nec iniuria, supra modum inuisam, inconcussa stabilitate confirmare possent, sicq; tutò, quodcunque libitum esset, peragere: temporalium Principum, ad quorum se imitationem componere atque conformare in animum induxerant, captare amicitias, fauores conquirere quacunque possent industria studuerunt: nunc multâ beneficiorum his, pro quibus exegissent, largitione, nunc encœniis & donis, nunc promissis vberrimis: sæpè assentationibus & gnatonicæ doctrinæ versutis fraudulentiis. Itaq;, ne longum faciam, adeò se & Ecclesiam vniuersalem eorum arbitrio subiecerunt atque dediderunt, vt vix aliquam paruulam præbendam, nisi eorum mandato vel consensu, in prouinciis eorum tribuere ausi essent. Si episcopus aliquis obierat, si decanus vel præpositus, vel alia quælibet persona Ecclesiastica, in demortui locum surrogari appetens, non priùs ad Regem, quàm ad Papam ibat: imò verò quis ita insanus, vt absque regiis literis ad Papam postulaturus accederet?

Mirabile dicturus sum, quanquam vix credibile. Veruntamen, si quis Papæ necessarius, propinquus, familiaris, aut alio quolibet titulo dilectissimus, pro sua apud eum promotione institisset: regales ante omnia ab ipsomet Pôtifice iubebatur literas quærere: alioquin se frustra niti, omniaq; tentamenta in vacuum abitura, quantumcunque ad gratiam illi faciendam, Papæ esset procliuis animus. Quàm verò importunè, quàm improbè, quàm manu (vt ita dicam) ensifera terreni ipsi domini per suos solicitati, Papam per suas quotidianas literas vrgebant: nequaquam credibile foret, nisi res vsu assiduo promulgata certitudinem faceret.

Plus enim præceptoriis & comminatoriis scriptis res agebatur, quàm commendatoriis vel precatoriis: quibus si detrectassent Pontifices obtemperare, & alteri, quàm pro quo petebatur, contulissent, certum erat illum non recipi.

Sic itaque omnes vacantes præsulatus, omnia beneficia fructuosa, secularis illa familia, omnium rerum Ecclesiæ mysteriorumque ignara, vi atque importunitate extorquebat: nulli eruditi viri (de literarum sacrarum eruditione loquor) nulli probi, iusti, virtuosi, qui curiarum limina rariùs terunt, ad suprema dignitatum fastigia veniebant, sed ambitiosi quique, sed adulatores, sed histrionici, sed omnibus vitiis imbuti, quales in aulis Principum frequentes conspicimus.

Nam quotusquisque est hodie ad pontificiale culmen euectus, qui sacras literas vel perfunctoriè legerit, audierit, didicerit, imò qui sacrum codicem nisi tegumento tenui vnquam attigerit? cùm tamen iureiurando illas in sua institutione se nosse confirment: aut beneficia tenent

homi-

homines ignari & illiterati, aut si qui literati sunt, hi solummodò temporalia Imperialium legum præcepta, sacerdotibus interdicta, lucrosasq; scientias secuti sunt, nihil omninò de lege diuina vel spirituali eruditione, qua plebs ad salutem erudienda est, sentientes.

Igitur iuxta morem suarum professionum, summo vndiq; studio ad lucrum inhiant, non quidem animarum, sed crumenarum potiùs quæstum vbiq; explorant, quæstum flagrant, quæstum pietatem putant, nihil omninò agunt, nisi quod ad colligendā quæcunq; ex occasione pecuniam suffragari posse crediderint: pro ipsa altercantur, certant, iurgantur, litigant, multò æquanimiùs laturi iacturam decem millium animarum, quàm decem vel duodecim solidorum.

Sed me iure reprehendo, qui Æquanimiùs dixi: cùm nullo animi motu vel turbatione animarum dispendia, de quibus non modò nulla apud eos cura, sed neq; cogitatio est, excipiant: damna verò suæ rei familiaris, etiam leuia, furiata propè mente sustineant.

Deniq;, si quis fortaßis pastor surrexerit, qui non hoc more incedat, aut qui pecuniam contemnat, aut auaritiam damnet, qui deniq; non omni via seu iusta seu iniqua, aurum à suis subditis extorqueat, aut salutari exhortatione vel prædicatione animas lucrifacere studeat, & plùs in Lege Domini, quàm in legibus hominum meditetur: extemplò in morsus ipsius omnium dentes acuentur. Illum prorsus ineptum, nec dignum sacerdotio clamitabunt: quippe qui legum humanarum nescius, iura sua defēdere non idoneus sit, suos subditos regere, mulctare, & coërcere per canonicas censuras non nouerit, nihilq; aliud didicerit, nisi inerti etiam ocio aut sermocinationi incumbere: quæ officia mendicantium palàm esse astruunt, nulla temporali cura vel administratione, quæ vtiliori occupatione suos animos teneat, fungentium.

Iam itaq; sacrorum eloquiorum studia cum suis professoribus in risum atq; ludibrium omnibus sunt versa, & præsertim (quod magis prodigiosum est) Pontificibus, qui suas traditiones diuinis longè mandatis anteponunt. Iam illud egregium & præclarißimum prædicandi officium, solis quondam pastoribus attributum, eisque maximè debitum, ita apud eos viluit, vt, nihil magis indignum, aut magis suæ dignitati erubescendum, existiment.

Sed ecce, dum animaduerto proprias curiæ Romanæ ægritudines: ad ea (quæ vnà secum aliis etiam prælatis communia sunt) vitia delapsus sum, quæ tamen magis in particulari (quia locus incidit) succincta relatione pertractare volo.

Principiò nulli debet alienum vel mirum videri, si corradendis omni ex parte pecuniis nostri prælati summoperè inuigilent, si macri, tenues, atq; inaniti succo, lana & lacte suarum ouium se incrassare student, quibus pastores fieri tam caro constitit: muscæ enim, vt in prouerbio est, macie confectæ asperiùs mordent: cuncta quoq; animantia esurie inanita auidiùs in prædam feruntur.

Quamuis enim ante susceptam curam pastoralem locupletißimi essent: (neq; ad hoc indigentes solent admitti) tamen ex ministerio sibi collato suos saltem maxima ex parte euacuari loculos oportuit. Quare æquè non immeritò summo iterum labore replere insistunt: exemploq; sapientis agricolæ, vt cum cremento & grandi fœnore iacta semina colligere, & iterum recuperare imminutam substantiam, & sedulò ampliare poßint, more vigilantißimi negociatoris vniuersas merces suas omnibus, qui eis indigent, venales ponunt.

Si quis apud eos clericus pro furto, pro homicidio, pro raptu aut sacrilegio, aut alio quouis enormi crimine in carcerem coniectus sit, tenebrisq; & aquæ edulio addictus; tam diu pœnæ subiacebit & tanquam reus sua commissa luet, donec pro modo sui census aut suorum, quæsitam à se pecuniam persoluerit. Vbi verò id egerit, liber & velut innocens abire finetur: omnis noxa, omnis error, omnia maleficia, etiamsi capitalia sint, per pecuniam laxantur & delentur. Nam quid loquar de exercitio suæ iurisdictionis, quæ ita violenter & tyrannicè regitur, vt magis hodie homines eligant, tyrannorum immanißimorum, quàm subire iudicia Ecclesiæ.

De promotoribus iurisdictionis Episcoporum, & eorum abusibus.

Dici non potest, quanta mala faciant illi scelerati exploratores criminum, quos promotores appellant. Simplices & pauperculos agrestes, vitam satis innocuam in suis tuguriis agentes, & fraudis vrbanæ nescios, in ius sæpè pro nihilo vocant, causas & crimina contra eos sedulò confingunt, vexant, terrent, minitantur, sicq; eos per talia se componere, & pacisci cogunt. Quod si facere renuant: crebris eos citationibus, quotidieq; impetunt, & supra modum infestant. Quòd si semel qualibet occasione præpediti comparere desierint: censura illicò anathematis, vt rebelles & contumaces, feriuntur.

Si verò ad diem venire, quoties vocati erunt, perseuerauerint: eorum audientias apud iudicum tribunalia impedient, morasq; & subterfugia dilationum & interlocutionum captabunt, quæ perfacilè à foris Ecclesiasticis obtinentur: quò vel sic longo tædio, longaq; sui temporis iactura fatigati, superfuturam vexationem atq; impensam pecuniæ pactione redimere cogantur, ne non sit pro leui delicto, pro nullo vel exiguo debito, infinitarum cumulus expensarum.

Iam illud, obsecro, quale est, quòd plerisque in diœcesibus, rectores parochiarum ex certo & conducto cum suis Prælatis precio, paßim & publicè concubinas tenent: quòd subditorum excessui

sus & vitia, omniaque officia, quæ iudiciis præesse sunt solita, publicè venundant: sed ad ea, de quibus diximus, & dicemus: bona sunt hæc.

Illud verò quomodo ferendum, quòd nullus ad clericatum vel ad sacrum ordinem vel ad quemcunque gradum Ecclesiasticum, nisi mercede, accedit: quòd nulli, sacramentalem gratiam requirenti, manus imponunt, nisi qui certum antea precium dederit: quòd omnes confessiones, absolutiones, dispensationes, venales faciunt: quòd si aliqua beneficia suæ sint dispositioni deuoluta, pro quæstu ea conferunt, vel suis ea spuriis aut histrionibus donant, aut si quis forsan eis illud Euangelicum obiecerit, Gratis accepistis, gratis date, non deest, quod illicò respondeant, se minimè gratis accepisse, quare nequaquam astringi ex verbo illo, vt gratis tribuant. Illos deniq; solos antistites esse, aiunt, qui istiusmodi sint sententia ligati, qui pastorali officio absque vllo suo dispendio sortiti sunt.

Non est igitur, quòd quisquam (nisi à vero valdè deuius) gratiam putet ab æquo tribui: quomodo enim gratia, si non gratis data? nisi falsò putabimus, magum illum pestiferum dira maledictione à Petro reprehensum, qui donum Dei pecunia possideri existimauerat. Ex isto autem fonte profluit illa copiosa vilium atque indignissimorum presbyterorum multitudo.

Vt enim ex suis ordinibus maiora lucra percipiant: omnes, quotquot aduenerint, nullo aut paruo admodum discrimine ad eos, quos petierint, titulos admittunt, nisi fortè, si qui adeò egestate premuntur, vt soluendo non sint: nulla de vita anteacta percunctatio est, nulla de eorum moribus quæstio.

De literis verò & doctrinâ quid loqui attinet: cùm omnes ferè presbyteros sine aliquo captu aut rerum aut vocabulorum morosè syllabatimque vix legere videamus. Quem ergò fructũ, quam exauditionem ex suis orationibus siue sibi siue aliis impetrabunt, quibus barbarum est, quod orant? Quomodo per suas preces Dominum alienis propitiabunt, quem sibi ipsis sua ignorantia & sua fœditate vitæ, per suum ministerium faciunt infensum?

Si quis hodie desidiosus est, si quis à labore abhorrens, si quis in ocio luxuriari volens, ad sacerdotium conuolat: quo adepto, statim se cæteris sacerdotibus, voluptatum sectatoribus, adiungit, qui magis secundùm Epicureum, quàm secundùm Christum viuentes, & cauponulas seduli frequentantes, potando, comessando, pransitando, conuiuando, cum tesseris & pila ludendo, tempora tota consumunt. Crapulati verò & inebriati pugnãt, clamant, tumultuantur, nomen Dei & Sanctorum suorum pollutissimis labiis execrantur: sicque tandem compositi, ex meretricum suarum complexibus ad diuinum altare veniunt.

Sed redeo ad nostros Episcopos, qui in omni lubricitate, ab ineunte adolescentiâ educati, tales testes, vt ita dixerim, ministros in Ecclesiam introducunt, quorum gesta sint memorabilia. Illud à me prætermitti non debet, quòd multi ex illis, qui pastorali apice potiuntur, perq; annosa tempora potiti sunt, nunquam ciuitates suas intrauerunt, suas Ecclesias viderunt, sua loca vel diœceses visitauerunt, nunquam pecudum suarum vultus agnouerunt, vocem audierunt, vulnera senserunt, nisi ea fortè vulnera, quæ ipsi suis vberibus spoliis per alienos mercenarios eis intulerunt.

Alienos dixi, quia & ipsimet mercenarii sunt, qui non gregis sui custodiam, salutem, & profectum quærunt, sed solùm temporalis mercedis retributionem. Itaq; ipsi verè sunt mercenarii, tantùm episcopi habentes nomen: quia res per nomen signata procul abest. Nomen etenim episcopi, speculator sonat vel superintendens: speculatorem (inquit Propheta) posui te domui Israël. Hi verò super ouium profectu nihil prorsus intendunt, nihil speculantur, nihil prospiciunt, sui corporis curam agunt, sese & non oues pascunt, non magnoperè pensantes, quis ouibus casus accidat, vtrùm morbo vel ieiunio consumtæ pereant, dum sibi vel ex earum morte aliquid capessant.

At enim dicit forsan aliquis, iure eis ignoscendum est, si rarò suas diœceses adeant, aut suas tardiùs reuisant plebeculas: quoniam pro consilio à principibus accersiti, magna regni negocia tractant, innixamq; suis humeris Rempublicam regunt, tutantur, sustinent, alioquin grauissimè collapsuram: quod vtiq; laudabilius videtur esse, quàm suæ priuatæ rei consulere?

Primùm, illud nequaquam eis dederim, quòd ipsi vltrò à Principibus tanquam consiliarii euocentur: quin imò magnis sumtibus, amicorumq; intercessionibus hoc impetrant: non quidem zelo aliquo vel curâ Reipublicæ, cuius nulla apud eos charitas est, sed propter stipendia & larga munera, quæ exinde eis proueniunt, vt alieno sumtu viuentes, suarum prouentus Ecclesiarum in æraria recondant.

Deinde, qualem Reipublicæ languenti, imò extinctæ & iam propè sepultæ, vtilitatem afferunt? vtinam nullam ei perniciem afferrent. Nam quid ea re, quæso, prosunt, quòd omnium tributorum onera, quibus hodierna tempestate populus vrgetur, suis calliditatibus & suggestionibus reperiunt, & reperta cumulant, & tam in longum perdurare faciunt? Vnde & iam pridem vsus in regno isto inoleuit, quòd aliqui Episcopi talium exactionibus præsunt: de causis etiam & querelis eorum decernunt. Num idcircò prosunt, quòd ad concionem vocati, & suam iussi dicere sententiam, magis ea, quæ principi sciunt placitura, quã Reipublicæ profutura persuadent: quòd sæpè largitione, sæpè gratia, sæpè odio, sæpè etiam timore ducti, non iusta, vera, sincera, sed peruersa atque noxia, fallacibus adoperta blanditiis, dominorum auribus suggerunt?

Porrò an ea re adiuuant Rempublicam, quòd rectoribus qui eam administrant, annonam super annonam communem inculcant? quod enim ipsi faciunt, consequens est, vt con-

fulti alios etiam facere hortentur, ne turpi inter se pugna, verba eorum atque acta dissideant. Denique, quis ex illis pauperum defensator est, quis afflictorum consolator, quis oppressorum subleuator, quis pro pupillo patronus, quis pro inope vidua, contra calumniatorem protector? imò verò, quis magis à compassione atque miseratione quorumlibet miserabilium alienus? Pulchrè de eis Esaias & verè loquitur sub imagine Principum synagogæ, quorum isti & successores tempore in flagitiis, iure tamen fortè præcessores dici possunt: Principes, inquit, tibi infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos.

Mirum autem, quid illud sibi velit, quòd nunc ferè quilibet Pontifex ab Ecclesiâ, cui præsidet, sex vel septem aut decem millia aureorum annuatim accipiat: à Rege verò pro stipendiis mille ad summam aureos: suæ tamen Ecclesiæ & ouilis sibi crediti curam pro regni famulatu derelinquit. Nonne saltem vt mercenarius danti maiorem mercedem seruire debebat?

Sed illorum ad hæc responsio in promtu est. Licet enim amplius sit, quod Ecclesia tribuit, quàm quod Princeps: attamen munus illud cum maiori adiunctum, summam cumulatiorem constituit, duoq; bona potiora sunt vno. Deniq;, fructus, qui à Rege præbentur, nisi regio lateri assistant, sciunt sibi non datum iri: at illos, qui ex Ecclesia ipsis veniunt, longè etiam positis & ab omni seruitio immunibus nihilominùs tribui. Quid? quòd suam promotionem, Rege instante factam, Regi ipsi & non Deo, nec Ecclesiæ, imputant. Quapropter, vt grati homines, illius, per quem gratiam adepti sunt, nequaquam immemores, ei meritò libentiùs, secundum vicissitudinem obsequii, quàm illis, referunt gratiam. Quid, quòd Regibus seruire, & non Deo, nec Ecclesiæ, didicerunt. Quid, quòd non intentione alicuius officii in Ecclesia exercendi, sed quietis & inertiæ in maiori abundantia consectandæ, mitram quæsierunt. Quid, quòd propter assueta stipendia, multa apertè minima, multa etiam apertè exilia importunitate assequi sperant, quæque in suis Ecclesiis seruientes non assequerentur.

At saltem, inquies, suis illic Ecclesiis, ne grauentur aut opprimantur, subueniunt. Imò, suas & alienas ipsi opprimunt: dum pro arbitrio, secularium potestatum tributa super eas annuunt. Ne enim ab optimatibus, quorum negocia agitant, consiliaque frequentant, Ecclesiis plùs iusto fauere arguantur, quotiens de re ad Ecclesiam pertinente agi contigerit: grauiùs aduersus illam, quàm aliquis secularium insultant. Rara his calamitosis afflictio, quæ non à suis filiis originem trahat.

Sed quid eorum tantoperè à suis sedibus absentiam accusamus, cùm per suam, si illic adessent, præsentiam verisimiliùs obesse, quàm prodesse, possent? Quid enim, oro, illi prosunt, qui, toto elabente anno, suam bis aut ter intrant Ecclesiam: qui totos in aucupio & venatu, in ludis & palæstra dies agunt: qui noctes in conuiuiis accuratissimis, in plausibus & choræis cum puellis, etiam effœminati, insomnes transfigunt: qui suo turpi exemplo gregem per deuia abducunt in præcipitium: qui imberbes adhuc adolescentuli, vix ferulam egressi, ad pastorale conuolant magisterium, & tantundem de illo, quantum de nautico sciunt officio.

Difficile itaque satis est statuere, qui eorum magis incommodent suo gregi: hine, qui, deserto eo, lupisque exposito, cum scurris & parasitis in aula versantur; an hi potiùs, qui coràm positi, eum per rapinam vexant, per incuriam negligunt, per errorem præcipitant. Quamuis enim mercenarios vtrosque iure optimo appellauerim: pro re tamen minùs parùm dixi, lupi ambo accommodatiùs dicendi sunt. Vtrique enim, quod lupi est, agunt, vorant, dispergunt, lacerant, diripiunt. Hi quidem per seipsos: illi verò pro seipsis per alienos.

Sentio, me diutiùs, quàm initio putaueram, his nostrorum angelorum (ita enim sacræ literæ Præsules appellant) præclaris ministeriis immoratum: sed tantæ rerum multitudini, quam breuiori compendio percurrere mihi commodè non licuit, ignosci oportet: reliqua, si per singula referrentur, sunt multa, sed ea paucis in generali expediam.

Quid enim de Capellanis & Canonicis longum me trahere sermonem necesse est, cùm vno verbo dicere liceat, similes Episcoporum pro suo modo canonicos esse, indoctos, simoniacos, cupidos, ambitiosos, obtrectatores, suæ vitæ negligentes, alienæ curiosos scrutatores ac reprehensores: adhuc autem ebrios, incontinentissimos, vt pote qui passim & inuerecundè prolem ex meretrice susceptam & scorta vice coniugum domi teneant, vaniloquos, præterea garrulos, tempus in fabulis & nugis terentes: quia nihil vtile nouerunt, aut honestum, in quo occupentur, & propterea in re suâ, seu per fas seu per nefas augendâ, in curâ ventris & gulæ, in carnis voluptatibus hauriendis, suæ vitæ felicitatem vt porci Epicuri constituunt.

Quam verò pacem inter se habeant, aut quam fraternitatem, declarant sectæ & seditiones, omnibus modis in Ecclesiis per infernales furias excitatæ, vt iam illa infernalis hydra schismata, in Ecclesiæ vertice ab Erynnibus stabilita, nimia fœcunditate germinans, omnia ferè collegia suo viperino semine infecerit.

Hos ergò canonicos aliquis vocabit, qui sic ab omni canone, hoc est, ab omni regula abalienati sunt? qui, vt licenter & impunè omnia, quæ ferret animus, flagitia admittere possint, ab omni se castigatione & disciplina suorum Prælatorum, maxima redemtione exemerunt.

Fraudant itaq; se mutuò, fraudant pauperes, fraudant subditos, & sicut Paulus loquitur, iam inter dispensatores Ecclesiarum meritò quæritur, vt fidelis quis inueniatur. Quas omnes fraudes & rapinas cùm fecerint: non est qui eos puniat. Ad Papam enim, quem solum iudicem plerique eorum se habere iactant, non patet pauperi accessus.

De monachis autem & monasteriis latè patet ad loquendum materia, nisi iam me dudum deret in tot tantarumq; abominationum enumeratione demorari. Ne tamen sicco (vt aiunt) pe- intacti abeant: paululum aliquid dicere necesse est.

Quid autem commendabile de ipsis dicere possumus, qui quantò magis inter cæteros Eccle- æ filios ex votis suæ religionis perfecti esse debebant, tantò magis abstracti à cura secularium, quibus renunciauerunt, in sola cœlestium contemplatione suspensi: & quantò magis continentes, ma- s obedientes, minùs vagabundi & à claustrorum septis rariùs egredientes in publicum, tantò ab s omnibus rebus licet eos videre magis alienos, magis videlicet tenaces, magis auaros, magis se- ulari rei (versis retrorsum animis) immixtos, magis insuper lubricos, indisciplinatos, dissolutos, nquietos, magis per loca publica & inhonesta, si modò frena laxentur, discursantes, ita vt nihil lis æquè odiosum sit, quemadmodum cella & claustrum, lectio & oratio, regula & religio.

Quocirca monachi quidem sunt exteriori habitu, sed vitâ, sed operibus, sed internæ conscientiæ purcitiâ, à perfectione, quam habitus ille demonstrat, longissimè disiuncti. Fallit autem illos nimi- m sua opinio. Nam quantò, suâ professione reiectâ, terrenis magis adipiscendis inhiant: tantò pau- iora habent, tantoq; dotes & redditus ipsorum magis semper in nihilum fluunt.

Ecce, omnium cœnobiorum vberrimos olim fructus, ita hodie attenuatos cernimus, vt vnde entum homines viuere solebant, vix decem nunc ægerrimè viuant: videmus omnia labi, omnia- ue solo æquari, non suppetente copiâ, quâ saltem antiqua ædificia à ruinæ defendantur iniuriâ: uod quidem meritò illis euenit.

Quàm diu enim iustè, sobriè, castè, innocenter viuendo secundùm regulæ suæ instituta, re- gnum cœlorum & non hæc temporalia quærere studuerunt: tam diu eis omnia illa satis superque uerunt adiecta. Primùm (inquit Saluator) quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia ad- icientur vobis. Vbi verò à vitæ innocentia, & à quærendo regno Dei, per nefaria opera destiterunt: ectè ab eis illa abducta sunt, quæ veris iustitiæ cultoribus, regniq; quæsitoribus fuerant promissa. Regnum (inquit historicus) facilè iisdem artibus retinetur, quibus initio partum est. Verùm, vbi pro labore desidia, pro continentia & æqualitate libido atque superbia inuasêre: fortuna simul cum moribus immutatur. Et quod de regno dictum audis: de opibus & honoribus, cæterisq; fugacibus bonis dictum intellige.

Venio nunc ad Mendicantes, qui ex professione artissimæ paupertatis veros se Christi disci- pulos, verosq; imitatores esse iactant atque gloriantur: quippe qui considerantes (vt ipsi aiunt) il- lud euangelicum: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & sequere me: & item illud: Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus, omnium possessio- num suarum rerumque temporalium spreta sarcina, onereq; grauissimo: qui eruditi præterea in di- uinis literis, quibus penè soli hodie insudant, pabulum verbi Dei, quo populi reficiantur, assidua prædicatione ministrant: viam eis salutis æternæ, quam nemo alius docet, aperiunt: iustorum di- gna præmia, impiorumque supplicia demonstrant: sicq; animas ab interitu sempiterno per veram pœnitentiam reuocatas ad Deum conuerti faciunt: denique soli ipsi (vt asserunt) cæterorum omni- um Ecclesiæ segniter dormitantium officia peragunt, exercent, eorumq; delicta, ignorantias & ne- gligentias supplent.

Sed libet ab eis quærere, si hunc gradum supremæ perfectionis, Christoq; propinquissimæ, atti- gerunt: quid est, quòd suis eam verbis ita magnificant? quòd insolenter adeò inde se iactant? quòd vniuersis propterea vana gloriatione scripserunt, imò quòd alios omnes sui status comparatione ab omni perfectione euacuant? Decebat enim, vt alieno ore & non proprio suo, illa æatherea & angeli- ca in terris perfectio laudaretur: si modò solidam laudem, non vanam, suspectam, odiosam, cupi- ebant.

Nónne hæc est perfectorum vera iustitia, vt nunquam arbitrentur se perfectos: imò verò, quò iustiores fuerint, eò magis in humilitate de se sentientes, longè se à iustitia abesse existiment. Nam dum de eo, quod habere se præsumunt, inaniter super se efferuntur: & id ipsum, quod habebant (si quid tamen virtutis habebant) euanescit.

Nónne humilis publicanus sua Deo peccata confessus, iustificatus à templo redire meruit, & quam orabat, veniam impetrare: superbè autem Pharisæus sua merita prædicans & pauperculum despiciens, reprobus abscessit & inexauditus: quoniam Deus superbis resistit, & humilibus dat gra- tiam. Videtur autem hæc parabola contra hos quæstuarios verbi Dei adulatores congruentissimè inducta: quia sicut synagoga suos Pharisæos habuit, aduersus quos in Euangelio acerrimè Christus semper inuehit: ita nimirùm hi noui & subintroducti Apostoli, Ecclesiæ pharisæi censendi sunt, quibus omnia à Christo de Pharisæis dicta & fortè alia plurima, nescio an deteriora, conueniunt: de quorum sacrilega impietate, quia non multa breuiandi studium dicere concedit, paucas Christi saltem sententias, per quas ab eorum insidiosa versutia nos cauere admonet, audiamus.

Ait itaque de eis Saluator, ipsorum fontem patefaciens nequitiæ: Attendite à fermento Pha- risæorum, quod est hypocrisis. Et rursum: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vesti- mentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Annón lupi rapaces sunt, velamina ouium gestantes, qui omnia, quæ huius mundi sunt, ver- bo suo se deseruisse asseuerant? facto autem ipso temporalia incredibili ardore concupiscentiæ, insi- diis, fraudibus, atque mendaciis, vndique exquirunt.

Annón lupi rapaces sunt ouicularum vellere amicti, qui vitæ austeritatem, castitatem, humilitatem, sanctam simplicitatem exteriori specie simulant, intus verò exquisitissimis deliciis & variarum copia voluptatum vltra omnem mundanorum luxuriam exuberant?

Annón lupi rapaces sunt sub ouili imagine latitantes, qui more sacerdotum Belis in suis penetralibus oblata deuorant, mero se ac lautis epulis, cum non suis vxoribus, licet sæpè cum suis paruulis, auidè satiantes, cunctaq; libidinibus, quarum torrentur ardore, polluentes?

Annón lupi rapaces sunt foris ouem mentientes, qui ea, quæ facienda sunt, dicunt & non faciunt: & cùm aliis prædicauerint, sua ipsa prædicatione reprobi efficiuntur?

Annón lupi rapaces sunt ouium similitudinem falsò prætendentes, qui cùm angeli lucis primo aspectu appareant, non Satanæ tamen, vt Pauli verba sunt, non Christo Domino, sed suo ventri seruiunt, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium?

Sed audi adhuc, quid de illis ad propositum Saluator dicat: Væ vobis, ô Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis, quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immundicia, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Quid de eis veriùs dici potest, quid aptiùs, quid lucidiùs, quàm quod cœlesti ore dictum audis?

Sed & Paulus, Gentium doctor, prænoscens in Spiritu, talium circa extrema tempora subuersorum ingressum, & Ecclesiam per eos multa tandem vulnera sensuram, ad Timotheum suum scribens, illos summo studio declinandos hortatur. Nam postquàm dixerat, Hoc autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, & multa, quæ his addit, ab his seductoribus non abhorrentia: tandem quod eis est proprium, subtexuit, Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & hos deuita.

Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.

Rursus quoque idem Apostolus ad eundem suum discipulum loquens: Spiritus, inquit, manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam. Quæ nemo ambigere debet de his nouis Pharisæis esse scripta.

Multa quoque alia de istorum pseudoprophetarum aperta iniquitate, qua domum Dei perfodiunt & polluunt, sacra in pluribus locis scriptura commemorat, quæ satis eorum perfidiam, quantum ad nostram pertinet breuitatem, detegere videtur: de qua, si cui libeat noscere, Cyrillum videat, & illic mira de eis inueniet, ad fidelium instructionem longè antè, quàm orirentur, Spiritu sancto reuelante, prædicta: quanquam nec aliquot alii scriptores etiam defuerunt, qui de his subdolis illusoribus multa valde vtilia, & præclara post eorum introitum ad Ecclesiæ præmunitionem & præmonitionem prodiderunt.

Restant nunc solæ moniales, vt nostram narrationem, quemadmodum polliciti sumus, à summo capite vsque ad extrema vestigia, nullo prætermisso gradu, deducamus. De his autem plura dicere (etsi plura, quæ dici possent, suppetebant) verecundia prohibet, ne non de cœtu virginum Deo dicatarum, sed magis de lupanaribus, de dolis & procacia meretricum, de stupris & incestuosis operibus pudendum sermonem prolixè trahamus. Nam quid obsecro aliud sunt hoc tempore puellarum monasteria, nisi quædam, non dico Dei sanctuaria, sed veneris exsecranda prostibula, sed lasciuorum & impudicorum iuuenum ad libidines explendas receptacula, vt idem hodie sit puellam velare, quod est publicè ad scortandum exponere?

Hæc sunt, quæ de nostro clero referenda visa sunt, quamuis multa sciens præterii & silentio suppressi: quæ si per singula amplecti vellem, in immensum res progrederetur, nec modum habitura esset oratio. Quæ cùm ita sint, nemini debet mirum videri, si Ecclesia ex talibus aggregata, multis molestiarum aculeis, multisque aduersis turbinibus quatitur. Mirum potiùs seu stupendum videri debebat, si tot vitiis atque impuritatibus seruiens, à flagellis immunis euaderet.

I nunc & confer hanc vitam, hos mores, hæc regimina, cum primæuâ Patrum disciplinâ, cum Maiorum charitate, continentiâ, sobrietate, districta seueritate: videbis, nisi talpa cæcior es, tantam inter ea distantiam, quantam inter lutum & aurum. Iam siquidem his diebus nostris, in quos fines seculorum deuenerunt, ab aureo capite illius prægrandis statuæ, quam vidit in figura Nabuchodonosor, paulatim semper in deteriora per argentum, æs & ferrum prolabendo, ad partem pedum luteam ac fictilem peruenimus.

Ita verò, Deus optime, vineam tuam electissimam, quam tuâ olim dexterâ ipse plantasti, cui sepem & combustam maceriam ad ferarum malignarum coërcendam incursionem circumdedisti, itáne, inquam, destructâ sepe, dirutâ maceriâ, despectam ac degenerem effectam? Itáne vepribus & spinis completam? Itáne pro vuis dulcibus, quas ex eâ præstolabaris, labruscis (scelleribus) onustam, vt vix per eam transiens eandem esse recognoscas, quam tanto olim studio, tantâ curâ & cultu nobilitaueras? Ecce, iam vniuersæ feræ eam diripiunt:

omnia agri pecora conculcant: hinc aper de sylua exterminat: inde ferus singularis, vniuersa impetu vastans ac perstringens, egregia quæque depascitur.

Auerte, obsecramus Domine, iram tuam & virgam furoris tui à vineâ tuâ, & de cœlo sancto tuo miserentibus oculis super eam respice, & si non propter nos, qui indigni sumus, saltem propter nomen tuum ineffabili clementiâ gloriosum.

Scimus, nostris impietatibus hæc & maiora deberi supplicia.

Scimus, peccata nostra super arenam multa, super omnem acerbitatem grauitatemque grauissima: sed etiam scimus è regione, tuam immensam misericordiam omnia hominum peccata, non modò quæ perpetrata sunt, sed quæ etiam in mentem possunt cadere, summâ incerta superegredi.

Scimus, tuam benignissimam pietatem nunquam ignoscendo defessam, tuum semper anteuenire iudicium, imò super tua opera vniuersa præstare.

Scimus te parentem esse, nos, quantumlibet degeneres, attamen filios: pro magno autem peccato filii, satis est patri parùm supplicii: sed scio quid obsistit, quò minùs nobis miserearis & ignoscas, id ipsum volens & appetens, quia non resipiscimus ab erratis, quia ad te ingemiscentes reuerti non volumus: quod vtique per seruos tuos Prophetas, tuæ in nos vindictæ prænuncios, tantâ cum diligentia nos admones, legem hanc nobis, qua misereri debeas, per eos insinuans. Sed nos, qui ad tua mandata dura sumus ceruice, & indomabili corde, ad ueniam vocantem non audimus, te excitantem contemnimus, te suadentem aspernamur, te promtum atque voluntarium ad præterita omnia (si modò præteritorum pœniteret) condonanda per noua & peiora facinora quotidie prouocamus.

Proinde ad voces nostras obsurdescis, tuamque manum adhuc extentam à nostra percussione non reuocas, sed nouis potiùs contumaciis noua indesinenter flagella cumulas.

Nolo autem, vt quis existimet, per ea, quæ Ecclesiasticorum præmissa sunt, me omnes prorsus Ecclesiasticos, nullo excepto, comprehendere velle. Scio illum non mentitum esse, nec mentiri posse: qui dixit: Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Nec sum nescius, in singulis quibusque statibus aliquos & fortè plurimos bonos, iustos, innocentes esse, ab illisque maleficiis, quæ suprà memorata sunt, separatos.

Sed tanta est improborum in singulis professionibus exuberantia, vt vix inter mille vnus reperiatur, qui id, quod sua professio exigit, synceriter faciat: quin etiam, si simplex aliquis, si castus, aut frugalis in collegio aliquo vel conuentu, latam & lubricam perditorum viam non sectetur, fabula & ridiculum cæteris efficitur, insolensque & singularis, insanus aut hypocrita continuò appellatur.

Vnde & multi, qui ad bonam frugem deuenirent, si cum modestis & bonis degerent, hac ratione abstracti per malorum consortia ad malum trahuntur, dum talia inter suos contubernales nomina subire verentur. Inde est illud Psal. vtique verissimum: Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Quamobrem nemo admiretur, si rari, hoc tempore, synceritate aut innocentiâ fulti in Ecclesiâ sint, tot sceleratis in omni loco ad mala impellentibus & per mille insidias sollicitantibus.

Itaque propter multitudinem nequitiæ, ita priuilegiatæ, de bonis siletur, qui aliis comparati paruo nimis in numero atq; momento sunt: vt dum sermo de politia Ecclesiæ, aut de membris eius incidit, tanta turba præuaricatorum totam Ecclesiam in tyrannidem adducit eo loquendi more, quo plerisque in locis Scriptura vtitur.

In Genesi namq; legitur, Omnis caro corruperat viam suam, & tamen eo tempore, quo propter peccata hominum cataclysmus erupit, Noë vir iustus coram Domino repertus est, & propterea cum suis in arca saluatus. Rursus in libro Psalmorum scriptum est: Omnis homo mendax, omnes declinauerunt, non est qui faciat bonum: & tamen idem ipse, qui hoc dixit, deinde de se testimonium habet, quia inuenisset eum Dominus virum secundùm cor suum.

Igitur cùm ad hunc modum Magistratus Ecclesiarum & cætera officia se habeant: quis dubitat, nisi Dei animaduersione, mala eis, quæ patiuntur, accidere? res mira, vt suprà diximus, & insolita videri deberet, si quid eis prosperum accideret. Nónne per totam diuinorum voluminum seriem bona nobis hoc pacto à Deo promittuntur, si Legem ipsius seruemus, mandata teneamus, in præceptis ambulemus, fœdus nobiscum ab eo initum non irritum faciamus? Quòd si nefariis operibus Testamentum eius prophanemus, pactum & legem irritemus, iussa & traditiones postponamus: quâ fronte bona ab eo petere aut sperare præsumemus?

Necesse est sortem alterutram subeamus, aut prosperorum præmia, si mandatis obedierimus, aut supplicia, si transgressores sumus: quia nunquam mentiri nouit, qui pro operum qualitate, vtraque tribuenda spopondit. Quid synagogam, quæ typus Ecclesiæ fuit, secundùm quod Paulus dicit, omnia illis in figura contigisse, quid eam, inquam, prostrauit, deseriq; à Deo, & cladibus opprimi, nisi eiusdem malicia, fecit?

Si igitur, iuxta parabolam Ezechielis de duabus sororibus Ollâ & Oolibâ, sorori maiori similia gessit, imò eam flagitiis & fornicationibus ampliùs insaniendo superauit, quomodo sibi credet impunè cedere?

Expergiscere tandem aliquando ex longiori tuo somno, ô infelix soror synagogæ. Expergiscere, inquam, aliquando, & tuæ ebrietati diu satis (vt ita dicam) edormitæ modum impone, Prophetamq; istum & cæteros vide, lege, intellige, si tamen non vsquequaq; tua ebrietas, Prophetæ testi-

monio

monio, cor absorbuit. Si ergò vlla in te sani cordis scintilla superest: Prophetarum dicta sedulò reuolue. Tu inquam illic statum & tuam confusionem non vtiq; dormitantem, sed è vicino impendentem considera: videbis, quis te exitus expectet, quamq; male & periculose in his sordibus tam diu iaceas. Quòd si Prophetas non audis, nec de te, dum tot mala nunciant, locutos arbitraris, ipse te fallis, & periculoso nimiùm errore desipis. De te enim illi locuti sunt, & quæ minantur onera, super te, nisi resipis, relapsura, debes agnoscere. Sed fac, eorum vaticinia aliò spectare, quid de tua Prophetia, de Ioannis in Apocal. censes? Annon illam saltem ad te aliqua ex parte pertinere putas? Non pudorem ita cum sensu perdidisti, vt hæc neges. Illam ergò intuere, & lege damnationem magnæ meretricis, super aquas multas sedentis, illicq; tua facta præclara contemplare, & tuos futuros casus.

Porrò, cùm omnia imperia & regna gentium, quantumcunq; potentia, magna vel dura, ob suas iniustitias & superbias deleta audias, euersa videas atq; pessundata: Tu, quæ solidam humilitatem, super quam fundata eras, nullos impetus turbinum metuentem, tam longè abiecisti, tuumque cornu tam in altum extulisti, quomodo exciso atq; auulso tuo humili fundamento, tantam superbiæ molem, quam desuper extendisti, non ruituram putabis?

Cœpit iam pridem tua superbia, nequaquam se ferens palàm, sed lentè quidem & pedetentim, & propterea à plurimis ruina illa non est percepta. Nunc verò in modum torrentis, tota in præceps ageris, & ex illo præsertim tempore, quo abominandum hoc schisma te inuasit: quod profectò ad primas tuas comprimendas nequitias intolerabiles, & insanias falsas diuina super te iracundia venire permisit: quò sic vel regnum tuum Deo graue, Gentibus odiosum, iuxta Euangelicam veritatem, in seipso diuisum desolaretur, fractumque & dissipatum concideret: non quidem, quòd fides Ecclesiæ, in hoc mundano conflictu militantis, cursu periclitari debeat, quæ fundata supra firmá petram, stabilis & inconcussa mansura est: sed loquor de temporali potentatu, de gloria & deliciis, quibus vsque ad nauseam & obliuionem sui ipsa Ecclesia inebriata est: de quibus in damnatione meretricis, vindicibus Angelis præcipitur, quantum glorificauit se & in delitiis fuit, tantum date ei in tormentum & luctum.

Nam vt ea, quæ longinqua sunt, de Græcorum à nobis dissidio propter nostrorum superbiam & auaritiam orto, de contractis limitibus catholicæ religionis per totam penè orbis terrarum vastitatem olim porrectæ, vt hæc inquam & alia nonnulla vulnera, pridem Ecclesiæ infligi cœpta, non repetam: nónne saltem ruina illa, qua vrbem Romanam, sedem ac caput Ecclesiæ, sic ruere & collabi videmus, Ecclesiæ ipsius & totius eius imperii desolationem propinquare, nunciat, sicut destructionem Ierusalem secuta de proximo est Iudæorum & synagogæ dispersio?

Quomodo enim diu stabit aut vigebit, quæ, sua destructa statione & capite perdito, vaga & instabilis per orbem discurrit, & quasi iam peregrina aut hospes in mundo de vno loco ad alium migrare cogitur? Ex illo planè suam cladem imminere prænosse debuit, ex quo propter suas fornicationes odibiles Romuli vrbe relictâ Auinionem confugit, vbi quantò liberiùs, tantò apertiùs & impudentiùs vias suæ simoniæ & prostitutionis exposuit, peregrinosque & peruersos mores, calamitatum inductores, in nostram Galliam inuexit, rectam vsq; ad illa tempora moribus frugalibus, disciplina instante, nunc verò luxu prodigioso vsq; adeò solutam, vt meritò ambigere possis, vtrùm res ipsa auditu mirabilior sit, an visu miserabilior.

Verùm alias forsan de Galliâ, nunc de Ecclesiâ loquamur, quæ maligno, nescio quo pacto, loca quibus insederit, suo fermento inficere consueuit, caususque perniciei & ruinæ illis esse, quanquam non gratis aut absque vltione: vicem enim ei debitam Italia reddidit, quæ nudam & suo patrimonio paulò minùs spoliatam suis sedibus eiecit. Mala verò ipsa Gallia inops per eam facta reddere incipit, vt impleatur illud prophetiæ præsagium: Confunderis ab Ægypto, sicut confusa es ab Assur: & illud: Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

Postquàm enim importabili sarcina peccatorum exigente, furiale malum schismatis irrepsit in Ecclesiam, vt omittam, quæ per alterum tunc apud N. de Papatu contendentem gesta sunt: potiùs hæc scribenda illis relinquam, qui cum eo conuersati, certiùs mores illius atq; eorum, quos secum habebat, enarrare possunt.

Quid Clemente nostro, quoad vixit, miserabilius, qui ita se seruorum seruum Gallicis Principibus addixerat, vt eas ferret iniurias & contumelias, quæ sibi quotidie ab aulicis inferebantur, quas vix deceret in vilissimum mancipium dici: cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, dissimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba.

Omnibus, quos aut ars assentatoria aut ludicra in curiis acceptos fecerat, summoperè placare studebat, eosque beneficiis promereri: quò talium patrocinio, dominorum gratiam & fauorem assequeretur, & similia &c.

His itaque & iuuenibus nitidis & elegantibus, quorum maximè consortio gaudebat, singulos ferè vacantes episcopatus, cæterasq; præcipuas dignitates impendebat.

Deniq; vt Principum beneuolentiam faciliùs assequeretur, assecutam foueret, fotamq; conseruaret, conseruatam amplificaret, plurima vltrò donaria atque xenia illis dabat, quascunque super clero exactiones petere voluissent, annuebat, vltrò sæpius etiam ingerebat. Sicq; omnem clerum secularium Magistratuum dispositioni ita subiiciebat, vt magis quilibet eorum Papa, quàm ipse, putaretur.

In hac tristissima seruitute, non dico præsidentia, tria (vel suprà) temporum lustra cum incredibili Ecclesiæ attritione consumserunt.

Quia Ecclesia seipsam humiliare, vel tot flagellis attrita, contemsit, rectè ab illo, qui plùs æquo exaltata humiliat, collisaq; & humiliata erigit, priùs humilianda erat, vt in gratiam, à qua exciderat, rediret, postea erigenda atque subleuanda: priùs desolanda, postea consolanda: priùs percutienda, postea sananda.

Nam quod ad redintegrandam ipsam Ecclesiam, funesto hoc schismate dilaceratam, attinet: frustra aliquid per nos effici speramus: non hoc humanis operibus, non vlla arte, in gratia agendum est: altiorem planè manum res ista deposcit, & necesse est, si vnquam vniri debeat, idem ipse medicus sit, qui vulnus intulit: quia & tam acerbum tamque immedicabile vulnus est, vt nulla opera altera curari valeat.

Multa super hac re tractata sunt, multa agitata vel cogitata, multa conscripta, multa consultata, multæ legationes susceptæ: verùm, quò plura miscuimus & moliti sumus, eò res assiduè implicatior atque turbatior euasit, DEO labores nostros irridente, imò iugiter irritante, qui nostrâ sine eius adiumento solertiâ illud ipsius opus explere credidimus. Adde, quòd indigni sumus & pacem ab eo impetrare, & pacem habere: quia non est pax impiis, dicit Dominus, qui rursum per Prophetam ait: Erit opus iustitiæ pax. Denique, nato in carne Domino, Angelorum exercitus pacem suo prædulci carmine in terra denuncians, solis eam hominibus bonæ voluntatis futuram nunciauit.

Quòd autem à DOMINO hæc pestis schismatica processerit, ex quibusdam in Zachariâ scriptis licet apertè colligere. Legimus siquidem in illo Prophetâ, qui multa de futuris temporibus & nouissimis Ecclesiæ tribulationibus sub prophetico velamine prætexuit, quòd Deus, summus pastor, omnium aliorum caput & regula, in duabus virgis pascit gregem suum, quæ sunt decus & funiculus: quia decoris moribus & fraterna charitate præditi esse debent, qui volunt in Ecclesia populis præesse. Charitatis enim, quæ est vinculum perfectionis, funiculus triplex est, qui difficulter rumpitur: quia in Deum, & proximum, & seipsum tendit.

Verùm, si anima pastoris diuinis minimè iussis obtemperans, sua, & non quæ Dei sunt, quærit, & turpi in Deum operatione vacillauerit: contrahitur anima eius super eos, præcidensq; virgas suas ab eis subtrahit, pro decore ignominiam & dedecus, pro nectente autem funiculo schismata, contentiones, & virulenta dimittens dissidia: & hoc pacto irritum facit fœdus suum, cum pastoribus pariter & ouibus percussum, germanitatemque inter eos dissociat: quia plerunque pro culpa superiorum ipsi etiam subditi puniuntur, sicut propter reatum Dauid in populi numeratione, populus plaga pestilentica pessima percussus legitur.

Constat autem, primam virgam, quæ decus vocatur, propter vitia pastorum iam ante annos multos ab Ecclesiâ præcisam ac sublatam, eo videlicet tempore, quo probrosos illos mores, de quibus antea memini, induerunt. Ex illo siquidem fluere, infirmari, languescere, retrò sublapsa referri cœpit Ecclesia: quippe quæ vernanti exuta decore, pallidam & obscuratam, in terramq; deiectam faciem gerebat: postquàm eiusmodi languor, nulla fomenti opitulatione medicatus, sed diuturna incuria neglectus, adeò per moram temporis inualuit, adeoq; membra vniuersa pererrando totum corpus occupauit, sicq; obsessum tenuit, vt iam vix vltrà sibi inuicem membra ipsa cohærere possent.

Et vt verum esset illud propheticum, à plantâ pedis vsq; ad verticem capitis non est in eo sanitas: sublata est virga secunda, funiculus, qui inuicem membra eius colligabat, quæ nunc rupto pacis vinculo, nefandum schisma, horrendumq; prorsus dissociat. Putant quippe nonnulli, qui multa de hoc schismate & futura Ecclesiæ per ipsum desolatione, diuino vt creditur instinctu, iamdudum prælocuti sunt, teterrimam Ecclesiæ totius ex eo conculcationem, incredibilemq; vastitatem, per terreni violentiam imperii, cuius multa sibi iura occupauit, orituram: quò terrenis tandè exuta copiis, quæ aliena glutierat, malè trita euomat, filiosque fornicationum, quos cum Principum importunitate cũ improbissimo mercatu plurimos genuit, morte, fuga, exilio, fame & captiuitate oppressos lugeat: quæ fortassis persecutio maturiùs, quàm pleriq; putant, ceruicibus eorum incubitura est.

Magna enim eius fundamenta, nisi valdè obcæcati sumus, iam iacta sunt, quæ quotidie magis ac magis à terra surgere, & in apertam iam lucem erumpere, nemo est (si modò sensum habet) qui non valeat animaduertere. Et profectò, iustissimo Dei iudicio, tanta malorum inundatione obruenda & conquassanda est, quæ in tantam omnium abominationum insaniam excreuit, vt nulla alia via castigari, aut ad priorem innocentiam redigi posse videatur.

Præcesserunt infinita signa, admonitiones, comminationes, increpationes, clades, verbera, flagella, quæ ipsam ad sanam mentem, ne instantia talia pateretur, reuocarent: sed nihil est omnibus his actum, imò incassum omnia consumta: frustra, inquit propheta, conflauit conflator, maliciæ eorum non sunt consumtæ: fronte enim contra Deum obstinata omnia contemserunt, & velut equus infrænis, post suas concupiscentias rapidiori semper impetu concurrerunt.

Quis igitur tibi, ô Christe, modus restat, si tuam Ecclesiam à tantâ sorde scoriæ, in quam argentum eius & aurum versa sunt, emundare disponis, nisi vt totam scoriam ipsam, multâ conflatili arte aut purgatorio igne in aurum reparandam, ab Ecclesiæ fornace proiicias, & puro illic nitore rutilantia metalla iterum inducas. Et si tuam præterea vineam, labruscis, senticosisq; virgultis palmites suffocantibus obseptam, infructiferam, vis ad naturã reducere: quis melior modus id agendi, quàm inutiles stirpes, eam sterilem efficientes, quæ falcibus amputatæ pullulant, radicitus euellere, vineam-

que ipsam, aliis agricolis locatam, nouis rursum ac feracibus & fructiferis palmitibus inserere. Neque, te ipso teste, aut de spinis possunt vuæ colligi, aut de tribulis ficus: sed & arborem, nullum fructum ferentem, excidendam, ipse sanxisti, & igne cremandam.

Fallitur igitur, quisquis labores & dolores Ecclesiæ his malis, quæ iam patimur, finiri existimat. Hæc non nisi exigua sunt dolorum initia, & suauia quædam eorum, quæ supersunt, præludia.

Sed tempus erat, vt portum, Ingruente iam tempestate, peteremus, nostræq; in his periculis saluti consuleremus: ne tanta procellarum vis, quæ laceram Petri nauiculam, validiori turbinis impulsu, quàm vllo aliàs tempore, concussura est, in mediis nos fluctibus cum his, qui meritò naufragio perituri sunt, absorbeat.

Valentius Alusinus Patinensis, Canonicus ad Morandum Auitum.

CAusâ animo curas, quoties te viso, leuandi:
Me toties curis plùs onerare soles.
Nam repetis longo vitiosæ crimina Romæ
Ordine, quæ nunquam sat meminisse potes.
Non semel aut iterum fuit hæc audire molestum:
Sed toties Crambe me repetita necat.
Nonne ea sunt toto iam pridem cognita Mundo,
Hæc inquam Romæ crimina dira reæ?
Ad stiuam canitur cuiuis scelerata colono
Roma: iuuat lassos cantio nota boues.
Hanc recitat tonsor, ferro cùm circuit ora:
Hæcq; est fumosis fabula trita coquis.
Fœmina solatur nocturnum hoc carmine fusum
Hoc canit ad calices ebria turba suos.
Hoc pueri nôrunt ante Alpha & Beta notare:
Vnica pro cunctis fabula Roma sonat.
Monstra velut Libye, noua profert crimina Roma:
Hæc è Romano messis habetur agro.
Quam si quis velit in numerum conferre: laborat
Idem sydereas dinumerare faces.
Heu Roma à Roma quantum mutata vetustâ?
Nunc caput est scelerum, quæ caput orbis erat.
Vrbs est Lernæo similis Romana Chelydro:
Millia ter scelerum pro capite orbis habet.
Oderunt superi Romam, nec terra, nec aër,
Nec valet hanc ignis ferre, nec Oceanus.
Odit & hanc Erebus, quòd se plùs vrgeat æquo
Ad scelerum formas vsq; parare nouas.
Nempe Ioui, diuisq; aliis quod Lemnius heros,
Hoc Romæ est, stygias qui regit Orcus opes.
Tot tamen ille deis satis est sua cudere tela:
Hic soli Romæ vix satis esse potest.
Nunc quia vel solo letabile nomine virus
Afflat, & est cunctis exitiosa plagis:
Proinde relinque suis Romanam moribus vrbem,
Et recita, quorum te ratione peto, &c.

Imp. Sigismundo. PP. Ioanne 23. V.S.

Raphaël Fulgosius I. C. l. eos qui. § ne temerè. c. de appell.

DIcit de iure Canonico, non esse pœnam constitutam temerè litigantibus, & hoc ideo, quia Papa vellet, quòd totus mundus iret ad curiam suam: quæ tacita est auri sacra fames. Imp. & Papa vt suprà.

De Paparum cum Imperatoribus concordiâ.

Imp. 113. Sigismundo. Antipapis Ioan. XXIV. Gregorio XII. Benedicto XI. Papis Martino V. & Eugenio IIII.

Sigismundus itaq; cùm eo tempore ad Imperium accersitus esset, quo Ecclesia grauissimo schismate per tres Antipapas, Ioannem XXIIII. Bononiæ, Gregorium XII. Arimini, Benedictum XII. in Hispaniis se continentem, dilaceraretur, vt schismate sublato, Romana sedes in portum collocaretur, tantos labores pertulit, quantos ante ipsum pro Ecclesiæ salute paucissimi regum vel Imperatorum subiisse leguntur.

Etsi enim, iure suo atque exemplo antecessorum, faces istas dissensionum sede pontificia deiicere, easque coërcere potuisset, ac debuisset: tamen moderatione ac autoritate concilii generalis, quàm armis ac violentis remediis, dissidium hoc tolli maluit. Ideoque quò cæteri reges in concilium coirent, non sine grauissimis laboribus, sumtibus & periculis, regna ferè omnia totius orbis Christiani peragrauit, Galliam & Hispaniam adiit, in Angliam nauigauit: cumque regibus istarum terrarum egit, vt pium ac necessarium consilium eius approbârint, idque se adiuturos polliciti fuerint.

Postea in Italiam profectus, Ioanni Pontifici Mantuæ persuasit, vt Constantiam ad concilium veniret: Concilioque congregato effecit, vt remotis tribus Antipapis, Ottho Columna patricius Romanus, assumto nomine Martini V. Pontifex omnium nationum suffragiis eligeretur. Ad hæc, Hussium & Hieronymum Pragensem, viros eruditione & pietate excellentissimos, contra fidem datam publicè condemnari, & crudeliter comburi tulit, vt dissidiis sublatis pax in Ecclesiam reduceretur.

At, quam gratiam ab ingratissima ista sede retulit? sanè talem, quæ quemlibet prudentem, à benefaciendo ipsi meritò deterrere debuit.

Nam cùm aliquo tempore pòst, pontificatum Eugenio quarto Veneto occupante, in Italiam, pro corona Imperiali accipienda, venisset, ac se Philippo Mediolanen. duci, tunc cum Venetis & Florentinis belligeranti, paulò benigniorem exhibuisset: hi potentiam Imperatoris veriti, facilè Pontifici persuasêre, vt is Imperatori corona denegata, suas copias Venetorum ac Florentinorum adiungeret, ac ipsum à transitu Arni Senas præterfluentis, arcere conaretur.

Egregia sanè gratia Sigismundo relata, ac digna pontifice Romano. Ac licet multorum intercessione assidua res tandem eò deducta sit, vt, cùm Imperator Senis sex totos menses, spe coronationis, magnis impensis substitisset, bona Eugenii gratia Roma coronatus discesserit: tamen sanguinarius iste pontifex, aliquanto tempore pòst, pontificatu deiectus, quòd decretum concilii Constantiensis (quo sancitum erat, vt Pontifices septimo quoque anno, pro seruanda Christianorum vnione, generalia celebrarent concilia) euertere, conciliumque Basiliense à Martino indictum, & à se confirmatum, impedire conatus esset, maximas Germaniæ calamitates sub Friderico tertio Austrio suscitauit: Ludouico Caroli regis Franciæ filio, quem Delphinum vocant, contra Germanos concitato.

Hic namque quò concilium Basiliense ad placitum Eugenii dissiparet, cum suis Armeniacis & cæteris gentibus, Alsatiæ vicos & nonnullas ciuitates, dolo, proditione, ac blandimentis ingressus, Alsatiam omnem vini atque frumenti feracissimam miserè vastauit: ac ædes, domus, casas ciuium, pauperum, orphanorum, viduarumque, & ipsa Dei sacratissima templa crudeliter succendit. Cæterùm, cùm, omni crudelitate in Alsatia perpetrata, tandem Basileam cum triginta millibus accessisset: à tribus militibus Heluetiorum fortiter pro patria pugnantium cæsus, ægre tertiam partem mutili fractique exercitus in Gallias reduxit: dignam militia pontificia mercedem referens. Schardius ex Nauclero, Vrsp. Cuspiniano, Platina, VVimpfelingo, Epitome rerum Germanicarum, & aliis.

1418. ## Bella contra Hussitas in Boëmia semper vana & irrita.

Hoc anno Martinus V. Papa Sigismundo Imp. Regi Vngariæ & Silesiarum, permisit, ad expeditionem bellicam contra Hussitas colligere censum ab Ecclesiasticis & politicis ordinibus, ita vt, qui haberet aureos 1000. impenderet de eis duos: qui centum, quartam floreni partem de vniuersa sua substantia: de reliquis verò, serui, famulæ & infantes singuli obolos 15.

Conscripto igitur his pecuniis exercitu ab Imperatore, primùm 20000. armatorum contra Hussitas missi fuerunt. Sed etiam ex altera parte, Germanorum scilicet principum, Archiepiscopus Moguntinus & Coloniensis, Palatinus, Saxo, Bauarus, & Herbipolensis Episcopus, comes Flandriæ, comes à Nassau, validissimo cum exercitu ad 50000. virorum Bohemiam ingressi sunt: sed Ziskæ Hussitarum duci comperti, ab eodem obruti & fusi turpiter terga verterunt, & re infecta in Germaniam redierunt.

Secunda igitur vice Imp. Sigismundus ipsemet contra illos 60000. eduxit, adiuncto Alberto Duce Austriæ & Friderico Marchione Brandeburgense: sed infeliciter cum Ziska cæco & Hussitis in prælium congressus, turpi fuga salutem quærere compellitur: Bohemis de vtroque insigni victoria potitis.

Duxit etiam Piso Florentinus 15000. equestrium militum exercitum in Bohemiam: sed illi cùm in hyeme trans fluuium quendam per glacié transire vellent: hæc dissoluta & infracta plerosq; illos aquis submersit & suffocauit.

Tertia autem vice Germani Bohemos iterum petunt: sed panico perculsi terrore, antequàm hostem viderunt, fuga sese proripuerunt ab illius conspectu.

Concessit autem Ziska, Dux Hussitarum cæcus, (de quo plura anno 1420.) aliquando cum copijs suis in Austriam: & cùm incolæ huius omnes armentorum & pecudum suarum greges hinc remouissent in insulas transamninas, hoc stratagemate illos Ziska recuperauit. Ad clamorem, boatum atque grunnitum incitauit suos greges, quod cùm illi hoc perciperent: illicò per vndas ad greges exercitus Ziskæ se receperunt: vt sic cum militibus suis opima præda nullo negocio sit potitus.



Habebant autē, teste Dubrauio, Hussitæ in vexillo pro signo CALICEM: ex quo constat, quænam causa ipsos arma capessere compulerit: scilicet, vt assererent institutionē Saluatoris sui Iesu Christi. Quem enim illis Papistica turba negauerat & surripuerat calicē, hoc est, sanguinem Domini, (alteram sacrę cœnę eius speciem) eum illi ex pio zelo reposcebant. Et horrendum certe est, miseris Christianis adhuc esse dimicandum, & effundendum sanguinem pro eo, quod Christus ipsis vltrò dedit, & præcepit. Viderint igitur isti præuaricatores mandatorum Domini, quam rationem sint olim reddituri iusto iudici de hoc suo iniquissimo facinore, & innoxio sanguine.

Par scelus est detestandum & execrandum, quòd & lectionem sacrarum literarum, ex quibus salus nostra petitur prohibent, & si quis ea vtitur, eum protinus igni addicunt & vita priuant. Imp. & Papa. vt sup.

Theodoricus à Niem.

Hic vixit in aula quinque Paparum, intimus eorum scriba, & tandem Episcopus Verdensis factus: scripsit de schismate, & inter alia inquit: Quàm magnifici triumphatores sint nostri reges & principes Christiani, qui tamen volunt inuictissimi appellari, eorum gesta testantur: & quàm magnificum sit Romanum Imperium, in Alemannia saltem apertè videtur. Reperitur enim illic aliquis Archiepiscopus, vel Episcopus, qui fortè in duplo plus habet in reditibus, quàm percipit rex Romanorum in omnibus terris sibi subiectis: & aliquis princeps secularis, qui detinet plures terras, quàm possidet Imperator, quod non laudo: tendit enim in perniciem fidei prædictæ, quia deficientibus rerum facultatibus & potentia seculari & imperio, restat, quòd Imperator vel rex Romanus sit pauper & impotens, & Christianum populum defensare non possit.

Ecclesiæ autem Romanæ, propter eius diuisionem diutinam, satis patet impotentia, & dudū cœpit eius discessio, & adhuc durat per Asiam & Africam, vbi omnes Ecclesiæ Catholicorum desolatæ sunt, & ad nihilum deuenerunt; sed remanebunt & remanent Ecclesiæ Catholicæ tantummodò per Europam, excepta Græcia & Russia, quarum schisma iam diu fuit inchoatum. Et qualis sit discessio in ipsa Ecclesia Romana, & etiam Prælatorum ecclesiasticorum religio, siue sanctimonia in partibus Occidentis, non oportet describi: patet enim vtrumque istorum in sacerdotio & in regno: & si ipsa sunt prognostica aduentus ipsius Antichristi, discutiant, si qui sunt, qui nouerunt sensum Dei. Nunc vnionem omnes desiderant, & fortè non omnes, vt liquet ex præmissis, qui suis affectionibus passionati quærunt illa, quæ sua sunt, vt superiùs expressi: & post hanc digressionem redeo ad propositum. Imp. 113. Sigismundo. Pp. 213. Matt. 5.

Imitatus hunc Ioan. Marius Belga quoque librum scripsit de 24. schismatis in Ecclesiā, quæ à nemine, quàm ipsismet sacerdotibus introducta sunt: teste Hieronymo.

Idem. Prouincia Lombardiæ, quam ipse Otho Magnus Augustus Viridarium imperij appellauit, & eidem imperio singulariter incorporauit, vt per Imperatores & reges Romanos, qui essent pro tempore, iure proprietatis perpetuò regeretur, etiam, quodammodo separando ab imperio, in optimo foro vendita est tyranno, qui eam pro maiori parte tunc tenebat, scilicet pro summâ C.& L. millium florenorum.

Idem. Multi etiam alij nationis Alemanniæ Augusti, nec tantùm in Italia, Germania, & Gallia, sed etiam in partibus vltramarinis, scilicet Ægypto, Hierusalem, Syria, & Phœnicis, atque Armenia, pro fide Catholica atque republica pericula subierunt, vt eorum memoria etiam semper venerabilis remaneret. Sed dic mihi, quæso, vbi nostris temporibus tales visi sunt reges, aut principes Romani? De quo valdè mirandum ac dolendum est: non reperitur, quòd aliquis illorum quinquaginta annis proximè elapsis aliquod etiam minimum castellum acquisiuerit, seu addiderit Imperio, aut quòd se opposuerit fideliter & debitè, volentibus iura imperij auferre, seu occupantibus illa. Et ecce, Carolus IV. nominatus Augustus, & Boëmorum rex, hypocrita insignis, & auaritiâ alter Marcus Crassus, ac vicarius imperij, tempore Clementis Papæ VI. & Caroli regis Francorum, ô cum quali pertinacia & calliditate ad Imperij culmen ascendit? Et ecce quales fructus attulit illi? nam quondam Ludouico duci Andegauensi, eiusdem Francorum regis germano, suisque hæredibus pro vno solenni prandio, sibi apud Villam nouam prope Auinionem per eundem ducem præparato, tunc Vrbano Papa V. in Auinione residente, regnum Arelatense, quod à tempore dicti Othonis Magni Augusti vsque tunc iuris & proprietatis Imperij Romani fuit & est, ab Imperio dimembrando siue separando, concessit. Quo pacto hoc Regnum Arelatense ad Imperium accesserit, dictum fuit suprà anno 940.

Idem. Ecce quantus & qualis fuit iste Augustus, qui tot laboribus & expensis pro reformatione vnionis in ipsa ecclesia vltrò se submisit, & felicior alijs operatus est: nam mali inquiete malijs præparantes cogendi sunt ad pacem & ad bonum. Regiæ potestatis interest præcipuè, vt per eam mali coërceantur à malo, vt boni quietè inter malos viuant, vt sacri Canones docent: sed non intelligitur de alia potestate, quàm Imperiali, quæ omnes dignitates temporales excellit. Et omnes qua si reges mundi, & tot prælati Ecclesiastici & communitates egregiarum ciuitatum, ad extirpandum schisma nouissimum ab ipsa ecclesia, efficaciter hactenus proficere non potuerunt, nec possunt, & quis tunc disputasset cum eodem magno Augusto Othone, de ipsius iudicio super contendentes super Papatu, seu peruerso vnico Papa, scilicet, quòd nisi à Deo possent iudicari?

Idem. Sicque Rom. imperium tam nobilem ciuitatem cum suis castris, ac iuribus, & paulò antè egregias ciuitates Veronam, Paduam, & Vincentiam, cum earum marchijs, quæ etiam iuris & proprietatis eiusdem imperij existunt, per Venetos occupatas amisit, dissimulantibus illis, qui se reges Romanos & semper Augustos appellant: quas quidem ciuitates & earum marchias antiqui boni imperatores & reges Romani inde ex Germanis, omni diligentia pro imperio, aut per seipsos aut per suos vicarios regere consueuerunt. Rex enim dicitur, quia regit, non nomine tantùm, vt rex puerorum, quem quandoque constituunt inter seludentes mutuò pueri, vt in historia de Cyro rege Persarum, dum puer esset, legitur contigisse: & vtique absurdum est dicere, vel sentire, quòd quis eligatur in regem Romanum, ad hoc, quòd solo nomine regis contentus sit, sed potiùs, vt iustitiam & iudicium faciat in terra, quia Dei minister est, propter quod gladium portat.

Idem. Bonifacius valdè indignatus Beordo, ipsum excommunicauit, & perquàm dires processus contra ipsum in vrbe fulminauit. Sed quia parùm vel nihil profecit in illis, ad alias subtilitates se conuertit, per quas Beordum dolo interfici procuraret, prout statim factum fuit. Vnde Abbas monasterij sancti Petri in burgo sancti Angeli Perusini, qui erat de parte Beordi & Raspantibus, cui Beordus plurimùm confidebat, credens, se consecuturum propter facinus huiusmodi Cardinalatum, vnà cum quibusdam suis amicis paucis quodam manè accedens ad hospitium dicti Beordi in Perusio, eodem adhuc in lectulo quiescente, pulsauit ad ostium Cameræ, in qua Beordus quieuit. & audiens dictus Beordus, quòd dictus Abbas existeret qui pulsauit, mandauit ianitori, vt portam aperiret, & ipse interim diploide duntaxat se vestiuit, & surgens de lecto dictum amplexabatur Abbatem, atque tunc duo qui cum Abbate erant, ipsum extractis gladijs confoderunt & traditoriè interfecerunt: quo facto ipsi statim fugientes à Perusio ad Bonifacium accesserunt, qui dictum Abbatem recipiens in suum cubicularium satis honorauit & dilexit eum.

Idem. Itaque Cardinales & Prælati prædicti, tunc Pisis congregati, ad quos hoc spectabat, processum iudiciarium per plures menses contra Errorium & Petrum absentes, nec vel per se vel procuratores contumaciam suam purgantes, formârunt solenniter & in publico: & postquàm multæ sessiones siue congregationes eorum, & in illis etiam quàm plures deliberationes contra eosdem absentes, de Papatu contendentes, factæ fuerunt, in huiusmodi sententiam contra eosdem procedentes promulgandam vniformiter concordârunt, quæ in publico demum lata fuit in hæc verba:

Christi nomine inuocato, sancta & vniuersalis synodus vniuersalem ecclesiam repræsentans, & ad quam decisio & cognitio huius causæ noscitur pertinere, Spiritus sancti gratia in hac maiori ecclesia Pisana congregata, ibique pro tribunali sedens, visis & diligenter inspectis omnibus

produ-

productis, & singulis probatis & agitatis in præsenti causa vnionis ecclesiæ fidei, & schismatis (contra Petrum de Luna Benedictum decimum tertium, & Angelum Corarium Gregorium duodecimum olim appellatos, qui in præsenti causa pleniùs continentur) & quibuscunque alijs ipsam sanctam synodum ad infra scriptam diuisionem mouentibus & inducentibus, habita priùs inter se ipsos, & demum cum copiosa multitudine magistrorum in sacra Theologia, atque vtriusque iuris Doctores plurimos, & pluries diligenti collatione & tandem deliberatione matura, omnesq; pariter hanc in sententiam reperientes vnanimiter concordare omni modo, via, & iure, quibus magis & meliùs potest, in prædictorum contendentium, imò veriùs, colludentium, & vtriusque ipsorum contumaciam in his scriptis pronunciat, decernit, diffinit & declarat, omnia & singula crimina & excessus, & cuncta necessaria ad infrà scriptam decisionem præsentis causæ deducta per promotores & instigatores & solicitatores, seu procuratores deputatos ad prosequendam præsentem causam, pro huius detestandi & inueterati schismatis extirpatione, ac vnione atque redintegratione sanctæ matris Ecclesiæ, contra & aduersus prælibatum Petrum de Luna Benedictum decimum tertium, & Angelum Corarium Gregorium duodecimum (de Papatu damnabiliter contendentes) ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipsa sacra & vniuersali synodo præsentata & exhibita fuisse, & esse vera atque notoria: ipsosque, (Angelum Corarium & Petrum de Luna, de Papatu, vt præfertur, contendentes) & eorum vtrumque fuisse & esse notorios schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, defensores, fautores, approbatores & manutentores pertinaces, nec non hæreticos à fide deuios: notorijsque criminibus & enormibus periurij & violationis irretitos, vniuersalem Ecclesiam sanctam Dei notoriè scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia notorijs, euidentibus, & manifestis: & ex his & alijs se reddidisse omni honore & dignitate etiam Papali indignos: ipsosque & vtrumque ipsorum (præter præmissas iniquitates, crimina & excessus,) ne regant, vel imperent, seu præsint, à Deo & sacris Canonibus fore ipso facto abiectos & priuatos, & etiam ab ecclesia præcisos. Et nihilominùs ipsum Petrum de Luna & Angelum, & eorum vtrumque per hanc diffinitiuam sententiam in his scriptis abijcit & præcidit, inhibendo eisdem, ne eorum aliquis pro summo Pontifice se gerere præsumat, ecclesiamque vocare Romanam ad cautelam decernendo.

Insuper omnes & quoscunque Christicolas, etiamsi imperiali, regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat, ab huiusmodi eorum & cuiuslibet eorum obedientia (non obstante quocunque fidelitatis iuramento, aut aliquo vinculo, quo illis & eorum alteri tenerentur adstricti) fore perpetuò absolutos, inhibendo eisdem Christi fidelibus, ne prædictis de Papatu contendentibus, seu eorum alteri quomodolibet obediant, pareant, vel parêre intendant, vel consilium, auxilium aut fauorem ipsis præstent, aut eos recipiant, vel receptent, sub pœnis excommunicationis, & alijs à sanctis patribus & sacris Canonibus inflictis, promulgatis & ordinatis: quique parêre contempserint huic ordinationi & sententijs, ipsos & eorum fautores ac defensores, adhærentes atque sequaces, etiam per seculares potestates fore compescendos, & compesci debere iuxta præcepta diuina & sacrorum Canonum dispositiones, eadem sancta synodus pronunciat & diffinit. Insuper omnes & singulos processus & sententias excommunicationis, inhabilitationis, vel alterius censuræ & pœnæ, priuationis quoque ordinum & dignitatum, etiam Cardinalatus, beneficiorum & officiorum ad graduum quorumcunque & qualiacunque sint, aut quomodocunque nuncupentur, contra dominos Cardinales per dictũ Petrum de Luna & Angelum Corarium latos & fulminatos, fuisse & esse nullos, cassas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ, vel momenti: & quatenus de facto processerunt, eatenus cassandas & irritandas, sicque etiam ad cautelam, quatenus expediat, omni modo & iure, quibus meliùs potest, annullat, cassat & irritat.

Et insuper promotiones, imò potiùs profanationes quorumcunque in Cardinales, per dictos contendentes de Papatu & eorum vtrumque attentatas (per dictum Angelum à die tertia Maij, & Petrum antè dictum à die decimoquinto Iunij anni proximè præteriti millesimi quadringentesimi octaui) fuisse & esse nullas, cassas, irritas & inanes: & quatenus de facto processerunt, annullandas, cassandas, & irritandas, & sic etiam ad cautelam, quatenus expediat, omni iure & modo, quibus meliùs potest, præfata sancta synodus per hanc definitiuam sententiam cassat, irritat & annullat.

Idem. Quia superiùs tangitur Camera Apostolica, restat, etiam pauca de illa explicare, quæ assimulatur mari, in quod intrant omnia flumina, & non inundat. Sic enim in istam portantur quotidie de diuersis mundi partibus auri pondo multa, attamen non impletur: in qua est generatio, quæ pro dentibus gladios commutat, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus: & in qua sunt multæ sanguisugæ dicentes, Affer, Affer. Cuius quidem Cameræ officiales nuncupantur gentes Cameræ: & bene quidem. Gentes enim sunt barbaræ nationes, habentes ritus & mores extraneos à moribus hominum vtentium legibus & ratione.

Hæ autem gentes nostræ eisdem alijs gentibus multifariè in omnibus sunt conformes. Vnde congruit eis illud:

Cumq; pares estis, sociari iure potestis.

Nam sicut Turcæ & Tartari, qui Christianis magis sunt infesti, infelices huiusmodi Christianos, qui ad eorum manus viui perueniunt, tractant inhumaniter & flagellant: sic & nostræ gentes prædictæ nostros Ecclesiasticos prælatos, qui apud nos promouentur, exquisitis vijs, rebus & substantia sua, remota omni pietate, prorsus denudant. Vnde si fortè totum soluere nequeant, quod in ipsa

Camera postulatur ab ipsis, & de gratia, quæ rarò fit & paucis, tempus ad soluendum aliquod statuitur, extorquentur ab ipsis, qui remanent obligati, tam immania seu horribilia iuramenta, quòd sapiens quisquam illa etiam pro consequendo magno bono, vel effugiendo magno damno in euentum præstare meritò formidaret. Et super tali dilatione dantur ei literæ in ipsa Camera, non propter IESVM tantùm, sed vt immoderatè nimis aurum, si quod superest pro expensis itineris allatum, etiam extorqueatur ab ipso, sic, vt ab eadem camera liberatus ea vice rectè dicere possit:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Omnis enim ab inde pietas, misericordia & clementia longissimè auolârunt, & si fortè mille florenos ibidem solueres, quorum vnus tantùm vnum duntaxat obolum minus debito ponderaret, nisi longè illo ponderosiorem illicò exhiberes, aut quod deficeret, in duplo in argentea moneta suppleres, liber tibi recedendi non pateret exitus ab eadem, licet gentes ipsæ nostræ generaliter omnes florenos, quos recipiunt ab alijs, persoluunt cæteris sine pondere ac mensura. Si autem quis pauper, aut diues prælatus totidem, quot debet, ipsi Cameræ soluere vna vice non possit, quamuis etiam occasione literarum Apostolicarum super promissione de se facta confectarum, nec non stando in Roma tam intolerabiles fecisset expensas, quas forsan præsidendo suæ prælaturæ, deductis oneribus, diu accumulare nequiret, etiamsi esset excellentior doctor, vel magister in orbe terrarum, sibi propterea non differtur: quoniam si infra annum, à Datis promissionis suæ computandum, totum non soluat, in quo ipse dictæ Cameræ obligatur, in eiusdem anni reuolutione de Antistite fit clericus, nec non de Abbate monachus, & priore posterior deriuatur, nulla ipsi æquitate vel iustitia suffragante. O Iustissimæ gentes nostræ, vel quasi, rectè cum infernalibus furijs seu harpyijs & Tantalo sortem sitibundi posituri, qui nunquam satiantur. Habent etiam dura capita, & saxea pectora ex Deucalionis composita lapidibus, & corda ad miserendum compatiendumq; omni chalybe duriora, gentes nostræ prædictæ. Infelix igitur pauper ille prælatus, qui retibus dictæ Cameræ illaqueatus in locum inibi venerit tormentorum.

Epistola delusoria Officialium Romanæ Curiæ, Pontificum coquinæ, & Curtisanorum de stabulis, ac omnium principum pedestris ordinis actu in Pisis morantium, ad dominum Gregorium Papam, & eius nouos Cardinales.

CAPVT XLI.

Nos Dei gratia Officiales Romanæ Curiæ, Pontifices coquinæ, Curtisani de stabulis, omnesque principes pedestris ordinis, iudices à IESV Nazareno rege Iudæorum, ad vniuersitatem earum fidei, nec non causæ infrà scriptæ specialiter deputati, Angelo Corario spiritum consilij sanioris, & citò meritum consequi de patratis. Nuper ad audientiam nostram, quod dolenter illubenterque referimus, fama veridica & clamorosa id ad nos deferente, peruenit, quod furia tua, quæ vsq; ad altissimas nubes cœli ascendit, praua multa & detestanda in subuersionem Christianæ religionis perficienda concepit, & quòd tu sub nomine IESV Christi, in operibus verò Belial, noua retia tendis, quibus credulam turbam fidelium inuoluere, & inuolutam concludere machinaris. Iam enim mundus, cui ex dolosis tuis actibus ruina imminere dignoscitur, se vltrà sustinere non valens, suspiria sua geminat, voces sonoras multiplicat, ac lamentabiles eiulatus ac miserandas querelas effundendo, pedibus nostris affusus iudicium flagitat ac vindictam. In pluribus namque tuam perfidiam accusans, multa aduersus illam dicit testimonia. Imprimis impetit de periurio, de hæresi, de petulantia, & multorum aliorum criminum enormitatibus te fore testatur irretitum. Asserit enim te virum sanguinum, honoris proprij prodigum, carnalibus affectionibus mancipatum, & tam spiritualium quàm temporalium rerum, quantum ad rempublicam pertinet, generalem subuersorem. Non ambulas ante Dominum, sed factus es præcursor damnandi Antichristi, qui in hunc mundum venisti, non pacem, vt iurasti, mittere, sed gladium, & in quatuor angulis percutere domum Dei, cuius etiam columnas quatis quotidie, dum prælatos improuida dispositione comminuis & transponis, qui illius domus esse dignoscuntur solida fundamenta. Et cùm hoc solus potens non sis perficere, scelerata conspiratione Benedictum alterius partis Papam in partem solicitudinis conuocasti, nec ille deest tuis cœptis, imò, velut operosus collega, summa cum solicitudine tibi assistés, simili factionis genere laboriose officium suum exagitat & fatigat, reges priuat, prælatos deponit, non adhærentes sibi excommunicat, volentes vnionem anathematis coronâ percellit. Quid multa? tibi & factis tuis similis in omnibus moribus sui consortis, in nullo autem contrarius conspicitur deierare. O dementes & insipientes corde, quid agitis? Creditis humanum genus excæcatum, vt illas collusiones non videat? O sophistarum omnium impudentissimi, creditis, ante oculos tot Philosophorum com falsitatis enthymematibus vos securè posse stultizare? Erratis, miseri, erratis. Nemo enim est tam lippo visu, qui facta vestra apertissimè non cognoscat. Et fulminate igitur, patres sancti, processus, fulminate sententias de leuitate verborum compositas, & cuiuslibet executionis effectum parturituras: quilibet illos audiet, sed nullus omninò curabit: nec solùm non curabit, sed insuper irridebit. Ad te igitur, Angele, reuertimur, in quem mundus instigationum stimulis exacer-

barus

batus suprà scripta crimina intentans, vt antè narrauimus, in accusationem tui debitè consurrexit. Nos verò quamuis ab initio latenter consideraremus gressus tuos, quibus, vt sanctus, iter Domini ingressus, viam veritatis te ambulare nugabaris, non eò minùs tamen nil præproperè, nil temerè agere cupientes, more sapientum, qui nihil de rebus dubijs indiscussè diffiniunt, expectauimus, donec & oculis videremus & manibus palparemus, qui de tuis excessibus inualuerat, clamorem completione operis consummatum: sed cùm modò, vt ita loquamur, veritate veriùs comperimus, te in tenebris & in vmbra mortis ambulare, & non quæ Dei sunt, sed quæ propria & nepotum, attendere, & tecum trahere in perditionem credentem Christo multitudinem vniuersam: meritò igitur contra te insurgimus iustæ vltionis iudices, vt tenemur, & congregati in vnum, maturo præhabito consilio, decreuimus contra tuam insolentiam fore procedendum, vtputa illi, qui vitia extirpare, mundumque liberare erroribus ex officij nostri debito sumus vtique obligati. Autoritate igitur illius, cuius vices in terris nunc gerimus, tibi districtè præcipiendo mandamus, quòd die Martis proximè ventura, in diluculo lucis, in loco quo pro tribunali sedere contigerit, compareas indilatè, ad videndum, te nomine, quod abominanda vsurpatione profanas, indignum iudicari, qui cùm sis professione Arrius, seu æternum omnium seculorum dedecus, te duodecimum Gregorium nominasti. Item ad videndum examinari, an vestis, & infula, & alia, quæ tu gestas, Pontificum insignia, ad te spectent, an potiùs ad alium te vitâ meliorem. Item ad videndum declarari, te fore ebriosum, delirum, hæreticum publicum, Ecclesiæ Dei destructorem, & hypocritam maledictum. Et quia tu non priùs auditarum priuationum inuentor es, compareas dicto loco & tempore, ad videndum, te priuari, imò veriùs declarari, priuatum esse omnium honore, & tua prætensa dignitate: aliàs non obstante tua absentia, quam diuina supplebit præsentia. Ad dictas declarationes in tuam contumaciam, quantum de iure poterimus, procedemus: dabimus etiam & pronunc damus Christi fidelibus, imò datam ex iure ostendimus licentiam, ab obedientia tua protinus recedendi, omnesque tibi aliquo fidelitatis vinculo adstrictos, omninò fore absolutos, pragmatica sanctione diffinimus. Insuper cùm consentiens, & operans pari pœna veniant puniendi, tibique omninò adhærere notoriè sit peccatum, prout iuris ambiguitas in hoc non existit vlla, priuamus omnes tuos fautores, receptores & defensores: & primò illum Gabadeum tuum Camerarium, de cuius infestis consilijs tua procedunt nefaria opera, qui testam tuam caluam phantasijs implendo rotat, & rotatam præcipitat contundendo. Item priuamus de renibus tuis descendentem tuum primogenitum Gabrielem. Item priuamus medicum inutilem, tuum protonotarium Vtinensem, qui iuxta traditionem Galeni, herbas temperatas venenis tuæ fatuationi potatiuum insaniæ ministrauit, & cerebellum tuum transformauit in petram. Priuamus etiam illum monachum dæmoniacum, legatum infernalem, Ragusinensem, qui semper nudus brachia incedit contra legitimas Canonum sanctiones. Priuamus & hos tres Apostatas, datæq; fidei fractores, Henricum ridentem, Laudonensem semper violentum, & Tudertinensem malè videntem: vniuersos item & singulos fratricellos vbilibet terrarum constitutos, omnesque alios tibi adhærentes, quacunque præfulgeant dignitate. Datæ in Curia nostræ residentiæ, sub nostro authentico sigillo, die decimo septimo mensis Iulij.

Idem. In Italia vt plurimùm Episcopi, Abbates, nec non alij Ecclesiastici prælati, & clerici Ecclesiasticos titulos possidentes, sunt anhelantes, qualiter fratres, consanguineos & nepotes ditent, ac paruiuici seu parci, vt pecunias in copia cumulent semper intenti, parsimoniam non virtute, sed stimulante auaritia diligentes. Libentiùs etiã sustinent, quòd ad aliorum vocentur conuiuia, quã quòd ipsi ad sua vocent alios prandia, quia innata eis miseria non permittit eis, bona concessa, transitoria proinde, dispensare: propter quod penè omnes Episcopi, Abbates & alij prælati Italiæ, qui olim habebant, ratione dignitatum eis concessarum, terras, villas, castra & oppida custodire, illa aut in totũ, seu pro maiori parte amiserunt, & per diuersos alios detinentur, quia non adeò fuerunt diligentes, custodire cum requisitis sumtibus terras, vineas, castra & oppida ipsa in temporalibus, sicut parati erant & sunt semper, ad percipiendum emolumenta & reditus ex eisdem. Rarò etiam vides, ad ostia eorundem Episcoporum, abbatum & prælatorum, pro recipienda eleemosyna, pauperes conuenire: quia nemo dat quod non habet. Sed auarus nihil sibi reputat, quod habet: sed semper

Quærit, & inventis miser abstinet ac timet vti:
Nec non res omnes timidè gelideq́ ministrat.

Vnde si fortè pauper aliquis postulet ab Episcopo, vel Abbate, aut alio prælato Italico, eleemosynam sibi dari, statim Episcopus, seu Abbas, vel prælatus ipse stringit spatulas, & auertit oculos ab eodem paupere, ac comminatur eidem pauperi, si fortè, vrgente penuria, importunè ac secundariò postulet, quicquam sibi dari ab eodem Episcopo, Abbate, vel prælato. Hi quippe boni Episcopi, Abbates, aut prælati, Christo pauperi, & eius pauperibus sunt acerrimi & parcissimi, sed fisco fidelissimi: cui omnem suarum rerum substantiam viui miserè viuendo conseruant.

Morientibus enim dictis Episcopis, Abbatibus & Prælatis, omnia per eos relicta (quæ spolia, & meritò, appellantur) collectores fructuum Cameræ Apostolicæ recolligunt, & in vsus eorum seu Cameræ prædictæ conuertunt, metentes messem, quam non seminârunt. Per has deprædationes & rapinas vltrà, quàm dici potest, Cathedrales Ecclesiæ & monasteria Italiæ destructa sunt, & pauci in eis, scilicet monasterijs, ministri & monachi degunt. Hi etenim collectores & officiales Cameræ, stimulante auaritia, multis malignis spiritibus quodammodo sunt æquales: quia ipsi spiritus animas eorundem auarorum prælatorum ad ima inferni demergunt, & hi caduca bona illorum omnia tol-

lunt & consumunt. Laudabiliores igitur & prudentiores sunt prælati Germaniæ, qui non thesaurizando splendidè viuunt, dant eleemosynas liberaliter pauperibus, inuitant etiam plerosque ad mensas suas, ac illos lautè pertractant. Malo igitur gaudere cum prælato Germaniæ, quàm cum hypocrita cucullato Italico, semper misero & auaro. Et hoc idem, quod dicitur de Prælatis Germaniæ, inuenies propemodum quasi in maiori parte omnium aliarum partiũ, quæ ipsi Germaniæ sunt confines. Sed Græci presbyteri, vt communiter sunt ebrij, mendaces & auari, parò attenti ad bonum Ecclesiarum quibus præsunt, sed, vt qualitercunq; rapiant prædas, & inter vxores & filios sortiantur easdem, vt in experientia vidi hæc omnia practicari, generaliter sunt intenti.

Idem. Decimo anno Pontificatus Bonifacij, circa quadragesimam terræmotus fuit per totam vrbem Romam. Ipso Bonifacio dissimulante, imò etiam approbante, quidam sui Cardinales, atque Curiales Episcopi venationibus intenti, alijsque vanitatibus dediti fuerunt, ex quibus Papa, & sui Cardinales, atque Curiales longè lateque diffamabantur, & in parabolam atque ludibrium hominum deuenerunt.

Idem. Nefandè quidam dicebant, non permissione sed dispositione diuinâ hoc lamentabile schisma in dies & dies prolongari. Sed numquid ista sunt præambula aduentus Antichristi? vtiq; iuxta historiographos. Prædicato enim, & disseminato per orbem Euangelio, iuxta sententiam Saluatoris, veniet consummatio, quam præcedit discessio, & diuisio fidei.

Dicit enim Apostolus 2. Thessal. 2. Nisi veniat discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis: vbi dicit glossa: nisi priùs gentes, quæ Romano suberant imperio, discedant ab imperio, & homines ab obedientiâ Romanæ Ecclesiæ, & à fide, non veniet Antichristus, nec instat dies Domini. Roma iam diu amisit imperium, & tamen tres concurrentes hodie habet reges, scilicet Ladislaum, VVenceslaum, & Rupertum, solo nomine reges. Quòd autem se vocant summos Pontifices, notum est.

Idem. Vrbano sexto nullus in Papatu repertus est hactenus truculentior, & sæuior: ita etiam, vt multos Episcopos, & alios Cardinales faceret immanissimè trucidari, secum super hoc, vt assimo, diabolo dispensante: cui successit Bonifacius 9. & post eum Innocentius 7. deinde Gregorius 12. Et hi quatuor vltimi eleemosynas non dederunt, quod est signum damnationis, & pessimum in prælato.

Idem. Scriptum reperitur scilicet: Et constituti sunt duo senes iudices in anno illo, de quibus locutus est Dominus, quia iniquitas egressa est de Babylone, & à senioribus iudicibus qui videbantur regere populum, Daniel. 13. Roma enim à plerisque diuinis Babylonia interpretatur.

Idem. Contigit, Vrbano VI. tunc apud Ecclesiam Neapolitanam residente, quòd Franciscus, aliàs Butyllus, eius nepos, quandam nobilem monialem professam, & inclusam de monasterio sancti Saluatoris, in ipsâ plateâ Nidi consistente, ordinis sanctæ Claræ, vbi dictus Franciscus morabatur violenter raperet, & etiam violaret, ipsam per dies aliquot in suo hospitio detinendo: sed quid mirum, quòd sordibus inuoluti nequeunt dimittere sordes? Quippe ipse nisi crapulis, voluptatibus, somno & luxuriæ deditus erat, nec propterea per eundem Vrbanum aliquando arguebatur, sed cùm diceretur ei, quòd nepos suus Butyllus viueret inhonestè, fertur aliquotiens respondisse: iuuenis est: licet tunc annum quadragesimum peregisset.

Patrato igitur per Butyllum hoc facinore, statim fiebat rumor magnus in populo. Multi enim dicebant, se nunquam audiuisse, quòd aliquis tantam ausus fuisset in Neapoli contumeliam perpetrare.

Idem. Dum Vrbanus iter ageret ad portum fluminarium, semper secum captiuos abduxit præfatos Cardinales, & Episcopum Aquilonensem, & eos iuxta se equo vehi, & quemlibet eorum per satellites, ne per viam euadere possent, diligenter fecerat custodiri: sed quia prædictus Episcopus habuit equum parùm vtilē, atq; inualidum, quo vehebatur, simulq; propter tormenta adhuc membris contractus extiterat, sicq; ita citò equitare non poterat, sicut Pontifex affectabat: Papa credens inde, ipsum Episcopum, vt euaderet, sic in viâ tardare, & furore succensus, à Carnificibus mactari, mandauit. Tunc Carnifices trucidârunt eum, multis ipsi vulneribus inflictis, ac corpus exangue insepultum reliquerunt ibidem. Si Papa potest mandare aut facere, aliquem interfici absque irregularitatis notâ, non recolo me legisse.

Et paulò pòst c. 60. Vrbanus sibi nimis onerosum esse existimans, quòd dictos quinq; captiuatos Cardinales secum duceret, quadam nocte, infra paucos dies antequàm de Genuâ recederet mense Decembri, vt quidam retulerunt, securi eos percuti, seu mactari iussit: aliqui autem dixerunt, quòd in mari eos præcipitari fecit: sed qualitercunque sit, vtiq; ipsi quinq; Cardinales postea non videbantur. (Fama erat, quòd in stabulo equorum dicti Vrbani in quadam fossâ repletâ calce viuâ, eorum corpora proiecta, & in eâ totaliter combusta, inque cineres conuersa fuerunt.

Idem. Vtinam talis Imperator surgeret temporibus nostris, qui nunc cassaret scripturarum multiplicitatem in hoc labyrintho, quæ adeò creuerunt propter multitudinem scribentium in hoc passu, quòd vix eos centum cameli portarent. Clarum est enim, quòd omnium Christianorum maximè interest, quòd Papa, à quo omnes normam viuendi capiunt, esse debet mundus, non simoniacus, sanguinolentus, adulter, vel lubricus aleator, ebriosus, venator, seu Venereus, vel aliter publicus baratator. Quis enim sciens, Papam esse talem, posset sine remorsu conscientiæ aut adula-

tionis vitio, illius pedes vel manus osculari, aut illum patrem sanctum cordialiter nominare? Igitur idem Augustus sic faciendo non peccauit vel excessit, quin imò, vt Dei minister, optimè fecit, qui fuit adeo gloriosus & constantis animi, deificus, mundusque imperator, vt eius magnificentia & memoria digna gesta testantur, sicut vnquam fuit aliquis Romanus patritius, rex, vel Augustus: nec tenetur fortè, communi vtilitate suadente, imperator vel rex Romanorum, fidelitatis iuramentum præstitum tali peruerso Papæ, vel alteri ecclesiastico prælato, notorio peccatori, vel incorrigibili, obseruare, quia ibi VIRTVS deficit potestatis, vbi successit abusus: &, IVRAMENTVM iniquitatis vinculum esse non debet: aliàs enim sequeretur, quòd arctante illo iuramento tales peruersos & malos nemo impedire, atq; vt ad viam redirent, admonere posset, quod iuri communi & rectæ rationi repugnat, & cederet in reipublicæ detrimentum: quia non perturbando peruersos, cùm possis, est ipsos in eorum malitijs confouere: & ERROR, cui non resistitur, approbari videtur. Cùm oporteat esse Episcopum sine crimine, quasi dispensatorem Dei, multò magis Papam, qui omnibus præest. Nec credo illud obstare, quod Canonistæ dicunt, quòd Papa, nisi à fide sit deuius, deijci non possit, & quòd nemo iudicat primam sedem, quodque nullus potest auferre authoritatem, vel potestatem, quam conferre non potest. Ex his & similibus volunt inferre, quòd nemo, nisi solus Deus, Papam potest, seu licet iudicare, quia Papatus omnes dignitates excellit, quia Papa est Dei vicarius, & ipse omnes iudicat. Quæ licet ita teneantur, tamen in putatiuo & contendente de Papatu in schismate, variantur, nec subsistunt, nec etiam intelliguntur rationabiliter in vno & indubitato Papa, malefico, & ecclesiam scandalizante, quia ille reuera propriè dici non potest Christi vicarius, qui Christi opera & mandata non sequitur, nec obseruat, in detrimentum maximum omnium Christianorum: & sic non Papa, sed bestia magis propriè appellatur, qui enim à ratione deuiat, non homo, sed animal irrationale iure censetur. Et talis existens Papa videtur etiam esse tyrannus potiùs, quàm Dei minister, & ideò propter eius demerita fit omnibus despectior, &, vt indignus, à tanto regimine sanctissimo remouetur: quia malus Sacerdos nō dicitur sacerdos, & malus Episcopus non est Episcopus. Hoc probare videtur authoritas Euangelij, vbi dicitur Petro conditionaliter, si diligis me, pasce oues meas: ex quo infertur, quòd, qui non diligit Deum, scilicet si est simoniacus, adulter, vel aliàs publicus peccator incorrigibilis, non meretur esse, nec est verus pastor ouium, sed mercenarius siue lupus, quia boni & veri pastoris officium non exercet, & ideò potest & debet per alios iudicari.

Idem. O quale venenum immisit per hoc ipse Carolus, dictus Augustus, in totam Christianitatem? Vtinam ipse legisset, & aduertisset istud, quod de hoc præuisum & scriptum fuit per quendam Valentem Alemannum tempore Gregorij Papæ 10. qui videtur prædicere, quòd multa mala Christianitas ipsa sustineret, quando Imperialis domus, quæ ex quatuor angulis principalibus, sancti Spiritus ordinatione, consistit, in aliquo illorum angulorum concuteretur.

Idem. Adhæc quoq; complures mirari, vnde tam magna & obstinata audacia Papæ, & Christianissimo regi tanta tamque excelsa confidentia venerit? quò clarè perspiceretur fons & origo arrogantiæ ministrorum Ecclesiæ Romanæ, & quòd hæc non sit noua, sed quasi prædictrix, & vates maximi istius futuri vicesimi quarti schismatis, de quo tot, tantaque veterum prophetarum, Sibyllarum, & Astrologorum vaticinia inueniuntur: simulque cognosceretur, intolerabilem atque immensam ambitionem Ecclesiæ Romanæ præbituram esse occasionem eius persecutioni.

Idem. Quòd igitur inducat aliud nil hæc pompa tantorum temporalium dominiorum, de quibus nunc gloriatur Ecclesia Romana, quam negligentiam in spiritualibus, & erectionem tyrannorum in eisdem domiuijs: & diuisiones, seu schismata in eadem Ecclesiâ, & alia mala plurima, satis est notum.

Idem. Videbunt etiam in hoc volumine illud legentes, quomodo Ecclesia militans in ruinâ, & rerum summo discrimine sit posita sub incerto, & vt (proh dolor) in aliquibus fidelium partibus vehementer incipiat fides Catholica denigrari.

Idem. Otho Dux Brunsuicensis, Ioannæ Reginæ Siciliæ maritus, cùm infra festa paschalia, sumto prandio cum Vrbano VI. vt moris est, ei quadam die potum præberet in collatione, in præsentiâ quorundam Cardinalium, & aliorum magnæ authoritatis virorum, dictus Vrbanus ex fastu scyphum de manibus tanti Principis stantis coram eo diu genibus flexis recipere tardauit, donec ad eum quidam ex eisdem Cardinalibus diceret hæc verba: Pater sancte, tempus est, vt bibatis: nec fefellit in eo illud tunc:

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.
Nec illud: *Corde stat inflato pauper, honore dato.*

Idem. Ladislaus rex Siciliæ, Caroli filius, fecit, inter se & eius consortem Mariam diuortiū celebrari, autore Bonifacio 9. Papâ, asserens, quòd ipsa eo digna non esset, eâ renitente, nec præualere valente. Sed tandem dictus Rex Ladislaus eam cuidam suo militi Neapolitano dedit vxorem, à quo ipsa multos filios postea edidit, dicens tamen dicto militi, dum traducebatur: eum esse felicem, quòd reginam in adulteram habiturus esset.

Idem. Vltimo anno Pontificatus Vrbani VI. ipse annum Iubilæum abbreuiauit, scilicet ad singulos XXXIII. annos, & constituit, quòd tunc, anno Domini M. CCC. LXXXVIII. in fe-

sto natalis Domini inciperet annus Iubilæus in vrbe, & duraret per annum inclusiuè, prout fa-
ctum fuit: sed ipse Vrbanus illum non vidit: quia priùs ab hac luce migrauit :& innumerabiles pe-
regrini toto illo anno, postquàm incepit Iubilæus, præsertim de Alemanniâ, Hungariâ, Poloniâ,
Bohemiâ, Angliâ, & alijs regnis ac prouincijs, quæ fuerunt de obedientiâ Vrbani, ad vrbem vene-
runt: vnde & maxima offertoria Ecclesijs & Basilicis vrbis per visitatores data fuerunt, ex quibus
aliquæ reparationes ipsarum Ecclesiarum factæ fuerunt: sed residuum & maior pars ad manus Bo-
nifacij, & quorundam aliorum deuenit. Ipse etiam Bonifacius huiusmodi offertorijs non con-
tentus, licet ad maximas summas ascenderent (erat enim insatiabilis vorago, & in auaritia nullus
ei similis) ad diuersa regna misit quæstuarios, vendendo dictam indulgentiam offerentibus tan-
tum, quantum essent expensuri in viâ, si propterea iuissent ad vrbem: & huiusmodi exactores, seu
quæstuarij etiam maximas summas pecuniarum à simplicibus, seu barbaris subtiliter extorserunt,
ita, quòd aliquando ex vno regno, seu in vnâ prouinciâ huiusmodi venditionibus vltra centum
millia florenorum reportârunt, quia omnia peccata, etiam sine pœnitentiâ, ipsis confitentibus rela-
xârunt, & super quibuslibet irregularitatibus dispensârunt, interuentu pecuniæ, dicentes, se o-
mnem potestatem habere super hoc, quam Christus Petro ligandi & soluendi contulisset in terris:
& per hoc ipsi quæstuarij impinguati, dilatati, ingrossati, & cum multis pulchris equis & decenti
familiâ redeuntes ad vrbem, de re collectis per eos taliter rationem Pontifici fecerunt, quòd ali-
quos eorum, quos comperit infideliter egisse, carceribus intrudebat, nonnulli eorum malâ mor-
te perierunt, aliqui verò sibi ipsi mortem consciuerunt, quidam furore populi in partes secti fue-
runt, alij erroribus hæresis inuoluti miserè decesserunt, taliter ditati per fas & nefas. Iustum
enim erat, vt hi, qui taliter Christianum populum deceperunt, suæ auaritiæ consulentes, malè
perderentur. Ipse autem Vrbanus ex terrâ, quam indicendo dictum Iubilæum seminauerat, fru-
ctus recolligere non poterat, sed alter collegit.

Idem. Bonifacius nonus reperit plures bonos & legales Cardinales de suo collegio, qui simo-
niæ vitium detestabantur omninò, quorum præ timore, quoad viuebant, quasi per septem annos
non audebat simoniam publicè exercere, attamen per aliquos mediatores, secretò & subtiliter, po-
tissimè in prælatorum promotionibus exercebat, intercedentibus pactis clandestinis de promotio-
nibus per ipsum faciendis, dum tamen huiusmodi promouendi sibi aliquos florenos simulantes
clanculò exhiberent: & si illi, à quibus postulabat pecunias, ei non dederunt in promtu, diuersas
confinxit & allegabat in secreto consistorio coram Cardinalibus causas, quarum prætextu promo-
uendorum plus debito negotia protelabat, seu totaliter impediebat, sic etiam Cardinalibus suis sæ-
pius illudendo.

Cardinalibus autem pro maiori parte successiuè defunctis, quos ipse simoniam odio habere
cognouit, exhilaratus est nimiùm, quia tunc liberas habebat habenas, simoniam pro libitu etiam
publicè exercendi.

Sed demum circa decimum annum sui regiminis, vt cautiùs ageret in hac parte, pallia-
retque simoniam, quam exercuit, quodam necessitatis colore, primos fructus vnius anni omnium
ecclesiarum cathedralium, & Abbatiarum vacantium suæ cameræ reseruauit, ita quòd quicunque
ex tunc in archiepiscopum, vel episcopum, aut abbatem per eum promoueri voluit, ante omnia
cogebatur soluere primos fructus ecclesiæ vel monasterij, cui præfici voluit, etiamsi nunquam pos-
sessionem eiusdem consequi posset, de quo ipse Bonifacius penitus non curabat, imò sæpè dicebat
vtinam non adipiscatur possessionem ecclesiæ, vel monasterij huiusmodi? vt iterum de alio rursus
pecunias extorqueret.

Dicti autem primi fructus per ipsum æstimati fuerunt ad triplum illius, quod in literis cameræ
Apostolicæ pro communi seruitio soluendo taxatum fuerat.

Et quia non omnes promouendi, venientes ad curiam, sufficientibus pecunijs cum sacco pa-
rati erant: vsura in curia tempore regiminis dicti Bonifacij in tantum inualuit, quòd fœnus am-
pliùs non reputabatur peccatum, imò ipsæ vsuræ exigebantur quandoque publicè coram iudicibus,
& officialibus dicti Bonifacij. Et tunc illud psalmi, Non defecit vsura & dolus in plateis eorum,
verificabatur. Sicque exigebatur pecunia simoniacè pro aliquâ gratiâ à Pontifice obtentâ ex stipu-
latu promissa: & vt nihil de contingentibus ipse Pontifex omitteret, multas vniones ecclesiarum
parochialium, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, simoniâ intercedente, fecit.

Item hic Bonifacius, suique secretarij & cubicularij, in principio sui Pontificatus, vnius anni
spacio vel plus, primam, quæ erat quinto idus Nouembris, plus offerentibus vendiderunt tam in-
uerecundè ac frequenter, quòd passim deuenit in derisionem etiam populorum illa venditio: & ibi-
dem Bonifacius sub pacto quæcunque beneficia ecclesiastica, vbicunque locorum vacantia, siue re-
seruata essent dispositioni Apostolicæ, siue non, sub dato obitus eorum, qui ea viui possidebant, ven-
didit, & hæc mercimonia publica multis annis durauerunt in curiâ Bonifacij.

Inuenisses etiam tunc plerosque cursores, per Lombardiam & alias partes Italiæ discurrere, per-
scrutantes, num infirmarentur aliqui pinguia ecclesiastica beneficia obtinentes, & si aliquos inue-
nerunt ægrotantes, tunc currebant ad Romanam Curiam, & mortem talium intimabant illis, qui
super hoc ipsos pretio conduxerunt.

Sed

Sed Pontifex ipse, vtpote improbus mercator, quandoque etiam sub eodem Dato vnum & idem sacerdotium pluribus vendens, veluti nouum proclamabat pro secundo, tertio, vel quarto, concurrentibus simul in Dato super vno & eodem beneficio sic vacante, quod illi duntaxat prouidere voluit: propterea volentibus excludere alios ab ipso Bonifacio habentes gratias expectatiuas, nouas gratias posteriores in Dato vendidit cum clausulâ Anteferri, per multos annos & tam diu, donec nulli vel pauci illarum gratiarum deinceps inuenirentur emtores: quod videntes ipsi proxenetæ, ad inauditam priùs practicam, lucri captandi causa, se improbè conuerterunt.

Finxerunt enim alias nouas gratias expectatiuas, quæ omnes gratias illas in Dato præcedenti, quæ vocabantur cum clausulâ Anteferri, prosternebant: sed illæ fuerunt nimis caræ, quia illæ cum simplici clausulâ Anteferri pro xxv. florenis vel circa, sed aliæ gratiæ cum Antelationis prærogatiuâ pro L. Ducatis communiter vendebantur, simul, quòd vltimæ gratiæ per multos assiduè ambitiosos emerentur, præfati mercatores seu institores, vt plus lucrarentur, nouas cautelas inuenerunt.

Fecit enim dictus Pontifex perquàm multas regulas cancellariæ & alias ordinationes, per quas videbatur, se huiusmodi gratiarum expectatiuarum à se tunc passim venditarum, effrenatam multitudinem restringere velle: quod cùm multi dictarum gratiarum sentirent emtores, nouo pacto, intercedente pecuniario quæstu, impetrârunt ab ipso, quòd sub illis declarationibus non comprehenderentur gratiæ ipsis factæ.

Beneficia etiam dispositioni dicti Pontificis generaliter reseruata, & illa potissimè, quæ vacabant in curiâ præfatâ, plus offerenti vendebat sub colore, quòd emtores illorum etiam primos fructus eorundem beneficiorum promtâ pecuniâ, ad vtilitatem Cameræ Apostolicæ, ante omnia soluerent, quo facto tunc primùm signabantur supplicationes pro ipsis emtoribus, in quibus dicta beneficia petebantur.

Et etiam postquàm signatæ fuerunt, si alter venisset fortè, qui plus obtulisset, iam signatæ supplicationes huiusmodi sæpe de registris supplicationum dicti Bonifacij cancellabantur, & superueniens præferebatur præcedenti in Dato. Dicebat enim ipse Bonifacius, quòd illi, qui minus obtulerunt, eum decipere voluissent.

Vidi etiam tempore pestilentiæ, quæ in vrbe grassabatur decimo anno Pontificatus dicti Bonifacij, quòd vnum beneficium aliquando in eâdem sept manâ successiuè pluribus vendebatur, nullo tamen illorum dicti beneficij habitam possessionem adepto, quia nunc emtore vno decedente successit secundus, & eo etiam moriente tertius aderat, illud pro se volens habere, sed nemini nisi ex pacto dabatur, pecunia intercedente: quia nemo facilè oleum elicere potest de saxo durissimo.

Hæc eo tempore, omni timore Dei, & verecundiâ hominum postpositâ, in tam frequenti erant vsu, quòd curiales pro maiori parte affirmabant, talia licitè fieri, cùm Papa in talibus, vt dicebant, peccare non posset: sed quia emtores aliqui beneficiorum sæpe non habebant pecunias promtas, tunc aut pignoraticiam aut fideiussoriam cautelam mediatoribus huiusmodi præstiterunt, & eadem pignora, si stipulata pecunia in statuto termino non soluebatur, vendebantur, & cessantibus in solutione principalibus, fideiussores, qui solam præstiterant fideiussoriam cautionem, statim in carcerem detrudebantur.

Præterea dispensationes, quæ petebantur ab ipso antistite pro quibuscunque, dummodò corresponderet pecunia quam eius rei causâ petebat, indifferenter docto & illi cariùs, indoctoque & huic remissiùs, pacto etiam intercedente, vendere non negauit: omnia etiam beneficia in ecclesijs vrbis vacâtia vendidit, & si non potuit habere pecunias, res alias in commutationem recepit, vt porcos, sues, equos, granum & frumentum, vaccas, oues, & boues, nil penitus refutando.

Et tunc nil erat tam generale in ipsâ curiâ, sicuti super talibus abusiuis gratijs fabricare minutas: omnes quippe curiales, magni, mediocres, & parui videbantur esse in talibus tunc experti. Sed qui plures cautelas perniciosas seu subtilitates inuenit, hic præ cæteris laudabatur, & secundum illas exorbitantes literas auditores, & alij iudices causarum in ipsâ curiâ iudicabant, eorum nullas quantumcunque etiam anormales refutando, quia & ipsimet talibus literis & gratijs se iuuabant, ambiendo etiam Ecclesiastica beneficia per easdem.

Vidisses tunc plerosque ex auditoribus ipsis, quorum quilibet prætextu talis expectatiuæ gratiæ ad certum valorem annuum (ad vnum, duo, tria vel plura beneficia) sibi factæ, vltra viginti beneficia acceptabant, & de illis etiam sibi prouideri fecerant: & sic alij expectantes & habentes consimiles gratias qualitercunque excludebantur per eosdem auditores propter prærogatiuam, quia capellani erant, & commensales dicti Bonifacij, vt dicebant: & tunc fiebant etiam in audientiâ causarum crebræ allegationes per aduocatos partium propter huiusmodi literarum exorbitantias manifestas: vnde augebantur expensæ litigantibus, & causæ protelabantur nimiùm, & notarij causarum exactionabant plus solito litigantes, & multæ nouitates malæ passim introductæ fuerunt in Curiâ memoratâ, quas nemo correxit, quia pecunia omnia superabat.

Et per multos annos super istis mirabilibus & abusiuis gratijs literæ dicti domini Bonifacij per suos Secretarios expediebantur per cameram ad nutum illorum, qui eas habere volebant: quibus ipsi secretarij consueuerunt dicere, antequàm dictas literas expedirent, si minutæ, super quibus dictæ literæ confici debebant, ad eorum voluntatem factæ forent? quibus respondentibus, quòd sic: tunc solutâ stipulatâ pecuniâ pro dictis gratijs, per eosdem secretarios expediebantur literæ super illis, tamen raro iuxta stylum Curiæ, aut ius commune.

Hic etiam Argus antistes, libros, vestes, vtensilia, & pecunias suorum Curialium & prælatorum, adhuc quandoque ipsis agonizantibus, per quosdam officiales suæ curiæ ad hoc deputatos pro se recolligi fecit, ad instar corui in prædam hiantis.

Idem. Sed cùm postea, contra ipsos vendentes & ementes huiusmodi gratias, longè lateq; maximâ infamiâ laboraret dictus Bonifacius, postremò ad profundum iniquitati s descendens, nullam penitus supplicationem, etiam pro quocunque & quantumcunque paupere vel alio, signare voluit, nisi pro singulis supplicationibus quas signauit, ante signaturam singulos florenos auri à suis mediatoribus deputatis, per eum in talibus recepisset.

Sentiens Bonifacius quòd infamiâ laboraret, ad alias cautelas sub boni specie se conuertit: vnde xI. Kalen. Ianuarij, Pontificatus sui anno 14. reuocauit omnes expectatiuas, & etiam alias diuersas gratiarum species per eum factarum, quasi errasset in omnibus illis: & nihilominùs nouas fecit gratias expectatiuas ad certos annos per eum limitatos, infra quos decessit, & ab illarum etiam Dato, secundum quod erant meliores, vsque ad eius obitum, volentibus emere vendidit, & interim etiam singulos florenos pro singularum supplicationum signatura per ipsum facta extorsit, asserendo, quòd per illam pecuniam sic extortam multùm in ipsius statu iuuaretur.

Vidi etiam tunc vnius auditorum causarum dicti Bonifacij, hominis inutilis & solo nomine Decretorum doctoris, literas super expectatiuâ gratiâ in diuersis prouincijs Germaniæ fabricatas, in quibus dispensabatur inter alia secum, quòd sex incompatibilia beneficia recipere, & simul retinere, illaque totiens, quotiens sibi placeret, simpliciter, vel ex causâ pronunciationis dimittere, & loco dimissorum totidem similia & dissimilia beneficia recipere & retinere posset, etiamsi essent dignitates maiores post pontificales, ac electiuæ & curatæ: nec non etiam suæ præsentiariæ ac Apostolicarum literarum scriptoriæ officia pacto pecuniario intercedente vendidit: tamen ementibus iuramentum solitum (in quo inter alia cauetur, quòd pro illo habendo nihil dederunt, nec per alium, eis scientibus, quicquam datum fuit aut promissum) non remisit, vnde multi periurium commiserunt.

Nec credo, quòd vnquam adeò inuerecundus, & ingeniosus quæstor pecuniarum repertus fuerit, prout erat Pontifex Bonifacius, ita quòd propriè ei congruit illud vaticinium Cyrilli Episcopi, in quo comparat istos rapaces & simoniacos summos pontifices cymbalo, quod fit ex pelle ab hirco vel oue detracta, & quibusdam fidibus æneis, quibus trementibus super pelle tensa digitis aut ligno tactis aures demulcet: sic ille pastor ecclesiæ quenquam minorum Ecclesiarum vel pauperem clericum excommunicans, deinde extendit & differt negotia curialia terminare, donec tactis nummis intra loculos conquassatis aures demulceat ad preces.

Ille etiam solitus erat quasi omni die, manè circa horam Primarum comedere, & post comestionem lecto se reponere, ac vsque ad horam vesperarum dormitare, atque de nocte similiter tempestiuè surgere, & tunc suum officium recitare. Dum autem coram eo missa celebraretur, prælati illic concurrentibus in publico, vt est moris, omni pudore seposito tunc illum, nunc alium de Secretarijs suis (infra missarum solennia) venire coram se fecit, semper intentus, si quas sibi pecunias apportarent. Et nunquam in tantum iracundiâ seu molestiâ vexabatur, quin, si videret sibi pecunias afferri, lætaretur, solùm præsentes & recentes curans pecunias.

Solebat enim quandoque dicere, quòd mallet paruum piscem in manibus habere, quàm cum dubio in mari Delphinum, & in hac opinione decessit. Nam cuidam interroganti eum in vltimo constitutum, qualiter se haberet aut sentiret? respondens ait: Si pecunias haberem, bene starem.

Præterea idem Bonifacius, circa septimum Pontificatus sui annum, in grauissimum detrimentum Cathedralium Ecclesiarum & monasteriorum ac prælatorum (quos illis vacantibus præfecit) certam ordinationem seu regulam suæ Cancellariæ edidit, continentem in effectu: quòd quicunque Archiepiscopi, Episcopi, nec non Abbates per eum promoti infra annum à tempore promotionis huiusmodi de ipsis factæ inclusiuè computandum, literas ipsius Bonifacij super eisdem promotionibus vsq; ad Thesaurariam expeditas non haberent, caderent à iure sibi acquisito ex promotionibus ipsis, ac Ecclesiæ, & monasteria ex eo per annum vacarent, dictæque literæ (licet soluissent per eum promoti aliquando pro maiori parte expensas) & onera quæ de nouo promotis incumbunt, non dabantur de ipsâ Thesaurariâ, nisi totaliter persoluissent. Vnde multi Episcopi, Archiepiscopi, & Abbates de nouo promoti per ipsum, ex defectu pecuniarum, per lapsum dicti anni perdiderunt suos titulos, & ius sibi competens in Ecclesijs & monasterijs, quibus præfecti fuerunt.

Et hæc practica irremissibiliter obseruabatur tempore Bonifacij vsque ad eius obitum in curia. Et sicut frequenter de Archiepiscopis & Episcopis facti fuerunt extra Archiepiscopi & Episcopi: ita & de Abbatibus non abbates, & de gloriosis inglorij, ac de magistris discipuli, in ludibrium & scandalum

dalum totius cleri, & populi Christiani, ac damnum ecclesiarum & monasteriorum, quibus præfecti fuerunt. Et per hoc etiam vsuris, & alijs multis malitijs via latissimè aperta fuit in Curiâ sæpe dictâ, & multæ baratriæ sequebantur.

Et licet Innocentius septimus, qui dicto Bonifacio successit, dictam ordinationem, tanquam iniustissimam & nequissimam, in principio sui pontificatus refutasset, postremò tamen ad importunam instantiam aliquorum lucri causâ eam circa aliquos prælatos reuouauit in principio secundi anni sui pontificatus, propter quod Deus subitò puniuit eum, vt creditur, & pro certo baratriæ & nouæ adinuentiones dicti Bonifacij, ad extorquendum pecunias indifferenter ab omnibus, fiebant, vt eas vix aliquis per omnia conscribere posset.

Tunc temporis vidisses etiam, continuò valde multos apostatas diuersorum ordinum mendicantium, & non mendicantium in eadem vrbe discurrere, & aliquos effici armigeros ipsius Bonifacij: sed plurimos titulares Episcopos, ac plerosque sedis Apostolicæ capellanos ad aliquam ecclesiam titularem promouebat: ita quòd nonnulli, qui heri vt scurræ seu histriones aut discoli per vicos & tabernas aliaque suspecta loca per vrbem discurrebant, in publico hodie facti Episcopi, & prælati sancta tractabant, nullis præmijs, nullâ priùs habita pœnitentiâ seu absolutione à censuris ecclesiasticis, quas sic euagando per mundum, & apostatando, & peccata enormia committendo damnabiliter incurrebant.

Præterea multi religiosi, & præsertim mendicantium ordinum fratres, quòd possent ecclesiastica beneficia regere, & extra eorum ordines & loca religiosa morari, ac alia similia multa impetrârunt: nec potuit adeò quid iniustum aut absurdum postulari, quod non concederetur intercedente simoniaco pacto, & solutâ pecuniâ ex stipulatu prædicto promissâ in Curiâ sæpe dictâ.

Idem. Septimo anno Pontificatus Bonifacij Ioannes Galeatius, de Vicecomitibus postea vocatus, dux Mediolanensis, emit à VVenceslao rege Bohemiæ pro summa C L. millium florenorum, quòd ipsum ducem Mediolanensem fecerat, & postea etiam vnum de filijs suis comitem creauerat Papiensem: nec carè vendidit ipse rex hæc notabilia dominia Imperij, quæ nec ipse, nec sui progenitores eidem imperio addiderunt, sed primus ille Otho magnus Augustus totam Lombardiam dicto imperio vniuerat, abducendo Berengarium regem Italiæ, & eius filium Albertum cum vxoribus ipsorum vsque ad Bambergam in Germaniâ captiuos, vbi postea in concilio decesserunt.

Sed & dicti regis Boëmiæ genitor, scilicet Carolus huius nominis quartus Augustus, imò veriùs dissipator iniustus, tempore Vrbani Papæ V. regnum Arelatense, quod similiter est iuris & proprietatis imperij, & quod etiam dictus Otho magnus Imperator adiecit imperio, sumto magno prandio, apud Villam nouam prope Auinionem per eundem ducem ipsi Carolo præparato, transtulit in præfatum ducem, postea in regno Siciliæ vitâ functum: nec his contentus idem Carolus, nobilem principatum, Delphinatum vulgariter nuncupatum, qui est vna de septem prouincijs dicti regni Arelatensis, quod etiam Burgundiæ nuncupatur, transtulit in regem Francorum, sub colore, quòd primogenitus regis Franciæ dictum principatum tanquam vasallus Imperij teneret in feudum, & inde Delphinus vocaretur.

Ipse etiam rex Carolus, vt electores imperij præfatum eligerent VVenceslaum, dedit aliquibus eorum pecunias, alijs oppida eis adiacentia, quæ erant proprietatis & iuris imperij: multa quoque, titulo pignoris, diuersis dominis temporalibus & prælatis Ecclesiasticis in Germaniâ obligauit, quæ nunquam postea ad huiusmodi imperium redierunt.

Dictum autem imperium ex quatuor fortibus parietibus magnus Otho Imperator stabiliuit, quibus eo viuente diu pòst, Spiritu sancto cooperante, firmiter persistebat, cuius tres parietes, scilicet regnum Arelatense, Lombardia, & Roma, quasi per diuersos ventos fortes nouiter concussi ceciderunt, vno sibi duntaxat remanente pariete debili. Nam vix modicam portiunculam adhuc habet in Germania ipsum imperium, magis fidelitate hominum qui commorantur in terris Imperij in Allemanniâ, nolentium ab imperio separari, quàm probitate & industria imperatorum, & regum Romanorum, qui infra sexaginta annos proximè præteritos imperio præfuerunt.

O beata Respublica per tam vigiles & fideles alumnos, scilicet Carolum patrem, & deinde VVenceslaum filium, ac postremò Rupertum præfatos nostris temporibus gubernata! Nimirùm igitur tota Christianitas contra paganos, auxiliantibus tam strenuè ac fideliter illis tribus successiuè principibus, viguit hactenus & viget, nomenque imperiale timendum meritò nationibus & paganis existat, spemque magnam gerant miseri Christiani, potissimè in vltramarinis partibus constituti, quòd de manibus in manu potenti Ruperti, vel VVenceslai regum, aliquando debeant liberari.

Idem. Anno decimo Bonifacij 9. aliqui trufatores de Scotiæ partibus ad Italiam venientes, cruces latericias subtiliter per infusum sanguinem in conspectu populi exprimentes, dictas cruces etiam olei loquore intus madefactas æstiuo tempore sudare fecerunt, & finxerunt, vnũ ipsorum esse Heliã prophetam, & de paradyso redijsse, mundũq; in breui terræmotu perire debere. Et totam penè Italiã, Romã quoq;, & Campaniã Rom. peruagantes, omnẽ populũ mirabiliter deceperũt, ita quòd etiã presbyteri & clerici, ac laici vtriusq; sexus, & penè totus popul⁹ in Roma & vicinis regionib. necnon etiã

quidam

quidam Cardinales, decepti per huiusmodi trufatores, se induerunt saccis seu albis camisijs:
nec non cantantes noua carmina per modum Letaniæ processionabiliter iuerunt per ciuitates, & lo-
ca vicina, per XIII. dies continuè, antequàm ad domos proprias redierunt, nocturno tempore cu-
bantes in Ecclesijs, & monasterijs ac eorum cœmiterijs, & alijs officinis, illa turpiter defœdando,
nec non penes ipsa repertos fructus in arboribus totaliter deuorando. In quibus quidem proces-
sionibus & stationibus maximè nocturno tempore multa fiebant anomala: quia senes & iuuenes,
nec non adolescentes & mulieres pariter & virgines absque praua suspicione simul de nocte in eo-
dem loco cubabant, & manè surgentes ibant vlteriùs cantando tota die, sicut die præcedenti fece-
runt: sed demum vno comprehenso pseudopropheta in Aquapendenti, nec non ad quæstiones po-
sito, ipse flagitium detexit, pœna docente, quem pòst flamma combussit: quod cùm acciperent ali-
qui ex eius complicibus, ne ipsi etiam in locum venirent tormentorum, ab illis partibus clancu-
lò abierunt.

Idem. Multi periti in iure propter continuationes Simoniæ in Romanâ Curiâ, tempore dicti
Bonifacij, publicè arguere atque tenere volebant, quòd Papa Simoniam committere non posset
etiam in beneficijs seu rebus Ecclesiasticis, intercedente pecuniario quæstu seu pacto: quod & mihi
videbatur satis iniustum, cùm saltem inciuile sit & contra bonos mores, si, quod dignis gratis da-
ri debet, ob vilem pecuniarium quæstum concedatur indignis: quodque Papa, qui omnibus præ-
est, à quo & cæteri viuendi normam capere debent, sic tali crimine sordidatus, cum profectu alium
punire non posset in eo, in quo ipse deliquit, quia

Turpe est doctori, quem culpa redarguit ipsum.

Ex hoc etiam apud vulgares multùm vilescit, & vituperatur Papalis autoritas, & diffamatur: vnde
quidam Imperator dixit: illum, esse Christi vicarium, & Petri successorem, ac dispensatorem ani-
marum fidelium, indignum fatemur, non ob dignitatis iniuriam, sed ob personæ defectum, qui
dispensationes cum fratrum deliberatione maximâ faciendas, in camerâ suâ, more mercatorum,
existens ipse bullator, scriptor, & forsan numerator, solus perficit: & talis fuit sine verecundiâ ante
dictus Bonifacius.

Viuente eodem quidam integrì magistri in sacra Theologiâ, & alij in scientijs illuminati, no-
lentes, ita communiter & apertè simoniam committi in Curiâ, & quòd sic fieri posset, multis luri-
stis alijs pertinaciter asserentibus, in contrarium arguendo, & conclusiones in quaternas & codi-
ces redigendo, determinârunt, licet sub magno timore, quòd Papa vendendo ecclesiastica beneficia
ex pacto intercedente, simoniacus esset, quia non foret constitutus, vt illa venderet, sed vt dignis
gratuitò dispensaret.

Idem. Veruntamen clarum est, quòd cauteriatas suas habent conscientias, (pontifices) dicen-
tes, se esse simplices, cùm sint astutiâ diabolicâ repleti: & pro opere pleraris dixerunt & dicunt, se
vtique voluisse & velle vnionem facere, quod tamen in eorum cordibus non habebant, nec habent,
malitiâ faciente.

Et pòst. Quid ergò erit in tam lamentabili schismate finaliter, quòd, non ad pacem sed ad dis-
cordiam maiorem, ipsi potentes in seculo, & vtinam non ad dispendium aliorum minùs potentū,
perniciosè vanis decepti promissionibus & fraudibus varijs ipsorum Errorij & Petri de Lunâ, suo-
rumque sequacium & fautorum, eos in fermento malitiæ ac veteri errore sustentant? ac si non sit
Deus in cœlo, sed quasi tota salus animarum & corporum mortalium dependeat à duobus senioři-
bus Babylonis, scilicet Errorio & Petro memoratis: de quibus maior progressa est iniquitas, & pas-
sim progreditur in vniuersam terram, quàm vnquam ante nostra tempora ab aliquibus de papatu
contendentibus emanauit: &, proh dolor, hæc adeò notoria sunt & manifesta, quòd nulla possunt
tergiuersatione celari.

Vnde ipsa fides Catholica obnubilatur: omnis religio naufragium patitur: Christiani inte-
se dissidentes plerunque se confundunt: guerræ, & aliæ calamitates multæ pullulant: Dei timor, ho-
minum verecundia, & virtutes à plerisque regnantibus, & præsidentibus populis, atque alijs infe-
rioribus omnis status, propterea in longum abierunt: & in eorum loca successerunt vitia: iusticia
corruit in plateis: & in effectu in vniuersali Ecclesia à capite vsque ad plantam pedis non est sanitas.
Nam multi Archiepiscopi & Episcopi, qui populis præsunt, plerunque religionis & honestatis cul-
tum deserentes, in habitu & moribus, atque insanijs multis se conformant laicis: nec non auaritiâ
incalescentes, penè omne pingue de clero & populo surripiunt: & nec Deo nec supremis potestati-
bus obediunt. Et quidem hæc nota sunt omnibus.

Idem. Fatuè & adulatoriè loquuntur illi, qui dicunt, quòd Papa seu Ecclesia duos habeat gla-
dios, scilicet spiritualem & temporalem, cùm in Euangelio Petro sit dictum: Conuerte gladium
tuum in vaginam: & ibidem additâ ratione, videlicet: Omnis enim, qui gladio ferit, &c. Etenim si
vterque gladius apud Papam existeret, superuacuè vel fictè Imperator aut Rex Romanus illud no-
men haberet. Sed isti adulatores, seu assentatores per talia scripta & dicta inducunt maximum er-
rorem in totâ Christianitate, & suscitant quodammodo perpetuam æmulationem seu discordiam
inter Papam, & Imperatorem. Conculcatur enim per hoc Imperialis autoritas, & eius potestas sub
dubio collocatur in totius Reipublicæ detrimentum: vt videmus.

Patet etiam ex Decreto, quòd, cùm schisma viget in Romanâ sede, propter autoritatis excellentiam, & in temporalibus potentiam, Imperator vel rex Romanus prælatos Ecclesiasticos potest conuocare, vt illud omninò tollatur: quod credo intelligi debere de illis, qui re & nomine Imperatores, vel Reges existunt Romani: non autem de illis, qui desides, seu solo nomine Imperatores & Reges Romani sunt, sicuti fuerunt Imperatores & Reges Romani, quos nostro tempore habuimus, & habemus. Illi enim non merentur Imperatores, vel Reges Romani nominari, quia sunt pusillanimes, & effœminati.

Idem. Certè nostri moderni Reges & Imperatores longè in talibus ab eodem Theodorico rege distare videntur, quia maiori curâ priuatum patrimonium suum, quàm iura eiusdem Imperii conseruare conantur.

Quòd autem Imperialis potestas sit præcipuè super malum, & incorrigibilem Pontificem Romanum, per quem scandalizatur ecclesia: ex gestis Imperatorum, seu regum Romanorum satis constat.

Nam Ioannes Papa XII. fuit vnicus & indubitatus Papa, qui ante papatum vocabatur Octauianus, de nobili & potenti genere procreatus, qui postquàm assumtus erat ad papatum, venationibus ferarum syluestrium quandoque interfuit, nec non libidinosè ac lubricè viuens cum suspectis mulieribus sortes posuit, ac etiam aliquos ex suis Cardinalibus eum propterea arguentes malè tractauit, & mulctauit.

Quod audiens Otto primus magnus Augustus de hoc ex corde doluit: & ex Germaniâ propterea Romam veniens, eidem Papæ, cur illic venerat, exposuit. Quod audiens Papa valdè timuit, promittens Imperatori, quòd suam vitam subitò emendare vellet. Imperator autem credens eum ita facturum, ad Papiam è Româ secessit, vbi hyemando remansit, vt scrutaretur interim, si forsan præfati Papæ dictis facta responderent. Sed quia difficile est consueta relinquere: Papa ipse, nec Deum nec Imperatorem habens præ oculis, mala malis accumulauit. Quod sentiens Augustus irato animo ad vrbem rediit, vt diiudicaret de ipso Papâ. Qui hoc audiens, vtpote sibi ipsi malè conscius, se inde fugæ subsidio è vestigio absentauit, ad Campaniam declinando. Sed impiger Imperator concilium Cleri Romani contra eundem Papam in ipsâ vrbe conuocauit, in quo, dicto Papa communi voto eius concilii deposito, vir laudabilis famæ ac sanctæ conuersationis, Leo huius nominis VIII. extitit surrogatus. Ipse autem Octauianus, ne ad manus Imperatoris deueniret, abdita loca perquirens, in ipsâ Campaniâ miserè diem clausit extremum.

Profectò tunc temporis Papa non habuit tot temporalia, sicut Romana Ecclesia nunc videtur habere: quia ipse Magnus Augustus, & de ipso descendentes, secundus & tertius eiusdem nominis Augusti, ipsam Romanam & alias Ecclesias in Italiâ & Germaniâ secularibus dominiis ditârunt, & ita manifestè apparet in libris, qui super donationibus Ecclesiæ factis per Imperatores & Reges Romanos confecti sunt, & in Thesaurariâ, seu Camerâ Apostolicâ conseruantur. Præterea tunc erat adeò excellens Augustus: quòd nemo contra eius voluntatem aliquem Papam, præsertim malignum, abiectum, vel schismaticum, ausus fuisset publicè confouere: aliàs certè idem Octauianus, vt existimo, reperisset aliquem potentem, qui ipsum in suâ malitiâ & tyrannide confouisset, nec ciuitas Auinionensis cum eius mirando palatio tenuit Romanam Ecclesiam, sed potiùs magno Ottoni obsequebatur.

Idem. De more seu consuetudine, in Norvvegiâ clerici & laici bibunt ad haustus æquales: & nisi super modum quis inebriatur cereuisiâ, potu cocto, tunc non reputat se beatum, & exigit alter ab alio, vt sibi faciat iusticiam, rebibendo æqualiter cum ipso. Nec quis crederet, nisi videret, quantum quisq; vtriusque sexus ibidem biberet vnâ vice, ac idem postea vnâ eademque horâ, donec ebrius in terram caderet, denuò occeptaret: quique crebris potationibus schyphos magis exhaurit, hic cæteris corporali vigore, ac in virtutibus excellentior reputatur.

In eisdem etiam partibus Hyberniæ & Norvvegiæ, iuxta consuetudines patriæ licet Episcopis & presbyteris, tenere publicè concubinas, & eisdem visitantibus bis in anno subditos sibi presbyteros ac Ecclesiasticorum parochialiumque rectores, suam dilectam ducere secum ad domos, & hospitia eorundem subditorum presbyterorum. Nec ipsa dilecta permittit Episcopum amasium visitare sine se, his de causis, vt tunc lautè viuat cum presbyteris visitatis in hospitiis eorundem presbyterorum, videatque amasias eorundem, nec non dona, seu munera seorsum à quolibet presbyterio capiat visitato, & ne amasius visitans, Episcopo fortè vidente ea pulchriorem, illam etiam adamaret, sicq; iniuriam faceret ipsi dilectæ.

Et si fortè aliquis ipsorum visitatorum casu, vel fortunâ non habeat focariam, vt præuaricator paternarum traditionum, Episcopo visitanti proinde procuratores duplices ministrabit. Ac etiam presbyterorum amasiæ, seu vxores in eisdem partibus, statu, & gradu in ecclesiis, ac in mensis, eundo, sedendo, & stando cæteris dominabus etiam militaribus præponuntur. Et penè idem modus, scilicet quoad luxuriam, circa presbyteros Gasconiæ, Hispaniæ, ac Portugaliæ, nec non contiguarum regionum versus Africam, in omnibus obseruatur. Vnde quodammodo plures ex fœdo complexu nati, quàm filii legitimi ac naturales, in omnibus illis partibus, in Ecclesiasticis titulis concedendis præferuntur, & plures legitimis apertissimè promouentur.

Hæc pauca sufficiunt de qualitatibus partium prædictarum, prout hæc omnia & infinita alia in libro de regionibus Orbis, & qualitatibus habitantium in eisdem, quem etiam nuper edidi, latiùs sunt descripta.

Idem. Dominus autem quilibet Papa, & omnes domini Cardinales, & omnes Ecclesiastici
prælati, & omnes Christiani (cùm sint omnes filii Adæ & Euæ, in quibus ex inobedientiæ peccato &
errore corrupta est humana natura mala malis & peccata peccatis addentes, intellectuque & affectu
in multis Deum & homines offendentes, quoniam in multis offendimus omnes, vt dicit Apostolus
Iacobus Alphæi, Iac. 3. possunt quandoque errare, peccare, decipere & decipi, & incautè & inconsul-
tè, & indiscretè, & stultè, & dolosè, sicut Dauid ait, in persona sua & aliorum dicens: Erraui sicut o-
uis, quæ perierat, Psal. 118. Et Daniel ait: Iniustè egimus, iniquitatem fecimus, Domine, &c.

Idem. Pro precio XV. millium florenorum auri, præter alias summas, quæ inter mediatores seu
proxenetas huius transactionis diuisæ fuerunt, ciuitatem Rigensem in Prussiâ, quæ tunc in tempora-
libus spectabat ad Metropolim Rigensem, cum eius territorio, & pertinentiis vniuersis, vendidit
Bonifacius in assisium perpetuum magistro, & fratribus Hospitalis beatæ Mariæ Teutonicorum, in-
vito Archiepiscopo & Capellano Rigensi: & ipsa Ecclesia tunc erat ordinis sancti Augustini Cano-
nicorum regularium, celebris valdè: sed postea mutauit statum, & Canonici illi sunt hodie Fratres
Hospitalis eiusdem.

Idem. Potest admodum Ecclesia cantare: Regem non habemus, neq; Cæsarem: sed Pontificem
impotentem: & per consequens, sit liber aditus Antichristo, Dei iudicio, vt forsan, exigentibus pecca-
tis catholicum gregem deuoret cum pastore: & adhoc si benè videatur, præsentia tempora disponi
videntur. Et in Labyrintho tract. 6. ait: Iam diu timui & timeo, quòd nostri sacerdotes catholici
cum Rom. Ecclesia dicere possint: Regem non habemus, nisi pontificem. Vnde vidimus prædictum
schisma iam 30. annis, & vltrà viguisse, & semper de malo in peius declinare, atq; fomenta recipere
nimium venenosa. Vnde timendum est etiam, nisi Deus nobis piè succurrat, quòd talis tribulatio
ventura sit in clericis, qualem antea venisse legimus in Iudæis, prout quidam solennis memoriæ cle-
ricus, & descriptor historiarum, tempore Gregorii Papæ 10. nomine Iordanus, de ipsa VVestphaliâ
oriundus hæc videtur tunc temporis omnia in ænigmate prædixisse.

Idem. Mirandum est, quare isti contendentes de Papatu, scilicet Errorius, & Petrus de Lunâ, cer-
tabant tamdiu de conueniendo in vno loco, vbi vterq; ipsorum suo papatui, cedere vellet, nisi forsan
voluisset vnus eorum alterum subornasse, ita quòd ille duntaxat cessisset: sicq; per fas & nefas alter
cum Cardinalibus ordinasset, quòd solus in paptua remãsisset. Et si taliter contigisset, tunc vtiq; per
hoc sedatum schisma non fuisset, vel quòd volebant forsan pugnare in simul, suosq;, qui cum eis es-
sent, in periculo mortis ponere, vt sic alter eorum vincens per violentiam Papa vnicus remaneret.
Nec video, quin maxima pericula subsecuta fuissent: sed prædicti contendentes de papatu in simul
conuenissent, cùm quilibet ipsorum sic in astutia, quasi diabolo similis, & vsq; ad mortẽ contendat
velle in papatu remanere. Nam eorum actus quos hactenus fecerunt, omni malitia mixti euidentis-
simè hoc ostendunt.

Idem. Anno duodecimo Pontificatus Bonifacii propter annum Iubilæum, secundum anti-
quam institutionem Ecclesiæ Romanæ, ad vrbem cateruatim vtriusq; homines sexus, causa deuoti-
onis, in maximâ multitudine, penè per totum illum annum aduenerunt, quorum multi erant no-
biles & egregiæ personæ, ac larga offertoria ad Ecclesias & vrbes attulerunt: sed quia tandem pleriq;
illorum in districtu Romanorum, & prope vrbem rebus suis spoliati, atq; malè tractati, nec non ali-
quæ pulchræ mulieres & generosæ in itinere violenter à nostris stipendiariis raptæ, nec non abductæ
fuerunt, ad nos pauci de partibus vltramontanis pro anni Iubilæi in vrbe consequenda indulgentiâ
peruenerunt, & tunc etiam pestilentiæ incepit vigere in vrbe: sed ipse Bonifacius, quamuis delibe-
rasset, recreationis causa ab ipsa vrbe tunc velle abire, tamen timore dominii temporalis vrbis eius-
dem, ne illud interim perderet, etiam æstiuo rempore permansit, neque aduenis illo periculoso tem-
pore decumbentibus aliquam eleemosynam fecit, licet tunc in omnibus abundaret: solitus enim e-
rat rapere, nec rapta indigentibus communicare.

Idem. Confirmatur adhuc, sicut dixit Iesus Simoni Petro: Pasce oues meas, pasce agnos meos,
Ioa. 21. Sed per talem voti redditionem & renunciationem non fit voluntas & mandatum Domi-
ni Dei nostri: imò per tale potiùs destruuntur oues Domini, & periculis temporalibus & æternis ex-
ponuntur, ac incognito & forsan iniquo lupo, aut nulli Papæ relinquuntur, secundum illud, quod
cantat tota Ecclesia in festo S. Martini: Cur nos desolatos relinquis? Inuadunt enim gregem tuum
lupi rapaces, ferentes longæua schismata & maligna, quærentes quæ sua sunt, & non quæ Iesu Chri-
sti, & quorum deus venter est: inueterati dierum malorum: in mortalibus peccatis, deliciis, & lasci-
uiis debachantes: homines mollibus vestiti & animo corrupti, ampliùs currantes repletionem bur-
sarum quàm salutem animarum, ambulantes secundum carnem dominorum, & priuatis affectio-
nibus deprauati: de quibus dixit Iesus, & dicit tunc, & nunc discipulis suis, tunc in verbo, & nunc in
Euangelio Matth. 7. Attendite à falsis prophetis, &c.

Idem. Et ecce, quàm bene conueniunt hodie Romani principes cum prædecessoribus eorun-
dem? Verè malè concordat Psalterium cum citharâ inter ipsos: sicq; tui bidis iam diu manentibus
negociis Imperii, summi Pontifices, qui fuerunt interim, vel saltem multi eorundem, non contenti
etiam multis & magnis dominiis in ipsa Italia, quę sibi ab ipso Imperio ademta quomodolibet ven-
dicârunt, etiam extendentes manus sua ad regnum Arelatense, seu Galliã, Auinionem, & quasdam
alias ciuitates Prouinciæ, quæ sunt iuris & proprietatis ipsius Imperii, ea sub aliquibus titulis re-

petunt,

perunt, & in eis palatia, & mœnia vltra modum magnifica construxerunt, quæ plerisque causam publici schismatis præstiterunt.

Idem. Sed in maiorem verecundiam Errorii, prædictum Paulum habitu superiori, quem gestabat, spoliantes, in diploide seu tunicâ prope camisiam vilis precii dimiserunt. Sed cùm vnus eorum renouaret bastonatas, seu ictus super eum, sensit quandam repercussionem in eadem tunicâ, vnde spoliauit ipsum etiam huiusmodi tunicâ, in qua 500. florenos auri consutos reperit, quos ipse sociiq; sui inter se læti diuiserunt: quo facto, quidam de dictis spoliatoribus eundem superiorem habitum dicti Pauli induit, & cum illo per Vtinum equitando, ludibriosè populo papalem benedictionem dedit. Ipseque Paulus suis vestibus & pecuniis taliter denudatus, demum in carcerem missus fuit, ipsique vectores ad incautam, seu sub hasta, prædam, quam lucrati fuerunt ex spoliis dicti Errorii, subitò vendiderunt.

Franciscus Zarabellus Florentinus, Ecclesiæ Rom. Presb. & Cardinalis. 1418.

SCriptum quoddam de Schismate & concilio, acutum sanè & eruditum, & liberum, contra Papæ errores ac tyrannidem scripsit. Inter alia & hæc affirmat:

Papam in futuro concilio ita astringendum & restringendum esse, vt non posit, nisi quod liceat. Potestatem Ecclesiæ, & conciliorum esse supra Papam & sic in Apost. concilio Act. 15. factum esse. Concilia conuocare licere Imperatori, & id eius proprium ius fuisse. Conuocasse enim olim concilia Constantinum, Iustinianum, Carolum, & alios. Quin & in illa sanctissima synodo Nicena præsedisse Constantinum. Laicos posse & debere interesse conciliis, cùm de causâ fidei agitur. Imperatorem posse exigere rationem fidei à Papâ.

Petrum non habuisse plenitudinem potestatis, sed fuisse vnum ex præcipuis Apostolis & Ecclesiæ administratoribus: & cùm claues à Christo accepit, totius Ecclesiæ personam gessisse.

Papæ non obtemperandum, nisi iusta ac pia præcipienti. Per futura concilia abrogari ea posse, quæ non satis firma ratione, iustisq; causis sunt constituta in præteritis.

Quòd dicitur, Ecclesiam errare non posse, intelligendum esse de totâ Ecclesiâ Christi.

Dignus sanè liber est, qui legatur, ac in causa congregandi concilii, fraudibus & præiudiciis Papæ opponatur. Omnia enim quæ dicit, non tantùm ex Scripturâ, sed & ex ipsorum propriis iuribus probat.

Super Clementinas de statu monachorum affirmat, confessionem auricularem non esse necessariam ad salutem. Flaccius. Imp. Sigismundo. PP. Martino. 5. V. S.

Idem de scelerata Canonistarum iuris peruersione, & impia Papalis potestatis exaltatione & adoratione, in suo edito scripto sic inquit: Quæ iura sunt nefanda, quia malè considerata sunt per multos assentatores, qui voluerunt hoc modo placere suis Pontificibus, per multa retrò tempora: & vsque ad hodiernam diem suaserunt eis, quòd omnia possent: & sic, quòd facerent quicquid liberet, etiam illicita: & sint plus quàm Deus. Ex hoc enim infiniti secuti sunt errores: quia Papa occupauit omnia iura inferiorum Ecclesiarum, ita, quòd inferiores Prælati sint pro nihilo. Et nisi Deus succurrat statui Ecclesiæ, vniuersalis Ecclesia periclitatur.

Sed, fauente Deo, speratur de reformatione, si (vt dicitur) constitutum congregabitur in Ecclesia concilium. In qua congregatione non oportebit solùm schismati præsenti, sed etiam futuris consulere: & ita determinare potestatem Papæ, vt non subuertantur inferiores potestates: & vt Papa deinceps posit non quod libebit, sed quod licebit. Nam etiam ipse B. Petrus non sic administrauit, vt occuparet aliorum potestatem: imò, tanquam vnus ex Apostolis, accepit partem administrationis primùm in Ecclesia Antiochena, deinde in Romana, vt habetur in eius historia. Et licet fuerit princeps Apostolorum, tamen non vsurpauit aliorum administrationem.

Idem in tractatu de schismate. Considerandum est & de honorificentia facienda Papæ, ne in ea excedatur modus, ne videatur magis honorari Papa, quàm Deus. Ita enim honorandus est, vt non adoretur: quod de se fieri passus non fuit B. Petrus, de quo legitur Act. 10. quòd Cornelius procidens ante pedes eius adorauit eum: Petrus verò eleuauit eum dicens: surge, ego ipse homo sum, sicut & tu.

Ibidem num. 20. De quolibet notorio crimine Papa, si sit incorrigibilis & scandalisat Ecclesiam, potest accusari: quia censetur pro hæretico: not. in gloss. 40. distinct. c. si Papa. Nam hæc incorrigibilitas concernit causam fidei: vt in eadem gloss. Et si contingat, quòd isti tueantur se per potentiam temporalem, poterunt de facto coërceri etiam per secularem potestatem: arg. de iudic. c. cùm non ab homine.

Ex actis Parlamenti Parisiensis. 1419.

CVm Martinus quintus Papa quæstuarias artes in toto orbe exerceret, ei se fortiter opposuerunt Rex Galliæ & Parlamentum. Et Constitutiones, vt est Pragmatica illa, omnibus nota, Ludouici 9. & edictum Car. 6. anno 1385. quæ apud Gaguinum & Molinæum reperiuntur, olim latas iterum publicârunt. Et cùm Lugdunensis Ecclesia propterea interdicto Papæ subiecta fuisset, Senatus

econtrà per arrestum statuit, ne tali interdicto pareretur, sed vt tanquã abusiuum sperneretur. Cumque seditiosi quidam Academiæ Parisiensis à Regio edicto ad Papam appellarent, contra eos & Rectorem Academiæ Regius in Senatu Procurator, vt contra Maiestatis criminosos, processit, vt ex actis vberrimè constat. Imp. & PP. V. S.

1419. *Ioannes de Lignano Mediolanensis, Astrologus.*

HIc tempore Papæ Martini V. præuidens in genitura, filium cruci affigendum, volensque fatali geneseos dispositioni succurrere, eum sacris initiari, ac apprimè erudiri fecit. Sed ne sic quidem euitare vim fati potuit. Nam cùm eum conciues sui ad Martinum Papam ablegassent, rediens domum, propter legationem non fideliter tractatam, de nocte à Magistratu Bononiensi suspensus est: quem cùm elucescente die pater pendentem vidisset, plorans inquit: Eheu fili mi, tu infelicissimum fatum nec humanis literarum adminiculis, nec diuinis mysteriis superare potuisti. Imperatore & Papa vt suprà.

1419. *Ioannes ab Oldencastel.*

HIc fuit eques auratus armatæ militiæ, Regulus de Cobham. Scripsit contra Monachorum & Sacerdotum Sodomiam: quare catenis suspensus vitam in igne finiuit. Bal. Imp. & PP. V.S.

1419. *M. Bartholomæus Miller.*

CVm mox à martyrio Ioannis Huss, Biberacum monachi & moniales è vicinia confluerent, vt illi quidem homines absoluerent, & prædicarent: hæ verò stipem & caseos suos colligerent, tunc Bartholomæus iste pro concione grauiter in ipsos animaduertens, totumque monasticum ordinem reiiciens, tantum effecit, vt certè nemo hominum in posterum, eiusmodi pythecia ampliùs oberrare in vrbe, viderit. Imp. Sigism. PP. 2 1 3. Martino 5.

1420. *Berengosius lib. de ligni Dominici mysterio.*

FIat Dan coluber in via, inquit Iacob, & cerastes in semita: Antichristum scilicet significans, qui contra electos Dei duplici quandoque debet sæuire dementia: dum & coluber ex astutia, & cerastes vocatur ex potentia. Imp. & PP. V. S.

1420. *Poggius Florentinus, Secretarius Apostolicus.*

NOn inficias imus, nonnulla, quæ in hoc opere, præsertim iam à Poggio subsequenti, de vitiis & excessibus clericorum recitantur, turpia admodum & inhonesta esse facinora, à quibus animus pius, & aures castæ abhorrent, ita vt quis non immeritò mirari possit, quid sit, quòd tam docti & eximii viri, quos habuit Papatus clarissimos, non erubuerunt, hæc de suis propriis Ecclesiasticis tam fœda & nefanda scriptis publicis mandare, nisi, quòd per hoc notum facere voluerunt, quid de suo clericatu sentirent.

Omnes enim historiæ, nulli non libri referti sunt maximis quibusque sceleribus, flagitiis, fornicationibus, adulteriis, sodomiis, veneficiis, incantationib. technis, dolis, & iniquitatibus, quæ tamen neminem alium ferè habent autorem, quàm clericos, sacerdotes, monachos: in tantum, vt cum Ezechiele verè dicere possis de eis, quòd non, vt Sacerdotes, circa altaris officia dediti sint, sed contemto templo, & sacris neglectis, festinent participes fieri palæstræ, & in exercitiis disci: sint Ecclesiæ speculatores cæci, canes muti & impudentes: non pascant gregem, sed semetipsos, & lac, atque lanam ouibus auferant, dicendo: Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & viam suam declinent: adeoque (Abbate Ioach. Telesphoro, Cath. Senensi, Hildeg. Brigitta, & infinitis aliis id testantibus) omnem viri boni speciem exuisse, & contra pietatem in scelus iurasse videantur.

Ideoque væ illis, quia super ipsos seuerus olim iudex requiret gregem suum, & sanguinem de manu eorum. In hoc ergò se contueantur speculo, & discant vel tandem agnoscere suam cæcitatem, & valedicere peccatis, abstinere ab impietate, & ad Apostolorum vitam (quam toties non sine hypocrisi in vanum huc vsque ingeminant) se componant: aut, vt ab Ecclesia absit scandalum, (quod Aristoteles Rhetorem iubet) vel simulent saltem probitatem seu speciem viri boni, etiamsi reuera non sint.

Hæc tamen non dicuntur, vt in suspicionem omnes vocentur: habet enim Papatus (quod fatemur) etiam pios & spectatæ integritatis viros, ad quos nihil istæ admonitiones pertinent. Vixit Poggius Imp. 1 1 3. Sigismundo. PP. 2 1 4. Martino 5.

Idem. In curiâ Romanâ vt plurimùm fortuna dominatur, cùm perrarò locus sit vel ingenio, vel virtuti: sed ambitione & opportunitate parantur omnia, vt de nummis sileam, qui vbiq; terrarum imperare videntur.

Amicus quidam, qui ægrè ferebat, præferri sibi multos doctrinâ, & probitate inferiores, querebatur apud Angelottum Cardinalem sancti Marci, nullam haberi suæ virtutis rationem, sed se postponi his, qui nulla in re sibi pares essent: sua insuper studia cōmemorans, & in discendo labores. Tum promtus ad lacessendum curiæ vitia Cardinalis: hîc scientia & doctrina (inquit) nihil prosunt: sed perge, & aliquandiu ad dediscendū, & addiscendū vitia vaca, si vis Pontifici acceptus esse.

Idem in Facetiis. Brugis Flandriæ vrbe adolescentula fatebatur parocho peccata sua. Ille cùm inter cætera quæsisset, an debitas decimas traderet sacerdoti, persuasit, etiam coitus decimam esse reddendam. Quam iuuencula (vt se ære alieno liberaret) statim persoluit, domum tardiùs reuersa. Admiranti viro causam moræ absque vllo timore dixit.

Vir rem dissimulans, post quatriduum parochum ad prandium vocauit, nonnullis adhibitis, quò res fieret notior. Cùm sederent in mensâ, vir, narratâ priùs fabulâ, ad sacerdotem conuersus: Postquàm, inquit, tibi rerum omnium vxoris meæ debetur decima, & hanc quoq; accipias. Et simul vas stercore & vrina vxoris plenum ori sacerdotis admotum, in mensâ libare compulit.

Idem. Neapolitanus pastor quidam cùm, confitendi gratiâ, ad sacerdotis genua procubuisset, ait, se, cùm caseum faceret ieiunii tempore, ex pressurâ lactis guttas quasdam in os exilientes hausisse. Sacerdos, qui mores gentis nosset, subridens, cùm dixisset, grauiter illum deliquisse, qui quadragesimam non seruasset, quæsiuit: numquid aliis esset obnoxius peccatis? Negante pastore rogauit, num cum aliis pastoribus quenquam peregrinum, vt mos esset illius regionis, transeuntem spoliasset, aut peremisset? sæpiùs, inquit ille, vtraque in re cum reliquis sum versatus. Sed istud apud nos ita est consuetum, vt nulla conscientia fiat. Cùm vtrumque graue facinus Confessor asseueraret, ille rem leuem latrocinia & homicidia (quoniam apud eos vsu probarentur) existimans, solius lactis veniam petebat.

Idem. Sacerdos quidam rusticanus in Tusciâ admodum opulentus, catellum, quem in deliciis habebat, mortuum sepeliuit in cœmiterio. Episcopus prædæ inhians sacerdotem, veluti maximi criminis reum, ad se vocauit. Sacerdos quinquaginta aureos secum deferens, ô pater, inquit, si nosceres, quâ prudentia catellus meus fuit, non mirareris, eum sepulturam inter homines meruisse. Moriens testamento tibi quinquaginta aureos legauit, quos tibi affero. Episcopus acceptâ pecuniâ sacerdotem absoluit.

Idem in libro de Auaritiâ. Quid loquar de sacerdotibus nostris, quorum studia manifestiùs apparent? Num aliud spectant, quærunt, ambiunt sub fidei velamento, nisi vt paruo labore diuites fiant? Quantâ non solicitudine, sed importunitate & impudentiâ hæc petunt, quæ vocant beneficia (mihi autem animæ maleficia videntur) diuitiarum gratiâ, quæ quò sunt opulentiora, eò maiorem in ea concursum atque impetum fieri videmus. Nisi forsitan propter saluandam animam, non propter vitam in deliciis degendam, ea tantoperè putas expeti. Illi ipsi, qui sub hypocrisi hæc aspernari se fingunt, id agunt, vt non quæsita ab eis, sed vltrò virtuti ac meritis suis delata videantur.

Idem. Neq; tu mihi oponas, volo, vastos quosdam atque agrestes ex istis hypocritis, scurrisq; circumforaneis, qui sub religionis specie aucupantur victum sine labore & sudore, paupertatem rerumq; contemtum aliis prædicantes, qui est eis quæstus vberrimus.

Idem. Anno 1451. mense Octobri, cùm iterum Pontifex esset Florentiæ, plurima prodigia nunciata sunt, & ita certis autoribus, vt fidem abnuere imprudentis videatur. A Como literæ allatæ ab honestissimis viris, asserentibus, ea ad se delata à plurimis, qui id se conspexisse testabantur. A certo loco, qui vltra Comum est mille pass. vesperi horâ visum est, ingentem canum (qui rubeo colore videbantur) multitudinem, ad quatuor millia, iter Alemanniam versus facere.

Hanc veluti primam aciem sequebatur boum pecudumque ingens numerus. Post hos equites peditesque in turmas cohortesque diuisi, scutati plures, adeò magna manu, vt exercitum repræsentarent, quorum partim vix capita, partim nulla capita conspiciebantur. Vltima acies erat hominis permagni, gigantis more, equo altiori insidentis, & ipse magnam iumentorum diuersi generis copiam secum ducens.

Tres fermè horas eorum transitus fuit longissimo agmine, vt diuersis in locis apparerent. Cuius rei plures extant testes, viri fæminæque, qui etiam propiùs conspiciendi causa accesserunt. Post Solis occasum, veluti ad alia loca transissent, nequaquam conspecti sunt.

Idem in Facetiis. Eremita quidam Paduæ, Ansimirius nomine, tempore Francisci Ducis Patauini septimi, multas mulieres etiam nobiliores per confessionis speciem ad concubitum pellexit: vulgatâ tandem scelerum fama, captus à prætore, cùm Scriba matronarum nomina, quibúscum rem habuisset, expiscaretur, & ad plures detegendas eum minis etiam additis hortaretur: tum ille suspirans, Scribas & tuam quoque, ait: quo dicto & calamus præ dolore è manibus secretarii excidit: & Dux Franciscus in maximum est risum conuersus.

Ibidem. Quidam ciuis noster, qui se castum, summæque religionis videri volebat, semel deprehensus à socio in coitu inhonesto, acriter ab illo reprehensus est, quòd castitatem prædicans in id facinus laberetur. Tum alter: O ho inquit, non propter luxuriam, vt forsan putas, sed ad domandám, macerandamque hanc miseram carnem, & ad purgandum renes hoc ago. Ita isti pessimi hypocritæ, quibus omnia oppleta sunt, faciunt, qui semper suam ambitionem, & scelera sub aliquo honesti velamento contegi volunt.

Ibidem. Eremita, qui Pisis morabatur, tempore Petri Gambacurtæ, meretricem noctu in suam cellulam deduxit, & ea nocte mulierem cognouit, semper, vt crimen fugeret luxuriæ, vulgaribus verbis dicens: doma ti carne catiuella, hoc est, doma te miserrima caro: quod cùm retulisset meretrix, ille vrbe pulsus est.

Ibidem. Anno 1451. mense Aprili res monstro similis accidit in confinibus Galliæ & eius, quæ nunc dicitur Brittannia: Picæ & graculæ aues aciebus instructis in aëre immenso languore per vniuersum diem acriter pugnârunt. Victoria penes graculas stetit, ex eis ad duo, ex picis ad quatuor millia in terrâ mortuæ sunt repertæ. Quid id prodigium ferat, tempus ostendet.

Ibidem. Bernabos Princeps Mediolani fuit admodum mulierosus. Is cùm aliquando solus in horto, semotis arbitris, cum muliere, quam amabat, lasciuiùs iocaretur, superuenit ab improuiso religiosus quidam Confessor eius, cui propter sapientiam & autoritatem semper ad Principem patebant fores. Erubuit simul, & indignatus est Princeps, de insperato Confessoris aduentu, pauloque commotior, vt eum in responso caperet, quid, inquit, ageres, si tu quoque cum eiusmodi muliere in lecto esses? quid me deceret, ille ait, scio: quid verò facturus essem, nescio. Hoc responso iram Principis flexit, cùm, se quoque hominem esse & labi posse, fateretur.

Ibidem. Episcopus Hispanus iter faciens die Veneris ad hospitium diuertit. Missoque seruo qui pisces emeret, non reperiri eos venales, sed duas perdices, patrono retulit. Ille eas emi, & simul coqui, ac in mensam ferri iussit. Admiratus seruus, qui eas emtas pro die Dominico crederet, quæsiuit ab Episcopo, num eas esset esurus, cùm tali die carnes essent prohibitæ? Tum pro piscibus, inquit, vtar. Multò id magis admiranti responsum, an nescis, ait, me sacerdotem esse? Quid est maius, ex pane corpus Christi facere, an ex perdicibus pisces? Factoque crucis signo cùm eas in pisces verti imperasset, pro piscibus eis vsus est.

Ibidem. Zucharus vir omnium vrbanissimus, Florentinus, narrare solebat, mulierem quandam haud spernendæ formæ, vicinam suam, quæ sterilis erat, quæsisse sæpius à sacerdote confessore suo, an sciret aliquam medelam ad liberos concipiendos? Illum postremò annuisse, ac mandasse, vt die Iouis eiusmodi rei aptâ ad se veniret.

Cùm accessisset filiorum cupida mulier ad cameram sacerdotis: Vtar ille, inquit, incantatione, quæ inducit multas variasque illusiones, ita vt quæ non fiunt, fieri videantur. Itaque constantia & firmitate animi opus est, ne res incassum euadat. Videbitur tibi, vt te tangam, osculer, amplexer, & secretiora etiam faciam, quæ vir tuus consueuit. Attamen nihil eorum erit, sed ita videbitur ex vi verborum, quibus vtendum est, quæ adeò est efficax, vt quæ non sunt esse videantur.

Consensit mulier, confidens compatris verbis, & se has præstigias parui facturam dixit. Sacerdos multis peractis signis, dictisque in aurem secretioribus verbis, cœpit mulierem osculari, & in lectum sternere. Cùm illa tremebunda, quidnam compater ageret, quæreret? nónne prædixi antea, inquit, quæ nulla essent pro veris visum iri? Ita mulierem credulam bis cognouit, semper affirmans, id nihil esse. Hoc pacto mulier se delusam falsa imagine existimans rediit domum.

Ibidem. Paucis pòst diebus ab vrbe Roma allata sunt & alia, haud dubiâ fide, cùm manifesta extent vestigia. Ventorum turbine coorto die 20. Septemb. muri castelli deserti, qui Borgetus appellatur, prope vrbem mil. pas. 6. & item Ecclesia quædam peruetusta ei loco propinqua solotenus deiecta sunt, ita contritis lapidibus, vt manibus hominum disturbata viderentur.

Cauponulæ quæ infra muros erat, peregrinantium diuersorium, cùm in ea plures confugissent, tectum omne sublatum, alioque haud longè in via translatum est absque hominum nocumento.

Turris quoque Ecclesiæ S. Rufinæ longè ab vrbe mil. pas. 10. in ora transTyberina mare versus Casale appellatum, à solo auulsa prostrataq; est.

Horum causam multis mirantibus sciscitantibusque, bubulci duo, qui in Casali morabantur agriculturæ causa, ad vrbem ob rei nouitatem accedentes, retulerunt, sæpius à se visum in syluis propinquis inambulantem Cardinalem, qui in sepulchro Hadriani ex vulnere nuper decesit, patriarcham cognominatum, veste desuper lintea, vt moris est Cardinalium, & bireto capite contecto, prout deferre consueuerat, mœstum, lamentantem ac conquerentem. Eo vero tempore, quo ventorum turbo adeò repentinus fuit (interdiu autem erat) conspectum ab sese in aëre inter ventos, amplexantem eam turrim, & ab solo à se longiùs delatam ad terram prostrasse: complures insuper quercus atque ilices miræ grossitudinis ab radicibus auulsas, atque aliò esse delatas. Quibus rebus cùm parùm fides haberetur, multi cùm accessissent, id pro comperto retulerunt.

Ibidem. Abbatissam certi monasterii de vrbe, quam noui, cùm amaret frater ordinis Minorum, petiit sæpiùs concubitum eius. Id deneganti mulieri, eò quòd vereretur ne conciperet, & exinde pœnam metuenti, pollicitus est frater, quoddam breue (vt appellant) se illi daturum, quod si ad collum filo serico suspensum ferret, prohiberet prolem, & eo modo secura coire, cum quocunque vellet, posset. Credidit illa, quod optabat. Frater mulierem sæpius compressit.

Post tres menses mulier grauida comperta est. Id rescíscens frater aufugit. Abbatissa se delusam conspiciens, breue illud dissoluit, aperuitque, vt videret, quid intus esset scriptum: verba hæc erant vulgaria: Asca imbarasca, non facias te supponi, & non implebis tascam. Optima ad prohibendam fœcunditatem incantatio.

Ibidem. Tibure frater parùm consideratus prædicabat ad populum, aggrauans multis verbis, ac detestans adulterium, dixitque inter cætera, adeò esse graue peccatum, vt mallet decem virgines cognoscere, quàm vnicam mulierem nuptam.

Idem in Felicem Antipapam. Antichristus dicitur, cùm veniet, auro atque argento homines corrupturus.

Ibidem. Miror, Dei patientiam tam diu hoc exitiabile portentum orbis, hoc infandum monstrum, hoc nefarium ostentum inultum finere inter homines versari. Sed Dei iudicia sunt occulta, qui hypocritam regere propter peccata populi permittit.

Idem de Auaritia. Illud verò, quod à te multis verbis est explicatum, non plerosque, sed omnes (quo verbo nulli excipiuntur) auri cupiditate adductos, auaritia teneri, refellant hi duo, quorum mores cùm sint ab eius vitii labe sepositi, eorum est suæ famæ non deesse. Tunc subridens Cincius: atqui, inquit, cùm Omnes Antonius dixit, de Sacerdotibus voluit intelligi, quibus iam dudum hoc est commune malum, & moribus consuetum. Ab ipso enim, vt mihi videtur, exordio religionis nostræ cœpit hæc pestis vigere in illis. Iudas primùm ex discipulis Saluatorem prodidit, acceptis nummis, & ab eo in reliquos ingluuies auri manauit, perseueratq; ad nostram ætatem, adeoq; in eis insedit, vt rarum sit, reperire sacerdotem cupiditatis expertem.

Refert beatus Augustinus, queri sanctissimum virum Cyprianum, episcopum Carthaginensem, esse temporibus suis in Ecclesia non qualescunque auaros, sed raptores & fœneratores, nec quoslibet homines, sed Episcopos. Quod si tunc accidebat, cùm recens æstuaret fidei feruor, cùm floreret martyrum virtus, cùm redundaret orbis sanctitate fidelium, quid in hac fece temporis, quid in hac morum peruersitate, in hac hominum corruptela, & quasi senescente fide fieri putemus?

Rectè Franciscus Petrarcha, vir suæ ætatis optimus ac præstantissimus, auarum Babyloniam nuncupauit: vidit enim, quàm insita esset huic generi hominum auaritia, quàm infinita cupiditas, quanta libido quæstus? Quod mihi quidem maiorem in modum mirandum videtur, eos, quibus nihil vnquam deesse potest (militant enim sub stipendio Christi) qui in summa rerum copia, minimeque defutura versentur, quos bona fortunæ ad nutum circumfluunt, tamen cruciari semper, veluti Tantalum apud inferos, perpetua auri siti, & quò plura assequantur, eò ampliora ab eis concupisci.

Legunt, sed non seruant verba Isidori, qui iubet eos fugere amorem pecuniæ, quasi cunctorum criminum materiam: surdis enim narratur fabula. Verùm de his rectiùs puto sileri, quàm pauca dici.

Idem. Episcopus Aretinus, Angelus nomine, quem nouimus, aliquando conuocauit ad synodum sacerdotes suos, præcipiens, vt, qui aliqua in dignitate essent, cum cappis & cottis (sunt enim hæ vestes sacerdotales) ad synodũ proficiscerentur. Quidam presbyter, cui hæc vestimenta deerant, mœstus domi erat, ignorans, vndénam ea sibi pararet? Hunc cogitabundum vultu demisso conspicata ancilla (quam domi nutriebat) cùm quæsisset mœroris causam, dixit: sibi cum cappis & cottis, secundum Episcopi edictum, eundum ad synodum esse. Atqui inquit: O bone vir, non rectè vim mandati huius cognouisti: non enim cappas & cottas, sed capones coctos Episcopus postulat, qui tibi sunt deferendi.

Apprehendit sacerdos muliebre consilium, & secum capones coctos deferens, optimè ab Episcopo fuit susceptus, qui per risum retulit, hunc sacerdotem solum rectiùs, quàm cæteros, edicti sententiam cognouisse.

Idem in lib. de miseria humanæ conditionis. Oblitus sum, inquit, heri, nonnullos addere his, quos putabam esse felices, Pontifices, Cardinales, ecclesiarum antistites, virosque omnes, qui Christi militiam sequuntur, hos dico opulentos, ac bene suffarcinatos, qui non solùm beatos se, sed beatissimos opinantur. Deriderent hi sanè hanc tuam sententiam, cùm censeantur ab omni miseriarum suspicione vacui, nemoque ambigat, eos omni viuendi molestia carere. Quid enim deest ipsis ex his, quæ sunt hominibus desideranda? Nam præter opes, diuitias, dignitates, summam, qua fruuntur, autoritatem, præsunt cæteris mortalibus, quod dulcissimum habetur, ac dominantur. Eas verò fortunas possident, quas nullus casus, nulla maior vis queat eripere.

Nam quæ Deo donata sunt, cùm ipsi Dei sint cohæredes ac ministri, rata manent in populis, neque decretis aliorũ labefactantur. Ita nullo amittendi metu cruciantur, nullo egendi timore, vt, si

cætera desint, hoc solum præstare felices eiusmodi homines possit. Habent præterea suum protectorem Saluatorem nostrum, cuius scuto tecti nihil pertimescunt, iudicant alios, à nemine iudicantur. Summa in quiete, absque vllo labore vitam iucundam ducunt. Id verum esse, declarat frequens concursus varii generis hominum ad hos, veluti fertiles agros, ex quibus facillimi suauissimique fructus percipiantur.

Vides namque, propter fortunæ bona tanta ambitione summas appeti dignitates, vt arma etiam & crudelia bella inter competitores excitari, sæpiùs cum magna regionum & gentium clade, conspiciamus. Quo fit, vt opulentiores facti, nullius rei inopes (quam maximam felicitatem putant) in negociis ocio dediti, in ocio absq; negotiis transigant ætatem. Horum de felicitate nemo dubitat, cùm nulla molestia, nullo dolore perplexi, absque sudore, absque vllo discrimine contenescant.

Hæc tibi Poggi, qui cum eiusmodi genere hominum diutius consueuisti, quique eorum vitam & mores penitus perspexisti, esse debent multò, quàm mihi exploratiora. Mea tamen sententia est, illos omni vitæ miseria vacare.

Scio, te magis, inquam, Cosme, hæc ex communi fama & vulgi rumore dixisse, quàm quòd vera crederes. Qui enim tibi probari potest, vllam felicitatem in illis esse, qui ipsi sibi videntur infelices? Aut quomodo vitæ molestiam possunt effugere, quorum ceruicibus onus grauius ac molestius Sisyphi saxo imminere videmus?

Neminem adhuc (& annos quinquaginta cum eis vixi) testor me reperisse, qui sibi vlla ex parte felix videretur, qui non illam vitam, vt molestam, inquietam, anxiam, multis oppressam curis deploraret. Nam vt de nostris pontificibus loquar, quos similes arbitror fuisse superioribus, multi ex eis mecum priuato sermone sunt admodum conquesti oneris Pontificii seruitutem, detestatique quodammodo eam dignitatem, vt quæ omnium miserrima videretur: quoniam neque cum vlla corporis aut animi liberâ quiete, nec absque maximis ac grauissimis curis teneri, neque tutò absque periculo, neque commodè absque multorum detrectantium inuidia dimitti queat.

Ita non felicem, sed afflictam omni tormento vitam fortunamque eorum, qui ad tantum gradum assumuntur, duram & asperam appellare possumus, si pontificis officio, non tyrannorum imperio vti velint, quorum tamen si mores sequuntur, non miseros solùm putamus, sed etiam detestandos. Extitêre plures, inquies, quibus nulla miserior, quàm Christicolarum vtilitatis, aut fidei tutandæ cura fuerit, vt & miseros tales pontifices opinari homines meritò possint, & miserum Christianum populum, tali pastori vel lupo potiùs creditum.

Magna pars horum in subleuandis, ditandisque suæ stirpis hominibus occupata fuit, quorum cogitationes quàm euaserint inanes, multorum, quos nouimus, extant exempla. Rarum apud eos studium viguit doctrinæ vel religionis, rariùs virtus est in precio habita, vt nisi Dei prouidentiæ ea fieri arbitrarer, aliquando quererer, minimam illi inesse aut mortalium, aut suæ fidei curam. Quapropter siue boni fuerint, propter agendorum difficultatem & pondus, multiplicesque anxietates, in quibus absque vlla intermissione versantur, miseri sunt iudicandi, siue mali, eò sunt miseriores, quò longiùs ab eorum officio discessêre.

Videntur quoque sæpius hac miseria premi, vt non Dei seruorum (vt scribunt) sed Dei hostium aliquando serui esse videantur, quæ magna infelicitas est habenda. Perfacilè nudarentur quorundam, qui nostro seculo fuerunt, pontificum cicatrices, quò faciliùs eorum miseria in promtu esset, nisi tantæ dignitati parcendum videretur. Nonnulli certè ne dum laudandi sunt, sed ne tolerandi quidem, nisi à Dei patientia, cuius iudicia sunt occulta: nam de Cardinalibus non audeo sententiam dicere. In omni statu & conditione scimus, optimis permixta esse pessima.

Vnum nouimus illo ordine indignissimum, Angelottum Romanum Cardinalem ab Eugenio factum. Nam fuit auarus, rapax, subdolus, maleficus, inuidus, lingua procaci, & in aliorum contumeliam promta. Continentis tamen vitæ fuit, ad cætera moribus improbissimis. Cuius vitæ congruens exitus fuit. Ab adolescentiore enim cubiculario somno meridiano dormiens gladio transfossus est.

Optandum quippe esset, vt qui tantam dignitatem assequuntur, minus studii ponerent tum in cumulandis pecuniis, cùm in iustitia & iuribus violandis. Nam his rebus dediti miseria carere non possunt. Idem de Episcopis cæterisque, quos opes Ecclesiarum insignes reddunt, censendum videtur, quorum studia multùm differunt ab eorum professione.

Scribit beatus Augustinus, queri Cyprianum Carthaginensem sanctissimum virum, reperiri temporibus suis episcopos auaros, luxuriosos, vitiis deditos. Et quidem eo tempore id queritur, quo persecutionem Christiani ab infidelibus sustinebant. Quòd si tunc, cùm multi martyrio coronabantur, cùm sanctis viris illustrabatur nostra fides, cùm paupertatem omnes ferè complecterentur, improbos episcopos fuisse nonnullos, patet, quid in hac temporum fece, in tanta huius ætatis peruersitate, in tam deprauatis moribus fieri putemus? Longus sanè liber esset conficiendus, si multorū quos nouimus, vitam, mores, vitia recenseremus. Sed ad maiora quædam nostra tendit oratio. Hæc relata sunt, vt planè intelligas, eos ipsos quos beatos ac felices putamus, omnis esse veræ felicitatis expertes, nulloq; pacto ab hac labe communis miseriæ eximendos videri.

Idem. Monstra plura diuersis in locis natura edidit. In agro Senogalliensi in Picenbos quidam serpentem peperit miræ magnitudinis, capite erat grossiori quàm vitulus, collo longo ad mensuram vlnæ, corpore canis simili, terete & longiore. Hunc editum cùm bos conuersus respexisset,

magno-

magnoque mugitu edito exterritus aufugere vellet, erectus serpens subitò, posterioribus cruris caudâ circumdatis, ad vbera os admouit, tam diu sugens, quoad lac inerat vberibus. Deinde boue relicto, ad syluas vicinas aufugit. Vbera postmodum, & ea crurum pars, quam serpens caudâ tetigerat, veluti adusta nigraque diutius permanserunt. Hoc pastores (nam in armento bos erat) se vidisse affirmârunt: bouem quoque vitulum postea peperisse, idque ex literis Ferrariam nunciatum.

Ordo equestris Annunciationis beatæ Virginis Mariæ. 1420



AMadeus dux Sabaudiæ ordinem hunc equestrem anno 1420. instituit, in memoriam Annunciationis, quæ facta fuit B. Mariæ, & victoriæ naualis ab Amadeo auo olim reportatæ, qua Rhodum ab hostibus liberauit. Ordinis insignia fuerunt torques aureus, cum quatuor literis F.E.R.T. æquè distanter insertis, appensaque imagine historiæ Annunciationis ab Angelo Mariæ factæ. De hoc ordine scribunt Paradinus, Gabriel Simeon in Symbolis, Pontus Heuterus in libro 4. Rerum Burgundicarum, & Philibertus Pingonius in Arbore gentilicia Principum Sabaudiæ. Literarum autē quatuor suprà dictarum sensus est: Fortitudo Eius Rhodum Tenuit. Imp. 113. Sigism. PP. 213. Mart. 5.

Epitaphium Ioannis Ziskæ, clarissimi Bohemorum Ducis. 1420.

IOann. Ziska, nulli Imperatorum Ducúmue militari peritiâ inferior, superbiæ & auaritiæ clericorum seuerus vltor, patriæque acerrimus propugnator, hîc iacet. Quod Appius Claudius cæcus bene consulendo, & M. Furius Camillus strenuè agendo, suis Romanis præbuêre, hoc ipsum Boëmis ego meis præstiti: fortunæ belli nunquam defui, nec illa mihi: omnem opportunitatem rerum bene gerendarū etiam cæcus præuidi: signis collatis vndecies semper victor depugnaui. Visus mihi sum miserorum & esurientium iustissimam causam aduersus delicatos, pingues, & saginatos sacerdotes egregiè egisse, & ob hoc Dei auxilium sensisse. Nisi illorum inuidia obstaret, inter illustres viros numerari proculdubio meruissem. Tamen ossa mea hoc sacrato loco cubant, etiam insalutato Papâ, inuitoque.

Dîs manibus sacrum Ioan. Ziskæ Gregorius auunculus PP.

Gesta factaque eius habes apud Dubrauium anno 1515. & alios. Imperatore Sigismundo. Papa Martino 5. vt suprà.

Bartholomæus Florarius. 1420.

IN libro de abstinentiâ, corruptos aliquot mores cleri papistici cursim perstringens, ad Mendicantes fratres tandem conuersus, sic loquitur: Mendicitas (inquit) spontanea ab Apostolo prohibetur, à Salomone abhorretur, ab Augustino, & aliis expositoribus reprobatur, & cæt. Vnde odium eorum affatim incurrit certè non modicum, vt habet Nicolaus Brigamus. Imperatore & Papa vt suprà.

Baldus in c. olim. col. pen. extr. de rescript. 1420.

COntra Papam sua potestate abutentem primò vtendum est verbis, id est, admonitionibus: secundò herbis, id est, comminationibus: tertiò lapidibus: & vbi non sufficit virtutis ingenium, ibi valere debet armorum præsidium.

Idem l. tutor petitus. § 1. ff. de excus. tut. Papa conferens beneficium consanguineis, præsumitur fecisse ex affectione carnis, non ex reuelatione spiritus: proindeque mortaliter peccat: scilicet alienans res Ecclesiæ in consanguineos, vt eos diuites faciat.

Joannes Puruæus Anglus in Commentariis in Apocalypsin.

1421. MAnifestè reprehendit Papam, tanquam Antichristum ac Babyloniam meretricem, eò, quòd, neglecto Dei verbo, suas humanas traditiunculas & nugas doceat, Euangelium piosque doctores opprimat: item, quia quæstus gratiâ indulgentias excogitauerit, potentiam & splendorem regium sub falso donationis Constantini nomine ad se traxerit.

Enumerat & alia plura flagitia erroresque Papæ & prælatorum, præcipuè verò, quòd ex mandatis Dei consilia faciant. Reprehendit vehementer Papam, quòd se iactet Vicarium Christi. Item, quòd neget, Euangelium ad salutem sine suis decretis & decretalibus sufficere. Hortatur etiam omnes, vt fugiant ex illa Babylone.

Addit quoque, complures fuisse ante se, qui illam spiritualem Babylonem oppugnârint: & suo tempore multos veritatis præcones in carceribus detentos, custoditosque arctissimè. Fuit & ipse author in carcere, ac catenis insuper chalybeis, cùm ea commentaria scripsit: vt ex decimo & vndecimo eius scripti capite apparet.

Ait quoq;, à spiritualibus libros contra Papam scriptos abscondi, & aboleri: non admitti quenquam ad suggestum, qui Papæ non sit addictus: omnes rectè sentientes ad carceres trahi. Sed tamen nihilominùs scribi denuò etiam vehementiora scripta contra Papam, quàm fuerunt priora, quæ Papistæ oppresserant.

Scripsit autem eum librum anno 1390. vt ex decimo tertio capite, & principio vigesimi apparet. Inquit enim: mille trecenti anni elapsi sunt à passione Christi, & 57. Christus passus est 33. ætatis suæ anno, qui numeri additi faciunt 1390. quæ est præsens data. Reliqua porrò, quæ sequuntur, mendosa sunt, ac sic legi debent: Quia sumus in anno à passione Christi 1357. ergò trecenti quinquaginta septem anni elapsi sunt, postquàm Antichristus primò regnauit, ex ista prophetia. Sic legendum esse, sensus totius paragraphi, ac præcipuè initium indicat.

Adducimur porrò ratione temporis in eam sententiam, vt putemus, scriptorem fuisse VValdensem, propterea, quòd circa idem tempus, nempe circa annum 1390. quo iste se fuisse in carcere queritur, grauis facta sit ad mare Balticum inquisitio in VValdenses: cuius rei testis est integrum exemplar processuum, contra pios viros illic existentes factorum.

Eodem tempore & Bingæ exusti sunt 36. ciues Moguntinenses, ob VValdensium dogma, teste Bruschio. Illud tamen huic opinioni nonnihil repugnat, quod capite 20. affirmat, Papam generaliter à præconibus Euangelicis promulgatum, quòd sit ille magnus Antichristus, primùm circa annum Domini 1360. id est, ante 230. annos: nisi velit dicere, tunc primùm vehementiùs & clariùs Papam Antichristianismi conuictum, quàm vnquam antea. Nam alioqui VValdenses iam annis 400. Papam esse Antichristum, docuerunt. Flaccius. Imp. 113. Sigism. PP. 213. Martino 5.

Idem. Constat, quòd anno Domini 1384. factus sit terræmotus supra modum prodigiosus, dum Vuiclaui doctrina damnaretur à Papistis, quo simul tremuit tota terra. Nunquam visa est Solis Eclipsis notabilior à passione Christi, quàm illa, quæ contigit eodem anno. Generale mandatum tunc erat pro scripturis in Anglico sermone comburendis, procurantibus Mendicantium fratrum ordinibus. Hypocritæ in Ecclesiâ præualent, Papam defendentes: & hi sunt fratres quatuor sectarum, cruciatæ Papalis procuratores speciales.

Exercitus ipsius cruciatæ papalis cum Henrico Spenserio Nordouicensi Episcopo missus in Flandriam, vulnus sæuum sensit. Quia de eo nullus euasit, quin aut est ibi interfectus, aut vulneratus, aut dysenteriæ morbo percussus: aut tandem à rege Francorum, cum verecundiâ nostræ gentis inauditâ, fugatus.

Et sequitur: septem anni elapsi sunt, quòd primò generaliter Papa Romanus vulgatus sit Antichristus magnus à præconibus Euangelicis, scilicet ab anno Domini 1382. Et sic iam sumus in illis 45. diebus Danielis, qui dantur electis. Nunquam hæc & consimilia scripsissem contra Antichristum & suos, nisi me incarcerassent, ne in eos agerem, &c.

VVilhelmus Sartoris.

1422. VIr hic in diuinis literis doctissimus cùm, solum Deum adorandum, diceret, Lugduni comburitur. Bernhard. Lutzelb. Imp. Sigism. PP. Martino 5. V. S.

Thomas Scrope.

1425. THomas Scrope, aliàs Bradley, ex nobili Scroporum dominorum familiâ originem duxit: quam etiam claris virtutibus & scientiis nobiliorem reddidit. Totus enim ab ipsa adolescentia continentiæ studebat: vnde Benedicti primùm, postea Dominici, ac tandem Carmeli fratrum ritibus Nordouici se consecrauit. Et cùm nihil minùs apud eos inuenisset, quàm id, quod tantoperè apud vulgum iactitassent, nempe sinceram Dei religionem: relictis singillatim eorum obseruantiis Pharisaicis, Euangelium regni Dei in sacco & cilicio, cathenâ ferreâ cinctus prædicabat, circa annum Christi 1425. Clamabatque, nouam Hierosolymam, agni nuptam, è cœlo breui descensuram,

& mo-

& mox in aduentum sui sponsi paratam fore, Apoc. 21. Atq; addidit, illam se cum ingenti gaudio in spiritu vidisse. Imp, Sigism. PP. Mart. 5. V. S.

Ioannes Barath.

His temporibus claruit Ioannes Barath, patriâ Hannoniensis, Valencenarum cœnobii Carmelita, & doctor Parisiensis: scripsit de reuelatione diuinorum, de vtilitate scripturæ, de tempo- 1426.
ris sui malis, & postillam in Apocalypsin Ioannis, cum aliis. Multa pius homo eius ætatis clero, prælatis, ac monachis obiiciebat: & quòd statim essent, ob pessima eorum facta, in opprobrium, subsannationem, ac dirisum gentibus dandi, ex scripturis prædixit: quoniam Deus (inquiens) spernit eos, qui hominibus placent. Imp. & PP. V. S.

Henricus Token Canonicus Magdeburgensis.

IN Chronico Episcoporum Magdeburgensium legitur de isto, in vitâ Friderici Archiepiscopi 1426.
Magdeburgensis, quòd fuerit acerrimus superstitionum hostis, quodq; ex octodecim locis nouas idololatrias extirpauerit. Testatur eadem historia, incitasse eum quoque ipsum Archiepiscopum, vt resisteret celebri idololatriæ commentitii cruoris Christi in VVelsnac, de quo suprà.

Ei idololatriæ se postea Archiepiscopus Magdeburgensis cum prædicto Token opposuit. Orto certamine, conuenerunt Episcopus Hauelburgensis, Marchio Brandeburgensis, & Archiepiscopus Magdeburgensis. In eo conuentu prædictus Token euidentissimis argumentis fraudes & impietates illius idololatriæ refutauit. Verùm, vt illa ipsa historia inquit, Hauelburgensis Episcopus & Marchio vinci planè noluerunt: sed mittentes ad Papam legatos & pecunias, impetrârunt ab eo, datis largissimis bullis idololatriam illam confirmari.

Quoniam autem dubium adhuc erat, non tantùm, an illæ maculæ essent ex Christi cruore, sed etiam, an omninò consecrata esset illa hostia: insuper astuti homines & aliam consecratam hostiam illi imposuerunt, sicque putârunt, nihil idololatriæ eâ adoratione admitti posse. Quia etiamsi prior illa miraculosa hostia non fuisset consecrata, tamen altera, quæ ei adiuncta esset. Idq; totum lucrandi denarii (vt historia loquitur) causa Episcopus & Marchio fecerunt.

Inueniuntur alioqui adhuc scripta Token, & Erphordensis scholæ, contra illam idololatriam, quæ tamen nihilominùs contra tam firmas refutationes obtinuit, & ad nostra vsque tempora viguit. Dicit alicubi idem Token in suâ variarum materiarum Syluâ: Nunc maiores hæretici comburunt & exterminant minores, & hæretici operum persequuntur & excommunicant hæreticos verborum. Sed adscribam historiam ex Chronico Archiepiscopi Magdeburgensis.

Anno Domini 1383. Dominica post Assumtionis, oppidum VVilsnac in diœcesi Hauelburgensi cum Ecclesia parochiali per raptores totaliter combustum fuit, & quædam hostiæ consecratæ resperſæ cruore ibi repertæ fuerunt, vt dicunt: & fit ingens concursus, & multa miracula ibi, prout etiam hodie, fiunt, & pronunciantur in Ecclesia prædicta.

Archiepiscopus Magdeburgensis Fridericus, fretus consilio D. Henrici Token, se huic concursui opposuit, propter multa pericula animarum: & tamen dominus Marchio Brandeburgẽsis apud Papam Nicolaum obtinuit, vt hostia sacrata poneretur super aliam hostiam sanguinolentam, ne idololatria committeretur: sed, vt timetur, magis pro denario lucrando, quàm salute animarum acquirenda: quia hostiæ immutatæ consumi debent à presbytero, aut recludi, & verè ibi periculum animarum vertitur. Sed auaritia excæcat homines.

Fridericus Archiepiscopus in cultu Dei totus zelosus (qui superstitiones ne dum de diœcesi sua, sed etiam de tota prouincia fortiter exterminare studuit, cùm in iis maximè Deus offendatur, & populus à recta fide ad idololatriam trahatur) vt concursũ superstitiosum in VVilsnac destrueret, & iustis rationibus, actibus, & signis euidentibus, non merum sanguinem Christi, sed ex falso propter quæstum factũ, ostendit: & plures diætas cum Episcopo in Hauelberg, & cum Marchione Brandeburgensi Friderico tenuit, qui vsi consiliis D. sacræ Theologiæ Thoringi & Camoman, restiterunt fortiter.

Quanquam præfatus Henricus Token eos rationibus euidentibus, & argumentis insolubilibus vicit: vinci tamen noluerunt, & D. Papam Nicolaum adierunt, qui precibus Marchionum indulsit, vt hostia consecrata super istam transformatam hostiam poneretur. Quod factum fuit, & hodie durat, in periculum animarum multarum: de quibus præfatus D. Token multa scripsit, & ferè murum pro recta fide se posuit. Sed auaricia præualente, in parte ruptus fuit murus, &c.

Prænominatus D. Token omnibus infinitis concursibus seductoriis & quæstuariis fortiter, vt verus Christianæ fidei miles, se opposuit: & in 18. locis destruxit, & eos superstitiosos & sacræ fidei contrarios ostendit. Hactenus ex Chronico Episcoporum Magdeburgensium.

Fuit omninò is vir ex iis, qui plùs cæteris & agnouerunt & amârunt veritatem. Nam de indulgentiis quoq; leuiter sensit. Validorum mendicitatem damnauit proprio scripto. In sua illa alphabetaria Sylua dicit alicubi, esse periculosas abusiones in monasteriis etiam monachorum, quos (vt eius verba recitẽ) tam callidè decipiat Satan, vt suis propriis traditionibus & adinuentionibus præuaricentur Dei mandata. Scribit etiam, modernos clericos plùs contemnere quàm honorare Deum.

Fuit

Fuit hic Token legatus Archiepiscopi Magdeburgensis in concilio Basiliensi, ac edidit ibi prolixum librum, qui adhuc inuenitur: quo probauit: concilium esse supra Papam, posseq; ac debere eum & iudicare & deponere, cùm iusta causa adest. Plura omninò videtur vidisse, quàm sit dicere ausus, quales plurimi omnibus seculis fuêre. Chronicon Magdebur. Flaccius, & alii. Imp. & Papa vt supra.

In Collectaneis de Gunthero Archiepiscopo Magdeburgensi refertur, quantâ animi curâ & intentione in Ecclesiâ suâ reformandâ desudauerit, sed impedimento fuisse inueteratam hominum nequitiam, id quod ille vir sanctissimus ex corde deplorauerit, &, tam altas iam radices Antichristum egisse, syncerè doluerit.

Anno namq; D. 1429. congregatis Magdeburgi Monachis, fideliter omnes admonuit, quibus cogitationibus in ordine suo animati esse deberent: vbi etiam de vniuerso Episcopatu ad frugem Ecclesiæ reducendo nonnihil affirmauit. Postmodum verò, anno 1430. de summâ rei agendæ reformatione nempè decreturus, in peristylio cuiusdam cœnobii, per Henricum Tocken istum, & alium quendam, omnibus in mandatis dedit, vt operam soli huic negotio omnem impenderent. Oportere enim se officium facere: & ipsos citra iacturam famæ suæ sibi obtemperare posse.

Cæterùm ne hoc quidem modo institutum promouit. Caussam remoræ Henricus istam assignat: quòd nimirùm informantes inepti fuerint tunc temporis ad informationem, vt & ipsi informandi, qui in erroribus illis occalluissent: aut quòd certè non minus obstaculum & hoc fuerit, quia priùs à capite incipiendum erat, non autem à monachis.

Idem. Postquàm Romæ tria capita Ecclesiæ creata fuerunt, & aliàs hinc inde plurimum turbarum in Imperio Romano daretur: Cæsar Sigismundus, omnia in vado cupiens esse, conscribit concilium Constantiam, vt ibi de reformatione instituendâ, cum Papâ, vt qui suas etiam partes agere deberet, conferretur: tum Papa admodum acutè pro ventre suo (qui, vt Homerus scribit, multorum malorum causa est) respondet: se quidem non posse non omni modo Cæsaris institutum laudare: vereri autem, ne id parùm commodè fieri posit. Oportere enim de Patrimonio Petri solicitum esse, & quo pacto ruinosa quædam templa Romæ penè insolitudinem redacta sint restituenda: hæc si confecisset, velle quamprimùm se de hoc negotio prouidere. Sed Homo nequam ita differens interitum, aut certè periculum sui, abiit, & post se respicere diu satis Imperatorem est passus. Sigismundus quidem & Alemanni Principes eò adigere Cardinales sedulò volebant, vt antequàm Papa crearetur, illa reformatio procederet. Sed illi vnius assis homines, subodorantes quid esset inde futurũ, suffragium dare noluerunt, vt qui existimarent, si Papam haberent, facilè se quidlibet à ceruicibus amolituros esse. Cùm etiam deliberanti Cæsari de hoc diceretur, haud abs re fore, si à Minoritis examẽn inchoaret: imò, inquit, à Maioritis incipiendum est, innuens nempe à Papâ, Cardinalibus, & Episcopis, ceu fonte mali. Intelligens ergò, se cum laruis colluctari, & in pertusum vas loqui, contulit se in Vngariam: & quia huius indignitatis obliuisci non potuit, quodam tempore decliui grabato accubuit vt dormiret: ibi secundum quietem somniat virum quendam honestum, habitu Sacerdotem, qui ostendit, quòd olim Papa reformandus esset à doctis quibusdam viris, quorum curam principes aliquot essent habituri.

Idem in Syluâ locorum communium refert, Archiepiscopum Lugdunensem in Basiliensi concilio narrasse, anno D. 1436. quòd tempore Martini Papæ ad curiam Romanam ex solâ Franciâ venerint nouem milliones auri computati ab Episcopis & prælaturis, absque iis, quæ computari nõ potuerint de paruis Clericis, qui quotidie absq; numero currant ad curiam R. deferentes secum sæpius totam suam substantiam. Archiepiscopus quoq; Turonensis in eodem concilio dixit, quòd suo tempore intra 14. annos tres milliones auri Romam venerint, à prælatis & prælaturis, de quibus poterit fieri computatio. Nec esse dubium, inquit Token, quin omnibus certis & accidentariis computatis, Papa sæpe singulis annis decem milliones coronatorum vndiquaq; corraserit, præsertim cùm indulgentiæ maiori in pretio adhuc fuerint. Hoc etiam inde colligi potest, quòd Ioannes 22. Papa tantùm 19. annis sedit, & tamen moriens viginti quinque milliones coronatorum in thesauris reliquit. Est autem Million decies centum millia. Nemo igitur negare poterit, contra Constantinop. 6. Concilii decretum, in templis negociationem nefariè exerceri, adeoque domum Dei domum mercatus factam esse.

Baldus, Ioan. And: Panormitanus, Petrus Anchar. &c.

MEmorabilis dispensatio est, vt monacho liceat, depositio ad tempus cucullo, vxorem ad certum tempus ducere: nempe vsq; ad procreationem sobolis (ne stirps nobilis sine prole deficiat) eâ lege, vt simulatq; proles suscepta fuerit, tunc pater patratus demissis auriculis ad suum cucullum redeat. Qua de re vide Baldum in l. si tibi filius. & l. si paterfamiliâs. § in arrogationibus. D. de adopt. Ioan. Andr. in c. actus legitimi & in c. semel Deo. de reg. iur. in VI. Innocent. in c. cùm ad monasterium. in verb. licentiam: & alibi. Imp. & PP. V. S.

Portugallius.

1428. SCripsit de squaloribus Romanæ Curiæ, & inter alia dicit: Nil certiùs creditur, quàm quod in Romanâ Curiâ videtur experientiâ: quòd auaritia est omnium malorum radix. Quia non videmus crimen exceptum, cuius non sit genitrix, pauperibus edax alluuium, diuitibus auxiliatrix,

Et infert: Si principes terræ, quemadmodum nos, saperent, & intelligerent, nos tam nephandissimos: Cardinales cum Curialibus delerent de terra viuentium, prioribus tyrannis atrociùs. Hunc auctorem etiam citat Fælix Hemmerlin. Imperatore Sigismundo, Papa Martino 5. vt suprà.

Ioannes de Seisello.

1428.

CIrca hæc tempora etiam Ioan. de Seisello Curiæ Romanæ grauiter taxauit iniustitiam, & Papatus perpetuitatem: & legendas, & leges de ingressu religionis reprehendit, & ordinem sancti Antonij prorsus tollendum censuit: de quo alibi.

Thomas de Corsellis.

1428.

FIdes Ecclesiæ, cuius personam Petrus gestabat, semper intemerata permansit. De Romanis verò Pontificibus liceret exempla admodum multa referre, si tempus sineret: quoniam aut hæretici, aut alijs imbuti vitijs sunt reperti.

Et paulò pòst: Sunt aliqui siue auidi gloriæ, siue quòd adulando præmia exspectant, qui peregrinas quasdam, & omninò nouas prædicare doctrinas cœperunt, ipsumque summum Pontificem ex iurisdictione sacri Concilij demere non verentur. Excæcauit namque illos ambitio, à quâ non solùm hoc modernum, sed omnia vsque in hanc diem schismata suborta reperiuntur.

Namque vt olim pestiferam illam bestiam, quæ per Arrium primò quasi de infernis extulerat caput, cupidum Episcopatus, induxit: sic hodiernam hæresin illi præcipuè nutriunt, quos iam mendicare suppudet: quorum alius clamat, subditorum facta iudicari à Papâ, Rom. verò Pontificem solius Dei reseruari arbitrio. Alius dicit, quia primam sedē nemo iudicabit: quòd neq; ab Augusto, neq; ab omni Clero, neq; à Regibus, neque à populo valeat iudicari. Alius asserit, electionem summorum Pontificum sibi Dominum reseruasse. Alius verò asserere non veretur, Romanum Pontificem, quamuis animas cateruatim secum ad inferos trahat, nullius responsioni fore subiectum. Nec considerant miseri, quia quæ prædicant tantoperè, verba aut ipsorum summorum Pontificum sunt, suas fimbrias extendentium: aut illorum, qui eis adulantur.

Et quia huiusmodi dicta solutionem habent: recurrunt statim ad Euangelium, & verba Christi: sed non prout Spiritus sancti sensus exposcit, sed suopte ingenio interpretantur: plurimùmque illud extollunt: quia Petro sit dictū: Tu vocaberis Cephas, per quod eum Caput faciunt: &, Tibi dabo claues regni cœlorum: &, Quodcunque ligaueris super terram: &, Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: &, Pasce oues meas: &, duc in altum rete: &, Noli timere, iam ex hoc eris homines capiens: quodque soli Petro, tanquam Apostolorum principi, Christus mandârit pro se & ipso staterem dare: &, quia Petrus traxit ad terram rete plenum piscibus magnis: &, quòd solus Petrus ad Christi defensionem gladium euaginauit. Quæ omnia hi homines miro modo sublimant, expositionibus sanctorum doctorum omninò posthabitis: quas si, vt par esset, considerarent, manifestè cognoscerent, &c. Imp. Sigismundo. Papa Martino 5. vt sup.



Ordo Equitum Aurei Velleris.

1

PHilippus cognomento Bonus, dux, pater Caroli Burgundij ab Heluetijs victi & cæsi anno 1477. ad Nanseum, instituit primo die nuptiarum, quas cum Isabellâ Portugaliæ Regis filiâ celebrauit, Ordinem hunc Equestrē Aurei Velleris anno 1429. Sunt, qui ad imitationem Gedeonis, qui auspicio & læto omine velleris fortiter pugnauit contra Madianitas, institutum hoc referunt: sed diploma fundatoris hoc refutat: cuius verba sunt:

PHILIPPVS Dei gratia Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Comes Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Namurci Palatinus, Marchio Sacri Imperij, dominus Salinarū ac Mechliniæ, certiores facimus omnes, qui hoc nostrum diploma nunc, aut olim sunt lecturi, nos singulari amoris affectu, quo erga nobilium fortiumque Equitum Ordinem ducimur, & cuiusque dignitatis, existimationisq; incrementum, suprà quàm dici possit, desideramus, quòd eorū operâ, ductu ac consilio sanctissimè matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ status, tranquillitas, prospe-

ritasque, ac populus Christianus defendi, iuuari ac protegi posit, diuini Numinis Saluatorisque nostri honorandi causâ, ad laudem verò honorandæ Virginis, matrisque eius, gloriamque sanctissimi Apostoli ac Martyris, beati Andreæ, quò & hac ratione religionis Christianæ, matrisque nostræ Ecclesiæ Catholicæ augeantur limites, ac in Equitum animis ius, fas, virtutesque generosæ crescant: tertio Idus Ianuarij, anno à Redemtione humani generis 1429. à festo Paschatis numerando (qui dies nuptiarum mihi, charissimæque vxori Elisabethæ Brugis fuit) instituisse, ordinasse, ac orsos fuisse, quemadmodum per præsens diploma, instituimus, ordinamus, ac ordimur certi numeri Ordinem generosum Equitum, ac intimorum amicorum, quem ab aureo Argonautæ Iasonis vellere appellari voluimus, idque modo, conditionibus, institutis ac articulis sequentibus.

Primùm Volumus, Ordinem aurei velleris constare triginta & vno Equitibus, è nominis nobilique insignium vetustate sine aliqua controuersia notis, quorum Ego, dum vixero, Princeps caputque ero, ac post mortem meam successores mei Burgundiæ Duces. Actum in vrbe nostra Insulensi 4. Calend. Decemb. anno Domini 1431.

Quæri autem posset, quid aureum illud vellus fuerit, quod Iason cum socijs in Colchidem nauigans abstulerit, in cuius rei memoriam hic Ordo institutus est? Suidas itaque putat, librum fuisse in membranis scriptum, qui docuerit, quomodo per artem fundendi, quam Chymiam dicunt, aurum esset faciendum: meritoque id vellus aureum appellatum, propter artem, quæ in eo tradita sit. Alij verum vellus arietis fuisse affirmant, de quo talem seu fabulam seu historiam narrant.

Phryxus Athamantis ex Nephele filius, cùm nouercales insidias ferre non posset, vna cum Helle sorore profugit, acceptoque à patre ariete, cui vellus erat aureum, eoque conscenso, cùm in Asiam traijcere vellent, Hella puellari timore exterrita, decidit in mare, à qua & Hellespontus exinde appellatum fuit: Phryxus verò incolumis in Colchidem peruenit ad Regem Æeten, vbi arietem suum Ioui, vel, vt alijs placet, Marti immolauit, vellusque illud aureum in templo suspendit, cui à Deo peruigil Draco additus fuit, à quo custodiretur, ne inde auferri quoquam posset.

Missus autem Iason à Pelide patruo in Colchidem ad auferendum hoc vellus, licet hæc res primò impossibilis ei videretur, tamen præparata Argo naui, cum manu selectissimorum fortissimorumque iuuenum Colchos profectus est. Inter nauigandum cùm ad Phineum Regem peruenisset, ab eo muneris loco edoctus fuit, quomodo per Cyaneas petras inter se concurrentes ad Colchos vsque tutò nauigare posset. Quò cùm appulisset, Medea Colchorum Regis filia forma eius capta, à certissimo eum eripuit exitio, ostensa ratione, qua & æripedes tauros perdomare, & peruigilem Draconem sopire posset. Eius itaque consilia secutus Iason, aureum vellus sustulit, & cum Medea socijsque saluus in patriam redijt.

In memoriam itaque Iasonis fortissimi Ducis, & sociorum eius præstantissimorum heroum hoc Equestre Sodalitium Philippus Burgundius instituit, vt eorum exemplo ad similem virtutem excitarentur, quotquot Ordinis membra esse cuperent. Ideoque nulli ferè in hoc collegium recipiuntur, quàm Imperatores, Reges, Principes, Comites, & Barones: inque rei symbolum datur vnicuique, cùm adoptatur, torques aureus, in quo ostenduntur igniarij multiplicati in toto torque, & silices, vellusque aureum, hoc est, figura velleris arietini aurea, torqui appendens, & in pectus excurrens. Hunc torquem, si moritur Eques Sodalitij huius, cognati eius Principi Ordinis restituere tenentur, quem ille alteri, qui in locum demortui eligitur, tradit. Hodie Princeps huius Ordinis est, seu Magister & caput Philippus Hispaniarum Rex, primogenitus.

Memoratu dignum est hoc in historiâ Argonautarum, quòd Hercules quoque in illam societatem adscriptus: eique, vtpote robore & viribus valentissimo, clauus & gubernatio classis commendata fuerit. Verùm is, cùm insurgentibus procellis & turbinibus imprudenter se opponeret, & ferientibus in puppim fluctibus cedere nollet, sed vi, non arte, nauem regere conaretur, effecit, vt, clauo & remigijs confractis atque per medium disruptis, omnes socios in præsentissima mortis pericula secum abduxerit. Ex quo hoc porisma eliciunt prudentes, scilicet Principum & dominorum esse, pro tempore indulgere, cedere, & dissimulare, non impetuosè sine mente agere, in iudicando præsertim & consultando: non enim abs re est illud prouerbium: qui nescit dissimulare, nescit imperare.

Deinceps verò cùm aliquando Argonautæ ad terram appulissent, cumque eis in littus etiam Hercules naui egressus (tam diu vno in loco captiuus detineri pertæsus) voluptates & alias regionis delitias secutus esset adeò diu, vt redeuntibus ventis secundis, & socijs ad classem reuersis ipse solus abesset, diuque expectatus non adueniret, cæteri nauigijs iterum conscensis recesserunt, illumque post se reliquerunt. Ex quo iterum docemur hoc: quòd, qui aureum vellus adipisci cupiat, illum non oporteat mundanæ inhiare mollitiei, sed omni conatu sectari virtutem & fortitudinem.

Hæc attigisse sufficiat: plura de ipsis vir doctus hoc tempore Michaël Boschius, in oratione de aureo vellere tradit.

Alexander Fabricius seu Carpentarius, Anglus, *filius fabri lignarij.* 1429.

SCripsit contra errores & vitia Cleri suiq; temporis monachos Destructorium vitiorum: in quo eos Antichristos exsecrabiles, iniquos operarios, seductores, fures, mendaces, raptores, oppressores, & tyrannos maledictos nominat. Hic liber deinde editus est an.D. 1496. ab Anton. Coburgero.

Idem. Ecclesiam pessimi regunt. Non sic Deus fecit, cùm proprio filio Ecclesiam suam commisit. Nam, bonum patremfamiliâs præficere vigilantem canem ouibus suis, constat. Cur igitur in temporalibus tantum studij adhibemus, & curam Ecclesiæ Christi, & animarum parui facimus? Cur flagitiosis & nepotulis aliquot millia animarum concedimus, quib. viginti pira tutò committere non possumus? Magnis (ait) insident equis, & tales pro nihilo videntur pedes habere. Cur non capiunt exemplum Christi, qui nunquam legitur equitasse, sed semel tantùm asinasse, & tunc iuisse ad mortem suam: in signum, quòd multi equitando tendunt ad mortem æternam. Imp. Sigism. Papa Martino 5. vt sup.

Discipulus in sermone de tempore 164. 1432.

MOnachus quidam Cœnobij Secretarius, salutatâ subinde virgine Mariâ, cum eius licentiâ, (sic verba sonant historiæ obscœnissimæ) ad scelus deliberatum perpetrandum, nocte intempestâ egredi solitus fuisse narratur. Legantur etiam huius argumenti miracula B. Virginis ab hoc ipso Discipulo collecta, itemque volumen, quod Speculum exemplorum inscribitur. Imper. Sigismundo, vt sup. Papa 214. Eugenio 4.

Epitaphium Eugenij 4. 1432.

EVgenius iacet hic quartus, cor nobile, cuius
Testes sunt vitæ splendida facta suæ.
Istius ante sacros se præbuit, alter ab ortu,
Alter, ab occasu, Cæsar vterque pedes.
Alter, vt accipiat fidei documenta latinæ:
Alter, vt aurato cingat honore caput.

Bohemi de Mendicantibus Monachis. 1432.

IN Basiliensi concilio cùm Iulianus, Pontificis legatus affirmaret, se præter quatuor illos articulos, in quibus à Romanâ Ecclesiâ dissentirent Bohemi, etiam alia de illis accepisse, quòd nimirùm, religiones Mendicantium inuentum diabolicum esse, prædicarent, &c. ibi tum assurgens Procopius ductor exercitus Thaboritarum, neque hoc falsum est, inquit. Nam si nec Moses, nec ante eum Patriarchæ, neque post eum Prophetæ, neque in nouâ lege Christus, neque Apostoli instituêre Mendicantes, quis non intelligit, diaboli tenebrarumque opus esse. Quæ Procopij vox ingenti auditorum cachinno excepta fuit.

Respondit autem illi Cardinalis S. Angeli, non solùm his credendum, quæ sint in noui aut veteris Testamenti libris comprehensa: sed Ecclesiæ etiam institutiones de nouo Testamento censendas esse, & quicquid statuerit aut approbârit, non minùs indubitatæ fidei esse oportere, quàm alia quæ in noui Testamenti libris sint scripta. Vrspergensis Paralipom. Mutius lib. 27. fol. 317. Imp. Sigismundo. Papa Eugenio 4. vt sup.

Iulianus Cardinalis S. Angeli. 1433.

IN catalogo scriptorum, qui Papæ eiusque impietatibus & abusibus contradixerunt, non immeritò numerantur etiam duæ Epistolæ Iuliani Cardinalis S. Angeli, qui Basiliensi concilio præfuit, quæ sunt cum Æneæ Syluij Basiliensi concilio impressæ. Is enim, cùm Eugenius Papa timens suæ culinæ & dignitati, concilium illud, quod tamen priùs congregauerat, multis artibus dissipare conaretur, restitit illi satis audacter: scripsitque ad eum duas epistolas satis liberè, quibus eum monuit, vt ab impio proposito desisteret.

Queritur quoq; in illis epistolis de corruptissimâ cleri vitâ, summaq; inde oriente vulgi contra eos indignatione. Probat, concilium esse supra Papam. Dicit etiam, cum resistere voluntati Dei, irri-

tare & scandalizare Ecclesiam: ac subinde exitium spiritualibus vaticinatur, quoniam adeò prorsus degeneres, nihil boni ampliùs velint facere. Ait, multa concilia celebrari, sed nullam inde reformationem sequi: ac ex eo colligere vulgus, Papam & eius spirituales, simulando concilia, & nullam piam reformationem instituendo, deridere Deum & homines. Atque ideo iam esse prægnantes ipsorum odio.

Tandem tamen (veluti desperans, Papam à concilij perturbatione destiturum) proponit ei quandam Romanisticam practicam, quâ posit imponere laicis, ac simulare, per se non stetisse, quò minùs tunc aliqua sancta reformatio facta fuisset: atque ita postea decepto vulgo latenter concilium dissipare.

Talibus præstigijs longo iam tempore Antichristus simplicium oculos ita perstrinxit, vt cùm seuera non solùm abnegasset, sed & persequeretur veram pietatem, foris tamen speciem pietatis semper habere, secundum prophetiam Spiritus sancti, visus sit. Flaccius. Imperatore Sigismundo. Papa Eugenio 4. vt sup.

Ibidem. Audio, quòd nonnulli trepidant, quòd in hoc concilio debeat auferri temporalitas ab Ecclesiâ. Mira res, si hoc concilium non fieret per viros ecclesiasticos, forsitan dubitandum foret. Sed quis erit iste ecclesiasticus, qui huic determinationi consentiat? Non solùm quia esset contra fidem, sed quia redundaret in detrimentum eorum. De laicis quis erit? Nulli, aut paucissimi. Et si forsitan aliqui principes mittant: mittent plerunque ecclesiasticos viros, qui nullátenus consentient. Nec illi pauci laici, qui erunt, admittentur ad vocem, vbi agitur de rebus ecclesiasticis. Et vix puto, quòd decem in toto domini seculares hîc erunt personaliter, & fortè non quinque.

Deinde non puto, quòd hoc concilium sit futurum maius, quàm Pisanum, vel Constantiense, nec tamen ibi fuit tractatum per concilium, an temporalitas debeat ab Ecclesiâ tolli. Puto, vsque ad hunc diem à passione Domini centum concilia celebrata fuisse, & in nullo eorum hoc fuit agitatum. Quomodo timendum est, quòd in isto auferri debeat?

Ibidem. Si modò dissoluatur concilium, nónne populi Germaniæ videntes, se non solùm destitutos ab Ecclesiâ, sed deceptos, concordabunt cum hæreticis & fient nobis inimiciores quàm illi? Heu heu, quanta ista erit confusio! finis pro certo est. Iam (vt video) securis ad radicem posita est. Inclinata est arbor vt cadat, nec potest diutius persistere.

Ibidem. Vereor, ne contingat nobis sicut Iudæis, qui dixerunt: Si dimittimus hunc, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. Ita & nos dicimus: si dimittimus fieri concilium, venient laici, & tollent temporalitatem nostram. Sed sicut iusto Dei iudicio factum fuit, quòd Iudæi perdiderunt locum suum, quia noluerunt dimittere Christum: ita & iusto Dei iudicio fiet, quòd, quia nolumus dimittere concilium fieri, perdemus temporalitatem nostram: & vtinam non quoq; corpora, & animas.

Quando Deus vult alicui populo aliquod infortunium immittere, primò disponit, vt pericula non intelligantur, neque considerentur: ita videtur non contingere viris Ecclesiasticis, quos sæpe redarguo esse cæcos, quia vident ignem, & nihilominùs currunt aduersus illum.

Ibidem. Hoc est verum patrimonium Ecclesiæ, lucrifacere animas. Non enim Ecclesia est congeries lapidum, & murorum. Non custodem vos fecit Christus castrorum & mœniorum, sed pastorem animarum.

Amadëus Papa.

1433

IN Basiliensi Concilio Amadëus Sabaudiæ Dux, vxoratus & duos habens filios, suffragio 26. electorum ad Pontificatum prouehitur: hic adeò munificus in pauperes fuit, vt ab oratoribus rogatus, si quos haberet canes venaticos, vt eis ostenderet, responderit: se alterâ die eos ostensurum. Cùm verò adessent die sequenti, ingentem Mendicorum multitudinem ostendit, vnà discumbentium: atque hi sunt, inquit, canes mei quos alo quotidie, quibus spero me cœlestem gloriam venaturum. Imp. Sigismundo. Papa Eugenio 4.



Ordo S. Ambrosij ad Nemus. 1433.



HIc Mediolani institutus fuit, & confirmatus anno 1433. sub Regulâ D. Augustini. Panuinius in Chron. Fuligineis vestibus vtebantur, Franc. Imp. Sigismundo. Papa Eugenio 4.

Nicolaus de Buldesdorff. 1433.

COncilium Basiliense condemnauit hunc Nicolaum eò, quòd aliquot articulos curiæ Romanæ reprobauit, & affirmauit, concilium Constantiense iniquè damnâsse Ioannem Hussium. Dixit etiam, Christum & Apostolos pauperes fuisse: & eos, qui hos imitentur, Apostolicæ ecclesiæ asseclas: qui verò hoc non fecerint, Antichristianos, templum iniquitatis, & concilium vanitatis esse. Item, Romanam Ecclesiam volutare se in thalamo fornicationum & adulteriorum: & suæ improbitatis causâ tandem à facie Domini reprobatum iri. Vestisius in Chron. Imp. & Papa. vt sup.

Cæsar Sigismundus. 1434.

CÆsar Sigismundus parauerat reformationem quandam, quæ iam vulgari sermone impressa extat, qua voluit in Constantiensi concilio Papæ eiusque spiritualium superbiam, pompam & simonias nonnihil reprimere. Sed vt scriptores quidem testantur, admodum callidè à Papa deceptus est, piusque eius conatus elusus.

Accidit autem id ipsi eò acerbiùs, quòd non sine grauissimis laboribus, sumtibus & periculis, orbem penè totum peragrauerat in quærendis & deponendis tribus Papis: iamque eò rem suo sudore perduxerat, vt nouus Pontifex esset electus: de quo sibi nihil non multi pollicebantur. Putabat igitur ipse, posse iam Ecclesiam piè vtiliterque reformari: sed sua opinione nimiùm falsus est. Vafro enim commento, (vt dictum suprà ab Henrico Token,) Pontifex Cæsarem, eiusque pium institutum elusit.

In fine istius impressæ Sigismundi reformationis, est visio quædam eiusdem Imperatoris, in qua cùm aliæ mundi calamitates prædicuntur, tum etiam spiritualibus grauis afflictio prophetizatur. Indicatur enim, quòd Papa ac eius spirituales sint summa superbia, falsitate seu perfidia, summa iniustitia, turpissimis libidinibus, maxima auaricia contaminatissimi: non imitari eos Apostolos: ac denique vendere & Ecclesias, & ipsum sanguinem Iesu Christi, ex eoque quæstu ventrem & inguina, luxum & fastum suum magnificè fouere. Nec quenquam prælatum esse, aut etiam fuisse inde à Nicolao tertio, id est, iam 300. annis, qui à Simonia liber extiterit.

Apponemus autem summam eius reformationis, vt appareat, quàm displicuerit huic Cæsari cleri confusio, & quomodo pro Ecclesia laborauerit, Papis interea gnauiter luxuriantibus.

Reuelatio facta Imperatori Sigismundo, de Ecclesiastici & Politici ordinis reformatione suscipienda: impressa & edita Augustæ anno Domini 1490.

INdigni nos ad Imperij fastigia admoti sumus: in illius igitur rem in medium proferemus, quæ reuelata sunt nobis in spiritu, de quibus equidem dolemus maximoperè ad mortem ferè vsque. Verùm enimuerò sic se habet res, vt per salutem animæ nostræ testemur, & quod res est, verè dicamus, per Christi martyrium, nos edituros & annunciaturos, quæ nobis liquidò sunt manifestata in Vngaria Presburgi, summo quodam manè, Lucifero diei nuncio orto. Nostras enim quædam pepulit vox aures, dicens:

Sigismunde surge, siste te & confitere Deo, para locum & viam ordinibus diuinis: scriptæ enim leges omnes vacillant in iusticia & æquitate, hæc ad ordinem tu reuocabis, & in integrum reformabis, iustitiæque restitues: & præparabis viam illi, qui post te, nomine Fridericus Langenaugius, hoc est., Gnauus (habent enim hoc literæ) Friderici Angelus venturus est, hoc est, sub Friderico

Saxone fidelis missus Lutherus, cui fungendũ erit sacerdotij munere, & per eum multa Deus operabitur: ille Regni insignia suo nitori restituet: & insignia sua feret secus Imperiũ ad læuam, & cruce media notata erunt: in metu quidem regnabit, nemo verò quicquam contra eum valebit: per eum confirmabuntur leges sanctæ Dei, & virtutes acquirent: illi obsequenter parebunt Magnates & Vrbes, tunc omne succumbet iniquum. Multis ipsum Deus explorabit tentationibus & incommodis: antiquam verò semper defendet constantiæ virtutem fortis & tenax pij propositi heros: per ipsum Deus veritatem mundo serenam reddet: plenus enim est iniusticia & improbitate.

His auditis, horridus nos corripuit terror, & tremore membra diriguerunt: omnibus autem deinde intendebamus ingenij, ac animi neruis annitebamur, vt mandatis Dei obtemperaretur, & effectus daretur. Ideoque concilium conscribebamus Constantiam: capita verò & Primates omnes (miserum) ordini diuino reluctati sunt pertinacissimè, indignum sanè his hominibus facinus.

Sed Dei hoc relinquo iudicio, omnia ille benè digeret opportuno venturo tempore. Sic quidem reformatio ab vno ad alterum deuoluta concilium differetur, vt tandem prorsus in nihilum abeat, donec præstò adsit dictus suprà diuinus Gnauus sacerdos.

Fridericus de Lanciron.

IMperator Sigismundus, suis Præclaris eruditione ac sapientia, hac percepta reuelatione & mandato diuino, præcepit, vt reformationem ordinis Ecclesiastici & Politici pararent & ordirentur. Eam Fridericus iste de Lanciron, magnificè memorati Cæsaris consiliarius, Germanica lingua sequentibus verbis edidit:

O Domine, exarsit ira tua, tua nos comprehendit indignatio & furor: suo nihil stat ordine. Sed ab eodem omne quod mouetur, deuiat: suam subtrahit Deus nobis gratiam, & bonitatem: sanè verò non immeritò: despectui enim habemus mandata eius, & pessundamus adeò.

Actum Basileæ fuit de reformatione status Ecclesiastici & Politici: sed resistunt multis ex partibus contumaciter Ecclesiastici: & nullam admittere volunt reformationem. Nihil igitur in plebus contumaciter Ecclesiastici: & nullam admittere volunt reformationem. Nihil igitur in plectendis eis cessabitur, sed omni decore, bonis, priuilegijs, facultatibus, & authoritate, ac muneribus indigni exuentur Clerici, tam Episcopi & Doctores, quàm inferiores sacerdotum greges: monasteria euertentur & dissipabuntur funditus. Verum est quod scripsit Augustinus: surgunt indocti, & rapiunt cœlum, & docti merguntur in infernum.

Aulicus quidam Cæsareus eques noster precibus à quodam magnate Turcico contendebat Basileæ, vt Christianismum amplecteretur, & Baptismum admitteret: respondit verò ille: Traditis vos, esse pro vobis Christum mortuum: illud credo: at video, exiguam vos illi reponere gratiam, sed econtrà sceleribus & peccatis offendere, ac in terris defœdare adeò, vt propter vos nomen eius malè inter gentes audiat: quæ vobis præcipit non facitis, inobedientes: sanè, si ad mandata eius vos compositè gereretis, de nobis facilè victoriam adepti fuissetis, nobis in vestram, non vobis in nostram seruitutem coactis: sed hac vestrâ vitâ perditum est istud: ideoque cùm Prælati & proceres vestri secundum hanc regulam & mandata viuere nolint, vi & gladio sunt coërcendi, & ad officium cogendi, quò zizania ex hortis euellantur.

Vos igitur Principes, Dynastæ, Magnates, & Vrbes, quicunque offendetur in hunc delinquens ordinem, ille expositus sit omnium iniurijs & mulctis, cuique sit in illum inuolare liberum, perdantur tales, & exuantur omnibus corporis & fortunæ bonis, eò, quòd ius Dei non custodiunt: satius enim est, iniquitatem hoc seculo corripi, quàm illic æternis supplicijs plecti.

De Papa.

A Papa faciendum erit exordium. Papa, quia seruorum sese seruum vocitat, docendo & concionando nunquam cesset facere officium.

Ab initio multi erant Pontifices sancti & pij, qui viuebant secundum normam 12. Sanctorum Apostolorum: nullus adhuc ordo extabat fictus à monachis, omnia verò optimè se habebant: at iam omnia pessimè deperierunt.

Ordines primùm duram & rigidam sanciuerant & iurauerant disciplinam, nec quisquam ab ea facilè recedebat: iam verò perfidi facti, omnis verecundiæ & disciplinæ limites petulanter excedunt: in viam igitur redeundum illis est per nostram vim coactis: & si quis renuerit, omninò ille abijcietur. Qui enim Deo fidem abnegat, eidem etiam displicet & reprobatur: caput & membra vtrinque pari sunt lege ligata: & ambo simul in stygiam corruent paludem.

Plura alia ab autore ponuntur, illum repetat æquus Lector, nos enim notabiliora tantùm extrahere & adscribere voluimus.

De Cardinalibus.

NVllus ordo probè suum defendit ampliùs ordinem. Causam rogas? Papa eis talia dispensauit indulta. O malum, dispensationes. Sanè Pontifex summus cum Cardinalibus & omni ordine clerico sua hæc in inferno merita luent. Adeò equidem malè habet Ecclesia Christiana, vt credere vix queas. Quid enim? Monasteria ad magnam excreuerunt potentiam: possederunt terram, occupauerunt regna, pecunijs omnia expugnant & compilant, & suam vi tuentur iniquitatem.

De Episcopis.

POnit idem etiam causas, quare nullus Papa, Cardinalis, vel Episcopus ex ordinibus eligi & creari debeat: & asserit, quæ & quanta inde proficiscantur mala.

Remittendi peccata, sed non committendi & concedendi Deus Papæ fecit copiam. At vides, ipsos dissipare coniugia, iubere diuortia contra diuina mandata & sanctiones: iurauerunt & deuouerunt se perpetuæ paupertati, continentiæ, castitati & alijs, verùm quinam hanc custodiunt suam sanctitatem?

Si igitur delinquunt supremi, & in Deum fiunt perfidi, quid de nobis erit? Miror, cur omnia in illis collocentur, quare in eis nitamur, & ædificemus quasi nostra, & in illis ponamus animarum nostrarum salutem creduli, cùm tamen illos delinquere plurimùm, & vacillare in multis iniquos videamus: sanè vnà peribimus omnes.

Suis Abbates monachis adsint, & benè præsint, spectabili pietatis exemplo præluceant, nihil hoc illis nocebit. Multi suorum liberorum gratia diram mortem oppetunt: potiùs hoc Abbas faciat: & Monachi eius Deo sanctè receperunt, hanc integrè & inoffensè custodire regulam: si igitur vel prorsus eijciantur, non peccatum erit contra Deum.

Sciendum etiam, in plerisque monasterijs plurimos esse monachos: ideoque vbi quadraginta fuerint, ibi emortuis non substituantur alij, donec tantùm sint viginti quatuor: vbi erunt viginti quatuor, decrescat numerus ad duodecim vsque: à duodecim verò alibi numerus in sex vel octo deficiat. Hæc propterea: in multis enim quilibet in altero spem & moras trahit: hic in illum, ille in alterum contuetur: vbi verò sex vel octo saltem fuerint, sinceriores erunt diuini cultus, quàm vbi plures erunt. Omnes etiam idem ceu fratres sentient, aliàs enim multitudo plus destruit & discerpit, quàm boni ædificat.

Sunt etiam Nonnæ Canonicæ libertatem subinde affectantes. Omnigeni coloris vestibus superbiunt, degunt in aulis secularium, nubunt, & pro arbitrio seculares sunt & spirituales. Petulantia est hæc & proteruitas effusa, hoc enim est ridere Deum: aboleantur, tollantur, & in mundum concedant, aut saltem in cœnobio se contineant, vt alij monastici: seruiant Deo, & sanctè sua præbenda vtantur & fruantur. Deus non irridetur, ne decipiantur.

Dicitur quidem, esse hospitalia nobilium, ad quos hæreditatis ius ab his Canonicis proximè pertineat.

Metuo equidem, vniuersos Christianos in iram Dei grauiter incursuros, eò, quòd aspicimus, ferimus, & sic defendere videmur hæc: adeò malè habent ordines.

Non conniueamus vlteriùs: hoc gratum erit & placebit Deo.

Deuotè quidem ad choros templorum se recipiunt, & magna animi intentione piè psallunt: extra templum verò seculares sunt: quî placeret hoc Deo? nemo tamen aduertit. Canonici causam præbent his, vt illæ eò promtiores faciant, cùm conueniunt eas. Estis, inquiunt, nobis pares, nos liberè viuimus: quin igitur & vos?

O libertatem videlicet. Omnes Canonici sunt monachi, si probè intueamur: faciunt, quæ lubet, impunè, à nemine plectuntur nec ipsi, nec ordines: causa est, quia primates omnes in foueam ceciderunt per iniquitatem: & constrictos illos tenet Spiritus improbitatis, & adeò vincit, vt nihil queat quisquam, quod placere possit Deo.

Canonicus annuatim in cathedrali Ecclesia habebit aureos octoginta: sic & quisque Abbas.

Certissimum hoc est mihi, sapientiam eorum esse nobis viam eundi perditum nos in infernum: & verum sanè est. Omnes igitur sinceri Christiani curate apud doctos, vt integer sit rerum nostrarum ordo: si enim eiusmodi *ἀσέβεια* abesset, non dubia foret salus nostra.

Dei enim verbo consultum est, seriò in iniquos animaduertere.

Habentur peregrinationes, obambulationes, ad imitationem gentium digeruntur omnia: & Papæ ad hæc subministrant munera Indulgentiarum, quod plurimùm ad hæc mala confert.

Equidem ordines & regulæ si custodirentur piè, vt mandârunt maiores, vtriq; bearemur. Sed ex omni delinquitur parte, cõdunt nouas regulas pro suo lubitu: cõtinere se deberent in terminis monasteriorũ suorũ, & cum mundo nil quicquã habere cõmercij. Habent anathemata, excõmunicationes

multas, prætores, & plexores instar Comitum. Affectant dominatus & Præturas, omnia suo vomunt, conuincere nummo: maiores eorum videbant, diuitijs salutem acquiri non posse, ideoque easdem omnes deserebant.

Præ omnibus omnia templa, Cœnobia, Ecclesiæ, Canonicatus, & Parochiæ ex illorum potestate adimantur, & eo ordine viuere iubeantur, vt prædiximus de pastoribus Ecclesiæ. Omnia monasteria occludantur: & monachi viuant ex regula illis constituta: tunc ipsi nobiscum, & nos cum illis æternam consequemur salutem.

En, nullus Episcopus, Abbas vel Monachus ampliùs inter Diuos iustè refertur, eò sanè, quòd ordinem suum non defendunt probè, & Deum ac eius opera & verbum negligunt: imò verò & Papam vili pendunt suum, quasi ipsius operâ non ampliùs indigeant: profundunt quotidie indulgentias, nemo est qui refutet & oppugnet illas: nec Episcopus, quia & ipsemet Monachus est, aut largitionibus præuentus, vt omnia per MVTNEGRA ET MVRVA fiant etiam rectissima cura, & cæcus cum cæco pereat: nam corrigi & reuocari in meliora nequeunt: Verte igitur te ad plebem vulgarem, plus haud dubiè proficies.

Abolebuntur item vniuersa cœmiteria, illorum enim adminiculo ad quoduis genus fraudis & scelera sibi aperuerunt viam, & secularia tractant, quod omni iure prohibitum est, & ordini diuino contranititur. Vereor, parùm illis hoc esse in altero seculo profuturum: si iustis relicta fuissent talia hæredib. & liberis suis, certius foret, meliùs de animæ salute actum esse, quàm illa ratione.

Cernimus iam indulta Paparum & Episcoporum. Salutari volunt domini Ecclesiæ Dei nobiles: incedunt more laicorum amicti, calceamentis albis, vestibus pelliceis preciosis, quas gestare nulli Ecclesiastico est integrum. Meritò vocantur Fuci ociosi, ignauum pecus: habent seruulos, qui eis vestes ad templa deportent, pedissequos.

Videmus, aliquem è schola reuersum factum Magistrum mox ambire Canonicatum: satius foret, sua contentos esse ipsos regula, tunc multi tantoperè non sitirent huiusmodi munera. Sed præcipites rectà vadunt in infernum aperto limite Papæ & Episcopi: ex hoc improbo more concludunt, sic agi debere: meliora non didicerunt, vel agnouerunt.

Sic per nefas compilant Episcopi pecunias, & Diaconos cũ suis concubinis ferunt iniquissimos, ab anathemate suo rarò absolutos, ita vt metuendum sit, & sacerdotes & subditos iram Dei grauiter incursuros, & simul infernum petituros atque occupaturos. Vt autem istiusmodi caueatur, satius est viuere more Orientalium & Hispanorum, vbi sacerdotes habent vxores: cœlibatum enim non præcepit Christus Sacerdotibus. Illorum enim, qui Calixti mandatum custodiebant, certum est mihi, plures magis peccasse cœlibes viuendo, quàm boni quid egisse. Huius mali remedium est, quò securior nostrarum sit tranquillitas animarum, cuique sacerdoti dari coniugem virginem: melius est committere peccata quotidiana quàm mortalia, si tamen coniugatos adeò peccare credendum sit: verùm si quisquam Dei gratia præstare mallet continentiam, & integra puritate gauderet, non foret cogendus ille.

Crebrò & multùm plectuntur Clerici ab Episcopis ex auaritia tantummodò & propter caulas peccatorum, quorum hi magis rei sunt quàm illi: & excommunicant illos secundum traditiones suas humanas, ipsi excommunicati à Deo in cœlis. Sed nihil ipsi curant, non mouentur his, quid ad eos infernus? non laborant, quomodo eundem mereantur, aperta enim illis semper patet atri ianua Ditis: recludunt eam, dum adhuc his in terris victitant.

Sic iam agitur, attende. Mittit suum ad scholam parens filium, & nil non pro ipsius commodo facit. Factus igitur tandem doctus, & Magister salutatus, è schola reuersus ambit Canonicatum, vt sit nobilis in Ecclesia Dei. Neutiquam tamen vult esse eo contentus, adiungere sibi cupit adhuc aliam parochiam vnam atque alteram: his præponit vicarios rudes, & se in hoc peccare grauiter nouit: ipsius enim eruditio & doctrina nemini prodest alij, quàm diabolo cui ministrat. Et metuendum sanè est, parentes vtique inutilis huius literaturæ autores & adiutores, cum hoc suo pulchro filio pertractum iri in infernum.

Quiid malum tolli voluerit, nouerit, cauendum esse, ne cuiquam plurium quàm vnius parochiæ potestas committatur. Canonicatum adeptus eo sit contentus, & omnes reliquæ præbendæ illi detrahantur. Quàm multi sunt vix vna digni? Docti de Canonicatibus deponantur & parochijs addicentur, quò doctrina Christiana rectè doceatur: qui canere saltem & legere nouerunt, fiant Canonici, & adiungantur Ordinibus: iam enim religioni certè parùm vtilitatis præstant: non multùm ab illis emendatur mundus. Ad isthæc insignia mala conniuent Episcopi, muneribus & largitionibus corrupti: metuimus, sacrificos & omnes cæteros deuenturos hoc tramite eò, quò detrudi digni sunt, facti socij filiorum seculi & diabolorum.

Deum misereat, tantam esse cæcitatem mortalium: aliquem denarij vnius atque alterius gratia interimi, propter exiguam noxam, qui pœnitentiæ adminiculo facilè Dei gratiam posset consequi: his malis & Deus & homines malè offenduntur, nemo plectitur. Rumpebantur duræ saxorum cautes Christi passione, lumine defecit gratiosus Phœbus: hæc autem æquè dira sunt & nefanda. Nam Ecclesiastica bona sunt victima consecrata Deo, per & propter sanguinem ac passionem Christi, à nostris maioribus, pro sua & omnium piarum animarum salute & solatio, & in subsidium credentium: verùm sæpisimè profusè & procaciter dilapidantur.

Nemo

Nemo intelligere vult, quàm Dei bona difficilia sint acceptu, & quàm non tutum illis abuti. Vt enim facile quidem cuique fit dare eleemosynas, haud tamen facilè capiuntur: sic & præbendis visitare, aut illas impetrare facile est, sed difficile, benè illis & dignè fungi.

O Christiani dilectissimi, cauete hæc occipite, ne cui plus committatur præter vnam præbendam, & vt quis dignus illas accipiat.

Episcopi capiunt nummos, & contra Deum committunt quælibet: excitant & ducunt bella, & mundanam exercent vim Tyranni: cùm nouerint tamen, Deo reprobari talia. Nulli vel castrum vel vrbs seu arx sit Episcopo: in templo maneant primario, eoque contenti sint, & spirituali gaudeant vita. Vehuntur equis instar laicorum, & omnia digerere cupiunt bellis & turbis, vt alij seculares magnates: & si per politicos liceret, ipsi armis & gladio assererent pacem.

Aulicos ministros habebit Episcopus hos 7. duos sacerdotes, duos ministros, notarium vnum, vnum coquum, vnumq; marestallũ: Cardinalis duodecim alat personas, & reditus habebit 12000. florenorum: Archiepiscopus decem millium: Suffraganeus sex millium.

Fatebũtur mecũ omnes, singulos Papas, vt sui nominis sibi post mortem facerent memoriam, nouas commentos esse ceremonias & sanctiones, quibus Christi & Apostolorum sanctæ doctrinæ & præceptiones interciderunt, & obnubilatæ sunt, omnibus in clamores, pulsus, strepitus, boatus, lectiones misicas, & cantiones peregrinarum linguarum conuersis & degenerantibus: vice versa, ne minima quidem ordinatio integra secundum Dei ordinem mansit, sed profligata sunt mandata Dei, hominnm traditionibus succedentibus.

Et cùm de his corruptelis multos pios, doctos, & sapientes misereret Christianos, interloquerentur, & scripta opponerent huic malignitati & querelas, desiderantes reformationem huius & illius conditionis ac rei, ordinis Ecclesiasti & politici, sc. mercaturæ quoque, artificiorum & cæterorum, quorum summa tantùm capita hîc attigimus, & quæ in illo libro dilucidiùs deducuntur, & digna sunt, quæ omnib. legantur & probè expendantur: cumq; & ipse summus mundi præses, Sigismundus Cæsar per diuinam monitus reuelationem eandem institueret iam, & machinaretur, concilia item aliquot eius rei gratia congregasset: omnia tamen incassum laborata fuerunt: nolebant enim admittere illud Ecclesiastici præsules, vt iam ex efflicta Cæsaris Sigismundi de hac iniquitate, querimonia copiosè didicimus.

Quanquam autem hæc iam pridem exoptata reformatio sit impedita, tamen (laus Domino,) eorum emunctiones, prædæ, quæstus, & compilandarum pecuniarum technæ satis discoopertæ sunt, etsi crudelibus latrocinijs & sanguinis profusionibus, ac lanienis eandem frustrari & satis potenter retundere conati sunt. Et per Dei gratiam eò res redijt, vt illuminati diuinitus Cæsares, Reges, & Principes, ac summi Magistratus, hunc laborem non dedignati, suprà dicto θεοπέμπτῳ illi Angelo Friderici Gnauo hanc iniquitatem oppugnandi & expugnandi copiam fecerint, quem Sigismundo Deus promiserat, sacerdotem & verum reformatorem.

Portentum. 1434.

TRes Soles visi sunt in cœlo: & sequitur statim triplex regimen in Ecclesiâ, scilicet Eugenij, Concilij, & neutralitatis. Multa dicuntur, &c. Item ventus maximus fuit anno Christi 1434. Imp. 113. Sigismundo. Papa 214. Eugenio 4.

Petrus Clarke. 1434.

HIc scripsit contra Antichristi synagogam, & contra Mendicantes fraterculos.

Ioannes Rode Abbas Treuerensis. 1434.

SCripsit de qualitate Abbatis, & reformatione Monachorum, & alia. Imperatore & Papa vt suprà.

Hermannus Gigas. 1434.

HEnricus Auceps, oblato sibi imperio, iuramento, nunquam suo capiti regium diadema imponendum, confirmauit. Vocatus eâ de causâ ad Romanam Curiam, per tres annos excommunicationis pœnam sustinere coactus fuit. Quibus tandem transactis, Pontifex, quò iuramento satisfieret, statuit, coronam in baculo Imperatori præferri debere. Imp. & Papa vt sup.

Hermannus Gigas, & Conradus Halberstadensis.

LEo post Felicem 2. PapaRom. Arrianus synodum coëgit. Ad quam cùm D. quoque Hilarius venisset, vel non vocatus, vel tardiùs quàm par esset, Leo prohibuit, ne quis ei assurgeret adueni-enti. Hilarius cùm videret, nullum sibi dari locum inter Episcopos, humi sedere voluit, inquiens: Domini est terra, & plenitudo eius. Mox ergo terra in altū eleuata miraculosè Hilario sedē præbuit. Leo indignatus, Túne ergo, ait, Hilarius Gallus es? at ego sum Leo Rom. Modestè respondit Hilarius, se Gallum non esse, sed episcopali munere in Galliā fungi: id tamen se quoque scire, eum Leonem esse, verùm non de tribu Iudâ. Id responsum indignè ferens Leo cum stomacho inquit: Me Leonem esse, cùm rediero, te ipsa tibi ostendam. Mox torminibus correptus ad cloacam abijt, & ibi effusis intestinis, vt Arrius, perijt.

Hermannus Gigas, & Blondus.

MEminit Hermannus Gigas, grauissimam in Italiâ aliquando in tantum inualuisse famem, vt matres mactârint suos liberos, ijsque pro cibo vsæ sint. Blondus quoque Decadis primæ lib. 4. recitat ex Dacio Mediolanensi Episcopo, qui ijs temporibus ad gubernacula sedit, quibus Vitiges Romam obsidebat, quòd in suâ diœcesi inuenta sit misera genitrix quædam, quæ mortui fame filioli carnes comederit.

1434. ## Abbas Græcus.

PAssim in Bibliothecis inuenitur sermo quidam cuiusdam Græci Abbatis (vt titulus habet) in Concilio Basiliensi habitus. In eo bonus ille Abbas, quicunque demum sit, satis grauiter accusat spirituales, quòd omnia arma spiritualia suæ sanctioni necessaria amiserint: & hortatur patres, vt Clerum reforment seueriter, alioqui Ecclesiam penitus perituram esse. Sic autem incipit: Eia milites, abijcite opera tenebrarum, &c. Cat. T. V. Imp. & Papa vt sup.

1434. ## Lubertus Hanschildt Abbas.



BRugis in Cœnobio Eckout erat quidam sapiens & doctus Abbas, & Astronomus, qui in Concilio Basileæ habito magnum habuit nomen, ille dixit:

GIB fiet ex GIBID, cùm deca decas ibit.

Ideóque Flandriam forma virginis præfigurauit, gestâtis in capite literā G. in manu læua I. dextra B. pede dextro I. sinistro D. à papillis vtrisq; pendebant duo sugentes eius vbera lupi: super capite draco erat habens in ore caudam suam, sicque coronam faciens ex se, quam capiti virginis horrenda & informis bestia imponit.

Huic picturæ cum alijs nonnullis etiam hosce sequentes versiculos vndiquaque circumscripsit:

o o 17 21 2 17 7 12 1

24 *Gibid væ tibi, nam de te facis ipsa ruinā:* 21
Deficiunt vires, nec probitate vires.
22 *Vberibus plenis lac nostrum das alienis:* 6
Lacte lupos refoues, felleq; pascis oues.
13 *Non est, dum spiras, qui nostras mitiget iras:* 6
Væ capiti, manibus, prob dolor, ac pedibus.
30 *Dextra manus vana, nec læua fuit bene sana,* 6
Pes tuus instabilis quilibet, ac labilis.

20 *Heu fortuna mala, cur nos fallit tua scala?* 5
Est sedes tibi lis, & gradus instabilis.
2 *Heu bis viceno das anno vulnera nobis,* 2
More modoq; secas, ense focoq; necas.
10 *Infelix natus, à paucis es veneratus,* 9
Nuda cares caris, lacte carente paris.
21 *Gibid deiecta, quia mens mala, nec via recta,* 14
Hoc in perpetuum sit diadema tuum.
10 *Est tibi principium finis, caput ac tibi cauda,* 14
Deuorat hoc illam, destruit illud ea.

Hisce per hunc pium Abbatem longiùs quàm 100. ante annos de ciuitatibus Gandauo, Ypero, Brugis, Insulis, & Donæo prædictum est, quid de eis futurum olim esset. 1428.



Cùm verò hæc figura non tantùm Flandriam, sed vniuersum Belgium, vt quidam existimant, repræsentare videatur, versiculos eius ad minimum hosce apponere huc volui, cum vno adhuc disticho, quod Abbati dicto, Astronomo & magni nominis domino tribuitur, exteriùs scriptum circum duodecim turres inuerso ordine sic, vt non cuilibet integer eorum esse intellectus, tempore nondum maturo, queat, sic autem habet:

Flandria fles, fletu flectes fallacia frena:
Flandria flos florum, formidas fraude fruentes.

Diligenter tamen intuendo has figuræ literas, & numeros, Lector ratiocinando reperiet mirũ in illis sensum, & de præteritarum & futurarum rerum statu certissimum. Imp. & Papa vt sup.

Georgius Heymburgensis in Confutatione primatus Papæ, parte secundâ. 1434.

POrrò primitiua Ecclesia præmissa sciens, & ob hoc nullum seculare dominium sibi vendicans, sanctis moribus & doctrinis Ecclesiam ædificauit, & Imperium Romanum ad fidem Christi & sui sacerdotij reuerentiam induxit. Sed postquam effœnata cupiditas, ac fastus dominandi ecclesiam modernam & carnalem affecit, miris sophisticationibus reuerentiam Imperatoris conuertit in debitum priuilegium, & immunitatem à deuotis Imperatoribus concessam in dominium: & sic paulatim in vsum vsurpatorium plenitudinis potestatis processit. Quod videre poterit quiuis clarissimè, intueri volens Chronicas & Speculum historiale.

Nam reuera à Beato Petro vsque ad sanctum Syluestrem tempore Constantini Magni, in hac materiâ temporalis dominij nulla fuit quæstio, trecentis ferè annis. Sublimati enim in Papam non ad temporale dominium, sed ad martyrium trahebantur, 300. ferè annis. Huius Ecclesiæ gloria fuit non purpura, non diuitiæ, non equus albus, non fastus, non dominatus: sed, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, Domine: sperantes ex hoc acquirere sedem iudicantium duodecim tribus Israël, iuxta Christi promissum.

Sed à tempore Syluestri, qui fuit 34. Papa à Petro, incepit Ecclesia mixta. Sanctus enim Syluester Constantini donationem pro vsu notariorum, qui gesta martyrum describerent, & pauperũ, non in dominium, sed vsumfructum acceptauit: & vt in sede Paparum Romanorũ appareat mixtura Ecclesiæ sanctæ & carnalis, tertius post ipsum R. Papa Liberius, dictus Leo non de tribu Iuda, hæreticus Arianus factus est: & nisi surrexissent sancti doctores, Hieronymus, Euseb. Ambro, Augustin.

quorum meritis & doctrinâ Ecclesia fuit illuminata, vtique pro tunc abusu temporalium fides Romana, sed non Petri, defecisset.

Ab hoc tempore, vsque ad tempora Othonis primi, habuerunt Papæ ab Imperio multam reuerentiam & deuotionem, sic, quòd Imperatorum, ex deuotione & reuerentiâ in principio promotionis, alij legatione, alij personis proprijs se præsentârint Papæ, eius benedictionem petentes, & recommendantes se suis orationibus ad Imperij gubernationem, & statum salutarem. Et si aliqua hæresis surrexisset (sicut multæ illis temporibus surrexerunt) tum de mandato vel supplicatione diuersorum Imperatorum concilia sacra celebrata sunt, in quibus ab Ecclesiâ aliquando Papæ accusati coram Imperatoribus, canonicè sunt purgati: quando adhuc nullum dominium Papa sibi vsurpabat. Sed sub Imperatorum priuilegijs, & dominationibus ita reuerenter habiri sunt Papæ, vt etiam quidam Imperatores ex deuotione à Papa coronari voluerint.

Ex tunc insolescere incipientes, plures ab Imperatoribus depositi sunt: vt puta Ioannes 12. quia lubricus & incorrigibilis fuit, ab Othone primo deponitur, & Leo 9. substituitur, communique voto statuitur, quòd nullus Papa fieret, nisi de consensu Imperatorum. Othonum itaque tempore, quia Imperium fuit validum, insolentia Paparum fuit refrenata. A quibus etiam, cum voluntate Romanorum & Imperij procerum, constituti sunt Electores Imperatoris, & non autoritate Papæ: quia nihil ad eum pertinebat, nisi reuerentia deuotionis.

Post tertium Othonem inceperunt cogitare Papæ subtiliter, quomodo Imperatores deuotos & reuerentiales facerent suos subiugales: & non erat eis modus conuenientior, & Imperio periculosior, quàm corrumpere Electores, saltem spirituales, & ponere in seditionem, vt electio fieret per discordiam, & sic necessariū haberent partes, ad Papam & ad eius sedem recurrere: vnde multa schismata in Imperio Papis agentibus orta sunt. Quibus non obstantibus, Henrici tertij temporibus adhuc per reges & principes prouidebatur sedibus episcopalibus, & per Episcopos cum scitu principum alijs beneficijs. Vnde cùm Cardinales graue schisma trium Paparum procurassent, quidam heremita scripsit Imperatori in hæc verba:

Imperator Henrice,
Omnipotentis vice,
Vnica Sunamitis
Nupsit tribus maritis:
Dissolue Connubium,
Et triforme dubium.

De hoc schismate dicitur 23. distinctione, c. In nomine Domini.

Ille Henricus collecto exercitu se transtulit ad Italiam, & captis tribus Papis ductisq; Romam, fecit synodum, & synodaliter omnes relegauit, & substituit Clementem secundum, & compulit Romanos iurare ad vitandum de cætero schismata: & quòd nemo sine consensu Imperatoris in Papam assumatur.

Quod factum Cardinales & Papa ægrè ferentes, timentesque, se optatum dominium in Imperium consequi non posse, nisi procuratis dissensionibus in Germanicâ natione tunc potentissimâ, concitauerunt Rodolphum ducem Sueuorum & Burgundiæ contra Henricum quartum, mittentes coronam auream Moguntino & Coloniensi, dantes eis in mandatis, vt contra Henricum constituerent regem Rodolphum: & sequutum est inter eos bellum grauissimum, in quo victus est Rodolphus: qui expirans suis astantibus dixit: Iussio Apostolica & petitio principum me fecit iuramenti transgressorem: videte igitur manum abscissam, quâ iuraui domino meo Henrico, non vitæ, nec gloriæ eius insidiari.

Quo victo, Moguntinus, de Papæ mandato & Saxonum adiutorio, alium suscitauit Henrico aduersarium. Constituit regem Hermannum Knofloch: contra quem cùm Henricus pugnaret, à Gregorio septimo excommunicatus est. Quod ægrè ferens Henricus (sicut meritò) collecto exercitu, Gregorium de Româ ad Franciam fugat: & Vuippertum Rauennæ episcopum Papam constituit, quem Clementem nominauit: & factum est schisma, videlicet Papâ procurante.

Mandantibus etiam Papis, & spiritualibus Electoribus exsequentibus, bella Saxonum contra Imperatorem facta sunt: in quibus tanta strages Christianorum & Allemannici sanguinis facta est, vt etiam ipsi Gregorio, horum malorum procuratori, horrenda videretur: & nefas suum confessus omnem processum contra Henricum & suos retractauit.

Successor autem suus Paschalis, potestate vsurpatâ par, sed malitiâ maior Gregorio, principes contra Henricum 4. concitauit, imò & eius proprium filium, quem etiam contra patrem fecit per multos Episc. Rheni in regem coronari, & vocari Henricum V.

Henricus igitur V. cum exercitu grandi Romam veniens, & Papæ benedictionem, & coronationem deuotione consuetâ petens, requisitus est à Papâ, vt præstaret iuramentum fidelitatis. Et hic primus in Chronicis reperitur exegisse iuramentum ab Imperatore. Rex autem iurare nolens dixit: Imperatorem nemini iurare debere, cui iuramentorum sacramenta ab omnibus sint exhibenda.

Factâ igitur contentione, quis eorum videretur maior, contra Euangelium Christi Lucæ 22. vt suprà: irruerunt Romani, & factum est prælium durissimum in domo S. Petri, quale priùs non est auditum.

Præualuit exercitus Regis, repleta est domus sanctificationis morticiniis, profluxit sanguis in Tyberim: ibi erat videre, Cardinales trahi nudos funibus in colla missis, papamq; ligatum: qui nec solui potuit, nisi promissione præcedente, quòd Papa dimitteret de cætero libertates Imperii & Imperatoris intactas, præcipuè de inuestiturâ Episcopatuũ & Abbatiarum per virgam & annulum, autoritate & consuetudine à Carolo Magno habitas, & continuatas per 300. annos sub 63. Apostolicis Episcopis.

Habentur hæc in summâ sparsim l. 27. Speculi Historialis, c. 10. Ex quibus patet, quæ fuit Cardinalium Paparumque intentio, quamuis animositate Imperatorum iure repressa.

Cautelosè tamen sub Lotario & Conrado Decretum compositum est: in quo quamuis sint cum sanctorum autoritatibus Paparum fœnum & paleæ multæ mixtæ, tanta tamen à quibusdam ei datur reuerentia, vt Euangelium putetur esse contentum in eo. Exq; tunc carnales Papæ ex eo decreto, quasi libro autentico, plenitudinem potestatis, non tamen ex Euangelio, assumere præsumserunt in tantum, vt Adrianus secundus Friderico primo petitam, more prædecessorum suorum, benedictionem negaret: quia strepam equi, Papâ desidente, sinistram tenuit, cùm dextram, vt voluit papa, tenere debuisset. O Deus, quanta superbia? Die sequenti valdè punita est sedes Romanorum, factâ cæde à Teutonicis, quâ maior antè non fuit audita vno bello.

Hoc Friderico residente in Alemannia, mortuo Hadriano, ortum est schisma magnum per electionem Cardinalium, sed sedatum per optimum Fridericum.

Demum Innocentius tertius composuit Decretales, pro maiori defensione plenitudinis potestatis. Vnde, mortuo isto Friderico, Innocentius quartus & sui successores disposuerunt cum Electoribus Imperii, quòd semper in discordiâ eligerentur duo vel tres Imperatores, in eum finem, vt is, cuius partem Papa foueret, sustineret Papales vsurpationes, & cogeretur ad iurandum & resignandum Papæ iura Imperialia, & collationes Episcopatuum, Abbatiarum, & cæterorum beneficiorum: quæ, Imperio existente vnito, semper contra Papas, vt suprà patet, defensa fuerunt.

Et hoc totum, quod ab huiusmodi partialibus, imò schismaticis regibus extorquere poterant, in libro 6. Decretal. & Clementinis, pro iuribus à Christo collatis conscribi fecerunt: & sic diuiso vel vacante Imperio ad vlteriora processerunt, reseruantes sibi omnes electiones & dignitates, quantumcunque Canonicè dispositas, imò & collationes beneficiorum, nihilominùs grauantes Episcopatus & beneficia cum annatis & cæteris symoniacis exactionibus, pro confirmationibus, quæ aliàs ad Imperium pertinebant: vt sic Papæ exhauriant thesauros mundi, quasi Imperio non contenti sint vsurpato.

Et meritò nostri Papæ se possunt dicere & scribere vicarios Christi & Petri, præmissis attentis: quasi ab eis acceperint totum ausum gloriandi de plenitudine potestatis, quem tamen ausum Paulus insipientiam dixit 2. Cor. 2. Prædicta epilogizantes videre poterunt, quid intersit inter Christum Dominum, & vicarium suum.

Christus regnum mundanum exclusit: Vicarius illud ambit.

Christus regnum fugit oblatum: Vicarius se ingerit, vt habeat negatum.

Christus se negauit constitutum secularem iudicem: Vicarius præsumit iudicare Cæsarem.

Christus se subdidit Cæsaris Vicario: Vicarius Christi se præfert Cæsari, imò toti mundo.

Christus appetentes primatum reprehendit: Vicarius de primatu etiam cum tota Ecclesiâ contendit.

Christus in die palmarum in asino equitasse legitur: Vicarius pomposo equitatu non contentus est, nisi dextra strepa ab Imperatore teneatur.

Christus discordes Iudæos Gentesque in vnum regnum Ecclesiasticum congregauit: Vicarius Germanos olim concordes sæpe seditionibus conturbauit.

Christus innocens patienter iniurias pertulit: Vicarius eius Ecclesiæ & Imperio iniuriari non cessat.

Quod abolere & reformare sacrum concilium Basiliense satagens, & Christi præsentem vicarium ad aliqualem formam vitæ Christi reducere cupiens, impeditur vsque nunc. Nam in reformatione inceptâ, quia curiam Papæ tetigit, ventum validum contra se commouit, ita vt nauicula Petri videatur quasi fluctibus absorpta: quæ cùm mergi non possit, fluctuat. Quod fit, quia hi, qui primò contra insolentias Eugenii fuerunt in ipso & cum ipso sacro concilio feruentissimi (ita quòd electionem eius etiam publicè declarârunt inualidam, & ad eius vsque depositionem, nisi humiliatus fuisset, erroresque suos retractasset, processerunt) per eum corrupti iam contra ipsum sacrum concilium, vnà secum errores eius approbantes, sine fœdere bellant, primatumque, quem sacro concilio priùs catholicè adscripserunt, ipsi nunc erroneè adscribere nõ verentur. Meretrix enim suprà descripta tot habet amatores, ne dixerim adulatores, de vino prostitutionis eius inebriatos, vt sponsa Christi vnica, & eius repræsentatiuum conciliũ, inter mille vix potuerit vnum verum amatorem habere. Propter vnum enim capitosum hominem, in errore de spiritu libertatis aberrantem, tam diu reformationi Ecclesiæ Romanæ se opponentem, totam Ecclesiam perturbantem, errores carnalium Paparum, de quibus dictum est, sequentem, imò plus potestatis quàm aliquis suorum prædecessorum vsurpantem, pro primatu supra generalia concilia contendentem, ebrii & cæcutientes videntur omnes fore, & spirituales & seculares: specialiter Alemanni, de quibus plùs miserandum est.

Ii enim vltra bonum honestum, quòd à sacris conciliis prouenire consueuit, bonum superv-

tile à sacro concilio Basiliensi recipere potuissent: videlicet exactionum diuersa genera, quoad decretum, euadere: libertates Imperii iure belli iustissimè acquisitas, & Germanico sanguine manutentas, sophismatibus Apostolicis subrepticiè vsurpatas, recuperare quiuissent. Expergiscimini igitur ebrii, abstergendo puluerem: iuga colli grauissima soluendo: postponendo damnabilem neutralitatem, 34. q. 1. Schismatis quidem, quod dicunt, fundamentum: (qui Canon benè inspectus, potiùs reprobat neutralitatem, sicut & omnes Germaniæ vniuersitates reprobàrunt ipsam rationabiliter) & sacrum concilium adhuc cum nauiculâ Petri fluctuans resarciendo, eoque sufficienter recollecto, si quæ de facto processerunt, diiudicando: reformationem ante eius dissolutionem faciendo. Quâ rite factâ, impleatur illud, quod de carnali Ecclesia prophetatum est Apocal. 13. Cecidit Babylon magna & odibilis: quia de vino fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores, id est, simoniaci de virtute deliciarum eius diuites facti sunt. Audite omnes qui aliquem zelum bonum habetis, & intelligite, vobis dici quod sequitur ibidem: Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius: ne de plagis eius accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum: & alia quæ ibi ponuntur. Ex quibus sic planè dictis, non restat de cætero excusatio per ignorantiam regibus & principibus, & communitatibus quibuscunque. Quin videntes ingratitudinem Paparum, quibus data sunt gratiosa temporalia & priuilegia ab ipsis diuis Imperatoribus, pro vsu pauperum & personarum Ecclesiasticarum, quæ conuerterunt in abusum, adeò, vt eos, qui donationem gratiosam fecerunt, pro beneficiis redigant in vilem seruitutem, meritò corrigant eos per sacrum concilium, vt refrenetur audacia eorum per manum valitam Imperatoris, qui plus in hac re patitur. Nam eximius Rex Angliæ, Franciæ, Dux, Marchio non astringitur Papæ quocunque iuramento: factus Imperator iurare tenetur secundum Decretales eorum fabulosè fictas, ita vt supremus Monarcha magis seruilis conditionis, quàm quicunque eius inferior, fieri censeatur. Hæc pro admonitione eorum, quorum interest, rudi stylo, vt meliùs possint intelligi, commemorasse sufficiat. Imp. Sigismundo. PP. Eugenio 4. V. S.

Idem. Qua conscientia præsumit quis sacerdos, etiam Papa, absoluere subditos à iuramento & obedientia, ad quam Christus & Apostoli vnumquemque astringunt?

Appellatio eiusdem contra Pium 2. PP.

Vis consilii expers mole ruit suâ: vim temperatam in sublime prouehit Deus. Papa Pius iam pridem per Breue Apostolicum, non testatum, sed annulo Piscatoris obsignatum, fertur excommunicasse Gregorium Heymburg, nunquam euocatum, contra legem Dei, qui damnaturus Protoplastum præuaricatorem, præmisit vocationem, dicens: Adam vbi es? Similiter & Cayn, fraterno adhuc sanguine madentem, interrogans, dixit: Vbi est Abel frater tuus? Sodomorum quoque flagitia antequàm sulphuris exureret igne: Descendam, inquit, & videbo, an clamorem, qui ad me peruenit, opere compleuerint? Papa verò Pius, vi sola fretus, omni consilio neglecto, quàm tenuem telam orsus, quàm debilem texat rationem, quæso videte. Saluator, inquit, noster Petrum Apostolorum principem ad gubernationem Ecclesiæ substituit, &c. Quis ignorat, omnibus Apostolis Iesu esse præceptum, vt eant in orbem, prædicaturi fidem, baptismum, & salutem? Quis nescit, passim omnibus esse promissum, ligatum esse in cœlis, quod ipsi ligarent in terris, & solutum esse, quod soluerent? Sed quòd Cephæ singulariter dictum est: Tibi dabo, &c. hoc ait Hieronymus esse factum, vt tolleretur schismatis occasio. Et Ambrosius in Pastorali suo dicit, Petro, nedum trinâ interrogatione interrogato, an amaret, terna responsione subsequente, amare se, teste ipso interrogatore Iesu, traditas esse claues, sed & omnibus Apostolis contraditas. Apostoli quoque post Ascensionem Domini conuenisse, ac Petrum sibi principem constituisse, & Antiochiæ in cathedram collocasse, referuntur: nihil tamen de potestate, vniuersis Apostolis à Saluatore data, & sua ipsorum omnium vniuersali missione diminuerunt. Ergò & hodie catholica exorat Ecclesia, sese per Apostolos ipsos continua protectione custodiri, quos ipse Saluator noster Vicarios tanti operis constituit præesse pastores. Horum legitimos successores constat esse vniuersalia concilia, Christianæ fidei firmamenta, quæ pontificum actiones pro tempore saluberrimis doctrinis instruxerunt, & errores emendauerunt. De quibus summus ille pontifex Gregorius scribit: Quisquis illa destruere tentauerit, seipsum destruit. Sed quorsum hæc? eò certè pertingunt, vt conuellatur illa superstitio, in qua Papa Pius factionibus Cardinalis Cusani adstruit, concilium supra Papam non esse, dum dicit: ad futurum concilium, quod supra Christi Vicarium esse nequit. Videte ergò, quam vim omnis concilii extorrem Papa inferre tentauerit. Nam si omnes Apostoli missi sunt à Domino Iesu dicente illis: ite in orbem, &c. quodcunque ligaueritis, &c. quos constat conciliariter postea esse congregatos, ac ipsum Cepham in messem Domini misisse: quis dubitat, sacra concilia vicem Christi gerere, quæ & cœtui Apostolico successisse comprobantur? Siquidem orbis maior est vrbe. Subdit Papa Pius, rem illam in conuentu Mantuano sæpè & multùm esse discussam, quasi concilium adhibuerit procerû, vti sacræ leges iubent, in rebus nouis constituendis, quas tamen pro nudo libitu plùs euomuit, quàm edixit.

Ipse quidem conuentum Mantuanum nuncupat conuentionem regalium & principalium oratorum illuc transmissorum: sed in illa certè nil de his ne cogitatum quidem extat.

Dicitur autem Papa Pius cum Cardinalibus suis ita decreuisse. Cur hoc? nisi quia voluit Papa ipse abuti potestate sua, Talliam, id est, tributum imponendo, & sub velamento militaris expeditionis in Turcam instaurandæ, facultates Germaniæ illius, quæ est inter Coloniam Agrippinam

& Austriam, ac rursus inter Daciam & Alpes, quæ Germaniam ab Italia disterminat, medullitus exhaurire? Nam ex illis solis finibus Oratores Mantuæ ad tractandum conuenêre. Illi quippe soli videbantur apti Papæ, quos luderet. Brabantia, Hollandia, Geldria, cum circumiacentibus reclinârunt clam illis, quos suprà nominaui. Vtcunque res acta sit, nullus illorum interfuit tractatibus nostris: ergò vim suam extorrem esse voluit à sensu illorum, quorum æra concupiuit.

Hinc profectò non ineptè nec supinè Papa ipse, negatis sibi pecuniis, quas solas ardebat, suam ratus lædi maiestatem, vim astutia conceptam totius concilii expertem adhibuit: ac inprimis suam dimensus potestatem, simul & Imperatoris nostri splendorem ante oculos ponens, putauit, neminem resistere posse vel audere conatibus suis. Veruntamen suam potestatem stupendo, quæ latior est, quàm sit modò Imperii gloria Romani (quæ quondam Caucasi montis limite coartata, dehinc, fracto Caucasi limite, per totum orbem vires suas terra marique exporrexit: nunc autem Augustorum desidia angusto limite cingitur) nil profectò suis machinationibus in hisce partibus, quas Imperialis tituli splendor illustrat, obstare posse rebatur, nisi fortasse totius orbis Christiani conuentus cieretur, quod vniuersale concilium nuncupamus.

Hanc sanctissimam Christianorum conuentionem, libertatis alumnam, Papa velut iliacam horrens passionem, præuenire credens, vanissimo decreto, antequàm nasceretur, condemnauit: seu condemnando potiùs iudicauit. Cùm enim sedulò vetat, profectò magis timere deprehenditur. Nam quod veteri silentio litura restinxit, hoc totum inuida damnatio viuificauit, non aliter, quàm qui latentes vires calcis, aquæ rigantis & gelidæ superfusione obruere cupiens, inuitus ac nolens exsuscitauit.

Prudentiùs Solon ille Atheniensis, legibus ordinatissimè compositis, interrogatus, cur nihil seuerius in parricidas statuisset, qui tamen sicariis longè immaniores essent, respondisse fertur, ideò se reticuisse, ne vetando admonuisse videretur. Hunc locum Prælati capessite, qui libertatis vestræ certissimum est refugium, dignitatisque firmamentum. Infirmos rumpite casses, & inanes laqueos dissipate, qui scholasticis datis operam disciplinis. Seculi verò principes, & viri militares, ad bellaque doctiores, quibus est disciplina (sed quando proficiscimini) editiora loca hostibus intercipere, hunc eminentissimum locum vniuersalis concilii quæso antè capite, vnde nobis sit prospectus liberior, fortior & intentior propugnatio, tutelaque securior.

Quòd si Papa hoc tale tantumq; asylum interceperit, hoc roboris vallum fortassis demolitus fuerit, seu obruerit, antequàm emineat vel oriatur: vos abiecto clypeo exarmati tandem precii venalitate, hoc est, tributorum pensatione animas vestras redimere cogemini, pecuniaque vestra sub velamento militaris expeditionis aduersus Turcas instaurandæ, in damnatum & scelestum vsum conuertetur, scilicet in subsidium Ferdinandi, ex damnato complexu quondam Alfonsi Arragonum enixi, contra Renatum regni Siciliæ hæredem legitimum, & inclytum Ioannem Calabriæ principem, Christianæ nobilitatis ac militaris gloriæ decus & ornamentum, & exemplar imitabile.

Et idcirco dicit Papa, Gregorium Heymburg ex diabolo natum, quia non ex damnato coitu, sed legitimo coniugio est progenitus, quorum osor est Papa, fautor bastardorum, pro quibus longissimam & ferè trium horarum prolixam fecit orationem, dum Ferdinandi bastardi laudes Mantuæ personaret.

Quòd verò Papa subdit, Gregorium Heymburg auarum esse, mendacem, & turbulentum: benedictis si certaret, bona audiret: sed cùm certet maledictis, alium quærat, qui respondeat, ego ex illo grege non sum: quippe cui facultas pro meritis minimè respondent, qui plura suffragia liberaliter impendi, quàm honoraria susceperim: & libertatis amator plùs semper fui, quàm blanditiarum, quæ mendaciis & auaritiæ minimè contrauenire possunt. Sed ipse aliquando audiet, quid gesserit, qualem vitam egerit, & quid apud Comas.

Sed reprimo me, pergens ad illius decreti vanitatem, in quo vetantur oppressi vel opprimendi ad concilium prouocare, quod non est: & quòd (vt ait) Concilium supra papam esse nequit.

Iam suprà ostensum est, cœtum Apostolicum fuisse supra Petrum: & nunc affirmo, quòd sicut ad sedem Apostolicam vacantem appellari potest, sic ad concilium, quod nondum est congregatum, ritè appellatur: quia potestas Ecclesiæ immortalis est, quemadmodum ipsa Ecclesia: quæ etsi nunc dispersa est, aliquando tamen habet congregari: & hoc nunc maximè opus esse nemo dubitat, qui calamitates Ecclesiæ intelligit & cognoscit: cuius si Papa partem esse se fateatur, se vtiq; minorem illa fateri necessarium est: siquidem orbis maior est vrbe.

Papa autem hoc vetando quid aliud agit, quàm quòd aduersus nos causatur, quòd eius imperium truculentissimum non sustinemus: quòd facultates nostras, tam nostro quàm nostrorum maiorum sudore & sanguine partas, in suas delicias effundere negamus? Velut ille, qui ex vulneribus à se iniectis retractum accusauit telum, quod parcius corpore suscepisset. Hoc dominicum in seruos extat imperium, quod in nos exercere cupit: hoc, est seruile seruitium, quod à nobis exigit, non filialis reuerentia, quibus certè nec peculium relinquere curat. Nemo sanæ mentis hoc non percipit: nullus emunctæ naris homo non olfacit, quorsum tendat hæc tam grauis exactio?

Quòd me verò loquacem facit vir omni dicacior pica, quid dixerim, nisi Horatii verbo respondisse velim, dicentis: Ignoras te, an ignotum dare nobis verba putas, cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis: cùm in aliorum vitiis tam cernis acutum, quàm aut aquila aut serpens Epidaurius: hinc tibi contrà euenit, inquirant vitia vt tua rursus & illi.

Fateor quippe, me ventositati verborum pro tempore operam dedisse: at non ita, vt ciuilis & canonicæ traditionis præcepta contemserim, quæ ille ne vnquam quidem olfecit, nuda verbositate contentus.

Porrò, si quid tale vitium apud me deprehendit, ineptè tamē id ipsum mihi exprobrauit, in quo ipse potissimùm turget. Mihi satis est, didicisse ciuiles sententias, & quicquid præcipuum habet ratio & industria, & quicquid sacra tradunt vtriusq; iuris statuta, hisce literis & floribus exornare posse, & in illo grege me esse profiteor: sit ipse in numero illorum, qui putant hæc omnia vi & artificio Rhetorum contineri. Ergò si Papa ob id facinus excommunicatum me edixit, quis erit electior ipso, qui præter verbositatem nil habet in se virtutis?

Subdit, & læsæ maiestatis me crimine irretitum: credo eum pulicibus & muscis has leges dedisse, aut animalibus, quæ de tabidis corporibus nasci solent, vti aranearū telas in occursum fragiles; leges concilii atomis æquauit, in quas si culex, aut quod imbecillius animantium inciderit, euoluere se nescit: si quod autem validorum animantium incurrerit, penetrat atque disrumpit: neq; enim rete ficedulis aut coturnicibus contextum aptum est vincire vulturem vel aquilam. Irretiat ipse Reatinos suos, & eos quos seruili metu constrictos habet: mecum erit, Deo dante, libertas Diogenis & Catonis.

Nec satiatus est Papa conuitiis vulgaribus, quin etiam hæreticum me audet nominare: siquidem hæresin voluit sectam vel sententiam nuncupare, vt Cicero noster Catonem rectè appellat, hæreticus sum ego, qui aio, Concilium orbis Christiani fore supra Papam. Hæreticus est Papa, qui contrariam sectam fouet. Videte, quòd nil grauius in eum dico, qui tamen abiecta rerum, rationis & concilii moderatione, cuncta in me pro libitu scribi iussit. Postremò, nec adhuc satiatus Papa conuitiis, mandat bona mea confiscari, quæ vtinam tanta essent, quòd rapacibus viris hiatum ponere possent: ego inter bonos conuersari volo, qui virtutes meas opibus suis foueant, & pluris faciant suffragia mea, quàm locupletiuam, quam ex mea ruina sperare possent: maiori etiam vtentur consilio, quàm Papa fretus est in procacitate sua.

Pollicetur eis tandem Papa, qui res meas tandem inuaserint, catholicorum hominum operas impendisse. Maximè ridiculosum est hoc verbum, nisi ipsius Papæ ineptia iam antea vobis comprobata esset, dum ipse incestuosos complexus, & vitia honestatis publicè inita Mantuæ tam copiosè quàm loquaciter personauit.

Expugnatis nunc araneorum telis, & infirmorum retium vinculis, nodisque dissolutis, ad remedium morbi introducti, quo aduersus superiorem truculentiam, & amarissimas leges se tuetur, innocentiæ stylum conuertere depropero.

Et in primis constat planè, semper & vbiq; ab inferiori ad superiorem rectè prouocari. Nemo enim tam obtusi cordis est, qui non in seipso periculum fecerit, à sensualitatis fragilitate ad intellectualis potentiæ discursum esse prouocandum: sed & qui morbo aut vitio animi tenetur, vt nesciat cernere verum, si lapsus fuerit in vitium, is defecato tandem animo, ad se rediens ad animum ira, odio, gratiaque vacuum prouocat, quò certiùs de rebus consultet atq; decernat, & vim suam consilii grauitate moderetur. Ideoq; laudata est illa mulier, quæ à vinolento rege Philippo ad eundem sobrium prouocauit.

Sit ergò mihi gradus primus, ab irato Papa, qui me lacessit, ad eundem mitem factum appellare, & ab oratore Topico ad eundem, si ventositate abdicata, si musis relegatis, ad sacras leges se conuerterit: vbi discet, neminem indamnatum rebus aut fama spoliare, nec quenquam inauditum condemnare.

Deinde quia scriptum est, Papam omnes iudicare, ipsum autem iudicandum à nemine, & ego fateor verum, quantum attinet ad sedis ipsius, & Papalis potestatis plenitudinem, sed non ita, vt sub inimico & suspecto iudice quisquam cogatur famam aut res suas decertare. Ad eundem itaque prouoco, si se iuxta boni viri arbitrium adstrinxerit iudicaturum, & is sit appellationis meæ gradus secundus. Si verò causam delegare malit viro non suspecto, rursus ad eundem Papam, seu quem deliget, prouoco & appello, & hunc tertium appellationis meæ modū offero, meq; tali iudicio sisto.

Et in summa, Papali cognitioni ea lege nunc me submitto, si suspicionis causa tollatur è medio: & hic quartus ordo omnem tollit tergiuersationis notam: quam mihi iniicere possit Cusani procacitas, cuius ductu hæc omnia diriguntur. Quæ omnia si Papa contemserit, quid restat, nisi ad vniuersalem Ecclesiam prouocare? prout à senatu ad populū Romanum sæpe reperimus appellatum.

Nec obiiciat mihi Papa, Ecclesiam non esse congregatā, quoniam id ipsum factionibus ipsius impeditur, & disturbatur: apud me nulla mora, culpa nusquam: cùm non per me, sed per ipsum stet, quò minùs fiat. Si quis enim in ius vocatum vi eximat, contumaciā remouet à citato, ac omne vitium & crimen in ipsum transfertur. Papa metum intulit mihi, ipse sibi iustitiam indixit: se conuitiis suis aduersus me suspectum reddidit, quia se sapientis arbitrio adstringere declinauit: de suspicione experiri recusat, nec iudicem suspicione carentem deligere dignatur, atque vniuersale concilium conciere negat. Hic si aduersum me quicquam attentauerit, aduersus ipsum prouoco gradatim atque alternatim, vt præmisi, & testimonium eius rei postulo, & de metu iusto protestor coram vicinis. Quo cessante, prosequar, si opus erit & opportunitas concedatur, prout iuris publici ratio poscit, saluo iure addendi, omnibusque remediis, moribus, & lege introductis.

Ordo

Ordo Equitum Spiritus Sancti.



FRancus, ordinem huius nominis Romæ & Groningæ in Ducatu VVirtembergico circa hoc tempus fuisse, notat. Vestitum eundem habuisse cum aliis sacerdotibus, excepta duplici cruce in tunicis. Ab omnibus delictis, potestate speciali Papæ, potuisse absoluere.

Nicolaus Siculus de Tudeschis,

Panormitanus Archiepiscopus, & Cardinalis, I. C.

HIc scripsit & defendit concilium contra Eugenium Papam, dicens: illud esse supra Papam. Sed tandem, vt in suis commentariis refert, Eugenium, non tam volens quàm iussu sui Regis, defendit. Quin etiam ait, se, cùm tandem in concilio victus esset, domum sese mœstum recepisse, ibiq; diu secum questum de suo Rege, qui se inuitum compellat, contra veritatem pugnare. Narrat autem Syluius, & quendam Ludouicum Protonotariū Romanum, quem plurimùm eruditionis ac ingenii nomine deprædicat, eundem Eugenium contra mentem suam defendisse: sed non ita multùm pôst penè subitanea morte extinctum esse: non enim vltra 36. horas ægrotantem iacuisse. Sed vt ad Abbatem redeamus, ille super caput, Omnes vtriusque sexus, &c. sentit ac scribit, confessionem istam, quā vocant auricularem, non diuini sed humani iuris esse: eoque ad salutem non esse necessariam. Item in cap. cùm olim. de cler. coniug. dicit, traditiones conscientiis imponendas non esse, seu, eas illis obligari non oportere. Vixit hic I. C. in Sicilia, vbi Episcopus fuit, Imp. Sigis. V. S. PP. 214. Eugenio 4.

Idem Panormitanus libro primo capite octauo. Alphonsus, Rex Arragonum & Siciliæ, cùm audiret, Harpyias rapacissimas aues (quas Virgilius in Æneide eleganter describit) nescio quas inhabitare insulas, ad suos conuersus ait: Ex his insulis in curiam Romanam commigrasse Harpyias, compertum est, ibique iam domicilium constituisse. Notauit autem tacitè Romanæ Curiæ ingluuiem, auaritiam, & detestandam rapacitatem.

De Harpyiis.

HArpyiæ tres enumerantur, Aëllo, Ocypete, Celæno: Aëllo quasi ἐλλων ἀλλο, id est, alienum tollens: Ocypete, id est, citiùs auferens: Celænum, græcè nigrum, quòd Harpyiæ aliena celeriter in nigro, hoc est, clanculum auferant. Omnes plumatæ, volantes, & virgines: virgines ideo, quòd omnis rapina sit sterilis & arida: plumatæ, quia quicquid rapina acquirunt, furtim plumis celant: volantes, quòd ii qui furantur, celeriter fugam arripiunt.

Aiunt autem, Harpyias Phineo Regi Pæoniæ, (hodie Pannoniæ) fœneratori cæco (quia omnis auarus cæcus) cibum & substantiam asportasse. Habuit enim Phineus filias duas, quæ ceu Harpyiæ illius bona omnia adeò dilapidabant, vt victi eius misericordia amici, filias è ciuitate eiecerint, bonaque dispersa in vnum cumulârint, & Thracensis cuiusdam custodiæ mandârint. Hæc Fulgentius de rebus naturalibus. Sed quidam huius mysterii interpres inquit:

Phinees fuit filius Eli, Iudicis Israëlitarum, ille cum Ophni fratre fuit fœnerator sacrificiorum Domini: & cum mulieribus, quæ obseruabant ostium domus Domini, dormiebat: erantque ambo filii Belial, Dominum & Sacerdotium nescientes, vt verba textus docent 1. Sam. 2. Et propter hos periit cultus Dei verus & sincerus in Israël, & arca Domini, ipsis cæsis in prælio, sublata est, & tradita custodiæ Philistæorum.

Quæ omnia præfigurârunt hodiernum nostrum Pontificem, & clerum, exercentem vsuras de sacris suis, & cultu Dei: fraudibus ac vi bona sua & pecunias hominibus adimentem, scortantem, mœchantem, & vias Domini peruertentem.

Ipse enim est, qui, vt Paulus testatur, in lege gloriatur, & per præuaricationem legis Deum inhonorat: etenim nomen Christi per ipsum blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est. Ideoque auferetur ab eo arca, id est, gratia & verbum Domini cum bonis suis propediem, & dabitur custodi Thracensi, hoc est, potenti illi, qui hodie Thraciam inhabitat, domino, qui est Turca: sicut etiam miseris accidit Pæoniis.

Alii illa verba 1. Sam. 4. (vbi dicitur: Heli autem sedebat super sellam, & audiens de arca Domini, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est) sic interpretantur, quòd scilicet ille Heli (qui conniuere solitus est ad omnia crimina petulantiæ, & improbitatis filiorum, omnesq; indulsit eis libidines & flagitia, sed tandem, Deo vindice, propter hanc suam in corrigendis & castigandis liberis desidiam, fractis ceruicibus de sellà lapsus cecidit retrorsum) fuerit typus summi illius Pontificis Romani.

Iste enim sedet in templo Dei ad ostium, & claues sibi arrogat regni cœlorum, nec tamen vnquam aperit, immò potiùs claudit: & in sellà quidem sedet, segnis & piger, mollitie & inertià penè diffluens, audit videtq; scelera, quæ perpetrantur à filiis suis, hoc est, Clero: quòd, vt filii Eli, dormiant cum mulieribus, & horrendis se polluant incestibus & adulteriis: quòd hominibus sua, ceu Harpyiæ, rapiant, & euiscerent pauperes, terramque depascant instar perniciosorum vermium: pios, & bonos, ac doctos, Deique & verbi eius amantes, & studiosos opprimant, tribulent, obtruncent: sed ille in sellâ suâ Papali residens, ignauum magnâ mole pecus, non tantùm ad ista conniuet, verùm etiam ipsemet exemplo suo calcar illis addit: dat eis præmia magnas mundi diuitias, terrarum imperia eis donat: & totius orbis dominium sibi suisque interea vendicat.

Igitur iusta tandem Dei ira exardescet, & filii eius in prælia abripientur: arca, seu Testamentum Domini auferetur ab eis: ipse percussus cæcitate mentis cadet retrorsum: & tunc ab ipso humi strato reposcetur sanguis suorum sanctorum iniquè occisorum.

Ioannes Robitzana Archiepiscopus Pragensis.

1435. EGo apertè dico, ait, Ecclesiam Romanam Babylonem esse occidentalem, In quâ regnat peccatum in Spiritum sanctum: Papam verò ipsissimum Antichristum, qui tot superstitionibus simplicem Dei cultum obruit, sinceræ religioni multa de suo assuit, multis miraculis plebem credulam in varios errores induxit.

Dæmonem omnia Sacramenta inuasisse, eademque vitiata sacrificulis quæstuosa fecisse, ac homines per ea in falsam salutis consequendæ spem induxisse: quò in errore & mendacio sumta, latus pons ad orcum essent.

Eos qui viderentur, ita esse Christianos, vti pictus Petrus viuus habendus sit Petrus. Verum Christianum æquè esse inuentu difficilem, vt cum cornibus aureis in ponte Pragensi ceruum.

Sacerdotes omnes quidem esse rasos, sed non omnes sanctos: pauciores Christi sectatores, plerosque omnes auaros, superbos, ambitiosos, luxuriosos, simulatores, ociosos, qui falsa pro veris populo proponant, vim soli conuenientem Deo, sacramentis hominumque meritis tribuant, sceleribus auditores superent, quorum duces in omni pietatis genere esse deberent.

Monachos Satanæ instrumenta, post mille à Christo nato annos, cùm soluendus erat idem malus, ad opprimendam hypocrisi veritatem, Papalem sedem stabiliendam, & cibos pauperum viduarumque absumendos, instituta: & eorum claustra esse maleficorum receptacula, Veneris lustra, superstitionis simulationisque seminaria.

Omnes lata ad cœlum via tendere, angustam declinare. Paucos in ouile Christi tam spiritualē quàm politicum, per ostium introire: paucissimos suis officiis satisfacere. In omnibus fidem viuam extinctam esse, caritatem refrixisse.

Ecclesiam vrbi magnæ ab hoste vastatæ persimilem esse, ex quâ veri ciues alii ægrè euaserint, alii repugnantes cæsi, capti alii, ipsaque facta sit latibulum ferarum, & spelunca latronum immanium, sentibus obsita atque ruderibus: cuius recuperatio & reformatio perdifficilis foret. Hostes autem, beluas, latrones, Papas cum sacerdotibus esse, qui eam sensim occupauerint, deprædati vti latrones, depasti ceu apri sint: rudera errores sceleraque eorundem dici: ciues illos omnes, quicunque se vnquam immoderatæ dominationi ipsorum opposuissent, falsis doctrinis restitissent, vitia reprehendissent, quorum omni seculo fuerit cunctis locis aliquis numerus: sed qui propemodum omnes vel interimerentur, vel vitæ consulentes suæ laterent occulti.

Inculcabat etiam illud Angelicum auditoribus: Exite Babylone, exite citi: ne participes sitis peccatorum plagarumque eius. Imp. Sigismundo. PP. Eugenio 4. V. S.

Flauius Blondus.

1435. LOtharius Imperator rex Italiæ, magistratus in vrbe Roma constituit, qui populo ius dicerent, & causas cognoscerent, interque partes litigantes sententiam ferrent. Imperatore Sigismun. PP. Eugenio IV. V. S.

Idem dec. 1. l. 8. Visa sunt elementa in Romanæ vrbis, & in Italiæ excidium coniurasse, vt, quod tantæ tamque frequentes barbarorum illuuiones nequiuerant, ira cœlestis neruos viresque Romani populi, & omnis Italiæ exinaniret.

Idem decad. 1. l. 9. Phocas, ipsius Pontificis suasione, publicâ, & ad vniuersum orbem Christianum demissâ sanctione constituit: vt Romanæ Ecclesiæ, Romanoque Pontifici omnes orbis Ecclesiæ obedirent. Viderint ergo Pontifices, qui falsò Christum auctorem primatus sui faciunt.

Idem lib. 10. Ioanni Italiæ Exarcho Paschalis magnam pecuniarum vim promisit, si se Pontificem crearet.

Idem. dec. 2. lib. 1. Constantinus Copronymus à Pipino postulauit, vt bona Longobardis erepta Imperiali iurisdictioni restitueret, & non Pontifici.

Idem lib. 6. decad. 2. Ioannes Anglorum rex, qui prouentus Ecclesiæ sex occupauerat annos, ab Innocentio 3. excommunicatur: at ad Pontificis misericordiam confugiens, Angliã, Hiberniamque, præter Petri nummum, Rom. Ecclesiæ feudatarias ex fœdere constituit: & mille auri marcas pro vtraque insulâ quotannis soluere est pollicitus. Vide quoque Polydorum lib. 15.

Idem in libro 3. Romæ instauratæ. Nunc principes orbis terrarum Dictatorem perpetuum, non Cæsaris sed piscatoris Petri successorem, Imperatorisque prædicti vicarium, Pontificem summum adorant & colunt. Nunc orbis terrarum Cardinalium senatum in vrbe Româ, post Pontificem venerantur. Quid? quòd maiora vel certè paria priscorum temporum vectigalibus, Europa penè omnis tributa Romam mittit: dum singulæ ciuitates à Romano Pontifice beneficia sacerdotalia accipiunt.

Thomas Rhedonensis. 1436.

THomas Rhedonensis Gallus, Carmelita, celebris (teste Antonino) concionator inter concionandum per Galliam & Italiam, solitus erat dicere ac docere, Romæ magnas abominationes fieri, Ecclesiam magna reformatione indigere: & quòd Prælati, deposito fastu ac luxu, deberent modestiùs, instar Christi & Apostolorum, viuere. Ob hasce grauissimas hæreses & blasphemias, curauit eum Eugenius 4. Romæ anno 1436. exuri. Ill. Imp. Sigism. & PP. V. S.

Petrus Payne. 1438.

PEtrus Payne Anglus, VViclephita, quia papisticos errores reprehendit, coactus est patriâ profugere, ac se in Bohemiam conferre. Fuit postea vnus Legatorum ad concilium Basiliense missorum. Scripsit breue scriptum de prædestinatione & libero arbitrio: de ciuili seu temporali dominio Cleri: contra ceremoniarum abusiones, & superstitiones: pro vtraque Sacramenti specie: & concilium esse supra Papam.

Aduersus eum scripsit Ioannes de Turre crematâ, Cardinalis. Imp. 114. Alberto 2. PP. 214. Eugenio 4. V. S.

R. Leui ben Gerson. 1440.

RAbbi Leui, ben Gerson commentatus est hebraicè in Danielem Prophetam: vbi Pontificem Romanum bestiam illam à propheta descriptam vocat, eumque Pharaonem appellat. Hinc refutantur somnia papistarum dicentium, Antichristum quendam singularem oriturum de tribu Dan, & in monte Oliuarum interiturum, & alia: cùm Iudæi nunquam Christiani fuerint, aut esse velint. Imp. 115. Frid. 3. PP. 214. Eugenio 4.

Matthæus Palmerius. 1440.

ANno Domini 1299. Bonifacius 8. hæresim eorum, qui se Fratricellos vocabant, damnauit, & vbiq; persecutus est. Hi enim multa Rom. Ecclesiæ statuta damnabant: Christum & Apostolos pauperes fuisse, docebant: & Cæsarem non esse Romano Pontifici subiectum. Imp. & PP. V. S.

Ioannes Gattus Siculus. 1440.

LIterarum græcarum auiditate in Græciam profectus fuit hic vir doctissimus. Quicquid perlegebat semel atq; iterum, memoriter deinceps id omne proferebat. Imp. & PP. V. S.

Iacobus Cartusensis. 1440.

IAcobus de Gruitrode, Cartusensis, scripsit inter cætera etiam de septem statibus Ecclesiæ in Apocalypsi descriptis, & de authoritate Ecclesiæ, eiusque reformatione. In quo scripto multùm accusat prælatos, curiam Romanam, & Papam. Ostendit, Ecclesiam Papa superiorem esse: & queritur, Spirituales, præsertim verò curiales semper reformationem Ecclesiæ impediuisse: ac dicit, eos vel tantùm ad nomen concilii contremiscere. Scripsit quoque librum de erroribus modernorum Christianorum, in quo non tantùm vitia reprehendit cùm laico-

rum, tum aliorum: sed etiam idololatriam, vt peregrinationes, concursus ad statuas, conficta auariciæ causa miracula. Additque, ob eiusmodi manifestas vanitates & impietates derideri ab infidelibus nostram religionem, ac à Iudæis multos nostros etiam in fide languefieri: quòd Christianis, & præsertim imperitioribus proponant illas manifestarias falsitates, erroresque, quibus à sacerdotibus quæstus gratia ludificentur, indeque eos & reliquæ nostræ religionis vanitatem probare conari.

In eo libro & illud præclarè de gratuitâ iustificatione scribit, inquiens: Homines quidem accipere ac diligere alios propter ipsa eorum opera sibi grata aut vtilia: Deum verò opera accipere propter hominem: quare prius debere hominem esse Deo reconciliatum, postea speret, opera sua ipsi placitura esse.

Scripsit & de malo prolixum librum, in quo itidem causam omnium malorum, quæ in Ecclesia grassantur, in spirituales reiicit. Edidit quoque scriptum prolixum, titulo de abusionibus clericorum: item, quòd prælati vitia curare debeant: qui eiusdem fermè sunt argumenti cum præcedentibus. In libro de causis & remediis passionum animi, reprehendens prælatorum superbiam, diserté dicit, eos locum tenere Antichristi, & non Christi: & eos Luciferiana superbia præditos esse. Flaccius. Imp. Friderico 3. PP. Eugenio 4. V.S.

1444. *Ioannes Capistranus, Monachus Silesius.*

DE authoritate Papæ multi sunt in ea opinione, Papam errare non posse: Capistranus tamen veritatis studiosior, affirmat, illum posse errare: vt Liberius Papa, qui fuit Arrianus, iuxta Chronicon Martini: & Anastasius 2. qui volens reuocare Achatium hæreticum, diuino iudicio percussus fuit, quòd, dum ad naturæ necessaria accessisset, egerendo intestina miserabiliter vitam finiuit.

Vaticinium 20. annis ante natum Christum lapidi impressum, & Venetias anno 1495. ex vrbe Altina allatum, de Romani Imperii & Antichristi ruinâ: ex Capistrani reuelatione.



DIgna quædam supra modum admiratione imago, prophetiaque, lapidi insculpta annis ante Christum 20. ex aduerso Venetiarum in petra, ita, sine omni tamen explanatione, reperta fuit: Superior illius pars Regis, altera Prælulis nomen legentium oculis proponebat. Nemo autem, quid sibi vellet, expedire audebat. Vnicus M. Ioannes Carion, illâ hominum aliquot interitum, miserasque fortunæ acerbitates significari, haruspicabatur. Verùm non rectè assecutus est. Anni etenim decem, certum erroris ipsius indicium fecêre. Vixit autem nostra tempestate pius quidam in monasterio apud Silesios monachus, Capistranus nomine, excellens, & in præstantissimis Astronomiæ cultoribus eminens, vates in multis probatus: qui oblata sibi, absque vlla explicatione, hac figura, multùm, vt certi aliquid enuclearet, desudabat. Rem autem in suis ingenii viribus minimè collocatam videns, Deo commendabat omnem. Verùm non longo tempore pòst, Cometa horribili specie insignis conspiciendum sese offerebat: quem, aspectu ipsius in calculis Astronom. deprehenso, Germaniæ vniuersæ Imperioque Romano damnum miseriasq; ineuitabiles apportaturum coniecit: & cum interpretamento suo picturam, pergamento capsulæque traditam, in tutiori muri parte collocauit: signis tamen adiectis, vt, ipso vitæ huius miseriis per mortem erepto, posset inueniri: vt & factum est 1548. anno.

Anno

Cometa visus anno D. 1460.

EGo Capistranus, sanctis Dei ministeriis addictus, per certissimam Dei reuelationem, veram huius imaginis explanationem, & factâ à me huius Cometæ inquisitione, magnam regnorum mutationem, inprimis verò anno 1547. præuidi.

O Pontifex, ô Mediolani Princeps, quàm mollis, quàm effœminatus M. T. eiusdemq; confœderati animus? dum bello à vobis moto, toto, vt aiunt, cœlo aberratur. Caue, caue tibi. Quàm horribilis? quis resistet? Rex Galliæ à subditis suis, ob magnam in ipsos propter sanctum Dei Euangelium tyrannidem, ab Episcopis sacerdotibusque, perfidè ipsum seducentibus, autoq; prodentibus, eiicietur. Solidam quidem & grandē sese ab amicis gratiam in turum autumabit. Pulsus verò ab iis, in quibus spem repositam habebat, minimè respicietur. Hæc impetu altero ad finem properante, sunt euentura.

Scutum stipiti affixum. Leo opimum & hæreditarium ex se natis nidum ac sedem construit, sed frustra. Nemo enim licet eò collocatus, possidebit. Incursione autem tertiùm facta, in illum Leonis cadentis locum inclytus, & in firmissimo stabilitatis gradu conspicuus, N. quidam Aquisgran electus constituetur: cuius propago ad extremum vsque mundi iamiam præsentem finem sese extendet. Leo Burgundiam innuit. Rex Galliæ, exilium miseriasque pertæsus, ad Christianorum partem inclinabit: fortemque sese & strenuum omnibus Christianæ religionis hostibus ostendens, à suis recipietur. Neque enim pii alium, extra Deum, præter hunc in terris videbunt patronum.

Pontifex ostensa Regi casuro iam bilance: Romæ ego, inquit, sim mansurus, néene, satago: neq; in pristino te, vt vides, honoris gradu conseruare queo. Alioqui iusiurandum, quod dedi, liber & facilè seruarem. Sedes verò Romana Moguntiam transferetur. Quin munus eorum deferetur ad alios: qui id cum maiori Dei timore, sumtibusque non ita profusis administrabunt. Qui autem tunc superstites erunt, pacem, simplicitatem, aliquemque ex nostris in tanta sanguinis profusione restare demirabuntur.

Quin etiam, qui tunc viuent, cogitabunt, Deum, antiquamq; pacem sitam esse in terrâ: idque ad tempus duntaxat. Eo tempore Papa, Cardinales, Archiepiscopi, cuncti ex clero, vi & malo ad priscam Apostolorum viuendi rationem compellentur. Nec quisquam tunc, qui Papa velit esse, inuenietur.

Ego Capistranus, Iesu Christi minister, vidi deinde flumina quatuor, à quatuor mundi angulis cum mari decertantia, neque tamen superantia: ac venisse eis auxilio mare altum. Magnum autem mare, & flumina & altum mare deuicit. Et hæc quidem arcana diem supremum nobis denotare, autumo.

Consideratio & explicatio prophetiæ Capistrani, Monachi

Silesii, Cabalisticæ figuræ, anno 1460. inuentæ ab ipso addita: ea autem Prophetia, eiusdemq; figura anno 1547. in lucem emissa, sequentiq; 1548. prælo commissa, etiámnum monstrari potest.

Prophetia.

EGo Capistranus, sanctis Dei ministeriis addictus, per certissimam Altissimi reuelationem, veram huius imaginis explanationem, & facta à me horribilis anno 1460. Cometæ inquisitione, tempus, magnamq; regnorum mutationem & interitum, inprimis verò anno 1547. præuidi.

Interpretatio.

QVandoquidem Capistranus, se, dante Deo, hanc de rebus futuris prophetiam protulisse, ait: nullo modo eam, dicti Paulini 1. Thess. 5. memores, aspernemur: verùm secundum Ioannem 1. Epist. 4. cap. spiritus num ex Deo sint, probemus. Id si sic habuerit, experiemur sanè, vaticinium hoc Prophetarum doctrinæ & Ioannis Apocalypsi nulla ratione esse dissentaneū: nisi quòd, cùm ille Cometam anno 1460. sua ætate conspectum, ad stellā in imaginis latere collocatum refert, nequaquam ego adstipulor. Neq; enim hæc imaginis stella, est caudata stella: neq; Cometa radiis fulgens: verùm stella magna iisdem carnes. Idcirco illa imaginis stella non potiùs Cometam, quàm illam modò hoc æuo, anno 1572. & 1573. in Cassiopeia conspectam stellā, respicit: & hac in cœlo lucente, omnia sub imagine adumbrata suggerit adimplenda. Id quod ipsa etiam Cassiopeiæ & Cephei circa stellam hanc positi, cum figura hac, Papam & Regem conspiciendum præbente, comparatio optimè nobis demonstrat. Quòd si verò per Cassiopeiæ Cepheiq; constellationem Æthiopum monarchiam denotârunt veteres: magnam sanè monarchiarum, omniumq; in hoc mundi domicilio regnorum, inprimis autem regni pōtificii, à Rege vsq; altero q. Cepheo, Monarchiæ tutore, aperit mutationem: præcipuè verò ab ipso stellæ maioris tempore, per stellam in figura Cabalistica propositæ & adumbratæ. Atq; hoc modo Capistranus noster tempus, occasumq; imperii inuestigauit.

Prophetia.

VEnturum est anno 1547. crudelissimum bellum.

Explicatio.

Acta sunt hæc in tristi illo Protestantium bello, annis 1547. 48. 49. Quod vaticinium nisi iam 1548. anno typis lucique datum fuisset, iam modò confectis illis rebus collectum, suspectum videretur. Cùm autem illa, quæ de Gallis prædicta, suum (vt videbimus) sortita sint euentum, nulla sanè ratione pro figmento, verùm diuinatione, tanquam ex tripode enunciata, habeantur necesse est. Testatur euentum Rex: testantur, quibus historia nota: neque verbis opus esse multis, longaque rei declaratione, arbitramur.

Prophetia.

Tertio impetu, sæuissimos & innumeros omnium gentium populos ad euertendum Christi principumque verbum collectos afferet. Vnde miseriæ, calamitates, sanguinisque profusiones vndiquaque plangentur.

Interpretamentum.

Hic vltimus & extremus N. erit conatus, extrema virium collatio, iamiam in fœdere ab ipsis constituto apparens: vbi re ad restim, vt dici solet, redacta, Principum status, salusque agetur: calamitatis mala, sanguinis profusiones, in omnibus locis grassabuntur. Neque hoc inconcinnè intelligetur tertium fore illud Ioan. 11. 12. cap. Apocal. Væ, quod sub finem sextæ, & sub initium tubæ septimæ, exaudietur: graue nimirùm, periculosumque omnibus Christiano nomine insignitis, inprimis verò Germaniæ, futurum. Maturè itaque Principes, rebus bene consulentes, optimè prospiciant: neque clandestina pontificiorum consilia & machinationes aspernentur, quasi nihil illi possint. Viribus, queis possunt, maximis rem aggressi, ineffabilem ex omnibus populis, ex Hispanis, ex Italis, ex Sabaudis, Leucis, Heduis, Epirotis, Celtis, Teutonibus, Bauaris, Pannoniis, Austriis, multitudinem agglomerabunt.

Prophetia.

Tunc Regi contra eum, absque regio tamen honore, constituto plurimi addentur.

Interpretatio.

Multa vaticinia, euerso Romæ imperio (quod sub tertii impetus fine euenturum liquet) multa, inquam, vaticinia, multæque multorum de noua stella opiniones, Heroëm viribus apprime pollentem nasciturum, adstipulantur.

Prophetia.

Rex Galliæ à subditis, propter nimiam in ipsos ob verbum diuinum crudelitatem, Episcoporum & sacerdotum instinctu (qui tamen ipsum lucri causa prodent) susceptam, eiectus, etiam apud eos, quibus se rem hoc modo gratissimam præstitisse putabit, & in quibus spem posuerit omnem, omnium opum & copiarum auxilio præsidioque destituetur. Incursu altero ad finem properante hæc sunt euentura. Clypeus baculo annexus.

Declaratio.

Hæc satis superque in prioribus Galliæ regibus, Carolo huius nominis nono, fratreque Henrico, ætas superior fuit experta. Atque hinc, in secundi impetus fine, tertii autem initio constitutos nos, videmus.

Prophetia.

Leo firmum perpetuumque, sua quidem opinione, suis catulis parat locum: at frustra. Nemo enim eorum, licet semel impositus, possidebit ipsum.

Explicatio.

Leo (vt dicetur) Burgundiam notat. Hinc omnium ferè in Belgio prouinciarum, Ibero Regi subiectarum, insignia Leone superbire videmus. Vnde, Leo Belgicus. Neq; vires ipsorum erunt perpetuæ, neq; continua regni & imperii successio: verùm ad Regis tantùmmodò nepotes durabunt. Casus hic (id quod ex sequentibus liquet) sub tertii impetus finem innotescet.

Prophetia.

CAdente autem impetu tertio, Leone, homo mira animi magnitudine constantiaque, F. quidam Aquisgrani in locum eius euehetur.

Explanatio.

HVius superiùs quoq; facta est mentio. An autem is F. nomen habiturus sit, aut potiùs pacifici (quò aliorum etiam respectant vaticinia) aliis diiudicandum relinquo. Tempus certè, omnia reuelans, satis declarabit.

Prophetia.

HVius genus ad ipsius mundi finem, iamiam præsentem, permanebit.

Jnterpretatio.

IPsum Imperii Romani, tertiique incursus finem (anno ni fallor 1613. futurum, vt sequetur)ex prophetia Danielis & Apocal. 45. anni suggerunt: quorum non libellus modò, sub Sibyllarum nomine dispersus, verùm Hieronymus quoque in suo ad vltimum Danielis caput commentario meminit: aitq;, tot à finali vltimaque regni Antichristi ruina ad mundi finem annos relictos. Hic igitur anno 1650. vel 1660. est futurus: quod tempus multæ computationes & vaticinia plurima haud malè proponunt.

Prophetia.

REx Galliæ, tædio ex ærumnis miseriisque suis contracto, Christianorum partes est secuturus: & à suis receptus, contra verbi diuini hostes dimicaturus. Neq; enim Ecclesia alium, extra ipsum, propugnatorem habebit.

Explicatio.

HÆc fieri in Rege N. incipient. Et notandum diligenter, pios in hoc tertio impetu, vsque tertio, hoc est, conatu Papæ vltimo, alium, præter illum, defensorem habituros neminem. Quin, nisi principes nostri, veram Euangelii doctrinam profitentes, viribus animisque fuerint coniuncti, sua non obtinebunt. Atque omninò stabile concorsq; inter Gallos, Germanos, Rheniq; populos fœdus (neq; enim alio modo Pontificiorum consilia & conatus infringemus) necessarium erit.

Prophetia.

POntifex Regi cadenti viam monstrans, Perpondero, inquit, mecum, num Romæ ego sim mansurus, nécne: neq;, vt minimè latet, opitulari possum. Vellem alioqui, iuramenti scilicet memor nostri, si possem.

Significatio.

ANnis iam 800. (stante tam diu Germanorum imperio) à Carolo M. pacta inter Pontifices Cæsaresq; viguêre talia, vt iuramento inter sese fuerint deuincti. Tempore auté (cunctis namque regnis suum constitutum est extremum) finito, omnibus remediis collapsis, auxilia inter omnes erunt sublata. Et vt superiùs, C. M. monarchiam sub N. nepotibus interituram, diximus: ita hîc quoque certis ex coniecturis (quarum rationes, causæq; alibi) Pontificatum, cathedramq; Romanam planè sub Pontifice post N. N. perituram: neq; plures post hunc, quàm tres, ad tertii impetus finem secuturos, affirmamus. Et hic tertius etiam, vltimusq; Romani Imperii, vbi Roma miserè deuastata excindetur, casus est.

Prophetia.

SEdes autem Romana Moguntiam transferetur. Munia ipsorum illi, qui maiori Dei timore, sumtibusq; non adeò, vt factitatum, magnis regnabunt, tandem occupabunt.

Denotatio.

QVid hæc Sedis R. Moguntiam versus translocatio sibi velit, non video: aliquáne pontificum Romanorum, deleta Romæ cathedra, aliis in locis (vt & Auignone accidit) successio? multò minùs. Ante ipsam verò Romani Antichristi euersionem, ipsum Dei filium, potentiam suam

decla-

declaraturum, puramque veritatis, & Euangelii lucem multò clariorem, in tota hac hominum vni-
uersitate, per viros hanc ad rem diuinitus deputatos, Apostolis non absimiles, futuram, ex dulcissi-
mis Prophetarum scriptis coniicio. Quò illud, munia ipsorum, ad alios delata, religiosiùs & mi-
noribus sumtibus procuratū iri, forsan arbitrari quis posset. Verùm de his, ex Prophetis à me confir-
matis, alibi dilucidiùs. Hîc autem prophetiam, ipsam quoque obscurè procedentem, breuiter at-
tingere placuit. Qui verò pleniorem & prolixiorem huius rei desiderat historiam, in practicis Theo-
logicis, anno 1589. luci donatis videto: in quibus certas eiusdem rationes, ex Prophetis satis lucu-
lenter, licet meliùs fieri potuisset, extructas & adductas, cognoscet.

Prophetia.

ANno 65. & 66. adimpleta omnia.

Designatio.

QVid si σφάλμα γραφικὸν admissum sit: vt esse debeat 605. aut 606? Res enim Gallicæ ipsæ, superiùs adductæ, hæc in secundi impetus fine euentura, testantur. Tribus itaque incursioni-bus constitutis, singulisque annis 30. adiunctis, circa annum à Christo nato 1610. aut fortè citiùs, 1605. aut tardiùs, 1615. complentur. Circa quos equidem, ex omnibus vaticiniorum coniectu-ris, Antichristi ruinam, regni Christi amplificationem, & si quæ alia Capistrani sunt iudicia, reperio esse futura.

Prophetia.

SVperstites pacem, simplicitatem, pacificumque quendam, hoc nomine appellatum (tanta san-guinis profusione antegressa) mirabuntur.

Declaratio.

TOto nimirùm impetus væque tertii tempore: quod tertium væ nunc in Belgio Galliaque viget, & ocyùs in Teutoniam, orbemque Christianum manabit. Vnde nemo, in illa sanguinis ef-fusione, in illis miseriis, afflictionibus, perturbationibus, ad salutem, nisi dies à Deo abbreuiarentur, vnquam (sicut Matth. 24. Dominus testatur) perueniret. Quo loco dies persecutionis, non finis mundi, intelligendus est: siquidem ante hunc, feliciorem rerum omnium statum, anno scilicet 45. cum summa animorum alacritate experiemur.

Prophetia. Significatio.

REsidui Deum, pacemque antiquam (antiquam Apostolorum pacem spiritualem, gaudium in Spiritu sancto) secum in terris habitare, tempus adesse tranquillum, fortunatumq; ad ali-quod tempus, arbitrabuntur, (annorum scilicet 45. paulò ante mundi destructionem.) Tunc Pon-tifex, Cardinales, Archiepiscopi, omnesque Clerici iis emendabuntur plagis, eoque ignominiæ ge-nere afficientur (de quo præclaro in Sacerdotes iudicio, pœnaque diuina, satis benè Zacharias 13. capite vaticinatur) vt ad veterem Apostolorum ritum redigantur. Hinc adhuc quoddam tempus, primo Apostolorum seculo consentaneum, animaduertis. Qua de re sub 13. capitis finem, & in aliis Prophetarum libris. Neque, qui pontificatum recipere velit, offeretur, (tam præclarè scilicet an-tecessores rem gessêre) quia pudore quisq; suffusus se abnegaturus est: sicut decimum tertium caput habet.

Binas hîc obiectiones, regnum mundanum fidemque respicientes, contempler necesse est. Quid enim, inquies, annón Romanum Imperium, Pontificatusque, secundum Danielis verba, ad mundi vsque finem permanebunt? Respondeo. Non aliud quidem expectandum: ruina tamen, finisque illius metuendus, ipsa Pontificum & Imperatorum successione subsequente. Præter exi-guas verò, per breuissimum illud 45. annorum tempus, Romani Imperii reliquias, nil conspiciemus. Sicuti etiam de alio, per viginti annos sese protendente, interregno, lectione & auditione cogno-uimus.

Prophetia.

EGo Capistranus, seruus Christi, flumina dehinc 4. ex quatuor mundi angulis, cum mari depu-gnantia, marisque alti suppetias, magni autem maris victoriam, oculis conspexi meis.

Exposi-

Expositio.

FLumina quatuor cum mari alto contra Oceanum surgentia, venti sunt quatuor (vt & in hac ventorum, nauem sub dextra leonis parte turbantium, imagine mentio est) Euphrati, ne terram æquorque perturbent, alligati, Apocal. 7. ad sexti autem Angeli vocem, hoc est, in sexto, in quo nos sumus, Ecclesiæ statu, in hominum mala soluti paratique, Apocal. 9. Mare etenim mundum innuit, & quatuor illa cornua, quæ Iudam, Israëlem, Hierosolymamque ita diruerunt, vt capitis erectio eorum nulli concederetur: in quibus nobis factiones, sectæque variæ, nostro tempore ad exagitandam, sub aliquo tamen Euangelij prætextu, Ecclesiam, eiusque membra persequenda, exortæ proponuntur.

Cumque vincere non valerent, inferioris magistratus opem inclamant, brachium seculare. Vbi mare altum ostenditur: neque inconcinnè ad animal illud, Apocal. 13. ex mari prosiliens, transfertur: quæ nimirùm eius sub sexta tuba futura sit conditio. Nullo tamen auxilio commodante, flumina quatuor cum mari alto, finiente tuba sexta, septima verò inchoante, opprimentur. Sub tertij scilicet, vt suprà diximus, incursus exitum.

Quòd autem doctrina à nostrà longè aliena, quòd sectæ nostro seculo illi quaternario sunt adscriptæ, non est de nihilo. Vbi bonus inprimis Angelus, inter 4. malos ad sextæ tubæ clangorem conspectus, Apocal. 10. notetur. Omnibus enim bene perponderatis, dissensionibus religionis nostro tempore, variarumque sectarum cognitis: plures tamen quàm quinque sacramentorum ritus, quinque item eorundem interpretationes sese offerent. Vbi certè vnica tantummodò pars verum intellectum, reliquæ quatuor erroneum falsumque sequantur, necesse est.

Contemplare, caue, qua potes diligentia inquire: bene scilicet à me dictum videbis. Et hi sunt etiam quatuor venti, flumina quatuor: quæ, accersito in auxilium mari alto, mundum mareque infestant. Attamen patefacti tandem, & à Christo profligati, prosternentur, in diebus, vt Apocalyp. ait, septimæ vltimæque tubæ, sub tertiæ incursionis tempore fortiter sonituræ. Tuba autem septima reliquum ante extremum diem tempus, annos nimirùm 45. vt suprà, complectitur.

Prophetia.

EGo Capistranus, his verborum inuolucris diem significari nouissimum, arbitror.

Interpretatio.

AT non sic. Ad tertium enim impetum hoc sese extendit vaticinium, non vlteriùs. Annos tamen, vt sæpè iam dictum, ad extremum vsque mundi diem, aliquot habebimus meliores.

Prophetia.

ANte annos 150. author quidam scriptum reliquit: Gallia tandem sub aquila militabit.

Declaratio.

VVlt hoc etiam imago, in sinistro clypei Gallici latere aquilam ostendens. Et hæc ita, vt superiùs indicatum, re ipsa perficientur: vt, vastato iam Romano Imperio, Teutones Gallis admisti, pactum concordiamque sint inituri. Cætera alijs committo. Tempus prophetiæ veritatem denudabit. Eam prophetiam equidem Apocalypsi, Danielis, & Zachariæ vaticinijs (quæ ad nostra tempora, mundique finem prorogabuntur) maximè consentaneam animaduerto.

Prophetia.

HAc interpretatione à me data, prophetia latinis literis scripta, in figuram suprà positam confecta, absque imagine mihi offertur. An verò Capistranus sit autor, necne, mihi non constat. Ab illa tamen Capistrani expositione non admodum abhorret; quam hic positam cum Capistrani scriptis conferemus. Sic autem habet, vt sequitur.

Anno Domini 1444. cùm Huniades Amuratem Turcam insigni victoria repressisset, inuenta est quædam pictura in Vngaria, & tunc illorum temporum simplicitate, ex ignorantia rerum, neglecta: nunc verò ipso euentu & experientia rerum comprobata, à magnis viris requisita, diligentiùs expenditur.

Anno itaque huic 1444. inuentæ, à Capistrano demum 1460. explicatio est inserta, Cometa tunc illum impellente. Quòd verò in petra ex aduerso Venetiarum reperta dicitur, equidem ex figura, de qua postea, alia, saxo in ciuitate Altini insculpta, & Venetias anno 1495. delata, deprehendo. Quin & hanc prophetiam annis ante Christum 19. à Sibylla Tiburtina (sicut etiam, ante Capistrani interpretationem, viginti annorum mentio fit) factam deprehendo.

Depicta est fœminæ imago, quæ triplicem coronam gestat capite, (finge tibi Papam triplici diademate insignem) & ex pudendis dependentem habet crumenam: per quam significatur eius auaritia, & libido insatiabilis: eam obnixè, dolenter & reuerenter adorat vir, qui imperialem coronam clausam in capite quoque gerit. Sceptrum quoque regni, quod proximè humi iacet, confractum est: (imperij cadentis indicium. Illo autem iamiam ruente, prophetiæ veritas conspicietur.) Ipsa fœmina in naui stat, cui multorum Regum arma & insignia appensa & affixa sunt.

Denotatio.

INsignia hæc decem ostendunt præcipua regna pontificiæ potentiæ subiecta, Iberiam, Galliam, Brittanniam, Scotiam, Sueciam, Daniam, Poloniam, Bohemiam, Pannoniam interiorem, Germaniam. Et horum 10. respectu, decem etiam scuta conspiciuntur. Nam 1. superiùs ad læuam, Aquila Romana in duobus Gallorum insignibus collocata est. 2. Gallorum insignia ad dextram arbori aridæ & viribus exhaustæ appensa. 3. Leo candidus in punicea scuti parte infra libram depictus. 4. Leo ad dextram, sub quo Burgundia: parmæque sex naui applicatæ, vt ita denarius sit expletus. Idem volunt & cornuta decem animalia, Apoc. 13. Parmæ autem sex ipsi nauis anchoræ inhærentes, sex Electorij ordinis viros innuunt. Bohemia etenim in prædictis decem continetur. (Nota: Bohemiæ insignia, in coccinea scuti parte Leonem præferunt album.)

Nauis Antichristi Ecclesiam, sub Papatu Regibusque mundanis, & Principibus conspicuam & florescentem, repræsentat.

Arbor torrida veram Christi Ecclesiam, sub Antichristo oppressam, notat, (vnde propè arefacta:) & eius lugubrem faciem.

Serpens collo (Papali) implicitus, Insubriam notat: vt ego in quadam alia figura reperi: per eum etiam doctrina Satanica, venenata viperino veneno sub labijs eius, significatur, testante Psalmo, deceptrixque doctrina: sicut & serpens omnium animalium callidissimum perhibetur: à quo prima quoque mater nostra Eua initio, vt nunc Ecclesia, decepta fuit: lubrica scilicet & pulchra specie innuitur externa: quemadmodum etiam serpens lubricus est extrinsecus: id quod prolixiùs ostendi posset.

Libra Romam significat, & secus Aquilam hæc erant verba: Sum qui eram, nec eram qui sum. Hoc est vetus nouumque Romanorum imperium, quod Apoc. 17. ponitur: animal quod fuit, nec est, & de profundo ascendit: id quod ad verum figuræ intellectum adduxi.

In illo circuitu Christianissimi quoque Regis Galliarum insignia & arma, è superiore latere eiusdem picturæ ad arborem suspensa sunt, subterque arma hæc scriptura est posita: Galliæ Rex pugnans pro Babylone. Hoc in Henrico III. impletum est: qui pro meretrice Babylonica, prærogato dimicans animo nullam inde gratiam reportauit: verùm ab ingratissimis ciuibus infestatus, rebus humanis fuit exemtus. A suis subditis fugabitur (à suis persecutione facta reiectus: ab amicis, vt videbantur, amicissimis, & Consiliarijs proditus: ab alumno, à se alto & educato, religionis socio, perfidè & sceleratè è medio sublatus) sed intellecta fraude, constantissimus defensor religionis & veritatis erit. (fit hoc in Henrico IV. Rege Nauarreno.

Aquila construet nidum suum pullis suis in alta turri: sed Leo deuorabit iuuenes eius.

Explicatio.

IN Capistrani expositione scribitur, Leonem catulis suis opimam sedem parasse: vbi Leo Burgundiam significat, & quidem bene. Aquila enim & Burgundia inter se concordant: & confecta hæc sunt tunc, cùm N. omnes omnium bellorum vires ad posterorum suorum commoda salutemque direxit.

Sed Leo deuorabit juuenes eius.

LEo itaque hoc in loco significaret eum, quem Capistranus vocat F. & congruunt omnino hæc cum illis.

N. Imp.

N. Imp. creabitur, qui prospera gubernatione imperium administrabit. Et huius quidem soboles, ex Capistrani opinione, ad extremũ sese extendet diem: vbi aliquid consideratione dignum est. Nam si Romanum imperium, vt Leo, quoque sub tertij impetus finem cadet, dubitationem habet omninò illud: N. Imp. creabitur. Neque enim, vt Capistranus sentit, honor ipsi regius offeretur, neque Imperator eligetur. Administratio tamen in hoc ipso quasi interregno, reliquijs Romani Imperij ad extremum vsque diem collectis, cedere posset.

Flumina quatuor contra Oceanum pugnabunt, & mirabili victoria oppugnabuntur, &c.

Ioannes Segobius Hispanus. 1445.

IOannes Segobius Hispanus, pijssimus Theologus, pro pauperibus audiendis in Concilio dimicauit, & pro vtraque Sacramenti specie laicis administrandâ. Imperatore Friderico 3. Papa Eugenio 4. vt sup.

Albertus Subouius Osnaburg. Decanus. 1445.

SCripsit commentarium in hymnum: Aue Maris stella: vbi fatetur quidem, Mariam rectè inuocari, sed à solo tamen Christo salutem expectandam. Herman. Hammelmannus, Imperatore & Papa vt sup.

Nicolaus V. Papa 215. 1447.

HVnc sitientissimum præsulem vocat Gassarus in Chronico.

Horrenda. 1449.

TErra non in vno tantùm loco validè commota est, quibus accessit terroribus minacissima prædicatio Roberti Minoritanæ obseruationis. Nunciabat is Romano populo, cæterisque Italiæ populis iratum numen, cuius voce propheticâ, tanquam è cœlo missâ, tota commota est Roma, aliæque ciuitates quàm plurimæ, in quibus supplicationem, ad deorum iras placandas, instituta sunt. Lyco. vt sup.

Philippus Norrys. 1449.

PHilippus Norrys, natione Hybernus, officio sacrificus, ac Dublinensis ecclesiæ decanus tandem fuit: qui adepto Oxonij theologico magisterio, post Philosophiam atque Rhetoricen, in vtroque iure ac literis sacris doctissimus euasit.

Non poterat homo & prudens & sagax procaces atque impudentes arrogantias æquo animo ferre, quas indies magis atque magis in Mendicantium monachorum sectis, sub magno religionis obtentu, videbat: qui, tanquam Libani cedros in altum attollebant pileatos suos vertices, & capita rasa: sed visis eorum insolentijs, ac stupidis stulticijs, in quotidianâ lecturâ, & è suggestu pro concionibus per apertas Bibliorum scripturas, nominabat eos Antichristos, Lupos, Latrones, Proditores, Vulpes, Fures, Porcos vorantes, Canes insatiabiles, Hypocritas, Hæreticos, Mahumeti discipulos, Nebulones pessimos, atque ipso Satanâ peiores.

Hi illi Gabaonitæ (inquit) sunt, qui Iosuam pium iudicem, callidis hucusque suis circumvenerunt mendacijs. Ab Antiocho suo missi (Papâ scilicet Romano) loquuntur in dolo pacifica verba. Et hi potiùs essent à Christi fidelium cœtibus sanctis proijciendi, quàm vel Arriani, vel Pelagiani, Donatistæ, vel Nestoriani, aut hæreticorum alij, quicunque pestilentiores sunt.

Addidit ex prædecessore Ricardo Armachano, damnabile fore Christianis, & diuino Dei præcepto tanquam ex diametro repugnans: quum fortes sint, ac præ corporis debilitate non indigeant mendicare. Illum igitur, conducto quodam Dominicano, vniuersa Fraterculorum colluuies, anno Domini 1446. apud Eugenium quartum Romanorum Pontificem hæreseos deferebat: sed ab eo Philippus ad generale concilium appellauit, pontificis iudicio stare nolens: & deinceps erat ab omni gradu suspensus, & excommunicatus, vsque ad ingentem (vt ferunt) nummorum solutionem. Sunt &, qui illum quoque à Prælatis ad id suscitatum credant. Imper. Friderico 3. Papa Nicolao 5. vt sup.

Laurentius Ariosiensis.

1449. Hic Historicus incredibile scribit, scilicet, Carolum Regem Sueonum numerasse decies octies centena millia, ex Gothis, Suecis, & Finnis, ad bellum, cùm opus esset, idonea. Ol. M.

Ex vitis fratrum Eremitarum.

1450. Dvo monachi tam supinæ ignauiæ fuerunt, vt ad matutinas preces surgere nollent: sed in lecto eas simul recitabant: ibi tum diabolus ad lectum accedebat, & ingentem sonorumque crepitum emittebat, qui teterrimè olebat, & dicebat: qualis precatio, eiusmodi quoque thus & suffitus est. Imp. Frid. 3. Papa Nicolao 5. vt sup.

Thomas Patriarcha Barbariensis, author
lib. Fortalitij fidei.

1450. PArisiensis quædam mulier oppignorauerat Iudæo vestem. Cùm redimere non posset, hostiam, quam Paschate proximo sumtura esset, illi pollicetur. Iudæus acceptam hostiam lebeti feruente oleo & aqua pleno inijcit, blasphemis verbis illudit. Prosilijsse aiunt puellum formosissimum, & harpagonem Iudæi mira agilitate, quo illum demergere nitebatur, declinâsse.

Astabant pueri, & rei nouitate territi ad matrem currunt, crudelitatem patris contra pusionem indicantes. Fit concursus populi. Ereptam Iudæo hostiam Episcopus in Ecclesiam S. Ioannis de Grauia deportauit. Iudæi vxor & liberi ad Christi fidem conuersi: ipse ad supplicium ductus, Talmudi virtutem iactare & inclamare non desinebat. Ad hominis superstitionem eludendam afferri iubetur: eo accepto, cùm securitatem Iudæus sperare inciperet, ignis iaculi instar è pyra constructa euolans, Iudæum cum libro exussit. Imp. Frid. 3. Papa Nicolao 5.

Idem testatur in illo libro, fuisse suo tempore non paucos, qui purgatorium, & auricularis confessionis necessitatem, indulgentias, Missas, & vigilias pro mortuis improbarent. Ita apparet, omnibus temporibus fuisse, qui erroribus Antichristi reclamârint. Vide lib. 2. Consid. 6.

Epistola Ecclesiæ Constantinopolitanæ ad Bohemos
scripta, anno Domini 1451.

1451. SAcrosancta Constantinopolitana Ecclesia, mater omnium orthodoxorum, magistris vniuersis & singulis, inclytis fratribus ac filijs in Christo dilectis, Bohemorum sublimi Vniuersitati vrbis Pragensis, & ingenuis viris atque strenuis Principibus, Capitaneis, Ducibus, Baronibus, militibus præclaris, ac viris spiritualibus, fidei zelatoribus, doctoribus, magistris, & cunctis Ecclesiarum Præpositis: nec non ciuibus, officialibus, vniuersis etiam & singulis vbiuis existentibus in partibus transmontanis, cunctisque orthodoxis, & secum Christi veritatem syncerè profitentibus, hanc maternæ prouidentiæ intuentibus paginam, salutem per filium Virginis gloriosæ, & centuplum spiritualis fructus incrementum.

Sacrosancta sponsa cœlestis sponsi, qui caput vniuersæ Ecclesiæ est, maiorem quippe nequit habere voluptatem, quàm audire, suos filios in veritate ambulare. Cùm igitur non sine maxima voluptate, & tanquam pignore futuræ fructualitatis, vbertas & incrementum eorum, qui fortiter persecutiones patiuntur, propter confessionem veræ fidei, ad aurem piæ ac benignæ huius matris insonuerit, & maximè per filium nostræ Ecclesiæ, fratrem Constantinum Anglicum, præsentem nuncium, doctorem ac venerabilem sacerdotem planiùs certiores facti simus, quòd nihil mouemini innouationibus quorundam in Ecclesiam Christi per nonnullos introductis, sed constantes sitis in fundamento fidei, quæ nobis tradita est à nostro Domino suisque discipulis, decreuit illicò sacrosancta Ecclesia ad vos scribere, & ad concordiam pariter secum adhortari.

Non autem secundum illam Florentinam vnionem simulatam, à recto veroq; consilio abalienatam, quæ diremtio à veritate iure appellanda esset: (quam ob causam illam quoque minimè admisimus, imò prorsus repudiauimus) sed secundum immutabile veritatis decretum, in quo solo verè ac tutò vniri possimus. Nam nihil ambigit Christi Ecclesia ex his, quæ de vobis lata accepetat, vt dictum est.

Cùm igitur periculosis Romæ innouationibus contraueniendum censuistis, concordes huic per omnia eritis, mediante ipsa sacra Scriptura, vero iudice.

Etsi

Etsi enim non bona admodum antea de vob. fama ad nos perferebatur, quòd non Romanis innouationibus resistere soleretis, sed magna ex parte veteribus potiùs Catholicæ & Christianæ Ecclesiæ traditionibus aduersari: tamen nuper, vos iterum reuiuiscere, & ad communem Christianorum religionem ac veram pietatem reuersos esse, certiores facti sumus: neque matrem deserere, verùm amore veræ matris ardentes, eam singulari studio tantoperè promouere & amplificare, id quod ex præsentia huius deuoti sacerdotis clariùs cognouimus, vt antea dictum est. Qui quidem singulatim vobis rerum nostrarum statum exposuit, sanctæ matri piam atque acceptam suam edidit confessionem, recepitque doctrinam veræ fidei ab ea sibi traditam, in qua omnes decet concordare, qui saluari cupiunt, quam etiam ad vestram charitatem referet.

Quare dilectissimi fratres ac filij, si sic est, vt audiuimus & speramus, maturate pariter nobiscum vnionem. Vbi enim vehementiùs poteritis æmulari aduersus tentatores, quàm in sinu veræ matris, ac præsidio veræ salutis? Et vbinam commodiùs poteritis vosmetipsos recreare, quàm vbi patet fons aquarum viuentium? Omnes ergò sitientes venite ad aquas, venite & emite absque vlla commutatione, vinum sobriæ lætitiæ, & lac ab vberibus consolationis eius.

Speramus igitur in Deum, vos in omnibus consentire nobiscum. Quare posthac summa cura & studio, ac singulari charitate prouidebimus vobis de spiritualibus pastoribus, ac curam gerentibus animarum vestrarum, pascentibus vos verbo veritatis, ac vitæ exemplo haud affligentibus.

De ritibus insuper vestris circa Ecclesiam benignè vobis assentiri cum Apostolo volumus: in his sanè, quæcunque ex bono fundamento ac purissima intentione proficiscuntur, & quorum assensus ad vestram quidem ædificationem erit: honori autem huius sanctæ matris & veræ nostræ, & communioni, atque obedientiæ minimè aduersabitur. Nam de differentia huiuscemodi morum haud difficile ducimus, ex bona voluntate atque discretione innocenter dispensare atque tractare.

Det igitur omnipotens Dominus, vos quoque sic habere, quemadmodum modò resciuimus: ac multos alios nobis similiter Spiritum assumere vitæ veræ ad incrementum atque multiplicitatem filiorum dilectorum veræ matris, ac efficiat vos pariter nobiscum in Ecclesiæ domo eisdem professionibus atque moribus gaudentes, imò ore cordeque hunc ipsum collaudare in secula seculorum, Amen.

Ad certitudinem atque cautionem omnium, ad quos præsentes peruenerint, eas sigillo consueto imaginis Dei nostri Iesu Christi, & Dei genitricis suæ matris, in cera Lazurea impressæ, in buxeo ligno cauato pendenti sub margine per sericum funiculum, muniri, nec non subscriptionibus nostrûm potissimorum corroborari voluimus. Datæ die 18. Ianuarij 1451. Indictione 15. Illyr. Imp. Frid. 3. Papa Nicol. 5. vt sup.

Fælix Hemmerlin in tractatu de libertate Ecclesiastica. 1451

SCribit Plinius de Lupa, quòd sex vel octo catulos simul pariat: agnella duos vel tres. Sed ecce, mira Dei dispositione innumerabiles agnorum greges tam fructuosè deducuntur: luporum verò multitudines, quia pernitiosæ sunt generi humano, mirabiliter disperguntur, & in terris pauci, respectu agnorum copiæ, videntur.

Sic etiam, ecce quot per singulas annorum quartas per omnes Episcopatus turmæ creantur & ordinantur sacerdotum: & vt loquar de notiori, videlicet de Constantiensi tantùm diœcesi, vbi, vt æstimatur, per annum nonnunquam ducenti vel circiter promouentur presbyteri: nec tamen adeò frequentes sunt mortes eorum, sed ordines sunt notissimi: verùm summi parentis clementia, aut ex iussu & permissu illius, diabolus Lupos & Sacerdotes taliter dissipat & dispergit, vt multitudinis eorum grauitas mundo nihil noceat: disparent enim & distrahuntur tam mirabiliter, vt nemo hominũ sciat, quò ipsos Spiritus abripuerit: quippe si sicut agnelli perpetim fructificarent, & fœtus suos subinde per orbem dilatarent, omnis sanè rusticorum gens ad alendum Lupos & Sacerdotes non sufficeret: sed omninò periret. Hæc ille Sacerdos de sacerdotibus satis duriter. Imp. Frider. 3. Papa Nicolao 5. vt sup.

Ibidem. Nec peritis, nec doctis, nec doctrinatis, nec honestatis titulo coronatis subueniunt iura, aut iurium conditores, seu conditorum successores, & successorũ munimenta: sed superbâ dominatrice pecuniâ fulcitis mediatoribus Giezitis ecclesiastica conferuntur stipendia, & stipendiorũ quæritur qualitas, non beneficiorum seu eorundem patronorum, imò fundatorum dignitas, aut beneficia dotantium sinceræ deuotionis immensitas: sed de terrigenorum incolarum, & domesticorum faucibus surripit alimentum aduenarum alienorum & peregrinorum clericorum rapacitas.

Et his claré perpensis, per simplicium mentes, imò per laicorum gentes, imò per terræ principes, (quorum munimine defendi iubetur ecclesiasticæ libertatis immunitas) inducitur indignationis seuerissimæ crudelitatis ferocitas. Et quod sequitur, dum taliter simplices in literis, egentes in doctrinis, per magnorum beneficiorum accumulationem crescunt in subditis sibi diuitiarum donis,

& carent fundamento regiminis ecclesiæ dignitatis: ruit sic prærogatiua penitus indefensa in maioribus, & consequenter in minoribus religionis ecclesiasticæ libertatis.

Et paulò pòst ait: Constat, quòd ante Christianissimi Constantini Imperatoris Magni tēpora clericis non fuerunt, nec ecclesijs, aut ecclesiarum ministris bona temporalia, præsertim immobilia, liberè concessa, & pro tunc ipsorum exilis erat numerus & rarus, & ideo Deo & hominibus fuit carus, 93. dist. Legimus in fine. & nunc superarenam maris, & stellas cœli videtur multiplicatus, & multitudo clericorum & sacerdotum facit eos contemtibiles: & præsertim, dum literaturâ, moribus, & vitâ sunt vacillantes, multitudo facit ipsos magis viles.

Ibidem. Videmus, quòd in equorum commercio patres decipiunt filios & nepotes, & filij parentes, & inter se cognati, & similiter consodales continuò sunt cum equis fallaces. Legitur de quodam Abbate, qui habebat equos multùm inutiles, & labore lassatos & neruis confractos.

Igitur quendam conuersum barbarum misit extra monasterium ad quasdam nundinas ad vendendum illos: & dum conuersus per equiriam illos perduxit, mox emtores illicò superuenientes, & de valore singulorum interrogantes, fideliter de ipsorum conditionibus informauit, & vt non compararent, auisauit: quibus auditis, & propterea per omnes huiusmodi equis ad emendum refutatis, Conuersus illos ad monasterium reduxit. Cui abbas, quare deprauatos equos tales non vendiderit? At ille: pater venerande, postquàm defectus equorum nostrorum propalaui, emtores non inueni. Et abbas insultanter increpando conuersum, quare, ait, tales occultos defectus equorum reuelasti? At ille: monasterium hoc intraui ad saluandam animam meam preciosissimo sanguine Christi redemtam, quam maculare per bestiam nolui vilissimam. Quo audito, Abbas obticuit, & fortassis considerauit, quòd hic vir sapiens contra naturam equorum dominabatur astris: & alios fallaces cum fallacibus equis ad fallax deinceps mercatum dirigere decreuit.

Idem de negotio Monachorũ. Sic puto loquendum ad propositũ: si quondam monachi Ægyptiaci, & etiam quidam moderni (qui sub humilibus degunt tugurijs, arundinibus vimineq; tectis & contectis, limo glebaque compactis, vix repellentibus aëris intemperiem & æstum Solis: subcinericio pane tabescentes: siti quoq; & fame corpuscula plectentes) coram illo, (qui cùm accesserit tempus) iusticias nostras iudicabit, persistere trepidantes metuerunt: quomodo nos cum nostris humanis dispensationibus benignitate, lasciuia retentis, omni plenitudine cum delectationis amœnitate gustus, visus, auditus, tactus & odoratus (vt non offendamur in ocio, non inquietemur in somno, nec minuamur omni bono, prout promissum est, & nunquam aliquid deficiat nobis) cum prædictis confratribus nostris coram vno tribunali eadem die & hora, imò vno momento, præsentibus eisdem testibus, procuratoribus, aduocatisque, in vno sono tubæ comparentes persistemus?

Quòd si sincerè per causarum merita, partium iura, & rerum gesta, deponentiumque quoque testimonia ac vtriusque iuris, & regniculæ & Ægyptiaci regno cœlesti fuerint sententialiter, & vix per iuris & iudicis rigorem introducti, & possessionem adepti, nescio, qualiter contrarij professionum conseruatores similibus vtantur prærogatiuis æterni priuilegij: vnde valdè pertimesco & sic cœpit nostrę collationis trepidatio, quòd progenitorum ordinis nostrorum salutis generatio sit nostræ disparis progressionis corruptio.

Idem in tractatu de Doctoratu in Stulticiâ. Doctores Iurisperiti ruditate tantâ præpediti ferunt signa verissimi magistratus, prout Abbas simplex tanquam Pontifex incedit infulatus, & mulus sterilis tanquam equus comparet testiculatus: & hi pariter fructificant in virtutum potentatib. Nam ex istis Doctoribus fides non ædificatur: & ex illis Abbatibus Ecclesia nunquam consecratur: & ex muli testiculis proles non generatur. Et insuper continuò patet, quòd ex puris baccalarijs nihil sequatur. Et quoniam ego Felix vnus ex illis sum, prout nouit bubulcus bubulcum, igitur cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.

Idem librum quoque contra validos Mendicantes scripsit: in quo docet, nullas eis dandas eleemosynas.

Talbeymius D. Theologiæ.

1452. EXtat huius Theologiæ Doctoris epistola, in quâ conqueritur de vitijs Romanæ Curiæ, eaq; dicit esse reformanda, scripta ad Conradum Episcopum Moguntinum ex Erfordiâ anno 1452. Occasionem scribendi dedit Legatus Apostolicus, indulgentias anni Iubilęi annuncians. Concludit eam his verbis: Si dominus apostolicus & sua curia se reformaret, vel per concilium generale fieret reformatio generalis, facilimè membra Ecclesiæ in suo quæque statu reformarentur. Imp. Frid. 3. Papa Nicolao 5. vt sup.

Miraculum.

1453. ERrat Ecclesia Græca in processione S. S. Hunc errorem in Florentina synodo Patriarcha ipse Constantinopolitanus, & reliqui Græci cum ipsorum Imperatore correxerunt: sed posteà eum iterum arripuerunt. Vnde per diuinæ iusticiæ miraculum, Constantinopolis in Turcarum manus ipsis diebus Pentecostes peruenisse dicitur. Imp. & Papa vt sup.

Mag. Ioannes Wesselus Grieningensis, vulgò
Lux Mundi dictus.

EDidit librum, cui titulus est Farrago. In eo disputat & concludit, quòd subditi non teneantur credere Papæ, nisi rectè credenti. Obligatum enim credere dicit meliùs credenti, & fidem nostrã non homini, sed Spiritui sancto obligatam. Valdè namque periclitaretur via iusti, si penderet ex via Papæ: cùm summorum Pontificum pleriq; pestilenter errauerint, vt nouissimis diebus nostris in Constantiensi concilio claruit Benedictus, Bonifacius, & Ioannes 23. qui grauiter fidem lacerârunt.

Et nostris postremis diebus Pius secundus, & Sixtus quartus, quorum alter patentibus bullis regna terrarum sibi vendicauit, alter turpissimas dispensationes, non solùm super præstito in causa ciuili iuramento, sed etiam de præstando, de plenitudine potestatis, plumbatas bullas emisit, in abusu potestatis Apostolicæ. Quicquid frater Petrus, vel comes Hieronymus insolenter aut auarè gesserunt, ipse postea, cùm resciret, ratificauit, etiam bullis plumbatis. Imp. 115. Friderico 3. Papa 216. Calixto 3.

Et infrà. Nemo magis Ecclesiam destruit, quàm corruptus Clerus.

Destruentibus Ecclesiam omnes Christiani tenentur resistere, etiam vsque ad vltimos, puta rusticos.

Item. Dominus non nostra merita, sed sua dona coronat.

Dominus Iesus caput est Ecclesiæ: & Mediator omnis creaturæ ad Deum patrem.

Idem. Vnde iustissimâ seueritate per zelatorem domus Dei, à domo Dei eijciuntur omnes vendentes. Vendunt autem omnes, qui de sacrificijs Deo offerendis, velut de suo, sacrilegium faciunt, quolibet alio fine, quàm purè Deo quæsito. XVII.

Quisquis igitur in quocunque loco donationis diuinæ, in quocunque actu suo, in quocunque tempore, siue deorsum sibi, siue communicando fratribus, quod in honorem Dei debet, aliâ voluptatis aut vanitatis intentione velut suum facit, & turpi sacrilegio vendit, irrefragabili seueritate diuini flagelli à templo eijcitur: quoniam in templo Dei esse non licent, quæ non in templo Deo gloriam dicunt. XVIII.

Idem. Ergo quotiescunque impudenter peccant, & tamen insolenter instant, cum adiuncto errore immodestiæ, repellendi sunt, exemplo Domini. Sic tamẽ id obseruetur, quò non contra verba Domini contemnatur eorũ sana monitio. Quàm diu enim sedent in cathedrâ Moysis, facienda sunt, quæ dicunt. Sedere autem æstimantur, quàm diu quæ faciunt, no palàm eorum verba retundunt. Vbi verò tam scandalosa erit eorum vita, vt plùs corrumpant exemplo, quàm ædificent verbo, non iam ferendi: quia non in cathedrâ Petri sedent, sed in cathedra pestilẽtiæ. Et hi omnes, exemplo Domini, ab officio, velut inutiles repellendi, maioris turpitudinis eiectione.

Idem. Hinc clariùs illucescit, quomodo illorum præceptis parere debeamus, vt quia Deo debitores sumus ad parendum illis: duntaxat illis parendum, quoad nihil contra Deum præcipiunt. Nihil enim propter Deum debet fieri contra Deum.

Idem. Prælatus enim. nisi quantum sapientiam docet, audiendus non est. Quia qui Prælatos post Apostolos audit, Christum audit. Vbi ergo secundum Christum docent, vel præcipiunt, illic, sicut Sapientia ipsa, si loqueretur, audiendi sunt: aliàs non audiendi, sicut Paulus Petrum non audiuit. scandaloso exemplo cogentem Gentes iudaizare. In omnibus igitur sapienter dictis audiendi sunt: sicut si Sapientia de cœlo loqueretur, propter sapientiam in verbis comprehensam. Non igitur propter pastoralem autoritatem simpliciter audiendi.

Idem. Non autem credo, fuisse in arbitrio Petri, quos vellet, à vinculo Satanæ soluere, aut illo ligare. Quo enim imperio Papa solueret, qui nescit, vtrùm solutus sit solutus à vinculo Satanæ, annón?

Idem. Cùm ergò non homini credere oportet, neque Papæ oportebit. Valdè enim in ambiguo fluctuaret fides nostra, si illi credendum, qui ipsemet sæpe errat, vt in & ex Decretalibus conuinci potest: & Rabineo Andegauis publicè in cathedrâ arguenti mihi confessus fuit inquiens; si hæc ita sunt, vniuersum nostrum fundamentum falsum est. Si ergo canonibus iam solenniter publicatis, aut autenticè roboratis, credere non oportet, quia sunt contra sacrum canonem, non Papæ vlli credere oportet: sed diligere, venerari, & obedire, quando rectè officio fungitur.

Idem. Quæcunque ergo eiuscemodi sunt, vt ea nemo dicere possit, nisi in Spiritu Dei loquens, id est, ea loquens, quæ Spiritu Dei aliquando loquente autoritatis robur acceperunt, ea omnia, per quemcunque dicantur, firmâ fide tenenda sunt, non quia ille dicit, sed quia in Spiritu Dei loquens dixit. Ex hoc iam planè satis patet, qualis habenda doctoribus Ecclesiæ fides, qualis habenda summis Pontificibus, qualis item generalibus concilijs? Semper enim habenda fides loquentibus in Spiritu Dei, hoc est, ea, quæcunque Spiritus Dei locutus est. In Deum enim credimus: non in Ecclesiam catholicam, non in Concilium Latinum, non in Papam.

Idem. Tu igitur cautus ad conditionalem, tanquam inexpugnabile vallum, refugis dicens: hoc tamen firmum fore, quòd in huiusmodi Papa statuerit, claue non errante, & Christo non reprobante. Ad quid quæso necessaria conditio illa, claue non errante? Quænam clauis illa regni cœlorū? Et quis error eius clauis? Clauem igitur talem ponis, quæ errare posfit: & simul efficax & legitima regni, & regni cœlestis clauis est? O formidolosum regnum, cuius portæ, seræ, vectes, claues sunt huiusmodi, quibus error, & falsitas, & ignorantia subrepere possunt. Clauis, quam Augustinus explicat, charitas est per Spiritum sanctum diffusa in cordibus filiorum regni.

Has duas claues Dominus Iesus ante resurrectionem Petro promisit, quando dixit: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, & cæt. Has item claues post resurrectionem non vni, sed vnitati donauit, quando insufflauit in eos dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Neque parùm horrori mihi est verbum istud tuum, quo mones, quòd magis mihi pro ratione esse debet authoritas Papæ. Nunquam Parisiensi facultati Theologicæ, non dico ratione, maior fuit, imò nunquam fuit pro ratione Clementis Papæ autoritas: quoniam temeritatem illius angelis præcipientem reprehenderunt, & correxerunt, quando cruce signatis ad eorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio, quas vellent, elargiebatur: item quando indulgentias à pœnā & culpā publicabat: horum tamen eorum hodie plumbatæ bullæ reperiuntur. Tu tamen mones, huiusmodi Papæ autoritatem non solùm pro ratione, sed & super rationem esse mihi debere.

Quæ quæso in his ratio mea, nónne Scriptura sacra? Nunquid vis Papæ authoritatem supra sacram Scripturam ferre? Papæ voluntas & Scripturæ autoritas, non æquè constituta sunt: sed vt voluntas Papæ secundum Scripturæ veritatem, non veritas sacræ Scripturæ à Papæ voluntate regulanda sit.

Ibidem. Dominus Iesus quando promisit Petro claues regni cœlorum, vt, quicquid ligaret in terris, ligatum esset & in cœlis, nihil aliud promisit, quàm Spiritū sanctum, & per Spiritum sanctum charitatem diffundendam in corde Petri. Hoc enim idem tunc promisit, quod post resurrectionem absoluit, quando insufflauit in Apostolos dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt eis.

Ibidem. De thesauro Ecclesiæ neminem potest Papa vel concilium generale locupletare, vel ditare in parte aut in toto: nisi quem potest corde integrare, & affectu inflammare, quatenus verus thesaurus Ecclesiæ verè illi thesaurus fiat. Vnde si non possunt inflamare cor in possessionem illius thesauri, non etiam poterunt dare possessionem thesauri.

Desiderare potest Papa, orare potest, obsecrare potest, confidere potest, commendare potest, gratias agere potest, potest fortasis & precibus impetrare interdum, sed vt authoritate donare aut regulariter impetrare posfit (quam nec necessariā requisitā præparatione optare potest) non credo. Nullo enim suo ministerio, vel opere, vel arbitrio potest, vt accedentes aut subeuntes omnes regulariter Deo sint, quales esse debent. Quod si non potest quæ incerta sunt & imperfectiora, quomodo, quæ grauiora & perfectiora sunt, poterit? Qui non potest dignè præparare, quomodo poterit gloriosè consummare? vtrumque sicut in solum Deum, ita etiam à Deo solo.

Ibidem. Hunc ignem, & cremabilia hæc, si bene attenderent indulgentiarij nostri, non tam temerè post mortem plenariam remisionem, & omnimodam impunitatem promitterent.

Idem. Circuiui multas Vniuersitates, & certamina quærens multos reperi contradictores, aliquando etiam de fide scandalisatos, verùm nunquàm in scandalis dimissos: quia, rationibus meis auditis & perspicaciter consideratis, vel consentientes, vel saltem non irrationabiles confitentes, quietos reddidi, vt nemo finaliter de me conquereretur.

Idem refert de Pontifice Sixto, quòd ad Petri Ruerij, tunc S. Sixti Cardinalis, ac Patriarchæ Constantinopolitani, & Hieronymi fratris sui postulationes, domesticæ familiæ toti Cardinalis D. Luciæ, qui Paulo secundo à venationibus fuerat, (horrendum dictu) in tribus anni mensibus calidioribus, Iunio, Iulio, & Augusto, masculino coitu frui permiserit, cum hac clausula: Fiat, vt petitur.

Eiusdem Vaticinium.

MAgister Ioannes Ostendorpius, canonicus templi diui Lebuini Dauentriensis, vir multo studio longaq; experientiā doctiss. adolescens admodum, istum VVesselum Phrisium (qui Lux mundi vulgò dicebatur) senem adijt, & inter cætera audiuit ab eo quasi iam, quod per Lutherum futurum erat, præuidente: Studiose adolescens, ad illum viues diem, quo doctrina recentiorum & contentiosorum istorum Theologorum, Thomæ & Bonauenturæ, & aliorum eiusdem farinæ, ab omnibus verè Christianis Theologis explodetur.

Ordo S. Catharinæ Senensis.



HÆc Senis in Thuſciâ nata fuit, patre Iacobò pannorum tinctore, & Lapa matre. Eam viſione quadam, S. Dominico iubente, ad hunc ordinem incitatam fuiſſe, ex Legenda Reimundi Capuani, generalis Prædicatorum Magiſtri, in eius vitâ ab Antonino recitatâ, conſtat, anno 1455. iuxta Francum: ſecundum alios verò anno 1372. Catenâ ferreâ cuti proximâ quotidie ſecinxit. Intra duos dies dimidiam tantùm horam dormiebat.

Narratur etiam Antoninus ex eadem Legenda, Dominum Ieſum ſæpe ad eam veniſſe, & duxiſſe ſecum aliquando glorioſiſſimam ſuam genitricem, aliquando Dominicum, quandoque Mariam Magdalenam, vel Ioannem Euangeliſtam, vel Paulum Apoſtolum, vel alios, & cum eâ familiariſsimè confabulatos eſſe, tit. 23. cap. 14. §. 6.

Addit ibidem, Chriſtum apparuiſſe quodam tempore deuotæ huic, & viſibiliter ſibi eam deſponſaſſe, in præſentia Mariæ virginis, Ioannis Euangeliſtæ, Pauli Apoſtoli, & B. Dominici, nec non Dauidis Pſalterium ſuum manu geſtantis, ac ſuauiſsimè modulantis. Et Dei genitricem quidem manum extendiſſe ad filium, ac poſtulaſſe, vt Catharinam ſibi deſponſare dignaretur: Ieſum matri aſſenſum eſſe, & protuliſſe annulum aureum, habentem in circuitu quatuor margaritas, ac adamantem in ſummitate: hunc annulari digito dextræ virginis dexterâ ſuâ impoſuiſſe, ac dixiſſe: Ecce deſponſo te mihi creatori & ſaluatori tuo. Licet autem diſparuerit viſio, manſiſſe tamen annulum in digito.

Cùm ſemel feruentiùs Dominum exoraſſet, vt auferret ei proprium cor, & propriam voluntatem, daretque cor & voluntatem ſecundum ipſum, viſa eſt ſibi, quòd adueniens Dominus latus eius ſiniſtrum aperiret, & cor eius abſcinderet atque auferret, ſineq; corde ipſa maneret. Accidit igitur aliquando, cùm eſſet Senis in Eccleſia Prædicatorum, in Capella ſororum de Pœnitentia, circumfulſit eam lux de cœlo, & in luce apparuit Dominus habens in manibus cor rubicundum, & lucidum: ad eius verò aſpectum illa in terram cecidit: appropinquans autem Dominus aperuit latus eius ſiniſtrum, intromiſitque cor illud, dicens: Ecce filia, ſicut poſtulaſti pridie, abſtuli tibi cor tuum, & dedi tibi cor meum, quò ſemper viuas, clauſitque latus, & diſceſsit: manſit tamen cicatrix in latere. Ant. ibid. § 10.

Vidit etiam, vt ibidem narratur, Chriſtum crucifixum ſuper ſe magno cum lumine deſcendere, & ex quinque vulnerum eius cicatricibus in ſe radios ſanguineos deſcendere, qui ad manus, ad pedes, & ad cor ſuum pertingebant. Ibidem.

Apparuit ei aliquando Chriſtus, & pro veſte, quam pridie cuidam pauperi dederat Catharina, ſuis manibus de cicatrice lateris ſui traxit aliam veſtem coloris ſanguinei, vndique radios emittentem, eaque induit proprijs manibus ſponſam ſuam dilectam. Ex quo tempore nullum frigus in corpore, media etiam eaque inclementiſsima hyeme, ampliùs ſenſit.

Veſtem interiorem albam gerunt, eique velum atri coloris ſuperinduunt, cum capitis tegumento concolore. Modius. Auguſtæ & Norimbergæ hunc ordinem floruiſſe, Francus ſcribit.

Suprà, anno 1379. Catharinæ Senenſis quoque facta eſt mentio: diuerſitatis cauſa eſt authorum in calculando diſcrepantia, & regulæ laxioris in duriorem mutatio, vt illic Lector reperiet.



De

1455.

De fine Mundi mirabile S. Vincentij Ferrarij, Itali, de Valentia,

Doctoris Theologiæ, ordinis Prædicatorum, qui interfuit concilio Constantiensi, opusculum: in quo potissi-
mùm continentur tria, & explicantur tres illæ terribiles prophetiæ Danielis: Prima de casu, defectione, siue
ruina vitæ spiritualis: secunda de diminutione dignitatis Ecclesiasticæ: & tertia, de fidei Catholicæ interi-
tu: in tractatu quarum multæ calamitates diuersis temporibus fuisse declarantur: & quædam
futuræ prædicuntur, ad terrorem maximum tam cleri quàm totius populi Chri-
stiani: ad postremum de duplicis Antichristi aduentu, mixti scili-
cet, atque puri.

Ecce positus est hic in ruinam, Luc. 2.

BOna gens. Volendo ad præsens loqui de fine Mundi, Primò proponam, quòd prædicantes, fi-
nem mundi fieri citò & breuissimè, nec laudare nec vituperare volo: Secundò, quòd prædi-
cantes, finem mundi non venturum ita citò, imò, quòd multùm distat, sicut alij prædicant, nec
laudare, nec vituperare volo.

Sed ad cognoscendum, cuius istorum verbis sit potiùs credendum, tres prophetias breuiter a-
perire volo, quæ habentur Daniel. 2. 3, & 4. cap. quarum Prima loquitur de casu vitæ spiritualis: Se-
cunda de lapsu dignitatis Ecclesiasticæ: Tertia de ruinâ fidei Catholicæ: vt, cùm videritis eas suc-
cessiuè compleri, possitis agnoscere, quis ipsorum prædicatorum sit verior. Nam omnia veteris
Testamenti contingebant in figurâ. Sed non allego autoritates de fine mundi: quoniam opinio-
nes prædicantium de fine mundi diuersæ sunt hodie. Moraliter autem loquar, &c.

Cùm igitur videritis, prophetiæ primæ compleri intellectus: tunc poteritis dicere, Ecce hic, scili-
cet status vitæ spiritualis, positus est in ruinam: & sic successiuè de alijs duobus: & tunc finis mun-
di erit citò & breuissimè. Dico igitur primò, quòd prima prophetia Danielis demonstrat nobis
casum vitæ spiritualis.

Bona gens. Daniel recitat in dicto capitulo, quòd Nabuchodonosor Rex vidit in somnis sta-
tuam vnam altam, quæ habebat caput de auro puro, pectus & brachia de argento, ventrem & fe-
mora de ære, tibias de ferro, & pedes, quorum vna pars de ferro, & alia de luto erat. Deinde vi-
dit, venire vnum lapidem de monte missum sine manibus hominis, qui pedes statuæ percussit, &
statuam totam in fauillam reduxit.

Bona gens. Allegoricè loquendo, ista statua demonstrat nobis initium & finem Ecclesiæ.
Nam caput statuæ, quod erat auri puri, significat principium Ecclesiæ, id est, tempus Apostolo-
rum & Martyrum: quoniam tunc Ecclesia erat de auro puro, hoc est, quòd Christianitas erat in
perfecta vita spirituali, & in ardore deuotionis & supernæ charitatis. Nam sicut aurum excellit o-
mnia metalla: sic vita spiritualis perfecta omnes vitas.

Nam tempore Apostolorum & Martyrum, Christiani à principio, quo sciebant loqui, ad-
discebant facere signum crucis, & in mensâ omnes dabant benedictionem ante comestionem: &
post comestionem gratias Deo referebant. Omnes sciebant Pater noster, Aue Maria, & Credo in
Deum. Et quotidie orabant de manè, & de sero: & omni die Missas audiebant, antequàm quic-
quam temporale facerent. Et erant quotidie perseuerantes in fractione panis, id est, communican-
tes erant in Sacramento Altaris. Omni die sermones Dei audiebant: nec poterant satiari, sermo-
nes eius audire. Omnes sciebant modum confitendi Deo: & templo oblationes & offertoria mi-
nistrabant: & decimas de quacunque re sacerdotibus dabant. Et quod melius erat, Ecclesijs de
bonis suis subueniebant: & omnes ad inuicem charitatem habebant. Non erant vsurarij: nec fal-
si mercatores, nec mendaces venditores, & emtores. Erant pacifici ad inuicem, sine discordiâ &
sine inuidiâ. Matrimonia in maximâ honestate seruabant. Omnes erant eleemosynarij, fideles, sine
errore, non alta sapientes, sed simpliciter credentes.

Domini temporales recti in iustitiâ, & pleni misericordiâ: domini Ecclesiastici, id est, Prælati,
erant pij. Nam redditus Ecclesiarum in tres partes diuidebant: duas Ecclesijs, & hospitalibus,
& viduis, & orphanis, & pauperibus dabant: tertiam partem, minorem sibi retinebant pro vitâ:
& quod in capite anni superabat, erogabant pauperibus. Quotidie celebrabant & prædicabant:
castè & sanctè viuebant: populo bonum exemplum dabant. Sacerdotes erant sanctificati, casti,
largi, deuoti, discreti, & honestæ conuersationis: sine auaritiâ, promti ad bonum, cum mansue-
tudine & humilitate. Item religiosi, honesti, pauperes, obedientes, sanctæ vitæ: ita quòd de mille
vnus non fuisset repertus, transgrediens regulam suam.

Ecclesiæ honoratæ erant à populo tam in reparatione, quàm in ædificatione & deuotione. Ar-
tifices & laboratores erant credentes articulos fidei & mandata Dei, & illa seruantes ad punctum, vt
religiosi suas regulas: & nomen Dei habebant in magnâ reuerentiâ, & maximo timore & honore.
Et sic erat fides formata cum charitate spirituali in deuotione & operum executione: ita, quòd ca-
put Ecclesiæ tunc erat aurum purum.

Et istud tempus durauit vltra quadringentos annos: & postea descendit Christianitas de auro ad argentum, quod minus valet.

Tunc enim surrexerunt Arriani & alij Hæretici in Ecclesiâ, qui loquebantur errores & falsas opiniones contra fidem: ita, quòd per eos ferè totus mundus fuit corruptus huiusmodi erroribus. Qui errores & falsæ opiniones pro nunc non possent explicari: sed satis patent in Ecclesiâ, id est, in libris Ecclesiasticis: ita, quòd Christiani perdiderunt formam signandi se, & modum orandi, & communicandi, & missas audiendi, & oblationes offerendi, & decimas dandi, & præcepta Dei & articulos fidei sciendi, & Ecclesias ordinandi & ornandi. Et finaliter status veræ fidei & bonæ vitæ corruit.

Et tunc Deus misit Doctores sanctæ Ecclesiæ, videlicet sanctum Augustinum, sanctum Ambrosium, sanctum Hieronymum, sanctum Gregorium, & alios quàm plures sanctos & egregios Doctores, qui sustinuerunt, seu sustulerunt fidem catholicam, & præcepta legis, & virtutes, & sacramenta, & vitam bonam ac sanctam, exponendo sacram Scripturam, disputandoque contra hæreticos. Sed tamen Ecclesia nunquam potuit reduci ad pristinum gradum, siue ad pristinum statum aureum, id est, Ecclesia nunquam poterat ascendere ad aurum, à quo descenderat ad argentum: quia deuotionis gustus siue ardor deperditus fuit. Et illud tempus durauerat vltra quingentos annos.

Et post illud tempus statua, id est, Ecclesia descendit de argento ad ventrem & femora, quæ sunt ærea, & minus valent. Nam vt æs voluitur & reuoluitur ad quamcunque partem, & malè sonat: sic tunc Christianitas voluebatur modò à parte dextra contra fidem, per falsos errores, modò à parte sinistra contra virtutes, per turpissimos mores: & turpe sonuerat, quia verbum Dei non prædicabatur. Et tunc erat Mahometus, qui corrupit totam Barbariam. Missæ verò non audiebantur, nisi coactè: non faciebant orationes: Deum negabant: & generaliter totus mundus positus erat in maximâ malignitate. Omnes permittebant plenissimè, vitia perpetrari. Non erat misericordia: non erat iustitia: non erat humilitas: non erat pietas: non erat fides: non erat obedientia mandatorum: non erat ramus bonæ vitæ.

Vnde tunc Dominus noster Iesus Christus voluit destruere Mundum, vt inuenitur in legendis Sanctorum Dominici & Francisci: quoniam omnipotens Deus præ nimiâ irâ in ipso monstrata propter peccata Mundi tres lanceas contra mundum vibrabat, quæ demonstrabant tria, videlicet Antichristi persecutionem, mundi conflagrationem, & diem iudicij. Et tunc beata Maria virgo obtinuit vnam modicam dilationem super finem mundi à filio suo, videlicet, quòd expectaret prædicationem ordinum sanctorum Dominici & Francisci, vt patet in legendis ipsorum, qui prædicarent per mundum, vt conuerterent gentes mundi. Et durauit illud tempus, quantum istæ duæ regulæ durauerunt in Obseruantia fratrum earundem, videlicet per centum & quinquaginta annos.

At istæ duæ regulæ, quantum ad obseruantiam, modò deficiunt: & iam sunt plures quàm quinquaginta anni, quòd in istis regulis fratres non tenent viam, nec semitam, id est, vota & ceremonias, imò ipsi sunt peiores, quàm cæteri Christiani, in superbiâ, luxuriâ, auaritiâ, gulâ, inuidiâ, irâ, accidiâ, & simoniâ: ita, quòd ipsi sunt exemplar totius malæ vitæ: & facti sunt via perditionis, qui debebant esse via reparationis hominum mundanorum.

Vnde statua, id est, Ecclesia descendit de ære ad tibias ferreas. Et istud est tempus, in quo sumus modò. Nam vt ferrum est durum, asperum, implicabile, & rigidum per se, & non potest mutari, nisi per ignem & malleorum percussionem: sic est ad præsens Christianitas.

Nam non est Prælatus: non est dominus temporalis, non religiosus, non sacerdos, nec status maritalis, nec eremita, nec mercator, nec status vidualis, nec ciuis, nec mechanicus, nec status virginalis, nec laborator agrorum, nec artifex, nec scutifex, nec magister, nec discipulus, nec scholaris, nec doctor, nec baccalaureus, nec quicunque legista vel canonista, nec artista, qui se emendare velit de suâ malâ vitâ, nec per prædicationes, nec per exempla, nec per miracula, nec per prodigia, nec per tormenta, nec per infirmitates, nec per mortalitates, nec per guerras, nec per caristias, neque per diluuia & inundationes aquarum, nec per terræmotus, neque per obscurationes Solis & Lunæ: quæ omnia videntur nobis quasi deliramenta.

Itaque implicabiles sunt nunc Christiani, quòd non videntur homines, sed dæmones insani. Etenim sunt asperi sibi inuicem sine vlla pietate & benignitate: crudeles sine misericordia: vsurarij & auari sine vllâ largitate: duri sine vllâ deuotione: amatores huius sæculi sine vllo Dei timore: contemtores regni Dei sine vllo amore: & sic sunt asperiores & implicabiliores & duriores ferro Christiani isto tempore.

O quomodo descendit statua de auro ad ferrum? quomodo deteriorata est! Vnde verificatum est, quod Dauid prophetisauit de isto ferro, dicens: Humiliauerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertransijt animam eius in pectus. Nam sicut compedes impediunt compeditum ire corporaliter: sic spiritualiter peccata impediunt animam: quia quælibet

anima cuiuslibet hominis spiritualiter incedere debet & festinanter, vt dicit Dauid: Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Sion. Nam anima cuiuslibet discreti viri duos pedes habere debet, quibus debet festinanter ire de virtute in virtutem. Primus pes dexter est amor cœlestis: secundus sinister est timor infernalis.

Et cùm diabolus tentat de peccato: cogitare debet homo, quomodo pœnæ in inferno sunt paratæ cuilibet facienti illud peccatum, de quo tunc tentatur: & sic cogitando resistitur peccato.

Secundò, cùm diabolus tentat, vt dimittat homo aliquod bonum, quod cœperat facere, vel quod faciebat, vt illud deserat & relinquat: tunc ipse cogitare debet, quòd dimittendo illud bonum opus, delinquendo perdit gratiam, id est, amorem Dei: & sic cogitando, homo, quod incepit, adimplebit. Et ita per illos duos pedes, scilicet amoris & timoris, ibit de virtute in virtutem, atque hîc in isto mundo, & in alio videbit Deum Deorum in Sion, id est, Deum Angelorum in gloria visionis beatæ.

Sed heu dicit Dauid superiùs loquendo de tempore moderno, quòd humiliauerunt in compedibus pedes eius. Compedes enim diaboli sunt ociositas & pigritia, insensibilitas & duritia cordis: quibus multi heu à virtutum via impediuntur, & pedes eorum prædicti à festino gressu retardantur. Sicut enim per compedes clauduntur pedes, ita quòd nec festinanter nec aptè homo potest incedere: ita isti duo pedes cuiuslibet hominis, sc. amor cœlestis & timor infernalis, qui faciūt ire aptè animā de virtute in virtutē, sunt humiliati in compedib. ociositatis & pigritiæ, insensibilitatis & duritiæ cordis: ita quòd vix de mille reperies vnum, qui amorē cœlestium habeat non compeditū ociositate & pigritia, aut talem timorem inferni possideat, qui non compediatur insensibilitate & duritia cordis, ac si nunquam mori debeat. Idcircò subditur: Ferrum pertransijt animam eius, id est, obstinatio non se emendandi à peccatis pertransijt animam eius, id est, cuiuslibet talis Christiani.

O quanta pigritia: ô quanta obduratio est modò in Ecclesia Dei, hoc est, in congregatione Christiana? Nam modò vix sciunt se cruce signare, & malè: pauci minùs orare, modicùm confiteri, & tardè, & malè: & peiùs sciunt Missas audire & communicare: & pessimè sermones Dei audire. Articulos fidei pauci sciunt, & malè: & peiùs præcepta Legis. Malè dant templo oblationes, & peiùs decimas.

Minimè inclinantur ad dimissionem iniuriarum, & ad restitutiones rapinarum. Omnes sunt pomposi, mendaces, ambitiosi, cupidi, auari, raptores, & deceptores, mandata legis minimè seruantes, Deum blasphemantes & contemnentes, Deo sine stabilitate seruientes: ita quòd plus scandalum inferunt, quàm fructum, nihil exempli boni portant.

Nunc Prælati superbi, vani, pomposi, Simoniaci, luxuriosi, auari, qui fidem in mensura terrenarum rerum posuerunt: quia tantam fidem habent, quantus est redditus in pondere. Curam Ecclesiæ ipsi curant modicùm. Ad istam personam modicùm currunt, quæ modicum tribuit: ad aliam plus dantem magis. De eis, qui plus dant, & qui sibi plus promittunt, curam habent: & ita eos sustinent intrusos, quòd veritas, quæ angulos non quærit, lucere non possit. Ipsi sunt sine charitate, luxuriosi, gulosi, pigri: quia nec celebrant, nec prædicant, sed scandalizant.

Domini temporales sine charitate, sine misericordiâ, sine pietate, sine pace.

De religiosis, breuiter loquendo, non est in toto mundo, qui ad literam teneat regulam suam, vt debet: corrupti omnes & scandalosi: animabus facti sunt via perditionis, qui debebant esse via salutis. Sacerdotes piscantur hodie honores, sed minimè mores. Nam ipsi sunt ignorantes, præsumtuosi, & deridentes, idiotæ, hypocritæ, sapientibus detrahentes, auari, & simoniaci, deteriores indies apparentes, luxuriosi, inuidi & immundi, totum mundum corrumpentes, velociter post denarium currentes: sed ad virtutum cursum implicabiles, crudeles sine misericordiâ, tenentes multa arma, pauca breuiaria, pertinaces & loquaces, sed minimè sunt veraces. Gauderet Christianitas, cùm de mille vnum deuotum inueniret: ille esset vtique diligendus, sed minimè visitandus: & maximè à mulieribus.

Vnde cum dolore possumus dicere, quòd verificata est prophetia hæc, quæ dicit: Quomodo obscuratum est aurum: mutatus est color optimus: dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum, Thren. 4.

Nam aurum bonæ vitæ obscuratum est in mundo. Mutatus est color optimus, id est, verbum Euangelicum, quod animas depingit varijs coloribus, id est, virtutibus, mutatum est: quia intellectus sacræ paginæ colorem nunc habet Philosophicum aut poëticum: ita quòd prædicatores omnes, nisi pauci, non prædicant Euangelium aut Biblia, sed Tullium vel Aristotelem.

Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Nam isti lapides sunt religiosi, sapientes, qui debent defensare ciuitatem, hoc est, Christianitatem à dæmonibus, cum lapidibus, id est, auctoritatibus sacræ Scripturæ, prædicando contra vitia: qui dispersi sunt per plateas dominorum temporalium, vt sibi dignitates temporales acquirant. Nam vix reperies Doctores vel magistros in monasterijs proprijs, sed citiùs in magnorum dominorum curijs. Nam vnus est confessor Regis, alius Reginæ: alius Ducis, alius Ducissæ: alius Comitis, alius Comitissæ.

Et ita dispersi sunt lapides sanctuarii, hoc est, Ecclesiæ, per istas plateas: vt benè possimus dicere, Pupilli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi viduæ: aquam nostrā pecunia bibimus: ligna nostra precio comparauimus, Thren. 4. Nam pupilli facti sumus absque patre, id est, absque vnico pastore Ecclesiastico: & etiam animæ nostræ absque pàtre spirituali: quia impossibile est, quòd mulier volens Deo seruire, reperiat de decem vnum patrem spiritualem stabilem. Item matres nostræ quasi viduæ sunt, id est, dignitates Ecclesiasticæ quasi viduæ sunt: quia vel carent Rectoribus, vel hi, quos habent, non faciunt debitum circa curam animarum.

Nam non est Episcopus, qui curet de animabus sui episcopatus: nec rector, qui curet de animabus suæ rectoriæ: imò, quod deterius est, ipsi rectores sunt absentes. Nam si qui valentes & scientes reperiuntur in scripturis, non resident in Ecclesiis, sed Vicarios ignorantes instituunt: nec dolent, si lupi rapaces animas suorum capiunt. Item aquam nostram pecunia bibimus: ista aqua est gratia Spiritus sancti, siue virtus, quæ datur in Sacramentis per ministros Ecclesiæ, qui sunt sacerdotes. Aquam igitur pecunia bibimus, id est, administrationem Sacramentorum, per quæ virtus spiritualis & gratia confertur, cum denariis comparare compellimur : quia non est vnus de mille ministrator, qui liberè & actu Sacramenta ministrare velit, quin coopertè vel discoopertè sit simoniacus, id est, mentaliter vel corporaliter. A maiori enim vsque ad minimum omnes student auariciæ & simoniæ: & sic totus mundus positus est in negligentia & obstinatione, quia nullus vult se emendare, sed duriores ferro in peccatis efficiuntur.

Sic benè possumus dicere, quòd ferrum, id est, obstinatio peccati pertransiit animam eius, hoc est, cuiuslibet mali Christiani. Sed istud ferrum humiliabitur per ignem & percussionem malleorum. Et iste ignis & ista percussio erit citò & breuiter in Christianitate: quia Deus, qui dixit, cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo, in breui excitabit iram suam super Christianitatem ita validam & magnam, quòd, si Christiani decimam partem intelligerent tribulationis, multi iam præ dolore morerentur. Et tunc coacti cognoscent Christiani creatorem suum.

Et, si ista benè consideremus, possumus dicere, quòd statua, id est, Ecclesia descendit de capite aureo ad tibias ferreas: quod est tempus, in quo sumus nunc. Vnde status spiritualis iuxta nostrum thema congruè dicitur positus in ruinam, scilicet de auro ad ferrum, hoc est, de ardore charitatis ad obstinationem & duriciam in peccando, & nihil emendando. Et quid restat de statua? Certè pedes restant, quorum vna pars erat de ferro, & alia de luto. Istud erit tempus Antichristi, cùm fuerit natus: in quo homines iterum incipient esse de ferro, id est, obstinati in peccatis, plùs quàm dictum est, ad non se emendandum: & implicabiles ad non se submittendum: asperi ad non miserandum: & frigidi ad non Deum amandum: pomposi ad mundum diligendum: & duri ad non credendum articulos fidei catholicæ.

O quàm durum erit illud ferrum vltimæ partis statuæ, scilicet Ecclesiæ, quando Christiani negabunt Deum & fidem, vt possint euitare tormenta temporalia. Nam benè erit vltima pars, cùm natus fuerit Antichristus : quia finis mundi cum eodem tempore computatur. Item tunc Christianitas erit de luto, sicut vna pars pedum statuæ: quia homines carnales erunt. Nam non seruabitur lex matrimonii, nec gradus consanguinitatis: nec erunt ieiunia, nec abstinentiæ carnium: sed erunt luxuriosi omnes & sine lege: gulosi & sine abstinentia vllius carnalitatis: sed carnales totaliter sine temperantia: auari & pomposi sine humilitate & paupertate: pigri & ociosi sine aliqua diligentia suæ salutis. Et sic omnes mali Christiani erunt lutosi & ferrei.

Et de isto tempore ita lutoso dicebat Dauid Deo faciendo orationem, vt eum ab isto tempore eriperet: Eripe me de luto, vt non infigar: Libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Et tunc erit completa statua, cùm de capite aureo descenderit ad argentum gradatim, & ad æs, & ad ferrum vsque ad pedes de ferro & de luto: quod erit tempus Antichristi. Tunc benè poterit dici: Ecce positus est hic, scilicet status spiritualis vitæ in ruinam, & verè maximam ruinam.

Et tunc quid restabit? Certè, quòd veniat lapis de monte missus sine manu hominis, qui percutiat statuæ pedes, & in fauillam reducat. Ipse enim lapis erit Dominus noster Iesus Christus, iuxta illud, Petra autem erat Christus, qui venit à seipso, quem alius homo non mittet: quia ipse super omnes est. Et percutiet istam statuam, id est, Mundum, per conflagrationem, & eum inflammabit, & in fauillam reducet: quia omne elementatum comburetur in vno puncto, ita quòd non videbitur iste mundus, nisi vna fauilla.

Et tantum de prima parte sermonis. Sed hæc pars est moralis, ad cognoscendum rationabiliter, finem mundi esse citò futurum: quoniam vita spiritualis iam tenet caudam suam. Ecce hoc est speculum morale primæ prophetiæ Danielis allegatæ.

Secundò dico, quòd secunda prophetia demonstrabit nobis lapsum dignitatis Ecclesiasticæ. Hic aperitur mysterium finis Ecclesiæ, vt qui legit intelligat: & breuiter exponam, quæ mihi declarata fuerunt super isto intellectu. Nam dicunt aliqui, quòd citò erit Antichristus manifestus in mundo: & aliqui dicunt, quòd longè à nobis est. Vnde pro declaratione huius sciant omnes, quòd

duo Antichristi futuri sunt successiuè ante diem conflagrationis: quorum primus erit Antichristus mixtus: alius successor erit Antichristus purus.

Nam mixtus veniet sub specie magnæ sanctitatis: quia vitam Christianam tenebit ad extra mirabiliter, & in corde habebit spiritum malignum radicatum, qui eum inspirabit sub specie boni multa mala facere Ecclesiæ. Et iste non acquiescet consilio aliorum, sed quæ videbuntur sibi fienda, conabitur per fas & nefas facere ex instigatione diabolicà. Et multos Reges & Principes Christianorum sanctitate fictâ decipiet, & in maximum errorem, & scandalum eos inducet: ac etiam sapientissimos, & doctissimos in lege decipiet, & errare faciet. Et conabitur adimplere omnia cogitamina, quæ malignus Spiritus ei inspirabit, dicens ac docens, quòd totum ei à Deo veniat: ita, quòd multi viri in sanctitate famosi decipientur etiam per ipsum spiritum malignum illius Antichristi mixti.

Et vt intelligatis clariùs errorem istius maledicti, secundum quod mihi permissum est, verificabitur in ipso Prophetia Danielis, cap. 3. quæ dicit, quomodo Rex Nabuchodonosor fecit fieri vnam statuam auream, quæ erat in altitudine 60. & in latitudine 7. cubitorum, & posuit eam in campo magno prouinciæ Babylonis. Et postea fecit congregari omnes Philosophos, Astrologos, sapientes, duces, comites, iudices, Barones, Principes, &c. vt erigerent & publicarent idolum illud. Et voluit, quòd sub pœna mortis omnes idolum adorarent, quando audirent sonum instrumentorum. Vnde omnes idolum adorauerunt vi vel gratis, id est, propter pœnam vel ex bona voluntate. Et non fuerunt reperti, nisi tres viri fideles, qui noluerunt adorare, scilicet Sidrach, Misach, & Abdenago: qui maluerunt poni in clibanum ignis ardentis, quàm adorare.

Quapropter eorum credulitatem Deus miserator inspiciens, misit Angelum suum, qui eos illæsos sic seruauit, quòd capillus de capite eorum non periit. De hoc loquitur textus Bibliæ diffusiùs: sed medullam ipsius capituli assumsi, vt clariùs intelligatur, quod sequitur.

Bona gens: Idolum Nabuchodonosor est Antichristus mixtus. Et erit maior, quàm aliquis fuerit à principio Ecclesiæ vsque nunc in dignitate Papali: nec erit pòst in eadem dignitate vsque ad finem mundi: quia ille erit vltimus, quoad dignitatem Papalem. Non dico, quòd fiet Papa, sed erigetur idolum contra verum Papam. Et ista erit quarta bestia pessima, quæ surget de mari. Et cùm videritis hæc fieri, credatis, quòd breuissimè eo mortuo manifestabitur Antichristus purus: de quo capitulum, quod sequitur in Daniele, loquitur, vt dicam inferiùs.

Hic aperitur mysterium: Nabuchodonosor interpretatur sedens in angustia agnita, vel sessio in agnitione angustiæ, vel prophetisans istius mundi signum. Et iste Nabuchodonosor erit vnus magnus Princeps, qui in vltimis temporibus surget in Ecclesia, qui sedebit in indignatione sua, id est, in angustia agnita. Qui Nabuchodonosor istũ mundum angustabit tribulando corda propter idolum, quod faciet. Et erit agnita ista angustia: quia Deus interficiet istum & idolum mala morte. Et tunc eorum mortes erunt notæ per totum mundum. Et tunc clarificata erit malicia tota cordis sui, & corrupta sanctitas sua dissimilata.

Item dico, quòd idem interpretatur prophetisans istius mundi signum. Nam iste prophetabit signum huius mundi, hoc est, finem istius mundi. Et quodnam est istud signum, quod demonstrat nobis finem mundi? Certè enim non possumus dicere, quòd Sol, quando in tempore Iosuæ retrocessit ad orientem, fuerit signum finis mundi, sed victoriæ populi Israël contra Amelechitas. Nec etiam possumus dicere, quòd fuerit Sol in tempore Ezechiæ Regis, quando retrocessit per decem lineas horologii templi, signum huius mundi, sed sanitatis Regis Ezechiæ. Item diluuium non fuit signum huius mundi: quia tunc ibi fuerunt conseruati homines & mulieres ad mundum multiplicandum. Et multa alia signa, quæ in Planetis fuerunt manifestata, non fuerunt signa mundi huius, sed alicuius prouinciæ vel regni, vel regis, vel principis, subuersionis, vel destructionis, vel perditionis, vel mortis, vel vitæ, vel victoriæ, vel sanitatis.

Sed quod erit hoc signum mundi huius? Certè serpens. Nam angelus lucifer bastardando diminuit signum propriæ imaginis, quando corruit & assumsit imaginem serpentis: quæ imago fuit signum homini, quando corruit humana natura tam corporaliter quàm spiritualiter: & tunc habuit finem suum vtique status primi, hoc est, innocentiæ. Quia si Adam non peccasset: æternus fuisset, & eiectus non fuisset homo. Itaque serpens fuit signum finis hominis, & erit signum finis mundi. Item serpens fuit idolum: quia Adam & Eua adorauerunt serpentem, quando crediderunt ei, & voluntatem dæmonis, qui in eo habitabat, fecerunt, & voluntatem sui Creatoris dereliquerunt: & sic idololatræ primi fuerunt: & istius Nabuchodonosor, qui interpretatur prophetisans huius mundi signum, id est, finem, figura fuerunt.

Quia Nabuchodonosor fecit idolum: totum figura fuit, quòd verificabitur per Antichristum mixtum. Quia surget magnus Princeps, vt dixi, qui faciet vltimum idolum in Ecclesiâ Dei: quia mortuo eo aliud non fiet vsq; in finem mundi, in Ecclesia, in dignitate Papali. Et iste Princeps in signum, quòd vltimum sit idolum, quod faciet, & quòd tale idolum erit Antichristus mixtus: bastardando portabit pro armis suis serpentem, figuram mũdi in ore habentem: & tamen hoc realiter non erit arma sua. Sicut enim serpens non erat realiter arma Luciferi, sed imago



Trinitatis erat realiter arma sua, quam perdidit propter peccatum superbiæ, quod in cœlo concepit, volens se æquare Deo omnipotenti in potentia: sic iste Princeps basta dando portabit serpentem pro armis, non tamen suis realiter: imò dico, quòd bastardabit & prophetabit, vt interpretatum est, signum huius mundi bastardando: quia serpentem portabit, vt dixi, qui demonstrat nobis ruinam humanæ naturæ, & finem mundi, qui debet esse propter serpentem, in quo diabolus mundum decepit.

Et iste magnus Princeps faciet idolum: quia ipsemet faciet vnum malum Papam, id est, cõtra-Papam, vt fecit Nabuchodonosor contra Deum. Et ponet illum in campo prouinciæ Babylonis, hoc est, confusionis: quia non erit nisi confusio.

Et congregabit omnes Philosophos, Astrologos, sapientes, principes, duces, barones, vt idolum erigant, non vt eligant: quia iam erit electum per eum: sed erunt omnes suprà dicti congregati, vt erigant, id est, publicent, quod factum erit per istum Principem: sicut fecit Nabuchodonosor, qui primò fecit statuã, postea congregauit Philosophos, &c. vt erigerent & publicarent. Et tunc mandabit, cùm publicatum fuerit idolum per totam Ecclesiam, quòd, cùm audierint instrumenta sonare, id est, præcones publicare, adorent, hoc est, omnes accep'ent ipsum sub pœna mortis. Vnde omnes gentes Christianitatis vi vel gratis ipsum adorabunt, exceptis Sidrach, Misach, & Abdenago, id est, paucis electis.

Hic quæstiones duæ oriuntur: prima est, quòd Gentes aliquæ voluerunt dicere, quòd completum fuerit istud in idolo, quod fuit factum Pisis: quia ipsum omnes gentes Christianitatis adorauerunt, exceptis, iuxta interpretationes, Sidrach, id est, regno Castellæ & regno Angliæ, quia ibi sunt decori homines: Misach, id est, regno Scotiæ, quia isti sunt viri læti facie: & Abdenago, id est, regno Arragonum, quia tacentes sunt, hoc est, non hilares facie: imò videntur gentes iratæ, vt illi, qui retinent iniquitates in corde, & non audent eas manifestare, sed pressi tristitia tacent. Quæ quidem regna non adorauerunt idolum Pisis factum. Dico, quòd non intelligitur de eodem: quia ibi non fuit pœna mortis fulminata illis, qui non adorauerunt illud, sicut fuit in illo Nabuchodonosor, figura illius fiendi ante Antichristum purum.

Secunda quæstio est, quòd multi dicunt, quòd figura illa complebitur in Antichristo puro, qui faciet se adorari tanquam Deum. Dico ego, quòd non intelligitur de Antichristo illo: quia non habebit factorem hominem, nec erectores homines, vt idolum Nabuchodonosor, quod habuit ipsum Nabuchodonosor factorem, & congregatos populos in erectores, vt dictum est. Nam ipse Antichristus purus, ex instigatione diabolica, seipsum faciet adorari tanquam Deum: quia sic erit terribilis in aspectu, quòd omnes Principes huius mundi, videndo ipsum, vel audiendo eius famam, dabunt sibi obedientiam, & ei se subiicient. Nam ipse non habebit in mundo, cùm manifestabitur, aliquem maiorem hominem, à quo indigeat fieri monarcha: quia propter peccata populi Deus permittet, quòd habeat potestatem super omnes Principes mundi, qui erunt.

Ergò non intelligitur de Antichristo puro: quia sicut idolum Nabuchodonosor habuit factorem, & ipsos congregatos erectores: sic eodem modo illud vltimum idolum fiendum ante Antichristum purum habebit factorem, scilicet illum magnum principem, portantem signum huius mundi, & erectores, id est, publicatores illos congregatos in campo Babylonis, hoc est, confusionis: quia Deus interficiet eos ambos: & tunc mundus remanebit de ipsis in certis annis plùs confusus & verecundatus, quàm de illo, quod fuit Pisis. Nam tunc non fuit confusio principalis, nisi eorum sapientum, qui elegerunt ipsum.

Et illud idolum erit in altitudine cubitorum 60. id est, totidem prælatorum, qui habebunt ipsum in Papam vi vel gratis: & aliquorum ignorantium, qui decipientur sanctitate extrinseca ipsius Antichristi mixti. Et erit illud idolum in latitudine cubitorum septem, id est, septem potestatum seu principum, qui dominabuntur quasi toti mundo & toti Ecclesiæ, qui dabunt ei obedientiam, & pugnabunt pro eo contra verum Papam. Et si non esset alius Papa, contra eum non fieret pœna mortis nolẽtibus sibi obedire: quia vbi est verus Papa, Christianitas seu credentia Christianitatis vna & vera est: & sic pœna mortis non est necessaria. Sed erit contra illud idolum alius Papa, qui verus erit, in quem gentes in fine credent.

Et ad subtrahendum gentes à credentiâ veri Papæ, fient tres subtractiones, quæ importabunt pœnam mortis omnibus nolentibus adorare idolum: quarum prima fiet ad intus in cor, per prædicatores, qui pœnam ad intus minabuntur in conscientiis hominum. Secunda ad extra in corpus, per flagellatores corporum. Tertia ad vitam, id est, ad temporalia, per raptores bonorum temporalium. Primò subtrahentur corda à vero Papa propter timorem: secundò corpora propter terrorem: tertiò temporalia propter amorem pecuniarum: sed de istis temporalibus non gaudebunt diu. Et isti erunt Ecclesiastici, qui postea deprædabuntur, vt inferiùs dicam.

Et finaliter de tota Christianitate non restabunt, nisi pauci, à non adorando idolum illud propter persecutiones & tormenta, quæ fient à sex Principibus ipsorum septem, de quibus Nabuchodonosor magnus sedebit in solio: & alii executionem facient realem contra Prælatos Ecclesiæ primò: secundò contra religiosos: tertiò contra laicos. Et de tota Christianitate, vt dictum est, non remanebunt, nisi pauci, scilicet Sidrach, Misach, & Abdenago, qui non adorabunt illud idolum, & per interpretationem significant tres conditiones hominum.

Nam Sidrach interpretatur decorus. Et isti erunt perfecti religiosi, qui illuminati à Deo, cognoscent veritatem Ecclesiæ: qui aut pro vero Papa morientur, aut pro eo ad deserta loca fugient, vbi erunt latentes per tres annos, & plus: sed non complebunt quartum annum.

Item Misach interpretatur risus de gaudio. Et isti erunt illi, qui permittente Deo, cum gaudio & lætitia pugnabunt ad mortem pro veritate Ecclesiæ contra idolum illud: & eligent potiùs mori cum honore & gaudio, quàm viuere temporaliter & inhonestè.

Item Abdenago interpretatur seruus tacens. Et isti erunt ignorantes bonum & malum, vt innocentes, & mulieres, & multi alii, qui errorem istum ignorabunt, cum quibus verus Papa dispensabit: & si non dispensabit, ignorantia dispensabit cum ipsis: quia si scirent & intelligerent errorem, potiùs eligerent mortem, quàm errorem sustinere. Tales erunt serui tacentes.

De illis etiam aliqui fugient ad deserta loca in extremis partibus, vbi non exiet idolum illud, nec Nabuchodonosor. Et illi erunt tacentes in maximâ miseriâ in eremis. Et similiter dicti religiosi, qui ad eremum fugient, erunt in maximâ miseriâ & paupertate in habitu dissimulato: quia non portabunt coronam, nec habitum sacerdotalem: nec demonstrabunt, se literas scire: nec tenebunt capellas, nec oratoria, nec altaria: sed demanè in aurora aliquem lapidem aut stipitem arboris cooperient, & festinanter Missas dicent illi, qui erunt dispensati: quia verus Papa dispensabit cum illis, vt possint in desertis celebrare: vt probabo inferiùs per prophetiam, quæ loquitur de ista dispensatione. Et celebratis missis abscondent citò calices, vestimenta, & peramenta, quæ ad celebrandum pertinent: ita quòd nullus poterit in illis modicis annis cognoscere, quòd ipsi sint sacerdotes. Et isti erunt serui tacentes.

Et etiam multi, qui erunt dispensati inter schismaticos in diuinis, tunc serui erunt tacentes.

Illi tres viri, id est, per eos significati, erunt liberati per Angelum sibi delegatum à flammâ ignis infernalis, sicut illi tres à flammâ ignis temporalis. Et tunc, cùm viderint Christiani hæc, benè poterint dicere, Ecce positus est hic, scilicet status dignitatis Ecclesiasticæ, in ruinam. Sed tamen Deus non deseret Ecclesiam, id est, verum Papam: quia nauis Petri poterit periclitari, sed non mergi.

Et vanus iste & miser Papa intrudendus cum principe illo maiore erit vnius voluntatis: quia temporalitatem Ecclesiæ spoliabit, ita quòd non remanebit beneficiatus, quin spolietur. Et hoc sustinebit Deus propter purificare filios Leui à sua malicia, à qua gratis & sponte se purificare nolunt.

Et ad roborandum, quæ dixi, aperiam hîc duas Prophetias Ezechielis, in quibus totum factum Ecclesiæ adæquatæ continetur. Nam legitur Ezech. 8. quomodo Deus monstrat illud idolum fiendum in Ecclesia Dei in fine Mundi, contra verum vicarium suum per idololatras, qui propter honores & diuitias & dignitates consueuerunt continuè facere vnum Papam complacentem eis: qui facient finaliter vnum maiorem, quàm vnquam fuit, nec fiet postea.

Ab Aquilone pandetur omne malum, à quo veniet idolum istud, hoc est, ex parte Alemannorũ, vt patet in eodem capitulo: propter quod ira Dei descendet super Ecclesiam ita acriter, quòd orationes sanctorum plùs prouocabunt Dominum ad iram, quàm ad misericordiam, vt patet in fine ipsius capituli, vbi dicit: Cùm clamauerint ad me voce magna, non exaudiam eos. Ita quòd omnes sancti, qui erunt tunc in mundo, vnam guttam iræ Dei non poterunt mitigare, donec purificatum fuerit sanctuarium, vt patet in sequenti capitulo Ezechielis, vbi dicitur: Et clamauit, scilicet Deus, in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquauerunt visitatores vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

Et dicit Ezechiel, quòd vidit venire sex viros de parte Aquilonis, id est, de partibus Alemanniæ: qui omnes portabant in manu vas interitus: & quòd in medio eorum vidit hominem vnum indutum lineis, qui ad renes, hoc est, ad corrigiam portabat atramentarium.

Et dicit, quòd DEVS dixit illi induto lineis, vt transiret per ciuitatem, & si-

gnaret

gnaret signo thau in frontibus omnes gementes, flentes, & tribulatos. Et illos sex viros misit Deus per ciuitatem interficere omnes, quoscunque inuenirent sine signo thau. Et dixit Dominus illis viris: A sanctuario meo incipite.

Auscultate nunc omnes populi. Terribiliores, quàm vnquam misit Deus, erunt isti, qui venient temporibus iam deinceps venturis. Nam isti sex viri armati, persequentes ciuitatem, id est, Christianitatem, erunt sex principes magni, qui dominabuntur quasi toti Christianitati, qui erunt obedientes Antichristo mixto.

Sed diceret aliquis, tamen, vt prædictum est, prophetia mentionem facit de septem, vbi dicebatur, quòd statua erat septem cubitorum latitudinis. Dico, quòd, quia vnus eorum erit supremus, cui omnes alii sex obedient, & non ibit cum eis: ideò Ezechiel facit solùm mentionem de sex viris, qui discurrent per ciuitaté, interficiendo non signatos signo thau. Qui incipient primò à sanctuario Dei, hoc est, ab Ecclesiasticis. Non autem interficient omnes, sed aliquos spiritualiter, aliquos corporaliter.

O si scirent Ecclesiastici, quali ratione permittet tunc Deus eos persequi propter peccata eorum: credo, quòd cibus eorum esset fel cum cinere mixtum.

Hoc etiam, quomodo Ecclesiastici purificari debeant per Antichristum mixtum? Dominus demonstrauit, cùm Apostolis dixit in personà totius Ecclesiæ, Matth. 5. Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus. Nam illud sal condiens animam, & à malicia conseruans necessarium, est doctrina Ecclesiasticorum, qui per vitam & doctrinam bonam conseruant animas populi in virtutibus.

Et cùm illud sal euanuerit, hoc est, vita & doctrina Ecclesiasticorum ad nihilum redacta fuerit (vt iam superiùs patuit, quia plùs facti sunt iam animabus laquei diaboli & lupi rapaces ipsi Prælati & Ecclesiastici, quàm pastores ducentes & conseruantes gregem) ad nihilum valebit vltrà, nisi vt mittatur foràs, id est, à beneficiis, & honoribus, ac dignitatibus, & diuitiis Ecclesiasticis per suprà dictos viros: & conculcetur ab hominibus raptoribus, qui conculcabunt ita terribiliter clerum, ac si essent infideles, dæmoniaci, & rabidi. Et laici erunt ita indignati contra eos, quòd putabunt, sacrificia se Deo facere ipsos occidendo & conculcando. Hinc dico, quòd illud malum erit malis purgatio vitiorum, & bonis augmentatio virtutum.

Sed hìc oritur quæstio, scilicet, vtrùm tantùm propter peccata clericorum Deus hoc permittet? Et dico, quòd non: imò etiam propter peccata populi. Et vt intelligatis, exemplum dabo tale:

Sit vna ciuitas benè murata, & habeat circumquaque turres pro defensione sua, efficiaturq́; ciuitas illa rebellis contra Regem suum: vnde Rex ponit tendiculas circumquaq; contra ciuitatem, & parat bombardas suas, & alia artificia & ædificia ad habendam illam ciuitatem: dicatis mihi, vbi Rex primò incipiet percutere cum bombardis, vel ad populum, vel ad turres & muros? Certè ad turres & muros primò incipiet bombardare. Et quam culpam habent turres & murus, quòd sic debeant corruere? Certè quia protegunt populum rebellem contra Regem suum. Ideò, vt faciat iustitiam de populo suo, habet primò destruere muros & turres.

Ita vult & Deus facere de populo suo huius mundi, qui rebellis est contra eum, propter peccata, vt dixi: quia nullus vult se emendare. Ideò Dominus noster Iesus Christus volens inuadere istam ciuitatem, & de ea facere iustitiam per Antichristum & conflagrationem mundi & diem iudicii, vult primò muros & turres huius ciuitatis bombardare: qui sunt Ecclesiastici. Nam sunt muri, qui debent custodire, munire & firmare istam ciuitatem per doctrinam & exempla bona. De quo muro dicebat Propheta: Muro tuo inexpugnabili circũcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos semper. Et sunt turres ad prælia, dum contra inimicos ad defensionem ciuitatis per sacramenta & prædicationes laborant & insudant. De quibus turribus dicebat Dauid: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis, id est, in Ecclesiasticis.

Sic igitur, cùm mundus sit rebellis contra Deum, Deus vult inuadere istam ciuitatem, ad iustitiam faciendam, per tribulationem finis mundi: sed primò vult bombardare murum & turres, id est, Ecclesiasticos: vt prædictum est in Prophetia Ezechielis, vbi præcipitur sex viris illis, vt à sanctuario, id est, ab Ecclesiasticis viris incipiant. Et hoc non sine culpa populi: quia populus est etiam causa, scilicet, quòd clerici & religiosi & Prælati sint mali. Nam multi domini temporales auaritia ducti, & vt pomposiùs & maioribus honoribus incedant, bona Ecclesiastica rapient, & sibi vsurpabunt, & insurgent contra Ecclesiasticos viros, & excommunicationem clericorum super hoc non curabunt, & clericos desperatos & arma capientes efficient, & multa huiusmodi, quæ Dominum prouocabunt. Et ita paulatim etiam populus erit causa, quòd Ecclesia à malis inficiatur.

Et cùm sic communis erit languor, veniet medicina, id est, flagellum & persecutio, bonis quidem in purgationem vitiorum & augmentationem virtutum, malis autem & obstinatis in augmentum pœnarum.

Sicut in persecutione innocentum, qui Christo nato occisi sunt, quæ venit propter peccata parentum, qui peccàrunt in filio Dei, quando noluerunt recipere matrem eius Mariam propinquam partui: quando venit cum Ioseph propter edictum descriptionis à Nazareth in Bethlehem: vnde oportuit eam ad stabulum bestiarum habere refugium: ideoque permisit Deus, vt ipsi in filiis suis

punirentur. Sed illa punitio fuit pœna parentibus: ipsis innocentibus dolor temporalis, sed gloria æterna eorum animabus: ipsi autem Herodi, qui hanc persecutionem intulit, pœna sempiterna cum suis. Ita persecutio clericorum erit pœna populi: quia non habebunt missas, nec doctrinas spirituales: nec recipere poterunt Sacramenta propter peccata eorum. Et clericis erit dolor & gemitus: sed eorum animabus salus & gloria, si sapienter & patienter se gesserint, & culpas suas cognouerint, & pœnituerint confitendo. Illis autem, qui hæc fecerint, cum Herode sempiternus cruciatus, nisi redierint ad veniam.

Sequitur videre, quis sit ille vir Prophetæ ostensus, indutus lineis, portans atramentarium ad renes, id est, ad corrigiam, discurrens per ciuitatem cum mandato, & signans signo thau omnes gementes & flentes. Dico, quòd iste vir erit verus Papa, quem persequetur Antichristus mixtus, qui indutus erit lineis, id est, albis vestibus, duplici intellectu. Vno modo, quia ita antiquus & senex erit verus Papa, quòd totus tam in carne, quàm in pilis erit canus, quia non habebit pilum, qui non sit albus. Secundo modo, quia habebit castitatem. Nam virgo perpetuus erit. Et color albus appropriatur castitati: & sic erit propter antiquitatem & castitatem indutus lineis, id est, albis. Et portabit atramentarium, hoc est, scriptorium circa renes. Nam istud scriptorium significat potestatem Ecclesiasticam, quam portabit iste Papa veraciter, & non alius, ipso viuente. Ad renes, hoc est, ad conscientiam: quia indubitanter sciet, se esse verum Papam.

Et vt intelligatis, quomodo atramentarium seu scriptorium significet Ecclesiasticam potestatem, est notandum, quòd in calamario quatuor habentur, scilicet locus forficum, locus moderatorii siue moderatorii, locus punzoni siue punctorii, & locus calamorum: in encaustorio duo, scilicet tinctorium & tincta. Et sic sunt sex, quæ ducunt animas ad sex ordines paradisi.

Nam primò in calamario est locus forficum, vbi sunt forfices ad scindendum papyrum, & alia, quæ sunt vnita. Isti forfices demonstrant potestatem Ecclesiasticam maiorem, primò absoluendi subditos à potestate inferni per plenariam indulgentiam à pœna & à culpa: secundò condemnandi & remouendi à gratia & gloria paradisi per sententiam excommunicationis, ad verbum Christi: Quodcunque ligaueris &c.

Item est moderatorii seu cultelli locus, qui tenetur pro moderando & aptando calamos: & ad radendum falsum, & malum emendandum. Iste cultellus demonstrat potestatem Ecclesiasticam ad absoluendum in casibus. Nam dum peccator peccat, statim suum peccatum in libro præscientiæ Deus scribit, vt dicit Dauid in Psal. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Et cùm confitetur & confessor absoluit eum: tunc cultellus absolutionis abradit peccatum de libro præscientiæ Dei, & emendat falsum per iniunctionem pœnitentiæ, & emendationem vitæ, & habilitat eum ad introitum paradisi.

Item est locus punzoni seu punctorii ad perforandum chartas, & ad ligandum sexternos in vno libro. Ille punzonus seu punctorius demonstrat nobis potestatem Ecclesiasticam concedendi indulgentias siue distribuendi thesaurum Ecclesiæ: quæ indulgentiæ perforant purgatorium: quia domus aperta carcer non dicitur: sic indulgentiæ, quas Papa concedit, perforant purgatorium, & animæ ligantur in sexternis ordinum Angelorum in vno libro, in gloria paradisi.

Item est locus calamorum pro scribendo libros. Ipsi calami demonstrant potestatem Ecclesiasticalem faciendi directè veros sacerdotes, qui libros scire debent, & dare doctrinam populo. Et sicut vnus calamus grossiorem scripturam facit, quàm alter: ita & in Ecclesia vnus est maioris potestatis, quàm alter.

Item est tinctorium & tincta. Et hæc demonstrant potestatem Ecclesiasticalem directam in dando prælationes & beneficia: in quibus Prælati & rectores beneficiati intinguntur, id est, honorantur & nutriuntur.

Hæc omnia portabit ad renes iste vir albus, & non alius: quia ipse erit verus Papa, & signabit signo thau omnes gementes & flentes, hoc est, signum cauterii in anima cuiuslibet Christiani faciet: hoc est, quando videbit illos sex principes persequi Ecclesiam, tunc dispensabit ex dulcedine suæ misericordiæ cum seruis tacentibus: quia flebunt & gement aliter facere non potentes vel scientes, aut etiam sine tonsura & habitu sacerdotali Missas celebrare cupientes, propter timorem ita manifestum & magnum.

Et tunc rectè, sicut in Prophetiâ præfata Ezechiel vidit omnes signatos illæsos perseuerare à persecutione sex virorum: ita quoque spiritualiter omnes illi, qui talem, vt prædixi, dispensationem habebunt à vero pastore albo, erunt extra potestatem principum illorum persequentium Ecclesiam: & etiam extra pœnam, quam patientur animæ eorum, qui credent in illum falsum Papam, & iuuabunt eum in hac persecutione: si non repœnituerint. Et cùm hæc videritis fieri, poteritis dicere congruenter thema præassumtum: Ecce positus est hic, scilicet status dignitatis Ecclesiasticæ, in ruinam.

Sed iste Papa albus videbit mortem istius magni Principis, & sui idoli, id est, Antichristi mixti. Et finita persecutione ipse cum toto clero suo ita disperso & semiuiuo clamabit ad Dominum condolendo multùm de tanto malo commisso in Ecclesia. Et tunc clerici ita castigati, ita debiles, ita mortificati, & ita deiecti erunt, quòd vix spiritum vitæ habebunt. Et tunc cognoscent suum creatorem,

torem, & eum amabunt & ei seruient puro corde & casto corpore: & non habebunt vel exilia beneficia, sed tantummodò victum & vestitum.

O quantum tunc plorabunt diuitias perditas, quas tenuerunt per auaritiam, & non dederunt pauperibus amore Dei, quando potestatem habebant?

Ecce secunda prophetia declarata, quæ tractat de lapsu dignitatis Ecclesiasticæ: quam cùm videritis fieri & adimpleri, poteritis dicere, quòd erit citò & breuissimè finis Mundi seu aduentus Antichristi secundi, hoc est, puri. Hic qui habet scientiam, intelligat: quia non computo tempus, nec nomino Principes, nec idolum, id est, contra Papam, nec verum Papam: sed qui habet aures audiendi, audiat & consideret solùm autoritates prædictas. Nolo enim allegare eos, qui dicunt, Antichristum mixtum iam natum esse. Vnum tamen refero.

Scio enim hominem, qui anno Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, die vicesima tertia Septembris, facta sua oratione, in spiritu suo vidit trina vice illos septem Principes cum illo malo Papa ingredientes vnam magnam & malam ciuitatem, equitando cum multa familia: & vidit, quomodo ille Papa malus Ecclesiasticos persequebatur.

Idem in eodem anno quasi in fine anni vidit vnâ vice in spiritu suo, soporando, facta oratione quotidianâ pro sentire tribulationes Ecclesiæ, duas mulieres pulcherrimas armatas omni specie armorum in quodam palatio magno cuiusdam ciuitatis amplæ, suprà singulos equos in simul cum lanceis in manibus suis pugnantes, vbi populus concurrebat. In qua visione intellexit ille in spiritu, prælium & altercationem futuram in verum Papam & idolum fiendum in illo tempore.

Postea vidit in sequenti nocte, ac si esset festum, populum in Ecclesia congregari debere: & ipse, ac si esset celebraturus Missam, cùm vellet Ecclesiam intrare, vidit populum quasi totum extra Ecclesiam congregatum taliter, quòd vix poterat homo per eum transire, & in Ecclesia pauci erant, ita quòd vbi vnus erat in Ecclesia, mille erant extra Ecclesiam. Et qui foris erant, non intrabant: & qui intus erant non exibant. Deinde accessit ad altare ad celebrandum Missam. Et cùm peteret hostiam, non fuit in Ecclesia reperta, nisi vna, quæ erat clara sicut speculum, & integra.

Cumque processisset in Missa & obtulisset hostiam & calicem Deo, & deposuisset hostiam super corporale: saltauerunt tres mulieres super altare, & cœperunt tripudiare in simul: vnde sacerdos fuit stupefactus, & cœpit minari mulieribus illis, ne tantum dedecus facerent Deo super altare, & specialiter dum Missa celebraretur. Quæ non timentes perseuerauerunt in ludo suo. Vnde vna illarum posuit manum ad corporale, & cœpit voluere & reuoluere contemnendo sacrificium: deinde accepit hostiam iam oblatam Deo, & fregit & lacerauit.

Vnde ipse sacerdos iratus, ita indutus casulâ, accessit ad ostium Ecclesiæ, vbi populus maior erat extrà, & cœpit clamare: Iustitia, iustitia, iustitia, Domine Deus omnipotens, contra rectores huius populi, si non fecerint iustitiam de his, quæ dicam.

Vnde rectores dixerunt: Dicatis, quid habetis. Qui respondit: Noueritis, quòd cùm celebrabam, venerunt tres iuuenes mulieres, quæ talia super altare fecerunt: tripudiauerunt & reuoluerunt corporale, & fregerunt hostiam cum qua celebrabam.

Vnde rectores intrauerunt Ecclesiam, quærentes illas mulieres, & non inuenerunt, nisi vnam, quæ stabat in terra ad angulum altaris tota humiliata ad modum alterius mulieris deuotè orantis: & aliæ duæ mulieres euanuerunt. Et dixerunt rectores ad eam: vbi sunt aliæ duæ sociæ tuæ? Quæ dixit: Recesserunt ab Ecclesia. Et rectores illi soli nihil dixerunt.

Vnde cùm dictus sacerdos vellet procedere in Missâ, petiit aliam hostiam: & fuerunt sibi portatæ quinque hostiæ, quæ erant omnes perforatæ, ita quòd nullo modo voluit eas consecrare. Et cùm staret sacerdos sic contristatus, quia non poterat sacrificium offerre: venit quidam sacerdos, qui dixit ei: Habeo hostiam paruam admodum vnius denarii, consecretis illam, & leuetis populo vnam de istis non consecratis: quia fracturæ non videbuntur. Cui sacerdos, qui Missam celebrabat, dixit: Absit à me tantus error, quia idololatrare populum non conuenit mihi. Et sic cessauit sacrificium publicum.

Hic est mysterium, quod ad præsens nolo aperire: sed qui spiritu Dei aguntur, benè intelligunt: quia ista important gemitum & ploratum. Sed beati, qui cum paucis in Ecclesia remanserint, licet non habuerint sacrificium publicum, aliis per altercationem de Ecclesia recedentibus, & extrà positis in damnum salutis magnum, vtinam non æternum. Et cùm videritis hæc fieri iuxta Danielem, quia fiet scilicet ablatio iugis sacrificii: dicere poteritis thema præmissum. Et tunc non restabit, nisi quòd compleatur prophetia, quæ sequitur.

Et de his duabus dicit Eccles. 4. Vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub Sole. Non dicit super Solem, per affectionem mentis in gloria: sed sub Sole, per affectionem mentis in terra.

Nota, cum adolescente secundo, qui consurget cum eo, infinitus est numerus populi omnium, qui fuerunt ante eum, & qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo. Superius, vbi dicit, quòd vidit omnes, qui ambulant sub Sole cum adolescente secundo, intelligi debet secundùm Doctores cum Antichristo puro. Sed primus adolescens apud aliquos doctores intelligitur Antichristus mixtus, qui Mundum decipiet per sanctitatem apparentem, vt sibi dignitatem & diuitias huius Mundi acquirat. Alius verò decipiet mundum, dignitates, honores, & diuitias à diabolo sibi datas, permittente Deo, monstrando aliis hominibus, ipsum pro Deo colentibus.

Et iste demonstratur in Prophetia Danielis, quæ sequitur prædictam, & denunciat nobis ruinam fidei catholicæ.

Vnde dicitur Dan. 4. quòd Nabuchodonosor vidit arborem, cuius cacumen cœlum tangebat, & rami eius per totum mundum extensi erant: & erat plena foliis & fructibus, in cuius ramis aues cœli delectabantur. Et inde vidit venire de cœlo sanctum clamantem: Succidite arborem, sed non ex toto, verùm remaneant radices eius super terram. Et clamauit auibus & bestiis, vt quæ volebant de arbore recedere, recederent.

Arbor ista vsq; ad cœlum Antichristus est purus, qui per illusiones & tormenta, & dona & carnalitates Christianos de cœlo cadere faciet, id est, de fide catholica, quæ dat gloriam animabus. Rami extensi per totum mundum erit sua Monarchia, qua totum Mundum gubernabit. Folia pompositates. Fructus diuitiæ, quas dabit, & gulositates. Aues vani homines & auari, ambitiosi, pomposi, qui adhærebunt ei. Bestiæ sub vmbra arboris, luxuriosi & ociosi, obedientes ei. Sanctus de cœlo clamans, Succidite arborem à terra, & remaneant radices in terra, sanctus Michaël erit, qui ignē de cœlo portabit, & interficiet Antichristum & qui cum eo erunt, sed radices in terra manebunt: quia anima Antichristi, & suorum animæ in inferno subter terram erunt destinatæ. Aues & bestiæ, quæ de arbore recedent, erunt peccatores suprà dicti, qui post mortem Antichristi in illis modicis diebus, quibus mundus durabit, relinquent vitia Antichristi, & dignitates, & honores, & carnalitates, & agent pœnitentiam, & misericordia Domini iterum saluabit illos.

Vnde de Christianis, qui conuertentur, pauci erunt. Renegati enim nollent recedere, si possent super arborem sedere. Ideò pauci ex talibus venient ad veram pœnitentiam.

Iustitia enim vult, quòd qui semel tam profundè ex gratiâ Spiritus sancti ceciderit, grauiter resurgere poterit: ex Euangelio autem certum est, quòd pauci firmiter stabunt.

O quomodo cadet tunc fides catholica? quàm pauci firmiter se tenebunt? Certè cùm videritis ita fieri, poteritis dicere: Ecce positus est hic, scilicet status fidei catholicæ, in ruinam. Et tunc non erit dubitatio de fine mundi, quem faciet Deus eos, quibus concessum est, cum robore suæ gratiæ videre, & exspectare, & nos cum illis obuiam Christo in aëra consurgere, & cum eo semper esse, qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti, Amen.

Aeneas Syluius.

HIc antequàm Episcopus Senensis, Cardinalis, ac demum Papa fieret, fuit scriba Friderici III. Imperatoris, & secretarius. Ac tunc quidem temporis de multis religionis partibus mediocriter sensit, præsertim de eo, quod tunc in conciliis agitabatur: nempe, concilium esse supra Papam. Quod etiam inde patet, quia laudat Coloniensem scholam, quæ idem publico scripto probârat, quam epistolam subiiciemus. Laudat etiam alicubi Germanos, quòd seriò oppugnent Papam. Sed postea factus & ipse spiritualis, concepto scilicet Antichristi spiritu, contrarium defendere impudenter cœpit: nempe, Papam esse supra Ecclesiam & concilium, nec licere penitus ab eo appellare.

Epistola 288. ad Martinum Meier cancellarium Moguntinum, qui Papæ eiusq; tyrannidi vehementer erat infensus, defendit primatum Papæ: in qua duo præcipuè obseruatu digna sunt. Alterum, quòd confitetur ipsemet, ante Nicenam synodum, id est, 300. annos post Christum, vnumquemque (eius verba recito) sibi vixisse, & paruum respectum ad Romanam sedem habitum: vnde clarum est, primatum Papæ non esse à Christo institutum: nam profectò primitiua Ecclesia id non neglexisset. Alterum, quòd affirmat, suo tempore multos in Germania primatum Papæ oppugnasse.

In Epistola 400. ad Norimbergensem senatum, excommunicat Gregorium Helmburgensem propter appellationem ab ipso Papa ad concilium factam, ac eius bona publicari iubet.

Narrat simul, quandam diabolicam hæresin, quòd quidam sibi ius appellandi à Papa ad concilium vendicent, & putent, concilium esse supra Papam, sensim creuisse: sed se iamdudum eam cum suis fratribus Cardinalibus damnasse, 18. Oct. an. 1460. Epist. 334. & multis aliis ad legatum Apostol. & diuersos Episcopos scriptis, hortatur eos, vt Germanis querentibus de grauaminibus, quibus à Papa contra decreta concilii Basiliensis premantur, resistant, ac ipsos compescant. Imprimisq; illud iubet inculcari Principibus Germaniæ, vt in eo negocio Papæ gratificentur: quia eorum filios longè meliùs Papa, quàm alii, promouere possit. Annōn hoc validum, ac ex intimis Apostoli Iudæ Euangeliis argumentum desumtum est? propter priuatam vtilitatem debere principes publicum Ecclesiæ Christi ac patriæ bonum libertatemquè negligere, aut etiam impedire.

Pepulit etiam eam ob causam Dieterum Episcopum Moguntinum, non sine multo ciuili sanguine, quòd noluit in quædam onera Germaniæ à Papa imponenda consentire.

Scripsit quoque ante Papatum duos libros de concilio Basiliensi satis piè, in quibus illorum patrum sententiam laudat, quòd Papam concilio subesse voluerint. Commemorat quoque multorum piè constanterque dictas sententias. Sed paulò pòst factus spiritualis, conceptoq; (vt dictum est) Antichristi spiritu, cùm non putaret expedire curiæ Romanæ, edi eos, suppressit. Inuenti tamen ab aliis tandem, in lucem euulgati sunt.

Mirum profectò est, illum hominem adeò prorsus immutatum esse, vt etiam scriberet, Papa iam factus, in quadam epistola ad Moguntinum Capitulum: Quòd verum quoque contra Papam dicere, sit contra iuramentum Episcoporum. Et ipse primus de consensu suorum Cardinalium edidit decretum, ne cuiquam liceret à Papa ad concilium appellare: quod tamen impium & tyrannicum, & planè Antichristianum decretum, nondum authoritatem aliquam obtinere potuit, quantumuis id confirmare Papæ magnoperè conati sunt. Imp. & PP. V. S.

Eiusdem Epistola ad Coloniense studium.

ÆNeas Syluius Rectori & Vniuersitati studii Coloniensis S. D. Homini Christiano, qui verè Christianus vult dici, nullam rem magis cordi esse conuenit, quàm vt, fidei sibi per maiores à Christo traditæ puritatem seruari ab omnibus immaculatam, studeat. Et quippe, si quando aduersus Euangelicas traditiones aliquid astruitur, surgendum populariter est, & ad commune restinguendum incendium afferre aquam omnes tenemur. Nec timendum est, vt inimici, aut inuisi fiamus, verum dicentes: resistendum est quibuscunq; in faciem, siue Paulus, siue Petrus sit, qui ad veritatem non ambulat Euangelii. Quam rem fecisse per hos dies Vniuersitatem vestram gaudio in hoc sacro Basiliensi concilio gaudemus omnes. Allatus namq; ad nos est tractatulus quidam vester, quo imperitiam, vel veriùs dicam, temeritatem illorum arguitis, qui subiectum generali concilio Romanum Pontificem esse diffitentur, quos sic viuacibus rationibus, & scripturarum veritate premitis, & retunditis, vt nec tanquam lubrici angues se euoluere, nec in aliquo cauillari, aut suggillare queant.

Idem lib. 1. Comment. de gestis Basil concilii. De Romanis Pontificibus liceret exempla admodum multa referre, si tempus sineret, quoniam aut hæretici, aut aliis imbuti vitiis sunt reperti. Nec nos fugit, Marcellinum iussu Cæsareo idolis thurificasse: alium verò, quod maius & horribilius est, diabolica fraude Romanum Pontificatum ascendisse.

Idem. Superest æmulis nostris defensionis locus, quòd Papa deponi queat. Quod licet deductum sit, non tamen adhuc liquet, an per concilium, quam prouinciam nunc ingredimur? Illudque nobis fatebantur aduersantes: quoniam ab Ecclesia Romanus Pontifex potest deponi. Quia cùm sit Papa vicarius Ecclesiæ, nemo dubitat, quin Dominus vicarios suos ad nutum suum possit destituere: nec dubium est, veriùs dici Papam Ecclesiæ vicarium, quàm Christi.

Idem. In Basiliensi concilio disputatum fuerat, num Papa supra concilium esset, néc ne? Cùm boni omnes id negarent, at in gratiam Eugenii 4. Pontificis, quidam, ex quibus erat Achilles Panormitanus, hanc conclusionem, ne promulgaretur, impedirent, iamq; magnus tumultus esset exortus, vt, cùm causa non possent, strepitu saltem vincerent Eugeniani: Ludouicus Cardinalis Arelatensis concilio præfectus, simulauit, nouos se ex Gallia nuncios habere, turbarum illic plena esse omnia: si paterentur, sese narraturum. Assentientibus vniuersis, silentioq; impetrato, historiam seu fabulam potiùs narrauit. Et sensim ad causam accedens, Eugenii legatos noua doctrina Galliam perturbasse, dixit, auctoritatem pontificis concilio potiorem esse asserentes, eosq; multis fidem facturos, nisi citò occurratur. Interesse igitur concilii, vt ea, quæ verè disputata fuissent, concludantur. Sese igitur pro ea, qua fungeretur auctoritate, in nomine Trinitatis concludere, Papam concilio subiici. Hoc pio astu Gallus homo Italos & Hispanos, quamuis nasutissimos, & in conclusione impedienda pertinaces, elusit.

Idem. Quicquid tamen dicant aliqui, ego cum illis non sentio, qui Romanũ pontificem caput Ecclesiæ dicunt, nisi forsitan ministeriale. Legimus enim, quia Christus est Ecclesiæ caput, non Papa: & illud est verum caput immutabile, perpetuum, & æternum, Romanus autem Pontifex nihil plus est, quàm veri capitis locum tenens: Ecclesia verò ipsius Christi corpus, cuius etiam ipse Papa est membrum, vicarius autem Iesu Christi, non in destructionem, sed in ædificationem eiusdem corporis Christi, quod est Ecclesia. Quo fit, vt si damnosus & destructor reperiatur, deponi & abiici queat, non enim id agit propter quod est institutus.

Et oportet nos (sicut Leo inquit) euangelici meminisse mandati, vt si nos oculus, aut pes, aut dextra scandalizauerit manus, à compage corporis auferatur, quoniam & alibi inquit Dominus: quia omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Et iterum dicitur nobis: Auferte malum de vobis ipsis. Iustum est enim, & valdè iustum, vt in epistola Clementis ad Iacobum fratrem Domini scribitur, separari eum, qui saluari vult, ab eo, qui non vult.

Sed vt clariùs apertiusq; rem aperiamus, referendum est, quod apud Ioannem Dominus dicit: ego sum vitis vera, & pater meus agricola est, & vos estis palmites: omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet. Verba sunt ad Apostolos dicta, inter quos etiam Petrus erat, quem etiam auferri vult, non afferentẽ fructum. Hieronymus quoq; super illis Matthæi verbis: Sal infatuatũ ad nihilum prodest, nisi vt proiiciatur forâs, & conculcetur à porcis: sic in persona Petri & Pauli inquit: non est facile stare in loco Petri & Pauli, & tenere cathedram cum Christo regnatum. Infatuatum sal id est, stultus prælatus, insipidus in prædicando, & fatuus in delinquendo, ad nihilum prodest, nisi vt proiiciatur forâs, hoc est, deponatur & conculcetur à porcis, id est, à dæmonibus qui dominantur malo prælato, tanquam pecori suo. En clarum est Hieronymi testimonium: proiiciatur forâs, id est, deponatur, exponit & loquitur de prælato, qui Petri locum tenet, & sic de Rom. pontifice, quem in

prædi-

prædicandô insipidum, & fatuum in delinquendo, ex gradu suæ dignitatis deponendum affirmat: nec (vt aliqui delirant) propter solam hæresim. Apud Isidorum autem Ispalen. in lib. conciliorum epistola quædam Clementis, successoris Petri, ad Iacobum fratrem Domini, reperitur inserta, vbi Clemens beati Petri ad se verba referens, sic ait: si enim mundialibus curis fueris occupatus, & te ipsum decipies, & eos qui te audient: non enim poteris, quæ ad salutem pertinent, pleniùs singulis quibusq; distinguere, & ex eo fiet, vt & tu, tanquam qui non docueris, quæ ad salutem hominũ pertinent, deponaris, & discipuli per ignorantiam pereant. Alibi tamen pro deponaris inuenitur puniaris, quæ duo verba, si benè intelligantur, non multùm inter se differunt: depositio namq; punitionis loco fit. Nec hîc obiiciat quisquam, hanc epistolam non esse putandam Clementis, cùm scripta dicatur ad Iacobũ, qui (sicut scholastica tradit historia) priùs obiit, quàm Petrus occideretur: potuit namq; Clemens viuum Iacobum existimare, cùm scripsit, qui magno terrarum & maris spacio inter se distabant. Nec facilè Christianorum nuncii Romam veniebant. Præterea huius epistolæ in pluribus decretorum locis, tanquam veræ fit mentio, ideoq; non erit ab re, ipsius etiã epistolæ alia verba referre, ait enim: Quia qui rebelliter viuit, & discedere atq; bona agere recusat, magis diaboli quàm Christi membrum esse ostenditur, & potiùs infidelis esse monstratur. Super quibus verbis glossa, quæ singularis per Panormitanum dicitur, & plurimùm approbatur, ait: quòd, si notorium sit quodcunq; Romani Pontificis crimen, ex quo scandalizatur Ecclesia, potest de illo Papa accusari, si sit incorrigibilis. Si accusari, ergò & puniri, ac exigente delicto deponi, aliàs enim frustra accusaretur.

Idem in epistola 15. Læteris an doleas, quòd mihi Dominus sobolem dederit, incertum te scribis, pater: at ego lætitiæ causam video, doloris non video. Quid enim dulcius in humanis est, quàm gignere sibi similem, tanquam extendere sanguinem, & habere, quem post te relinquas? Quid in terris beatius, quàm natos videre natorum? Mihi equidem ingens voluptas est, quòd semen meum fœtificauerit, quodq;, antequã moriar, aliquid de me supersit, gratiasq; Domino refero, qui partum fœminæ figurauit in marem, vt apud te patrem meamq; matrem aliquis ludat paruulus Æneas, & solatia præstat auis, quæ debebat pater impendere. Quòd si tibi, genitor, gaudio fuit meus ortus, cur filius meus mihi non sit lætitiæ?

An ne te quoq; lætificabit infantuli vultus, cùm meam videbis in illo effigiem. Nunquid tibi iocundum erit, cùm paruulus pendebit ex collo Æneas? puerilesq; blanditias agitabit? Sed ais forte dolere meum te crimen, quòd ex peccato genuerim filiũ. Nescio quã de me tibi finxeris opinionem. Certè nec lapideum nec ferreum genuisti filium, cùm esses tu carneus. Scis qualis tu gallus fueris: at nec ego castratus sum, neq; ex frigidorum numero. Nec sum hypocrita, vt videri bonus quã esse malim. Fateor ingenuè meũ erratũ, quia nec sanctior sum Dauid Rege, nec Salomone sapientior. Antiquum & vetus est hoc delictum, nec scio, quis eo careat. Latè patet hæc pestis (si pestis est naturalibus vti) quanquam non video, cur tantoperè damnari coitus debeat, cùm natura, quæ nihil perperam operatur, omnibus ingenuerit animantibus hunc appetitum, vt genus continuaretur humanũ. Sed dicis, vt arbitror, certos esse limites, intra quos hoc liceat: nec extra legitimas matrimonii faces progredi debet hic appetitus. Ita est sanè, sed sæpè inter ipsa nuptiarum claustra scelus admittitur. Et bibendi quoq;, comedendi, & loquendi sunt certi termini, sed quis seruat illos? Quis tam iustus, vt septies in die non cadat? Loquatur hypocrita, qui se nullius culpæ scium dicat, ego nullum meritum in me scio, solaq; mihi diuina pietas spem facit misericordię, quæ nos labiles scit, & ad lasciuiam procliues. Nec nobis qui patet omnibus, veniæ fontem claudet. Sed de hoc satis.

Nunc quia coniecturas petis, ne alienum pro meo nutrias, quomodo res se habuerit, paucis exponam. Nondum anni duo effluxerunt ex eo tempore, quo Argentinæ gerebam oratoris munus. Quinquagesima tunc currebat, quæ ante proximam præteritam fluxit. Ibi ociosus diebus cùm essem plurimis, mulier ex Britannia veniens, diuersorium meum petens, in vnis ædibus mecum fuit, non inuenusta, nec ætate confecta. Hæc quia sermonem Italicum egregiè nôrat, me verbis salutabat Hetruscis, quod illa in regione tantò magis placuit, quantò rarius erat. Oblectatus sum facetiis fœminæ, cuius in ore maximus lepor erat, moxq; in mentem venit Cleopatrę facundia, quæ non solùm Antonium, sed Iulium quoq; Cæsarem eloquentia inescauit. Mecumq;, quis reprehendet, inquam, si ego homuncio faciam, quod maximi viri non sunt aspernati. Interdum Moysen, interdum Aristotelem, nonnunquam Christianos in exemplum sumebam.

Quid plura? vicit cupido, incalui, mulierem arsi, multisq; blandimentis adorsus sum. Sed vt asperis cautibus vnda repellitur freti, sic verba mea hæc contemsit, triduoq; suspendit. Erat illi filiola annorum quinq;, quam Milinthus pater hospiti nostro commendauerat, verebaturq; mulier, ne quid hospes persentiret, filiamq; posthac, quasi moris materni, abdicaret. Instabat nox, sequentique die mulier recessura erat, timeo, ne abeat præda. Rogo in noctem, ne ostio cameræ pessulum obdat, dico, me intempesta nocte venturum: negat, nec spem vllam facit. Insto, semper idem responsum est. Itur dormitum. Mecum ego quid? sciam an illa, vt iussi, fecerit? Recordor, Zimæ Florentini illius amicam forsitan hæc imitabitur: temtandum est, inquam. Postquàm silentium vndiq; sentio, thalamum mulieris accedo. Clausum ostium est: sed non obfirmatum: aperio, ingredior, muliere potior, hinc natus est filius. Mulier Elisabeth vocatur. Ex idibus Februarii vsque ad alias idus Nouembris, menses currunt qui partui dantur.

Hæc mihi dixerat mulier, dum Basileæ postea erat. Ego, quamuis ipsam non pecunia vlla sed maximis emissem precibus (vt est ars fœminarum) credebam, hæc auri corrodendi causa dici, nec verbis præbui fidem. Nunc quia eam hec asserere constanter video, quando nihil speraret à me po-

potest, quando nomen conuenit tempusq;, puerum meum puto: teq; mi pater, rogo, vt nepotem suscipias, alasq;, donec grandiusculus factus ad me valeat proficisci, meisq; imbui disciplinis: nec puta, fœminam diuitem mentiri velle in filio. Hic Syluius fuit postea electus in Papam: meritò enim ex tali ligno fit Mercurius.

Idem in Epist. 334. Æneas Cardinalis Senensis Laurentio Rouarellæ salutem plurimam dicit. A latore præsentium recipies quatuor bullas Apostolicas, & vnum officium transfigurationis. Ex bullis vnam reddes Imperatori, simul cum officio & breui sibi directo. Alias bullas curabis mittere tribus Principibus Electoribus simul cum breuibus suis. Extant & aliæ tres bullæ Apostolicæ, simul cum duobus officiis, ac tribus breuibus. Officia dirigentur Regi Vngariæ, ac domino legato: Bullæ quoque eisdem: tertia verò Strigonensi. Sed hæc omnia mittimus per alium nuncium, qui post biduum recedet. Si te inueniat in curia Regis Vngariæ, assignabit tibi ea: sin autem, tradet per seipsum Regiæ Maiestati, quæ sibi diriguntur: alia verò curabit transmitti Archiepiscopo & legato. Nec alia circa hæc. De negociis Rheni multa referuntur non bona: propter quæ necessarium erit, vt quamprimùm cum consilio Imperatoris, & cum literis suis, ad partes illas te transferas, & labores iuxta commissionem tibi traditam expedias. Interea bonum est, vt procures, quòd Imperatoria maiestas scribat Archiepiscopo Magdeburgensi, simulque Rigensi, & inprimis Treuerensi & Saltzburgensi, vt, si quærantur ad aliquam conuentionem in factis Ecclesiæ, non consentiant, sed ad seipsam omnia referantur, quæ quæruntur. Ea suadeat, vt si qui sunt, qui nouitates quærant, illis non assentiant, quia periculum est in mora. Habebis mox alias literas domini nostri, qui pleniùs de hac materia ad te scribet, & intelliges rei grauitatem ac periculum. Bonum est etiam laborare apud Ducem Bauariæ Ludouicum, vt scribat Palatino Rheni consanguineo suo, ne se implicet conuentionibus eorum, qui contra sedem Apostolicam aliquo modo moliuntur: persuadendo sibi, quòd multò faciliùs FILII Principum promouebuntur per sedem Apostolicam, quàm per capitula, vel ordinarios. Et hoc benè cura auribus Principum inculcari: quia veritas est. Vale, & scribe sæpius, quomodo tibi succedat. Datum Romæ, 8. Calend. Decemb.

Idem. Dixerat fortè Argensis, Rom. Pont. ministrum Ecclesię fore: id ferre Panormitanus non poterat, tantumq; ea die seipsum & scientiam suam, quæ vtiq; maxima est, deseruit, vt Papam Ecclesiæ dominum asseuerare non vereretur. Cui Segouius: vide quid agas Panormitane, inquit, honoratior titulus R. P. ille est, quo seruum seruorum se Dei appellat. Id enim ex eo est sumtum, quod Christus discipulis suis ait, cùm quærerent, quis eorum maior esset futurus. Scis enim, respondisse illum, quia principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic, & reliqua: vbi dominatum omninò prohibuit: & Petrus, qui & ipse vicarius Christi primus fuit, pascite, inquit, qui in vobis est gregem Dei prouidentes, non coactè, sed spontaneè: & paulò pòst, neq; vt dominantes in clero. Si filius Dei Christus non ministrari, sed ministrare venit, quo pacto eius vicarius dominabitur, aut dici dominus (sicut vis Panormitane) poterit? cùm non sit discipulus supra magistrum, neq; seruus supra dominum suum: neq; vocemini magistri, (inquit Dominus) quia magister vester vnus est, Christus: & qui maior est vestrûm, erit minister vester. Hac responsione quietato paululum Panormitano, recessum est.

Idem in lib. de moribus Germaniæ. Nullum animal homine versutius est, nullum fallacius, nullum insidiosius. Mille sunt in homine latebræ, mille fallendi artes, mille nocendi modi. Aliud in corde, aliud in ore gerit. Sæpe contemnere visus est aurū, qui sitientissimus eius fuit. Religiosos nonnunquam vidimus, quos mendicantes appellant, & auri contemtores videri volunt, dum viuendi finem fecissent, magnum peculium reliquisse. E quibus vnum nouimus, qui auri nummûm septem & decem millia veteri muro incluserat, quę paulatim mendicando plorandoq; inter vetulas ingenio subtili corraserat. Pauci sancti, & digni, quos optimus amet Deus, quos auaritiæ non agunt stimuli, sed maxima pars hominum ficta fucataque est, plures videri boni, quàm esse volunt. Sub ouina pelle sæpe lupinum offendes animum.

Idem. Infestabat ea tempestate Romanam Ecclesiam Ladislaus Rex Neapolitanus, aduersus quem Ioannes Papa 23. bellum decernens, plenariam peccatorum remissionem indulsit his, qui ad Ecclesiam tuendam arma induerent. Recitabatur in Ecclesia Pragensi decretum Pontificis. Quod cùm quidam sordidæ artis audissent, Ioannem Papam Antichristum esse, magna voce clamauerunt, qui crucem contra Christianos decerneret. Eos è vestigio senatus in carcerem rapi iussit, populus verò susceptis armis, dimitti omnes, petiit. Sed placatus oratione Senatus, tanquam vita captiuorum in tuto esset, suam quisq; domum rediêre: de illis clàm supplicium sumtum. At cùm sanguis extra prætorii portam defluens indicium necis fecisset, iterum accurrens populus, interemtorum corpora rapuit, & aureo circumuoluta panno per omnes vrbis Ecclesias detulit, clamantibus eiusdem sectæ sacerdotibus, Isti sunt sancti, qui pro testamento Dei corpora sua tradiderunt. Exin cadauera in sacrario in Bethlehem reposita, quasi martyrum reliquiæ aromatibus condita.

Idem lib. 3. Comm. de Alfonso. Friderico 3. Imp. Amadæus dux Sabaudiæ, quem Basiliense concilium Eugenio 4. à summo pontificatu deposito suffecerat, & Fœlicem V. vocauerat, filiam, quam domi habebat, viduam, iuuenem, & formâ præstantem, in matrimonium obtulit: simulque dotis nomine auri nummûm ducenta millia, si Eugenio relicto, se Petri successorem appellaret: tunc Cæsar ad suos conuersus, vendere alii pontificalia, inquit, solent: hic libenter emat, si reperiat venditorem.

Idem. Finitis sermonibus istis, assurrexit vnus de primoribus Taboritarum, & animo satis inflato, quid tu nobis, inquit, Apostolicam sedem tot verbis amplificas? Nos Papam & Cardinales auaritiæ seruos nouimus, impatientes, inflatos, tumidos, ventri ac libidini deditos, ministros scelerum, diaboli sacerdotes, & Antichristi præcursores, quorum Deus venter est, & pecunia cœlum.

Cùm Æneam Syluium, qui nuper ad papatum conscenderat, minimè lateret, quantâ in rerum affluentiâ Germanici Archiepiscopi sederet: vt & ipse partem sibi raperet, Dietherum Isenbergium, Archiepiscopum Moguntiacum & Electorem loco mouit, Adolphumq; Nassouium instituit. Cuius deiectionis hæ caussæ recensentur:

1. Quia eam pecuniæ vim, quam Papa pro pallio & confirmatione postulabat, noluit annumerare.
2. Quia exactionem decimæ, vigesimæ, & trigesimæ rerum omnium noluit approbare.
3. Quia huic petitioni Papæ noluit annuere, vt nempè ipse Electores, se inconsulto, conuocaret.
4. Quia Pontificium legatum non satis honorificè habuit, nec ad eius placitum sacerdotes congregauit. Hedio.

Idem cap. 33. Historiæ Bohemiæ. Illud quoque nomini Caroli 4. non paruam inussit maculam, quòd VVenceslaum ex filiis suis natu maiorem, in Imperio sibi successorem adhuc viuens ordinare conatus est, idque pecuniâ. Nam cùm Principes Electores haud facilè ad eam rem trahi possent, quod virtute obtinere non potuit, precio comparauit, promissis cuique Electori centum millibus aureis. Quos cùm præsentare non posset, publica illis Rom. reipub. vectigalia obligauit, perpetuum Imperii malum. Hinc Romana potestas ad nihilum redacta, nec posthac extollere caput imperium potuit, cùm Principes Electores omnia sibi retinerent: Imperatoremque iureiurando adegerunt, ne pignora reuocaret.

Idem in Historia Austriæ. Non fit vllum insigniter grande malum in Ecclesia vniuersali, quod non exeat atque initium sumat à presbyteris.

Idem. Alphonsus Arragonum & Siciliæ Rex, Neapolim obsidebat. Accessit ad eum vir quidam venerando vultu, &, circa Calend. Iunias eum vrbe potiturum, prædixit: sed non multò pòst anceps futurum esse prælium, in quo dux caperetur, suadens, ne tanto periculo se committeret. Prior vaticinii pars vera fuit. Nam 4. Non. Iun. vrbem in potestatem redegit. Paulò pòst contra Antonium Caudolam in agro Campano acie dimicaturus, amicis dehortantibus, & vaticinium ei obiicientibus, respondit, virum fortem ne mors quidem terrebit, nedum ambigua oracula. Prælio facto, Caudola victus est & captus.

Idem meminit Epistolæ D. Vlrici Augustani, his verbis: Transiuimus per Kemptam, Memmingam, & Augustam, vbi S. Vlricus, qui Papam propter concubinas sacerdotum reprehenderat, residebat: qui vixerat circa annum D. 900.

Idem. Caussæ tres sunt inopiæ Episcopatuum Germaniæ, 1. Bella. 2. Ecclesiis sua surripiuntur, & in amicos conferuntur. 3. Principum more, equi, canes, & stulti, parasitique aluntur, nec aliter quàm apud principes seculares conuiuia apparantur.

Idem rectè VValdenses docuisse, testatur c. 35. de origine Boëmorum: vt & Balæus Cent. 3. capite 17. in Appendice, Mendicantium religionem malorum dæmonum esse inuentionem.

Idem scripsit Papa ad Morbisæum Turcorum Imp. inter alia & hæc verba: Et sicut nostri antecessores aduersus Longobardorum reges, Pipinum & Carolum magnum accersiuerunt, & Imperium à Græcis ad ipsos liberatores transtulerunt: ita & nos tibi faceremus, & vicem redderemus accepti beneficii.

Facta sunt hæc ipso tempore captæ Constantinopolis à Turca: & multis videntur proditionem sapere.

Idem scripsit in quadam Epistola ad Canonicos Moguntinos, contra Dieterum eorum Episcopum, sibi iuramento ita obstrictos esse Episcopos, vt etiam, si vera contra Papam dicant, tamen contra suum iuramentum faciant.

Eodem etiam modo in Comitiis Noribergensib. cùm omnes Imperii status vnanimiter conclusissent, & legato Papæ indicassent, celebrandum esse in Germania liberum Christianumq; concilium: & episcopis iuramenta relaxanda, quò liberè sententiam suam de omnibus rebus dicere possint, si præsentes religionis dissensiones rectè iudicari deberent: respondit indignabundè legatus: id verò nihil aliud esse, quàm Papæ manus ligare. Vnde facilè diuinare potes, quid Papæ eiusque adulatoribus sit liberum concilium: nempe vbi nemini ne verum quidem contra eum dicere liceat, ipse verò ita solutas habeat manus, vt possit in omnes, quicquid illi modò collibeat.

Idem in epistola ad Turcorum Imp. de qua suprà. Socrates, Plato, & Aristoteles, Philosophorum principes, de mundi regimine, de immortalitate animarum, & Deo, eadem crediderunt, quæ Christiani. Ex his colligitur, huic Papæ Ethnicismum, & Paparum fidem vnum & idem fuisse: eodem loco de Filio Dei, & verbo, idem affirmat.

In

In Pium II. Pontificem Maximum
Epigramma.

Frigida membra Pij retinet lapis iste loquacis,
Qui pacem moriens attulit Italiæ.
Summe Deus, quantum mortalibus alme dedisti?
Fulmine cùm tetigit hoc caput æqua manus.
Vendiderat precio gentes, & crimina multa,
Virtutis specie gesserat iste Pius.
Impius hic fuerat, quamuis sub nomine pulchro
Crediderit falsis posse iuuare fidem.
Nunc fidi comites, sceleratáq; turba clientum
Ingemuêre Pium: nam scelus orbis erat.

CONCLVSIO.

IMPius hic situs est, crudelis, raptor, iniquus
Æneas, fatuæ quem genuêre Senæ.

Martinus Meyr Cancellarius Moguntini Præsulis, domino 1457.
Æneæ Cardinali Senensi, patri optimo, S. P. D.

COgnoui ex literis amicorum, te Cardinalem esse creatum. Congratulor & tibi, qui pro tuâ virtute, digna consecutus es præmia: & mihi, cuius amicus in eâ dignitate constitutus est, in quâ me meosq́ue necessarios aliquando iuuare poterit. Illud mihi molestum, quòd in ea tempora incidisti, quæ sedem Apostolicam afflictura videntur.

Nam domino meo Archiepiscopo frequentes afferuntur de Romano Pontifice querelæ, qui neque Constantiensis, neque Basiliensis Concilij decreta custodit, neque se pactionibus antecessoris sui teneri arbitratur, nationemq́ue nostram contemnere, & prorsus exhaurire videtur.

Constat enim, electiones Prælatorum passim reijci: beneficia dignitatesq́ue cuiusuis qualitatis & cardinalibus & protonotarijs reseruari. Et tu quidem ad tres prouincias Teutonici nominis sub eâ formulâ reseruationem impetrasti, quæ hactenus insolita est & inaudita.

Expectatiuæ enim gratiæ sine numero conceduntur. Annatæ siue medij fructus absque vllâ dilatione temporis exiguntur, & plus etiam, quàm debeatur, extorqueri palàm est. Ecclesiarum regimina non magis merenti, sed plus offerenti committuntur: ad corradendas pecunias nouæ indulgentiæ indies conceduntur. Decimarum exactiones, inconsultis Prælatis nostris, Turcorum causa fieri iubentur. Causæ, quæ tractandæ terminandæque in partibus fuerant, ad Apostolicum tribunal indistinctè trahuntur: excogitantur mille modi, quibus Romana sedes aurum ex nobis (tanquam ex Barbaris) subtili extrahat ingenio: ob quas res natio nostra quondam inclyta, quæ suâ virtute suoque sanguine Romanum Imperium coëmit, fuitque mundi domina ac regina, ad inopiam nunc redacta, ancilla, & tributaria facta est: & in squalore iacens, suam fortunam, suam pauperiem multos iam annos mœret.

Nunc verò quasi ex somno excitati Optimates nostri, quibus remedijs huic calamitati obuiam pergant, cogitare cœperunt, iugumque prorsus excutere, & se in pristinam vendicare libertatem decreuerunt. Erit hæc non parua iactura Romanæ curiæ, si quod cogitant, Romani principes effecerint.

Quantum itaque de tuâ nouâ dignitate lætor, tantum commoueor & angor, tuo tempore hoc parari. Sed Dei fortassis alia est cogitatio, & illius profectò sententia obtinebit. Tu interim bonum habeto animum: & quibus repagulis fluminis impetus coërceri possit, pro tuâ sapientiâ cogitato: & vale optimè. Ex Hasthaffenburgâ pridie Calend. Septemb. M. CCCC. LVII. Imp. Frider. 3. Papa Calixto 3.

Idem scribit in alia quadam epistola, Germanos queri de Papa, non confirmari ab eo electos ad Episcopatus, quantumuis sint idonei. Item, exigi ab illis nimis magnam pecuniam. Item aloqui multipliciter per decimas, annatas, aliasq́ue expilationes spoliari Germaniam, contra decreta Constantiensis & Basiliensis concilij. Nec obscurè indicat, id se quoque vnà cum alijs queri. Item, vt ex alia ad eum Syluij epistola apparet, & ipse hic, & alij multi in Germania tunc primatum Papæ damnârunt: quare Syluius eum illi persuadere politicis quibusdam magis quàm theologicis rationibus conatur.

Fuit autem sanè circa Rhenum satis crebra, non tantùm querela de oneribus Antichristi, sed & deliberatio de excutiendis illis importabilibus grauaminibus. Nam & tempore Basiliensis concilij, habuit Moguntiæ Cæsar Fridericus, anno 1441. deliberationem cum Imperij proceribus, de excutienda illa tyrannica expilatione: petijtq; à Rege Galliæ, vt suos quoq; legatos eò mitteret, ad com-

munem deliberationem: sed contrà Eugenius 4. Papa petijt, ne mitteret. Vtriusque postulatio cum Clemange impressa est.

Extant etiam articuli in eo conuentu agitati, secundum quos Papæ rapacitatem conabantur reprimere: ac est aliquid, quanquam non totum, Nicolao quinto extortum. Postea sunt tentatæ nouæ consultationes de libertate Ecclesiarum, circa annum 1450. & aliquanto pòst: quas, vt legatus ad id missus summa diligentia impediret, aliquot epistolis eum Æneas Syluius hortatur. Postremò ob eam causam Syluius Papa Impius secundus, cum Diethero Episcopo Moguntino, atrocissimum & furiosissimum bellum gessit. Illyr.

1457. ## *Iacobus de Paradiso, de septem statibus Ecclesiæ & eius Reformatione.*

IN apertione quarti sigilli, visus est equus pallidus: id est, in quarto gradu viguerunt hypocritæ, falsâ religione palliati. Et qui sedebat super illum, nomen illi mors: id est, æterna damnatio illis debetur: vnde & infernus sequebatur eum, vt dicit litera. Et data est sessori illius equi potestas super quatuor partes terræ: id est, à Deo permissa, interficere gladio iniquitatis, & dolositatis: fame, id est, carentiâ verbi Dei: morte, id est, doctrinâ mortiferâ (coaceruabunt enim sibi homines illius temporis magistros prurientes auribus) & bestijs terræ: id est, vnient se principibus, ad se fortificandos in vijs suis, & hoc super quatuor partes terræ: id est, in omnibus mundi finibus abundabit scelus hypocritarum: in quo statu, vt arbitrari possum, hodie laboramus.

In omni enim genere hominum, fictæ sanctitatis viros & fœminas videmus, quorum aut Deus venter est, aut famam aucupantur laudis humanæ, & præ alijs honorari & venerari volunt, præcellere cæteros in mundi sapientiâ, in doctrinæ præstantiâ, in operum externorum excellentiâ: cùm tamen plures vacui cernantur in veræ virtutis, scilicet humilitatis, refulgentiâ: quod, quàm verum sit, à consideranti studia hominum, ad quos fines tendant, palpari potest: sub colore enim honestatis, militat omnis penè actio humanæ conuersationis, etiam in his, qui animabus lucrandis deseruiunt. Ideò enim pallidi coloris equus describitur, quasi speciem præferens mortificatæ carnis, ad ostendendum hominis exterioris sanctitatem: nec tamen planè spem habens albedinis, aut puritatis.

In apertione quinti sigilli, vidit Ioannes sub altari Dei animas occisorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, vindictam petentes de ijs, qui habitant in terrâ. Et dictum est illis, vt quiescerent adhuc modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.

Hic status quintus credendus est partim competere animabus sanctis, iam exutis corporibus: partim etiam sanctis adhuc in hac vitâ degentibus, etiam tempore pacis Ecclesiæ: qui licet materiali gladio non trucidantur, tamen seipsos mortificatione desideriorum carnalium quotidie mactant, quasi videntes, se vbique hypocritis & fictis hominibus siue religiosis siue secularibus circumseptos: & tædio affecti longitudine temporum, & acerbitate hypocritarum vbique præualentium, orant dissolui, & esse cum Christo. Sed tamen, licet molestiorem statum, quoad quotidianam internam & externam pugnam tam diuturnam, in hoc tempore pacis intelligere & sentire coguntur: patienter se in innocentiâ vitæ conseruare volunt, quà priores illi sancti: qui licet acerbiori, quoad pœnarum genus, celeriori tamen, quantum ad tempus, suam vitam finierunt.

Isti igitur duo status immediatè præcedentes, videntur concurrere in vnum tempus, scilicet modernum: licet non in vnum, quoad actiones in tempore vno agendas.

Non latuit hoc genus hypocritarum sanctum Paulum, 2. Timoth. 3. inter cæteras pestes nouissimorum temporum, vbi ait: Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & alijs etiam locis similibus.

In apertione sexti sigilli, quod nihil aliud est, quàm manifestatio sexti status in Ecclesiâ, vidit beatus Ioannes, magnum terræmotum fieri, & Solem denigrari sicut cilicinum saccum, & Lunam sanguineam, & stellas cadere super terram, & cœlum recedere sicut librum inuolutum, & c. vide Apocal. 6. circa finem.

In hoc designatur tempus Antichristi, qui impugnaturus est Ecclesiam. In quo tempore fiet magna commotio secularium contra Ecclesiam.

Et Sol, id est, Christus alios illuminans, vilissimus reputabitur à reprobis, sicut saccus cilicinus vilescit, & opinio Christi pro nihilo reputabitur, dominantibus reprobis, & deficientibus electis: quia nullum signum Deitatis ostendet, adiuuando suos. Imò Christus dicetur peccator, & seductor, & dignus pœnitentiâ: quia saccus cilicinus est habitus pœnitentium.

Et tunc Luna, id est, congregatio fidelium, fiet sicut sanguis; quia sanguis multorum effundetur, aut vilis reputabitur, & contemnetur, sicut sanguis conculcabitur.

Et stellæ cadent in terram: id est, multi prælati, & doctores adhærebunt Antichristo, & suis terrenis promissionibus, ad instar ficorum, qui non firmiter adhærent ramis arborum.

Et cœlum (secundum literam) recedet sicut liber inuolutus: id est, sancti, qui pluuiam verbi Dei spargere consueuerant, & iustitiam Dei annunciare alijs debebant, occultabunt doctrinam præ nimietate persecutionum Antichristi: sicut liber inuolutus, continens in se

& con-

&c contegens veritatis scripta à notitiâ hominum: quia celabunt sapientiam suam, annunciare non audentes, & fugient à conspectu hominum. 1455

Et montes, id est, alti in virtutibus: & insulæ, id est, sancti, tribulationum fluctibus turbati, de locis suis mouebuntur: id est, separabuntur à cæteris peruersis.

Et Reges, principes, tribuni, fortes, & diuites, seruus & liber, abscondent se in speluncis & petris montium: & dicent montibus & petris, Cadite super nos, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab irâ agni: id est, maiores de Ecclesiâ, seculares & spirituales, petent suffragia Angelorum, & aliorum sanctorum, vt protegantur eorum orationibus, ne & ipsi deficiant in illis persecutionibus Antichristi, sicut & reprobi, & ne similes alijs efficiantur, negantes Christum, vt euadant iram agni, id est, damnationem æternam: ne & ipsi acerbitate pœnarum vincantur, sicut cæteri.

Et quis poterit stare, scilicet in tantis tormentis, seu etiam voluptatibus non vinci: quasi diceret, nisi adiutus precibus sanctorum, nemo potest firmiter stare in confessione veritatis. Imp. Friderico 3. Papa Calixto 3. vt sup.

Idem. Vt verum fatear, non habeo aliquas apparentias in sacris literis in infallibilib. rationib. quòd status nostri temporis generaliter reformari debeat aut possit, dietim impœnitétijs hominum crescentib. sicut & in processu rerum naturalium & elementa & elementata virib. suis decrescunt.

Imò verisimiliter opinabile mihi est, statum præsentem continuandum, imò peiorandum, vsq; ad sextum statum, scilicet Antichristi: cùm experientia docente agnoscamus, hos magis contraniti reformationi generali Ecclesiæ, quos magis deceret conatu toto ad reformationem tendere, cupiditate & primatu honorum eos ad hoc impellente.

Etsi quandoque conatus Deum timentium, ad reformandum operam dare intendat, tamen in hoc mundo celebriores & potentes viros, & plùs quidem Ecclesiasticos, quàm seculares, videmus se fortiter opponere, adhæsionem sibi attrahentes principum & potentum secularium, quorum multitudo aut potentia scintillam inchoatam extinguit.

Vnde & Deus iusto suo iudicio vilescere facit statum religiosorum & Ecclesiasticarũ personarũ. Inde & bella ac lites in pluribus mundi partib. inualescunt, impugnanturq; viri spirituales tam à secularib. quàm à spiritualibus: quod & Ioanni in Apocalypsi reuelatum est, ca. 13. in qua de impugnatione Ecclesiæ, sub figura duarum bestiarum, duplex genus persecutorum Ecclesiæ depingitur. Vna ascendit de mari, id est, de tempestuosa huius seculi procella: scil. principes seculares, atq; laici, Ecclesiam bonorũ impugnantes. Alia ascendit de terra, id est, quæ deberet stabilis & immobilis persistere: per quam (secundum glossam) intelligitur malicia clericorum, & cupiditas prælatorum Ecclesiam impugnantium: quod quàm latè & clarè pateat, nemo, qui sensum habet, ignorat.

Et paulò pòst: Arbitror homines in statu Ecclesiæ præsentis tandem ante aduentum Antichristi, ad infimum gradum virtutum, imò ad profundum vitiorum peruenturos: vt & meritis eorum exigentibus digni erunt, filium perditionis, ductorem iniquitatis ipsorum suscipere, vt sicut in Apocal. dicitur, Qui in sordibus sunt, sordescant adhuc: & vt dicit Christus Matth. 24. de temporib. nouissimis: Quoniã abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorũ: vt sic Deus in pœnã ponat eis offendiculum, & tradat illos in desideria cordis eorũ, ad Ro. 1. Vt procedant de vitio in vitiũ, ducente eos filio iniquitatis. Continuabitur enim iniquitas hominũ vitiosorum, cum autore omniũ malorũ.

Non tamen inficior, quin semper iusti perseueraturi sint, nec defecturi filij salutis, vsq; ad consummationem mundi: secundum Christi promissum, Matth. vltimo, Ecce ego sum vobiscum, &c.

Æstimo enim, ante aduentum filij perditionis, in prælatis Ecclesiarũ oppositum reperiri prælatis primitiuæ Ecclesiæ, scil. Apostolorum: vt sit in illis cupiditas, ambitio, superfluitas, voluptas, negligentia, proprius amor, & alienatio timoris Domini: quorũ opposita clarissimè patuerunt in patrib. primitiuæ Ecclesiæ. In clericis verò & Deo sacratis populis, immunditia, amor lucri temporalis, defectus prædicationis, corporis cura, vestium mollicies, dissolutio morum, & conformitas vitæ secularis: vt tunc fiat sacerdos sicut populus, secundum vocem Prophetæ.

In religiosis verò tunc erit inobedientia, superiorum proprietatum vsurpatio, vitæ dissolutio, transgresio statutorum à patrib. sanctis editorum, & votorum ipsorum transgresio: solus habitus, & tonsuræ ostensio, & nihil aliud nisi imago quædam depictę religionis: quod etiã hodie clarè à speculantib. in multis locis religionum reperitur, obstinato animo publicè defendentium suas iniquitates: scil. simplicitas, puritas, & paupertas voluntaria exulabunt tunc à religiosis: quorum etiam hodie multi reperiuntur præcursores. Erit tunc status secularium, tam principum quàm subditorũ, penè in omnib. confusus, studentes iniusticiæ, rapaces, violenti, incompasiui, quæ sua sunt quærentes, innocentibus non parcentes, dolosi, fraudulenti, honorum secularium cupidi, auari, omni timore Dei destituti, &c. Hæc & alia multa etiam innumerabilia tunc reperientur, tam in præambulatoribus Antichristi, quàm in ipso quoq; Antichristo: vt conformia fiant præcedentia sequentibus.

Reformationem autem generalem extremè necessariam fore nostris temporibus, mores corrupti totius orbis prænunciant: cùm reuera penè omnis caro corrupit viam suam. Sed quomodo eam fore possibilem in effectu fieri, nondum est positum ad praxim, licet aliquoties per concilia generalia sit adtentatum.

Et licet quædam decreta in hunc finem prodierunt ab ijsdem concilijs, tamen tanta resistentia altæ dignitatis personarum, tam spiritualium quàm secularium, facta est, vt vidimus, quòd totum negotium lugemus infectum: & cùm tempus pariendi aduenisset, vires non habuit parturiens,

Tanta deniq; crudelitate debacchati sunt, vt non tantùm prolem sanctam, scilicet reformationem necare contendant: sed & matrem, scilicet autoritatem conciliorum, & eorum conuocationé occidant, prout res in prospectu declarat. Per quorum tamen conciliorum autoritatem maior esset spes ad viam reformationis obtinendam.

Et paulò pòst: Ecclesia non est reformanda, vt puto, per solum summum Pontificem: nam de facto tot sunt editi canones decretales & constitutiones per eosdem, & tamen incassum membranas occupant, nulla sequente reformatione.

Item, quia palpabiliter cernitur, ipsam eius curiam maxima indigere reformatione, sicut omnia clamauerunt vltimò celebrata generalia Concilia: quam suam curiam si non potest aut non velit reformare, quam sub alis suis contegit: quomodo credendum est, quòd tam late diffusam reformare posit Ecclesiam?

Item quia diceretur eidem: Priùs medicinam vulneribus tuis dispone, tanquam capiti: quo sanato, & membris faciliùs edes medicinam: quare medice cura teipsum. Quin priùs eijcies trabem de oculo tuo, deinde festucam de oculo fratris tui: aliâs in præpostero ordine nihil proficies. Sale enim infatuato nihil conditur. Ideò iusto Dei iudicio minùs sunt acceptabilia sua decreta, nisi seipsum & suos reformauerit.

Et hanc profectò potissimam reor causam deformationis Ecclesiæ: quia cernitur in capite vulnus, quod necesse habet antè curari. Nam dicit vnus de eis: Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. Et Paulus dicit: In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum: & talia innumerabilia in libro de curâ pastorali beati Gregorij continentur.

Vnde mihi vix credibile videtur, posse Ecclesiam generalem reformari, nisi curia Romana fuerit antè reformata. Quod tamen quàm difficile sit, cursus temporum præsentium manifestat: cùm nulla gens aut natio fidelium tantam resistentiam faciat reformationi vllius Ecclesiæ, sicut natio Italica, & alij applaudentes ei, spe promotionis, aut lucri, aut temporalis commodi, aut timore amissionis dignitatum ligati.

Contremiscunt enim solo auditu congregationis generalis concilij, cùm sciant per experientiam, quòd concilia generalia palpare nesciunt, sed corrigere & emendare, sine personarum acceptione: cùm ibi congregentur de omnibus mundi partibus, qui vitijs non parcunt, nec amore nec timore seducti.

Idem. Ponere se supra totam Ecclesiam, aut supra generalia concilia legitimè congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentantia, non est aliud, quàm totam spem reformationis Ecclesiæ auferre, & vni homini peccabili se committere, qui & se & Ecclesiam per deuia erroris ducere potest. Inde infertur hoc inconueniens, quòd Christus Ecclesiæ suæ, post suam ascensionem, insufficienter prouiderit, committens eam vni, qui eam in damnationem inducere potest: pro quâ eius salute ipse de cœlo descendens, proprium sanguinem fudit, & animam suam ponere dignatus est in mortem.

Et quis Regum temporalium peregrè proficiscens, in omnem euentum absolutè & sine correctione committet populum suum vni ad gubernandum, sine omni conditione, & sine omni contradictione singulorum, ne aliter facere auderet, quàm ille præcepturus esset, siue benè siue malè? & non potiùs populus in vnum congregatus, incarceraret aut deponeret illum peruersè regnum gubernantem? Sic de sponsâ commissâ per sponsum peregrinantem vni militi, qui eam stuprare vellet, deberétne ei ex commissione generali sponsi obedire? Quis hoc nisi insanus diceret? Sic simili modo in Papâ & Ecclesiâ.

Idem. Si exit Papa has regulas Christi, iam induit personam hominis, aut bestiæ. Inde est, quòd si contraria Christo iubet (in peccatis dico mortalibus) hic non agit vt Papa, sed vt bestia, ratione non participans. Igitur non est inobediens censendus, qui ei in talibus non obtemperat: saltem dico directè contrarijs Christo.

Idem. Nam saluberrimam misericordiam, & medicinam eiusdem proscindunt, scilicet fraternam correctionem: & capiti Ecclesiæ morbido non patiuntur adhibere medelam: quod quantæ sit crudelitatis, nemo sanus ignorat: vt Augustinus testatur in regula sua. Si enim singulis membris medicina est parata, cur capiti denegatur? cùm hoc magis indigeat sanatione, quàm alia: quia eo ægrotante, omnia membra ægrotare videntur. Nisi fortè quis insaniens ad hunc errorem prorumperet, quòd diceret: Papam inpeccabilem, & indeviabilem, quasi iam extra terminum viatorum volentes eum collocare.

Non recensent, Petrum primum Papam fuisse reprehensum à Paulo, vno, singulari, & sibi inferiore: ad Galatas 2. Et Ecclesiastica historia, & Speculum historiale, & certa ac indubitata experientia manifestat, eum & in fide & moribus similem esse posse cæteris peccatorem, ex vertibilitate liberi arbitrij nondum confirmati.

Auferre igitur à Papâ correctionem, imò potestatem deponendi, est maximæ impietatis, & ipsum statuere in plena audacia peccandi, & per consequens, furioso dare gladium, vt seipsum sine resistentia interimat. Mittunt igitur Papam in foueam damnationis, & cum eo damnantur, qui, eum subesse Ecclesiæ vniuersalis correctioni, contradicunt.

Quo igitur pacto talis vniuersalem Ecclesiam reformare valeat, qui & ipse infirmitati subiectus est, indigens per se reformari? Vt pono, quòd sit aliquis talis. Et quomodo filius Ecclesiæ censeri potest ille, qui fideli matri suæ obedire contemnit, & quem Ecclesia corrigere pro suis excessibus non potest vel audet? Et si non est filius Ecclesiæ, quomodo erit hæres promis-

promißionum Ecclesiæ per Christum factæ? prorsus enim se ab hæreditate paterna alienum pronunciat, qui se filium Ecclesiæ negat.

Idem. Inspiciamus primùm Papam, qui cùm in veræ fidei confeßione Christum Dei filium pronunciasset, dictum est ei à Christo, Beatus es Simon bar Iona: cùm verò à verâ Dei regulâ, quoad Christi paßionem impediendam (quanquam piè illud visus fuisset sensisse) ei dixisset: Absit à te Domine, non erit tibi hoc: Respondit Iesus Petro: Vade post me Satana, scandalum mihi es: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum, Matth. 16. Ecce qualis mutatio facta est in eodem homine, non personâ mutatâ, sed habitu mutato, de Beatitudine in Satanam? Et si simile contingeret in persona Papæ, cur non simile sibi attribueretur in appellatione, cùm ipse successor sit Petri? Non inde potestas culpatur, sed vitium personæ in reprobum sensum mutatæ.

Cur ergò quis audeat dicere, Papam non posse corrigi aut deponi per Ecclesiam conciliariter congregatam? cùm tunc non censeatur agere vt Papa, sed vt degenerans de dignitate Papali, incorrigibilis existit, & scandalisat ecclesiam, sicut Petro dictum est: scandalum es mihi, &c.

Idem. Quis omnia enarrare ac enumerare sufficiat, quibus Ecclesia modernis temporibus cernitur deformata? Putamúsne, hæc omnia aliquando posse reformari?

Persuaderi mihi videor, quòd nec ætas nostra, nec futura hæc patietur: cùm non habeam rationes probantes, quomodo illud fieri poßit, primò, propter inueteratam & inolitam consuetudinem, quæ difficilè curatur: secundò, propter potentium, tam in scripturis, quàm in altis dignitatibus, resistentiam: tertiò, propter auaritiæ morbum, qui vbique inualuit, maximeque in altis sedibus, qui nullo modo patientur sibi auferri honoris, fastus, diuitiarum, & voluptatis amplitudinem.

Et qui ampliùs insistere deberent reformationibus, pompis ampliùs delectantur, fingentes ipsis colores sub specie defensionis Ecclesiasticæ. Et ideò eos oporteret abundare, ne status eorum vilescat: & vt habeant armatam militiam, qua compescere valeant violantes bonorum ecclesiasticorum detentores. Et ideò oportebat, vt dicunt, eos fulcitos esse pluralitatibus beneficiorum, atque dignitatum: sed timendum est, ne lateat anguis in herba: fingentes excusationes in peccatis, vt magis quæ sua sunt quærant, quàm Dei.

Idem in tractatu de animabus exutis à corporibus inter alia quoque scribit: O quantus terror multorum inexcusabilium peccatorum, quibus vtilius fuisset non natos, aut serpentes vel ranas fuisse? Vtinam hic terror semper inesset mortalium animis, non sic currerent ad prælaturas, ad dignitates, voluptates, quorum strictißima ratio reddenda est iudici. Vellent tunc multi Pontifices, quòd fuissent pastores ouium, bubulci, & omnium vilißimi.

Quot iniquißimæ sanguinis effusiones fiunt pro solis temporalibus, pro fide catholica nullæ? Quæ omnia proueniunt ex superbia & auaritia, in tantum, vt columba de arca Noë missa, hoc est, Spiritus sanctus quærens in terra locum, vbi pedem infigat, inuenire non poßit, præ abysso luti & limi terrenarum paßionum.

Mons Vesuuius. 1457.

HOc tempore cùm mons Vesuuius, ruptis fornicibus & cauernis, expiraret ingentes hinc inde flammarum, turbine fumantes piceo & candente fauilla, moles: magnumque vicinæ terræ, agris, atque vrbibus damnum dedisset, audax quidam, nimiumque confidens sacerdos Neapolitanus, sanctitatis suæ vim & specimen editurus, causamque tantorum malorum sciscitaturus, lecta priùs Missa, conscendit montem: sed arreptum è vestigio absorbuit stygia flammarum vorago, vt nemini pòst ampliùs conspectus fuerit, aut, vti se res haberet ibi, significare potuerit. Antoninus part. 2. tit. 10. cap. 8.

Antoninus Episcopus Florentinus, Tit. 15. 1457.

part. 2. cap. 23. §. 1.

SEd omnes religiones suprà dictæ ita hodie relaxatæ sunt & tepefactæ, vt aptè illud dici poßit Hieronymi: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Et quod ait Bernardus contra Cluniacenses monachos:

Tanta intemperantia in cibis, in potationibus, in vestimentis, in lectisternijs, in equitaturis, & construendis ædificijs, inter monachos inolescere potuit? quatenus vbi hæc studiosiùs, voluptuosiùs, atque effusiùs fuerint, ibi ordo meliùs teneri dicatur, ibique maior putetur religio.

Ecce enim parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur: contrà remißio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentorum & equorum fastus honestas, lectorum superfluus cultus munditia, cumque hæc alterutrùm impendimus, charitas appellatur.

Ista certè charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit, talis misericordia crudelitate plena est, quâ videlicet ita corpori seruitur, vt anima iuguletur.

Sub hac tamen confusione & abusione iam ferè vbique pro ordine ista tenentur: ferè iam ab omnibus sine querelâ & irreprehensibiliter obseruantur, quamquam dissimiliter. Nonnulli quippe his omnibus vtuntur, tamquam non vtantur, & imò cum nullâ offensione aut minimâ. Aliquanti quidem hæc agunt ex simplicitate, aliquanti ex charitate, aliquanti ex necessitate. Quidam namq; simpliciter ita tenent, vt eis præcipitur: parati aliter agere, si aliter præciperetur: quidam autem, ne discorditer ab eis viuant, cum quibus habitant, sectantur in his non suam libidinem, sed aliorum pacem. Alij verò, qui resistere non valent multitudini contradicentium, hæc vtique tanquam pro ordine libera voce defendunt: & quoties isti aliquid, vt ratio dictat, restringere vel mutare incipiunt, illi mox totâ auctoritate resistunt.

Quis in principio, cùm ordo cœpit monasticus, ad tantum gradum credidisset monachorum inertiam deuenire?

O quantum distamus ab his, qui diebus Antonij extiterunt, monachis? Siquidem illi, cùm se per tempus inuicem ex charitate reuisetent, tantâ ab inuicem auiditate panem animarum percipiebant, vt corporis cibum penitus obliti, diem plerunque totum ieiunis ventribus, non mentibus, transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti priùs seruiebatur. Hæc summa discretio, cùm ampliùs sumebat is, qui maior erat.

Nobis autem conuenientibus in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare: nihil de scripturis agitur: nihil de salute animarum: sed nugæ & risus & verba proferuntur in ventum. Inter prandium, quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus. Carnium vsu (qui vix ægrotis duntaxat, & omninò debilibus, ex regulæ discretione, pro virium reparatione conceditur) non quidem cor foris infirmâtis ruinas reficere pro incommodo, sed carnis luxuriantis curam perficere est in desiderio: cùm scilicet datur vsus carnium iuuenibus & alijs non egentibus huiusmodi, ridendas dixerim potiùs quam laudandas, ineptias.

Sic Macarius vixit? sic Antonius docuit? sic Basilius instituit? sic patres in Ægypto conuersati sunt? sic sancti Oddo, Maiosus, Odilo, Hugo, (quos sui ordinis principes & præceptores habere gloriantur Cluniacenses) aut tenuerunt, aut teneri censuerunt? Imperatore Friderico 3. Papa Calixto 3.

Idem tit. 16. part. 2. c. 4. § 3. Imperator Henricus 3. habebat quendam clericum satis literatum & bonæ vocis, sed meretriculam ardentiùs amantem, cum quâ nocte quadam solemni voluptatis caussâ dormiuit: manè ad missam Imperatoris adstabat. Imperator huius scientiâ dissimulatâ, mandat ei, vt se ad legendum Euangelium præparet, quia scilicet eius melodiâ delectaretur: erat enim diaconus. Renuit ille, vt malè sibi conscius. Vrget Imperator, vt probaret eius constantiam. Ad extremum parere renuentem, iubet à patriâ exulare: quam sententiam amplexus, continuò recessit. Mittitur post eum, qui iam compilatis omnibus, & in sarcinulas compositis, iter arripuerat. Violenter ergo retractus, coram Imperatore sistitur: qui lætus subridens, ait: probè fecisti, & ego gratulor probitati tuæ: quòd rem Dei pluris penderis, quàm patriam, pluris iram Dei, quàm meam. Quapropter habeto Episcopatum, qui primus in Imperio vacauerit: tantùm indecenti amori renuncies illius fœminæ. Hæc Helinandus.

Idem lib. 2. Chronicorum. Anno Domini 1408. Manfredus Vercellensis, ordinis Prædicatorum, Theologus, præsentem sentiebat Antichristum. At contra eundem Manfredum statim prædicabat Bernardinus Senensis, Franciscani ordinis Monachus.

Idem. Venalitate curiæ Romanæ, Ecclesiæ inaniter præficiuntur lenones, coqui, stabularij equorum, & pueri.

Idem 3. part. tit. 22. cap. 10. Papa creauit militem: Vide ibi.

Ibidem 3. part. tit. 22. c. 13. § 4. Si in Ecclesiâ Orientali calamitas quodammodo censeatur esse consummata, tamen quoad Ecclesiam Occidentalem iam per tyrannidem Turcorum, aliorúmue infidelium timetur in breui fore incipienda.

Ibidem part. 3. tit. 24. c. 9. Ioannem Papam 23. Fratricelli pro hæretico habebant, quia dicebat, Christum aliquid habuisse in communi, idque per Iudam distribui, vel disponi solitum.

Idem tit. 22. part. 3. c. 7. § 2. Martinus V. pace cum Braccio factâ, cùm & oppida recepisset, ac omnia pacata viderentur, Romam petere constituit. Hoc autem munus & dignitatem ciuitati concessit id supplicanti: vt Ecclesia cathedralis Florentina ex Episcopali ad metropolitanam promoueretur, pallio decorata, cui Episcopus Fesulanus & Pistoriensis, vt viciniores, pro suffraganeis consignati sunt, & non alij. Nec tamen satis beneuolo animo erga Florentinos recedere videbatur, carminibus quibusdam, quæ de se vulgò circumferebantur, commotus, quæ à pueris frequenter per vrbem cantabantur in vilipendium eius, & laudem Braccij. Incipiebat autem cantilena illa:

Papa Martino non vale vno quatrino. &c.

Nec credendum est, illam pueros edidisse.

Idem tit. 16. part. 2. c. 1. § 19. de Leone 9. Hoc non sui (Papæ) erat officij, vt armata manu personaliter ad bellum procederet, cùm primo pastori Petro dictum fuerit: mitte gladium tuum in vaginam: ideoque dispensante Domino, exercitus eius in conspectu suo cæsus est.

Anno

Ibidem tit. 16. part. 2. c. 2. de Ludouico Imper. Et inter cætera in illo Concilio Aquisgrani, quæ piè & sanctè statuta sunt, decretum est: vt Episcopi & Clerici nec pretiosis, nec sericis vestibus, neque baltheis aureis & gemmatis vterentur. Monstro namque simile esse dicitur, & impietatis crimen arguitur, si Ecclesiasticæ deputatus familiæ aspirare conetur ad huius pompam gloriæ secularis.

Idem tit. 16. part. 2. cap. 4. § 3. Ab Henrico Imp. Leo huius nominis IX. postulauit, vt Normanni, qui tunc magnam partem Apuliæ occupatam tenebant, nec in aliquo Romanæ Ecclesiæ respondebant, depellerentur de sedibus illis. Cui annuens Imperator misit exercitus suos Romam ad Papam. Qui cum eis personaliter procedens, contra Normannos bello conflixit: sed victus est exercitus iste, & Papa captus.

Idem in suâ Summâ part. 3. tit. 1. cap. 11. § quòd Papa. Martinus V. Papa, habitâ cum suis Doctoribus, & Theologis consultatione, cum quodam dispensauit, vt sororem suam germanam impunè in matrimonium haberet. Hoc sacrilegium etiam commemorat Ang. de Clauasio in sua Summa, in verbo Papa: & Nicolaus Boërius in const. 20. vtrùm Papa.

Idem tit. 17. cap. 1. § 2. Sicut Filius Dei venit facere voluntatem Patris, sic & vos implete voluntatem matris vestræ, quæ est Ecclesia, cuius caput est Romana Ecclesia.

Idem tit. 17. cap. 9. § 3. Papa, ad petitionem Philippi Regis, filium Philippum, & vnam filiam, quos ex Mariâ (quam 5. annis contra Dei decretum & legem tenuerat) susceperat, legitimos hæredes esse mandauit, & postea literis suis confirmauit. Quod factum eo tempore multis displicuit.

Idem parte 3, tit. 18. ca. 4. § 13. Hi sunt Hæretici, canes ad scissionem, vulpes ad fraudem: Vestri, qui terram Austri tam sæpè visitant, eunt & redeunt per medium eorum: sed quid boni adhuc cum eis egerint, necdum audiuimus: & fortè audissemus, nisi præ auro Hispaniæ salus populi viluisset.

Appellatur ad te de toto mundo, in testimonium singularis primatus tui: & vtinam tam fructuosè quàm necessariè. Non est autem appellatio subfugium, sed refugium: sed antidotum versum est in venenum. Qui enim non verè grauatus appellat, vt frequenter accidit, aut grauare intendit, aut tempus redimere. Vnde & docet Bernardus, abijciendas friuolas & indebitas appellationes.

Audi murmur & querimonias Ecclesiarum. Truncari se clamant & demembrari. Subtrahuntur enim abbates episcopis, episcopi archiepiscopis, archiepiscopi primatibus vel patriarchis.

Facitis hæc quæ potestis: sed vtrùm debeatis, quæstio est? Spiritualis homo, qui omnia iudicat, vt ipse à nemine iudicetur, omne opus suum trina consideratione præueniet: scilicet, an liceat, an deceat, an expediat. Quid tam indignum tibi, quàm voluntate pro lege vti? Quid tam indecens, quàm quòd totum tenens non sis contentus toto? nisi minutias quasdam, & exiguas portiones ipsius tibi creditæ Vniuersitatis, quasi non sint tuæ, satagas adhuc facere tuas.

Nullus est fructus emancipationis seu exemtionis, nisi quòd Episcopi inde insolentiores, monachi dissolutiores fiant, quin etiam pauperiores. Adde quòd, qui audiunt, scandalizantur, detrahunt, blasphemant.

Túne licitum censes, ecclesias suis mutilare membris? Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Pluraliter dicit potestatibus: non enim tua sola potestas à Deo est, sunt & mediocres: sunt & inferiores. Et quoniam, quos Deus coniunxit, non sunt separandi: ita quos Deus subiunxit, non sunt comparandi.

Vide (inquit Dominus Moysi) vt omnia facias secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Non potest, inquit, filius facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Quòd si dixerit Episcopus, nolo esse sub archiepiscopo, aut abbas, nolo esse sub Episcopo, non est hæc vox de cœlo: nisi fortè audiueris, aliquem Angelorum dixisse: nolo esse sub archangelis, vel aliquem aliorum ordinum, dicentem: nolo esse nisi sub Deo.

Quid, inquis, prohibes dispensare? Non: sed dissipare. Vbi necessitas vrget, excusabilis est dispensatio: vbi vtilitas prouocat, laudabilis vtilitas dico, communis, non propria. Nam cùm nihil horum, non planè fidelis dispensatio: sed crudelis dissipatio est.

Ipsa denique vestra apostolica mandata atque instituta passim neglecta iacent. Nónne os tuum (iam quartus annus est) in Remensi concilio, hæc capitula promulgauit? Præcipimus, aisti, vt tam Episcopi quàm clerici neque in superfluitate, neq; in varietate inhonesta vestium, colorum, aut fissura vestium, neque in tonsura intuentium offendant aspectum &c. Verba tua hæc. Quis ea tenet, vel tenuit? Falleris, si teneri putas: si non putas, ipse peccasti, aut statuens quæ non tenerentur: aut quæ non tenentur, dissimulans. Clerum illum, Romanum scilicet, ordinatissimum esse decet, à quo præcipuè in omnem Ecclesiam cleri forma processit.

Quid de populo Romano loquar? quid tam notum seculis, quàm proteruia Romanorum: gens insueta paci, tumultui assueta: gens immitis & intractabilis: subdi nescia, nisi cùm non valet resistere. En plagæ tibi incumbit cura hæc. Noli diffidere, etiamsi incurabilis sit. Curam enim exigeris, non curationem. Curam, inquit, illius habe.

Verum dixit quidam: Non est in medico semper, vt curetur ægrotus. Plus omnibus laboraui, ait Apostolus: non ait, plus omnibus profui: vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, non dicit, secundum prouentum: ita & tu fac quod tuum est: nam Deus,

quod suum est, satis absque tua solicitudine curabit. Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. Securus labor, quem nullus potest euacuare defectus.

Scio vbi habitas: increduli & subuersores tecum Romani: impij in Deum, temerarij in sancta: perseditiosi in inuicem: æmuli in vicinos: inhumani in extraneos: quos neminem amantes nemo amat. Superioribus infideles, inferioribus importabiles, inuerecundi ad petendum, ad negandum frontosi, ingrati cùm acceperint, grandia loquuntur cùm exigua operentur: blandissimi adulatores, mordacissimi detractores. Virum circumspectum & amicum propriæ conscientiæ calumniantur hypocritam: quietis amatorem, & sibi interdum vacantem, inutilem dicunt. Talium tamen tu pastor. Vtilis consideratio, quoniam si fieri posit, conuertas eos: ne ipsi subuertant te.

Petrus, cuius sedem tenes, nescitur aliquando processisse vel gemmis ornatus, vel sericis, nec tectus auro, nec vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen satis credidit, posse se illud mandatum implere: si diligis me, pasce oues meas. In his successisti Constantino, non Petro. Consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad ea te potiùs incito, quorum te scio debitorem. Opus inquam fac Euangelistæ, & pastoris nomen implesti.

Dracones, inquis, me mones pascere & scorpiones, non oues. Propter hoc inquam magis aggredere eos, sed verbo non ferro. Quid enim denuò vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? Qui tamen gladius, scilicet materialis, tuus est: etiam tuo nutu, sed non tua manu euaginandus: alioquin, si ad te non pertineret aliquo modo, dicentibus Apostolis: Ecce duo gladij hic: non respondisset Dominus, satis est: sed, nimis est. Vterque ergò gladius ecclesiæ est: sed vnus pro Ecclesia, alter & ab ecclesia exercendus: hic sacerdotis, ille militis.

Insta ergò opportunè, importunè. Clama, ne cesses. Si dura fronte sunt: indura tu econtrà tuam. Nihil tam durum, quod duriori non cedat. Dedi inquit Dominus frontem tuam duriorem frontibus eorum.

Idem. Guido Cardinalis sancti Marci, omnium suffragijs Pontificatum inijt post Innocentium, dictusq; est Cælestinus II. Hic ob uitæ breuitatem nihil potuit facere, quò se posteris commendaret. Huic suffectus est Lucius II. Cardinalis tituli S. crucis in Hierusalem. Hic Romanorum nouum Magistratum, quem sub Innocentio instituerant, demoliri & extirpare conatus est.

Nam cùm Innocentius consulum electionem ferre nullo modo vellet, elegerunt Romani prisco more Patricium nomine Iordanem. Is regalia vrbis cũ intra muros tum extra poposcit: aitq; illud ius nomine officij sui ad se pertinere, quod Pontifex (abrogatis Patricijs) per Carolum Magnum occupauerat, iubetq; (ô magnum & non ferendum hæreticum Romanæ curiæ) vt Pontifex, iuxta exemplum Pontificum maiorum suorum, primitijs, decimis & oblationibus viueret.

Lucius sexagitatus in hunc modum à Romanis, supplex per legatos Conradum in Italiam vocat. Conradus autem impeditus, venire non poterat. Lucius aliâ via rem aggrediendam ratus, expectat, donec semel in Capitolio vnà essent congregati Senatores omnes cum Patricio, vt consultarent de rebus suis. Tunc collecto milite Pontifex Capitolium inuadit, vt Senatum illum vel perderet omninò, vel si minùs, expelleret tamen. Fama per vrbem volat de Pontificis conamine: concurrunt ciues ad arma, fit pugna atrox. Lucius militiæ immixtus, ad Capitolium lapidibus ita est contusus, vt breui post istos ictus morte sit consumtus.

Idem tit. 16. part. 2. cap. 4. de Henrico 2. Henrico 2. imperante accidit istud mirabile & prædicandum in villâ Saxoniæ, nomine Kalb/in diœcesi Magdeburgensi, vbi erat Ecclesia sancti Magni martyris. Quidam Sacerdos, vt refert Vinc. & Ioan. de Colum. cùm missam celebraret in vigiliâ natiuitatis Domini, 18. viri simul cum 15. mulieribus in Cœmiterio Ecclesiæ, vbi celebrabat, choreas ducebant, & altâ voce cãtabant, & Sacerdotem ipsum celebrantem impediebant. Mandat illis Sacerdos dicere, vt tacerent, aut inde recederent. Qui Sacerdotis verba deridentes desistere noluerunt. Ille amaricatus imprecando dixit: Placeat Deo & S. Magno, vt ita cantantes permaneatis vsque ad annum: & ita factũ est, vt toto illo anno, sine intermissione aliquâ, choreizando cantarēt.

Mirabile dictu. Toto illo tempore nec ros, nec pluuia super illos cecidit: sed nec lassitudo, nec sitis, neque fames illos affecit: nec vestimenta nec calceamenta eorum attrita sunt. Anno autem reuoluto Horebertus Archiepiscopus, in cuius diœcesi hoc mirabile accidit, ad locũ veniens, à nodo, quo Sacerdos illos ligauerat, absoluit, atq; ante altare dictæ Ecclesiæ reconciliauit: (hunc Imp. Henricus iniustè iniurijs affectum à se expulit: sed cùm natale Domini apud Coloniam celebraret, ipsum humili satisfactione placauit.) Filia presbyteri cum duobus alijs continuò exanimata est. Cæteri continuis tribus noctibus dormierunt: aliqui postea obierunt: cæteri verò pœnam suam membrorum tremore prodidêre. Hoc ita scriptum reliquit Vbertus, qui fuit vnus ex eis.

Idem tit. 16. part. 2. c. 7. § 4. Romæ, vt refert Vinc. spec. Hist. lib. 26. temporibus Henrici tertij Imperatoris, erat Iuuenis quidam locuples & nobilis, qui vxorem nouiter duxerat, & sodalibus suis conuiuium frequens fecerat. Post cibum iturus in campum, vt luderet, Rex conuiuij, ludo signifer palam poposcit. Interim annulum sponsalitiũ digito extento statuæ Veneris æreæ, quæ proximè adstabat, imposuit, & cùm penè omnes solum impeterent, suspiriosus extis incalescentibus primus se à lusu remouit. Reposcensq; annulum, inuenit statuæ digitum vsque ad volam curuatum: diuq; ibi luctatus, nec annulum exuere potuit, nec digitum frangere. Tacitusq; discedens, rem celauit sodalibus.

Noste

Anno

Nocte intempestâ cum famulo rediens, digitum inuenit extensum, sed annulum surreptum: & dissimulato damno ad nuptam rediјt. Cumq; se in lecto iuxta eam collocasset, sensit, quiddam nebulosum & densum inter se & illam volutari: quod sentiri quidem, sed videri non poterat. Hoc obstaculo ab amplexu prohibetur. Audiuit & vocem dicentem: mecum concũbe, quia hodie me desponsasti tibi. Ego sum Venus, cuius digito imposuisti annulum illum, nec reddam.

Territus ille tanto prodigio, nihil referre ausus est, vel potuit. Insomnem duxit noctem illam, multùm secum deliberans. Sic factum est per multum tempus, vt quacumque horâ cum Sponsâ concumbere vellet, illud idem sentiret, & audiret. Erat sanè & aliâs valens, & domi aptus & militiæ.

Tandem vxoris querelis admonitus, rem parentibus detulit. Illi habito consilio, Palumbo cuidam Presbytero suburbano rem pandunt. Is autem erat Nigromanticus, & in maleficijs potens. Illectus ergò promissis multis, compositâ epistola, dedit eam Iuueni dicens: Vade illâ horâ noctis ad compitum, vbi quatuor viæ conueniunt, & stans tacitè considera. Transient ibi hominum figuræ vtriusque sexus, omnisque ætatis & conditionis, equites & pedites, quidam læti, quidam tristes, quicquid audieris non loquaris. Sequetur illam turbam quidam statura procerior, forma corpulentior, curru sedens, huic tacitus epistolam trades legendam, statimque fiet, quod postulas.

Ille autem iuuenis totum impleuit, quod viderat edoctum se esse. Vidit autem inter cæteros transeuntes ibi mulierem in habitu meretricio, mulam inequitantem, crine soluto per humeros iactato, vittâ aureâ superiùs constrictô, auream virgam gerentem in manibus, quâ mulam regebat: præ tenuitate vestium penè nuda apparebat, gestus exequens impudicos. Vltimus dominus turbæ, terribiles in Iuuenem oculos exacuens, ab axe superbo, smaragdis & vnionibus composito, causas viæ ab eo exquirit. Nihil ille contrà: sed protentâ manu epistolam porrigit ei. Dæmon notum sigillum non audens contemnere, legit scriptum. Moxque brachijs in cœlum elatis: Deus, inquit, omnipotens, quàm diu patieris nequitias Palumbi presbyteri? Nec mora, satellites suos à latere mittit, qui annulum extorquerent à Venere.

Illa multùm tergiuersata vix tandem reddidit. Ita Iuuenis voti compos sine obstaculo potius est postea diu suspiratis amoribus. Palumbus autem vbi Dæmonis clamorem ad Deum audiuit, de se intellexit, sibi præsignari finem dierum. Quocirca omnibus membris vltrò truncatis, miserabili pœnâ defunctus est, confessus coram populo Romano inaudita flagitia.

Idem tit. 20. part. 3. c. 3. § 3. Post concilium generale celebratum, Papa Clemens V. iter agens à Viennâ Burdegalam versus, in viâ mortuus est. Hic, vt Chronici referunt, fuit nimis cupiditati deditus: propter quod scelus Simoniæ (maximè à canonib. detestatum) viguit in curiâ suâ circa beneficia. Quòd autem quidam dicunt, in Papam non posse cadere Simoniam, B. Thomas hoc reprobat. Insuper & minùs honestæ vitæ fuit, & communiter dicebatur, cum quâdam comitissâ, pulcherrimâ muliere, contubernium habere. Nepotibus quoque suis, & alijs attinentibus magnum thesaurum reliquit.

Insuper refertur, quòd, cùm ex hoc seculo migrasset quidam suus nepos, quem multùm sensualiter diligebat, induxit quendam peritum artis nigromanticæ, vt inquireret per maleficium illum, qualiter illi nepoti suo esset in aliâ vitâ? Qui artem exercens fecit, quendam capellanum Papæ (audacem valdè) videre inferni locum, ibique palatium, in quo erat lectus ignitus, vidit, vbi quiescebat nepos ille Papæ. Qui nepos aspicienti capellano dixit: propter Simoniæ vitium se illi igni esse adiudicatum. Vidit etiam dictus capellanus, vt fertur, aliud palatium igne plenum præparari Papæ Clementi. Quod cùm Papæ retulisset, nunquam postea visus est lætus: sed paulò pòst decessit: cuius cadauer cùm positum fuisset in quadam Ecclesiâ cum multis luminaribus: nocte ignis Ecclesiam combussit, & corpus eius à lumbis vsque ad pedes. F.A.D. 1313.

Petrus Mamorius.

1458.

Queritatur etiam interdum diabolus, tanquam si grauissimo dolore premeretur, dicens, se huius aut illius animam esse, vt in errore homines detineantur. Historiæ hoc argumento extant quàm plurimæ.

Petrus iste Mamorius narrat, in Gallia, Consollenti ad Viennam fluuiũ historiam accidisse in Caplandi cuiusdam ædibus, anno 1458. Diabolum, qui animam defunctæ se esse prædicabat, gemitibus, clamoribus, & querimonijs omnia compleuisse, monentem, habendas esse preces, peregrinationesque obeundas, & res veras plurimas reuelantem: sed dicente ei quodam, si tibi vis haberi fidem, dic, Miserere mei Deus secundum magnam, &c. Respondisse, hoc à se fieri non posse. Tunc ludificantibus ipsum ijs, qui adstabant, fremebundum aufugisse. Imp. Frider. 3. Papa Calixto 3. vt sup.

In Simoniacos elegia Henrici Bebelij Iustingensis ad Ioannem Nauclerum, Tubingensis Ecclesiæ Præpositum, Gymnasijq; Cancellarium. 1459.

Eximios inter cunctis memorande diebus,
O Nauclere, viros, & probitatis honos:

Quòd

Quòd nunc suscepta est per te prouincia, rerum
Scribere sacrarum de ambitione librum:
(Et solet à nostris hæc nempè simonia dici:
Namq; Simon sceleris hic magus author erat.)
Rem facis inprimis dignam, nec laude carentem,
Atq; sacerdoti iure cauenda mones.
Nam cùm dira lues vitiorum regnet in orbe,
Infandumq; scelus agmine cuncta trahat:
Nulla tamen maior pestis, vesania nulla,
Illius exuperat impietatis opus.
Quòd si non fallar, si sim non sordidus author,
Diuitiæ pingues hoc peperêre malum.
Omne malum nobis funesta pecunia primùm
Intulit, & fortis luxuriantis opes.
Præstabat quondam castos Ecclesia mores,
Cùm Petrus in summâ sede regebat inops:
Cùm nondum marmor, crustataq; tecta ferebat
Ipse locus templi, gemmiferasq; trabes.
Cana fides mundo viguit cùm paupere cultu,
Stabat in exiguâ ferreus æde calix:
Tunc viguit virtus, tunc nos Astræa colebat,
Inq; suo precio docta Minerua fuit.
Pontificum at postquàm paupertas sobria cessit,
Et cœpit luxus quos sacer ornat honos:
Nullum crimen abest, facinusq; cupidinis, atq;
Aurum omnes, pulsa iam pietate, colunt.
Victa fugit bonitas, aurum veneramur in orbe:
Auro lex cessit, mox sine lege pudor.
Auro pulsa fides, auro cœlestia dona
Mercamur, tanta est ambitiosa fames.
At sunt iam plures, qui iusta vocabula turpi
Prætendunt sceleri, & talia verba vomunt:
Emtor ego non sum, sed munus munere penso,
Sic homines lusos credit & ipse Deos.
Stulte quid insanis? Christus speculatur ab alto
Singula corda hominum, fallier atq; nequit.
Mortales circumuolitans simul omnia Pluto
Defert æterno cœlicolûmq; Deo:
Et tristes queritur mores, & debita poscit
Supplicia. O miseros, quos scelera atra tenent.
Iudicij extremi memores estote fideles,
Ne vos præcipites naufraga Syrtis agat.

Imp. Friderico 3. vt sup. Papa 217. Pio 2.

Idem. Nec quemquam probo, qui maledicentiâ pugnat. id enim proprium est meretricum, & scurrarum in lupanaribus, & tabernis: & fidem non adhibendam puto, cùm contra inimicum scripta sint.

Rofredus Beneuentanus in aureo tractatu de Libellis.

1459. SEd quæritur de multis, & primò de meretrice, an debeat dare decimam DEO, de eo, quod accepit de meretricio: videtur, quòd non. Esaias enim dicit, non accipies mercedem meretricis, nec precium sanguinis: licet quidam sacerdos acceperit à quâdam dominâ decimam hoc modo.

Accessit quædam domina ad confessionem illius, dixitque sacerdos ei: quando agis cum marito tuo, das vnquam decimam, vel dedisti de actu? Respondit domina, se nunquam dedisse. Respondit sacerdos, animam amisisti: sed pro tempore præterito remitto tibi pro septem vicibus: & ita sacerdos septies in die cognouit dominam, præcipiens, vt quemlibet decimum actum sibi pro decimâ reseruaret. Domina à marito per nouem vices cognita est. Cùm autem esset exacta à marito ad decimam, respondit, istam non dabo vobis: sed dabo eam sacerdoti, quia sacerdoti debetur: & recitauit

marito, secundùm quod de facto contigerat. Maritus sagax, celans turpitudinem uxoris, sacerdotem ab illà Ecclesià remoueri, sagaciter curauit. Eandem ferè historiam habes apud Poggium suprà. Imp. Friderico 3. Papa 217. Pio 2.

M. l. VV. vetus Poëta celebris catholicus. 1460.

Heus sacrilega & malè rasa cohors, sicco tuos
Quin admoues palo Papas? veneficos,
Magos: & indomitis qui turpe, proh pudor,
(Episcopos) vitium mulabus inferunt.
Qui congrediuntur masculis nepotibus,
Sacrum prementes turpiter connubium.
Heu grande nefas, scelus haud auditum à seculis.
Imp. & Papa vt sup.

Eblendus Historicus. 1460.

Scripsit hic librum sub titulo Theologiæ Germanicæ circa annum vt suprà.

Ciuitatensis Episcopus.

Accusauit & deplorauit perditissimum cleri statum, summamque cùm eorum vitæ turpitudinem, tum officij neglectionem, inter alia sic inquiens:

Quid dicam, aut vltrà adijciam de statu clericorum? Nam, vt video, populus iste duræ ceruicis est, & in iniquitatibus suis venditus, & in sceleribus suis pertinax. Vocaui eum, & non erat, qui audiret: Esa. 63. Si verò luxuriam, auaritiam, superbiam, simoniam, ac cætera clericorum vitia profundiùs tractare præsumsero, fantasticus ac præsumtuosus totaliter promulgabor, atque de mendacio arguar, & effundam sermonem (contra doctrinam Sapientis) vbi non est auditus. 1460.

Sed væ mihi, Isaia teste, si tacuero. Populus enim iste, scilicet ordo sacerdotalis & clericalis, ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, nolentes audire verbum Dei: qui dicunt videntibus, Nolite videre: & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, cesset à facie vestra sanctus Israël. Propterea, quia proballis verbum meum, & & sperastis in tumultum, erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens de muro excelso. Quoniam subitò, dum non speratur, veniet contritio eius, & comminuetur: sicut conteritur lagena figuli contritione valida.

Narrauerunt iniqui fabulationes sed non vt lex tua. A veritate enim tales auditum auertunt, & ad fabulas conuertuntur, 2. Tim. 4. &c.

Et paulò pòst: O error cæcus. Nam si subditi intelligentes Prælatorum ac Rectorum leuiter saltem negligentias & vitia tetigerint, ac sacrorum canonum & diuinorum eloquiorum testimoni adduxerint, tot indirectis increpationibus, iniustis grauaminibus, depressionibus, humiliationibus ac contumelijs afficiuntur: imò tanquam fantastici, & cauteriatas erroneasq; conscientias habentes contemni & non audiri dicuntur, quòd etiam ex hoc præ humana infirmitate interdum commouentur ad se defendendum, à quo contrà Prælati sibi occasionem capiunt eosdem quasi iustè deprimendi & humiliandi.

O nimis stupenda & verè culpanda vesania. Quid perniciosius, quidúe à salute remotius quàm illos detestari, & illorum hortamenta in fabulas conuertere, qui eos satagunt ad salutem reducere, & se letaliter vulneratos sanos æstimare?

Tales sunt Prælati & Rectores, qui districtè aliorum vitia reprehendunt: sed cùm ipsis vel leuiter resistitur, vel cùm culpa eorum redarguitur, mox ad hæreticorum fructum, qui (secundum Origenem) suos reprehensores persequuntur, se conferunt, & tanquam carnales dissensiones fructificant. Catal. Imp. & Papa vt sup.

Idem conscripsit quoque canones pœnitentiales: & quod lex diuina atq; ciuilis (si quis videlicet contra naturam peccauerit) in auth. vt non lux. circa finem, gladio punire iubent. hic, vt & c. clerici de excessibus prælatorum, in tali mortali scelere deprehensum clericum tantùm deponere statuit. Sic quoque homicidium clerici, vel latrocinium, legibus illorum sic statuentibus, grauiùs non puniuntur.

Idem. Si adulterium perpetrauerit Episcopus, Presbyter, Diaconus, subdiaconus &c. his nulla alia pœna infligitur, quàm vt per aliquod tempus, quod illis videtur pœniteant: confirmantur hæc 3. q. 5. c. si quis sacerdos. & q. 3. c. non oportet.

Idem. Simonia tam grauè in Ecclesià peccatum est, vt omnia peccata in comparatione eius pro nihilo reputentur: quia per simoniacam cupiditatem, & auaritiam tota Dei Ecclesia confunditur, vituperatur, & deprædatur: & latronibus, deprædatoribus, ignotis idiotis, tirsianis, & fornicatoribus regenda committitur.

Et hæc simonia fidem, probitatem, & cæteras bonas virtutum artes in Dei Ecclesia subuertit: & propter redditus, fructus, & honores ecclesiasticos habendos, Deum & eius fidem negligere, & omnia venalia iam habere beneficia ecclesiastica, & sacramenta, edocuit: & multos Ecclesiasticos, præsertim superiores nostros, qui videbantur regere populum, falsos & iniquos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud sub linguâ præceptum habere: labijs & ornamentis ecclesiasticis Deum tantùm honorare, corde autem Dominum Deum nostrum Iesum Christum, & eius sacramenta, ac sponsam suam publicè, & cum scandalo totius Christianitatis non semel sed pluries vendere, non sicut Iudas pro 30. denarijs, sed sæpè pro tribus mille florenis. Væ autem homini, per quem huiusmodi scandalum venit: bonum esset ei, si natus non fuisset.

Et quia hoc peccatum simoniæ est tam graue, ideò grauissima pecunia est sibi imponenda, respectu aliorum peccatorum: etiam, quia simoniacus in ordine non recipit executionem ordinis, sed est suspensus, quoad se & quoad alios: nec Episcopus, nec Cardinalis, nec aliquis alius Presbyter potest eum ab hoc peccato simoniæ absoluere, nisi solus vicarius Christi, scilicet Papa: & tunc ordo est, quòd restituat primò: quia non intrauit per hostium, sed aliunde, vt fur & latro, & non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

De vita & honestate Clericorum.

1460. QVoddam scriptum, titulo De vitâ & honestate clericorum, diuersum ab illo quod Hermannus Ried scripsit, anno Domini 1555. Basileæ cum alijs quibusdam editum est. Initium eius est: Apparuit enim gloria Dei, & gratia Saluatoris nostri, &c. Disputat ordine de vita ac officio clericorum, ac indicat, tum quales sint, cùm quales esse deberent. In multis locis grauiter de eis queritur, quorum aliqua hîc adscribam.

Sed heu, sicut iam status stat clericorum, ita paucos vidi, agnoui, experientia ipsa didici, qui sic cum hac virtute discretionis inceperint: pauciores, qui sine lapsibus grauissimis continuauerint: & paucissimos, qui ad finem felicem perduxerint. Iam ordinantur in ætate minores, in vita non laudabiles, in scientijs necessarijs sua fundamenta non habentes.

Et vt de religiosis priuilegiatis taceamus, iam ordinantur in sacerdotes, & postea in cura animarum Rectores, in prædicationis officium ascendentes, qui nec Grammatices regulas, nec Theologicos articulos fidei didicerunt, aut audiuerunt fortè, aut legerunt probationes: nec casus iuris canonici ad Episcopum vel Papam pertinentes, nec minimum Euangelium populo simplici exponere scientes: & quomodo illi cæci, & duces cæcorum possent euadere laqueos diabolicos, infinitis modis se & sibi subiectos illaqueantes?

O quid inquit beatus Gregorius in homel. Designauit? Ecce totus mundus plenus est sacerdotibus, & tamen in messe Domini valdè rarò idoneus reperitur operarius. Tales, inquit Hieronymus, sunt sicut insani, gladios euaginatos habentes in manibus suis, nulli accedenti parcentes. Nec mirum, si tales diabolus astutus passim decipit omnes: alium in sua priuata abstinentia per fatuitatem capitis, alium in conuersatione mulierum, alium in confessione audienda, alium in prædicatione facienda aut facta, aliũ in sacramentorum venditione, vel oblationũ extorsione. Quare si contra prædictos stylum ita seuerè acui scribendo, & allegando iura Ecclesiastica, & doctorum sanctorum dicta, nullus mihi pro malo habeat, &c.

Et paulò pòst. Sed heu, nunc sunt tot & tanti fornicatores, sacerdotes concubinarij, quòd pauci sint domini aut prælati, qui tales euitant in diuinis: imò publicè permittunt tales sedere cum suis concubinis, & filijs & filiabus. Vnde Prælati se cum eis damnant, si eos compescere possunt, & nolunt, vel pecuniam ob hoc ab eis suscipiunt: & qui etiam tales scienter permittunt pro se celebrare, vel cogunt vel conducunt eos, vt promoueantur.

Vnde Hieronymus gloriosus (sicut etiam Eusebius scribit ad Damasum) sic de talibus dixit in agone mortis iacendo: Heu mihi Domine, quid dicam, quòd hodie sacerdotes te comedunt in altari vt carnes pecudum & volucrum, imò, quod peius, qui nocte vtuntur mulierum actu turpissimo, & manè masticando te comedunt? Vbi Domine latitas? dormísne, an vigilas? Est tibi hoc acceptum sacrificium? Est hæc oblatio, quam eligis? exaudísne preces eorum de cœlo, de sede maiestatis tuæ? Verè, si hoc velles sacrificium & libamen, mendax fieres, & peccatorum socius.

Porrò Domine, si vera sunt, quæ locutus es per os Prophetarum, si iustis solùm supplicationibus præstò es, & si tibi placet æquitas, hoc tale impediendum est sacrificium, ne fiat: quanquam in se & de natura sui sacrificium existat bonum, nec possit violari à malis sacerdotibus, quia malicia non dijudicat hoc sacrificiũ. Vnde istud sacrificium fit ad sacerdotis præiudicium & damnationem, nec pro quibus fit, prodest: imò, vt verissimè dicam, qui vitam sacerdotis malam agnoscit, & eum pro se celebrare facit, fit eiusdem peccati conscius, necnon & pœnæ particeps.

Alicubi etiam disputat, longè gratius officium esse Deo, cùm sacerdotes rectè concionantur, quàm cùm suas preces peragunt. Cat. Imp. Friderico 3. Papa 217. Pio 2.

Brixia. 1460.

Brixia, vetus & celebris Cisalpinæ Galliæ ciuitas est. Eius senatus olim, fortè videns, monachos & alios sacrificos stultum vulgus incitare ad immodicas profusiones in sumtus funebres, leges quasdam de ea retulit, quibus modum quendam Papæ, & cleri funus deducentis, & Missarum constituit. Quod decretum adeò malè habuit monachos eius ciuitatis, dolentes, suam rapacitatem coërceri, vt etiam publicum scriptum ediderint, accusantes senatum impietatis, & violationis priuilegiorum cleri.

Verùm contrà nomine senatus sunt duæ apologiæ scriptæ, ab Episcopo approbatæ, & in publicum editæ, quæ & impressæ extant: in quibus tum decretum illud pium esse probatur: cùm monachi cupiditatis auaritiæq; immoderatæ accusantur: tum denique etiam probatur, salutem Christianorum non in eo sitam esse, vt plurimæ pro eis Missæ dicantur. Digna sanè est hæc historiola, quæ obseruetur, tam propter religionis Papisticæ rapacitatem, quàm propter illorum gubernatorum sapientiam & constantiam. Cat. Imp. Friderico 3. PP. Pio 2. V. S.

Henricus Harphius, Theologiæ mysticæ 1460.

libro 1. capite 64.

Exspoliaui me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Dicit Liuius in prologo de Româ: quòd tempore paupertatis nusquam alter locus eo sanctior, nec bonis exemplis ditior fuerit. Et quantò rerum minus habuit, tantò minus cupiditatis habebat. Sed postquàm diuitiæ auaritiam & luxuriam induxerunt, in peius omninò corruit.

Ecce Lector, hic Papista sub nomine Titi Liuii dicit, Romam totam ex diuitiis esse corruptam: per se propter metum Iudæorum nihil ausus est proferre. Annón hoc est in spinis seminatum, quod metus ærumnarum seculi, & deceptio diuitiarum suffocat? Marci 4. Imp. & PP. V. S.

Bart. Platina in vita Syluestri 3. Papæ. 1460.

Etenim eò tunc Pontificatus deuenerat, vt qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vitæ & doctrina, valeret, is tantummodò dignitatis gradum, bonis oppressis & reiectis, obtineret, quem morem vtinam non retinuissent nostra tempora. Sed hoc parùm est, peiora (ni Deus caueat) visuri aliquando sumus. Imp. Frid. 3. PP. Pio 2. V. S.

Idem in vita Leonis 2. Leonis quidem institutum est, ac quidem sanctum (quod vtinam hodie obseruaretur) ne ad Archiepiscopatum assumtus, pro vsu pallii aliorúmue officiorum, quicquam Ecclesiæ persolueret: cùm ex largitione multa quotidie mala orirentur.

Idem. Florentini, ob vsurpatas Ecclesiæ terras, à Gregorio XI. anathemate notati, sacerdotes suos, quibus à sacris interdictum erat, sacra celebrare coëgerunt anno 1471.

Idem. Sed ego arbitror, hoc odium ex ambitione ortum fuisse, cùm iam eò deuenissent ecclesiastici, vt non coacti, vt antea, sed sponte & largitionibus pontificium munus subirent.

Idem in vita Ioannis decimi sexti (vbi præter alia illorum temporum prodigia, etiam cometæ, visi anno circiter 984. meminit) ait, hæc mala ob Romani Pontificis, quem diximus, superbiam, rapacitatem, contemtumque Dei ac hominum accidisse, communem omnium fuisse opinionem.

Idem. Adsciscuntur (ad Ecclesiasticum ordinem) nunc non modò serui, & vulgò concepti, ac nati: verùm etiam flagitiosi omnes ex flagitioso quoq; geniti: à quorum sceleribus Ecclesia Dei magnum aliquod incommodum tandem capiet.

Idem in vitâ Pauli III. PP. Constantinus mandatum Pauli III. PP. de imaginum sacrarum restitutione & cultu, aspernatus est.

Idem. Erat Ecclesia Rauenn. à Romana priùs segregata, & ob eam rem Allocephala vocata. Volebat enim Rauennas Patriarcha æqualis haberi Romano Papæ: sed circa annum Domini 677. primùm Romanæ est incorporata.

Idem, Leonem quintum, ait, à Christophoro eius familiari dominandi cupidine captum, & præ animi dolore in vinculis mortuum. Christophorum (vicarium Christi) lupum, quem Leo domi aluerat, nominat, allegans illud Theocriti: Enutrito lupos, qui te comedant. Anno 905.

Idem. Hadrianus tertius initio pontificatus sui statim ad senatum populumq; retulit, anno Domini 895. ne in creando pontifice Imperatoris autoritas expectaretur, vtque libera essent & cleri, & populi suffragia. Quod quidem institutum à Nicolao I. tentatum potiùs, quàm inchoatum fuit. Illectum credo hac opportunitate Hadrianum, quòd Carolus Crassus Imperator ab Italiâ cum exercitu discedens, in Normannos rebellantes mouerat.

Idem. Sub Bonifacio 9. multa crimina per simoniacam prauitatem committebantur, petentibus contra ius fasq; omnia cùm fratribus tum cognatis: quorum magna multitudo quæstus gratiâ Romam venerat. Indulgentiæ verò, & quidem plenariæ, ita passim vendebantur, vt iam vilesceret clauium, & literarum Apostolicarum autoritas. Reuocare hæc omnia Bonifacius conatus, cognatorum precibus eò identidem redire cogebatur. Vnde meliùs actum cum Ecclesiâ censerem, si Pontifices, reiectis affinibus & cognatis, vel saltem in mediocri fortuna collocatis, pontificiæ dignitati potiùs, quàm carni & sanguini consulerent.

Item Plat. & Stella. Acciderat illi ætati (Benedicti 4.) quòd omnis virtus, tam in capite (Papam intellige) quàm in membris, ex hominum ignauia consumta fuerit. Vbi cum ipsis opibus cœpit lasciuire Ecclesia, nullo principe clericorum flagitia coërcente, peccandi mox licentia nobis hæc monstra ac portenta peperit: à quibus ambitione & largitione hæc sedes occupatur.

Idem Plat. Hanc autem calamitatem, quam nostri passi sunt, à Deo permissam, refert Eusebius, propter corruptos nimiâ libertate & indulgentiâ mores: maximè verò Ecclesiasticorum, quorum peruersitatem diuina iustitia frenare hac persecutione instituit, dum simulationem in vultu, dolum in corde, fallaciam in eorum verbis cerneret. Hi enim liuore, superbia, inimicitiis, & odiis inter se certantes, tyrannidem potiùs quàm sacerdotium tapere videbantur, Christianæ pietatis omninò obliti, ac diuina mysteria profanantes potiùs quàm celebrantes.

Veniet, mihi credite, (vtinam falsus sim vates) veniet Turcus, hostis Christiani nominis, Diocletiano, & Maximiano violentior. Italiæ claustra iam pulsat. Nos desides, & somniculosi interitum communem expectamus, voluptati priuatæ potiùs, quàm communi vtilitati consulentes.

Idem in Greg. 4. Instituit enim, ne Christi serui vlli seruituti Romanæ subiecti essent: & vt vnaquæq; Ecclesia suos prouentus haberet, vnde sacerdotes viuerent, ne ob inopiam rerum desererent cultum diuinum: néue ob necessitatem quæstui sese dederent.

Idem præterea octingentesimo ac trigesimo Dominicæ incarnationis anno, synodum multorum Episcoporum habuit, excogitatam ad honorem Dei & vtilitatem Ecclesiasticæ dignitatis, in qua quidem constitutum est, ne Episcopi & Clerici, cuiusuis gradus pretiosas exquisitas vestes, vt pote sericas & coccinei coloris, aut bracteatas ferrent: néue in digitis gemmas, nisi dum præsules sacrificant, nec in cingulis, calceis, aut crepidis aurum & argentum ferrent, quæ certè procul omni religione sunt, & magnæ incontinentiæ ac vanitatis signa manifestissima.

Vtinam nostris temporibus Ludouice viueres. Indiget nunc Ecclesia tuis sanctissimis institutis, tua censura: adeò in omnem luxum & libidinem sese effundit ecclesiasticus ordo: coccinatos & trabeatos nunc inspiceres non homines, quod leue fortasse videretur, sed equos & iumenta, præcedente, dum incedunt, magno adolescentum, & altero presbyterorum agmine subsequente, non in asinis, vt Christus nostri dogmatis auctor, & bene viuendi vnicum in terris exemplar, sed in equis præferocibus & phaleratis, ac si ex hoste deuicto triumphum ducerent.

De argenteis vasis, & egregia eorum supellectile, deq; cibariis non attinet dicere, cùm & Siculæ dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius precii dici possint. Quid verò ex hac intemperantia nascatur, prætermittam, ne os (vt ipsi aiunt) in cœlum ponam.

Idem. Formula sæuæ excommunicationis Gregorii 7. in Henricum 4. extat in hæc verba:

Beate Petre, Apostolorum princeps, inclina quæso aures tuas, & me seruum tuum exaudi, quem ab infantia educasti, & vsque ad hunc diem ab inimicorum manibus vindicasti, qui me pro mea in te fide oderunt & persecuti sunt. Tu mihi testis es optimus, & pia Iesu Christi mater, & frater tuus Paulus, tecum martyrii particeps, me non sponte, sed inuitum Pontificatus gubernacula suscepisse. Non quòd rapinam arbitratus sim, sedem tuam legitimè conscendere, aut locum tuum pro fama & gloria tantùm occupare. Fateor ego, & meritò quidem, mihi tua gratia, non meritis meis, populi Christiani curam demandatam esse, concessamq; ligandi & soluendi potestatem.

Hac itaque fiducia fretus, pro dignitate & tutela Ecclesiæ tuæ sanctæ, omnipotentis Dei nomine, Patris, Filii, & Spiritus sancti, & Henricum regem, Henrici quondam Imperatoris filium, qui audacter nimiùm & temerè in Ecclesiam tuam manus iniecit, Imperatoria administratione, regíque deiicio: & Christianos omnes Imperio subiectos iuramento illo absoluo, quo fidem veris regibus præstare consueuerunt. Dignum est enim, vt is dignitate careat, qui maiestatem Ecclesiæ imminuere conatur.

Præterea verò, quia monita mea, imò tua, ad sui ipsius populorumque salutem pertinentia contemsit: & se ab Ecclesia Dei, quam seditionibus peffundare cupit, separauit, eum anathematis vinculo adstringo, certò sciens, te esse Petrum, in cuius petra, vt in vero fundamento, rex noster Christus ædificauit Ecclesiam suam.

Idem in Bonifacio IX. Ex Alpibus descendisse in Italiam, anno ante Iubilæum, presbyterum quendam cum magna hominum multitudine, ex patre meo, qui hominem viderat, intellexi. Is quidem albo indutus panno, tantam modestiam vultu ac verbis præ se ferebat, vt ab omnibus sanctus haberetur. In Italiam itaque descendens, magnam hominum ac mulierum multitudinem in sententiam suiipsius breui deduxerat.

Linteis albis circumuoluti omnes fine discrimine, mares an fœminæ, rustici an ciues, serui an liberi essent, passim veluti pecora, vbi nox oppressisset, dormiebant. Publicè in vicis epulabantur, perlatis vndiq; certatim, quasi ad sacrum, epulis: crucifixum sacerdos ipse præ se ferebat, quem lacrymari ob hominum errata dictabat. Id quoties accidisset succlamabant omnes, veniam à Deo petentes. Laudes beatæ Virginis canebant euntes & stantes, hymnis ad id aptè compositis.

Ex Cisalpinis autem Flaminiam, Etruriam, Picentes, auctâ opinione sanctitatis, veniens, non plebem modò rudem & credulam, sed & principes & episcopos ciuitatum in sententiam suam facilè pertraxit. Substitit Viterbii cum magnâ multitudine, labore itineris fessus, Romam inde, vt ipse dicebat, ad visenda loca sancta, sanctorumque corpora, venturus. Sed Bonifacius fraudem subesse veritus, & ipsum ambire pontificatum, adiuuante illa multitudine, milites aliquot præmittit, qui hominem comprehensum ad se perducant.

Sunt qui scribant, huius fraudem quæstione detectam fuisse, hominemque in tanto facinore deprehensum meritas pœnas luisse, igne scilicet, quo exustum ferunt.

Sunt etiam qui dicant, nil fraudis in homine deprehensum: sed id fictum fuisse à pontifice ad abolendum rumorem, quo, hominem per inuidiam à Papa esse captum & necatum, affirmabant. Vtrum verius sit, Deus nouit: hoc tamen constat, post tantam colluuionem, quæ partim hac superstitione, partim frequentia Iubilæi obuenerat, magnam hominum multitudinem pestilentia consumtam fuisse.

Idem. Papa Gregorius tertius, imagines & ossa sanctorum venerari, orationes pro mortuis fieri, ac Gregorii primi Dialogos pro confirmando purgatorio publicari, mandauit. Monachi similiter Pipino Francorum duci per literas significabant, se patris eius Caroli Martelli animam in inferno vidisse sepeliri, quod censum ab Ecclesiasticis viuens accepisset, & viros religiosos pecuniis mulctasset: cum aliis adhuc præstigiis.

Vrbes inde ac plures per Italiam ditiones capiebat Romuleum diui Petri rete, quod furtum specioso Petrini patrimonii titulo obtegunt. Besetis, à quodam Beser dictis, hoc tempore vitio datur, quòd damnauerint imagines & earum cultum. O graue scelus: Pii certè homines erant, qui crescenti superstitioni circa idola, resistere piè sunt conati. Vide etiam Sabellicum.

Idem in vitâ Dionysii primi. Dionysii temporibus, Paulus Samosatenus ab orthodoxâ fide desciscens, Arthemonis hæresin suscitauit. Nam in Demetriani locum Antiochenus Episcopus creatus superbè nimiùm sese habebat. Inter eundum præ superbiâ & literas relegebat, & dictabat epistolas, multis constipato agmine præcedentibus, ac subsequentibus: vnde propter hominis arrogantiam, Christianam religionem plerique detestabantur.

Sed quid facerent nostra tempestate, qua nil vel superbiæ, vel pompæ, nolo dicere luxuriæ addi potest: si tot adolescentes anteambulones, sericatos & coccinatos, in equis ferocibus ac phaleratis, viderent? Sique subsequentium Presbyterorum turbam cernerent, chlamydibus optimi cuiusque coloris hinc inde ab equis deauratis pendentibus? exsecrarentur eos, sat scio: dicerent, eis nil cum Christo, præter similitudinem quandam religionis, commune esse.

Idem Plat. & Sabell. Pius 2. reliquit inter prouerbiales suas sententias & hanc: Sacerdotibus magna ratione ademtum est coniugium, sed maiore restituendum. Eandem quoque sententiam protulit in lib. 2. de concilio. Fortassis, inquit, non esset peius, sacerdotes quàm plures vxorari. Quoniam multi saluarentur in sacerdotio coniugato, qui in sterili presbyteratu damnantur.

Idem Pius 2. qui & Æneas Syluius, Cœlio secundo teste, collegia quædam Brigittinarum, & Claranarum monialium dissoluebat, iubens eas exire, ne ampliùs vterentur: néue sub religioso habitu meretricem celarent. Multas huius Pii 2. laudes (inquit Volateranus) vnum ambitionis vitium commaculabat.

Etsi hic Platina Papis adulatus sit: tamen nimia ipsorum turpitudine ac malicia coactus, aliquando etiam subindicat Babyloniæ meretricis nefanda scelera.

In Marcellino queritur, Paparum scelera eò excreuisse, vt vix apud Deum misericordiæ locum reliquerint: auariciam, superbiam, neglectum doctrinæ, & religionis simulationem, mores etiam prophanis detestandos propalàm esse, vt inde laudem quærere videantur.

In Pontificibus post millesimum annum subinde repetit, omnem pietatem & sanctitatem à Papis ad Cæsares migrasse.

Locus in Marcellino sic habet: Sed quid futurum nostra ætate arbitramur? qua vitia nostra eò creuêre, vt vix apud Deum misericordiæ locum nobis reliquerint. Quanta sit auaricia sacerdotum, & eorum maximè, qui rerum potiuntur, quanta libido vndique conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia & desidia, quanta ignoratio cùm suiipsius, tum doctrinæ Christianæ, quàm praua religio, & simulata potiùs quàm vera, quàm corrupti mores, vel in prophanis etiam hominibus (quos seculares vocant) detestandi, non attinet dicere: cùm ipsi ita apertè & palàm peccent, ac si inde laudem quærerent.

Huic non absimilis est locus in Stephano III. Itum autem est à Lateranensi Basilica ad sanctum Petrum, cum maxima omnium religione, nudis pedibus, & à Pontifice & ab hominibus, qui tum


aderant. Nunc verò adeò refrixit pietas & religio: quòd, non dico nudis pedibus, sed caligati & cothurnati vix supplicare dignantur. Non flent inter eundū, vel dum sacrificatur, vt illi sancti patres: sed rident, & quidem impudenter. De his etiam loquor, quos purpura insigniores facit. Non hymnos canunt, id enim seruile videtur: sed iocos & fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? Quò quis dicacior est, & petulantior, eò maiorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Seueros & graues reformidat hic noster clerus. Quid ita? Quia in tali licentia malunt viuere, quàm benè monenti aut cogenti obtemperare, & ob eam rem Christiana religio quotidie in peius labitur.

Idem. Honorii 2. Pontificis tempore fuit Romæ Arnolphus Christianæ religionis prædicator egregius: hic clericorum insidiis necatur, quòd acerbè nimium in eorum lasciuiam & libidinem inueheretur: quodq; eorum pompam, & in corradendis diuitiis nimium studium improbaret: paupertatem Christi, & integerrimam vitam ad imitationem omnibus proponens. Hunc multi ex Romana nobilitate, tanquam verum Christi discipulum, sequebantur, hunc laudibus ad cœlum tollebant. Hinc odium, hinc iræ in perniciem benè sentientis vsq; ad necem excitatæ.

Idem. Crescentius Romanus, Ottonis seueritatem formidans, Papam Ioannem 17. à se profligatum, ex Hetruria reuocauit: eiq; cum cæteris senatorii ordinis viris, ac plebis ingenti multitudine obuiam processit, & ad pedes eius prouolutus, eos osculatus est, supplexque veniam impetrauit.

Idem. Gisulphus Dux Beneuentanus vastabat Campaniam: quem non fulmine excommunicationis, vt postea Papæ fecerunt, sed precibus repulisse Ioannem Sextum, legimus.

Idem. Dum Innocentius septimus, Rom. Pontifex, adhuc Cardinalis esset, carpere negligentiam priorum Pontificum consueuerat: quòd eorum socordia factum sit, ne schisma Ecclesiæ sublatum esset. Verùm ipse Pontificatum adeptus, eorum vestigia, quos priuatus carpebat, non tantùm est secutus: sed & iniquo animo ferebat, si quis apud se vllum de eâ re verbum fecisset.



Præterea verò adeò tumultuosè omnia gubernabat, vt cùm semel Romani in libertatem restitui peterent, instarentque, vt schisma prædictum tolleret, seditiones extingueret, atque Ecclesiam reformaret: Romanos ipsos tyrannus ad Ludouicum nepotem, quem agri Piceni marchionem creauerat, tanquam ad certum carnificem misit. Is enim vndecim ex eorum ciuibus, ad hoc missos, vt labenti reipublicæ consulerent, statim necauit, eque fenestris deiici fecit, dicens, non alio modo schismata posse tolli. Et hæc fiebant anno 1406.

Idem in Antero. Censuit item, episcopum omisso primo episcopatu ad alium necessitatis causa & vtilitatis, non sui ipsius, sed creditarum ouium, posse transferri, interposita summi pontificis auctoritate, quod hodie à plerisque contra fit: ad vtilitatem enim propriam respicientes, imò voluptatem, vt habeant vnde expilent, ad vberiorē semper respiciunt, nō quòd oues, & qua ratione pascendæ sint, quærentes, quod est officium boni pastoris: sed sciscitantes, quantum singulis annis inde excerpi possit. De cura animarum parua fit mentio, de augendis prouentibus magna: quò multa iumenta & plures seruos, ac eos quidem ignauos & stolidos, domi alant.

Idem. Damasum primum, constat, non solùm vi & armis, sed multis cædibus, etiam in templo editis, pro Pontificatu certasse, & superiorem euasisse: immò etiam (vt refert Ammianus Marcell. qui eo tempore floruit, & scripsit lib. 27.) tanta, tamque cruenta seditione Damasus & Vrcisinus, supra humanum modum ad rapiendam episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrimè conflictabant instar belli, vt nec Iuuencius, vrbis & palatii præfectus, sedare potuerit: sed vi magna, vrbeque relictâ coactus fuerit secedere in suburbanum: & tandem in concertatione superauit Damasus: sed vno die 137. cadauera peremtorum in ipso templo reperta sunt, non computatis his, qui aliis diebus vel extra templum occisi sunt.

Cau-

Causam tam præfractæ cupiditatis aperit Ammianus securitatem triplicem: nempe diuitiarum, fastus, & deliciarum: cùm id adepti (inquit) futuri sint ita securi, quippe ditantur oblationibus matronarum, proceduntq; vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò, vt eorum conuiuia regales superent mensas. Et exprobrat eis Antistitum prouincialium frugalitatem, sanctitatem & verecundiam. A. 369.

Idem in Steph. 6. Refert Martinus scriptor, Stephanum tanta rabie desæuisse, vt habito concilio corpus Formosi è tumulo tractum, pontificali habitu spoliatum, indutumque seculariter sepulturæ laicorum mandauerit, abscissis tamen dextræ eius duobus digitis, illis potissimùm, quibus in consecratione sacerdotes vtuntur, in Tiberimque proiectis, quòd (vt ipse dicebat) contra iura sacramenti Romam & sacerdotium repetijsset, quo à Ioanne octauo iure spoliatus fuerat.

Magna fuit hæc controuersia & pessimi exempli, cùm postea ferè semper seruata hæc consuetudo sit, vt acta priorum pontificum sequentes aut infringerent, aut omninò tollerent. Quod hactenus certè ab optimis illis pontificibus, quorum vitas conscripsimus, alienum fuit.

Paulùm certè abfuit, quin nostra tempestate Paulus secundus Venetus Formosi nomen (vt fit) sibi inderet, quòd id nomen ei maximè conuenire videretur propter proceritatem corporis & maiestatem. Quò minùs autem id faceret, deterruêre eum Cardinales quidam historiæ gnari, ne post mortem id ei accideret, quod olim Formoso. Tulit id ægrè Paulus, quia nil ei præter hoc nomen ad summam felicitatem deesse videbatur.

Idem. Romanus patria Romanus, vbi pontificatum iniit, Stephani pontificis decreta & acta statim improbat, abrogatque. Nil enim aliud hi pontifices cogitabant, quàm & nomen & dignitatem maiorum suorum extinguere, quò nihil potest esse peius & angustioris animi. Qui enim his artibus nituntur, nulla virtute muniti, eo de loco abradere bene merentes conantur, quem ipsi ob ignauiam & malitiam attingere non possunt.

Neminem siquidem vnquam inuenies alienæ famæ inuidere, nisi qui omnibus probris contaminatus, desperat, suum apud posteros celebre nomen aliquando futurum. Hi sunt, qui fraude, malitia, dolo, maledicentia de humano genere benè meritos mordent, lacerant, accusant, corrodunt, tanquam ignaui canes & inutiles, nec feris sese obiicientes ob timiditatem, sed vinctas & caueis inclusas mordentes.

Commemorare tamen huius pontificis nomen libuit, quia de more Petri sedem obtinuit, in qua tertio pontificatus sui mense demoritur, anno 899.

Idem in vita Hadriani primi. Leonem IV. Imperatorem, quemadmodum & Paulum secundum Pontificem Romanorum superbia ad mortem rapuit. Nam Constantinus Imperator moriens Quartum Imperatorem reliquit, qui adeò gemmis delectatus est, vt direpto sacrario sanctæ Sophiæ, coronam magni ponderis ac precii sibi constituerit, qua quidem ita frequenter vtebatur, vt aut propter pondus, aut frigiditatem lapillorum subito morbo correptus sit.

Idem quoque accidisse nostra ætate Paulo secundo putauerim, qui fucis sibi faciem concinnare solebat, & adeò his muliebribus delinimentis delectatus est, conquisitis vndique magno precio gemmis, & exhausto penè Ecclesiæ Romanæ ærario, vt quotiescunque in publicum prodiret, Cybele quædam Phrygia, ac turrita, non mitrata videretur. Hinc ergò ortam, tum ex sudore præpinguis corporis, cùm gemmarum pondere apoplexiam illam, puto, qua correptus subitò interiit.

Idem in vita Nicolai tertii. Non caruit in tantis laudibus reprehensione. Suos enim ita amasse dicitur, vt aliunde raperet, quod eis condonaret: immemor legum, quas in scrinio pectoris habere censetur, c. Diaconi sunt. dist. 93. sua possessione sit contentus, ac res non inuadat alienas, non agrum pauperi tollat, non vineam, non subuectorium aliquod, non famulos, non fructum.

Et sequitur: Quantò magis qui Ecclesiæ Dei præest, debet ita seruare in omnibus iusticiam, vt solum sibi vendicet, quod sui iuris esse cognoscit: aliena non rapiat, aliena non contingat: dum enim quisque suum perdit, clamat ad Dominum, & exauditur à Christo: nec differtur vltionis sententia, si non conuertimur, si duri colli sumus, si in peccato vsque ad mortem illicitè perduramus: assiduè peccantium non miseretur Deus. Hactenus c. Diaconi.

Idem Platina, & alii. Multi planè inter Papas sæpiùs successores, suorum præcessorum gesta seu acta irrita fecerunt, abrogâruntque.

Quin & tota noua quæstio 35. causæ id disputat, errata priorum Paparum à successoribus corrigi, mutarique posse, ac debere. Quo ex testimonio apparet, Papam non esse ἀναμάρτητον, impeccabilem, vt ita loquar, sicut multi impudenter loquuntur, eum errare non posse.

Idem Plat. & Sabell. Legimus, schisma in Paparum electionibus maturè cœpisse inter Symmachum Laurentinum, & Petrum Alcinatem, vt à consilio ad arma itum, & cruor vtrinque fusus sit, atque ita desæuitum, vt factiones etiam in sacras virgines ferrum stringerent: sicuti & anno 531. inter Bonifacium secundum, & Dioscorum.

Platina, Stella, Carsulanus tribuunt prioribus Pontificibus ceremoniarum, rituum & traditionum varia instituta & initia. Sed quis sapiens putaret, simplices & pios verbi ministros & pastores, quales tunc erant Romani Pontifices omnes, in latibulis, cryptis, montibus & specubus habitantes, & nihil sub Tyrannis præter mortem indies expectantes, de fastu, ædificiis, aut ordinationibus cogitasse, cùm nec templa nec ædes haberent.

Falsa igitur omnia sunt, quæ Pontificibus ante hæc tempora vsque ad Constantinum & Syluestrum tribuunt. Hinc Mantuanus 12. Fastorum libro de Christianorum templis:

Cæsar hic in nostram gestans pia pectora gentem,
Maxima templa Deo, diuisq́, eduxit in auras:
Immensas donauit opes, vasaq́, aurea, fundos:
Vnde sacerdotes magnis prouentibus aucti.

Huius Syluestri permulta feruntur instituta, de chrismate consecrando, ordinibus dandis, pueris confirmandis, templis ornandis, altaribus tegendis, missatoribus constituendis, vngendis, vestiendis: hostiisque vt vocant, deificandis, adorandis, seruandis. Item de dalmaticis, cappis, corporalibus, albis, mitris, palliis, pannis, peplis, sindonibus, sacrificiis, ceremoniis, asylis, extremis vnctionibus, aliisq; ritibus non solùm Iudaicis, sed & Ethnicis, superstitiosis, ac diabolicis, ab Apostolo Paulo atque ipso Christo damnatis.

Dicitur quoque à Polydoro, Platina, & aliis Romanistarum scriptoribus, eum Ethnica dierum nomina, Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Iouis, Veneris, & Saturni, ad Christianorum vsum, in Iudæorum ferias commutasse, ac Phrygiam mitram aurei diadematis loco occupasse. De eius verò miraculis sic scribit prædictus Mantuanus:

Magna quidem memorant alii miracula ab ipso
Aedita Syluestro: sed nullus idoneus autor,
Nec testis productus adhuc: ideoq́, relinquam
Talia, quæ possunt quædam figmenta videri.
Nostra etenim nugas, deliramentaq́, damnat
Relligio, nec dat linguis mendacibus aures.

Syluester anno Domini 334. confessor obiit.

Narrant plurimi historici, ingentia fuisse certamina longo tempore Papis cum Imperatoribus, aliisq; Regibus, Principibus, & ciuitatibus, multumque Christiani sanguinis fusum, dum subinde Papæ crescere, pluraq; ad se rapere, & orbem terrarum sibi in seruitutem vendicare conati sunt.

Deficiente iam debilitatoq; regno Romano cœperunt Papæ crescere: quod & Paulus futurum prædixerat 2. Thess. 2. Primùm rapuerunt sibi Romam (quam tamen admodum serò, nempe circiter ante annos 300. & ægrè sua libertate, teste Sabellico, prorsus spoliârunt) & circumuicina loca. Ac quò faciliùs illa retinere possent, commenti sunt fictitiam (vt multi postea probârunt) donationem Constantini.

Nec eo contenti, cùm viderent Gallicorum Regum potentiam sibi ad augendas opes vsui esse posse, conati sunt Imperatoriam dignitatem à Constantinopolitanis Imperatoribus ad eos transferre.

Verùm Carolus Magnus pro sua modestia noluit eum titulum recipere. (videbat nimirùm, transferri eam dignitatem ab eo, qui tale ius non haberet.)

Cùm deinde Carolus in Italia vi Regis Longobardorum, & alios quosdam dominos oppressisset, partim imperito quodam zelo Romanensibus artibus excitato permotus, partim etiam vt gratitudinem suam testaretur, multas ciuitates, magnamque Papæ largitus est potestatem.

Remansit tamen adhuc aliquandiu vetus ius (firmissimo Papæ Cardinaliumque iuramento & decreto denuò firmatum) penes Imperatores, confirmandi Romanos Pontifices, conferendique Episcopatus, Archiepiscopatus, & Abbatias.

Postea ambitionis furiis extimulati Papæ, statuerunt contra priorum Paparum sanctissima iuramentisq; firmata decreta, vt liceat Romanensibus Curtisanis eligere Papam, quem velint, sine Cæsaris consensu.

Deinde ne hoc quidem contenti, decreuerunt, ne vllius Imperatoris electio rata sit sine ipsorum comprobatione, vt scilicet vice versa, sicut antea Papa pietatis confirmationem à Cæsare, sic iam Cæsar à Papa eam emendicare cogatur.

Quartò, extorserunt per multa & tristia, ac plùs quàm ciuilia bella, Imperatoribus, ius conferendi Episcopatus, Archiepiscopatus, Abbatias, & alias Prælaturas: quas non nisi suis mancipiis, aurumq; afferentibus contulerunt. Atq; ita orbis terrarum opes ac potentiam ad se pertraxerunt.

Denique & veluti infimæ sortis subditos suos iuramento sibi obstrinxerunt: iusq; creandi & deponendi pro libitu Cæsares, tanquam suos vilissimos famulos, sibi rapuerunt: adeò, vt, cùm vel in parua re Imperator aliquis peccauit (vt quòd Fridericus primus sinistrum fulcrum ephippii tenuit) aut ipsis obedire noluit, protinus eum tanquam hæreticum Papa excommunicauerit, deposuerit, & alium in locum eius subrogauerit.

Hanc

Hanc tyrannidis suæ arcem Papa dum occuparet, nihil pensi habuit, clauibus abuti, infinitum sanguinem Christianum fundere, ciuilibus bellis populum Dei affligere, fratres ac filios contra parentes incitare, subditos iuramentis fidelitatis soluere, Ecclesias ministerio verbi ac sacramentorum per sua impia interdicta priuare, & denique cœlum terræ miscere, omniaq; humana & diuina iura furenter violare & prophanare.

Benno, Platina, Onuphrius, Mart. Polonus,
Pet. Damianus.

THeophylactus Benedicti & Ioannis pontificum ex fratre Alberico nepos, ad pontificiam dignitatem magia, qua insignis habebatur, euectus, Benedictum IX. se appellauit, literarum adeo rudis, vt collegam, qui suo loco sacra tractaret, secum consecrari voluerit: verùm pluribus id fieri improbantibus, ab incepto destitit. Mulieres quascunque suis incantationibus in turpes trahere poterat amplexus. Ioannem Gratianum Archidiaconum laborum primò socium sibi adiunxit.

Verùm is postea, M D. libris auri erogatis, sibi soli pontificium munus mercatus est, sub Gregorii VI. nomine, cùm Benedictus Lateranense palatium, totus voluptatibus & luxui deditus, incoleret.

Dignitate sua Benedicto exuto, Ioannes Sabinensis Episcopus largitione sedem occupauit, mutato in Syluestrum III. nomine. Sed eo pulso Benedictus denuò restituitur, tumultuante vrbe, & nunc vnum nunc alium appetente.

Graui tum schismate laniata Ecclesia, ac hæresibus nefandissimis propemodum suffocata, ad propriam sedem ab Heinrico III. Imperatore, anno 1045. redire compulsus fuit, in eaq; permansit. Per interualla sedit annos decem. Tandem in syluis à quodam dæmonum, quorum familiari sæpius vti consueuerat colloquio, suffocatus est.

Referunt historici, Benedictum prope molendinum à quodam Eremita horrenda imagine visum. Erat enim corpore viso, cauda atque capite asino similis. Et cùm interrogaretur, vnde in eam incidisset metamorphosin? respondisse fertur: Hac specie oberro, quia in pontificatu sine ratione, sine lege, sine Deo vixi, & omnibus probris Romanam sedem inquinaui.

Defensorium Ecclesiæ, seu speculi Hierarchiæ Ecclesiasticæ fasciculus. 1460.

CIrca eadem tempora excusus est liber non admodum prolixus, titulo Defensorium Ecclesiæ, seu speculi Hierarchiæ ecclesiasticæ fasciculus, cõtra Mendicantes monachos scriptus, suppresso authoris nomine ob immanem Paparum tyrannidem. Disputat verò præcipuè hæc contra eos:

Non licere cuiquam Monacho vsquam concionari, sine ordinarii Episcopi permissione: mendicitatem nullo modo esse perfectionis opus, imò nec pium quidem, sed sacris & prophanis legibus prohibitum: quare pauperibus monachis omninò laborandum esse, vt de opere manuum suarum viuant. Prolixè id multisque testimoniis, cùm sacrarum literarum tum patrum, confirmat.

Negat quoque, rectè Papam facere, qui tanta priuilegia det monachis. Citat inter alia ipsius Francisci regulam capite 5. qui affirmat, eam esse sanctissimam paupertatem, si suis manibus monachi operentur, ac inde viuant. Citat Petrum reprehendentem matrem Clementis, quòd mendicabat. Item Antonium Heremitam, damnantem mendicitatem. Item veterum Ægyptiorum Patrum sententiam, qui soliti sunt dicere, monachum operantem ab vno dæmone vexari, ociosum ab innumeris.

Obiicit quoq; monachis in tertia distinctione, quòd varias superstitiones ex hypocrisi inuenerint, quodq; frustra colant Deum hominum mandatis: omnia enim ipsorum esse commenta, & traditiones hominum, &c. Quicunq; demum eius scripti author fuit, omninò multos monachorum abusus vidit, & grauiter taxauit. Illyr. Imp. Friderico 3. PP. Pio 2. V. S.

Ioannes Hagen Carthusianus. 1460.

SCripsit multa, & inter alia Planctum super religiosos malè viuentes: de futuris prodigiis, cognitione & causa eorum: de reformatione Ecclesiæ, in capite & membris: de reformatione religiosorum & modo practicandi: de omnibus statibus spiritualium, videlicet Papæ, Cardinalium, & Episcoporum; de reddendo debito coniugi, & de modo: (sed quis Monachum edocuit, qualiter vxor sit tractanda? suo indicio proditur vt sorex.) vtrùm Clericus possit dare licentiam intrandi ad Moniales? Quis dubitat? Nec non & librum scripsit contra dogmata Flagellantiũ. Imp. & PP. V. S.

Epitaphium vetustissimum mysticum.

Quid agam, requiris?
Tabesco.
Scire, quis sim, cupis?
Fui.
Vitæ quæ fuerint condimenta, rogas?
Labor.
Dolor.
Luctus.
Seruire superbis dominis.
Iugum ferre superstitionis.
Quos habui caros, sepelire.
Patriæ videre excidium.
Nam vxoris molestias nunquam sensi.
Imp. & PP. V. S.

Antiqua Prophetia.

ECclesiæ Præses est deses: non mollit, sed tollit.

Nicolaus Cusanus de concordia Catholica l. 2.

1464. QVantum ex hoc clarè probatur, auctoritatem Synodi supra Papam esse: & etiam commissarios Synodi, vicem totius synodi gerentes, Papæ in commisso præferri. Fuit credo ille Papa sanctus Damasus, qui hanc rescripsit: quoniam, vt ex immediatè sequenti epistola 73. habetur, tunc Damasus illis temporibus fuit, vbi dicit Ambrosius: Nam & ante biennium misit ad me sanctus Damasus, Romanæ Ecclesiæ sacerdos, iudicio Dei electus, &c. Quare, concluditur, vniuersale concilium ritè adunatum, licet graduationes inter se habere possit, quoad iudicia: est tamen semper maioris auctoritatis, & minoris fallibilitatis, quàm Papa tantùm.

Ex quo sequitur corollariè, vniuersale Concilium etiam in alio quàm hæresis casu Papam deponere posse. Sicut hoc etiam de Benedicto 12. & Ioanne 23. legitur. Et hoc probatur Extra. c. 1. de renunc. lib. 6.

Quia si papalitas ab hoc subiecto materiali, scilicet isto homine, est iudicio ipsius Papæ, dum se inutilem iudicat, remouibilis, vt ibidem, & hic habetur, maioris auctoritatis esse concilii iudicium, quàm Papæ tantùm, & minùs fallibile: tunc clarum est, quòd sicut Papa tunc potest ex causa legitima cessare ab administratione, ita etiam subiecti, communi consilio possent ex eisdem causis in præstando obedientiam cessare, quando inutiliter administraret. Dum enim prælatus eligitur, eligitur vt præessendo prosit, 1. q. vers. ecce cum honore. 8. q. 1. qui episcopatum. 28. q. 1. iam nunc. de renunc. non cum pridem. vers. porrò. 23. q. 4. quisquis.

Vnde quando inutilis est, tunc conditio tacita, secundum quam consensus interuenit, & cessante causa propter quam electio facta est, præstant illam auctoritatem sic ipsi concilio, à fortiori, quàm seipsum in illo capite primo Papa habere dicit. Et non habet aliquis ratione vtens in hoc dubium, quin maior sit potestas ipsius concilii Ecclesiam repræsentantis, in papalitatem, vt secundum vtilitatem Ecclesiæ materiale eius subiectum disponatur: quàm vnius hominis in iudicio in ipsam papalitatem sibi nomine Ecclesiæ, & propter ipsam adiunctam. Illyr. Imp. 115. Frid. 3. PP. 217. Pio 2.

Idem primùm reprehendit quosdam errores & crimina Papæ, postea factus Cardinalis eundem tueri cœpit: sed tamen scriptis non paucorum Antichristi mendaciorum & errorum vanitatem refutauit.

In libris de concordia catholica refutat vanitatem donationis Constantini quæ est in Decretis: item Epistolarum Clementis & Anacleti, eandem superioritatem seu primatum adstruentium,

qui &

qui & in Donatione ponitur. In libro de Pace fidei probat, nos sola fide iustificari, non ex merito operum, multoq; minùs per traditiones humanas, quas etiam vehementer extenuat.

Sed editus est proprius liber Germanicè, nomine Herculis Papæ, in quo prolixè sententia Cusani contra Papæ errores ex libris eius demonstratur. Eum, qui vult pleniùs cognoscere, in quibus articulis Cusanus Antichristo contradixerit, legat. Certum est enim, illum plurimos ipsius errores reprehendisse.

In concionibus, cùm esset apud Germanos Papæ legatus, solitus est mendicantes accusare, quòd non sint probatæ vitæ: item, quòd perturbent ordinem siue hierarchiam Ecclesiæ. Item quòd Ecclesia in meliori statu ante eos fuerit. Ob quam causam acres contentiones cum monachis habuit, quarum summam quandam descriptam inuenies.

Est porrò in ea, peruenisse in manus Cusani scriptum cuiusdam prouincialis mendicantium, in quo assertum probatumque fuit, Romanam Ecclesiam esse illam Apocalypticam meretricem, sedentem super aquas multas. Quare non sine causa eum Antichristi ministri oppresserunt. Affirmatur etiam ibidem, multùm tunc solitos fuisse mendicantes concionari contra sedem Apostolicam. Catal.

Idem. Non mirum est, si Ecclesia interpretatur scripturam vno tempore vno modo, & alio tempore alio modo.

Hic idem in Germania inter salutaria multa, constituit etiam: ne venerabilis Eucharistia in publicum deferretur: quia eius vsus à cœlesti Magistro institutus esset ad esum, non ad ostentationem. Crantzius in Vandalia lib. XI. c. 39.

Idem tract: de coniecturis nouiss: diei. Quemadmodum anno Iubilæo ab Adamo homine primo, tempore Noæ, per diluuium peccata sunt extincta: sic etiam arbitramur, post 2. Adamum, Dominum nostrum Iesum Christum, 34. Iubilæo peccata per ignem sublatum & extirpatum iri.

De eodem.

QVodam tempore Nicolaus de Cusa Cardinalis Theutonicus (quod est monstrum corno raris albo) vir doctissimus, legatione functus summi Pontificis per Germaniam, (quòd Pius 2. Pontifex Germanis, quàm à multa memoria vllus Pontifex, affectior esset) quòd Germaniam ille Germanicus nosset, diu versatus in eius prouinciis, multa religiose constituit in prouinciis, quæ apud metropoles seruantur. Peruenit Magdeburgum, & vsq; Hildensem: citrà descendere non potuit, quòd concitus in Italiam reuocaretur.

Cùm venisset ad Ecclesiam suam Brixinensem in Alpibus, deq; illa disponere voluisset, pro veteri Pontificum iure: non est passus Sigismundus Dux Austriæ, vt ea in Germaniam tenderetur consuetudo, quòd Romani Cardinales ecclesias Germaniæ haberent in commēdis, quomodo abbatias & monasteria Italiæ, Galliarum, Hispaniæ, Angliæ, quæ vna causa est, in eis prouinciis creari Cardinales, non in Germania. Graue oritur dissidium inter Cardinalem & Ducem: vterq; suum gladium stringit in alterutrum. Captus Cardinalis, custodiæ mancipatur. Pontifex execratione & maledictis insectatur ducem.

Mittit ille in vrbem pro se oratorem, qui Pontifici reddat sui facti rationem. Erat homo quidem doctus, sed pertinax, qui venerat, Orator: &, vt qui Pontificē in minoribus se minorem cognouisset, audentiùs tuebatur causam commendatā. Vbi non profecit, appellationem interponit, quæ extat, eamq; in vrbe publicat. Interim Papa & ducem & nuncium eius execrationibus diris insequitur. Fugit Gregorius (hoc enim illi nomen erat) Heymburg, de quo etiam suprà, in Bohemiam: ibi ducta vxore contemnit Pontificis execrationes. Interim omnis ducatus parens Sigismundo, ecclesiastico supponitur interdicto, vetitis omnibus vllam habere communionem cum incolis: neque terram illam pertransire fas sit peregrinis. Sed facilè Principi cum principe conuenit, vbi Chrysostomus venit in medium.

D. Lurtzen in tractatu de squaloribus curiæ Rom. 1460.

INsectatur prolixè corruptissimum statum, vitam, & tyrannicum regimen Papæ, eiusq; Spiritualium, & alia eorum scelera. Ipsum fuisse pium, & non indoctum, ex eius scriptis apparet. Porrò scriptum eius sic incipit: Moyses factus est tanquam solitudinis amicus, &c. & illud aliqua exemplaria inscribunt M. Matthæo Cracouiensi, qui fuit Episcopus VVormaciensis, & circa Hussi tempora vixit. Testantur verò eadem exemplaria, id scriptum à prædicto Episcopo ad Basiliense concilium transmissum esse. Illyr. Imperatore & Papa vt suprà.

Thomas Gascoigne in dictionario Theologico. 1460.

CIrca annum D. 1440. populus Angliæ, ob profusissimas indulgentiarum papalium copias, dicebat: Roma ad nostras fores nunc venit. Ecclesia R. meretrix magna est: quia iam cuique

se exposuit pecuniam offerenti. Et cùm omnia essent, inquit, papalibus condonationibus plena, indulgentias tandem dabant Papæ negociatores pro cœna, pro concubitu, pro haustu vini vel ceruisiæ, pro pilæ lusu, & interdum pro actu venereo. Imp. & PP. V. S.

1462. *Ioannes Monachus apud Glo. in c. fundamenta. de elect. in VI.*

ROmam, ait, à prædonibus fundatam adhuc de suis primordiis retinere. Ex eius præclaris monumentis hæc celebrantur quoque:

Roma manus rodit, quas rodere non valet, odit:
Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit:
Curia curarum genitrix, nutrixq; malorum,
Ignotos notis, inhonestos æquat honestis.
Item alio loco: *Curia vult marcas: bursas exhaurit & arcas.*
Si bursæ parcas, fuge Papas, & Patriarchas.
Si dederis marcas, & eis impleueris arcas,
Culpâ solueris, quacunque ligatus haberis.
Intus quis? tu quis? ego sum. Quid quæris? vt intrem.
Fers aliquid? non: esto foris. Fero: quid? satis: Intra.
Imp. & PP. V. S.

1464. *Ordo Equitum Lunæ.*



REinerus Angium Dux, cùm Regno Siciliæ potitus esset anno D. 1464. ordinem hunc instituit: cuius Equitibus Lunæ crescentis argenteam figuram, in brachio gestandam, tribuit. Heuterus rerum Burgund. Ordinis huius leges erant omnium fortunarum & periculorum communio. Io. Tilius in Chronico ex Io. Iouiano. Imp. & PP. V. S.

1464. *Prodigiosum.*

COnstantius Varolius in Anat. libro 4. capite 4. Galeottus Narniensis cap. 18. de doctrina promiscua, Cardanus l. 8. c. 43. de varietate, VVierus lib. 4. c. 24. de præst. dæm. Gemma l. 1. c. 7. Cosmocrit. Marcellus Donatus hist. mirab. l. 6. c. 2. D. D. Ioan. Cuelmanus de obser. propriis, Georgius Bortinus suæ medicinæ lib. 4. c. 10. Pareus lib. 24. c. 5. Iulius Alexan. l. 22. c. 14. Salubrium, Lusitanus Cent. 2. Curat. 39. Fulgosius lib. 1. cap. 6. Plinius lib. 7. c. 4. Nat. Raph. Volat. lib. 24. Vrbanorum, Pontanus l. 10. de reb. cœl. Gaudentius Merula lib. 1. memorab. c. 3. Alanus Copus dial. 1. c. 8.

Ex his autoribus constat mirabile quoddam, nimirùm, mulieres in viros & econtrà viros in mulieres fuisse conuersos, etiam in illis personis, quæ priùs in matrimonio ad duodecimum & decimum quartum annum vixerant, & pepererant. Causas & modum huius mutationis reperies apud illos.

Idem Alanus Copus. In dialogo p. 115. non vt in aliis, nugas agit, sed infinitam Pontificis iurisdictionem ex æquo & bono corrigendam, censet.

1464. *Doctor Ioannes de VVeßalia, Concionator VVormaciensis.*

DOcuit, gratis, meraq; gratia per fidem in Christum, saluari omnes. Liberum arbitrium nihil esse. Tantùm verbo Dei credendum, non glossæ, aut patribus: Verbum autem Dei per collationem locorum mutuam illustrandum esse. Prælatos non habere ius condendi leges, aut interpretan-

pretandi scripturam iure prætorio. Humanas traditiones, vt ieiunia, indulgentias, festa, longas precum battologias, peregrinationes, & similia penitus reiecit. Extremam vnctionem & confirmationem reprobauit. Confessionem & satisfactionem reprehendit. Primatum Papæ nihil esse, docuit. Dixit etiam, se vereri, nostros doctores male exponere Scripturas.

Recitantur & hæc sequentia Germanicè tanquam hæretica dicta.

Item Doctor Wessalia soll gesagt haben/ was Sünde in der Heiligen Schrifft nicht stehet/will ich auch nicht für Sünde halten: Weißt ein anderer weiter vnd baß / will ichs jhm wol gönnen.

Die heilige Kirch soll auffgesetzt haben die Fasten/ vnd das man furbaß mehr in der verbundenen zeit nicht Bräut einführen / vnd Hochzeit machen soll. Es ist eitel lugen / reperendo & exaltando vocem. Die Vätter so die Fasten auffgesetzt / haben sie wöllen abstellen / etliche Speiß zu meiden/ so haben sie doch nicht gewölt / das der Mensch nicht esse/ wann jhn hungert. Als dick den Menschen hungert/mag er essen. Vnd du möchtest am Karfreytag einen guten Capaunen essen.

Jch verachte den Bapst / die Kirche/vnd Concilia, vnd lobe Christum. Verbum Christi habitet in nobis abundanter.

Item dixit, Es ist nunmehr schwer Christen zu sein.

Apparet etiam ex quibusdam interrogationibus, eum probasse coniugium sacerdotum. Item communionem sub vtraque specie.

Condemnatus est anno 1479. Moguntiæ. Expertus est nimirùm ipsemet ille bonus vir, quàm difficile sit esse Christianum, sicut antè dicere solitus erat. Scriptor, qui historiam condemnationis D. Ioannis de VVessalia conscripsit, narrat, eam condemnationem vehementer displicuisse duobus doctissimis Theologis, D. Ioanni Keysersbergio, & D. Engelino Brunsuicensi, qui iudicauerunt, eum inuidia monachorum oppressum. Addit etiam, Engelinum affirmasse, plerosq; eius articulos defendi posse.

Historia extat in Paralipomenis Vrspergensis, & simul impressa est cum duobus libris Æneæ Syluii de concilio Basiliensi.

Iacobus VVimpfelingus testatur, eundem VVessaliam docendo & scribendo non parùm scholam Erphordiensem illustrasse. Eius scripta adhuc Erphordiæ inueniri possunt. In libello suo contra indulgentias affirmat, necessaria ad salutem omnia in sacris literis contineri. Indulgentias refutat, ac etiam veteres quosdam, præsertim Cantorem Parisiensem, solitum affirmare, Indulgentias esse pias fraudes, quia per eas laici ad eleemosynas dandas alliciantur. Item docet, Ecclesiam errare posse. Item docet, Papæ primatum humanum inuentum esse. Catalog. Imp. Fr. 3. PP. Pio. 2.

De eodem.

EO tempore, quo Æneas Syluius Papa Dietherum Episcopum Moguntiacum indignissimè deposuit, iste Ioannes ab Hæreticorum inquisitoribus suæ fidei rationem reddere est iussus: vbi inter cætera contra Pontificem hæc statuit:

1. Oportere prælatos solum Euangelium docere, non nouas leges condere.
2. Indulgentias nullius esse pretii.
3. Decretis Ecclesiæ neminem ita ligari, vt ea omittens peccatum mortale designet.
4. Electos sola gratia saluari.
5. Etiamsi nullus omninò Papa esset: nihilominùs tamen omnes saluari, quicunque essent saluandi.
6. Papas, Episcopos, & Prælatos nullâ necessitate, sed tantùm propter ordinem & pacem creatos fuisse.
7. Si Petrus ieiunium instituisset: potuisset existimari, ideò fecisse, vt pisces suos faciliùs ac citiùs venderet. Sed Christum non præcepisse à carnibus abstinere, nec vllum vnquam cibum prohibuisse.
8. Christum non aliam orationem docuisse, quàm Pater noster.
9. Christum non præcepisse, vt horæ Canonicæ & septem tempora decantarentur.
10. D. Petrum solâ oratione Dominicâ Missam celebrasse, ac inde se suosq; instruxisse, &c.

Ioannes Capgraue.

IOannes Capgraue in Cantiorum comitatu natus, aduersus Prælatorum petulantiam, atque impias tyrannides detonare solitus fuit, dicens: Quòd immodicè suas dilatârint fimbrias: laudem aucupantes apud imperitam multitudinem. Item, quòd non pastores, sed mercenarii, lupis exposuerint oues: lac & lanam quærentes, non animas. Hos patriæ prædones appellauit, ac malos operarios: vt quibus veritas fuerit oneri: ius contemtui: crudelitas delectationi. Obiit Lynnæ Nordouolgiæ oppido, anno 1464. inter Augustinianos sepultus. Imp. Frid. 3. PP. Pio 2. V. S. 1464.

Idem. Miraculis his diebus laborabat hypocrisis: non potuit tamen adulterium occultare, quod tunc pro summa sanctitate coluerat. Nam dum sacra libaret Episcopus cœlebs in Mona insula, Bronus vel Bruno nomine, Brigitta mulier sancta in eius calice (nota transsubstantiationem) hirci vmbratici deforme prodigium vidit: quod ex eius fornicatione, ac matrimonii sacerdotalis contemtu circa annum Domini 510. prouenisse interpretatur. Sacrificium certè erat tam sancto cœlibe dignum, vt & in extremo die cum sui similibus, iudice Christo, Matthæi 25. inter hircos locum habeat.

Memorabile.

1465. Βιοθανασίαν Henrico Valesio Regi Galliarum 62. mortuo anno 1589. Gabriel de Marnissa sequentibus versiculis prædixit, anno 1465.

Cùm Rex Henricus regnabit in O R D I N E *natus,*
Hic Rex bis factus tam re quàm nomine gratus,
Lilia vir fortis propriis auellet ab hortis.
Rex cadet, & vulgus, militia, Francia, Clerus,
Ense, fame, & flammâ, luctuq́, sitiq́ peribunt.

Imp. 115. Frid. 3. PP. 218. Paulo 2.

Marcus Marullus lib. 5. c. 7.

1465. MVltitudo dæmonum fuit conspecta inter se iactantium de illis hominibus, quos captione in laqueos mortis induxerant. Vnus autem illorum præ cæteris admodum gestiebat, se Zozimum Papam cum virgine coire fecisse. Imp. Frid. 3. PP. Paulo 2.

Idem. Antidius Turonensis Episcopus, Cacodæmonem lætum ac gestientem videns, quòd Zozimum summum Pontificem septennio solicitatum, tandem ad stuprum committendum se impulisse, diceret, haud cunctandum ratus, illi præcepit, vti se eadem celeritate, quâ venerat, Romam perferret. Die altero Pontificem adiit, relatisq; quæ de illo dæmon locutus fuerat, ruborem ei pauoremque iniecit, & confitentem protinus ad pœnitentiam conuertit: eodemq; vectore vsus, dici spacio ad Turonum rediit.

Timuisset sese dæmoni credere, nisi proximi charitas foràs misisset timorem. Cuius quidem charitatis merito effectum est, vt is qui Papam corruere fecerat, Episcopo obediret.

Idem. Germanus Parisiensis episcopus supra lectulum suum inscripserat: Quinto calendas Iunias. Nemo inscriptionis causam nosse potuit, donec eodem, qui notatus fuerat, die ipsum vita defungi, contigit.

Idem Marullus lib. 4. c. 8. Egnatius, Beda, & Sigebertus. Edeldrudis virgo in primo, & secundo matrimonio semper virgo remansit. Rarisl. exemplum, & à condito mundo vix extitit simile.

Iacobus Iunterbuck Carthusianus.

1466. SCripsit Oculum religiosorum: & formulam reformandi religiones collapsas. Item de perfectione religiosorum, & auisamento ad Papam pro reformanda Ecclesia. Si ergo successor Petri, & vicarius Christi semper sine vitio, & errore fuit, quæso, cur pii viri quotidie reformationem expetiuerunt? Imp. & PP. V. S.

Paulus secundus Papa.

1466. HIc, vt & alii quidam, Petrus priùs appellatus, Paulus nominari voluit. Quod mysterio non caret, neminem ex omnibus Papis, qui nomen mutauerunt, Petri nomen (vtpote eo indigni) assumere voluisse.

Aurum Papa hic dilexit, quia Venetus fuit. Tota die pensitare nummos, gemmasq; preciosas, & vniones contrectare solebat.

Omnia officia eius tempore venalia: osor literarum, & bibacissimus erat: cum Imperatore eadem veste vtebatur: Gentiles magis imitabatur quàm Petrum aut Linum. Eius tempore floruit secta dicentium, nullum esse verum Christi vicarium, qui post Petrum Pontifices fuêre, nisi qui paupertatē Christi imitati sunt: in quos grauiter animaduersum fuit; sed Deus & in ipsum animaduertit.

Ominosa.

1466. HOc anno Romæ apparuerunt tres Soles: quod omen multos ingenti perculluit terrore. Palmerius. Eclipsis quoq; Solis & Lunæ, cum magno stupore & admiratione aspicientium, acciderunt. Platina in Paulo 2. V. S.

Mirum

Mirum. 1467.

PAuper quidam vir Basileā venit, habens filiolum sexennem ferè, qui de omnibus rebus poterat disserere peroptimè, vt omnes in sui admirationem rapuerit. Chron. Ger. Vt sup.

Ioannes de Sancto Romano I. C. 1467.

AD subuertendam & tollendam sanctionem Pragmaticam, plurimum laboris & artis seu dolorum insumserunt Papæ, præsertim verò Pius secundus, qui tamen morte præuentus fuit: & post eum Paulus secundus: hic enim, vbi vidit, Ioannem Balue Episcopum Euressensem magna in existimatione esse, & valere plurimùm apud Regem Galliæ Ludouicum, promisit ei galerum Cardinalitium & purpuram, si Pragmaticam abrogaturus esset sanctionem. Operâ igitur & consilio huius Episcopi illicò regium per Galliam diuulgatur mandatum de abolitione Pragmaticæ sanctionis.

Rei autem huius iniquitate motus Ioannes de sancto Romano, vir iuris, & historiarum peritissimus, Procurator vniuersi Regni generalis, iustus & æquus, opponit se, & dicit: nec posse, nec debere istud concedi vel fieri, plurimis quidem ex causis: neque salua conscientia se hoc mandatum approbare posse: ideoque se potiùs vitæ iacturam facturum, quàm huic tam iniquo subscripturum consilio: cedere enim hoc in damnum ipsi Regi, & omni regno.

Vniuersitas igitur Parisiensis ab eius quoque partibus stabat, & prouocabant à Papa ad futurum concilium. Factum intellexit Rex, & tacito approbauit suffragio & consensu, (scilicet hæ sunt technæ aulicæ:) veruntamen quò satisfieret Papæ votis, Romanum Iureconsultum, priùs tamen egregio honorario clàm donatum, abire iussit officio. Ipsam Prag. sanctionem habes infrà anno 1494. Imp. & Papa vt sup.

Hermannus Rhied de Reen in tractatu de vita & honestate clericorum. 1467.

TEmporibus iam currentibus periculosis, multi reperiuntur clerici, qui rationibus & sententijs Patrum non vincuntur, sacram Scripturam non recipiunt, & sanctorum Patrum canones vilipendunt, teste beato Bernardo in libro ad Eugenium Papam. Hi sunt, qui viros intelligentes ac catholicos, grauitatem criminum clericorum pensantes, ac contra eorum perfidiam vigilanter clamare nitentes, exosos habent, & derident, imò fantasticos ac pacis turbatores ac erroneas conscientias habentes asserunt, vt patet 1. q. 1. per totum: & qui pro extirpatione vitiorum talium clericorum zelo bono laborant, ac veritatem in canonibus sacris expressam, quam quilibet intelligens publicare tenetur, allegant, tantis detractionibus, sibilis, risui ac contumelijs, à suis & cæteris Prælatis exponuntur, quòd tandem tacere & dissimulare eam coguntur inuiti.

Sicque verificatur illud Hieronymi, dicentis in libro de Norma viuendi, 5. c. Nulla in mundo tam crudelis bestia est, quemadmodum clericus vel sacerdos malus. Nam corrigi non patitur, nec veritatem vnquam audire potest. Et vt breuiter dicam, omni malicia pleni sunt.

Et aliquantò pòst: Moderni clerici peiores sunt illis hypocritis, qui licet mali sint, & pessimi præuaricatores, pro maiori parte: non tamen talia in occulto, hominibus nescientibus, vt hypocritæ, faciunt. Vtinam foret ita bonum, vt iusti coram hominibus apparerent, ne homines in eis scandalizarentur. Sed aliter est negocium: quoniam minùs verecundantur laicis, gloriantes de malitia eorum, & malè actis. Quot publicos fornicatus siue fornicarios videmus? Imò quod peius est, tales & huiusmodi sic viuere permittuntur publicè ab eorum Prælatis, solùm quòd omni anno porrigant certam quotam pecuniarum officialibus eorum. Quid fœdius posset audiri, taceo nunc videri? Neq; hoc celari potest, cùm publicum est & omnibus constat.

Cæterùm quot simoniaci publici? in tantum etiam, quòd ipsam simoniam celare non potentes, pro subterfugio fingunt alios terminos simoniam exprimentes, sperantes hoc nomine Simonia non audito, ipsam simoniam considerari non posse, dicentes: Ordinatio Ecclesiæ est, aut statutum. Alij subtiliùs euadere conantes dicunt, Papam fore de plenitudine potestatis, qui in talibus potest dispensare, admittere & ordinare: cùm simonia sit, quia prohibita, & tunc peccatum. Papa autem prohibente, aut aliud statuente ac ordinante, cessat tale dictum: quod valdè est erroneum asserere.

Et paulò pòst: Modernus igitur status Ecclesiasticus, præmissis & sequentibus in eo deficientibus, ex correlatiua sequela valdè est periculosus. Nec vnquam fuit ab initio mundi vsque nunc, vt puto, in tanto periculo, sicut in præsentiarum cernitur.

Fuerunt penè maiores persecutiones ac vexationes Ecclesiæ: sed tunc semper affuerūt viri sancti & deuoti, qui gratia Spiritus S. præditi, fideles consolabantur, erudientes & confortantes: modò autem videtur Ecclesia in securitate posita, sed de talibus sanctis viris nullibi percipitur.

Ideò Eccleſia quotidie in fidelibus & regnis decreſcit, in perſonis proprijs tabeſcit, non ob-
ſtante quacunque libertate. Priùs autem, cùm libertas non tanta fuit, ſed à dictis ſanctis viris pro-
uiſa Eccleſia, quotidie creuit & augmentabatur, vt volens ſcrutari hiſtorias apertè videbit.
Iſta partim notauit B. Bernhard tempore ſuo, Sermone 24. vbi ſic dicit: Olim prædictum,
& nunc tempus impletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amariſsima: amara Eccleſia
priùs fuit in nece martyrum, amarior pòſt in conflictu hæreticorum, amariſsima nunc in moribus
domeſticorum. Non fugare, non fugere eos quiſquam poteſt: ita inualuerunt & multiplicati ſunt
ſuper numerum.
Et ſubdit: Inteſtina & inſanabilis plaga eſt Eccleſiæ, & imò in pace eius amaritudo amariſsi-
ma. Sed in qua pace? Eſt pax, & non pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis: ſed non eſt pax
profecta à [illegible]js. Et concludit: vox plangentis Eccleſiæ in tempore iſto: Filios enutriui & exalta-
ui, ipſi autem ſpreuerunt me. Et hoc quàm periculoſum ſit, idem ipſe ibidem tangit, dicens:
Si inſurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras, & areſceret: ſi violentus inimicus, abſconde-
ret ſe forſitan ab eo. Nunc verò quem eijciat Eccleſia ſancta? In quo abſcondat ſe? Omnes amici,
& tamen inimici: omnes domeſtici, & tamen nulli debitè pacifici. Omnes enim quæ ſua ſunt
quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Melius enim eſſet, paucos fore bene facientes, quàm multos malè.
Hi tamen in clero, qui mali ſunt, hodie (proh dolor) nimis inualuerunt, & multiplicati ſunt ſuper
numerum: Pſal. 39.
Vnde idem beatus Bernhardus alio in loco ita lamentatur, dicens: Dilatari videtur Eccle-
ſia, & cleri ſanctiſsimus ordo ſuper numerum multiplicatus eſt. Verùm, Domine Ieſu, e ſimul-
tiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam: dum nihil minùs apparet, quàm numero de e-
ciſſe.
Vnde idem exponens illud Pſal. 72. In labore hominum non ſunt, &c. Ad oculum, inquit, hoc
apparet: cùm cuncti ſtatus habeant aliquid laboris & voluptatis, clerici inter hæc nouo quodam ar-
tificio diſtribuentes, totum quod delectat in quolibet, elegerunt, & totum quod moleſtat, reſpue-
runt. A militibus enim receperunt ſuperbiæ faſtum, amplam familiam, equorum phaleras, & no-
biles apparatus: à mulieribus pelles rubricatas, collo pendentes, & alia huiuſmodi: à ruſtic's ſtu-
ctus agrorum, & horrea plena. Laboratorum ſanguinem bibunt in omni diſſolutione, iuxta Pro-
phetæ dictum: Væ vobis, qui veſcimini ſudoribus pauperum.
Et ſubdit idem beatus Bernhardus: Sed benè cauent militaris loricæ pondus, muliebrem de-
clinant verecundiam. Omnes ruſtici & agricolæ victum ſibi labore acquirunt, hi delicijs affluunt:
& tamen adueniente fructuum tempore promtuaria eorum plena ſunt tritico, & vinum vux bibun-
meraciſsimum, inde incraſſantur & impinguantur ac dilatantur.
Ecce autem quid concludit ibidem: O clerice diligenter auſculta: reſtat, vt ſint in laboribus
dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt.
Et paulò pòſt: Miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Do-
mini, cui honorem non deferunt. Inde, quomodo quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus
habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in ſellis, & calcaribus.
Et paulò pòſt: Sed heu, ſunt iam presbyteri, qui nec benefaciunt, nec benedicunt, imò bene-
dicentibus aut benefacientibus contradicunt: & vltra hoc eos perſequuntur, ſubſannant & deri-
dent. Ideò multò deteriores ſunt hi illis Phariſæis & hypocritis, quos Chriſtus illo tempore perio-
res omnibus iudicauit. Vnde contrà iam ad vltima mala videmur perueniſſe, imò quaſi ad vlti-
mum refrigerium charitatis.
Et paulò pòſt. Nam vt priùs dictum eſt, in labore hominum iam clerici non ſunt, & cum ho-
minib. non flagellabuntur. Ideò tenuit eos ſuperbia in iniquitate ſua. Lauet ergò iuſtus manus ſuas
in ſanguine ho:um peccatorum.
Nam vt teſtatur beatus Auguſtinus in libro de Baptiſmo: Si oportet omnem hominem vten-
tem ratione, in eis quæ fidei ſunt, ſpiritualiter intelligere, vt ſpiritualis fiat, aut ſaltem laborare ad
hoc, vt ſpiritualis efficiatur: ſi hoc neceſſarium eſt omni homini ratione vtenti, quantò magis ne-
ceſſarium eſt ad ſalutem presbyteris, qui alijs debent exemplum eſſe, & per vitam ſuam bonam vitæ
ſpiritualis præbere formam?
Felix igitur eſt, qui effugit, & diſrumpit vincula conſuetudinis clericorum & ſacerdotum mo-
derni temporis, & proijcit à ſe iugum ipſorum. Quoniam qui in cœlis habitat, irridebit eos, &
Dominus ſubſannabit eos.
Et paulò pòſt. Et quid neceſſe eſt ſingula clericorum vitia, quaſi minùs nota, publicare, cùm
de his experientia luce clarior mundum repleuerit vniuerſum? Ideò propter multitudinem lu-
xuriæ cætera vitia, auaricia atque ſimonia hæreſi inuecta, & hæc maxima mala, imò hæreſis & perfi-
dia, quaſi iam peccatum non reputatur: cùm tamen nulla conſuetudo, vel peccantium multitudo,
aut iuris corruptela aliquem poſsit excuſare. Nam diuturnitas temporis, ac peccantium multitudo
peccatum non minuit, ſed auget. Illyr. Imp. 115. Frid. 3. Papa 218. Paulo 2.
Idem Rhid cap. 8. de diuerſitate religionum, & religioſorum inſtitutis ſic inquit: Teterri-
mum chaos ortum eſt in eccleſia hodierna per noſtros Phariſæos: inter quos non modica eſt
diuerſitas in fide & alijs iam dictis: ſed vnus nititur melior eſſe alio, ſanctior, approbatior.

Mino-

Minores fratres se sanctitate prætferunt & iustitiâ: Prædicatores scientiâ & doctrinâ: Augustinenses, Carmelitæ, Antonitæ, Benedictinenses, Bernharditæ, & omnes alij sibi mutuò contrariantur, obloquuntur, & sæpius alij alios persequuntur: in quibus fera animarum diuersitas non vera vnitas inuenitur.

In Bembi quoque epistolis de Cistertiensium contra Ambrosianos furore & tragœdiâ libro 6. epist. 35. non pauca continentur.

Idem. Ioannes de villâ Abbas, Episcopus Bisuriensis de Prælatis sic dicit: Rogauit aliquando Dominus Petrum, nauiculam à terra reducere pusillum: insinuans, quòd tu, quicunque Petri vicarius es, tibi commissos ad gubernaculum debes à carnalibus desiderijs, & terrenorum amore abstrahere. Si verò tu terræ adhæres, & gibbosus es, & ad terram incuruatus, quomodo alios à terra reduces? Dicitur tibi, duc in altum: sed quomodo duces in altum, qui descendis in profundum vitiorum? oportet enim ducentem præcedere.

Iacobus Papiensis ad Spinolam. 1468

CErtè Ecclesiæ restitutionem, & Romanæ curiæ reformationem è Francorum Regibus vni deberi, & Vates olim cecinerunt, & superiores aliquot Reges intellexerunt. Episcopi Portuensis ad Paulum 2. Papá de Francorum regno vaticinium extat in Iacobi Papiensis ad Fr. Spinolam epistola: Surget, inquit, nobis non expectantibus, aliquando regnũ illud in nos: ferre non valens inutile ministerium nostrum: & grande aliquod negotium sedi tuæ exhibebit. Imp. Frid. 3. Pp. Paulo 2.

Historia Lud. Gallorum Regis XI. quam *Scandalosam vocauit.* 1469.

EXtat hæc historia Ludouici, qui osor fuit literarum adeò, vt nollet, filium suum Carolum plus discere latinæ linguæ, quàm illa quinque verba: Qui nescit dissimulare, nescit regnare. De hac historia etiam Genebrardus in Chron. Hic Rex ordinem Equitum D. Michaëlis instituit; anno 1469. Imp. & Papa vt sup.

Ordo Equitum S. Michaëlis. 1469.



LVdouicus Rex Galliæ XI. Ordinem hunc S. Michaëlis instituit anno 1469. Symboli loco equites insigniuit torque aureo, cochleis interse, & duplici nodo connexo, catenulis seu orbicellis aureis hærente, eius deinde in medio tuberculo, quasi promontoriolo, prominente, aurea imagine S. Michaëlis Draconem infernalem prosternentis, pectus insigniente. Prouocatus fuit ad hoc exemplo patris sui Car. 7. Regis, qui vsus fuit eâ imagine pro insigni bellico. Per aurum significari voluit magnanimitatem, summosque honores. De quibus plura Paradinus in Symbolis heroicis.

Lex est inter alias: vt Equites qualibet die Missam audiant. Quare Saxoniæ Dux quidam Augustanæ Confessionis eum oblatum constanter respuit. Io. Tilius in Francicâ historiâ. Imp. & Papa vt sup.

Compilatio Chronologica. 1470.

SYluester Papa CI. sedit annis 3. mensibus 5. Iste vocabatur Gerbertus. Iste dicitur in Papatu magus & nigromanticus, & diabolum pro diuitijs adoràsse: & ei à diabolo fuisse promissum, quòd nunquam moreretur, nisi priùs veniret in Hierusalem. Hoc intellexit Papa de Hierusalem vltra mare, & quomodo voluit, vixit.

Sed cùm hic Papa quadam die in capella, quam construxit Constantinus & Helena, vbi plurimas reliquias recondiderunt, quæ vocatur Hierusalem, missarum solennia celebrasset, dixit ei suus diabolus: Ecce in Hierusalem fuisti, nunc morieris tu, & non viues. Quo audito, Syluester seu Ger-

bertus malè sibi conscius, ostendens magna signa compunctionis in quadam capella, quæ Romæ sita est inter Lateranum & Colliseum, iussit seipsum, amputatis manibus suis, & pedibus, & alijs membris, enormiter & crudeliter mutilari, & sic vitam Gerbertus in ipsa capella finiuit. Vnde in eadem capella quæ Gerberti vocatur, nullus Papa, in detestationem illius facti, postea intrare voluit. Imp. 115. Frid. 3. Papa 218. Paulo 2.

Ex eadem.

ANno 1216. in ciuitatem Parusij abbas quidam, prout frater Cisterciensis, veniens cum suis ad curiam Romanam, cepit somnum meridie in prato ante Parusium, viditque visionem hunc habentem modum:

Vidit, inquam, ille abbas ad Orientalem plagam Dominum sedentem in excelso throno, faciem habentem aduersus occasum, circumstante exercitu Angelorum in prato, viditque ab occidentali parte eiusdem prati hominem toto corpore nudum, sed infula pontificali decoratum, currentem velocissimè versus sedentem in throno, & altâ voce clamantem: Miserere mei miseri misericordissime Deus: & vidit, quòd insequebatur eum currentem magnus draco, vt deuoraret ipsum, & veniens sedentem in throno altâ voce draco acclamauit: Iustè iudica Iustissime Iudex.

Et cùm hoc abbas vidisset, & audisset, mox euigilauit, & visio disparuit, & illius disceptationis exitum nullátenus scire potuit. Cumque abbas ascendisset ciuitatem Parusium, quæ in monte sita est, audiuit quasi sonitum campanarum, & luctum plangentium, & vocem lamentantium dicentem: Heu Papa Innocentius defunctus est.

Ex eadem.

ANno Domini 1261. Rex Tartarorum misit solennes nuncios, circiter 24. nobiles Tartaros cum duobus fratribus ordinis Prædicatorum, qui essent interpretes linguarum ad Regem Franciæ Ludevvicum: vt & se, & totum regnum Franciæ ditioni subijceret Tartarorum: alioquin regnum Franciæ impugnaret tempore procedente. Quod Rex Ludouicus, habito consilio cum primoribus regni sui, constanter renuit: ipsos tamen nuncios honorificè Parisijs tenuit: & vsque ad Papam Alexandrum (nota) pacificè remisit. Tempore Interregni.

Ex eadem.

NIcolaus de Chusâ ad pulsum maioris campanæ ecclesiæ sancti Martini Brunsvvigæ horâ vndecimâ, omnibus sextis ferijs, omnibus incolis huius ciuitatis, tunc ter dicentibus Pater noster, in memoriam mortis Christi concessit 100. dies indulgentiarum. Item omnibus sacerdotibus Dominico die, in missâ post primam collectam, subiungentibus clausulam, scilicet: Et famulos tuos N. Papam nostrum, & N. antistitem nostrum, vnâ cum ecclesiâ Catholicâ ab omni aduersitate custodi: quinquaginta dies indulgentiarum contulit.

Ex eadem.

PApa Paulus secundus, qui priùs Petrus vocabatur, mutauit sigillum plumbeum papale. Nam antea semper duo capita, sc. Petri & Pauli vno latere continebat, in alio autem latere nomen Papæ tantùm: nunc autem stat in latere vno quasi imago Papæ infulati coram populi multitudine: in alio duæ imagines oblongæ Apostolorum Petri & Pauli.

Ex eadem.

NIcolaus Papa excommunicauit duos Imperatores, Orientalem Michaëlem, & Occidentalem Lotharium. Et constituit, vt nullus causam Papæ iudicet, nisi ipse Papa iudicet seipsum.

Ex eadem.

ANno Domini 914. Hatto Moguntinus Episcopus à dæmonibus in puteum ignis, in monte Siciliæ Ætnâ viuus præcipitatur, dicente voce in aëre:

Sic peccata lues: sicq; ruendo rues.

Nam Albertum Comitem de Babenberg dolosè tradidit occidendum.

Ex ca-

Ex eadem.

OTho Imperator ab Innocentio 3. Papa excommunicatus fuit vsque ad mortem: anno Domini 1204.

Ex eadem.

OCcidentalis Ecclesia Catholica, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ subiecta & obediens, habet circiter episcopatus septingentos, & septuaginta duos.

Philippus Cominæus. 1470.

MIserat eò Romanus Pontifex legatum, qui cognosceret de controuersiâ ciuium, & Episcopi: verùm ille suæ legationis modum excedens, quòd eius loci Episcopatum ambiret, fauebat ciuium rebus, eisque fuit autor, vt sumtis armis vim à se depellerent: cumque periclitantes videret, frustra conatus profugere, captus fuit vnà cum suis familiaribus. Eâ re nunciatâ: Carolus mandat ijs, qui ceperant, vt aliquò ipsum traducerent, & pecuniam ab eo, tanquam à mercatore quopiam extorquerêt, eò quòd ipse, si palàm ad se deduceretur, cogeretur honoris & officij causâ, in gratiam Ecclesiæ Romanæ, illum libertati restituere.

Idem lib. 2. de bello Neapolit. Fuisset quidem res insignis, & memorabilis ad posteritatem, si statum Ecclesiæ Romanæ, tunc inprimis valdè corruptum & impurum, emendasset Rex Carolus. Nam neque facultas ei deerat, neque voluntas etiam, sed opus in eo fuisset magnâ quadam dexteritate lectissimorum hominum, quibus ipse Rex Ferdinandus, qui tunc Romæ fuerat, destitutus erat.

Ex Cominæo de officio & virtute Principis.

HAbent suas virtutes, habent quoque sua vitia Principes: sunt enim homines, ac in solum Deum cadit omnis perfectio. Veruntamen quando, quod prauum est atque vitiosum, fugiunt, & virtuti se tradunt, magnam sanè merentur laudem: eò quòd indulgentiùs & molliùs educantur, & naturâ ferè propendent ad vehementiores affectus, quos nemò coërcet: & postquàm excreuerunt, illorum & auribus, & ingenio, moribusque plerique seruiunt.

Circumueniuntur non raro Principes, & præsertim illi, qui præ fastu & arrogantiâ, quæ sit aliorum sententia, non auscultant: nam qui se demittunt, ac libenter aliorum iudicia cognoscunt, ij minùs falluntur. Qui autem aliorum repudiatis consilijs, pro suo vnius arbitrio gerunt omnia, illi non solùm seipsos in discrimen inducunt, sed etiam populis, prouincijsque suis grauissimum vulnus infligunt. Sed & propter delatorum multitudinem suspicionibus ferè indulgent.

Prodest autem illis fortunæ inclementia: quia illorum hodie plures ita instituuntur, quasi ad ludum essent facti & iocum, nihil moderatè faciunt, aut prudenter: literarum nullam habent cognitionem: viris bonis atque peritis non patet vllus ad eos aditus: de negotijs aut suis, aut populi non cognoscunt ipsi, verùm in familiares omnia reijciunt, qui per hanc illorum ignauiam atque socordiam, suas interim facultates insigniter amplificant: & hoc ferè solum agunt. Videant igitur, vt sunt primi & potentes, ita æquum esse, vt sint prudentissimi, ægritudinem animi dissimulent, & amanter agant.

Multum sæpe in vnius hominis virtute positum est: sed ferè fit, vt Principes, nisi necessitate coacti, non agnoscant, quid alij alijs præstent: magna enim ex parte complectuntur eos, qui sunt eorum affectibus magis accommodati, & cupiditatum ministri.

Sua quadam sponte Principes eò propendent, vt quodlibet licere sibi putent: & qui sunt circum ipsos, quoniam aucupandæ modò gratiæ sunt intenti, planè seruiunt illorum cupiditatibus: & si quis ad meliorem frugem aliquando hortetur, bone Deus, quantas tempestates excitat.

Illi qui non sunt inepti, suis negotijs semper aliquam honesti speciem prætexunt. In qua re valde ingeniosi sunt Galli. Ingenij enim viribus, & malitiâ ad arduas perficiendas res opus est. Hic mirari possis, cur Cominæus Principem ad virtutes, & vitia simul instruat?

Principes prauis consilijs non obtemperent: non enim raro fit, vt ipsorum familiares ad huiusmodi res eos impellant: partim adulatione, partim metu, ne offendant, quorum consiliarijs nullum est genus hominum pernitiosius. Concitant in se Deum vehementer, quòd omnem,

quà fruuntur felicitaté, à ſuo pendere ingenio & virtute putant, & crudeliores euadunt: id quod in-
dubitatum ſignum eſt occaſus.

Ad ſuſpiciones quod attinet, obnoxij ſunt ei morbo plerique omnes Principes: maximè ve-
rò prudentiores, & illi inprimis, qui complures offenderunt.

Quidam Principes quantum ſit munus, quod acceperunt à Deo, non conſiderant: & ipſorum
familiares, ne malam gratiam ſibi concilient, diſsimulant: & vt maximè ex omnibus forſan vnus
ſit, qui fideliter admoneat, is tamen ſuæ ſententiæ nullos habet approbatores, ac ferè fit, vt ridiculus
habeatur.

Teſtamentum fecit N. cuius exemplar ipſe legi, ac inter alia dolebat ei plurimùm, quòd extra
ordinem ſuis prouincijs imperaſſet pecuniam. Quocirca mihi vide, quid noſtri Principes facere
debeant, qui certè ius nullum habent, onus aliquod imponendi inuito populo. Videmus hic, intra
quàm breue tempus quàm multi potentes ac ſummi Reges mortui ſint, poſteaquàm ingentes inſum-
ſerunt labores, vt augeſcerent & locupletarentur, cum maximo procul dubio corporis, ac etiam ani-
mæ fortaſsis detrimento.

Mihi quidem, tametſi literarum nullum vſum habeo, ſic videtur: potiſsimùm verò, propter
quorundam Principum ignauiam, & malitiam, qui ingenij quidem ſatis habent & cognitionis:
verùm abutuntur eis, neque ad res honeſtas accommodant.

Doctrina enim vel meliores reddit homines, vel deteriores, pro cuiuſq; naturâ & inclinatione:
ſed tamen veriſimilius eſt, aliquem ea fieri meliorem. Nam quò quiſque magis, quid ſe deceat, in-
telligit, eò vehementiùs ipſum neglecti pudet officij: & etiamſi non omninò ſibi temperet à male-
ficio, tamen ne planè modum excedat, cauet. Ac iſtud quidem vſu compertum habeo.

Multos enim noui, quos à prauis, & illaudatis conſilijs eruditio ſola retraxit. Huc etiam acce-
dit metus diuini numinis. Quanta enim ſit peccati magnitudo, & quantoperè Deus offendatur
flagitijs, docti non paulò meliùs, quàm homines imperiti, cognoſcunt.

Sunt igitur malè inſtituti Principes, qui quantum ſit munus, quod acceperunt à Deo, non
intelligunt.

Eſt ſanè quædam nobis innata prauitas, adeo magna quidem, vt nulla planè ratio nos ab iniu-
rijs, & violentia coërceat.

Potentiores, vbi caſtellum aut oppidum eripuerùnt alicui, quacunque de cauſa, nolunt à poſ-
ſeſsione deinde diſcedere: & vbi ſemel aliquem obduxerunt colorem, cur ita fecerint, accedit po-
ſtea propinquorum, & adulatorum aſſenſus, qui hæc omnia collaudant.

Magna certè eſt multorum Principum iniquitas, qui pecuniam pro ſua libidine ſuis impe-
rant, & amplum alunt ſatellitium, vt miſeram multitudinem in metu contineant: eamque dein-
de pecuniam temerè & voluptuariè profundunt, nullo cum Reipub. bono, & de quotidianis ſum-
tibus nihil remittunt, & ſuos exhauriunt, & aſſentatorum ſtipati ſunt turbâ.

Sed eſt Deus, qui flagitium nullum ſinit impunitum, & crudelitatem inprimis deteſtatur, qui,
tametſi non loquitur hominibus hodierno die, ſicut priſcis illis temporibus, tamen, quæ ſit ſua per-
petua ſententia, & quid à nobis fieri velit, clarè per ſcriptum reliquit, ita quidem, vt nemo planè,
qui modò ſit ſanæ mentis, & qui ad iuſtam aliquam peruenerit ætatem, excuſandi ſit habiturus
locum. Illi igitur, qui vi & armis imperia ſua continent, & quoties aliquid mandant, capitis con-
ſtituunt pœnam, ad ſupremum illud tribunal Dei quomodo conſiſtent?

Multa ſæpe crudeliter, & iniquè, & inſidioſè faciunt, dum ſpeciem aliquam iuſtitiæ præten-
dunt: nam habent eos, qui ius dicunt, ſuarum cupiditatum plerumque miniſtros, & quantumuis
leue delictum exaggerant. Si capitale nihil deprehendunt, rationes excogitant, vt eum, cui male
volunt, immenſis varijsque ſumtibus defatigent, dum & accuſatorem non ſiſtunt, & teſtimonia
non cognoſcunt, & auidè expectant, num criminationem aliquis in eum, qui captiuus detinetur, in-
ſtituat. Quòd ſi parum tuta videtur hæc via, neque ſatis ad ipſorum voluntatem accommodata:
nouis vtuntur perfugijs, & præ ſe ferunt, exempli ſtatuendi cauſa tali fuiſſe opus animaduer-
ſione.

Si quis autem eſt ipſorum cliens, ac beneficiarius, in eum multò ſunt aſperiores, ac contra of-
ficium ac fidem, qua ſit obſtrictus, eum aliquid egiſſe, confirmant: & eò totis viribus incumbunt,
vt aut facultatibus omnibus eum exuant, aut alioqui varijs modis affligant.

E vicinis, qui ſunt potentiores, ac minimè ſtolidi, eos ſinunt vti pace: verùm ſi quis eſt infir-
mior, eum ſic perturbant & exagitant, vt quò ſe tandem recipiat, vix habeat. Cauſam facilè in-
ueniunt: ſubminiſtrauerit ipſorum aduerſarijs auxilia, vel tale aliquid. Quam ob rem aut in i-
pſius ditionem coactam aliquam militum manum adducent, vt ibi ſumtu miſerorum alantur: aut
alienam aliquam litem aduerſus eum, ſuam facient: aut eius inimicos ope ſubleuabunt, aut quam-
cunque aliam nocendi rationem inuenient.

Si quis ipſorum parentibus bonam & fidelem operam præſtitit, eum loco ſubmouent, & nouos
ſibi parant beneficiarios. Eccleſiaſtici ordinis hominibus moleſtiam de ſacerdotijs creant, vt ſal-
tem aliquid extorqueant, quo deinde locupletent & augeant eos, qui plerumque nullum ipſis

honestum exhibuerunt officium. Nobilitatem multis varijsque laboribus, & impensis exhauriunt, quando bella pro sua libidine & arbitratu suscipiunt, inconsultis ijs, quorum absque voluntate & consensu nihil tale mouere debebant.

Cùm enim equestris ordinis homines, ac viri nobiles, non modò facultates omnes, verùm etiam vitam & sanguinem in bella profundant: æquissimum est profectò, vt priùs, quàm suscipiatur bellum, eius rei consilia cum ipsis communicentur.

Quantum ad promiscuam, & miseram multitudinem attinet, nihil planè reliquum eis faciunt, & cùm tributum ab eis præter omnem modum, & æquitatem exigant, quò minùs ab equestribus etiam cohortibus, quas alunt, diuexentur, non cauent: quæ quidem cohortes obequitant huc illuc perpetuò, & non solùm viuunt sumtu miserorum, sed etiam proterue, & insolentes in eos multa faciunt.

Et vt ad institutum reuertar, nemo est omnium Principum, qui ius habeat, vel teruncium vnum exigendi à suis, præter constitutum annuum censum, nisi populus assentiatur.

Dicat aliquis fortasse, nonnunquam incidere tempus aliquod, vt non sit integrum agere conuentus, aut conscribere populum, eò quòd eiusmodi mora & coniuncta sit cum periculo, & belli rationem impediat?

Nihil hoc certè ad rem facit. Nam vt bellum suscipiatur, graui quadam, & maturâ opus est deliberatione, neque subitò, vel præcipitanter aliquid in eo fieri debet. Sed ipsorum Principum est etiam prouidere omni ratione, ne leue aliquod bellum pro sua libidine, & temerè suscipiant, quò per hanc occasionem pecuniam à suis extorqueant. Ad finium tuitionem opus est haud dubiè sumtus facere, etiam pacis tempore, ne inopinantes opprimamur: sed moderatè omnia fieri debent, atque totum hoc in Principis positum est prudentiâ.

A morte Ludouici Regis conuenerunt omnes Galliæ ordines, vt de summa imperij statuerent: non deerant id temporis imperiti quidam, & tenuis conditionis, ac nullius vsus homines, qui dicebant, eiusmodi conuentus ad crimen læsæ maiestatis pertinere, quòd regum imminuatur eo ipso potestas. Verùm, qui sic loquuntur, scelere se polluunt, grauissimeque dubio procul & Deum & Rempublicam offendunt.

Nam eiusmodi voces solùm spectant ad priuatam vtilitatem eorum, qui nullo suo merito vel virtute, authoritatem obtinent, qui ad nullam rem honestam idonei, clandestinis susurrationibus Principum aures demulcent, & gratiam eblandiuntur, qui conuentus idcirco metuunt, ne ipsorum detegatur improbitas.

Hoc tamen erat in eo (Ludouico) boni, quòd auarè nihil agebat, omnemque pecuniam impendebat in ædificia, munitionesque locorum. Ecclesijs etiam plurima donabat, & præstitisset, eum hac in parte minùs fuisse liberalem. Spoliabat enim tenuiores ac inopes, vt eos, qui alioquin abundabant, locupletaret.

Quando verò Principes aliquid delinquunt, quis ea de re quæstionem habebit? & habita quæstione, quis ad iudicem deferet? quis iudicis personam sibi sumet? quis pœnam constituet? Quænam est autem huius tantæ licentiæ, & prauitatis causa? vel cur in deteriorem partem sic propendemus omnes? Incredulitas nimirùm hoc efficit.

Nam si certò statueremus, esse Deum, qui scelus nullum sinit impunitum: esse perpetuas & sempiternas pœnas, quibus affliguntur impij, credibile est, neminem fore, qui violenter, aut auarè, vel crudeliter aliquid ageret.

Nulli ferè sunt aut pauci admodum principes, qui postaquàm semel aliquid occupârunt quocunque modo, restituere illud velint. Nam neque ratio, neque iusiurandi religio, neque metus diuini numinis, neque æquitas vlla, nec inferni cruciatus perpetui mouere illos possunt, vt quod alienum est, quod à se mala fide possideri sciunt, reddant.

Interrogaui paulò antè, quis habiturus sit quæstionem de potentibus, quis illos accusabit, quis litem definiet, quis pœnam irrogabit? Certè querimoniæ & lachrymæ miserorum hominum, quos crudeliter vexârunt: item viduarum & pupillorum gemitus atque suspiria, quos parentibus atque maritis inhumanè spoliârunt: breuiter eorum, quos afflixerunt & fortunis omnibus denudârunt, lamentationes, atque plangor erunt accusationis loco, quam illi coram supremo Dei tribunali sistent. Qui magnitudine scelerum offensus, non semper concedet diuturniorem impunitatem, sed illos aliquando verberat præsentibus pœnis, ita quidem euidenter & clarè, vt dubitari non possit, ipsum esse iustissimum impietatis nostræ vltorem.

Plerique verò Principes, imperiti quidem illi & inconsulti, quàm diu prospera vtuntur fortuna, nihil tale metuunt, sed cùm maximè securi sunt omnium rerum, tunc ecce Deus repentè illis aduersarium aliquem excitat, de quo minimè suspicati fuerant.

Atque, vt ad finem aliquando perueniamus, nihil est in hac ærumnosâ vita potius, quàm vt metuamus diuinum iudicium, & studeamus in rebus omnibus æquitati, & contenti simus mediocri vitæ genere, neque defatigemur ijs curis, quales ferè suscipiuntur à multis nimia quadam cupiditate, & ambitione augescendi. Hanc viam si possemus ingredi, atque tenere, & tranquilliùs viueremus, & minùs affligeremur valetudine aduersa, & mortem non adeò formidaremus.

Etenim quanta sit vitæ nostræ miseria, facilè potest ex eo colligi, quòd simul atque mortuus est aliquis, quicunque sit ille, statim omnes abominantur, & exhorrescunt ipsum cadauer, & euolat anima, sistiturque mox iudicio ineuitabili.

Habeo plurima quoque ex alijs autoribus de officio Principum: & Erasmus etiam quædam in Chiliadibus Adagiorum attigit, præsertim in prouerbio, Scarabæus aquilam quærit: sed quia Opus præter spem nimiùm excreuit, alium in locum reseruata sunt. Hoc tamen monendum duximus, vt fugiant Principes illum pestiferum Machiavelli libellum de Principe, quo nec ex orco quidem prodijt, nedum scholâ vel officinâ virtutis, deterior. Imitentur potiùs monitum Aristotelis præceptoris ad Alexandrum, quando dixit, Regnum non esse ὕϐριν, hoc est, petulantiam, Tyrannidem, iniuriam, seu rapinam: sed εὐεργεσίαν, beneficentiam, iustitiam, æquitatem & omnium virtutum columen.

Stephanus Brulifer.

1470. IN schola Parisiensi Doctoratus insignia accepit, ibique publicè docuit, prælegit & disputauit, magna auditorum frequentia, subsequentes articulos defendens & propugnans:

Doctrinam, quæ meritis hominum iustificationem adscribit, mendacem, imò diabolicam esse: cùm agnus immaculatus pro nobis satisfecerit, Ioanne clamante, Ecce agnus Dei, &c.

Item, Ecclesiæ non esse potestatem statuendi & præcipiendi quicquam sub pœna peccati mortalis, & ita vt conscientias vel liget vel conturbet. Item, ei nullam facultatem, nisi tuendi sacramenta à Christo tradita: & saltem eorum ministram institutam esse. Nullas ceremonias pro articulis fidei habendas.

Supra sententias Bonauenturæ scribens, disertè dicit, hisce etiam fermè verbis: Nec Papam, nec Concilium, nec vllum planè hominem posse quicquam præcipere sub pœna mortalis peccati, quod ante à Deo præceptum non esset. Quamobrem Parisiensium tyrannidem expertus, Moguntiam concessit: vbi nec, cùm plures articulos doctrinæ Papisticæ contrarios in disputationem vocaret, suis periculis & persecutionibus caruit. Illyr. Imp. Frid. 3. Papa Paulo 2. vt sup.

Iacobus Angularis contra VVesselum de Indulgentijs.

1470. NOn intendo, inquit, te rationibus impugnare: quis enim argumenta tua fortissima euincat? Sed pro magnâ tibi ratione, imò magis quàm pro ratione debet esse Papa, & Prælatorum authoritas. Imp. & Papa vt sup.

Dionysius Kykel Monachus.

1470. SCripsit librum de reformatione Ecclesiæ, Claustralium, Monialium, & Prælatorum. Imperat. & Papa vt sup.

Theodorus Gaza Thessalonicensis.

1470. HIc opera Aristotelis Græca, non sine immenso labore, diligentia, & sumtibus latinitate doctè & feliciter donauit: eaque dedicauit sanctissimo Patri Ecclesiæ Romanæ. Cùm verò ipsi Papa pro honore delato, omnique operâ illis impensâ, tantùm 12. ducatos muneris loco dedisset, detestatus vilitatem, turpemque ingratitudinem, proiecit eos in Tyberim: & vltimam de ijsdem partem adiudicauit igni. Rebvvitz. Imp. & Papa vt sup.

Laurentius Miniatensis, vates.

1470. ISte fuit Pontani præceptor, & in tertio sui operis libro hosce versus scriptos reliquit:

Illa autem nostris iam iam ventura sub annis
Est melior, nostræ legis vix pauca refringet,
Aspera quæ nimiùm, sacris & dura ferendis:
Et genus omne mali tollet, pompasq; sacrorum:
Ac Regem dabit innocuum, qui terminet orbem:
Et reget imperio populos, gentemq; rebellem
Imperio subdet, toti & dominabitur orbi.

Quibus versibus vir ille in instaurationem religionis prædixit: clareque factus est, adesse in religione Papisticâ superfluas pompas, & multa nimiùm dura & aspera, id est, quibus conscientiæ excarnificantur. Quòd porrò addit, de Rege per totum orbem imperaturo: id haud dubiè de Christo intellexit, cui regnum, deiecto Antichristo, instaurandum restituendumque est, iuxta Danielis prophetiam: & non de Cæsare, vt quidam semiadulatores interpretantur, qui nec innocuus est, nec vel mediæ Europæ imperat. Cat. T. V. Imp. Friderico 3. Papa Paulo 2. vt sup.

Fulgosius.

1470.

RElìgiosus quidam, Hesdinensis pagi incola, in Leodiensi agro, cùm religionis gratia Hierosolymam perrexisset, post comites Hierosolymis substitit, vt Paschatis die diuina illic celebrari, quæ alij omittebant, audiret. Veritus autem postea, ne traijciendi in Europam facultatem ob eam moram amitteret, Ioppen ad mare properabat. Itaque defessus in itinere, equitem offendit, qui misericordia se motum ostendens, eum in equi tergum accepit, ab eoque eo ipso die, magna omnium suorum admiratione, in pagum suum Hesdinum perductus fuit.

Ibi re exposita, vt contigerat, cùm accolæ aberrare eum à recta mente putarent, in Hispaniam ad S. Iacobi fanum profectus, atq; inde reuersus est, priusquàm ab Hierosolymis comites in patriam regrederentur. Ab eis cùm esset affirmatum, post ipsos eum Hierosolymis substitisse, tunc quod ille de reditus celeritate narrauerat, fidem cœpit habere.

Idem. Vidit ætas nostra, Petrum Riarium Sanonensem, Ordinem Minorum fratrum profitentem, quem Sixtus quartus Pontifex ad Cardinalatum extulit, inter domesticos aureis vestibus vtentem. Neq; verò lectos aureis stragulis integere satis habuit: sed lectorum etiam ipsorum culcitras ex sericeis & aureis pannis confecit: argenteis quoque vasis onus ventris excepit.

Is Heleonoræ Aragoniæ, cùm Ferrariam Herculi Estensi Duci nupta proficisceretur, conuiuium Romæ fecit, quod propter ferculorum numerum, quæ pretiosis atque delicatissimis cibis constabant, inter quæ ludi insignes plurimis interuallis edebantur, horas septem perdurauit: architriclinique in eo atque ministri omnes sæpius, vt conuiuij magnitudini responderent, amictum pro ferculorum genere mutauêre: populoque ea ex cibis spargebantur, quæ de mensis auferri contingebat: quorum particularis commemoratio longiora spacia, quàm præsens patiatur locus, occuparet.

Et ne quid deesset, in quo ordinis sui seueritatem non contemsisse videretur, amicam Thiresiam non palàm solùm, sed etiam tanto sumtu alebat, quantùs ex eo intelligi potest, quòd calceis margaritarum tegumento insignibus vtebatur. Scribit Rauisius, istum Petrum presbyterum Cardinalem in duobus annis trecenta millia luxu & vanitatibus prodegisse.

Idem. Leo IV. Pontifex maximus, dum vrbis Romæ partem, quæ cis Tyberim est, muro cingeret, ipse etiam famæ ac nominis cupidus, à nomine suo Leoninam vrbem appellauit: de quo etiam Platina.

Sic & Alexander Papa à suo nomine Alexandrinam ædificari fecit: ad similitudinem turris illius Babylonicæ Nimrodi. Reuixit enim verè Nimroth robustus coram Domino venator (hoc est, secundum Lyram, oppressor hominum) clamitans, venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, vt celebre fiat nomen nostrum Pontificium. Sed contrà respondet Dominus: venite, descendamus & confundamus eos.

Fit enim (Othone Frisingense Episcopo teste) plerumque, vt qui obfuscatis cæteris mundi Regnis soli regere omnia volunt, tandem peccatis exigentibus, & ipsis ea, qua alijs mensum est, mensura remetiendum sit.

Idem. Non longè à Turonibus, vrbe Gallicâ, sacellum erat, cuiusdã corporis numini dicatum: cuius quanquam ignoraretur nomen, tamen vulgò eum homines Martyrem appellabant. Illic vota homines suscipiebant atque persoluebant. Martinus Turonensium episcopus ad sacellum cum paucis profectus, orare Deum enixè cœpit, vt veritas detegeretur. Clarè ab omnibus audita vox fuit affirmantis, ipsum, qui eo in loco coleretur, latronem fuisse, qui propter grauia scelera suspensus fuerat. Quamobrem ex eo sacello corpus erutum fuit, proposito posteris eius rei exemplo, quæ in sacris literis habetur, scilicet: Multorum in terris corpora venerationem habere, quorum animæ cruciantur in inferno. Recenset idem Egnatius lib. 9. cap. 9.

Idem. Bernabo vicecomes, Mediolani princeps, Massiliensem abbatem ab Innocentio VI. Pontifice ad se missum, quòd ingrata quædam nunciabat, ac postremò Apostolicas censuras minitabatur, Pontificis literas, quas attulerat, deuorare coëgit. F. A. D. 1356. De eodem etiam suprà.

Idem lib. 9. c. 11. Petrus Sermonetanus, qui Minorum ordinem profitebatur, asini ori Christianam hostiam manducandam inseruit, vt dæmones in magica arte sibi fauentiores faceret.

Idem. Fuit Sixtus IV. iam tum adolescens, Sauonæ Liguriæ ortus, ex Minoritanâ familiâ vnus, qui ingenio literisque non parùm excultus, interque Bessarionis Cardinalis longè optimi fami-

liares ascitus, mortuo Paulo II. Pontifex à Cardinalibus suffectus est. Ad eum quum plerique ex suo ordine gratulabundi accederent, ita sanè accidit, vt & Franciscus Arragonius, illi inprimis olim familiaris, accederet. Qui quum palatij magnitudinem, pompamque, & eius ornatum maximè admiraretur, vt non dubitârit Sixtus pont. argentea illi pocula, aureamque supellectilem omnem liberiùs ostentare: quin etiam & illud addere, Petrum & Paulum Christi Apostolos nequaquam hæc ipsa ornamenta ostensuros: tunc pari libertate vsus dixit, nec tu quidé pontifex maxime, Petri successor, claudicanti dicere poteris, Surge & ambula. Quo sanè dicto admoneri Sixtus potuit, veterem pietatem adeò exoleuisse, vt nihil iam ex eâ nisi nomen superesset.

Idem lib. 9. cap. 5. Ioannes XII. Pontifex, cùm accepisset, è Cardinalium numero duos, ad Italiæ totiusque Ecclesiæ salutem, per literas cohortatos esse Othonem Imperatorem, vt confestim in Italiam descenderet, superbum, atq; insolens nimis ingenium pro tyranni more secutus, alteri eorum nasum, alteri autem manum, quâ scripserat, desecuit.

Idem. Bonifacius VII. Papa in vrbem reuersus, è quâ propter crimina pulsus fuerat, nulla dignitatis habitâ ratione, Ioanni Cardinali innocentissimo viro oculos effodi iussit: quòd ei in his, quæ parùm iustè appetebat, aduersaretur.

Idem. Euidenti prodigio damnatus simoniaci criminis fuit Archiepiscopus Ambranensis ab Hildebrando apostolico legato, Papâ postea facto. Nam cùm simoniacum crimen factum negaret Archiepiscopus, Legatus autem affirmaret, & quia Spiritus sancti episcopalis dignitas munus esset, illi ipsi se hoc iudicium remissurum esse: atque propterea ab Archiepiscopo peteret, vt clarâ voce versiculum recitaret, qui ab Ecclesiâ in omnium Psalmorum fine dici solet, Archiepiscopus conditionem accepit. Cùm autem recitando ad Spiritus sancti nomen venisset, implicatâ ad dentes linguâ illud verbum ennunciare nunquam potuit. Itaque ob eam rem damnatus est: & quod ante damnationem exprimere non potuit, post damnationem ab episcopatu deiectus, planè pronunciauit.

Idem. Iuuenis Atrebatensis clericus, cùm domi suæ hominem occidisset, vnà cum sorore eum sepeliuit. Re detectâ, ad supplicium ducebantur, vt ambo viui cremarentur. Consternati, Christiano more, fateri crimina sua, & à Deo veniam petere nolebant. Soror, quæ innocens eius criminis erat, cùm iam supplicium instaret, & diuinitus monita lustrare animam confessione decreuisset, fratri, vt idem faceret, suadebat: sed frustra. Successâ pyrâ clericus solus, incolumi atque omni ex parte illæsâ sorore, combustus est.

Idem. Arator quidam senex in Germaniâ, cùm episcopum ducemque Coloniensem, qui iter armatus faciebat, vidisset, magno risu solutus, interrogatus est: Quæ tanti risus causa esset? Arator autem, cùm negare se rem videret non posse, respondit, ridere se, quòd Petrus Apostolus, clericalis ordinis princeps, in tantâ inopiâ mortuus esset, & posteros in eo ordine tantoperè locupletasset. Respondente autem episcopo, se simul & Ducem esse & episcopum: & eo tempore vt Ducem armatum esse, & cum armatis iter facere: & cùm in templo esse contingeret, illic vt episcopum agere: maiori etiam cachinno solui arator cœpit. Denuò igitur causam rogatus, dixit: vellem equidem declarari mihi, cùm mortuum hunc ducem, cuius personam geris, in inferno esse continget, quò putes episcopum iturum?

Idem. Dissidentibus inter se Othone quarto & Friderico 2. Imperatoribus, cùm Innocentius 3. Pontifex apertè fauisset Othoni, deinde post aliquod tempus ad Fridericum studia conuertisset, videbatur multis harum discordiarum causas serere. Cùm autem per Quadragesimæ tempus Innocentius è more conciones haberet, mirantibus omnibus eius in dicendo facundiam, Ioannes Capocius ciuis Romanus Othoni deditissimus, cùm Pontificem de concordiâ magno studio prædicantem audiret, priusquàm Papa concioni finem imposuisset, exclamauit: Verba tua, pater sancte, Dei sunt: cæterùm facta diaboli.

Idem. Benedictus nonus Gregorio sexto pontificatum vendidit: quem credibile est, si tantum emtorem inuenisset, semetipsum quoq; venditurum fuisse, ac libertatem, vitamq; ipsam auro, si magna eius vis oblata fuisset, postpositurum.

Idem. Cùm Henricus, ad Cardinalatum à Cistercensium ordine euectus, à Clemente Pontifice legatus in Germaniam mitteretur, vt aduersus Christi hostes crucem prædicaret, in comitatu aliquot habebat monachos. Itaque cùm iter faceret, ab eis petijt, vt aliquis eorum aliquid ad leuandum viæ fastidium loqueretur, vnde audientium animi fructum accipere possent. Monachus autem cùm inter ipsos vnus esset ex eo numero, qui, quòd ad sacros ordines non promouentur, sed in monachorum seruitia ali solent, Conuersi appellantur, non sine difficultate eum impulerunt, vt is esset, qui loquendi tunc onus subiret.

Ad Cardinalem igitur subridens se conuertit, & dixit: Cùm mortui erimus, id quod haud multo tempore pòst erit, & ad paradisi valuas perducemur, Benedictus ordinis nostri primus parens obuius nobis erit, vt in paradisum nos inducat. Cùm iste domine mitratum conspiciet, quia ignorabit, petet, quisnam sis, & si, è numero ipsius monachorum te esse, responderis: dicet, monachorum non esse capitibus cornua gestare. Cæterùm postquàm tu multa ad hos ornatus excusandos dixeris, vt certior de te fieri posit, regni cœlorũ ianitori imperabit, vt tibi in terrâ extenso stomachum

aperiat: & si herbis leguminéque te pastum esse inuenerit, monachum esse credet, atque in paradisum introducet. Quòd si delicatioribus cibis enutritum esse cognoscet, sciet, verum te non esse monachum. Quid tunc, domini mei, dicturi erimus, cùm in has difficultates coniectos nos videbimus?

Idem. Velanus, qui prouinciam in ordine fratrum Minorum regebat, cùm ad Ioannem 22. Auinionem deductus esset propterea, quòd in Ecclesiasticis concionibus Pontificem hæreticum nominarat, quòd eo tempore excitatam illorum societatem, qui Fraterculi vulgò nuncupati sunt, Pontifex improbasset (à quibus dicebatur, sacerdotes omnes apostatas esse, qui Apostolorum paupertatem non sequerentur) in concilio ea omnia confirmauit, quæ alibi dixisse accusabatur, denuoque coràm eum veræ paupertatis Apostolicæ ecclesiasticæque euersorem vocauit, & propterea eum hæreticum, atque apostatam dici debere. Velanus ductus in carcerem nunquam recantare voluit.

Anno 1470.

Rodericus Castellanus, Hispanus, Episcopus Zamorensis, Referendarius Papæ Pauli 2. in Speculo vitæ humanæ lib. 2. de miserijs summorum Pontificum.

HAbent etiam Papæ domesticas curas: iniquissimas auiditates, rabidissimas rabies (vt ita dicam) propinquos exaltandi. Nemo enim carnem suam odio habuit: quia & Christus, cuius vicarius hic est, suos dilexit.

Et postea: Ex quo sequitur, quòd non viuere aut parùm viuere censetur, qui inutiliter aut maculatè viuit. Cæterùm parum viuit Papa, qui terrenis occupationibus transigit tempus: litibus, bellis, & alijs incumbit, &c. Facit enim timor Romanum Pontificem mori. Non sic Apostolus timebat mortem, sed optabat dissolui, & esse cum Christo. Imperatore Friderico 3. Papa Paulo 2. vt sup.

Idem. Si Prophetarum, si Patriarcharum, si totius sacræ Scripturæ repetuntur annalia, nullum reperiemus genus hominum, quos Deus vehementiùs arguat, & seueriùs comminetur, & crudeliùs puniat. quàm Pontifices, pastores, & Sacerdotes.

Discurre per Prophetas, & Scripturam lege, quid audis, nisi, Pastores populi mei præuaricati sunt in me: propterea adhuc in iudicio contendam vobiscum. Et iterum: Stultè egerunt pastores. Et sequitur: Propterea euellam eos de terra. Rursus ad eos: Omnes pastores meos pascit ventus. Et alibi: Væ pastoribus, qui dispergunt gregem meum. Et iterum: Væ pastoribus Israël, qu pascunt seipsos. Et sequitur: Collidam in te pastorem & gregem.

Denique ad Iohelem Prophetam transi, quid nisi comminationis pœnas, quid nisi clamores plangentium Sacerdotum & Pontificum audis? Ait enim: Plangite sacerdotes: vlulate ministri altaris.

Ausculta Ezechielem: Væ pastoribus Israël, qui pascunt semetipsos. Et iterum: Super pastores iratus est furor meus.

Malachias quoque non tacet eorum exterminium. Ad vos, inquit, sacerdotes, qui despicitis nomen meum, ad vos est mandatum. O sacerdotes, ecce ego proijciam vobis brachium iræ meæ: & dispergam super vultus vestrum stercus. Et iterum: Dedi vos contemtibiles omnibus populis.

Sed & Amos Propheta quàm durè prælatos & pastores ecclesiæ comminetur, audiamus, ait enim: Væ vobis, qui opulenti estis in Syon, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Dei: qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris.

Deinde contra huius status ambitionem scriptum est: Quicunque desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlis: Et iterum: Inter seruos Dei non computabitur, qui de primatu tractauerit.

Sed & Christus in Euangelio has illas pœnas & comminationes confirmat, ait enim: Væ vobis, qui diligitis primas cathedras. Sed quid hæc commemoramus? Plena est sacra Scriptura huiusmodi increpationibus & comminationibus. Quis ergò dubitat, periculosum, difficilem, cunctis aculeis & miserijs refertum esse illum hominum statum? cui tot maledictionum & anathematum, tot comminationum genera, tot pœnarum & suppliciorum mala Prophetæ, Patriarchæ, Sancti, ipse quoque Deus in Scripturis sanctis imprecatur.

Vnde Chrysostomus super illud: Obedite præpositis vestris: O Pontifex, ô Prælate, conspice, quanto igni supponis caput tuum. Et subijcit: Miror, si quem contingat saluari de his qui principantur & præsunt, in tantis minis, & in tanta pigricia, in tantis increpationibus, & in tanta desidia. Video tamen currentes & sponte se submittentes in pericula, contra quos durissimum iudicium his, qui præsunt, scilicet malè.

De

De Medicinæ abusibus ex eodem.

Mira certè res est: vt enim, inquit Hieron. fullones, metallarij, fabri, lignorum cæsores, ipsi quoque vilia officia exercentes, absque doctore esse non possunt, nec experiri audent quæ non nouerunt: sola est medicandi ars, quam sibi passim vnusquisque vendicat. Alij enim à crebrò infirmantibus medicinam addiscunt. Alij à fœminis, vt viros curent. Alij ab infidelibus audiunt, vt fideles necent. Alij nescio in quibus libellis legunt, vt in miseris corporibus vniformiter exequantur, & (vt aiunt) vno collyrio eis incognito, omnium oculos volunt curare: quo fit, vt cæcus natura videntem cæcum faciat.

Hi medicinam nescientes medicina abutuntur, & artem egregiam, quam non nouerunt, profitentur, atque medicinæ excellenti & illustri nomine gloriantur, quippe quæstus gratia: pecuniam vt finem quærunt. Præmium certè vero medico non modò exiguum, sed sordidum, & tanto labori impar, nec ingenio dignum.

Ex quibus huius artis difficultates & incommoda in promtu sunt: dum viris excellentibus non creditur, & hac laudatissima arte abutentibus præmia dantur. Adde, quia multa millia hominum talium medicorum insipientia, aut inexperientia fortè moriuntur, & dum vnum morbum curare satagunt, plures inducunt. Assuefaciuntque miseros ægros, vt sine medicinis viuere non valeant, quas nisi alijs parandas minimè ipsi tangunt nec degustant.

Cætera hominum genera felicem auram, bonamque temporis dispositionem optant: Medici verò aut insanam aut pestiferam, omnes infirmos esse præter se & suos, desiderant. Quos quidam sapiens similes dicit eis, qui funera ad corpora hominum sepelienda deferunt: quos Demosthenes Athenis damnauit exilio, eo solo, quia optabant, plurimos mori, vt inde lucrum caperent, quod contingere non potest sine multorum morte.

Taceo, quot morborum prolongationes, quot pestiferas potiones, quot infirmitatum commi nationes miseris infirmis ingerant: & quos abstinentia aut simplici victu, quippe vel herba, si scirent, curare poterant, sumtuosis, vltramarinis quippe & adulterinis, materialibus, quæ ipsi aut vendunt, aut venditoribus illorum lucrum participant, curare, aut potiùs inficere humana corpora moliuntur.

Rursus, medici causas & naturas ægritudinum dicunt subtiliter, dantque sanitatem verbotenus, adeò vt, sicut quidam sapiens dicebat, cùm eos audimus, mortuos posse suscitare credamus: paulò tamen pòst cernimus, inanem esse eandem sanitatis spem, quam illicò insperata mors intercipit.

Idem. Vidi ego plurimos heri Aromatarios, hodie medicos: heri barbarum rasores, hodie morborum grauium censores: heri herbas, cæteraque materialia in apothecis commiscentes, hodie in Principum aulis morbos iudicantes. Si enim etiam sanando vix nomen boni medici quisque assumit, quónam pacto necando medicandi titulum sibi vendicabit?

Idem. Quare nec ego sentire audeo, quod omnes clamant: latrones enim, sicarij, venefici inhumaniter homines occidunt, medici tamen humanissimè, atque officiosissimè, & solenniter interimunt.

Idem. Sed fateor, laudanda plurimùm ars Medicinæ esset, si bonum subiectum, si virtuti deditum reperiret, si deniq; idipsum sciendi genus optimum, ac naturalibus scientijs, infallibilibusq; fundamentis communitum priùs medici addiscerent, quàm exequerentur. Sicut enim (vt aiunt) vnusquisque id agit feliciter, quod optimè nouit, ita qui principia Medicinæ ignorat, cuius finis sanitas existit, vt sanum ægrum reddat, necesse est. De Medicinæ abusibus plura reperies hoc in Opere sub nomine Theophrasti Paracelsi.

De varijs nouis in Ecclesia excogitatis traditionibus, ex eodem Zamorense.

Circa prædicta tamen, quæ de sanctitate vitæ solitariæ dicta sunt, dicam quod animum pulsat: alia est enim ratio illius antiqui temporis, alia moderni. Si enim viros solitarios consideramus, illos videlicet, qui in primitiua Ecclesia floruerunt, verissimum puto, illos fuisse perfectioris & sanctioris vitæ cæteris socialem vitam agentibus.

Eo enim tempore non arctabantur fideles tot canonũ & decretorum præceptis, censuris aut pœnis. Nec erant tunc (vt ita dixerim) tot laquei legum seu constitutionum, excommunicationum, siue censurarum: à quibus vix fideles etiam diligentissimi & timorati respirare, & præcauere possunt.

Non tot ieiunia indicta, non vigiliæ, non silentia: non diurna pariter & nocturna diuina officia, dietim, ac ex præcepto dicenda: non denique tot festa colenda: non tam crebra confessio, & corporis Christi communicatio: non tot obedientiarum præstationes, sicut modò fideles arctantur,

aut potiùs inuoluuntur: ita vt rectè de Prælatis Ecclesiæ dici posśit illud Christi: Qui alligant onera importabilia, &c.

Vnde si aliquando huiusmodi in illa primitiua Ecclesia seruabantur, erant tamen voluntatis, quam pro tunc transgredi peccatum non erat, quia nondum prohibita: nunc verò ea omnia quæ diximus, & complura alia ab Ecclesia addita, & quæ quotidie secundum hominum & temporis malitiam expedit vt augeantur, sub præcepto iniunguntur.

Prædicatores bellatores, ex eodem.

INter cætera detestanda exempla, vnum illud est, quoniam etsi scriptum sit, seruos Dei non oportet litigare: Episcopi tamen & Clerici, qui spirituales sunt, & lites ac contentiones vitare speciaiiùs iubentur, proh pudor, tam acerbè, tam impiè, tam crebrò litigant, vt omnes vincant in contendendo laicos: & sub colore iusticiæ obrepit impietas. Ita non modò pro Episcopatu litigatur, sed bellatur: non modò pro sacerdotio contenditur, sed pugnatur. Et plerunque non sine orbis & vrbis periculo bellatur in Ecclesia, quæ pacem filiis, vt pia mater, promittit.

Aiunt enim, gloriam nostram non damus alteri, qui dum vanam retinent, veram & æternam amittunt: ad gloriam currunt, sed gloria eorum in confusione erit. Christus iubet, tunicam proximo dimitti, quippe & in faciem percuti, ne litigent: isti eligunt percutere quàm parcere: malunt periclitari ecclesias, quàm se non honorari.

Causæ breuitatis vitæ summorum Pontificum, ex eodem.

QVia ante ruinam exaltabitur cor. Et iterum: Exaltatus citò consummatus, & omnis potentatus vita breuis. Constat enim, nullum ex Petri successoribus eius tempus, quo præfuit, æquare.

Legimus in scriptis Petri Damiani, eum, cùm ab Honorio Pontifice de hac re interrogatus fuisset, respondisse, hoc ideo fieri, vt Deus humano generi metum mortis incutiat, & quàm despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu euidenter ostendat, quatenus, dum præcipuus & supremus omnium hominum tam angusti temporis compendio moriatur, tremefactus quisque alius, ad præstolandi sui obitus custodiam, prouocetur: dum arbor humani generis, cacumen & verticem suum tam facilè corruisse, considerat.

Subnectit deinceps alias quoque causas, de quibus ipsemet dubitare videtur. Super quibus Lector apud se cogitabit de causa, quare à Petro ad hodiernum vsque Papam, 237. Pontifices, & tantùm 120. extiterint Imperatores: mysterio enim neutiquam caret.

Idem. Episcopis & clericis ipsa simonia (quæ hæresis appellatur) tam familiaris & chara est, vt vix sine illa in domo Domini incedant. Quibus etiam annexa inuidia domestica, auaritia, libido, ira, & superbia in rerū abundantia videtur. Sunt in hoc statu Patriarchæ pomposi, Episcopi negligentes, decanus timidus, archidiaconus elatus, canonici extra chorum vagantes, vicarius in litibus, tabellio falsus, Presbyter imprudens, curatus ignarus, confessor leuis, Diaconus Euangelia nesciens. Subdiaconus epistolam ignorat, cantor latrat, thesaurarius fabricam defraudat, sacerdos Sacramenta vendit, capellanus venalis.

Idem de malis religiosis. Sed vt paucis multa comprehendam, si studia, si mores, si vitam plurimorum religiosorum cognoscere vis, considera, quia illis capitulum hostis est: extrà murmur & inuidia.

Idem. Constat, plures cadere in via salutis, & longè plures ex statu ecclesiastico periclitari propter plurima, & præsertim propter temporalium affluentiam, sicut certè plures deuiant in prosperis, quàm in aduersis.

Idem in spec. de Excellent. Archidiaconi. Quis Episcopus de his oculis gratias agit, vt dicere valeat: nec elati sunt oculi mei? Qui ita Episcopi sui negligentias suppleant, vt de eis dicat: Imperfectum meum viderunt oculi mei, id est Archidiaconi? Hi certè sunt oculi, de quibus ait Propheta: Ponam oculos eorum super malum, & non super bonum. Quid enim aliud vident Archidiaconi nisi munera? Conferunt beneficia non meritorum, sed pecuniarum cumulo: non virtuti, sed sanguini: ad sacros ordines deordinandos ordinant: implent inutilibus, atque ignaris ministris Ecclesias, vt bursas repleant.

Hi propter obsequia delicta non puniunt: arcas, non personas visitant: nec ad lucrum animarum, sed quæstum, & grauamen visitandi officium vertunt. Hi res pauperum pauperibus non erogant: sese secularibus exhibent: contemnunt presbyteros, & Principum curias sequuntur, vt ad cathedram pestilentiæ pestilenter ascendant. Hi certè (vt cum propheta loquar) viuificant morituros, & mortificant vixuros: excommunicant sine cognitione, absoluunt excommunicandos. Hi magis lauta conuiuia, quàm diuina sequuntur officia.

Adde, quia quæ ad eos pertinent, negligunt, contra Episcopum præscribunt: in eius ordinariam messem extraordinariam falcem mittunt.

Taceo eorum impudicitiam: quæ tanta est, vt subditos agat impudices, qui facilè maiorum imitantur exempla. Ad quos Ieremias in Threnis ait: Subtrahunt ministri domus Dei à templo aurum & argentum, & erogant illud in semetipsos. Et sequitur: Dant autem ex illo prostitutis, & meretrices ornant: hi non liberantur ab ærugine & tinea. Illos certè signat Malachias: Recessistis, inquit, à via vestra, scandalizastis plurimos in lege: propterea dedi vos contemtibiles, & humiles omnibus populis.

Idem in Spec. de Canonicis. Canonicatus tranquillus ac securus viuendi modus est: nullam curæ animarum sarcinam habens, satis libertatis obtinet: nec ad sacros ordines arctatur, quippe quibus ad seculum redire, & sub sancto matrimonio viuere licet. A regula quomodo Canonicus dicatur, ignoro, qui canonice, & sub regula non viuit: qui (vt cætera taceam) secundum regulas canonum plures præbendas obtinet: & vnus ipse plurimorum (forsan meliorum) loca occupat: quippe cùm non satis sit, vt vnus seruiat, damnabiliter multorum seruitia intercipit.

Quantò liberiores sunt Canonici, tantò licentius in plurima debacchantur vitia: nec vni sufficit muliercula, nisi retentam in domo habeat vt vxorem: concubinas verò, & adolescentulas, quarum non est numerus. Episcopis non obediunt, sed resistunt: sæpeque in eos conspirant, armaque mouent, atq; ne ab Episcopis puniantur, fœderant se seculi principibus.

Ad altare accedunt irreuerenter, peruerso opere, polluto ore, immundo corde, elati, irati, crudeles, non amore charitatis supernæ, sed perdendi corporalis stipendii timore: coacti, turbati ab alio, aut alios turbantes: vani accedunt, curiosi, voluptatibus dediti: legem Domini nec sciunt, nec discunt: vacant omni ocio & comessationibus: temporalia sapiunt, terrenis inhiant: in plateis assidui, in Ecclesia rari: parati ad venandum, tardi ad prædicandum: velociores ad congregandos canes, quàm ad alendos pauperes: plures illis ad mensam, nullus ad missam seruit: scyphus calice preciosior: equus missali charior: cappa casula pulchrior. Eorum sacrificiis Deus indignatur.

In choro tantò deteriores degunt, quantò honestiores esse deberent: vbi mente vagi, oculis attoniti, habitu dissoluti: prospiciunt per cancellos non pauperculas, sed mulierculas: aliud cantant, aliud cogitant. In choro sunt corpore, in foro sunt mente: manè in theatro: serò in Ecclesia: ibique nunc intus, nunc foris exeunt inquieti: psalmorum verba non pronunciant, qui cantare pudori existimant: tanta quibusdam leuitas est vocis, quanta & mentis: tandem cantant non cum Dauid iuxta arcam Domini, sed in palatio cum Herodiade.

Denique ad capitulum canonici accedunt, sed vt litigent: vt (proh dolor) vbi litigia sopiri deberent, ibi nascantur: vbi culpa deleri debuit, ibi augeatur. Et vt paucis agam, quoties Canonicus capitulum ingreditur, toties domum periurus redit. Prece enim aut precio, odio, fauore, aut timore longè aliud consulit, quàm aut conscientiæ, aut Ecclesiæ vtilitas exposcunt: vbi clamorosa confusio, fitque capitulum officina discordiæ. Congregantur non vt se corrigant, sed detrahant: nec fit de animabus sermo, sed ipsi loquuntur de extrinsecis: ducunt ad capitulum oues & boues, nec bona actio ventilatur.

Taceo de electione Episcoporum: in qua caro & sanguis ac Mammona iniquitatis longe plus possunt, quàm ordo iustitiæ & vnitatis. Cùm verò capitulum Canonicos creat, aut cætera confert beneficia: non ad merita, sed ad volita dirigunt vota sua: nec ad longiora obsequia, sed propinquiora trahuntur commercia: veluti vnus ex sanctis Ecclesiæ doctoribus, non tam eleganter, quàm facetè, in Ecclesia Argentina accidisse, refert.

In ea enim cùm de conferendis certis in Ecclesia vacantibus præbendis discordarent, altero nepotem puerum, altero filium, altero ignobilem fratrem nominantibus: quidam Romanus sibi Canonicus asellum, qui plus quàm 20. annos ei seruierat, nominauit: asserens in conscientia, quia propter diuturna seruitia, quæ Ecclesiæ asinus fecerat, dignior cunctis nominatis erat.

Idem. In nocte nullas vigilias habent religiosi, nec in die labores: laborat monachus, vt fiat abbas, abbas ventrosus: Prior ingrossatur, mendicans blanditur potentibus, terrena diligit: suspiciosus claustralis: bursarius pecuniosus: infirmarius concubinarius: capitosus Sacrista: sine oratione Conuersi fratres ad quæstum prædicant: guardianus equitat: prouincialis proclamat: generalis generat. Præterea de huius status periculo, vide, quid Bernhardus dicat in quadam epistola: moriens vix vnquam aliquis in cella ad infernum descendit, quia vix vnquam in cœlo prædestinatus in ea vsque ad mortem persistit.

Prodigium.

1473. ANno 1473. Papa 158. Sixtus nouos Plumbatores, id est, Scriptores bullarum simoniacarum, & indulgentiarum constituit, ita tamen, vt omnes & singuli illud officium sibi aliquot centenis ducatorum mercarentur. Sed ipso die Pentecostes fulmen de cœlo illapsum officinæ illi comminuit & exussit omnes arcas, bullas, & capsulas: plumbumque & sigilla liquata dissipauit. Imp. 115. Frid. 3. PP. 219. Sixto. 4.

Ioan-

Joannes Antonius Campanus, Episcopus Aretinus. 1476.

HIc in vita Papæ Pii secundi, Æneæ Sylvii, de eius superbia sic scribit: Mittente Cæsare legatum paulò obscuriorem, recusauit audire, postulauitque clariorem. (Ecce tibi Vicarii Christi humilitatem!) Prouocationem ad futurum concilium edicto prohibuit, dicens: Sceleratorum perfugium esse, eum iudicem petere, qui nusquam esset. Respublicas definiebat, multorum esse Tyrannides: & quæ optima haberetur, in ea non minùs esse bonis, quàm malis periculum. Præmia ferè nullibi quàm apud Principes reperiri. Moriturus medicis nihil periculi promittentibus dixit, hanc quoque principibus esse miseriam, vt ne in morte quidem assentatoribus careant.

Eulogium Monachorum apud Ioannem Campanum libro 4. Epistola 32.

QVisquis Monachus, idem & diabolus est. Omnia tentat, vbique pungit, vbique insidiatur: denique meiere vbi nequit, ibi cacat. Et cùm malus esse desinit, fit pessimus. Monacho contaminatius nihil est. Pro veste picem induit, non cucullum. Illinit sese, implicat, conglutinat, infestatur, nec vnquam abit, nisi cum litura: & iuxta hoc Tetrastichon,

Hoc solùm Monachus nirtirum à dæmone distat,
Quòd, quicquid vafer hic suggerit, ille facit:
At si iuncta dolis anus adiunet, & colat astu,
Audebunt Erebi depopulare domum.

Imp. Frid. 3. PP. Sixto 4. V.S.

Hermannus Archiepiscopus Col. in præfatione concilii Coloniensis. 1477.

HIc fatetur, tantam luem inuasisse vniuersam Ecclesiam, vt multa ipse, ex consilio quorundam Episcoporum & Cleri sui, contra Ecclesiæ Romanæ stylum communem, correxerit. Imperatore & Papa vt suprà.

Domicius Calderinus. 1477.

NOn libenter hic audiebat Missas, vt scriptores quidam (inter quos est & Viues) testantur. Cumque aliquando ab amicis inuitus ad eas pertraheretur, solitus erat dicere: Eamus sanè ad communes errores. Sentiebat igitur, Missam esse quendam errorem, in quo plerique homines vehementer errarent. Quòd autem non plura de ea re, nec explicatiora dixerit, fortassis periculum in caussa fuit: quòd contradicentibus Missæ & tunc atrox periculum imminuit, & hodierna die adhuc imminet. Cat. T. V. Imp. Friderico 3. PP. Sixto 4. V. S.

Dominicus de Dominicis Venetus, Episcopus Torcellanus & Brixiensis. 1478.

IN libello ad Pium secundum, titulo Reformatio curiæ Romanæ, ait: Si consideramus pontifices præcedentes, & acta eorum, vt, si quod mali in ipsis fuit, non sit imitandum, deinde R. D. Cardinales, deinde Episcopos, Protonotarios, & alios prælatos, pœnitentiarios, subdiaconos, auditores, clericos cameræ, acolytos, procuratores, notarios, præpositos, registratores, ostiarios, seruientes armorũ, cursores, plumbatores, cubicularios, aduocatos, familias prælatorum, & alios in diuersis gradibus & officiis constitutos: plorabimus certè cum Ier. Thr. 4. Heu quàm obscuratum est aurũ, mutatus est color optimus? dispersi sunt lapides sanctuarii (id est, prælati) in capitibus platearum (id est, latarum viarum, quæ scilicet ducunt ad perditionem) in quarum capite, vt Gregorius exponit, candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore, antiquo sapphyro pulchriores erant Nazaræi eius: sed nunc facies eorum super carbonem denigrata est, & non sunt cogniti, scilicet per bona, & cæt.

Item paulò pòst. Per hanc deformationem & labem curialium & clericorum, & maximè prælatorum, eneruata videtur censura Ecclesiastica, & diminuta obedientia, &c. Et ita in multis aliis, ne longè exempla petantur. Quare hoc? nisi ob contemtam vitam & opera prælatorum: quia videbantur quærere, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.

Item paulò pòst. Ista reformatio & correctio primò pertinet ad Papam, qui, sicut caput aliorum, eam debet agere, & eidem intendere. Sed qui alios corrigere vult, priùs debet aspicere se & suos

de Censi. Romanus lib. 6. Quia pastoris vita exemplum est aliis, q. 7. Cùm pastoris. Et languente capite, cætera membra inficiuntur, 6. q. 1. Ex merito. Et vulnerato pastore, quis curandis ouibus adhibet Medicinam? 1. q. 1. Fertur. ver. Hinc igitur. Vnde languente medico, dicetur ei, Cura teipsum, &c.

Octaua consideratio est circa indulgentias. Et videtur, quòd dare ita frequenter indulgentias plenarias, faciat eis vilescere cunctis. Quotiescunq; Papa exibat aliquo festo in publicum, dabatur indulgentia plenaria contra consuetudinem antiquorum Pontificum: cùm tamen per indiscretas ac superfluas indulgentias, claues Ecclesiæ contemnantur, & pœnitentialis satisfactio eneruetur. de pœni. & remiss. c. Cùm ex eo. § Ad hæc.

Item paulò pòst: Ex hac consideratione sequitur, quòd circa dandas gratias expectatiuas maior deberet haberi consideratio, & non ita passim & indifferenter. Quia propter tantam multitudinem & confusionem vt plurimùm beneficia conceduntur indignis, & magna datur litium materia.

Item paulò pòst: De malo exemplo & scandalo, quod præbent laicis, & huiusmodi, videantur, quæ dicit beatus Bernhardus in sermone super Euangelio, Ego sum bonus Pastor: ibi, Quid facit in cibis tam superfluus apparatus: & ibi, Quomodo seculares non expendent substantiam suam viuendo luxuriosè, etiam in præsentia sacerdotum? quomodo non intendent vanitatibus & lenociniis huius seculi? quomodo non essent insolentes & elati, cùm faltum tantum, tantam insolentiam videant clericorum? Nónne, inquit, in presentia eorum abutimini eleemosynis pauperum? De patrimonio crucifixi ista agitis: impinguatis canes, adornatis equos phaleratos, pectora & capita eorum deaurando, &c. Catal. Imp. Frid. 3. PP. Six. 4. V. S.

Episcopus Lausannas.

1478. BErnæ Parochus quidam stans in suggestu exorcizauit genus vermium, quod sata & & gramen sub terra corrumpit: consilio ad id faciendum vsus Lusannatis Episcopi. Nisi desistitis improbissimi vermes (inquit) ego vos cito VVisflisburgum ad officialem Episcopi. Simile apud Chassanæum reperies. Imperatore & PP. vt suprà.

Antonius Fradmi Monachus, Gallus.

1478. HIc omnium statuum vitia & abusus publicè perstrinxit: quem vide apud Enguerranum Gallicum scriptorem, in Chron.

Iacobus Mosander de probatis Sanctorum historiis.

1473. EX hoc authore, & Leandro Alberto Bononiense, Vincentio, Antonino, & aliis constant doli, imposturæ, fraudes & mendacia de Dominico, ad propagandum ordinem eius sparsa, quæ referre pudet: vnum tamen atq; alterum recensebo Antonini tit. 23. c. 1. § 3. vbi refert, miracula eius maiora fuisse quàm filii Dei: & alia blasphema multa. Et alibi dicit, paucissimos reperiri sanctos, quorum vita & conuersatio tam similis sit Christi, ac Dominici. Imperatore Friderico 3. Papa Sixto 4. vt suprà.

Michaël Fernus Mediolanensis.

1477. IOan. Ant. Campanus, Episcopus Aretinus, quo die vita excessit (Idibus videlicet Quintil. anno 1477.) ferunt, magnum auium numerum Terami fenestras bibliothecæ irrupisse, alarumque strepitu & flebilibus vocibus mœrorem luctumq; grauissimum ostendisse: libros & scripturas rostro, vnguibus & eluuie defœdasse. In agris quoq; paternis & consito ad domesticas delicias laureto, similem calamitatem intulisse arboribus, cunctaque, perinde ac de missa grandine deuastata, postero anno exaruisse. Gemini canes venatici, iussi pridem ad illum perduci, domo vi vlla, tanquam ad præmortuum herum frustra se pertrahi intelligerent, educi nunquam potuerunt: iidemque in posterum nec latrate nec blandiri, alicui visi, inedia & squalore, defecti occubuere. Imperatore & Papa vt suprà.

De fortuna aulica Campani ex eodem Ferno in vita Sixti 4.

CVm præesset Tifernatibus Campanus, & indignatus illi vrbi Pontifex bellum inferret, militumq; eam libidini liberaliter exponeret, tota vrbs belli motu trepida, eiulatibus perstrepebat, matres natos asportabant, puellæ, vt cuiq; pudicitiæ cura erat, ita vestalibus se occludebant, quisque preciosa haberet, humi defodiebat, ad direptionem, ad incendium, ad iugulum, ad internecionem spectare omnia videbantur.

Tam

Tam miserabili ciuitatis conspectu pius præses Campanus permotus, quo in discrimine cuncta forent, qua immanitate cuncta gerentur, paulò licentiùs ad Pontificem vt maturiùs periclitanti vrbi occurreretur, scribere constituit: & submissè monuit, ne plus in perdenda ciuitate impenderet, quàm antecessores in acquirenda exposuissent, quodq; illa immanitas propè Turcica videretur, non quæ saperet saluatorem. Eò Pontifex adeò excanduit, vt eum confestim prouincia deturbari iusserit. Ille crimen in libertatem calamiq; lapsum reiiciebat. Sed audiri à Pontifice, expurgare se, ac supplicibus rogatibus veniam impetrare nunquam obtinere valuit. Credo, quoniam subpudebat Pontificem, viro se clarissimo tantum contumeliæ contra ius fasq; contulisse.

Ita vir tantus, de curia omni & ciuitate tota tam benè promeritus, ad decus & splendorem vrbis, & gloriam Romani pontificatus tanto tempore attritus, functus præclarissimis muneribus, vita integer, moribus probatissimus, scientia, quantam nemo vnquam consequetur, & ante secula nulli adhuc viderunt, præditus, exilium meditari coactus est.

Cernebat vir prudentissimus, ante oculos eius Pontificis versari in cuius conspectum admitti impetrare non poterat, esse non aliud, quàm incendium irati animi suffouere, nec diuturnitate flecti, sed ampliùs eius præsentia maiorem flammam prouocatum iri.

Itaq; Neapolim ad Ferdinandum Regem, spe non minori, quàm in curia vixerat, vt semper virtus magnum aliquid, quod vtiq; consequi deberet, sibi pollicetur, petere constituit. Primo congressu orationem habuit quàm ornatissimam de regno & regis laudibus, mox in secretarium regium nominatus. Verùm cæteri, qui apud regem autoritate valebant, huius diuinum ingenium conspicati, quoniam cernebant, posse see primo huius virtute loco apud regem aliquando deiici, multa in eum crimina, præsertim quòd formidando comitiali morbo laboraret, commenti sunt. Rex nihilominùs spe illum maxima, amplissimisq; pollicitationibus confouebat, neq; tamen promissa implebat.

Hîc cùm neq; commendationes Vrbinatis ducis de rege tam bene meriti, neq; propria Campani virtus aliquid proficeret, despectuiq; se, malignitate & proteruia paucorum inuidorum, haberi cognouit, consumto viatico, & tenui supellectili argentea oppignorata, quia ampliùs permorari non poterat, Teranum (cùm interea nihil ad detinendum Pontificem, iramq; literis & amicorum intercessionibus demulcendam, posthabuisset) recipere se coactus est.

Hic etiam tentata sæpe per amicos patres Pontificis voluntate, cùm cerneret amicorum omnes, vt est aduersæ fortunæ vna hæc insignis calamitas, partim dissimulare amicitiam, seq; sensim subtrahere, partim nihil præter magnifica per summam vanitatem, quod vicium apud plerosq; potentiores arcem sibi vendicauit, verba dare, partim etiam Pontificem alloqui priuatis respectibus nolle, ad postremam desperationem perductus, eò sæpe incaluit, vt cum Turcis viuere præstare, contenderet. Quò si quando se contulisset, fuisset futurum, vt & reliquis mortalibus adaperiret perfidiam ac libidinem Christianorum præsulum, idque quòd inter eos pietas tanta immanitate plecteretur palàm & reliqua posteritati cognita faceret.

Grande ingenium, viuaxq; in tenui corpore, naturæ cuncta maxima complectebatur & suspiciebat: nihil illum molle, nihil non arduum & excelsum habebat.

Scripsit hic Vir opera varia doctissima, de Regendo Magistratu, de dignitate matrimonii, de ingratitudine fugienda, & alia. Fuit tribus Pontificibus Pio. 2. Paulo 2. & Xysto 4. charissimus, doctissimus, Orator excellentissimus, legatus apud Germanos: Cui dominorum fauor nunquam defuit: sed eum ministrorum vel canum potiùs aulicorum & amicorum fucatorum perfidia destruxit. Hæc de campano ideò prolixiùs, quia & aliis sæpe similia contigerunt, & adhuc experientur multi viri boni.

Priuilegia Fratrum Minorum breuiter tracta ex registro

Apostolico per Reuerendum M. Marcum, tunc acolytum & auditorem Apostolicæ curiæ: concessa ordini FF. Minorum per diuersos summos Pontifices? Et licet hæc omnia in sacristiâ nostri conuentus assignata sint, & fuerint sufficienter descripta: hîc tamen pleniùs annotantur.

SAnctissimus dominus noster Papa Gregorius nonus, diuina prouidentia Episcopus vniuersalis Ecclesiæ: qui beatum Franciscum, Antonium, & Elisabeth de tertio ordine adscripsit catalogo Sanctorum, concessit per priuilegium suum omnibus Christi fidelibus, causa deuotionis visitantibus Ecclesias fratrum Minorum per totum mundum, tam in festiuitatibus Domini nostri Iesu Christi, scilicet Natiuitatis, circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes: quàm Dominæ nostræ, scilicet Natiuitatis, Annunciationis, Præsentationis, Conceptionis, Purificationis, Visitationis & aliis commemorationibus beatæ Virginis: ac festiuitatibus beati Ioannis Baptistæ, & omnium apostolorum, & in die omnium Sanctorum, & beatorum Francisci Antonii, & Elisabeth, per ipsum canonizatorum, verè confessis & contritis de indulgentia annos centum & totidem quadragenas. Priuilegium incipit: Miserator Dominus, &c. & habetur Asisii cum Bulla papali.

Idem Gregorius Papa approbauit stigmata beati Francisci, & excommunicauit & maledixit non credentes vel detrahentes eisdem. Et in solennitate eiusdem, scilicet die decimaseptima Septembris concessit omnibus visitantibus locum Aluernæ, medietatem remissionis omnium suorum peccatorum. Et visitantibus Ecclesias præfati ordinis ipso die stigmatum, dedit indulgentiam triginta annorum. Priuilegium incipit: Seraphin volabant iuxta prophetiam, &c. & habetur cum bulla Papali Asisii.

Idem Gregorius Papa concessit omnibus Christianis, qui apud se habent vel habebunt de reliquiis beati Francisci, vel beati Antonii, & aliorum sanctorum ordinis nostri, quique ipsas afficient reuerentia, debito cultu, vel etiam manus adiutrices porrexerint ad decorandas prædictas reliquias, vel ad fabricas Ecclesiarum nostrarum, secundum suarum suppetentiam facultatum, remissionem omnium peccatorum suorum in articulo mortis. Priuilegium incipit: Sicut in visione ad Moysen, &c. & habetur Asisii cum Bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Alexander Papa quartus confirmauit omnia priuilegia ordini collata, & vltra illa ipse canonizauit beatam Claram, & in die Assumtionis Dominæ concessit omnibus visitantibus Ecclesias nostras in festiuitate, & translatione eiusdem, & in festiuitate & translatione beatorum Francisci, Antonii, de indulgentia annos XL. Priuilegium incipit: Quinque prudentes virgines, &c. & habetur etiam cum Bulla papali in Asisio in monasterio Minoritarum.

Idem concessit omnibus venientibus ad horas canonicas in Ecclesiis fratrum Minorum per anni circulum diebus singulis centum dierum indulgentiam. Priuilegium incipit: Sanctissimus & altissimus conditor, &c. & habetur Perusii cum Bulla papali.

Idem concessit omnibus fratribus Minoribus, in quibuscunque ecclesiis vel locis contigerit prædicare, vt possint dare suis auditoribus indulgentiam XL. dierum. Priuilegium incipit: De segete Euangelicæ messis, &c. & habetur Romæ, Florentiæ, & in aliis multis locis cum bulla papali.

Idem concessit omnibus, qui receperint fratres Minores itinerantes, & in domibus suis ministrauerint alimenta, soluerint naulum, passagia, & alia pietatis obsequia dictis fratribus exhibuerint, indulgentiam annorum quadraginta. Priuilegium incipit: Sicut summus sacerdos Abrahæ, &c. & habetur Romæ in conuentu nostro cum Bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Martinus Papa quartus concessit omnibus visitantibus Ecclesias fratrum Minorum, in festiuitatibus, videlicet Natiuitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ: & in festiuitatibus beatæ virginis Mariæ: & sanctorū Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, & festiuitatibus Sanctorum & Sanctarum eiusdem ordinis, & eorum translationibus, de indulgentia annos XL. & duodecim quadragenas. Priuilegium incipit: Diuinæ largitatis immensitate pensata, &c. & habetur Romæ & Asisii cum Bulla papali.

Idem concessit tam procuratoribus quàm aduocatis, in curiis tam Ecclesiasticis quàm ciuilibus, qui laborant pro defensione ordinis nostri & causarum nostrarum, singulis annis indulgentiam annorum centum. Priuilegium incipit: Operante in vinea Domini Sabaoth, &c. & habetur Ianuæ & Mediolani cum bulla papali.

Idem dedit omnibus Christi fidelibus, qui operum suorum manus porrigunt adiutrices ad construendas siue resarciendas Ecclesias, & monasteria fratrum Minorum cum cœmiteriis & claustris nostris, indulgentias annorum quadraginta. Priuilegium incipit: Habentes in Domino fiduciam, &c. & habetur Reatæ cum Bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Ioannes Papa vigesimus secundus, qui beatum Ludouicum catalogo sanctorum adscripsit, concessit omnibus venientibus ad Ecclesiam fratrum Minorum in festiuitatibus Domini nostri Iesu Christi, & beatæ Mariæ virginis, & beati Ioannis Baptistæ, & sanctorum Apostolorum, beati Francisci & sanctorum ordinis nostri, adiungens festum beati Ludouici Episcopi, indulgentiam annorum quadraginta. Priuilegium incipit: In splendoribus sanctorum, &c. & habetur Marsiliæ cum Bulla papali, & transsumtum in multis locis.

Sanctissimus dominus noster Nicolaus Papa tertius concessit omnibus visitantibus Ecclesias fratrum Minorum in festiuitatibus suprà dictis, in priuilegio Ioannis XXII. indulgentias annorum quadraginta, & in aliis diebus per anni circulum centum dies, & porrigentibus manus adiutrices dictis Ecclesiis vel monasteriis, totidem. Priuilegium incipit: Sacro Minorum ordine, &c. & habetur Romæ, Florentiæ, & Venetiis.

Idem concessit omnibus, qui moriuntur in habitu fratrum Minorum, & qui cum dicto habitu elegerint sepeliri, remissionem quartæ partis omnium delictorum suorum. Priuilegium incipit: Futurorum bonorum charismata, &c. & habetur Ianuæ cum bulla papali.

San-

Sanctissimus dominus noster Clemens Papa quartus concessit tam visitantibus Ecclesias nostras, quàm morientibus, qui in habitu vel cum habitu fratrum Minorum sepeliri elegerint, sicut dominus Nicolaus suprà dictus, remissionem quartæ partis peccatorum. Priuilegium incipit: Romanus Pontifex, &c. & habetur Mediolani & Perusii cum Bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Clemens Papa quintus concessit idem, quod Bonifacius Papa quartus. Priuilegium incipit: Fides & deuotio, &c. & habetur Ferrariæ cum bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Vrbanus Papa quartus, confirmauit & concessit, sicut dominus Nicolaus supràdictus, & dominus Clemens: & addidit omnibus visitantibus Ecclesias fratrum Minorum in quadragesima, indulgentiam XL. dierum. Priuilegium incipit: Sicut exhibita nobis Fides, &c. & habetur Romæ & Venetiis cum bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Innocentius Papa sextus concessit omnibus visitantibus Ecclesias fratrum Minorum in festiuitatibus Domini nostri Iesu Christi, & beatæ Mariæ Virginis, & sanctorum Apostolorum, & sancti Ioannis Baptistæ, & omnium sanctorum ordinis nostri, indulgentias quadraginta annorum, & in quadragesima singulis diebus centum. Priuilegium incipit: Fructus vberes, quos sacra parit Minorum religio, &c. & habetur Romæ cum bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Bonifacius papa quartus idem concessit, sicut Innocentius Papa sextus. Priuilegium incipit: Absentes exercitiis, &c. Bulla habetur Bononiæ, Veronæ, & Mantuæ.

Sanctissimus dominus noster Bonifacius Papa octauus concessit similiter, sicut dominus Innocentius suprà dictus. Priuilegium incipit: Subsequentibus exercitiis puritatis, &c. & habetur Romæ, Veronæ, & Mantuæ cum bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Benedictus Papa vndecimus concessit similiter, vt Bonifacius suprà dictus, & confirmauit indulgentiam sanctæ Mariæ de portiuncula, declarando & confirmando, ipsam datam esse à Christo viuæ vocis. Priuilegium incipit: Fundamenta in montibus sanctis, &c. & habetur Assisii cum bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Nicolaus quartus, qui fuit de ordine fratrum Minorum; concessit ordini nostro omnes indulgentias datas à suprà dictis omnib. pontificibus, & addidit easdem indulgentias in festo angelorum & sanctorum, quorum reliquiæ habentur in Ecclesiis nostris. Priuilegium incipit: In cathedra præeminentiũ pastoralis, &c. & habetur Romæ cum Bulla Papali.

Sanctissimus dominus noster Gregorius Papa decimus concessit omnibus visitantibus Ecclesias fratrũ Minorũ in prædictis festiuitatibus, indulgentias annorũ 40. & in quadragesima, diebus singulis dies 100. Priuilegium incipit: Manipulus vbertatis, &c. & habetur Neapoli in conuentu sanctæ Claræ cum Bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Vrbanus Papa quintus concessit similiter, vt D. Gregorius suprà dictus, & addidit remissionem quartæ partis omnium delictorum suorum his, qui moriuntur in habitu nostro. Priuilegium incipit: Euangelici professores, &c. & habetur Ianuæ, & in Monte Pessulano cum Bulla papali.

Idem concessit, quòd fratres Minores non possint interdici nec prædicando, nec confessi fratribus possunt cogi à sacerdotibus parochialibus reiterare confessionem: quod & concessit Innocentius quintus. Priuilegium incipit: Quoniam abundauit iniquitas, &c. & habetur Assisii cum bulla papali.

Idem concessit generali ministro, & ministris prouincialibus in toto ordine suffragia indulgentiarum, & orationum, & beneficiorum spiritualium, tam procuratoribus, quàm quibuscunque deuotis personis & benefactoribus ordinis nostri. Priuilegium incipit: Beneficia sanctorum officiorum, &c. & habetur Perusii & Marsiliæ cum bulla papali.

Idem concessit omnibus fraternitatibus & scholis, quæ sunt & erunt in Ecclesiis, & locis nostris suprà dictis, vltra cæteras suprà dictas, dierum centum. Priuilegium incipit: Vinculo pacis, &c. & habetur Senis cum Bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Alexander Papa quartus excommunicauit detrahentes stigmatibus beati Francisci, & non possunt absolui nisi per sedem Apostolicam. Priuilegium est Bononiæ & Ferrariæ, & transsumtum est in conuentu Cremonæ.

Sanctissimus dominus noster Alexander Papa V. qui fuit de ordine fratrum Minorum, confirmauit dicto ordini omnia priuilegia suorum prædecessorum, & vltra hæc concessit Ecclesiæ sancti Francisci de Candia in festo eiusdem, perpetuò duraturam indulgentiam à pœna & à culpa. Priuilegium incipit: Licet is de cuius munere venit, &c. & habetur Candiæ cum bulla papali.

Idem concessit, vt fratrum Minorum prædicatores in propriis Ecclesiis non possent ab aliquo prælato Ecclesiastico interdici, vel etiam confessos fratribus iterum eadem peccata presbytero parochiali confiteri non expedit, ex priuilegio sancti Innocentii Papæ IV. quod incipit: Quia abundauit iniquitas, &c. & Ioannis XXIV. quod incipit: Vas Electionis, &c. & habetur Perusii, & Venetiis, & aliis quàm plurimis locis.

Idem. In cœmiteriis & Ecclesiis fratrum Minorum sepulturæ absque quacunque contradictione haberi, & esse censentur, & vt possint fratres liberè & processionaliter cum incenso & cruce exire, cantando siue legendo officium mortuorum, qui apud illos elegerint sepeliri, sine aliqua contradictione vel constitutione in contrarium. Priuilegium incipit: Super cathedram, &cæt. Nec etiam in cœmiteriis siue Ecclesiis fratrum vllus ibidem audeat cele-

brare, aut sepelire, aut alia quæcunque diuina facere, sine consensu ipsorum fratrum, sub excom-
municationis pœna. Et habetur ex priuilegiis scilicet Alexandri, Papæ quarti, quod incipit vir-
tute conspicuus,&c. Et Benedicti vndecimi: quod incipit: Inter cunctas &c. & habetur Venetiis, As-
sisii, & aliis quàm plurimis locis cum bullâ papali.

Omnes violantes & confringentes Ecclesias fratrum Minorū, principes, nobiles, officiales, ciues,
siue Ecclesiastici, siue Ecclesiarum Prælati, qui se in causis fratrum Minorum contra eos ingesse-
rint, & in eos manus iniecerint, molestauerint, vel angustias dederint, bona eorum retinuerint,
vel alia dona quæ vis attrectauerint, excommunicationem latæ sententiæ incurrant. Et si contu-
maces ab his non destiterint, non possunt absolui, nisi à summo pontifice: satisfactione tamen
damni dati sine calumnia præhibita. Et habetur ex priuilegiis Clementis quarti, quod incipit: In
quibusdam locis,&c. & Nicolai tertii: quod incipit: Exiit qui seminat, &c. & habetur Venetiis, As-
sisii, & aliis quàm plurimis locis cum bulla papali.

Sanctissimus Dominus noster Ioannes Papa vigesimus secundus concessit, sicut Innocentius
sextus. Priuilegium incipit: Vas electionis, &c. & habetur Venetiis, & Assisii cum bulla pa-
pali.

Sanctissimus dominus noster Alexander Papa quartus, Nicolaus tertius, Innocentius quar-
tus, Nicolaus quartus, & Benedictus vndecimus concesserunt à quarta feria cinerum vsque ad Pa-
scha inclusiuè, absque alia solennitate & prædicatione, venientibus ad eclesias fratrum Minorum
semel in die causa deuotionis, de indulgentia quotidiana annos centum viginti duos, & dies cen-
tum septuaginta sex. Si autem ibidem prædicatur feria secunda, quarta, & sexta, additur indul-
gentia annorum sedecim & dierum viginti sex: & sic ascendit cum prima in annos centum trigin-
ta octo, & dies ducentos duos, Bulla habetur Romæ.

Sanctissimus dominus noster Sixtus Papa quartus, qui fuit frater Minor concessit omnibus
visitantibus Ecclesias fratrum Minorum, & porrigentibus manus adiutrices, à sexta feria post ter-
tiam Dominicam quadragesimæ, vsque per totam Paschæ Resurrectionis, pro singulo die indul-
gentiam 3718. annorum, & centum triginta dierum. Et hoc propter communicationem pri-
uilegiorum fratrum. Eremitarum, quam fecit iste Papa Sixtus. Bulla habetur Romæ Ferrariæ.

Idem Sixtus Papa quartus confirmauit omnia priuilegia ordini nostro indulta, & con-
cessit omnibus & singulis Christi fidelibus, qui Ecclesias & oratoria fratrum Minorum in festo
Sancti Francisci visitauerint, centum annos de indulgentia & totidem quadragenas. Et in festo
sanctorum Antonii de Padua, Ludouici Episcopi Bernhardini, sanctæ Claræ, & sanctæ Elisabethæ,
à primis vesperis, & per totum diem ipsarum festiuitatum, quinquaginta annos & totidem qua-
dragenas: & excommunicauit omnes locorum ordinarios seu officiales, vel alios cuiuscunque con-
ditionis existant, persuadentes vel persuadere facientes aliquibus, ne faciant eleemosynas ipsis
fratribus Minoribus, seu alio quocunque modo molestantes ipsos fratres, seu eorum bona deti-
nentes.

Idem Sixtus Papa quartus concessit omnibus celebrantibus festum Beati Francisci, & ve-
rè pœnitentibus, de indulgentia quinquaginta annos, & totidem quadragenas. Priuilegium inci-
pit: præclara sanctorum merita,&c. & habetur Romæ cum Bulla papali.

Idem Sixtus Papa quartus mandat & præcipit, quòd omnes morientes cum habitu sancti
Francisci, vel tertii ordinis eiusdem, debent prorsus in Ecclesia in ipsorum fratrum sepeliri, nec
talem habitum habere possunt sine licentia ipsorum fratrum, pro vt continetur in eadem bullâ.

Idem Papa Sixtus concessit fratribus Minoribus, quòd possint & valeant omnia sacramenta
fratribus tertii ordinis Sancti Francisci ministrare, & penitus sub cura ipsorum fratrum Minorum
ipsos fratres tertii ordinis posuit: vt paret per bullam, qui habetur apud reuerendiss. patrem gene-
ralem, & transsumtum habetur Parmæ.

Idem Sixtus Papa quartus concessit fratribus & sororibus tertii Ordinis, vt gaudere possint liber-
tate & imunitate ecclesiastica, vt personæ religiosæ præcipiendo communitatibus, potestatibus, of-
ficialibusque ciuitatum & locorum, sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, ne eisdem suprà
dictis fratribus vel sororibus grauamina aliqua libertati Ecclesiasticæ contraria inducere præsu-
mant. Bulla habetur Regii, & transsumtum Parmæ. Priuilegium incipit. Ad futuram rei memori-
am S. Sanctam,&c.

Idem Sixtus concessit, quòd ipsi fratres possint & valeant personis eisdem fratribus confessis
omnia sacramenta ministrare, si rectores se difficiles reddiderint, seu malitiosè distulerint.

Idem Papa concessit, vt ipsi fratres corpora mortuorum eleuare, & ad suas Ecclesias sepeli-
enda deferre possint, si presbyteri de eleuatione requisiti quocunque modo recusauerint.

Idem Papa præcipit omnibus & singulis Ecclesiarum rectoribus quòd non debent exigere, nec
petere quartam ab ipsis fratribus quomodo libet eueniret, quouis modo, in communi vel in parti-
culari, directè vel indirectè.

Idem

Idem Papa Sixtus, & Innocentius octauus concessit ipsis fratribus Minoribus & eorum ecclesiis omnes & singulas gratias, concessiones, & indulgentias, peccatorum remissiones, immunitates, exemtiones, facultates, priuilegia, & indulta spiritualia & temporalia, qualiacunq; sint heremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum, ac seruorum sanctæ Mariæ. Transsumtum est in conuentu Bononiæ.

Postremò, quia Prædicatorum & Minorum fratrum, Prædicatorum ordinum professores, pro fidei catholicæ dilatatione, incremento, & defensione continuè & indefessè laborant, vel sua exemplari vita in prædicationibus verbi Dei, audientia confessionum, sana doctrina, assidua sacrarum literarum instructione, & deuota diuinorum officiorum celebratione, hæreticorum extirpatione, aliisque innumeris piis operationibus, præ cæteris ordinum Mendicantium Professoribus, fructus in Ecclesia Dei salutares copiosiùs attulerunt hactenus, & continuè afferre non cessant, atque allaturos in futurum, Deo propitio, spe firma tenemus:

Propterea conuenit, vt ipsi præ cæteris ampliores fauores, & gratiarum prærogatiuas à præfata sede recipiant & repetant, aliorumque ordinum Mendicantium indulgentiis & priuilegiis apud sedem præfatam gaudeant, ne illis inferiores esse videantur. Et vt habeant omnes & singulas gratias, concessiones, indulgentias, & peccatorum remissiones, exemtiones, facultates, priuilegia, & indulta spiritualia & temporalia, qualiacunq; sint heremitarum Sancti Augustini & Carmelitarum, ac seruorum B. Mariæ, concessa fratrum ordinibus, & illorum Ecclesiis oratoriis, & domibus, prioribus, fratribus, & sororibus, conuersis, & oblatis, ac vtriusque sexus personis de pœnitentia nuncupatis, à prædecessoribus nostris, Romanæ Ecclesiæ pontificibus prædictis, & à nobis atque ab aliis auctoritatem habentia.

Quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, haberi hîc volumus pro sufficienter expressis, & coniunctim vel diuisim, in generali vel communi concessa eisdem: & ea cuilibet Prædicatorum & Minorum fratrum ordinibus, domibus, ecclesijs, oratoriis, Generali ministro, ministris, prouincialibus, conuentualibus, prioribus, guardianis, sororibus, oblatis, conuersis, & vtriusque sexus tertii ordinis, seu de pœnitentia nuncupatis, & aliis eorundem ordinum personis de nouo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac si eisdem nominatim, directè, & expressè concessa fuissent.

Mandamus etiam motu, scientiâ, & auctoritate prædictis, vt dum aliqua priuilegiorum, indulgentiarum, prærogatiuarum, concessionum, executionum, immunitatum, facultatum & indultorum dictorum fratrum heremitarum sancti Augustini, Carmelitarum, & Minorum ordinum adducerentur vel exhiberentur, eisdem fides indubia adhibeatur, tam in iudicio quàm extra iudicium, & aliis in locis, quibus opus fuerit, ac si pro & in fauorem dictorum ordinum, ecclesiarum, domorum, & fratrum Prædicatorum & Minorum à sede apostolica emanassent, inhibentes districtiùs ipsis locorum ordinariis sub interdicto ingressus Ecclesiæ, & suspensione à regimine & administratione suarum Ecclesiarum, ac parochialium ecclesiarum regiminibus, & aliis quibuscunque, sub excommunicatione latæ sententiæ, & priuatione earundem parochialium ecclesiarum, & omnium aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quæ obtinent.

Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ approbationis, constitutionis, concessionis, largitionis, indulti, perstrictionis, voluntatis, exemtionis, statuti, mandati, decreti, inhibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, septimo Kalendas Augusti: Pontificatus nostri anno octauo. Transsumtum est in conuentu Bononiæ.

Facit summa indulgentiarum omnium festiuitatum suprà dictarum, scilicet Domini nostri Iesu Christi, & aliorum, seu etiam sancti patris Francisci, nec non sanctorum sanctarumque eiusdem ordinis, annos quinquies centum & quadraginta octo, & dies ducentos ac sexaginta: & venientibus aliis singulis diebus annos 40. & dies 300. & in diebus quadragesimæ annos ter mille octingentos & quinquaginta septem, & dies ducentos ac septem.

Summa summarum omnium indulgentiarum anni quatuor mille, quadringenti & quadraginta septem, & dies triginta sex. Vide alibi, & nota benè, quia hîc non sunt omnes indulgentiæ & priuilegia. Laus Deo, & gloriosæ virgini Mariæ, atque beato Patri nosto Seraphico, & patriarchæ S. Francisco. Imp. Friderico 3. PP. Sixto 4. V. S.

Rodolphus Agricola. 1488.

DEplorauit Ecclesiæ tenebras, ac reprehendit profanationem in missis, & cœlibatu. Imperatore & Papa vt suprà.

Hic-

1480. ## *Hieronymus Tortus.*

Hic scripsit de anathematis, excommunicationibus, & fulminibus Paparũ, quòd sint vana & irrita: quodque, si iustam habeas causam, & ex iussu verbi Dei, debeas ac possis te illis bona conscientia opponere, & acriter veritatem & iusticiam contra illa propugnare.

1480. ## *Nicolaus Eremita.*





Nicolaus Eremita Vnderuualdensis (der Brüder Claus von Underwalden) in Heluetia, natum
nostrorum memoria, hoc est, circa annos Christi 1480. claruit. Is vxore relicta, ex qua ma-
res quinq; & totidem filias susceperat, in solitudinem se contulit, & in ea 21. annos absque cibo &
potu vixit.

Vitæ sanctimonia valdè fuit insignis: de reconditis sacrorum mysteriis multùm disputabat,
cùm tamen nullum vnquam in ea re studium posuisset, & planè illiteratus esset. Lætus tempore con-
spiciebatur: ad pœnitentiam omnes Heluetios, sed ad concordiam inprimis, deinde ad αὐτάρκειαν,
κίαν, vtque externorum Principum fœdera vitarent, sedulò hortabatur.

Habuit visionem, quam repræsentat præsens figura. Cuius interpretationem leges infrà anno
1508. apud Bouillum.

Diebus festis suos in templo Saxlensi conueniebat, eosq; non modò voce, sed & exemplo ad
pietatem accendebat. Inter preces quotidianas hac formula ceu epiphonemate solebat vti: HErr
nim mich mir/ vnd gib mich dir. Illud quoque liberè profitebatur, longè gratius sibi fuisse, quòd diui-
no auxilio charissimam vxorem relinquere, quàm quòd cibo & potu omnia abstinere potuerit.

Oculi eius terribili splendore fulgebant. Arteriæ & venæ iugulares inter loquendum ita intu-
mescebant, vt spiritu non sanguine repletæ viderentur. Anno tandem 1502. vir rarissimi exempli
placidissimè expirauit. Cuius monitis vtinam nos Heluetii pareremus. Eius vitam alius quidam
imitaturus consilium à Nicolao adhuc viuente petiit, quanam ratione etiam ipse eas abstinentiæ do-
tes assequi posset. Cæterùm Nicolaus hominem seriò admonuit, non humano, sed diuino instituto
hæc fieri, neq; Dei dona omnibus ex æquo distribui: se igitur hortari ipsum, vt sorte sua contentus
suæ professioni incumberet, non stulta æmulatione talentum suum defoderet. Is verò pii viri con-
silio spreto, eremiticam vitam nihilominùs sequebatur. Tandem cùm in vinaria vasa, quibus more
Heluetico honorarium vinum peregrinis conferri solet, impurissimus homo ventrem exonerasset,
in carcerem coniectus, bonisque multatus, ad secularem vitam rediit, Stumpfio in Chronicis teste.

Hosp. Imp. 115. Frid. 3. PP. 219. Sixto. 4.

M. Io-

M. Ioannes Ibenhagen Frimariensis. 1480.

SOlitus est reprehendere prohibitionem ciborum, butyri, &c. Nam istis diebus, quibus in Papatu hominibus non licuit comedere carnes, ipsemet curauit, suis operariis coqui carnem suillam, eisque apponi, & simul cum eis comedit, dictitans, omnibus diebus licere Christianis vesci carnibus.

Reprehendit etiam alias (vt probatæ fidei homines testantur) superstitiones, à Papâ & pseudospiritualibus ordinatas, & institutas. Nam quòd sit humanum inuentum, non comedere carnes, sic probauit: Omnia in vsum hominis à Deo esse creata, & non inueniri in sacris literis istiusmodi præceptum: ideò & homines, vt id seruent, non obligari.

Improbauit quoque adorationem statuarum, & peregrinationem ad S. Iacobum, S. Mariam, & alios Diuos. Item, hominibus in confessione fertur dixisse: eos sanctorum neque meritis, neque intercessione niti debere: sed sola misericordia Dei, qui filium suum vnigenitum pro peccatis totius mundi dedisset, qui homines sua satisfactione (hæc eius sunt verba) Deo reconciliasset, &c. Cat. Imp. Friderico 3. PP. Sixto 4. V. S.

Nicolaus Quodus de mirabilibus Prædicatorum, & Carmelitarum. 1480.

SCripsit hic epistolam miranda nunciantem de quodam nouo opere, breui Romæ emersuro, cu titulus: De mirabilibus Prædicatorum, & Carmelitarum: vbi illorum scelera atq; flagitia graphicè depinguntur. Missa est ex vrbe ad Hermannum Comitem de noua Aquila. Impressa est in Germania, vt habet catalogus Basiliensis officinæ Heruagii. Imp. & PP. V. S.

M. Antonius Torquatus D. 1480.

SCripsit hic prognosticon de euersione Europæ ad Matthiam regẽ Vngariæ, durans ab an. 1480. vsq; 1538. sed quia non omnibus hodie approbatur, omittendum duxi. Imp. & PP. V. S.

Antonius Codrus Vrcëus Italus. 1480.

NOstræ fœminæ similes sunt sacerdotibus. Sacerdotes enim nostri semper illas in ore preces habent: Da quæsumus, præsta quæsumus, cõcede quæsumus: sic & nostræ fœminæ, maritis orantibus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: instant, & inclamant; Da debitum, præsta debitum, redde debitum: quod debitum redde decies, redde centies: nihil reddidisti, nihil egisti: ad initium semper redeundum est! Vah quæ Charybdis tam vorax, vt mulier Imp. Friderico 3. PP. Sixto 4. V. S.

Idem. Pontifex maximus, inquit, est, si non virtute, tamen pecunia, de Ioanne 22. loquens: quia viginti quinque aureorum ducatorum milliones post se reliquerat.

Prophetia inuenta in monasterio Ilfeldensi non procul à Northausen. 1480.

G. F. G.

B Studium perdet, L. totum Damnificatur:
Quod transibit ad A. Sed F. ditabitur inde.
Bononiæ crux alba ruet, bis strage sequuta:
Tertia crux rubra corruet ense graui.
Melapes perdet: pueri sensu fatuata
Hæc faciunt opera Gallus, Bos, Crux, Leo, Spala.
Vrbs bona fiet ager, & nidus Philosophiæ
Congeries lapidum, fertilitasq; fames.
Lux erit obscura, dominus ancillaq; gaudens
Ludet, pax Guerra, sordida cauda caput.
Exilium passi terram capient & habebunt
In brachio forti: reliqui tum pace carebunt.
Tunc cadet Ecclesia fantastica, veraq; stabit:
Post longum tempus pietas miseros reuocabit.
Tunc tranquillæ stabunt omnes partes simul illæ:
Crescent vrbs, villæ: notat hæc doctrina Sibyllæ.

Franciscus Philelphus.

1481.

PVlchrè hic Decad. 6. Hecast. 9. Antichristum hoc carmine descripsit:

Est etiam tecum formido pericli
Illa trucis voluenda animo. Contraria Christo
Facturus, cunctis horrendus, & efferus ille,
Quisquis erit, cuius nescimus temporis horam,
Non Scytha, non Turcus, non qui terrore Damascum,
Aegyptumq́ tenet: sed maximus ille sacerdos,
E medio templi nostrum emersurus in axem,
Antichristus erit, qui se canat ore colendum
Pro Christo, cuius referat nomenq́ vicemq́,
Sphinga dolo mitem, tanta est versutia mentis,
Aethyopum tauros superet, mixtosq́ Crocottas
Saeuitiâ: sceleris qui deniq́ nullius expers,
Omnia confundat: donec pater ipse Deorum
Omnipotens, rebus finem allaturus iniquis,
Fallacem meritâ multabit caede latronem.

Imp. Friderico 3. PP. Sixto 4. V. S.

Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 13.

1481.

MAssilienses exegêre vates & sacrificulos, qui quaestus gratia sacra circumferebant, suis oppi-
iis: ne religionis praetextu ocium sectarentur, & luxum. Idem Valer. Max. l. 2. c. 2.
Idem lib. 6. cap. 21. Gen. dierum. Quidam incarceratus diabolo se, si eriperet ipsum, deuouit.
Ob hoc in infernū raptus, illic reperit Pontifices infulis & trabeis, purpuraq; & auro ac gemmis or-
natos, aliasq; miserabiles facies omnis generis hominum, aetatum, & ordinum, in cultu vario af-
flictos, aeternis suppliciis cruciari. Imp. Frid. 3. PP. Sixto. 4. V. S.

Idem refert, Matronas Nobiles virilis membri figuram diuinis percoluisse honoribus, & eam cer-
to die Mensis Augusti extra portam Collinam ad aedem Veneris cum pompâ maxima sacrorum,
à castissima & spectatae pudicitiae matrona ferri, inque sinum Veneris tandem locari, curâsse.

Idem. Solere Deum immortalem, cùm aliquid diri vel aduersi immineat, id portentis &
prodigiis futurum ostendere, venturasque calamitates signis minisque coelestibus praemonstrare,
& ipsi nouimus, & à non contemnendis autoribus relatum accepimus.

Quo tempore Tarquinius regno pulsus fuit, constabat, canem locutum fuisse, serpentemque
latrâsse: quo portento, perniciem & exilium sibi mox futurum, ostensum est.

Croeso Lydorum regi, quando id concidit regnum, natum filium semestrem articulatè lo-
quutum, diro & prodigioso euentu, fatalem calamitatem, quae postea secuta est, praesignâsse di-
citur.

Gallis etiam Senonibus ad vrbem properantibus, in noua via, vbi Alloquutionis postea
templum fuit, vocem auditam, quae Gallos aduentare diceret, inter exempla relatum est.

Sed ne infinitas species, & nimis vetera ab vltima origine percensere videar, patrum no-
strorum memoria euidentissimis ostentis, antequàm in Ponto Bizantium ab immanissimis Turcis
terra marique oppugnaretur (quo excidio quanta calamitas, quantumque vulnus Christianae
Reipublicae illata fuerint, nemo ignorauit) compertum est, apud Comum citerioris Galliae vrbem,
vrgente ad occasum die, ingentem canum multitudinem per aëra ferri: postque diuersorum peco-
rum armenta, species peditum primò leuis armaturae, deinde hastatos scutatosque subsequi, equi-
tesque in turmas diuisos ingenti instructa acie prosecutos, horis fermè tribus imaginem aduentan-
tis exercitus praebuisse: demum corpore procero immanem & formidabilem hominem suprà quàm
dici possit, veluti exercitus ductorem, terribili equo insidentem processisse, aliaque horribilia ocu-
lorum per inane apparuisse, ingentium malorum praenuncia, donec nocte appetente visio omnis
illa dilapsa est. Quae ostenta futurum excidium, caedem & calamitatem, quae postea vigentibus
fatis sequuta sunt, praesignasse, nemo dubitauit.

Cuiuspi-

Cuiuspiam Parochi Querela de Fide.

Viri fratres serui Dei,
Non vos turbent rhythmi mei,
Sed audite, propter Deum,
Flebilem sermonem meum.
Mundum dolens circuiui,
Fidem vndiq; quæsiui:
Vbicunq; fidem quæro,
Vel in plebe vel in clero,
Vel in claustro, vel in foro,
Vbi fides sit, ignoro.
Fides nullibi apparet,
Totus mundus fide caret.
Filius non seruat patri
Fidem, neque frater fratri.
Heu de sede suâ ruit
Fides, quæ tam firma fuit
Quondam: & pro eâ dolus
Triumphat per orbem solus
Tam potenter, & tam dirè,
Ne quis possit contraire.
Quicquid dolus iubet esse,
Hoc inferri est necesse.
Clerus populusq; totus
Dolo subiacet deuotus,
Dolus Papam, Cardinales,
Et Episcopos totales
Regis, & vbiq; Reges.
Dolus glossat iura, leges,
Dolus omnia pro voto
Disponit in orbe toto.
Qui cum Dolo conuersantur,
Illi sunt, qui principantur,
Sed qui verè dolum nescit,
Est abiectus & vilescit,
Et vocatur Idiota,
Non est dignus vno iota.

De Prælatis.

Prælati Ecclesiarum
Habent dolum valdè carum?
Nam per dolum præbendantur
Et potenter dominantur.
Æstimo pro sensu meo,
Quòd præbendas non pro Deo
Purè dant: sed mos est sibi,
Da mihi nunc, dabo tibi.
Sic ad inuicem colludunt,
Atq; pauperes excludunt:
Qui redonant, illis datur,
De egenis non curatur.
Heu quamobrem non attendunt?
Quòd sic Christi bona vendant,
Quæ præcepit Deus dari
Gratis, & non venundari.
Dæmonizant, & est æquum,
Quòd mercedem sumant secum.
Miror, quid tunc respondebunt,
Ante Deum dum parebunt,
Responsuri de re gestâ,
Si sit vilis vel honesta.
Vbi genus, res, honores,
Nemini sunt adiutores.
Aduertatis vos prælati,
Quantum oportebit pati,
Post hanc vitam pro peccatis?
Vt quæ iusta sunt agatis.
Et curati sacerdotes,
Possidentes amplas dotes,
De salute animarum
Subditorum curant parùm:
Nihil curant quàm habere,
Et hominibus placere.
Non aduertunt ad clamores
Pauperum, sed claudunt fores.
Sic nec subditis, vt debent,
Formam bonæ vitæ præbent:
Sed per prauos suos mores,
Multos ducunt in errores.
Canon regula notatur,
Hinc Canonicus gignatur,
Eò quòd sub regulari
Vitâ debent famulari
Cum deuotione Deo:
Ipsi curant nil de eo:
Sed libentiùs ad forum
Currunt, quàm frequentant chorum.
Vestes militares quærunt,
Nihil quàm mundana ferunt.
Rarò impertiunt dignis
Suas opes, sed malignis.
Quicquid eis superesset,
Hoc pro Deo dandum esset.
Modò habent tam auarum
Cor, quòd nihil dant, vel parùm.

De monachis.

Item qui in claustris degunt,
Iuxta normam se non regunt,
Quam patres instituerunt:
Sed quæ vetita sunt quærunt.

Vestes deferunt Claustrales,
Namq; sub religiosâ
Rixas, lites, & rancores
Monachi & moniales,
Qui vult Satanæ seruire,
Mali cogunt ibi bonos,
Sed in mente non sunt tales:
Veste latet mens dolosa.
Habent inter se maiores
Quàm personæ mundiales.
Claustrum debet introire.
Vt cantent eorum tonos.

De monachis Mendicantibus.

ITem fratres Mendicantes
Parent nam, quòd sint deuoti:
Quicquid prædicant sermone,
Metunt, vbi nunquam serunt:
Oues alienas tondunt:
Dentibus applaudunt carè:
Vel replere eis manum,
Pulchrè pro orare sciunt
Per verborum apparatum
Valdè diligenter notant,
Ibi currunt, nec cessabunt,
Sed & casas miserorum
Puto verò, quòd prodesset,
Monachus, vel Monialis,
Postquàm enim sic creuerunt,
Et totius mundi status
Vtrùm culpa sit eorum,
Omnes ferè sunt trufantes.
Cùm sint tamen nequam toti.
Rarò complent actione.
Semper plus, quàm sua quærunt.
Et parrochias confundunt.
Sed qui nihil possunt dare,
Illos mittunt ad Plebanum.
His, qui credunt, capti fiunt.
Aures penetrant magnatum.
Vbi diuites ægrotant,
Donec ipsos tumulabunt:
Nullus ire vult eorum.
Si in Mundo nullus esset
Sine secta Begynalis.
Lex, & fides perierunt:
Est in malum commutatus:
Nescit conditor cunctorum.

Imp. Friderico 3. Papa Sixto 4. vt sup.



Natiuitas Lutheri.

1483. HOc anno in vespera S. Martini natus est Islebij D. Martinus Lutherus: quo Luciferum, quem φωσφόρον Græci nominant, multò augustiorem & lucidiorem apparuisse mundo, quàm vllo vel antè vel pòst tempore, Astronomi scribunt. Imp. 115. Friderico 3. Papa 219. Sixto 4.

Prognostica nuper inuenta, sed multis antè annis prodita.

BElla, fames, pestis, fraudes Saturnia regna
Sternent, & veteres pellentur vbiq; Tyranni
(Monstra loquor) tunc, cùm pariet Bos Rubidus Hydram,
Nec Deus extinguet flammas, nec deseret iram,
Ni priùs Ausoniæ ferias mala singula gentis.

Pœnæ tempus erit lustrum. Mox aliger ingens
Surget, & is summo rostro metuendus & vngue
Colla Bonis cædet, sitibundus iniqua Draconis
Viscera depascet: Gallorum insignia, flores
Sternet humi, reduces statuetq; in propria reget.
Europæ genitus terrâ, vir iustus & æquus,
Pastor erit, cæli claues non sceptra gubernans.
Pax erit, & toto surget concordia mundo:
Vna fides, vnus regnabit in omnia princeps.
Imp. Friderico 3. Papa Sixto 4. vt sup.

Bartholomæus Guldinbeck de Sultz, Mysta. 1483.

COgita, inquit, si bene dico, in conscientiâ tuâ, quando celebras, si celebras propter casum necessitatis, aut cupiditatis? quia Deus est, desuper cuncta cognoscens, & coram eius tribunali stare debebis in suo tremendo iudicio. Imp. & Papa vt sup.

Ioann. à Liechtenberg in prognosticatione sua. 1448.

CVm Ecclesia Romana deficiat quoad obedientiam, & pontifices ex Allemannis thesaurum extrahentes filios & filias ad culmen dignitatis secularis promoueant: volante matre cum pullo, ad errorem ducetur populus Christianus. Tunc finis, id est, clamor & vlulatus vniuersæ carnis veniet ad Dominum Astrorum: iudices exhortaturi discurrent, vt annuncient, ne nauicula submergatur. Et nisi Dominus apparuerit, Petrus dubitabit, quia pastores affligentur, ne verbum Dei prædicent.

Hæc arguuntur benigni Iouis oppresione in domo Martis: quod præsens eclipsatio cum reuolutione anni mundi demonstrabit. Vbi modernus, & successor proximus excitabit matrem aquilæ aduersus principes virginis: ipseque sæuiet in Iouistas Reniuiagij inferiorum, & maris occidentalis, redimendo pullum. Quid eheu, à suis incolis patietur? Vnde multa mala exurgent: & caput fidei, vt arbor infructuosa, discedet à seculo: quia inobedientiam patietur magnam ibidem. Et vix orbis Romanus erit præsulibus ampliùs dignus. Imp. Frid. 3. Papa Sixto 4. vt sup.

Idem cap. 8. Heu, tanta erit in Allemanniæ partib. tribulatio & afflictio inter Iouistas, vt portantes Ecclesiasticam tonsuram abscondent eam, & se clericos esse negabunt: eritq; perfida diuisio inter fratres Cardinales: Ecclesiæ amittent bona temporalia sub radijs vestris.

Et paulò pòst: Aspice aquilam quasi deplumatam: heu pennulæ ceciderunt ab alis eius, vt volare nequeat. Nam columba alâ vnâ volare nequit: sic Petri nauicula inter huius seculi procellas, & turbines vno remo ducitur indirectè: & columba quæ tantùm habet vnam alam, nunquid bestijs terræ, & non solùm auibus cadit in ruinam?

Et pòst: Et verè necesse est, vt tantus ardor dominandi, & habendi cor eorum exerceat, qui nec facere volunt, quod audiunt, nec veritatem audire, quam nouerunt. Ideò oculos habent, & non vident.

Idem. Vacabit per annum, cum dimidio (eheu) sedes Romana, in quo tempore tribulatio magna erit: & resurget nouus ordo, & noua restauratio in Ecclesia. Item: Allemanni scorpionistæ confœderationem inibunt cum Rege Franciæ, sub quo Ecclesia crucem lamentationis humeris proprijs portabit. Item: Eclipsis, quæ fit anno 1485. die 16. Martij, demonstrabit, destructionem & oppresionem cleri fieri per tyrannidem brachij secularis. Item: Coniunctio magna Saturni & Iouis, quæ fit anno 1504. debet habere suam operationem anno 1506.

Nota, quòd circa hæc tempora inthronizatus fuit in papatum Iulius secundus Pontifex, de quo antiquum vaticinium: ARBOR glandis subuertetur.

Idem. Quod de influentijs planetarum dicimus, id quidem in mortalibus cæteris locum habet: Papa verò nequaquam eiusmodi qualitates in se recipit. Cùm enim Pater sit sanctissimus, nefas est dicere aut statuere, stellis ipsum subiacere: Vita eius Dei arbitrio vnicè regitur.

Scripsit super Liechtenbergij prophetias Theophrastus Paracelsus memorabilia in suis operibus, app. tom. 10. quem vide.

Thomas Lirer in vetusto Chronico Sueuiæ. 1480.

IMperator Cono præcipitem per muros deiecit filiam suam, deprehensam apud Capellanum.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

Imper. 335. Friderico III. Papis Eugenio IV. Nicolao V. Calixto III. Pio II. Paulo II. Sixto IV. & Innocentio VIII.





Sigismundo successit Albertus. At eo, biennio pòst, quàm electus esset, decedente, rerum summa Friderico Austriaco delata est: qui cùm natura clemens, mansuetus, ac pacis studiosissimus esset, ne pontifices pacis turbatores ac hostes perpetuos offenderet, sedulò cauit: non tamen ipsorum aduersationes euitare, superbiam emollire, vel fraudes penitus effugere potuit.

Nam cùm tempore concilij Basiliensis, nimirùm anno Domini 1441. publica deliberatione Moguntiæ tractaret de Concilij Basiliensis, quod Papa euertere conabatur, autoritate conseruanda, & exactionibus, quibus Papæ Ecclesias Germanicas exugerent, minuendis, literis ea de re scriptis ad regem Galliæ, vt vel ad eum conuentum veniret, vel aliquot eximios viros mitteret: Papa eo cognito, id per legatos egit, ne rex Galliæ vel ipse proficisceretur, vel vllos legatos, se inconsulto, eò mitteret: atque hac ratione optimi Imperatoris præclari conatus tunc temporis fraudulenter elusi fuêre.

Mox quoque pòst sceleratissimi nebulonis Eugenij arte, ea, cuius meminimus, Alsatiæ vastitas illata est. Ac etsi, qui hunc tres pontifices subsecuti fuêre, eos ita humanitate sua demulserit, vt nihil imperij sui tempore contra se molirentur: maioraque de successore ipsorum Pio II. vetere ministro suo, speranda habuerit; is tamen pestilentię cathedra conscensa, Friderici agnatum Sigismundum, archiducem Austriæ, diris execrationibus deuouere, Germaniamque horribilibus bellis intestinis, nulla imperatoris authoritate habita, inuoluere non dubitauit.

Siquidem cùm Sigismundus Nicolaum Cusanum à Pontifice ad deglubendum episcopatum Brixinensem in Tyrolim missum, post longas concertationes, quòd suæ ditionis homines Romanistarum rapacitati exponi nollet, in velitatione equestri captum, custodiæ mancipasset: Pontifex ob læsam maiestatem in sua creatura acriter commotus, Sigismundum grauissimæ censuræ subdidit: nec priùs ipsum, quantumuis Friderico intercedente, ea liberauit, quàm Plutus deprecatum veniret: nil regibus, nil populis vnquam timore concedens, vt eius adulatores scribunt: sed insatiabili pecuniæ cupiditate, quoslibet ei refragantes pontificio fulmine atque horribilibus bellis prosequens.

Hinc cùm mortuo Theodorico Erpachense, Moguntino archiepiscopo, Dietherus Eisenbergicus in eius locum suffectus, pallium episcopale XX. millibus sexcentis & quinquaginta aureis Rhenensibus redimere tardaret, quòd autoritate Concilij Basiliensis annatæ damnatæ abolitæque essent: Pius grauissimè Diethero indignatus, confirmationem ei denegauit: eamque æmulo eius Adolpho Nassauiensi, quòd multos haberet amicos & consanguineos, quorum auxilio possessionem Ecclesiæ adipisci posset, contulit. Diethero verò viriliter deiectioni suæ sese opponente, & cùm alios, tum verò Fridericum Brandenburgicum, ac Philippum Catzenelebogicum comitem in suas partes magnis muneribus pertrahente, tanta belli incendia sunt nata, vt præcipui Germaniæ proceres ijs implicit, insignem rerum suarum iacturam fecerint.

Marchio siquidem Badensis Carolus, Episcopus Metensis Georgius, & Vlrichus comes VVirtenbergicus, Adolpho Nassauiensi opitulantes, memorabili prælio cum sua nobilitate ad Seckenheimium à Friderico Palatino cæsi, capti, & in Heidelbergensem arcem abducti, nec priùs dimissi fuêre, quàm Badensis centum, Metensis quadraginta quinque, VVirtembergicus quoque centum millia florenorum soluerent: aliaque iura, cuilibet summæ ferè paria, Palatino vel cederent, vel remitterent.

Hanc suæ factionis procerum cladem Pius, vt vipera læsa, grauissimè tulit: ac literis querulis de calamitate sociorum, ad Philippum Burgundiæ ducem, tam prudentia quàm armis eo tempore florentem, scriptis, eum, post cohortationem ad auxilia Adolpho ferenda contra Palatinum, Dietherum, & Comitem de Catzenelbogen, illisque adhærentes, belli ducem constituit. Ipso verò, vel pro prudentia sua, qua eximia præditus fuit, hanc belli molem detrectante, vel voluntate pontificis diutius cunctante: Moguntia à Ludouico Nigro Palatino, ac Comite Veldensi, alijsque proceribus partium Adolphi, proditione duorum ciuium, scalis noctu muris admotis, occupata, direpta, incensa, ac quingentis ciuibus occisis, in perpetuam seruitutem redacta, totaque nobilissima diœcesis ità afflicta est, vt hodierno die adhuc, compluribus eius oppidis, villis, ac pagis partim alienatis, partim grauissimè oppignoratis, belli istius calamitates sentiat.

En pium Pij Pontificis factum: qui, vt Germaniam pecunia contra ius ac fas omne emungeret, horridis bellis excitatis, eius proceres commisit, eosque in extremas angustias conjecit.

Vt verò hic Impius II. in principes: sic qui ei successit Paulus II. Venetus, atrociora in ipsum Imperatorem attentauit. Nam cùm Constantinopoli capta, secundò Fridericus Romam proficisceretur, vt cum pontifice Paulo II. de expeditione in Turcas suscipienda deliberaret, cumque ad excitandos Principes, qui multis iam cladibus animos abiecerant, secum in Germaniam adduceret: Pontifex posthabitis Cæsareis postulatis, sub specie humanitatis, vitæ ipsius perfidè insidias struxit. Quibus ille prudenter declinatis, & improbitate pontificia cognita, postea legatis Innocentij, ab Ecclesiasticis personis decimas per totam Germaniam postulantibus, Norimbergæ in publicis comitijs sese fortiter opposuit: ita vt inanes, sicut venerant, Romam quoque reuerterentur harpyiæ.

Quis quæso tam cerebri vacuus, tam prudentiæ expers futurus esset, vt se perfidissimo hominum generi crederet: cùm tam præstantes Imperatores, Reges & principes, eius insidias euadere non potuisse, perspiciat? Schardius ex Syluio de Basiliensi concilio, Antilogijs Papæ Conradi VVeissenburgij, Vrsp. Paral. Munstero, Nauclero, Huberto Goltzio, Hutteno, Mutio, Clemange, Fasciculo rerum exp. & alijs.

Iosquinus Grieningensis. 1485.

HIc fuit discipulus Agricolæ, atque cùm sæpenumero præceptorem suum & VVesselum theologum differentes iuxta se audiret, testatur, illos ex animo, non sine lachrymis, solitos esse detestari missam, & cætera innumerabilia deplorare: & disputasse vtplurimùm ex Epistolis Pauli de iustificatione hominis coram Deo: vbi ne iota quidem vllius meriti bonis operibus adscripserint. Imp. vt sup. Frid. 3. Papa 220. Innocentio 8.

Innocentius 8. Papa 220. 1486.

IN Poli oppido apud Æquicolos, hic Papa viros octo ac fœminas sex cum domino loci comprehensos, hæreticos iudicauit: quia dicebant, nullum verum Christi vicarium esse eorum, qui post Petrum fuêre, nisi qui paupertatem Christi essent imitati. Imp. & Papa vt sup.

Nicasius cæcus Doctor in Brabantia. 1489.

NIcasius VVerdæ Brabantiæ natus cæcus, ea dexteritate literas addidicit, vt Louanij primùm hoc anno Magister declaratus sit liberalium artium: postea ex Papæ potestate Sacerdos & Licentiatus Theologiæ: tandem Coloniæ ab Vniuersitate Doctor Iurisprudentiæ Pontificiæ. Ille diu in Scholis & Ecclesijs, cum maxima auditorum admiratione, docuit cæcus. Nam in hac professione tam exquisitus fuit, vt memoria tenens vniuersum corpus, id ordine recitare, atque allegare ad miraculum vsque scitè & ingeniosè posset: vnde celeberrimum eius nomen vbique factum. Palmerij appendix. Mortuus est anno 1499. Pantal. tomo 2. de viris Illustrib. Imp. & Papa vt sup.

Paratus sermone 77. 1489.

ALiquando monachus aliquis ad sacramentum se, quanta potuit deuotione, præparauit, & cùm ardenti precationi, recitato Agnus Dei, summa cum intentione incumberet, vidit in manu sacerdotis puerum Iesum, tanquam in cruce pendentem, vulneribusque sanguine rorantibus: quapropter expauescebat, & seipsum, vt communicaret cum cæteris, dedignabatur, & eam ob causam sacramentum intermisit. Et cùm, peracta missa, in precatione adhuc esset, virgo Maria ei apparuit dicens: quare hodie non accepisti corpus filij mei? Ille respondit: illo non dignus sum: tum

brare, aut sepelire, aut alia quæcunque diuina facere, sine consensu ipsorum fratrum, sub excommunicationis pœna. Et habetur ex priuilegiis scilicet Alexandri, Papæ quarti, quod incipit virtute conspicuus, &c. Et Benedicti vndecimi: quod incipit: Inter cunctas &c. & habetur Venetiis, Assisii, & aliis quàm plurimis locis cum bullâ papali.

Omnes violantes & confringentes Ecclesias fratrum Minorũ, principes, nobiles, officiales, ciues, siue Ecclesiastici, siue Ecclesiarum Prælati, qui se in causis fratrum Minorum contra eos ingesserint, & in eos manus iniecerint, molestauerint, vel angustias dederint, bona eorum retinuerint, vel alia dona quæ vis attrectauerint, excommunicationem latæ sententiæ incurrant. Et si contumaces ab his non destiterint, non possunt absolui, nisi à summo pontifice: satisfactione tamen damni dati sine calumnia præhibita. Et habetur ex priuilegiis Clementis quarti, quod incipit: In quibusdam locis, &c. & Nicolai tertii: quod incipit: Exiit qui seminat, &c. & habetur Venetiis, Assisii, & aliis quàm plurimis locis cum bulla papali.

Sanctissimus Dominus noster Ioannes Papa vigesimus secundus concessit, sicut Innocentius sextus. Priuilegium incipit: Vas electionis, &c. & habetur Venetiis, & Asisisii cum bulla papali.

Sanctissimus dominus noster Alexander Papa quartus, Nicolaus tertius, Innocentius quartus, Nicolaus quartus, & Benedictus vndecimus concesserunt à quarta feria cinerum vsque ad Pascha inclusiuè, absque alia solennitate & prædicatione, venientibus ad eclesias fratrum Minorum semel in die causa deuotionis, de indulgentia quotidiana annos centum viginti duos, & dies centum septuaginta sex. Si autem ibidem prædicatur feria secunda, quarta, & sexta, additur indultum annorum sedecim & dierum viginti sex: & sic ascendit cum prima in annos centum triginta octo, & dies ducentos duos, Bulla habetur Romæ.

Sanctissimus dominus noster Sixtus Papa quartus, qui fuit frater Minor concessit omnibus visitantibus Ecclesias fratrum Minorum, & porrigentibus manus adiutrices, à sexta feria post tertiam Dominicam quadragesimæ, vsque per totam Paschæ Resurrectionis, pro singulo die indulgentiam 3718. annorum, & centum triginta dierum. Et hoc propter communicationem priuilegiorum fratrum. Eremitarum, quam fecit iste Papa Sixtus. Bulla habetur Romæ Ferrariæ.

Idem Sixtus Papa quartus confirmauit omnia priuilegia ordini nostro indulta, & concessit omnibus & singulis Christi fidelibus, qui Ecclesias & oratoria fratrum Minorum in festo Sancti Francisci visitauerint, centum annos de indulgentia & totidem quadragenas. Et in festo sanctorum Antonii de Padua, Ludouici Episcopi Bernhardini, sanctæ Claræ, & sanctæ Elisabethæ, à primis vesperis, & per totum diem ipsarum festiuitatum, quinquaginta annos & totidem quadragenas: & excommunicauit omnes locorum ordinarios seu officiales, vel alios cuiuscunque conditionis existant, persuadentes vel persuadere facientes aliquibus, ne faciant eleemosynas ipsis fratribus Minoribus, seu alio quocunque modo molestantes ipsos fratres, seu eorum bona detinentes.

Idem Sixtus Papa quartus concessit omnibus celebrantibus festum Beati Francisci, & verè pœnitentibus, de indulgentia quinquaginta annos, & totidem quadragenas. Priuilegium incipit: præclara sanctorum merita, &c. & habetur Romæ cum Bulla papali.

Idem Sixtus Papa quartus mandat & præcipit, quòd omnes morientes cum habitu sancti Francisci, vel tertii ordinis eiusdem, debent prorsus in Ecclesia in ipsorum fratrum sepeliri, nec talem habitum habere possunt sine licentia ipsorum fratrum, pro vt continetur in eadem bullâ.

Idem Papa Sixtus concessit fratribus Minoribus, quòd possint & valeant omnia sacramenta fratribus tertii ordinis Sancti Francisci ministrare, & penitus sub cura ipsorum fratrum Minorum ipsos fratres tertii ordinis posuit: vt paret per bullam, qui habetur apud reuerendiss. patrem generalem, & transsumtum habetur Parmæ.

Idem Sixtus Papa quartus concessit fratribus & sororibus tertii Ordinis, vt gaudere possint libertate & imunitate ecclesiastica, vt personæ religiosæ præcipiendo communitatibus, potestatibus, officialibusque ciuitatum & locorum, sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, ne eisdem suprà dictis fratribus vel sororibus grauamina aliqua libertati Ecclesiasticæ contraria inducere præsumant. Bulla habetur Regii, & transsumtum Parmæ. Priuilegium incipit. Ad futuram rei memoriam S. Sanctam, &c.

Idem Sixtus concessit, quòd ipsi fratres possint & valeant personis eisdem fratribus confessis omnia sacramenta ministrare, si rectores se difficiles reddiderint, seu malitiosè distulerint.

Idem Papa concessit, vt ipsi fratres corpora mortuorum eleuare, & ad suas Ecclesias sepelienda deferre possint, si presbyteri de eleuatione requisiti quocunque modo recusauerint.

Idem Papa præcipit omnibus & singulis Ecclesiarum rectoribus quòd non debent exigere, nec petere quartam ab ipsis fratribus quomodo libet euenitet, quouis modo, in communi vel in particulari, directè vel indirectè.

Idem

Idem Papa Sixtus,& Innocentius octauus concessit ipsis fratribus Minoribus & eorum ecclesiis omnes & singulas gratias, concessiones, & indulgentias, peccatorum remissiones, immunitates, exemtiones, facultates, priuilegia, & indulta spiritualia & temporalia, qualiacunq; sint heremitarum sancti Augustini,& Carmelitarum,ac seruorum sanctæ Mariæ.Transsumtum est in conuentu Bononiæ.

Postremò, quia Prædicatorum & Minorum fratrum, Prædicatorum ordinum professores, pro fidei catholicæ dilatatione, incremento, & defensione continuè & indefessè laborant, vel sua exemplari vita in prædicationibus verbi Dei, audientia confessionum, sana doctrina, assidua sacrarum literarum instructione,& deuota diuinorum officiorum celebratione, hæreticorum extirpatione, aliisque innumeris piis operationibus, præ cæteris ordinum Mendicantium Professoribus, fructus in Ecclesia Dei salutares copiosiùs attulerunt hactenus, & continuè afferre non cessant, atque allaturos in futurum, Deo propitio, spe firma tenemus:

Propterea conuenit, vt ipsi præ cæteris ampliores fauores, & gratiarum prærogatiuas à præfata sede recipiant & repetant, aliorumque ordinum Mendicantium indulgentiis & priuilegiis apud sedem præfatam gaudeant, ne illis inferiores esse videantur. Et vt habeant omnes & singulas gratias, concessiones, indulgentias, & peccatorum remissiones, exemtiones, facultates, priuilegia, & indulta spiritualia & temporalia, qualiacunq; sint heremitarum Sancti Augustini & Carmelitarum, ac seruorum B. Mariæ, concessa fratrum ordinibus,& illorum Ecclesiis oratoriis,& domibus, prioribus, fratribus, & sororibus, conuersis, & oblatis, ac vtriusque sexus personis de pœnitentia nuncupatis, à prædecessoribus nostris, Romanæ Ecclesiæ pontificibus prædictis, & à nobis atque ab aliis auctoritatem habentia.

Quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, haberi hîc volumus pro sufficienter expressis, & coniunctim vel diuisim, in generali vel communi concessa eisdem: & ea cuilibet Prædicatorum & Minorum fratrum ordinibus, domibus, ecclesijs, oratoriis, Generali ministro, ministris, prouincialibus, conuentualibus, prioribus, guardianis, sororibus, oblatis, conuersis, & vtriusque sexus tertii ordinis, seu de pœnitentia nuncupatis, & aliis eorundem ordinum personis de nouo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac si eisdem nominatim, directè, & expressè concessa fuissent.

Mandamus etiam motu, scientiâ, & auctoritate prædictis, vt dum aliqua priuilegiorum, indulgentiarum, prærogatiuarum, concessionum, executionum, immunitatum, facultatum & indultorum dictorum fratrum heremitarum sancti Augustini, Carmelitarum, & Minorum ordinum adducerentur vel exhiberentur, eisdem fides indubia adhibeatur, tam in iudicio quàm extra iudicium,& aliis in locis, quibus opus fuerit, ac si pro & in fauorem dictorum ordinum, ecclesiarum, domorum, & fratrum Prædicatorum & Minorum à sede apostolica emanassent, inhibentes districtiùs ipsis locorum ordinariis sub interdicto ingressus Ecclesiæ, & suspensione à regimine & administratione suarum Ecclesiarum, ac parochialium ecclesiarum regiminibus,& aliis quibuscunque, sub excommunicatione latæ sententiæ, & priuatione earundem parochialium ecclesiarum, & omnium aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quæ obtinent.

Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ approbationis, constitutionis, concessionis, largitionis, indulti, perstrictionis, voluntatis, exemtionis, statuti, mandati, decreti, inhibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, septimo Kalendas Augusti: Pontificatus nostri anno octauo. Transsumtum est in conuentu Bononiæ.

Facit summa indulgentiarum omnium festiuitatum suprà dictarum, scilicet Domini nostri Iesu Christi, & aliorum, seu etiam sancti patris Francisci, nec non sanctorum sanctarumque eiusdem ordinis, annos quinquies centum & quadraginta octo, & dies ducentos ac sexaginta: & venientibus aliis singulis diebus annos 40. & dies 300. & in diebus quadragesimæ annos ter mille octingentos & quinquaginta septem, & dies ducentos ac septem.

Summa summarum omnium indulgentiarum anni quatuor mille, quadringenti & quadraginta septem, & dies triginta sex. Vide alibi, & nota benè, quia hîc non sunt omnes indulgentiæ & priuilegia. Laus Deo, & gloriosæ virgini Mariæ, atque beato Patri nosto Seraphico, & patriarchæ S. Francisco. Imp. Friderico 3. PP. Sixto 4. V. S.

Rodolphus Agricola. 1488.

DEplorauit Ecclesiæ tenebras, ac reprehendit profanationem in missis, & cœlibatu. Imperatore & Papa vt suprà.

Hie-

Hieronymus Tortus.

Hic scripsit de anathematis, excommunicationibus, & fulminibus Paparũ, quòd sint vana, & irrita: quodque, si iustam habeas causam, & ex iussu verbi Dei, debeas ac possis te illis bona conscientia opponere, & acriter veritatem & iusticiam contra illa propugnare.

Nicolaus Eremita.





Nicolaus Eremita Vnderwaldensis (der Brüder Claus von Underwalden) in Heluetia, patrum nostrorum memoria, hoc est, circa annos Christi 1480. claruit. Is vxore relicta, ex qua mares quinq; & totidem filias susceperat, in solitudinem se contulit, & in ea 21. annos absque cibo & potu vixit.

Vitæ sanctimoniâ valdè fuit insignis: de reconditis sacrorum mysteriis multùm disputabat, cùm tamen nullum vnquam in ea re studium posuisset, & planè illiteratus esset. Lætus semper conspiciebatur: ad pœnitentiam omnes Heluetios, sed ad concordiam inprimis, deinde ad ἀδωροδοκίαν, vtque externorum Principum fœdera vitarent, sedulò hortabatur.

Habuit visionem, quam repræsentat præsens figura: Cuius interpretationem leges infrà anno 1508. apud Bouillum.

Diebus festis suos in templo Saxlensi conueniebat, eosq; non modò voce, sed & exemplo ad pietatem accendebat. Inter preces quotidianas hac formula ceu epiphonemate solebat vti: HErr nim mich mir/ vnd gib mich dir. Illud quoque liberè profitebatur, longè gratius sibi fuisse, quòd diuino auxilio charissimam vxorem relinquere, quàm quòd cibo & potu omnia bstinere potuerit.

Oculi eius terribili splendore fulgebant. Arteriæ & venæ iugulares inter loquendum ita intumescebant, vt spiritu non sanguine repletæ viderentur. Anno tandem 1502. vir rarissimi exempli placidissimè expirauit. Cuius monitis vtinam nos Heluetii pareremus. Eius vitam alius quidam imitaturus consilium à Nicolao adhuc viuente petiit, quanam ratione etiam ipse eas abstinentiæ dotes assequi posset. Cæterùm Nicolaus hominem seriò admonuit, non humano, sed diuino instituto hæc fieri, neq; Dei dona omnibus ex æquo distribui: se igitur hortari ipsum, vt sorte sua contentus suæ professioni incumberet, non stulta æmulatione talentum suum defoderet. Is verò pii viri consilio spreto, eremiticam vitam nihilominùs sequebatur. Tandem cùm in vinaria vasa, quibus more Heluetico honorarium vinum peregrinis conferri solet, impurissimus homo ventrem exonerasset, in carcerem coniectus, bonisque multatus, ad secularem vitam rediit, Stumpfio in Chronicis teste.

Hosp. Imp. 115. Frid. 3. PP. 219. Sixto. 4.

M. Ioannes Ibenhagen Frimarienſis.

SOlitus eſt reprehendere prohibitionem ciborum, butyri, &c. Nam iſtis diebus, quibus in Papatu hominibus non licuit comedere carnes, ipſemet curauit, ſuis operariis coqui carnem ſuillam, eisque apponi, & ſimul cum eis comedit, dictitans, omnibus diebus licere Chriſtianis veſci carnibus.

Reprehendit etiam alias (vt probatæ fidei homines teſtantur) ſuperſtitiones, à Papâ & pſeudoſpiritualibus ordinatas, & inſtitutas. Nam quòd ſit humanum inuentum, non comedere carnes, ſic probauit: Omnia in vſum hominis à Deo eſſe creata, & non inueniri in ſacris literis iſtiusmodi præceptum: ideò & homines, vt id ſeruent, non obligari.

Improbauit quoque adorationem ſtatuarum, & peregrinationem ad S. Iacobum, S. Mariam, & alios Diuos. Item, hominibus in confeſsione fertur dixiſſe: eos ſanctorum neque meritis, neque interceſsione niti debere: ſed ſola miſericordia Dei, qui filium ſuum vnigenitum pro peccatis totius mundi dediſſet, qui homines ſua ſatisfactione (hæc eius ſunt verba) Deo reconciliaſſet, &c. Cat. Imp. Friderico 3. PP. Sixto 4. V. S.

Nicolaus Quodus de mirabilibus Prædicatorum, & Carmelitarum.

SCripſit hic epiſtolam miranda nunciantem de quodam nouo opere, breui Romæ emerſuro, cui titulus: De mirabilibus Prædicatorum, & Carmelitarum: vbi illorum ſcelera atq; flagitia graphicè depinguntur. Miſſa eſt ex vrbe ad Hermannum Comitem de noua Aquila. Impreſſa eſt in Germania, vt habet catalogus Baſilienſis officinæ Heruagii. Imp. & PP. V. S.

M. Antonius Torquatus D.

SCripſit hic prognoſticon de euerſione Europæ ad Matthiam regẽ Vngariæ, durans ab an. 1480. vſq; 1538. ſed quia non omnibus hodie approbatur, omittendum duxi. Imp. & PP. V. S.

Antonius Codrus Vrceus Italus.

NOſtræ fœminæ ſimiles ſunt ſacerdotibus. Sacerdotes enim noſtri ſemper illas in ore preces habent: Da quæſumus, præſta quæſumus, cõcede quæſumus: ſic & noſtræ fœminæ, maritis orantibus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: inſtant, & inclamant: Da debitum, præſta debitum, redde debitum: quod debitum redde decies, redde centies: nihil reddidiſti, nihil egiſti: ad initium ſemper redeundum eſt? Vah quæ Charybdis tam vorax, vt mulier. Imp. Friderico 3. PP. Sixto 4. V. S.

Idem. Pontifex maximus, inquit, eſt, ſi non virtute, tamen pecunia, de Ioanne 22. loquens: quia viginti quinque aureorum ducatorum milliones poſt ſe reliquerat.

Prophetia inuenta in monaſterio Ilfeldenſi non procul à Northauſen.

G. F. G.

B Studium perdet, L. totum Damnificatur:
Quod tranſibit ad A. Sed F. ditabitur inde.
Bononiæ crux alba ruet, bis ſtrage ſequuta:
Tertia crux rubra corruet enſe graui.
Melapes perdet: pueri ſenſu fatuata
Hæc faciunt opera Gallus, Bos, Crux, Leo, Spala.
Vrbs bona fiet ager, & nidus Philoſophiæ
Congeries lapidum, fertilitasq́ fames.
Lux erit obſcura, dominus ancillaq́ gaudens
Ludet, pax Guerra, ſordida cauda caput.
Exilium paſsi terram capient & habebunt
In brachio forti: reliqui tum pace carebunt.
Tunc cadet Eccleſia fantaſtica, veraq́ ſtabit:
Poſt longum tempus pietas miſeros reuocabit.
Tunc tranquillæ ſtabunt omnes partes ſimul illæ:
Creſcent vrbs, villæ: notat hæc doctrina Sibyllæ.

Franciſcus

Franciſcus Philelphus.

1481. PVlchrè hic Decad. 6. Hecaſt. 9. Antichriſtum hoc carmine deſcripſit:

Eſt etiam tecum formido pericli
Illa trucis voluenda animo. Contraria Chriſto
Facturus, cunctis horrendus, & efferus ille,
Quisquis erit, cuius neſcimus temporis horam,
Non Scytha, non Turcus, non qui terrore Damaſcum,
Aegyptumq́, tenet: ſed maximus ille ſacerdos,
E medio templi noſtrum emerſurus in axem,
Antichriſtus erit, qui ſe canat ore colendum
Pro Chriſto, cuius referat nomenq́, vicemq́,
Sphinga dolo mitem, tanta eſt verſutia mentis,
Aethyopum tauros ſuperet, mixtosq́, Crocottas
Sæuitiâ: ſceleris qui deniq, nullius expers,
Omnia confundat: donec pater ipſe Deorum
Omnipotens, rebus finem allaturus iniquis,
Fallacem meritâ multabit cæde latronem.

Imp. Friderico 3. PP. Sixto 4. V. S.

Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 13.

1481. MAſſilienſes exegêre vates & ſacrificulos, qui quæſtus gratia ſacra circumferebant, ſuis oppidis: ne religionis prætextu ocium ſectarentur, & luxum. Idem Valer. Max. l. 2. c. 2.

Idem lib. 6. cap. 21. Gen. dierum. Quidam incarceratus diabolo ſe, ſi eriperet ipſum, deuouit. Ob hoc in infernũ raptus, illic reperit Pontifices infulis & trabeis, purpuraq́; & auro ac gemmis ornatos, aliasq́; miſerabiles facies omnis generis hominum, ætatum, & ordinum, in cultu vario afflictos, æternis ſuppliciis cruciari. Imp. Frid. 3. PP. Sixto. 4. V. S.

Idem refert, Matronas Nobiles virilis membri figuram diuinis percoluiſſe honoribus, & eam certo die Menſis Auguſti extra portam Collinam ad ædem Veneris cum pompâ maxima ſacrorum, à caſtiſsima & ſpectatæ pudicitiæ matrona ferri, inque ſinum Veneris tandem locari, curâſſe.

Idem. Solere Deum immortalem, cùm aliquid diri vel aduerſi immineat, id portentis & prodigiis futurum oſtendere, venturasque calamitates ſignis minisque cœleſtibus præmonſtrare, & ipſi nouimus, & à non contemnendis autoribus relatum accepimus.

Quo tempore Tarquinius regno pulſus fuit, conſtabat, canem locutum fuiſſe, ſerpentemque latrâſſe: quo portento, perniciem & exilium ſibi mox futurum, oſtenſum eſt.

Crœſo Lydorum regi, quando id concidit regnum, natum filium ſemeſtrem articulatè loquutum, diro & prodigioſo euentu, fatalem calamitatem, quæ poſtea ſecuta eſt, præſignâſſe dicitur.

Gallis etiam Senonibus ad vrbem properantibus, in noua via, vbi Alloquutionis poſtea templum fuit, vocem auditam, quæ Gallos aduentare diceret, inter exempla relatum eſt.

Sed ne infinitas ſpecies, & nimis vetera ab vltima origine percenſere videar, patrum noſtrorum memoria euidentiſsimis oſtentis, antequàm in Ponto Bizantium ab immaniſsimis Turcis terra marique oppugnaretur (quo excidio quanta calamitas, quantumque vulnus Chriſtianæ Reipublicæ illata fuerint, nemo ignorauit) compertum eſt, apud Comum citerioris Galliæ vrbem, vrgente ad occaſum die, ingentem canum multitudinem per aëra ferri: poſtque diuerſorum pecorum armenta, ſpecies peditum primò leuis armaturæ, deinde haſtatos ſcutatosque ſubſequi, equitesque in turmas diuiſos ingenti inſtructa acie proſecutos, horis fermè tribus imaginem aduentantis exercitus præbuiſſe: demum corpore procero immanem & formidabilem hominem ſuprà quàm dici poſsit, veluti exercitus ductorem, terribili equo inſidentem proceſsiſſe, aliaque ludibria oculorum per inane apparuiſſe, ingentium malorum prænuncia, donec nocte appetente viſio omnis illa dilapſa eſt. Quæ oſtenta futurum excidium, cædem & calamitatem, quæ poſtea vigentibus fatis ſequuta ſunt, præſignaſſe, nemo dubitauit.

Cuiuſpi-

Cuiuſpiam Parochi Querela de Fide.

Viri fratres ſerui Dei,
Sed audite, propter Deum,
Mundum dolens circuiui,
Vbicunq; fidem quæro,
Vel in clauſtro, vel in foro,
Fides nullibi apparet,
Filius non ſeruat patri
Heu de ſede ſuâ ruit
Quondam: & pro eâ dolus
Tam potenter, & tam dirè,
Quicquid dolus iubet eſſe,
Clerus populusq; totus
Dolus Papam, Cardinales,
Regit, & vbiq; Reges.
Dolus omnia pro voto
Qui cum Dolo conuerſantur,
Sed qui verè dolum neſcit,
Et vocatur Idiota,
Non vos turbent rhythmi mei;
Flebilem ſermonem meum.
Fidem vndiq; quæſiui:
Vel in plebe vel in clero,
Vbi fides ſit, ignoro.
Totus mundus fide caret.
Fidem, neque frater fratri.
Fides, quæ tam firma fuit
Triumphat per orbem ſolus
Ne quis poſsit contraire.
Hoc inferri eſt neceſſe.
Dolo ſubiacet deuotus,
Et Epiſcopos totales
Dolus gloſſat iura, leges.
Diſponit in orbe toto.
Illi ſunt, qui principantur,
Eſt abiectus & viteſcit,
Non eſt dignus vno iota.

De Prælatis.

Prælati Eccleſiarum
Nam per dolum præbendantur
Æſtimo pro ſenſu meo,
Purè dant: ſed mos eſt ſibi,
Sic ad inuicem colludunt,
Qui redonant, illis datur,
Heu quamobrem non attendunt?
Quæ præcepit Deus dari
Dæmonizant, & eſt æquum,
Miror, quid tunc reſpondebunt,
Reſponſuri de re geſtâ,
Vbi genus, res, honores,
Aduertatis vos prælati,
Poſt hanc vitam pro peccatis:
Et curati ſacerdotes,
De ſalute animarum
Nihil curant quàm habere,
Non aduertunt ad clamores
Sic nec ſubditis, vt debent,
Sed per prauos ſuos mores,
Canon regula notatur,
Eò quòd ſub regulari
Cum deuotione Deo:
Sed libentiùs ad forum
Veſtes militares quærunt,
Rarò impertiunt dignis
Quicquid eis ſupereſſet,
Modò habens tam auarum
Habent dolum valdè carum:
Et potenter dominantur.
Quòd præbendas non pro Deo
Da mihi nunc, dabo tibi.
Atq; pauperes excludunt:
De egenis non curatur.
Quòd ſic Chriſti bona vendant,
Gratis, & non venundari.
Quòd mercedem ſumant ſecum.
Ante Deum dum parebunt,
Si ſit vilis vel honeſta.
Nemini ſunt adiutores.
Quantum oportebit pati,
Vt quæ iuſta ſunt agatis.
Poſsidentes amplas dotes,
Subditorum curant parùm:
Et hominibus placere.
Pauperum, ſed claudunt fores.
Formam bonæ vitæ præbent:
Multos ducunt in errores.
Hinc Canonicus gignatur,
Vitâ debent famulari
Ipſi curant nil de eo:
Currunt, quàm frequentant chorum.
Nihil quàm mundana ferunt.
Suas opes, ſed malignis.
Hoc pro Deo dandum eſſet.
Cor, quòd nihil dant, vel parùm.

De monachis.

Item qui in clauſtris degunt,
Quam patres inſtituerunt:
Iuxta normam ſe non regunt,
Sed quæ vetita ſunt quærunt.

Vestes deferunt Claustrales,
Sed in mente non sunt tales:
Namq; sub religiosâ
Veste latet mens dolosa.
Rixas, lites, & rancores
Habent inter se maiores
Monachi & moniales,
Quàm personæ mundiales.
Qui vult Satanæ seruire,
Claustrum debet introire.
Mali cogunt ibi bonos,
Vt cantent eorum tonos.

De monachis Mendicantibus.

ITem fratres Mendicantes
Omnes ferè sunt trufantes.
Parent nam, quòd sint deuoti:
Cùm sint tamen nequam toti.
Quicquid prædicant sermone,
Rarò complent actione.
Metunt, vbi nunquam serunt:
Semper plus, quàm sua quærunt.
Oues alienas tondunt:
Et parrochias confundunt.
Dantibus applaudunt carè:
Sed qui nihil possunt dare,
Vel replere eis manum,
Illos mittunt ad Plebanum.
Pulchrè pro orare sciunt
His, qui credunt, capti fiunt.
Per verborum apparatum
Aures penetrant magnatum.
Valdè diligenter notant,
Vbi diuites ægrotant,
Ibi currunt, nec cessabunt,
Donec ipsos tumulabunt:
Sed & casas miserorum
Nullus ire vult eorum.
Puto verò, quòd prodesset,
Si in Mundo nullus esset
Monachus, vel Monialis,
Sine secta Begynalis.
Postquàm enim sic creuerunt,
Lex, & fides perierunt:
Et totius mundi status
Est in malum commutatus:
Vtrùm culpa sit eorum,
Noscit conditor cunctorum.

Imp. Friderico 3. Papa Sixto 4. vt sup.



Natiuitas Lutheri.

1483. HOc anno in vespera S. Martini natus est Islebij D. Martinus Lutherus: quo Luciferum, quem φωσφόρον Græci nominant, multò augustiorem & lucidiorem apparuisse mundo, quàm vllo vel antè vel pòst tempore, Astronomi scribunt. Imp. 115. Friderico 3. Papa 219. Sixto 4.

Prognostica nuper inuenta, sed multis antè annis prodita.

BElla, fames, pestis, fraudes Saturnia regna
Sternent, & veteres pellentur vbiq; Tyranni
(Monstra loquor) tunc, cùm pariet Bos Rubidus Hydram,
Nec Deus extinguet flammas, nec deseret iram,
Ni priùs Ausoniæ ferias mala singula gentis.

Pœnæ tempus erit lustrum. Mox aliger ingens
Surget, & is summo rostro metuendus & vngue
Colla Bonis cædet, sitibundus iniqua Draconis
Viscera depascet: Gallorum insignia, flores
Sternet humi, reduces statuetq́ in propria reges.
Europæ genitus terrâ, vir iustus & æquus,
Pastor erit, cœli claues non sceptra gubernans.
Pax erit, & toto surget concordia mundo:
Vna fides, vnus regnabit in omnia princeps.
Imp. Friderico 3. Papa Sixto 4. vt sup.

Bartholomæus Guldinbeck de Sultz,
Mysta.

COgita, inquit, si bene dico, in conscientiâ tuâ, quando celebras, si celebras propter casum necessitatis, aut cupiditatis? quia Deus est, desuper cuncta cognoscens, & coram eius tribunali stare debebis in suo tremendo iudicio. Imp. & Papa vt sup.

Ioann. à Liechtenberg in prognosticatione sua.

CVm Ecclesia Romana deficiat quoad obedientiam, & pontifices ex Allemannis thesaurum extrahentes filios & filias ad culmen dignitatis secularis promoueant: volante matre cum pullo, ad errorem ducetur populus Christianus. Tunc finis, id est, clamor & vlulatus vniuersæ carnis veniet ad Dominum Astrorum: iudices exhortaturi discurrent, vt annuncient, ne nauicula submergatur. Et nisi Dominus apparuerit, Petrus dubitabit, quia pastores affligentur, ne verbum Dei prædicent.

Hæc arguuntur benigni Iouis oppresione in domo Martis: quod præsens eclipsatio cum reuolutione anni mundi demonstrabit. Vbi modernus, & successor proximus excitabit matrem aquilæ aduersus principes virginis: ipseque sæuiet in Iouistas Reniuiagij inferiorum, & maris occidentalis, redimendo pullum. Quid eheu, à suis incolis patietur? Vnde multa mala exurgent: & caput fidei, vt arbor infructuosa, discedet à seculo: quia inobedientiam patietur magnam ibidem. Et vix orbis Romanus erit præsulibus ampliùs dignus. Imp. Frid. 3. Papa Sixto 4. vt sup.

Idem cap. 8. Heu, tanta erit in Allemanniæ partib. tribulatio & afflictio inter Iouistas, vt portantes Ecclesiasticam tonsuram abscondent eam, & se clericos esse negabunt: eritq́; perfida diuisio inter fratres Cardinales: Ecclesiæ amittent bona temporalia sub radijs vestris.

Et paulò pôst: Aspice aquilam quasi deplumatam: heu pennulæ ceciderunt ab alis eius, vt volare nequeat. Nam columba alâ vnâ volare nequit: sic Petri nauicula inter huius seculi procellas, & turbines vno temo ducitur indirectè: & columba quæ tantùm habet vnam alam, nunquid bestijs terræ, & non solùm auibus cadit in ruinam?

Et pôst: Et verè necesse est, vt tantus ardor dominandi, & habendi cor eorum exerceat, qui nec facere volunt, quod audiunt, nec veritatem audire, quam nouerunt. Ideò oculos habent, & non vident.

Idem. Vacabit per annum, cum dimidio (eheu) sedes Romana, in quo tempore tribulatio magna erit: & resurget nouus ordo, & noua restauratio in Ecclesia. Item: Allemanni scorpionistæ confœderationem inibunt cum Rege Franciæ, sub quo Ecclesia crucem lamentationis humeris proprijs portabit. Item: Eclipsis, quæ fit anno 1485. die 16. Martij, demonstrabit, destructionem & oppresionem cleri fieri per tyrannidem brachij secularis. Item: Coniunctio magna Saturni & Iouis, quæ fit anno 1504. debet habere suam operationem anno 1506.

Nota, quòd circa hæc tempora inthronizatus fuit in papatum Iulius secundus Pontifex, de quo antiquum vaticinium: ARBOR glandis subuertetur.

Idem. Quod de influentijs planetarum dicimus, id quidem in mortalibus cæteris locum habet: Papa verò nequaquam eiusmodi qualitates in se recipit. Cùm enim Pater sit sanctissimus, nefas est dicere aut statuere, stellis ipsum subiacere: Vita eius Dei arbitrio vnicè regitur.

Scripsit super Liechtenbergij prophetias Theophrastus Paracelsus memorabilia in suis operibus, app. tom. 10. quem vide.

Thomas Lirer in vetusto Chronico Sueuiæ.

IMperator Cono præcipitem per muros deiecit filiam suam, deprehensam apud Capellanum.

De Paparum cum Imperatoribus Concordia.

Imper. 115. Friderico III. Papis Eugenio IV. Nicolao V. Calixto III. Pio II. Paulo II. Sixto IV. & Innocentio VIII.





Sigismundo successit Albertus. At eo, biennio post, quàm electus esset, decedente, rerum summa Friderico Austriaco delata est: qui cùm natura clemens, mansuetus, ac pacis studiosissimus esset, ne pontifices pacis turbatores ac hostes perpetuos offenderet, sedulò cauit: non tamen ipsorum aduersationes euitare, superbiam emollire, vel fraudes penitus effugere potuit.

Nam cùm tempore concilij Basiliensis, nimirùm anno Domini 1441. publica deliberatione Moguntiæ tractaret de Concilij Basiliensis, quod Papa euertere conabatur, autoritate conseruanda, & exactionibus, quibus Papæ Ecclesias Germanicas exugerent, minuendis, literis ea de re scriptis ad regem Galliæ, vt vel ad eum conuentum veniret, vel aliquot eximios viros mitteret: Papa eo cognito, id per legatos egit, ne rex Galliæ vel ipse proficisceretur, vel vllos legatos, se inconsulto, eò mitteret: atque hac ratione optimi Imperatoris præclari conatus tunc temporis fraudulenter elusi fuêre.

Mox quoque pòst sceleratissimi nebulonis Eugenij arte, ea, cuius meminimus, Alsatiæ vastitas illata est. Ac etsi, qui hunc tres pontifices subsecuti fuêre, eos ita humanitate sua demulserit, vt nihil imperij sui tempore contra se molirentur: maioraque de successore ipsorum Pio II. vetere ministro suo, speranda habuerit: is tamen pestilentię cathedra conscensa, Friderici agnatum Sigismundum, archiducem Austriæ, diris execrationibus deuouere, Germaniamque horribilibus bellis intestinis, nulla imperatoris authoritate habita, inuoluere non dubitauit.

Siquidem cùm Sigismundus Nicolaum Cusanum à Pontifice ad deglubendum episcopatum Brixinensem in Tyrolim missum, post longas concertationes, quòd suæ ditionis homines Romanistarum rapacitati exponi nollet, in velitatione equestri captum, custodiæ mancipasset: Pontifex ob læsam maiestatem in sua creatura acriter commotus, Sigismundum grauissimæ censuræ subdidit: nec priùs ipsum, quantumuis Friderico intercedente, ea liberauit, quàm Plutus deprecatum veniret: nil regibus, nil populis vnquam timore concedens, vt eius adulatores scribunt: sed insatiabili pecuniæ cupiditate, quoslibet ei refragantes pontificio fulmine atque horribilibus bellis prosequens.

Hinc cùm mortuo Theodorico Erpachense, Moguntino archiepiscopo, Dietherus Eisenburgicus in eius locum suffectus, pallium episcopale XX. millibus sexcentis & quinquaginta aureis Rhenensibus redimere tardaret, quòd autoritate Concilij Basiliensis annatæ damnatæ abolitæque essent: Pius grauissimè Diethero indignatus, confirmationem ei denegauit: eamque æmulo eius Adolpho Nassauiensi, quòd multos haberet amicos & consanguineos, quorum auxilio possessionem Ecclesiæ adipisci posset, contulit. Diethero verò viriliter deiectioni suæ sese opponente, & cùm alios, tum verò Fridericum Brandenburgicum, ac Philippum Catzenelebogicum comitem in suas partes magnis muneribus pertrahente, tanta belli incendia sunt nata, vt præcipui Germaniæ proceres ijs impliciti, insignem rerum suarum iacturam fecerint.

Marchio siquidem Badensis Carolus, Episcopus Metensis Georgius, & Vlrichus comes VVirtenbergicus, Adolpho Nassauiensi opitulantes, memorabili prælio cum sua nobilitate ad Seckenheimium à Friderico Palatino cæsi, capti, & in Heidelbergensem arcem abducti, nec priùs dimissi fuêre, quàm Badensis centum, Metensis quadraginta quinque, VVirtembergicus quoque centum millia florenorum soluerent: aliaque iura, cuilibet summæ ferè paria, Palatino vel cederent, vel remitterent.

Hanc

Hanc suæ factionis procerum cladem Pius, vt vipera læsa, grauissimè tulit: ac literis querulis de calamitate sociorum, ad Philippum Burgundiæ ducem, tam prudentia quàm armis eo tempore florentem, scriptis, eum, post cohortationem ad auxilia Adolpho ferenda contra Palatinum, Dietherum, & Comitem de Catzenelbogen, illisque adhærentes, belli ducem constituit. Ipso verò, vel pro prudentia sua, qua eximia præditus fuit, hanc belli molem detrectante, vel voluntate pontificis diutius cunctante: Moguntia à Ludouico Nigro Palatino, ac Comite Veldensi, alijsque proceribus partium Adolphi, proditione duorum ciuium, scalis noctu muris admotis, occupata, direpta, incensa, ac quingentis ciuibus occisis, in perpetuam seruitutem redacta, totaque nobilissima diœcesis ita afflicta est, vt hodierno die adhuc, compluribus eius oppidis, villis, ac pagis partim alienatis, partim grauissimè oppignoratis, belli istius calamitates sentiat.

En pium Pij Pontificis factum: qui, vt Germaniam pecunia contra ius ac fas omne emungeret, horridis bellis excitatis, eius proceres commisit, eosque in extremas angustias coniecit.

Vt verò hic Impius II. in principes: sic qui ei successit Paulus II. Venetus, atrociora in ipsum Imperatorem attentauit. Nam cùm Constantinopoli capta, secundò Fridericus Romam proficisceretur, vt cum pontifice Paulo II. de expeditione in Turcas suscipienda deliberaret, eumque ad excitandos Principes, qui multis iam cladibus animos abiecerant, secum in Germaniam adduceret: Pontifex posthabitis Cæsareis postulatis, sub specie humanitatis, vitæ ipsius perfidè insidias struxit. Quibus ille prudenter declinatis, & improbitate pontificia cognita, postea legatis Innocentij, ab Ecclesiasticis personis decimas per totam Germaniam postulantibus, Norimbergæ in publicis comitijs sese fortiter opposuit: ita vt inanes, sicut venerant, Romam quoque reuerterentur harpyiæ.

Quis quæso tam cerebri vacuus, tam prudentiæ expers futurus esset, vt se perfidissimo hominum generi crederet: cùm tam præstantes Imperatores, Reges & principes, eius insidias euadere non potuisse, perspiciat? Schardius ex Syluio de Basiliensi concilio, Antilogijs Papæ Conradi VVeissenburgij, Vrsp. Paral. Munstero, Nauclero, Huberto Goltzio, Hutteno, Mutio, Clemange, Fasciculo rerum exp. & alijs.

Iosquinus Grieningensis.

1485.

Hic fuit discipulus Agricolæ, atque cùm sæpenumero præceptorem suum & VVesselum theologum differentes iuxta se audiret, testatur, illos ex animo, non sine lachrymis, solitos esse detestari missam, & cætera innumerabilia deplorare: & disputasse vt plurimùm ex Epistolis Pauli de iustificatione hominis coram Deo: vbi ne iota quidem vllius meriti bonis operibus adscripserint. Imp. vt sup. Frid. 3. Papa 220. Innocentio 8.

Innocentius 8. Papa 220.

1486.

IN Poli oppido apud Æquicolos, hic Papa viros octo ac fœminas sex cum domino loci comprehensos, hæreticos iudicauit: quia dicebant, nullum verum Christi vicarium esse eorum, qui post Petrum fuère, nisi qui paupertatem Christi essent imitati. Imp. & Papa vt sup.

Nicasius cæcus Doctor in Brabantia.

1489.

Nicasius VVerdæ Brabantiæ natus cæcus, ea dexteritate literas addidicit, vt Louanij primùm hoc anno Magister declaratus sit liberalium artium: postea ex Papæ potestate Sacerdos & Licentiatus Theologiæ: tandem Coloniæ ab Vniuersitate Doctor Iurisprudentiæ Pontificiæ. Ille diu in Scholis & Ecclesijs, cum maximâ auditorum admiratione, docuit cæcus. Nam in hac professione tam exquisitus fuit, vt memoria tenens vniuersum corpus, id ordine recitare, atque allegare ad miraculum vsque scitè & ingeniosè posset: vnde celeberrimum eius nomen vbique factum. Palmerij appendix. Mortuus est anno 1499. Pantal. tomo 2. de viris Illustrib. Imp. & Papa vt sup.

Paratus sermone 77.

1489.

ALiquando monachus aliquis ad sacramentum se, quanta potuit deuotione, præparauit, & cùm ardenti precationi, recitato Agnus Dei, summa cum intentione incumberet, vidit in manu sacerdotis puerum Iesum, tanquam in cruce pendentem, vulneribusque sanguine rorantibus: quapropter expauescebat, & seipsum, vt communicaret cum cæteris, dedignabatur, & eam ob causam sacramentum intermisit. Et cùm, peracta missa, in precatione adhuc esset, virgo Maria ei apparuit dicens: quare hodie non accepisti corpus filij mei? Ille respondit: illo non dignus sum: tum

Virgo respondit: Tu tibi ipsi videris quidem indignus, sed quis satis dignus est? ora, vt dignum efficiat te: & vide, ne tale quid in posterum committas. Vt sup. Imperatore Frider. 3. Papa Innocentio 8.

Bochardus comes Auenienſis.

1487. BOchardus quidam, Auenienſis comes, literis à teneris imbutus, Aurelijs iuris ciuilis factus est professor: ac tandem, inſcijs omnibus amicis, ibidem ſacris initiatus, Hypodiaconus creatur. In Flandriam reuerſus, diſsimulato ſacro, quem amplexus fuerat, ordine, laico habitu veſtitus inceſsit, & ad militare redijt ſtudium. Cumq; ob res præclarè geſtas omnibus charus eſſet, Margaretham Flandriæ comitiſſam accepit, ex qua duos ſuſcepit filios.

Cæterùm poſtquàm innotuit, eum eſſe Hypodiaconum, Ioannâ coniugis ſorore, Principe Flandriæ eum inſectante, ad Innocentium 8. ſupplex refugit, ſi quo modo à ſacro ordine liberatus, in matrimonio manere poſſet. At Innocentius inexorabilem ſe præbens, iubet, vt coniugem dimittat, illiq; ac ſorori de tantâ iniuriâ ſatisfaciat. Inſuper in Aſiam abeat militatum per vnum annum contra barbaros: reuerſus autem, quod omnium erat grauiſsimum, in ſacro perſeueret ordine.

His oneratus mandatis in Syriam quidem abijt, ſed domum reuerſus, conſpectâ vxore & dulciſsimis liberis, dixiſſe fertur: Viuum ſe malle excoriari, quàm ea quæ Romanus iniunxerat, complere. Vide Chronicon Flandriæ. Imp. & Papa vt ſup.

Liber de miſeriâ curatorum Anonymi, impreſſus

Auguſtæ per Ant. Sorg.

1489. QViſquis igitur curam paſtoralem portat, nouem diabolos ſine intermiſsione ſe lacerare, ſciat. Primus eſt ipſe Collator. Secundus Cuſtos Eccleſiæ. Tertius eſt Coqua, tua domina, per quam habes tot tentationes, quot in capite geris capillos. Audi, quis fortior, ſanctior, ſapientior, Samſone, Dauide, Salomone? Si fortitudo, ſanctitas, & ſapientia, Samſonem, Dauidem, & Salomonem à concubitu mulieris præſeruare non potuit: quis Curatores ab eodem veneno liberabit? O quàm rarum eſt, ſi Curator vxorem non habens, ſed ſemper vrens, ſe non coinquinat? Ab hoc tempore, quo clericos ab vxoribus ſanctitas Apoſtolica ſequeſtrauit, nullus vnquam, quamuis ſanctus & continens, ſine ſuſpicione fuit.

Quaptopter cum fiduciâ loquor: niſi Eccleſia inantea vxores habere toleret, cum ſcortis omnes ad vnum domeſticam curam portare oportebit: ô quantum dedecus! Inde populus incidet damnationis periculum: vnde deberet ſumere benè viuendi exemplum, dum vnuſquiſque ſacerdotum in ſuâ legitimâ contentus erat. Nunc verò ſacerdos, quia propriam non habet, fœminis indifferenter vtitur. De illis verò quod malum eſt, proueſat: de iſtis quomodo luxuriant, etiam puer canit.

Quartus diabolus eſt vitricus Eccleſiæ. Quintus ruſticus malus. Sextus ipſe Officialis, quantò ſua iuriſdictio latior, de detanto in plures tyrannicior, & fortior. Officialis arripit pecuniam, & admittit ignominiam, amat donarium, & tolerat fornicarium: tollit munera, & deſtruit iura. In his omnibus non Dei gloriam quærit, ſed lucrum.

Septimus diabolus eſt ipſe Epiſcopus: quod per totum annum ſolicitudo tua collegit, hoc iſte per ſubſidium tollit: qui immunitatem bonorum tuorum deberet conſeruare, hanc non pudet ipſum infringere.

O ſuper omnem lupum lupus rapax. Si es Epiſcopus, vbi eſt baculus tuus? Si tenes baculum, cur non prohibes lupum? ô irrecuperabile damnum! Perditus eſt omnis clerus: quia amici ſunt Paſtor & Lupus: ſed verendum eſt, quòd dum Lupus ampliùs non habet ouem, deuorabit & Paſtorem, & iuſto iudicio paſtor cum ouibus perit, qui nullam diligentiam cum ouibus habere voluit.

Octauus diabolus eſt ipſe Capellanus in Eccleſiâ tuâ: hic non cantat, non legit, niſi inde ipſe ſuum profectum habere poſsit: ebrius per totam noctem leuat canthatos in tabernâ, & nos non pudet immolare ſacrificium?

Nonus diabolus eſt ipſe prædicator: et quæ ſequuntur, cæt. Imperatore Frider. 3. Papa Innoc. 8. vt ſuprà.

Philippus Beroaldus Bonon. libro 11.

Aſini aurei.

1490. APuleius deſcribens pompoſam proceſsionem, vt nunc vocant, Iſidis, inter cætera ſic dicit: Nec mora, cùm Dei dignitati pedibus humanis incedere prodeunt, &c. Hæc verba enarrans Beroaldus, inquit: Deos incedere pedibus humanis, dicimus, quando in pompâ homines ſacrificuli ſuſtinent perſonas & nomina Deorum.

Mecum ego subinde recolens instituta sacrorum Ethnicorum, venio in eam sententiam, vt credam, pleraque omnia ad ceremoniarum nostrarum celebrationem pertinentia, illinc esse translata transpositaque. Nimirum ex Gentilium religione sunt lineæ vestes, derasa sacerdotum capita, vertigines in altari, pompa sacrificalis, musica modulamina, adorationes, preces, aliaque id genus compluria, quæ nostri sacerdotes in nostris mysterijs solenniter vsurpant.

Idem de horis canonicis. Apuleius eodem lib. 11. asin. Rebus iam ritè consummatis, inchoatæ lucis salutationibus Religiosi primam nunciantes horam perstrepunt. Ad hæc Beroaldus: Sic nostri sacerdotes primam, tertiam, sextam, nonam horas habent sacrificijs legitimas, & deputatas. Si quis curiosè introspexerit nouissimum hoc volumen Apuleianum, haud dubiè cognoscet, pleraque omnia instituta nostræ religionis sumta esse translataque ex ceremonijs Ethnicorum.

Idem de celebratione primæ Missæ. Ex hinc celebrari natalem sacrorum, & suaues epulæ, & faceta conuiuia: dies etiam tertius pari ceremoniarum ritu celebratur, & ientaculum religiosum, &c. Beroaldus ita: Natalis sacrorum dicitur ille dies, quo quispiam consecratur, fitque sacris initiatus, quem non minùs religiosè celebrare debemus, quàm diem Natiuitatis: quoniam ex hoc vita tantùm, ex illo verò vita religiosa, & sancta producitur.

Scribit vlteriùs Beroaldus de ientaculo religioso: (in somnio) Quàm multa, Dij boni, in nostrâ religione consimilia sunt religioni Ethnicorum? quàm multi ritus communes? ex quibus & hic vnus est. Nam quando nostri sacerdotes consecrantur, cùm sacerdotium aliquod adipiscuntur, consueuêre ientaculo non tam religioso quàm guloso accipere Symmyllas, vt auspicentur introitum sacerdotalem. Quod idem etiam Gyraldus & Plato testantur: dum, vt Plato inquit in mysterijs suis, Corybantes illum, qui sacris initiandus erat, in solio collocabant, varijsque iocis applaudebant, & choreas ducebant, & saltabant, eo modo expiantes, ac sacris suis initiantes. Imp. Friderico 3. Papa Innocentio 8. vt sup.

Ioan. Iouianus Pontanus. 1490.

ANno salutis 1462. Ferdinandus Neapolitanorum Rex, Marcos oppidum arci Montis Draconis, ad Massicorum montium exitum sitæ, subiectum, Andegauensium factioni fauens, arcta obsidione premebat, & defectu aquarum propè ad deditionem compulerat; cùm impij Sacerdotes magicis artibus imbres elicere ausi sunt. Inuenti enim ex oppidanis atque obsessis sunt, qui nocturnis in tenebris, deceptis castrorum vigilijs, per asperrimas rupes furtim profecti ad littus, trahentes secum imaginem affixi ad crucem Christi, maledictis illam priùs ac diro prosecuti carmine, pòst in mare exsecrabundi immiserint, cœlo, mari, terrisq; tempestatem imprecati.

Quo etiam tempore Sacerdotes quidam mortalium omnium scelestissimi, dum satisfacere profanis militum artibus studerent, ritum nefarium secuti, quo (vt dictum est) elici imbres putantur, asino pro ædis foribus constituto, tanquam agenti animam cecinêre funestum carmen. Pòst diuina Eucharistia in illius os palatumque iniecta, conclamatum asinum funereis cantibus, viuum tandem ibidem pro templi foribus humauêre.

Hic verò vix dum perfecto sacro obnubescere aër, ac mare agitari ventis cùm cœpisset, diesque medius offundi tenebris, ac nunc cœlum micaret ignibus, nunc lux omninò eriperetur, tonitru cœlum terræque horrescerent, volarent euulsæ ventis arbores, discissaque fulminibus saxa complerent auras fragoribus, prorupit tantâ è nimbis pluuia, imbresque tam validi, vt non cisternæ modò colligendis aquis satis non essent, sed & arentia saxa, rupesque exustæ Solibus, torrentes vndequaque prolapsos diffunderent.

Ita Rex, qui sola in siti potiundi oppidi spem collocauerat, frustra ab ea habitus, ad Sauonem vetera in castra redijt. Pontanus lib. 5. belli Neapolitani.

Idem. Quod quidem execrationis genus maximè Sacerdotes attingit, quæ Deo virginitatem cùm vouerint, pollutis tamen votis, rituque sacerdotali periuranter atque incestè contaminato, grauidæ factæ, ne scelus pateat, execrabiliori conantur scelere idipsum prohibere ac corrigere: dum aut medicaminibus adhibitis abortionem procurant, aut partum statim exanimant, terræque aut cloacis clàm infodiunt.

Vir maximè notus, mihique persamiliaris, ædes cùm emisset, emundaretque latrinarum sordes, inter emundandum animaduertit, infantuli cadauerculum sordibus illis inuolutum.

Idem de bello Neapolit. lib. 1. Quibus artibus Pontifices Maximi tantum sibi Imperium comparauerint, nequaquam est explicatu facile. Namque vt initio armis illud sibi vendicauerint, longè aliud arbitrari par est. Genus enim ipsum hominum olim quietum, ac religioni tantùm deditum. Cæterùm vt antè Sacerdotes innocentissimi, atque abstinentissimi fuêre, quo tempore sola Sacra ceremoniasque tractabant: sic pòst fuêre ex eis, qui cupiditate, ambitioneque præcipites ierint.

Idem. Valentiæ in Hispaniâ citeriore, ædes quædam sacræ, vestaliumque monasteria ita quidem patent amatoribus, vt instar lupanariorum sint.

Idem. Anni huius exitu, in campis, qui Beneuentum inter Apruclumque interiacent, fœdum certamen inter coruos miluiosque exortum est, siue ostentum illud fuerit, prognosticumq; futuræ

ad N. pugnæ, seu naturalis contentio, quòd de multitudine locustarum ijs in campis eo autumno prognatarum, quibus alites ipsi vescuntur, pugnatum sit ob pastus cupiditatem.

Primo igitur è certamine (nam bis pugnatum est) quòd miluij acrioribus magisque falcatis armati essent vnguibus, alisque vterentur patentioribus, maioresque captarent auras, corui cùm discessissent inferiores, paucis pòst diebus, ac si imploratis aliunde auxilijs, rediêre densiore agmine generis sui volucrum. Quod idem factitatum à miluijs.

Cœpta igitur aeri secundò in aëre pugna, corui sensim quasi inito consilio, arteque hac vsi, intra vineta subsidere, stantesque aut super vitibus iam defrondibus, aut super editioribus ramis, truncóue eminentioribus rostra subrigebant, ingruentesque alis atque vnguibus miluios suffodiebant rostris, quasi pugionibus. Itaque cernere erat cadentes passim atque exenteratos miluios, singulorumque ad casum conclamare coruos, crocitatuq; significare victoriam, & tanquã cohortari aciem cantu, atque excire pugnantes. Quo pugnæ genere cùm certatum esset diutius, plenis tandem cadentium miluiorum campis, ipsi tanquam in insidias delatos se intelligentes, pugnam deseruêre, confessi volatu fugam, atque alitis hostis super stragem volitantis victoriam.

Hîc verò elatus victoria coruus, atque in cædem versus, in stratos humi miluios sæuire, iramq; ac rabiem exercere, conficere rostro semineces, atque è mortuorum aut capitibus cerebrum eruere, aut hausta è visceribus intestina trahere vnguibus, carpere præcordia, ac discindere armos rostris, demum nihil iræ reliquum facere, nihil non permittere rabiei. Atque ex hoc certamine victor plureis dies, perinde ac direptis hostium castris, liber lætusque passim ferebatur.

Hanc pugnam, volucrumque conatus tantos plurimi mortales spectatum cùm venissent, quò stragem ipsi cernerent, per vineta, camposque vagabantur. Itaque alij pugnæ genus acre cruentumque, stragem alij tantam mirabantur. Erant qui vulnerum vastitatem, & congestos quasi cæsorum aceruos suspicerent, nemo tamen, qui non futurum breui contendentium exercituum augurare tur certamen, partisque alterius calamitatem.

Eodem anno Arenate, Brutiorum agro, mula equum peperit, pilo flauo, crinibus rutilis, oculis rufis: quem pòst Loisius Arenas ad Ferdinandum misit.

Idem in 8. Dialog. ex Charonte. Nulli de verâ religione sunt minùs soliciti, quàm Pontifices, & Sacerdotes: quippe quorum studium est ampliare rem familiarem, cogere Pecuniam, atque in saginandis corporibus occupari. Et cùm nimis improbè auari sint omnes: nemo cœnat lautiùs, nemo vestitur elegantiùs.

Dudum Sacerdos Cardinalis obsonatorem suum, quòd in emendo lupo pisce pecuniæ pepercisset (erat autem pretium aurei sexaginta) quibus maledictis eum non est insectatus? parùmque abfuit, quin illi domo interdixerit, vt vitæ suæ parùm studioso. Ac vitam nunc, quæ olim Gula dicebatur, vocant.

Alter quoque Sacerdos eiusdem collegij moriens exoleto (scorto masculo) legauit aureûm triginta millia. Sed quantula sunt hæc? Sacrum quoque sanguinem Eucharistiæ veneno tingunt. Imp. Frid. 3. Papa Innocent, 8. vt sup.

1490. *Ioannes Gochius.*

ASserit hic: Thomæ, Alberti, Capreoli, & aliorum Sophistarum scripta magis obscurare, quàm illustrare veritatem: imò Pelagianam hære.in redolere. Familiaris fuit VVesselo Grieningensi: scripsit de votis, & obligationibus, & quid de illis sit tenendum. Item de religionibus fictitijs.

1490. *Ernestus Archiepiscopus Magdeburgensis.*

D. Clemens Schavv diaconus Ecclesiæ Islebiensis: huiusque tum Archiepiscopi capellanus, testatur, se astitisse ei, vnà cum duobus Franciscanis, in Salinis morienti: quorum alter ad Archiepiscopum dixerit: Esto bono animo inclyte princeps: Nos omnia non tantùm nostra, sed & totius Minoritarum ordinis bona opera tuæ celsitudini communicabimus. Non est dubium, quin illis acceptis, coram Dei consistas tribunali iustus & beatus. Respondisse verò Archiepiscopum, Nein ich trawen/ ich begehre ewer Werck nirgendt zu: Meines HErren Christi Werck müssens allein thün/ darauff verlaß ich mich: Id est, Nullo modo: nec meis nec vestris operibus ego confidam: sed solius mihi Christi opera sufficient. Fuit alioqui & in politica gubernatione homo iustus ac frugi, & non dilapidator redituum, & vexator miserorum, sicut sequentes Marchita. Cat. Imp. Friderico 3. Papa Innocentio 8. vt sup.

1490. *Flauius Melfensis.*

HIc in regno Neapolitano reperit aciculam, siue indicem, siue bossulum marinum, cuius auspicis magnete tingitur, vt perpetuò prospectet ad Aquilonarem polum, polaremque stellam: & de

ceat, quo in loco verseris in mari, & quò sit flectendum. Præstans & necessarium inuentum Deus Noui orbis apertioni præmisit, sine quo nauigatio illa fieri non potuisset. Vt sup.

Prodigium. 1490.

HOc anno, tempore natiuitatis suæ tres Soles & tres Lunas apparuisse, scribit Olaus Magnus.

Philippus Callimachus. 1490.

CVm Vladislaus Rex Vngariæ, cogente Papâ, fœdus iuratum cum Turcâ rupisset: & idcircò miserè in pugnâ Varnensi interijsset: Dracula VValachiæ princeps, ne ad prælium vnà proficisceretur, vaticinio mulieris fuit retentus. Pridie enim, quàm in regia castra peruenerat, Secusa, mulier Bulgara, senio quidem confecta, sed cognitione futurorum multis experimentis clara, ad vicum Solonum de exitu, ac fine belli ab ipso interrogata, prædixerat: Regem haud felici euentu pugnaturum: plusque momenti contra eum hostium profligati exercitus reliquias habituras, foreque subinde, vt res feliciùs gereretur. Atq; ideò in se, ac suos vaticinium deriuare volentem, prosperioribusq; actionibus superesse: periculo, quod in præsens nunciabatur, se subtraxisse: filium verò adiunxisse: monuisse tamen, ne fortunæ obluctaretur temerè in acie, si res Christiana inclinaret. Imperat. Fridet. 3. Papa Innoc. 8. vt sup.

Georgius Riplay. 1490.

SCripsit hic varia: inter alia Compassionis Mariæ officium Christi passioni addidit: tanquam esset cum illo pro nobis similiter passa. Imp. & Papa vt sup.

In hymno, sacris solennijs celebratis, sic Papistæ in suis templis adhuc hodie canunt: 1490.

DEdit fragilibus corporis ferculum,
Dedit & tristibus sanguinis poculum,
Dicens: accipite, quod trado, vasculum:
Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,
Cuius officium committi voluit
Solis presbyteris: quibus sic congruit,
Vt sumant, & dent cæteris.

Ecce, Papicolæ suo ipsorummet gladio iugulantur. Imp. & Papa vt sup.

Bartholomæus Pincernus. 1490.

HAbetur formula donationis Constantini dist. 96. Constantinus. sed omissa reperiuntur apud Barthol. Pincernum. Refutârunt commentum hoc publicis scriptis Marsilius Patauinus, Laur. Valla, Antoninus, qui affirmant, formulam hanc in vetustis codicibus decretorum non inueniri. De eo quoque Cusanus Cardinalis, Æneas Syluius, Hiero. Paulus Catalanus, & Raph. Volateranus. Imp. Frid. 3. Papa Innoc. 8. vt sup.

Virunnius Britto. 1490.

SI diuinus Maro probè intelligeretur, vates est eminentissimus, & extra omnem Latinorum comparationem positus. Singularem quoque Virgilij laudem reperies apud Fulgentium. Imp. & Papa vt sup.

Thomas Brabantinus in tract. de apibus. 1490.

CIrca finem operis de quadam in hunc modum refert: vidi, inquit, & ex confessione audiui virginem quandam in religioso habitu, quæ primò dixit, se nunquam in concubitum consensisse, per hoc tamen dat intelligere, se cognitam fuisse: & ego non credens artaui eam rationibus, & duris comminationibus, sub periculo animæ suæ: tandem cum lachrymis confessa est, se priùs corruptam mente, quàm corpore: & cùm postea doleret, quasi ad mortem, & confiteretur omni die cum lachrymis, non potuit tamen ingenio, studio, vel arte ab incubo dæmone liberari. Imper. Frid. 3. Papa Innoc. 8. vt sup.

1491. Alcabitius Astronomus.

HIc narrat, puerum quendam, cuius Ascendens fuit 8. gradus Libræ, terminus Mercurij (in quo habuit Iouem, Venerem, Martem, & Mercurium) prophetasse. Huiusmodi aliquot coniunctiones quoque Firmicus recenset. Imp. & Papa vt sup.

1491. Ceremoniæ Corbeienses.

HAbuit cœnobium Corbeiense vix vllam imaginem: & Litaniam, ac alias ceremonias multò reformatiores, quàm nunc Romanenses. Chronicon Corbeiense. Vt sup.

1491. Ioannes Rota Vratislauiensis.

IOannes Rota Episcopus in Silesia emendauit & aboleuit multos superfluos & impios ritus in Ecclesia, templis, & processionibus: cantum etiam nimium abstulit. Eo quoque tempore Alex. Hegius Dametriensis & Rodulphus Agricola taxârunt abusus in Religione, & paulò pòst à Luthero hic nodus Gordius planè dissectus est. Annales Silesiæ.

1491. Franciscus de Puteo, Petrus Plomenene, & Petrus Scropus.



CHartusianorum Ordo institutus est secundum Polydorum & Genebrardum anno Domini 1080. iuxta Sigebertum verò, Vincentium, Antoninum, & Panuinium anno 1086.

Hic inter omnes rigidissimam obseruauit regulam. Primùm enim, cùm alij quidem monachi die saltem vno aut duobus in septimanâ à carnium esu abstinerent, hi per omnem vitam eas, nullâ quoque valetudinis habitâ ratione, respuerunt.

Deinde etiam peculiari quodam voto paupertatem coluerunt: vnde se omnibus facultatibus sponte exuentes, atque aliena tantùm quasi câ viuentes, eum sunt detestati, qui inter ipsos quicquam possideret, vbi vel vnicum pedem figere posset.

Secundum hæc quidem superioribus illis seculis pingendus fuerat Chartusianus, pallidus, macilentus, oreque ad hydriam & panem composito, itemque collo breui ac contractis tandibus, tandem autem nullis penè pedibus.

At cùm monachi illi progressu temporis ad carnes, non modò vitulini, verùm etiã foeminei generis animum applicuissent, opesq; & pecunias non quidem manibus, sed plenis caputijs incredibili multitudine congessissent, vt iam cum summis principibus certare velle viderentur; pedes verò suos, qui imbecilliores esse credebantur, vbique gentium & terrarum posuissent: pius quidam homo, etiam Chartusianus, cùm superiori ætate Chartusianorum suorum regulas in longè vetustissimo volumine comprehensas legisset, eorumq; vitam hodiernam à priori valdè abhorrentem ponderasset, hanc Chartusiani monachi effigiem in fronte libri posuit.

Est autem profectò ferale monstrum: cuius quidem caput rasum est, vt monachum esse, non possis dubitare: dentibus verò, atque ore tam est prolixum, vt cuius sint bestiæ, non perinde constet. Voluit innuere fortassè pius ille, Chartusianos supra modum esse voraces atque bibulos: cuius argumentum est in collo. Collum enim eiusmodi grues habent.

Iam verò historia recitatur de Apitio, qui vtrùm Chartusianus fuerit, ignoro: dicunt tamen eum in delitijs adeò exquisitum fuisse, vt etiam nidore culinarum mirificè delectaretur: optasseque illum aliquando gruinum collum, quia existimabat, obsonia atque vina, tam longâ titillatione de-

fluentia,

fluentia, longè maiore ipsum voluptate affectura esse. Ita etiam Chartusiani plurimùm sunt delicati, sunt grues, & Apitij, fruges consumere nati.

Quantum nunc ad manus attinet, in sinistrâ quidem manu rosarium habet, & secundum illud pro peccatis aliorum hominum vota sua deblaterat, non certè ex animo, neque seriò. * Quis enim id crederet? cùm nemo hominum ex gruino collo orare possit. Quid igitur cum rosario agat, nisi vt fucum faciat hominibus, eoque vtatur tanquam muscipulâ ad capienda prædia, & pecunias? Hic enim est dextra manus, quæ idipsum, quod vult, indice monstrat: nempè agros, & longè lateq; exporrecta iugera.

Pedes denique sunt bouini, ratioq; hæc est. Dicitur namq; de boue, quòd pedetentim quidem eat, sed tamen omnium animalium fortissimè pedem figat, vnde facilè loco moueri nequeat. Ita Chartusiani cùm ad prima ordinis sui auspicia nihil omninò habere voluissent, vbi saltem consistere possent: inde subitò mutati, tam acriter in terram pedes suos impresserunt: vt iam potentissimus sit oporteat, qui eorum vestigia delere, pedesque amputare conetur. Atque hæc de isto Chartusiano.

Bethancor, Lusitani, Christophorus Columbus, Ferdinandus Corthesius, Vascus Nunius, & Verazanius.

INuenit Bethancor primus Insulas Fortunatas. Lusitani Hesperides vltra Viride promontorium. Sed Columbus homo Ligur hos superans, nouas Insulas, Hispaniolam & Cubam: & post eum Ferdinandus Corthesius Mexicanam & alias (de quibus librum singularem conscripsit Verazanius Florentinus) inuênit, Vascus autem Nunius Isthmum transcendere ausus fuit. Viri certè maxima laude & admiratione dignissimi: vt ex illorum scriptis factisque (de quibus alibi,) constat. Vt sup. 1492.

Conformitatum liber.

SCripsit librum hoc titulo, plenum blasphemiarum, Ioannes Capella, in quo conferuntur facta Francisci cum actis Christi, horrenda comparatione: vt etiam ante hunc Bartholomæus de Pisis, & post Erasmus Alberus, Conradusque Badius in Gallia: atque Martinus Lutherus in Germanica lingua, quem Alcoranum Franciscanorum nuncupârunt. 1492.

Monstrum. 1492.



HOc tempore puella virgo filium semicanem peperit. Sic Volaterranus scribit, ex cane & muliere natum infantem formæ humanæ superiore parte, inferiore verò caninæ: atque expiationis causa ad Pontificem delatum. Meminit eius Cardanus quoque libro 14. de rerum Var. cap. 64. Lycosth.

Sebastianus Ticio. 1493.

SVb Maximiliano Imp. ingens lapis specie ac forma Δ græcæ literæ hoc anno in Ensheym decidit oppido Alsatiæ: qui hodie in æde sacrâ ibi custoditur, à Sebastiano Ticione scriptis celebratus. Vt sup.

Alexander VI. PP. 221.

ALexander VI. cùm Cardinalis esset, noctes diesque in eo totus erat, quomodo Pontificali potiretur dignitate: vtque huius voti sui commodiùs redderetur compos, ad Satanicam Magiam animum adiecit, operaque alterius Magi rem eò deduxit, vt cacodæmoni obedientiam polliceretur, quatenus, quicquid ex eo quæsiturus esset, ad ea responderet: decernebatur etiam, quando, & vbi, in qua item specie, nempe Protonotarij, comparere debeat.

Constituto itaque die Satanas Protonotarij assumta specie adest, quis esset Alexandro indicat, sequi ei, quicquid interrogaturus sit, relaturum promittit. Quærit ille, Num Pontificalem dignitatem obtenturus sit? Quod cùm Satanas affirmaret, porrò quærit ille: Quàm diu sit in tali dignitate regnaturus? Ad quæ Satanas eo modo respondebat, vt, octodecim annis Pontificatum sibi promitti, Alexander intelligeret: verùm vndecim tantùm annis regnauit, & diebus octo.

Elapsis vndecim annis, in morbum incidens, vnum ex ministris superius conclaue ingredi iubet, librumque mensæ impositum, in quo Magicæ docebantur artes & præstigiæ, sibi afferre iubet. Minister ascendens, apertis foribus, ibi Satanam in sella Pontificis sedentem, papalique ornatu amictum offendit: quo spectro territus recedit, & Papæ quæ viderit renunciat.

Papa hæc audiens, eum denuò ascendere cogit, visurum, num adhuc Satanicus ibi Papa appareat. Reuersum ministrum Satanas eodē adhuc sedens habitu compellat, quid sibi velit, ex eo quærens? Respondit minister: se ingressum, vt librum Papæ tradendum afferret. Ad quæ Satanas: Quid Papam dicis? Ego Papa sum. Hæc cùm ex ministro ægrotans Papa audiuisset, vehementer territus, quorsum iam res suæ tenderent, facilè intellexit.

Itaque in interius conclaue se deportari iussit. Quò vbi delatus est, protinus Satanas subsequitur, assumtaque veredarij specie, cum impetu fores pulsat: intromissus, Papam lecto affixum accedit, tempus elapsum esse indicans, aliò ex hac vita ipsum vocari. Vnde contentio inter eos orta est, ex qua ij, qui lecto astabant, facilè agnoscebant, de annorum numero ipsis certamen esse. Verùm Satanas euidentiùs ipsi explicata numerorum ratione abijt. Breuique pòst ipse quoque Papa Spiritum suum reddidit. Ex multis Chron. Imp. Frid. 3. vt sup.

Idem Alexander 6. ex Iubilæo, quem anno 1500. celebrauit, CCC. coronatorum millia collegisse dicitur. Sequenti anno tributum sacrum contra Turcas, indulgentiarum montes promittendo, indixit, & supra sexcenta millia corrasit. Cæsar Borgia Valentinus, Alexandri filius, cùm ad centena millia aleæ lusu perdidisset, Germanorum peccata se perdidisse, per ironiam iactabat. Auctor vitæ Georgij Fronspergij.

Idem non magni fecisse fratres mendicantes videtur, vt quem dixisse ferunt: cum potentissimo Rege, aut Principe malle sibi bellum esse, quàm cum vno ex fratrum mendicantium ordinibus. Omnia enim habere eos, qui nihil habeant: ac inexpugnabile id esse genus hominum, quacunque certandi viâ adoriaris.

Cantio de Papa, Romanaque Ecclesia, per Boëmum quendam composita.

AMari luctus mersitor
Mæstus suspirijs,
Tremore punctus agitor
Totis præcordijs:
Perit cordis lætitia,
Angit me præ inopia
Mentis angustia.
Bonorum morum formula
Grata proscribitur,
Castitatis vera normula
Victa profligitur:
Virtus calcatur vitio,
Recti fit interitio,
Iuris desitio.
Crassatur commilitium
Turbæ Satanicæ,
Virtutes sed exitium
Deflent heroicæ:
Plebescit morum gloria,
Potiturq́; victoria
Reatus scoria.


Debellantur firmissima
Castra iustitiæ:
Prostat laudabilissima
Lex pudicitiæ.
Status aberrant singuli,
Subduntur sponte pronuli
Sub iuga Zabuli.
Error vetus amicitur
Visus caligine:
Licet, quicquid delinquitur,
Ex consuetudine.
Sic iuri fit iniuria,
Paterna dum per inuia
It proles deuia.
Fax ardens viuæ fidei,
Norma iusticiæ,
Riuus prælargus olei
Misericordiæ,
Mater fis quondam Romana,
Fons spirans vitæ balsama
Per dogmata sana,

Genus generalissimum
Omnis iusticiæ,
Degenerans vilissimum
Fit vas spurcitiæ.
Horrenda heu traiectio,
In loco sancto mansitat
Iam desolatio.
Habendi hydrops feruida
Hanc siti vstulat,
Simoniæq; lurida
Hanc lepra pustulat.
Tumet fastus tympanide,
Neronisat præualidè
Sæua tyrannide.
Inescat hanc ingluuies
Ampla lauticiæ,
Ingurgitat congeries
Hanc Bacchilatriæ.
Prurit luxus serpigine,
Manans ex scaturigine
Curatæ saginæ.
Charismatum abusibus
Lautescit sedulè,
Inopum & delusibus
Crudescit patulè.
Data spernens magnalia,
Pro vanis æternalia
Facit venalia.
Lambit insontum cruorem,
Tigride ferior:
Maternum linquens amorem,
Fit vrsa sæuior.
Ablactatos, vt Lamia,
Tormenta per truncaria
Discerpens varia.
Multorum belua capitum
Veriùs dicitur,
Monstroq; monstruosius
Portentum creditur:
Auras colens altamine,
Vndas motuum turbine,
Terras cupidine,
Naturam sic trifariam
Infaustè sapiens,
Facturam omnifariam
Sua arte capiens.
Nil reor hanc sub æthere,
Terris, vndis, vel aëre,
Posse effugere.
Orthodoxæ excultricem
Iactat se fidei,
Iniuriarum vltricem
Clamitat se Dei.
Hæc astus sub diploide
Virus propinat callidè
Soboli stolidæ.
Parenthesin ignaniæ
Iniecit regibus,
Synthesinq; concordiæ
Dirupit gregibus.
Sal sparsit in apiculas,
Lupis tradit ouiculas
Carpi pauperculas.
Quadriorbis per spacia
Sic cædes horridæ
Huius Vulpis fallacia
Patrantur callidæ:
Rumpuntur pacis fœdera,
Celerat quiuis reuera
Sæua ad funera.
Regnorum sic dissidiis
Labant respublicæ,
Solantur parricidiis
Vrbes non modicæ:
Pensatur nil proditio,
Papaliq; iudicio
Fit abolitio.
Stuprum & peieratio
Laxantur leuiter.
Frangitur pacis factio
Valdè faciliter:
Dispensantur periuria,
Fraudes & adulteria,
A Romana curia.
Totius hæc nequitiæ
Origo pessima,
Deberet quæ iusticiæ
Fore potissima.
Caput languens & stolidum,
Effecit totum morbidum
Corpus, & olidum.
Victa vilis cupidine
Hæc numulatriæ,
Spreta quauis dulcedine
Cœlestis patriæ,
Nil sapit præter munera:
Falsa sæpè, propter æra,
Commutat in vera.
Xenia hanc deflectere
Iusta iudicia
Docent, iustis complectere
Falsa conuicia.
Vilet ouis absq; vellere,
Nil æquum, ni pro munere,
Valet decernere.
Iam decor omnis exulat
A Syon filia,
Hostis ferus diffibulat
Eius monilia.
Iactura hæc non plangitur:
A quouis namq; quæritur,
Quod suum cernitur.
Zelotes ò iusticiæ,
Iudex æquissime,
Ardorem auariciæ
Pellens nequissimæ,

Pastor pastores respice,
Velle tuum rex vnice
In eis perfice.
Et tuis electam vineam
Trade cultoribus,
Germen qui ferant in eam
Plenum dulcoribus
Nectaris sapidissimi:
Vitalis pastus intimi,
Delicatissimi.
Titanis instar subditos
Illustrent moribus,
Legis faciant præditos
Christi canonibus.
Sic colant agros cordium,
Sentesq; ex iis sordium
Euellant omnium.
Concede, vt Ecclesia
Sancta catholica
Tuæ legis facetia
Recta, veridica,
Autores vites scelerum,
Te solum post legiferum
Carpens iter verum.
Turris tu fortitudinis
Esto debilibus,
Fructum qui te dulcedinis
Spondes flebilibus.
Carnis solutis fletibus,
Solari nos cum cœtibus
Confer cœlestibus.
Imp. Frid. 3. PP. Alex. 6.

Ioannes de Ianduno.

1493. HIc Marsilii Ficini socius erat, & dicebat: quòd Christus ascendens dimisit Ecclesiam suam sine Vicario: & quòd Papa maiorem potestatem cæteris presbyteris non habeat: quodque Cæsari subesse debeat, & ab eo iudicari: de quo vide Baconthorpium sup. 4. Sentent. Imp. Frid. 3. PP. 221. Alex. 6.



Ioannes Abiosus Neapolitanus ex Balneolo.

1493. HIc scripsit vaticinium à Diluuio vsque ad annum Christi 1702. & alia. Imperatore & Papa vt suprà.

Iason in consil. 95. Col. 4.

1494. PApæ (inquit) scandalisanti Ecclesiam licitum est resistere, & non tolerandus, c. & si illa. 1. q. 7. &c. sunt quidam 25. q. 1. Innocentius in c. inquisitionis, de sent. excomm. & in c. quanto. de consuetud. Abbas in c. cùm teneamur. de appellat. Item Hieronymus loquens de Papa in c. non omnes Episcopi. 2. q. 7. dicit, quòd infatuatum Sal ad nil prosit, quàm vt proiiciatur foràs, & à porcis conculcetur.

Idem in consil. 145. 4. n. 3. Vol. 2. affirmat, quòd Papa non possit sine causa quenquam in dignitate constitutum deponere: quia potestas Petro data ad pascendum oues Christi non extenditur ad necandum eas, c. in nouo. 21. dist. Manet enim potentia Petri, dum verè iudicat, & clauis non errat, c. manet.

Hermolaus Barbarus.

1494. ROmæ quidam vixit annos 40. sine cibo, sola aëris inspiratione. Imp. 116. Maximiliano 1. Papa 221. Alex. 6.

Sunt omnes, qui Ecclesiastica munera tenent, iurati, se nihil contra Romanum Pontificem facturos, exceptis solis Venetis, qui hunc Hermolaum Barbarum ac Cardinalem Mularium exilio damnârunt, quod, cùm legationem apud Pontifices Romanos obirent, in collegium Cardinalium cooptari se paterentur iniussi: quod Vergerius proprio edito libello quoque tradidit.

Bapti-

Baptista Panætius in sermone 56.

BAlthasar Cossa, Ioannes 23. postea dictus, Alexandrum 5. Papam veneno sustulit per Marsilium de Parma, medicum: vt ei in papatu succederet. Imp. & PP. V. S.

De Paparum cum Imperatoribus concordiâ.

Imp. 116. Maximiliano primo. PPP. 221. Alexandro VI. 223. Iulio II. & 224. Leone X.

POst mortem Friderici, Maximilianus Imperio, cuius consors legitimo Electorum suffragio patre viuente designatus erat, assumto, infulas illas solennes Cæsarum, cùm facilè posset, suscipere non laborauit: quòd princeps rerum peritissimus eorum, quæ superioribus Imperatoribus fulgore coronæ Romam pellectis accidissent, haud dubiè recordaretur, & pontifices capitales Cæsarum hostes fugiendos esse, statueret. Veruntamen sæpius fraudi sceleratissimorum pontificum, sinceritas optimi Imperatoris subiecta est.

Nam initiò Alexander ille VI. luxuriosissimus & auarissimus tyrannus, qui Zizymum Turcarum regem à fratre Baiazete pulsum, cum perpetuo Christiani nominis opprobrio, ingenti pecuniæ summa vno die viuum & mortuum vendidit: pari pecuniæ cupiditate raptum Annæ Britannicæ, quæ regio ritu Maximiliano desponsata erat, pecunia à Gallo accepta, approbauit: matrimonio, quod inter Maximiliani filiam Margaritam Carolumq; Gallorum regem contractum erat, nefaria dissipatione soluto, & inuito ac contradicente Imperatore: per Raymundum Cardinalem Germaniæ prouincias præcipuas nouis & inauditis expilationibus vexauit: cùm immensa apostolicarum clauium potestate, indulta eius se in mortuorum ante multos annos animas extenderent.

Ab eo vt nomine, sic quoque ordine secundus Iulius, tantis perfidiæ tendiculis Maximilianum circumduxit, quantis pontificum quisquam vllum Imperatorem. Nam cùm ad bellum Venetum, omnium maximum grauissimumq;, inclytum heroëm impulisset, ac is Venetos pontificiæ sedi rebelles, captis eorum præstantissimis vrbibus, ad summam necessitatem adegisset: Iulius, contra fidem Imperatori coram ordinibus Imperii Augustæ sanctissimè datam, ac omnes publicæ honestatis rationes, non tantùm Venetos pacem petentes in gratiam recepit, sed & percusso cum ipsis fœdere, exercitum suum aduersus Cæsarem iniquissimus perfidissimusq; bellator eduxit, cum ea voce, quæ, ipsum non tam Petri, quàm pessimi & impiissimi latronis successorem fuisse, liquidissimè testatetur.

Siquidem (vt memoriæ proditum est) cum exercitu vrbem egrediens, Petri clauem in Tyberim furibundus proiecit, hisce verbis: Quia clauis sancti Petri non ampliùs valet, valeat gladius sancti Pauli: hoc facto, se suosque successores potestate clauium Petro concessa, scelerata dementia priuans, iusque suum omne Tyberino flumini cedens. Non itaque minùs verè, quàm eleganter, in gladium hunc Iulii hoc carmine lusit Vlricus Huttenus:

Ille sui longo successor in ordine Petri,
More nouo tantas res agit, & studio.
Nam neq; pro populis orat, paciq; relictus,
Quod faceret Petrus, sacra fidemq; docet:
Verùm bella mouet, gerit arma, & sanguine gaudet;
Nimirùm Paulum prætulit ille Petro.
Paulus habet gladium, sed non ferit: occidit ille,
At malus hic multis intulit exitium.
Dira venenato soboles latro prodite partu,
Hac Christum, hac sequeris conditione Petrum?

Verùm hanc Pontificis inauditam perfidiam, cum pari impietate coniunctam, Opt. Max. Deus, iustissimus scelerum vindex, non diu impunitam dimisit. Cùm etenim rex Gallorum Ludouicus, Cæsari ex formula fœderis opē ferens, pontificem Venetorum præsidio elatum, omnesq; pacis conditiones respuentē prosequeretur, prælio ipso die Paschatis prope Rauennam commisso, tanta eum clade affecit, vt pacem, quam antè recusauerat, vltrò expeteret: experireturq;, Pontifici non tam gladio, quàm claue Petri belligerandum esse.

Vt verò non diu post hanc cladem, aliasq; cædes innumeras, è rebus humanis exemtus, successorem in pontificatu Leonem X. sic quoq; eundem æmulum pontificiæ perfidiæ habuit. Siquidem cùm ab initio pontificatus, à Gallo alienior, Maximiliani Cæsaris & Sfortiæ Mediolanensium ducis amicitiæ, contra Gallos tunc Mediolano imminentes, studuisset: mox à Francisco Gallorum rege, Heluetiis ad Marignanum cæsis, & Maximiliano Sfortia in potestatem redacto, ad regem Gallorum Franciscum, fœdere Cæsareo violato, venit: ac cùm datum ei esset, vt pragmatica sanctio, nouis conuentionibus in eius locum substitutis, in Gallia aboleretur, fœdera cum Francisco sanxit, eique imperii Constantinopolitani infulas contulit.

Anne hîc magis pontificis de alieno largientis liberalitas, vel perfidia in Imperatorem laudatissimum, Maximilianum laudanda erit? Fertur vulgò Maximilianus, cùm à Leone (nescio in hac

re, vel alia) deceptus fuisset, dixisse Germanice: Iam se verè affirmare posse, quòd nullus Paparum sibi fidem seruauerit: atque Leonem vltimum futurum, cui confideret: idq; vt dictum, sic quoque seruatum ab ipso, rei euentus docuit. Nam paucis pòst annis in profluuiū ventris incidens, spiritum Deo reddidit, anno humanæ salutis millesimo quingentesimo decimonono: piis hac spe relicta, futurum fuisse, vt, qui toties peruersissimis Pontificum strophis elusus esset, de ipsis euertendis pia consilia, in tanta religionis mutatione initurus, atque ad exitum deducturus fuisset. Verùm præmatura morte abreptus, quæ voluisset, Caroli successoris, atque ex filio Philippo nepotis potentiæ reliquit. Schardius ex Nauclero, Mutio, Cuspiniano, Huberto Goltz, Vrsperg. Arnoldo Ferrono & aliis.

Monstrosa.

HOc anno quædam fœmina 22. Octobris Cracouiæ in villa suburbana, cui Nigræ nomen est, monstrum edidit, cætera quidem humana figura, sed collo & auribus leporinis: & pro stomacho, vno grandiore intestino totum ventrem occupante: diducto longè rictu spirans.

Eodem anno Fridericus Imperator obiit: item cum Turcis immaniter grassantibus semel atque iterum conflictatum fuit: item Cracouia horrendi incendii edaci vulcano consumta: Tartarique Podoliam & Volyniam depopulati sunt.

Nec non paulò ante hæc, quædam mulier Cracouiæ in vico ad Spiritum Sanctum enixa est in lucem infantem mortuum & serpentem viuum, qui infantis dorsum penitus ferè depauerat & excauauerat. Chron. Pol. lib. 2. c. 27. Lycosth. Imp. & PP. V. S.

Iacobus Regius.

SCripsit hic ad Maximilianum Imperatorem de Ecclesiæ reformatione: & alia. Imperatore Maximiliano 1. PP. Alex. 6. V. S.

Robertus Gaguinus historiæ Francorum libro primo.

HVius Childerici prosperitate cognità, Basina Thuringiæ Regis vxor, ad Regem Francum, oblita viri, se confert: illecta iuuenis consuetudine. Quæ à Childerico rogata, quamobrem deterso viro alium sequeretur: quia, inquit, communione tua vsa sum: modestiamque, & virtutem tuam sum experta. Quòd si, meliorem te quempiam vsquam terrarum esse, mihi persuasum haberem, illum terra marique indefessa persequerer. Hac libertate sermonis delectatus Childericus, Basinam vxorem, nondum Christo initiatus, accepit: Bisini hospitalitatis beneficentiam minimè recordatus.

Primo itaque nuptiarum concubitu, Basina Childericum admonet, noctem sine re voluptuaria prætereat, foresq; palatii obseruet, & quæ viderit, ad se perferat. Credulus mulieri vir tertiò fores ædium asseruans, ad Basinam visa defert: visos à se in atrio palatii primùm quidem Rhinocerotas, quæ vnicornes appellantur, Leones item, & Leopardos: secundò Vrsos Lupósque furentes non secus, ac si in semet sæuire festinarent: postremò exiguos canes, alternis se morsibus impetentes.

Hæc omnia veluti futuri præscia vates referenti marito explanat: prodituram scilicet ex eorum concubitu variis moribus sobolem: primam, quæ generosa natura foret, Rhinocerotas imitaturam, Vrsis, Lupisque haud dissimilem: alteram, quæ rapinis animum intendat: tertiam, quæ infesto se dente commordens, canum rabiem assumat, & se mutuò laceret, mordeatque, & collidat: donec postremò in nouissimis diebus regnum deficiat. Concepit eadem nocte mulier, & peperit filium nomine Clodoueum, qui primus Regum Franciæ Christi fidem suscepit.

His Basinæ præsagiis gauisus Rex, in maximam spem rapitur venturæ ex præsentibus nuptiis nobilioris familiæ. Deinde aliquot præliis victos Alemannos in potestatem accepit. Multis tandem gestis per annos quatuor & viginti clarus, moriens filio huic Clodouæo regnum reliquit. Per eos dies sanguinis riuus Tholosæ, quam Gothi occupârant, die toto fluxisse visus est. Imp. Max. 1. Alexandro 6. vt suprà.

Idem. Rebus ad hunc modum quietis, Thuronum se contulit (Clodoueus scilicet 1. Rex Franciæ) vbi Anastasii Bizantini Imperatoris legatos audiuit, Imperatorio nomine amicitiam ei offerentes, Romanumque Consulatum. Quo honore affectus Rex, inscenso equo in patentem campum, qui inter diui Martini ædem Thuronumque per tempus erat, proficiscitur: vbi populo varia munera profudit, cunctis acclamantibus: Benè sit Regi, Consulique Romano.

Equi deinde memor, quo in bellis libenter vtebatur, quemque diuo Martino voti reus dicauerat, cùm ingenti pecunia redimi cùm frustra iussisset, nec moueri loco equus scopuli instar potuisset:

tuisset: aureos centum, quos illa ætas solidos appellabat, priori precio adiici iubet: atque ita equo recepto, Bonus, inquit, in negotiis adiutor Martinus est: sed mercede carus. F. A. D. Circ. 500.

Idem libro quarto. Breui pòst mora interiecta, Ludouicus Pius Aquisgrani conuentum habuit Sacerdotum atque Procerum: in eo codicem de ordine & ritu Ecclesiastico condi iubet, quem, per ciuitates & suæ ditionis loca insigniora circumlatum, ab vniuerso clero exscribi & seruari mandauit. Eius codicis author fuit Amalarius Diaconus, florens illâ ætate sacris institutis, & studio literarum. Pontifices verò atque inferioris dignitatis sacerdotes, quos præclaris vestibus per fastum vti, & gemmis compluribus digitos ornare, cognouit, eam pompam deponere, humilibusque indumentis vestiri, & gemma vna tantùm ad dignitatis indiciũ contentos esse, imperauit. F. A. D. 816.

Idem libro septimo. Talem vitæ exitum habuit contemtor omnium hominum Bonifacius, qui Christi præceptorum minimè recordatus, adimere, & conferre magna pro suo arbitrio conabatur: cùm non ignoraret, in eius se loco versari in terris, cuius regnum non de hoc mundo & terrenis rebus, sed de cælestibus esset: quique dolo & malis artibus Romanum Episcopatum quæsiuerat sibi: & Cælestinum, à quo dignitatem receperat, in carcere, dum vixit, habuerat.

Non prætermittam hoc loco scribere, quod constanti fide, per hos dies in Parisiensi agro accidisse, ab historicis accepi. Erat Adam de monasterio vallis Sarnarii Conuersus, cui villa Creches, ad ipsum monasterium pertinens, commissa à loci Abbate fuerat. Hic paucos ante Christi Natalem dies, ad villam sibi creditam, ex cœnobio, ante diei exortum, proficiscens, vno seruo tantùm comitatus, vidit in via proceram arborem, pruinâ geluque albescentem, ad se ocyssimè concedere, qua re equus, cui insidebat Adam, terrefactus, è via prosiliens, vix potuit à Conuerso ad viam reflecti. Eodemque metu affectus seruus, nutare cœpit, ita, vt in pedes stare, & ambulare difficilè posset. Propior Conuerso facta arbor, cùm homini nihil nocuisset, euanuit, aërem, & sulphureum odorem relinquens.

Suspicatus propterea Conuersus, aliquid à Dæmonio illusionis sibi fuisse obiectum, ad superos animam vertens, diuæ Mariæ laudes recitat. Moxque ponè se hominis nigri equitantis effigiem conspicit: aduersus quem Adam indignabundus: Cur, inquit, infelix, mihi audes insultare? cùm mihi habeam in monasterio comprecatores fratres, quibus cura sedula est, me & reliquos à cœnobio absentes Deo & Diuæ Mariæ commendare? Abi, quandoquidem nulla pars tibi mecum est.

Discedens inde ad pauculum tempus Dæmon, protinus Conuerso adstitit, formâ hominis quàm maxima, cui prolixum, & gracile collum erat. Quem se infestantem Adam frustra pugione repellere conatus, videt, confestim illum mutata effigie, mediocri statura esse, & monachi instar cucullo faciem velare: cuius oculi, sicuti æs candens, rutilabant, in quos dum Conuersus gladiolum incassum vibrat, pecudis similitudine visus dæmon, non minor, quàm Asinus auritus apparuit.

Vnde magis timens Seruus, domine, inquit, describe in solo orbem, atque in medio crucem Christi insculpe: in circo enim stantibus nobis nihil aduersabitur inimicus. Fecit igitur Conuersus, sicut à seruo fuerat admonitus. At nec sic destitit impius aduersator. Nam asininas aures in cornua commutauit: atque ad circulum concedens, opprobriis est à Conuerso reprobatus, & sputis contaminatus. Cumque à Seruo eductus Conuersus cruce se signasset: Dæmon in dolii speciem figuratus, se Molerias vicum versùs in Rotæ speciem circumegit: Conuerso illæso relicto.

Huius tam mirandi euentus indicia extiterunt. Inprimis Abbas vallis Sarnarii à Conuerso fidem rei quæsiuit: præterea historiæ scriptor, loci, vbi hæc gesta sunt, inspector: qui equum priùs mansuetum, calcitrantem postea atque ferocientem se vidisse, profitetur. Languor item serui diuturnus: & vestium Conuersi intolerabilis fœtor, & vocis, donec Zingiber desumsit, difficilis emissio. F. A. D. 1044.

Idem. Erat Cardinalis quidam Romanus, Ambianensis appellatus, qui auctor fuerat augendi census & tributi: & seuerè aliquando Carolum, dum adhuc viueret pater, tractauerat. Quam rem tunc recordatus Carolus, ad Sauosium, qui propè astabat: Ecce iam, inquit, Sauosi, de hoc sacerdote liberi erimus. Quo verbo territus Ambianensis, confestim per Duacum Auinionem se recipit, exportato ingenti thesauro, quem sibi ex publico contraxerat.

Illud siquidem nonnunquam compertum est, inter Francos plus damni in rempublicam inuehi, dum Sacerdotis consilio res agitur, quàm cùm prudens aliquis ex seculi nobilitate rebus gerendis præficitur. Ille enim, nescio qua insatiabili ambitione, omnia sibi vendicat: hic populi misertus, & communitatis detrimentum suum esse ratus, reipublicæ benè, vt potest, consulit. Ille fastum & pompam ex dignitate metiens, eò audaciùs diuitias congerit, quò minùs vltionem timet, ecclesiastica libertate protectus: hic autem, opes suas cum republica coniunctas esse, non ignarus, ex publico incommodo priuatum quoque auguratur. Nam qui res suas ex reipublicæ statu considerat, illas sine hac nequaquam posse stare, intelligit.

Idem. Per eos dies, cùm de Romano Pontifice controuersia agitaretur, accessêre ad Regem Bohemiæ Castellæq; oratores, Vrbani partes aduersus Clementem VII. quem Rex sequebatur, defensuri. Quibus per Andegauorum ducem responsum est: Regem non ita affectum Clementi esse, quin veritatem sequi velit: daturum operam, vt Ecclesiæ pax (sedata discordium Pontificum contentione) reddatur. Responso accepto oratores abiêre.

Reuera hæc de Romano pontificatu altercatio, multis incommodis tum alias nationes, cùm Gentem Gallicam vexauit. Nam Cardinales XXX. Clementis caussam secuti, exploratores per Franciam constituerant, qui Ecclesiarum opulentiores prouentus inquirerent, quas, rectoribus vacuas, mox sibi à Clemente obtinebant. Tulit quoque Clemens de vacaturis Ecclesiis legem, quam expectatiuam gratiā appellauit, qua ad adipiscendas à morte possessorum Ecclesias, fas iusque expectanti per Pontificem designato, erat. Solis, ex hac lege, Cardinalibus, & potentioribus viris Ecclesiæ contingebant.

Exigebantur præterea à clero decimæ, & de maioribus Ecclesiis, dum pastoribus orbatæ erant, primi anni prouentus legebantur. Id annatam vocant, quam Cameræ Apostolicæ deberi, Romani contendunt. Neq; id sine ducis Andegaui conscientiā fieri, rumor erat: exactionis siquidem partes capientis.

Eas ob res cùm scholastici non pauci scholam relinquerent, studii Parisiensis Rector concione aduocata, ex consilio doctorum, Ioannem Ronceum Picardum deputat, qui de huiusmodi dispendiis ad Regem, Andegauiumq; ducem habeat orationem. Habita oratione, tanta ira percitus Andegauius est, vt satellitibus, noctu ad cubiculum Ioannis Roncei missis, hominem effractis foribus abductum in vincula coniici, mandauerit. Nec aliter, repetente eum Rectore, exemtus est, quàm vt, Clementi auditurum se, polliceretur. Nisus quoque dux est Rectorem deprehendere: sed re per amicos cognita, Rector aufugit.

Idem lib. 9. Fato quoque suo functus est Nauarræus Rex, Carolus: euentu admiratione digno. Cùm longè senex esset, & calore defecisset, linteo illum insuendum, & aqua, quæ viua dicitur, pertundendum, quidam suaserunt. Eam enim aquam efficacem calefaciendi vim habere, constans opinio est. Hoc suendi ministerium dum sutor noctu exsequitur, filum (eius abrumpendi caussa) ad lucernam admouens, exceptam filo flammam ad linteum, priusquàm animaduerteret, raptim delabi, videt. Nec mora, linteū omne exuritur, miserabiliter vociferāte Nauarræo: qui & die tertio post, continuo dolore maceratus, exstinctus est: plerisque constanter affirmantibus, diuinam esse iram, quæ perfidum Regem digna suis sceleribus pœnā cruciasset. F. A. D. 1355.

Idem lib. 9. Per id tempus, sedens apud Auinionem Innocentius VII. qui raram, nisi ex Franciæ regno, obedientiam erat consecutus, Cardinales XXX. ordinauerat, quibus grandis sumtus opus esset: ideoq; diui Nichasii Remensis abbate in Franciam misso, dimidiatā omnium ecclesiarū partem exigere conabatur, cui cœpto Scholastici Academiæ Parisiensis restiterunt: missis ad Carolum oratoribus, qui, pontificis edictum haud æquum esse, persuaderent. Audita Scholasticorum querela, Rex exportare regno pecuniam vetat: & Ecclesiarum prouentus in tres partes distribui, iubet: vnam in Ecclesiarum instaurationem: alteram dissoluendis earum obligationibus & debitis: tertiam quotidianis ministrorum vsibus assignauit. Simulq; de his rebus Arnoldum Corbium ad pontificem legat. Pontifex autem edicti pœnitens, ab exactione destitit.

Ibidem. Carolo Duci Aurel. vt est à nobis memoratum, mentis impoti, duo ex ordine Augustinensium fratres mederi se posse, iactauerunt. Quod quia gratum quàm plurimis erat, ad valetudinarium Regem introducti, capiti aliquot incisionibus factis, ex impotente moribundum reddiderunt. Idcircò comprehensi cùm, se medicinæ prorsus nescios esse, confiterentur: ex prudentum consilio, sacerdotii dignitate exutos carnifex capite truncauit. Quos ad id scelus excitasse Philippum Burgundum, fama vulgauit: propterea, quòd Ludouicus Aurelianus, Ioannem Barrensem (qui Burgundi studio ducebatur, & magus erat) igne comburi procurasset.

Idem. Per eos dies, non procul à sancto Dionysio, visum est monstrum biceps, tres oculos, & linguas duas habens. Dedit præterea suum prodigium æther. Nam ex Cardinalis monachi collegio, per summam cœli serenitatem, visus est ignis super ciuitatē Parisiorū à porta in portam circumferri.

Idem. Plerique enim rerum administrationem Principes pro ludo habent, & quanti sua libidines constent, non considerant: quod euenire iis solet, quibus populi marsupia ærarium sunt.

Idem. Inter cætera, quæ fecit Benedictus decimustertius, Francorum regi Carolo sexto decimas Ecclesiasticas dedit: partim vt rex illum defenderet, partim vt ingentis eius lucri particeps & ipse fieret. Mediam partem Ecclesiasticorum prouentuum per Galliam & Angliam petens, repulsam passus est.

Pragmaticæ sanctionis capita ex Gaguini Annalium Franc. lib X. exscripta.

CVm Brugis seditio exorta esset, Carolus apud Bituriges conuentu habito, pragmaticam sanctionem, ad insequentem modum, Basiliensis Concilii ductus autoritate, condidit. Apud Basileam, Eugenii IIII. Romani Pontificis assensu, congregato concilio, ii, quibus Ecclesiasticam tueri dignitatem mandatum erat, leges, communi omnium sententia, ritè digestas sanxerunt: quas à Carolo admitti, missis eius rei causa oratoribus, petierunt. Legum hæc capita fuere.

I. Romanus Pontifex quoque decennio generalem synodum in loco, quem volet, posthac con-

gregato. Si negligens erit, potestas esto Patribus, id designandi. Conuocati Concilii locum, nisi necessum erit, Pontifex non mutato.

II. Basiliensis concionis autoritas, & ipsius decretorum constantia perpetua esto: eaque nemo vnquam, nec ipse Romanus pontifex, tollere, infirmare, aut transferre præsumito.

III. Romanus pontifex maiores Ecclesias, Metropoles scilicet atq; episcopales, collegiatasq;, aut eas quibus Abbates præficiuntur, & ecclesiasticas dignitates, quæ per electionem sibi deligere rectorem consueuerunt, nemini reseruato: præter eas, quæ iure scripto, vel Romani principatus causa, ipsi permittuntur. Huic decreto nemo contrauenito. Si intercedet causa præter legem faciendi, id Apostolicis rescriptis exprimito. Idque, dum ad pontificatum quispiam assumetur, se seruaturum, iurato.

IV. Ecclesia Pastore destituta, ii, penes quos est eligendi potestas, die & loco definito conueniunto: peccatorum suorum confessionem agunto: & Eucharistiam sumunto. Mox considentes, præmisso iureiurando, non negligenter, non dolosè, non timidè, eum, qui gerendæ dignitati sit idoneus, eligunto. Principibus fas non esto, pro quopiam commendando molestis precibus, aut violenta comminatione premere aut cogere electores.

V. Electionis formam & electi merita confirmatores prælati inquirunto. Scribæ, notarii moderatum salarium accipiunto.

VI. Romanus Pontifex, quem sanctitatis normam præ se ferre oportet, huic sanctioni nequaquam derogato. Si contemnet, & inde scandalum exurgat, ad subsequens vniuersale concilium deferatur.

VII. Electiones, tametsi pro canonum autoritate legitimæ esse videbuntur, si inde aut Ecclesia, aut patria, vel respublica turbari formidabitur, cùm huiusmodi electio ad Romanum Pontificem fortè refertur, & ea diligenter examinata nulla dici merebitur, alteram electionem iis, quorum refert, indicito. Electum verò confirmari aut benedici ab alio, quàm ab eo, qui sine medio electo superior est, fas non esto. Si in pontificis curia præsens electus erit, à pontifice benedictionem, si volet, recipito. Iuramentum postea suum præstato. Secus qui faciet, centum aureorum mulcta eun. castigato.

VIII. Vniuersali synodo, eiusque definitionibus & decretis omnis catholicus, etiam Romanus Pontifex, cátenus obedito, quatenus fides & schismatum explodenda seditio postulat.

IX. Quæ synodus, sancto Spiritu autore vocata, consedit, eam, sicuti Constantianæ Concionis patres diffiniêre, à Christo Deo, autoritatem prótenus obtinere, creditor.

X. Ecclesiis Dei eos sacerdotes & pastores præficito, qui doctrina sint & vita illustres, vt creditum sibi populum solicitè instituant, & Deo obedientem gratumq; reddant.

XI. Expectatiuis præterea gratiis, vnde plurima oriri mala constat, locum esse non sinito.

XII. Beneficia (viuo eorum rectore) nemini reseruato. Cùm autem administratore vacabunt: eorum, quibus conferre oportebit, mores & merita, graduati ne sint an secus, cognoscito.

XIII. Decretum de Theologo, per quasque Metropoles præbendando, ad episcopales quoque Ecclesias extendito: vt in illis præbenda Theologo conferatur, qui in aliqua generali Academia decennem literis opem nauauit. Beneficio donatus verbum Dei prædicato: & per quasque hebdomadas semel atque iterum sacras literas audire volentibus explanato. Negligenti quotidiana Ecclesiæ stipendia subtrahito.

XIIII. Porrò de iis, qui gradu alicuius disciplinæ prouecti sunt, hunc ordinem obseruato. Primum post hanc sanctionem vacuum possessore beneficium Doctori, vel Licentiato Baccalaureo conferto: duo deinceps, quæ rectore carebunt, bene merentibus clericis concedito. Quod his duobus succesiuum erit, illud graduatus obtineto. Igitur scholastici gradu insignes sua nomina beneficiorum collatoribus, dum quadragesima agitur, scripta quotannis tradunto.

Beneficiorum, præter hoc decretum, collatio facta inanis esto.

E locis, quæ ab vrbe quatuor dierum itinere distant, in ius vocare Romam, nisi in maioribus causis, fas non esto.

Qui damno aut iniuria grauabitur, ad eum, qui proximus est superior, appellato: si tale est damnum, quod per eius sententiam restitui possit. Alióqui, nisi ad Romanam Ecclesiam iudex per exemtionem pertinebit, causam definiendam ad eum, qui eiusdem regionis est, iudicem (si metus abest) pontifex committito.

A grauamine aut interlocutione iudicis secundò non prouocato.

Eum, qui frustra atque inaniter ante latam sententiam appellat, quindecim florenis, præter cæteras litis impensas, mulctato.

Triennem alicuius beneficii, & quietum possessorem non turbato: nisi hostilitate, metu, vel graui impedimento tardatus fueris, ne per triennium impetere potueris posidentem.

Cardinales XXIIII. tantùm, diuina & humana scientia eruditos, annorum XXX. boni nominis, & generis legitimi, qui reipub. consulere possint Christianæ, Pontifex de suorum fratrum consilio præficito.

De dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis quibusuis, collatis aut conferendis, nihil prorsus, sed neque annatam, neque fructuum primitias, neque (vt vulgò dicitur) deportum ponitex exigito.

Notariis & scribis mercedem, qui beneficium recipit, soluito. Huius decreti præuaricatori pœnam simoniacis debitam infligito. Nihil præterea iuris aut tituli in beneficiis, contra hanc prohibitionem impetratis, sibi acquisitum, intelligat.

Clerici, qui Ecclesiarum & diuini cultus obsequiis deputantur, rem omnem diuinam, & Dei laudes sanctè, distinctè, & grauiter celebranto. Ad IESV nomen caput reuerenter demittunto. Decanos & reliquos per Ecclesias præfectos, huius statuti præuaricatores castigato.

Consuetudinem, quâ inductum est, eum, qui in aliqua horarum choro abfuerit, omnium distributionum participem esse, tollito. Idq; & ad Decanos & præpositos, qui suarum prætextu dignitatum, rei diuinæ non assunt, extendito.

Quos noueris, dum res diuina agitur, per Ecclesiam, aut iuxta illam deambulare aut confabulari, totius diei, quo hoc fecerint, distributionibus priuato. Iterum verò in hoc ipso delinquentes vnius mensis stipendiis mulctato.

Tabulam, vbi designentur ii, qui definitis hebdomadibus sua officia exequi debebunt, in choro appendito. Negligenti totius diei stipem denegato. Fidei symbolum non truncato, sed ad verbum absolutè decantato.

Camœnas vulgi in Ecclesia canere laicos, prohibeto.

Rem diuinam (quam Missam appellamus) sine ministro nunquam celebrato. Dum eam facis, vocem exaltato, quæ à circumstantibus exaudiri possit. Secus agentem corripito.

Canonici, qui se creditoribus obnoxios ita constituunt, vt statuto die debito se non absoluerint, interdicto rei diuinæ cohibentor, & à stipendiis Ecclesiæ toto trimestri abstinento. Nec quicquam inde, quàm diu diuinis abstinebunt, percipiunto.

Solennibus diebus, dum maior missa fieri debet, capitulum non cogito: per integram alioquin hebdomadam transgressores quotidiana stipe priuato.

Spectacula, ludos, comessationes, choreas, nundinationes, ludibria, & laruatas personas ab Ecclesiis & sacris locis arceto. Contemtorem clerum trimestri prouentu abstinere iubeto: reliquos censura ecclesiastica cohibeto.

Clerico cuiusuis status, concubinam fouenti, à secunda huius sanctionis promulgatione non resipiscenti, beneficiorum suorum perceptionem menses tres interdicito, & eos fructus in Ecclesiarum, vnde percipiuntur, vtilitatem impendito. Hanc autem constitutionem in synodis & capitulis promulgari quotannis, imperato. Nec minùs laicos admoneto, nullam præter legitimam vxorem, turpi copula contingere.

Excommunicatos ante latam sententiam, & reuera denunciatam, non vitato, nisi tam notoria excommunicatio erit, quæ non valeat ignorari.

Nulli omninò genti, communitati, vel loco, vel sacris interdicito: nisi per semet, aut per priuatos, aut officiales, id est, per suos magistratus culpam admiserit. Iniquum siquidem est, ob vniuscuiusque priuati hominis delictum, ferire insontes.

Nullius literis, quibus, quempiam beneficio aut suo iure se abdicasse, narratur, nisi testibus aut fideli documento, id factum esse, constet, credito.

Hæc cùm Carolus satis enucleata digestaq; esse comperisset, indicto apud Bituriges concilio, Pragmaticam (quam vocant) sanctionem tulit, eamque in Parlamenti senatu promulgari mandat, anno Christianæ salutis CCCCXXXVIII. supra millesimum, nonis Iulii. Quam Regiam (auctoritate Basiliensis synodi) factam constitutionem, qui deinceps fuêre Romani Pontifices, non secus ac perniciosam hæresim execrati sunt, quòd eam nemo pontificum, dissoluto Basiliensi conuentu, probauerit.

Vetustissima enim contentio de Vniuersali concilio & Romano Pontifice, vtrum maius sit, hactenus inter Ecclesiasticos perseuerat. Quod, mea sententia, factum est, vt generales synodos cogere Pontifices detrectent, formidantes, suam tam latè patentem (ne dicam vsurpatam) auctoritatem conciliorum decretis cohiberi. Itaque ea est hodie illorum sublimitas & amplitudo, vt parui habitis regibus, licere sibi omnia, glorientur. Neque quispiam ad pontificatum mediæ atatis venit, qui dignitate adepta, non statim suos nepotes magnis opibus & principatu donauerit.

Qualiter hæc pragmatica sanctio iterum, & quibus Papalibus artibus fuerit sublata, videcetiam suprà anno 1467.

VVernerus Rollwinck, Pastor Hofensis in Fasciculo Temporum.

QVidam Legatus à latere missus, cum Iubilæo & maximis indulgentiis, à Papa Innocentio, cùm Norimbergæ moram duceret, Doctor Theodoricus Morung, Canonicus Bambergensis, Herbipolensis, & Eystatensis, collegiatarum Ecclesiarum, bullis contradixit papalibus in eo, quòd Papa non haberet animabus in purgatorio annum Iubilæum impertiri, nisi per modum suffragii. Et idem Norimbergam veniens, in egressu ad Herbipolin, circa Norimbergam, capitur per clientes Marchionis Friderici, & vulneratus ducitur in Kadlspergk.

Absoluit Legatus clientes & ad manus Sanctissimi eundem Doctorem captiuum tenuit, committendo ipsum dicto Principi. Tandem etiam ipsum inhabilitauit propter libellum famosum (quem passionem Sacerdotum, sub Principe Marchione Alberto, patre dicti Friderici, intitulauerat) editum tempore persecutionis sacerdotum, sub Principe Illustri Marchione Alberto, ex parte cuiusdam steuræ, quam ab eis aliquatenus exegit idem Princeps in suo districtu: qui libellus per eundem Doctorem confectus fuisse dicebatur. Etiam propterea, quòd Papalibus bullis contradixit, & quòd sacrilegus incantator, & quòd sub laici vestitu nocturno tempore armatus, vt cliens equestris, incessit. Et hic Doctor captus tenebatur adhuc anno 1494. circa festum Michaëlis, incarceratus à Marchione Friderico in quodam castro Rauhenculm.

Iste Legatus, nomine Raymundus Pegerandi, Doctor Sacræ Theologiæ, Francigena, missus ad Franciam & Alemanniam, Iubilæum posuit ad diœceses, & ciuitates, & oppida per Alemanniam. At dum Bambergæ anno 89. Iubilæum posuisset, Licentiatum Ioannem Groman de Munchpergk, qui secum Parisiis steterat, commissarium per diœcesin Bambergensem, ad prædicandum Iubilæum, misit.

Hic Licentiatus S. Theologiæ, & Parisiensis Magister Ioannes Groman, posuit Iubilæum in Hof, oppido, vbi ego eram pastor, die omnium Sanctorum: & durauit per mensis spacium. Ordinauit quindecim confessores in Capellâ Sancti Michaëlis, erexit crucem, & posuit capsam, & in singulis diebus prædicauit per se, vel per alium. Confessionalia distribuit, vnum pro 70. nummis Franconicis, in quibus nullus casus fuit exceptus, nisi aliquis reseruandus Papæ. Septem Ecclesias ordinauit, ad instar septem capitalium ecclesiarum in Curia, & penes trecentos florenos collegit in capsam: & penes 600. confessionalia distribuit per alium in domo dominorum.

Sed tota pecunia collecta, fuit surrepta in Cronach, & Freyburg: in Cronach à filio rustici: & in Freyburg à Pastore, quos ambos diabolus visibiliter in forma hominis & canis adiuuit: qui capti, & factum confessi, dirissimè interfecti sunt. Imp. & PP. V. S.

Idem. Conscientia pura secundū timorem Dei olim in prælatis vigens, Ecclesiam Christi laudabiliter vita & exemplo rexit & prouexit. Dehinc successu temporis, cùm iam Ecclesia in temporalibus abundare cœpisset, oblitâ quodammodo conscientiâ, scientia, quæ inflare solet, multos in Ecclesia præsidere fecit: qui sacram Scripturam diuersis versutiis pallíantes, iustitias Domini rectas, quæ cor lætificare consueuerunt, propter delicias carnis falsificare non timebant, multas hæreses & sectas seminabant, & plura beneficia pinguia per Papam dispensando cumulabant. Verùm tamen aliqui, licet pauci, cum scientia retinentes conscientiā puram, & scientia sancta illuminati, multos ad iustitiam erudierunt, qui iam quasi splendor firmamenti in æterna felicitate rutilare creduntur.

Sed (heu) nephandis his temporibus solùm entia sponsam Christi gubernare videmus, per sonas videlicet conscientia scientiaque carentes, & velut entia insensibilia, nec Deum nec sanctos eius verentes, beneficia super beneficia sibi vsurpare. Et quod plus est, videmus, vilissimos quosque laicos parochias, & monasteria, & (quod nephas est dicere) oblationes altarium amodiare. Hinc patrimonium Christi solis ministris eius deputatum, & pauperibus distribuendum, in vsus deuenit tyrannorum, & meretricum: ecclesiæ & monasteria sacra in loca deserta rediguntur: hinc guerræ mortiferæ, destructiones ciuitatum & regnorum, mortes innocentium lamentabiles, & mala infinita nunc facta cernimus: quæ omnia ex pompa Episcoporum, & insatiabilium auaritia prælatorum detestanda processisse, cognouimus.

Idem. Determinauit quædam sancta Synodus, quòd concilium legitimè congregatum repræsentat Ecclesiam vniuersalem, & potestatem habet à Christo immediatè, cui omnis status, etiam papalis, obedire teneatur in his, quæ sunt ad generalem reformationem Ecclesiæ, scilicet in fide & moribus, tam in capite quàm in membris. Item, quòd deinceps concilium de decennio deberet celebrari, & plura alia bona.

Idem Terræmotus maximi fuêre per diuersa loca. Et Basilea tota cecidit 1356. cum multis castris in circuitu. Tunc homines velut bestiæ in syluis cōmorabantur, nec ciuitates intrare audebant. Bella etiam plura, & pestilentiæ, & fames fuerunt. Terra in multis locis aquam albam & fœtentem euomuit, quæ castra & loca fortia casui dedit. Tempora insuper periculosa, propter hæreses & sectas plures, & superbia & iniquitas nimis inualuit: & populus curiosus & leuis nimis. Vnde in libro beatæ Brigittæ 1. cap. 45. dicitur, quòd secundum rigorem iustitiæ mundus meritò deberet perire: quia peior est quàm tempore diluuii: sed precibus sanctorum misericorditer parcitur ei.

Idem. Dionysius Siculus tyrannus pessimus de Sicilia expellitur. Hic erat discipulus Platonis: sed non imitator.

Quodam tempore vidua quædam paupercula pro ipso diis immolabat, obsecrans, quatenus diutius viueret: ipso retrò stante secretiùs, & admirante. Completo autem sacrificio, accersitam interrogans, ait, cur sic pro me oras, qui semper tibi molestus fui? Illa respondit: domine, auus vester tyrannus fuit, & vaccam vnam mihi abstulit, & non retinui nisi tres: rogauique deos, vt moreretur, si fortè ipso defuncto, filius eius, pater vester, mihi eam restitueret? sed ille peior, nedum illam retinuit, imò vnam similiter abstulit, & non remanserunt mihi nisi duæ: iterum precata sum contra eum, vt moreretur, sperans, à vobis mihi restitui vaccas meas: Vos autem pessimus omnium nihil mihi reddidistis: insuper etiam afflictam afflixistis, vnam auferendo. Timui ergò, ne post mortem vestram adhuc crudelior veniret, qui hanc similiter auferat, & fame moriar. Ideo deos exoraui pro vita vestra: infeliciter experta, quòd penè continuè res in deterius dilabuntur.

Idem. Cluniacensium ordo patrum, quasi stella matutina in medio nebulosæ tempestatis huius & scandalosæ, in magna humilitate & feruore rutilare cœpit, atque proficere per Adonem monachum virum sanctum, ac cæteros quàm plures æquè perfectos. Hi primi ordinis sanctissimi patris Benedicti, qui iam in plerisque locis cecidit, reformatores extiterunt.

Et nota, quòd diuitiæ fuerunt sæpius causa casus huius ordinis sacri, & paupertas reformationis: deuotio namque peperit diuitias, sed (heu) filia suffocauit matrem. O abyssus imperscrutabilis iudiciorum Dei: ecce, tam in imperio quàm in papatu altercatione scandolosa tenebrescente, exortum est hic in tenebris lumen rectis corde.

Idem. Heu heu Domine Deus, quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? qualia contigisse circa hæc tempora, etiam in sancta sede apostolica, quam vsque huc tanto zelo custodisti, legimus scandala? quales contentiones & æmulationes, sectæ, inuidiæ, ambitiones, intrusiones, persecutiones? O tempus pessimum, in quo defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum.

Veruntamen post hæc tempora ferunt multi sancti Papæ: sed non sic continuè, & in tanto numero, sicut in præcedentibus. Eia quis conuentus? quæ congregatio? quis homo iam securus erit, si sic defecit sanctitas primitiua?



Idem. Ignis cecidit de cœlo, & iris magna apparuit, vt putarent homines, consummationem seculi aduenisse: & signa ingentia fuerunt, ita vt arescerent viuentes præ timore, propter tonitrua & fulgura, & ictus eorum maximos, & aquarum inundationes incomparabiliter excelsiuas, & periit innumera hominum & animalium multitudo, & sequitur pestilentia grauissima cum signo iræ Dei.

Cunctis visibiliter apparuit, quòd vnus angelus bonus, & vnus malus Romam nocte circuirunt: & quot vicibus domus aliqua percutiebatur, tot ex ea sequenti die interibant. Tot tunc moriebantur, vt etiam parentes cum filiis, fratres cum sororibus vnanimites in feretro positi, ad tumulum portarentur.

Sæpè huiusmodi signa ostendit Dominus piissimus ad terrorem peccatorum, sed vtinam exemplis aliorum terreremur, vt à peccatis desisteremus. Dicunt tamen quidam, quòd hæc pestilentia facta sit tempore Benedicti secundi.

Idem. Imperium Romanorum circa hæc tempora vbique in orbe terrarum cœpit deficere irrecuperabiliter. Nam in Oriente Saraceni, & in Occidente Gothi dominia assumserunt, & deinceps retinuerunt. Item Saraceni de exercitu Imperatoris interfecerunt 150000. pugnatorum. Et hoc iterum maximum habemus exemplum, quòd nihil stabile est sub Sole quando etiam tanta defecit potestas & prudentia. Causa huius diuersimodè assignatur. Quidam dicunt, quòd hoc fecit insatiabilis Romanorum auaritia, qui sibi subditas nationes iugo seruitutis intolerabili opprimebant,

bant, quod omnibus principibus & prælatis timendum est: quia, quàm diu Romani oderunt auaritiam, & dilexerunt æquitatem, dominium orbis habuerunt.

Alii dicunt, quòd hæresis Orientalium hoc fecit, vbi communiter Imperatores habitabant: & sæpè cum peruersis peruersi facti sunt, nec est quicquã, quod ita nequeat occasui subiacere, quàm vera religio. Sed neque in principe aliquid lucidius, quàm recta fides.

Aliqui dicunt, quòd causa huius defectus fuit superbia dominorum, qui subiectos despiciebant, canes aut asinos nuncupando vel similiter: propter quod pudore & dolore incitati, erexerunt se, & fecerunt quod cernimus.

Fortè omnes hæc simul sunt vna causa: quia per quod aliquid nascitur, per eius oppositum destruitur. Et sic iam omnes quatuor monarchiæ defecerunt, & non restat alia, nisi Antichristi, cuius aduentum Deus nouit. Interim dominia hinc inde diuersimodè variantur in particulari.

Idem. Antiochia subuertitur per angelum Dei, qui in veste alba apparuit: & tantùm vnus vir, eleemosynis vacans, liberatus fuit. Quidam dicunt, quòd medietas ciuitatis subruta fuit, & aliam eius medietatem vir ille precibus suis saluauit.

Idem. Tempore Christi exosum fuit nomen Christianum apud Idololatras, & maximè apud Pontifices & sacerdotes templorum, qui principes & populum prouocabant aduersus Christi fideles: quia viderunt, quòd STATVS & QVÆSTVS eorum diminuebatur, & ad contemtum esset venturus tantus fastus eorum. Annón idem etiam tempore Lutheri, cùm ille statum & quæstum illorum in indulgentiis & aliis tangeret, contigit?

Idem. Mons quidam maximus in Burgundia inferiori diuiditur, & currit per multa milliaria, & quinque millia hominum suffocauit: & tandem ad alios montes accessit mirabiliter, anno 1214.

Idem. Pestilentia sacri ignis. Et puer quidam liberatus ab igne, omnem historiam mundi, textum Euangelii, actus Apostolorum, &c. tanquam in libro legeret, aliis pronunciauit, anno 1444.

Idem. Contra pluralitatem beneficiorum facta est illa solennis disputatio Parisiis anno Domini 1238. in qua determinatum est per sanctos doctores, quòd nemo sine periculo peccati mortalis tenere potest duo beneficia, quorum alterum sufficeret ad sustentationem suam, &c. Et quidam, quos auaritia excæcauit, aliter opinati fecerunt contrarium, quos flagellum diuinæ iustitiæ horribiliter damnauit, & puniuit.

Idem. Soles duo apparuerunt. Terræmotus magnus fuit. Stella per diem fulgurauit. In Italia pluit sanguine. In Antiochia terra absorbuit plura ædificia.



Et porcellus nascitur cum capite humano. Pullus nascitur quadrupes. Et mulier quædam enixa fuit monstrum, antè sicut homo, retrò facies canis, & cætera membra.

Idem. Iudæus quidam in Hispania apud Toletum fodiendo inuenit lapidem, in quo erat liber vetustissimus, & scriptum in eo: In tertio mundo filius Dei nascetur de virgine Maria, & pro salute hominum patietur: & quòd liber deberet inueniri isto tempore, scilicet Ferandi virginis Castellæ. Et statim Iudæus baptizatur cum omni familia sua, anno 1224.

Ibidem. Heu, heu, vbi mansit antiquorum Romanorum tanta probitas, strenuitas, legalitas, ac incomparabilis prudentia, & honestas? Siquidem hoc tempore imperium ad manus stultorum deuenit. Nota, quòd stultus, si se stultum putat, adhuc aliquid de lumine naturalis intelligentiæ habet: sed si se sapientem æstimat, tunc completa est stulticia eius, nec erudiri potest, sed sapientes persequitur, similesque sibi sociat.

Idem. Eleazarus summus Pontifex Prolomæo Philadelpho Regi misit ex qualibet tribu sex, hoc est 72. doctos viros, ad interpretationem Bibliorum. Quod autem 70. tantùm aliquando dicuntur fuisse, vsus sacræ Scripturæ ita obtinet, vt quandoque numerum paruum obticeat, nominato maiore.

Idem

Idem. Monstrum habens caput caninum, & cætera membra sicut homo, præsentabatur Ludouico: & bene potuit monstruosum statum significare huius temporis, vbi homines sine capite, quasi canes latrando, hinc inde vacillabant.

Idem. Fides (inquit) tunc valdè deficere cœpit: & clerici maleficiis erant dediti, consurgentibus sectis, anno 930.

Idem. Anno Domini 1323. Dominicani pro suo purgatorio, ac nundinis Missarum cuiusdam Guidonis spiritum præstigiabant in ciuitate Alesti propè curiam Papæ.

Idem. Inter omnes Iuristas modernos solus Iuo Britto, doctor iuris sanctus computatur.

Idem. Ludouicus IIII. fuit dux Bauariæ, & contemsit coronationem domini Papæ. Quapropter ab eo depositus est, anno 1304.

Idem. Manfredum Siciliæ Regem excommunicabat Papa, quia libros aduersus fratres mendicantes habebat, anno 1260.

Idem. Nicolaus de Lyra, doctor Theologiæ, clarus habetur Parisiis. Hic fuit Iudæus natione, conuersus autem valdè profecit in ordine Minorum: scripsit super tota Biblia, & alia. Et fuit anno Domini 1330. Vide in libris suis. Alii dicunt, quòd fuit de Brabantia, de parentibus Christianis, sed ob paupertatem visitauit scholas Iudæorum, & sic didicit linguam illam. Vel iste Nicolaus à Iudæis informatus est in pueritia.

Idem. Visio flebilis facta cuidam eremitæ in præsentia domini Innocentii Papæ 6. dum adhuc Cardinalis esset, vnde aiebat: Vidi animas in infernum descendere sicut niues densissimas: sed ad Paradisum tantùm tres vidi introire, scilicet illius Episcopi, ac illius Viduæ Romanæ, & illius Prioris Carthusiensis: quæ omnia sic pòst reperit vera, & ex tunc maximam deuotionem erga viros religiosos habuit, & præcipuè Cluniacenses, & Carthusienses.

Idem. Ab Vrbano VI. vsque ad Martinum quintum nescio quis fuerit Papa?

Idem. Circa tempus Natiuitatis Christi tres Soles apparuerunt in cœlo versus orientem, qui paulatim in vnum corpus solare redacti sunt. Grande spectaculum grandia præfigurauit: quasi Asia, Africa, & Europa sub vna monarchia statim coniungi deberent: item quòd dominium L. Antonii & Marci Antonii in vnum rediret. Sed potiùs notitia vnius & trini Dei toti orbi futura imminebat.

Idem. Isti octo Pontifices successiuè sequentes, breui tempore sederunt. Nescio aliquid notabile de ipsis dicere: quia non nisi scandalosa de his reperi, propter inauditam in sancta sede apostolica contentionem vnius contra alium, & simul contra se mutuò.

Idem. Pompeius semper victoriosus 22. reges subegit, tandem postquàm templum prophanàsset, nunquam postea dicitur pugnasse, qui n vinceretur. Similiter non longè pòst Crassus præses Syriæ, templum etiam ausus est spoliare, quod Pompeius non fecit, & ob hoc, auro in os eius fuso, interiit. Sic pereant inimici tui, Domine.

Idem. Anno ante Christi natiuitatem 715. Roma in monte Palatino à gemellis condita est, velut secunda Babylonia. Verùm tempore paupertatis nusquam alter locus ea sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: & quantò rerum minus habuit, tantò minus cupiditatis habebat. Pòst diuitiæ auaritiam, & luxuriam induxerunt.

Idem. Bonifacius octauus fuit vir in his, quæ ad curiam pertinent, experientissimus. Et quia parem non habuit prudentiæ suæ, vltra modum in tantam arrogantiam exexit seipsum, vt dominum totius mundi se diceret, tam in temporalibus quàm in Spiritualibus. Et multa magnificè fecit, quæ in fine miserabiliter defecerunt. Dedit que exemplum cunctis prælatis, ne alta saperent, sed forma facti gregis magis studerent amari à subditis, quàm timeri. Hic est, de quo dicitur, quòd intrauit vt vulpes, vixit vt Leo, & moritur vt canis, &c. Sepultus est Romæ.

Idem. Victor multos simoniacos deposuit in concilio Florentino, & etiam fornicarios. De pluralitate beneficiorum, quæ circa hæc tempora nimis inualuisse videtur, & deinceps continuata, multumque dolenda ambitione prælatorum & simoniaca labe, quàm plurima scripta sanctorum patrum habentur, detestantia abusiones istas. Et nota, quòd facilè inuenti sunt pauperes clerici & doctores, qui pluralitatem beneficiorum, & pompam Ecclesiasticorum reprehenderunt, donec offerret se occasio participandi: qua accepta communiter auaritia excæcauit eos.

Fertur de quodam magistro magnæ literaturæ, qui valdè sublimiter disputauit contra diuitias prælatorum, & fastum eorum, quasi omninò sic viuere non liceret, &c. Hæc cùm nunciata domino Papæ fuissent, plausibiliter respondit: demus ei bonam præposituram, atque hæc & illa beneficia: & bene pacatus erit. Factum est ita: & ecce, protinus sententiam mutauit, dicens: nunquam intellexi materiam hanc, præter modò: quippe qui ex inope diues, de contemtibili repentè gloriosus apparuerat.

Hos beatus Hieronymus velut pestes quasdam contagiosas vitandos pronunciat. Dixit quidam notabile verbum: Qui habet vnum beneficium competens, & eo legitimè vtitur, vtroque oculo ad patriam tendit: qui vnum superaddit, vno oculo conscientiæ priuatur: qui aliquid adhuc plus acceptat, etiam altero lumine priuatus, totaliter excæcatus, & deinceps quæcunque poterit, concupiscit.

Hanc

Hanc maledictionem insatiabilis auaritiæ olim præsignabat Ieroboam Rex Israel, qui licet diuinitus ad regnum peruenerat, statim tamen à cultu Dei recessit: fecitque duos vitulos aureos, ne populus Israël ad templum Domini ascenderet. Factum autem est hoc verbum in peccatum, ita vt omnes sequentes reges hunc cultum sacrilegum obseruarent, in destructionem regni.

Ita de Ecclesiastico statu timendum esse, sancti viri communiter asseuerant, & iam in pluribus mundi partibus completum cernimus. Clerici qui nihil possidere deberent, præter rationabilem competentiam, neque se de temporalibus intromittere, omnia possidere, omnia volunt gubernare. Idcirco (vt beatus Bernhardus dicit) quia ordinem nullum seruant, illuc properant, vbi sempiternus horror inhabitat. Olim Pharisæi contra auaritiam disputantem Dominum deridebant, & insanum iudicabant: sed nunc Dominus subsannat eos.

Caueas Lector, qui multa occupas beneficia, ne idem facias, atque eadem patiaris. Deus non irridetur: sed quæ seminauerit homo, hæc & metet. Noli sequi consuetudinem periculosam. Noli te per Papæ dispensationem excusare. Ad oculum vides, quòd vituli aurei adorantur: sed cæteri mactantur. Sed quæ necessitas, quæ reuerentia est in hoc Deo exhibita, quòd de numero ministrorum eius propemodum medietas est resecata? Si enim cuilibet beneficio permitteretur dari suus possessor, numerus seruorum Dei esset duplex, qui modò est simplex. Sequere consilium eorum, qui Deo iam in cœlestibus coniuncti sunt, ne cum vitulis aureis æterno igne confleris. Quid prodest vltrà prohibitos beneficiorum titulos coadunare, quando etiam communiter videmus, simplices in frugali honestate ampliùs abundare?

Iacobus Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicorum. 1494.

Apostoli & discipuli omnes post Ascensionem Domini (sicut Euang. Lucas in actibus Apostolorum meminit) à monte Oliueti regressi, statim venerunt Hierosolymam, & ascenderunt in cœnaculum, vbi manebat Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.

Hi namque in oratione vnanimiter perseuerantes, cum mulieribus & Maria matre Iesu ac fratribus eius, scholam omnium virtutum confestim construxerunt: meditantes scil. in lege Domini, ac mandatorum eius, die ac nocte, donec induerentur virtute ex alto. Tuncque Dominum nostrum Iesum Christum orare primùm cœperunt, cum quo dudum conuersantes, virtutibus illius ac miraculis pascebantur.

Eo itaque loco nihil hæsitantes in oratione perseuerauerunt, donec duodecimam post diem acceperunt munera Spiritus sancti promissa, quæ poscebant. Quibus muneribus imbuti omnia, quæ de Christo per Prophetas scripta fuerant, protinus intellexerunt: communique decreto symbolum edentes nostræ fidei fundamenta iecerunt.

Et Petrus quidem Apostolorum princeps, iuxta Hieremiæ prophetiam cap. 2. & Isaiæ 45. atque Psalmistæ dixit: Credo in vnum Deum patrem, creatorem cœli & terræ.

Andreas verò in Abachuc subdit: Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.

Cui & Ioannes adiecit: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Hoc quippe Isaias prædixerat: Ecce, inquit, virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel. Et Hieremias: Mulier circumdabit virum.

Iacobus verò etiam Isaiæ propheciá affirmans, dixit: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

Thomas deinde Oseæ prophetiam contestans, ait: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Postea Iacobus maior protulit: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

Philippus quoque mox adijciens, inquit: Inde venturus est, iudicare viuos & mortuos.

Bartholomæus postmodum cecinit dicens: Credo in Spiritum sanctum.

Cui Matthæus subiecit: Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Simon verò, & Iudas, atque Matthias reliquum perfecerunt, dicentes: Sanctorum communionem: Carnis resurrectionem: Et vitam æternam, Amen.

Symboloque perfecto, Apostoli multa constituêre de omni Ecclesia, quæ tum legi cœpta sunt: inde diuino cultu intenti, Iacobum fratrem Domini Hierosolymorum pontificem constituerunt, virum vtique à natiuitate sanctissimum. Quo ordinato, ab omnibus vt verus Episcopus consalutatus est. Qui astantibus cunctis, ac beata Maria matre Domini Christi, missam simplici modo celebrare cœpit: dicendo tantùm Pater noster. Imperatore Maximiliano 1. Papa Alexandro 6. vt suprà.

Idem. Gratianus in canone de consec. dist. prima refert: missam, PATER NOSTER tantummodò dicendo, apud Hierosolymam Iacobum primùm concelebrauisse: licet sint, qui Petro

Apostolo hoc primùm adscribere velint: & hūc Iacobum mysteria auxisse: nuda enim primò erant hæc omnia, & simpliciter tractabantur. Sixtus primus ponti. deinde in celebratione hæc auxit, atque mandauit, vt, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, caneretur. Postea Basilius doctor hoc mysterium auxit, & alij plurimi summi pontifices.

Nam Cœlestinus primus missæ introitum dedit: Gregorius magnus Kyrieel. Gloria verò in excelsis Deo Thelesphorus pontifex, licet id alij Siricio adscribant: Collationes verò & gradualia atque præfationes Gelasius primus ordinauit: Epistolam & Euangelium D. Hieron. Alleluia autem ab Hierosolymitana Ecclesia sumtum fuisse, tradunt: Symbolum quoque in Niceno concilio statutum fuit: Commemorationem mortuorum Pelagius ex Gallijs accepit: Agnus Dei Sergius dici mandauit: Osculum pacis dari, Innocentius instituit: Aspersionem aquæ in principio missæ, Alexander ordinauit: & thus Leo tertius.

Idem. Totus ferè mundus in Eugenio quarto adorauit bestiam, per synodos Ferrariæ ac Florentiæ.

1494.

Hieronymus Sauanorola.

CVm hic spirituales & clericos impietatis & negligentiæ nomine seuerissimè redargueret, imprimis autem concionem quandam ad D. Geminianum haberet, plenam minis & cœlestis iræ denunciatione, quam propediem exarsuram esse, Romanamque Ecclesiam repurgaturam, plurimis ex Scripturâ rationibus euincebat: hinc factum est, vt odium omnium in se concitaret, tantâ acerbitate concionem suam prosequentium, vt salutis tuendæ rationis ergò, recedere in Lombardiam & finitima loca cogeretur. Attamen eò delatus haud minùs superiora, quæ de pœnâ diuinâ pro concione habuit, audacter omnibus annunciauit, cleris & sacerdotibus imminentem reformationem comminando. Idque fecit anno 1490. quo etiam interpretari aggressus Apocalypsin, in eâ maximam partem in Papâ Romano depingendo, ruinamque eius prædicendo, insumsit.

Idem etiam toto tempore Ieiunij in templo Liberatensi, de excidio, præ foribus Romam expectante, repetijt, & clarè personuit, testimonijs Apostolorum, & Prophetarum omnia sua confirmans, & confirmata omni populo deprædicans.

Opus esse dicebat concilio quodam, vt impietas ista, quæ Romæ in extremo vigeret, scortatio, & impudicitia, quam omnes in propatulo, omni excusso pudore, exercerent, tandem extirpetur: se non grauari, pro tenuitate suâ modum quendam, viamque ostendere id commodè peragendi. Oportere enim abusus in Ecclesiâ tolli, & aliud sacerdotium constitui: omnes orare debere, vt Deus gubernatorum, & illorum, qui superiora tenerent, corda eò dirigat, vt in concilio quodam generali de salute Ecclesiæ deliberent, & in ordinem deinceps omnia redigant.

Et cùm aliquando Florentini diutius Romæ negotijs suis intenderent, monebat eos, quò citiùs se inde tollerent, eò magis esse profuturum: ne Deus in irâ suâ correptos ipsos, vnà cum cæteris improuiso exitio comminuat, & deterat.

Sæpè de Gallis quoque solebat vaticinari: tempus fore, vt ipsi de Italis pœnas sumant, eorumque libidines, auaritiam, & intolerabilem superbiam acerrimè puniant: idque vt imò liquidò pateret, tabulam, & picturam populo aliquoties ostendebat, in quâ gallos gallinaceos & canes (Gallos in Franciâ) restibus & catenis exsolutos, capere & comprehendere vulpes (Italos,) videre licebat.

Similia prædicebat de Rege Gallorum, Pisas ipsum venturum esse, regnumque Florentiæ immutatum iri. Rogare se, vt hisce fides habeatur, neue hæc sua contemnantur: aliter agentem haud impunè laturum esse.

Nullo autem modo cogitandum, Biblia diutius in pulueribus istis & angulis delitescere: sed in lucem esse vel tandem restituenda, quibus ad veritatem plurimi sint conuertendi: idque ne fiat, nullam impiorum vim & arma viribus assequutura esse.

De eodem.

EXustus autem est Florentiæ celeberrimus hic concionator Hieronymus, monachus Dominicanus, cum aliquot socijs, vir eruditione ac pietate insignis. De articulo gratuitæ iustificationis per fidem in Christum, rectè sensit, vt apparet ex eius commentarijs in Psal. 51. Humanas traditiones eleuauit. Communionem sub vtraque specie defendit. Indulgentias damnauit. Papæ, Cardinalium, omniumque spiritualium turpem sceleratamque vitam & officij negligentiam grauissimè est accusare solitus. Negauit quoque primatum Papæ: docuit, claues Ecclesiæ toti, non vni Petro traditas. Adhæc, Papam nec vitam, nec doctrinam Christi retinere: quia plus suis indulgentijs & traditiunculis, quàm Christi merito tribuat, ideoque eum esse Antichristum. Asseruit quoque, Papæ excommunicationem curandam non esse: eum enim, qui Papæ impias excommunicationes timeat & fugiat, in Dei excommunicationem incidere. Catal.

De eodem.

CVm Caroli 8. Regis Gallorum consiliarius, Philippus Comineus, & Ioannes Franciscus in itinere Veneto Sauanorolam visitarent, rogarentque ipsum, anne putaret, Carolum incolumem rediturum esse, quòd se Veneti tantis armarent viribus? (Confœderati enim Alexander VI. Pontifex, & Cæsar Maximilianus, itemque Respub. Venetorum contra Gallum erant certaturi) respondit Hieronymus, ipsum quidem rediturum esse, sed magno labore & clade suorum: idque ob hanc causam euenturum, quia nempe officio suo in Italiâ non satisfecerit: statum Ecclesiasticum non in ordinem reposuerit, illorumque impietatem & tyrannidem non reprehenderit: suisque militibus & aulicis omne nefas & flagitium exercentibus in itinere, ipse tacuerit, & nimis remissum se præbuerit. Si verò peccatum sit agniturus, & pœnam hanc à Deo impositam haud molestè laturus, & officium suum facturus: tum ipsi Deum gratiâ suâ porrò affuturum, & beneficijs amplissimis eum affecturum esse. Recensebat etiam viris illis, quo pacto fœdus illud esset comparatum, quidue intenderet: tantumque de illo narrabat, quantum ipsi, qui modò Venetijs erant, nunquam aliàs secum cogitassent.



Idem Sananorola prædicabat publicè, Carolum 8. regem, missum à Deo ad castigandos Italiæ tyrannos, & Ecclesiæ statum reformandum. Cùm autem exercitum rex in Italiam admirabili successu perduxisset, idque ipsum, ad quod vocatus erat, neglexisset, eodem prædicente Sauanorola, iusto Dei iudicio mortuus est.

Regnum ab eo accepit Ludouicus XII. quem populi patrem meritò ferunt, & cum Regno perdundæ Babylonis animum: quod eius testantur numismata aurea, cum hac inscriptione: LVD. XII. D. G. Rex Franc. Dux Mediol. & in altera parte, Perdam Babylonem.

Prouerbium erat Sauanorolæ:

Quattuor ista: Timor, Munus, Dilectio, Rancor,
Sæpe solent hominum rectos peruertere sensus.

Tribuitur huic Sananorolæ à Philippo Comineo spiritus propheticus. Appellatur à Marsilio Ficino vir sanctus. Et à Francisco Pico Mirandulano comite singulari scripto contra Papam defenditur.

Hartman. Schedel, autor Chronici Magni Norinbergici. 1494.

NEscio, quo fato accidisse dicamus, vt vnà cum industria Imperatorum simul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit, quæ quidem tempora infelicissima esse arbitramur: cùm autoritate Platonis, tales soleant esse reliqui ciues, quales sunt in republica Principes. Præcipuè autem hi octo Pontifices sequentes breui tempore sederunt, varijs contentionibus agitati. Nam Stephanus Ioannis facta confirmans, Formosum damnauit, corpus eius mortuum, abscissis duobus digitis, in Tyberim proijci mandauit. Rursus Theodoricus acta Stephani reprobans, Formosi approbauit. Sequentesque pauca laude digna factitârunt. Imperatore & Papa vt sup.

Idem. Horum nempe Pontificum intentio atque virtus tota in alterius nominis ac dignitatis extinctione erat.

Idem. Magna autem fuit hæc controuersia, & pessimi exempli, cùm postea ferè semper seruata hæc consuetudo sit, vt acta priorum Pontificum sequentes aut infringerent, aut omninò tollerent.

Idem. Episcopus Herbipolensis Franconiæ dux, cùm rem diuinam faceret, gladium in altari nudum ante se habebat.

Idem. In diebus, quibus Alexander natus est, diris prodigijs Romani territi sunt. Nam Sol visus est pugnâsse cum Luna: Saxa sanguinem sudauerunt: in die plures Lunæ apparuerunt in cœlo: nox vsque ad plurimam diei partem tendi visa est: tunc & Saxa de nubibus cecidêre: & per septem dies grando, immixtis lapidibus & testarum fragmentis, terram latissimè verberauit.

Idem. Ferunt, Zozimum ad Carthaginense Concilium misisse Faustinum Episcopum, duosq; vrbis Romæ presbyteros: vt ostenderet, nihil vsquam publicè agi debere sine consensu Ecclesiæ Romanæ.

Idem. Malefica quædam auguriatrix in Anglia fuit, quam mortuam dæmones horribiliter extraxerunt, dum clerici psallerent: & imponentes super equum terribilem per aëra rapiunt. Clamores quoque terribiles (vt ferunt) per quatuor fermè milliaria audiebantur.

Idem spectabilem quandam inseruit libro suo figuram, in qua ex altera parte duo veneranda canitie astantes, apertis capitibus, sancti senes, ex altera verò quidam Episcopus infula tectus, & amictu superbiens sacerdotali, concionantur populo: hunc verò diabolus corripit, & in cœlos vult subuehere: sed miserè excipitur ab angelis, & diabolis, qui castib. & fustibus ac gladijs eum præcipitem deturbant.

Hæc mysterio non carent. Illis enim temporibus, quia omnibus silendum erat, & nemo vel mussitare de vllo abusu Ecclesiæ Pontificiæ audebat, præ metu trucis flammæ & gladij, nonnulli tantummodò figuris & picturis aliquid de illis prodiderunt & attigerunt, quorum multos & in hoc nostro opere recensuimus, & adhuc plures habemus in recessu: quos deinceps persequemur. Quidam verò ventris causa (qui iuxta Homerum, multorum malorum radix est) & ne præbendis dimouerentur, ignominiosaq; fame laborarent, cum irreparabili & extremo perpetuæ salutis damno obmutuerunt.

1494.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus Enneade VII. lib. IX.

Mirum est, quantum Eremitarum res toties afflicta ad postremum creuit. Sunt nostra tempestate, vt Alouisiani commentarij demonstrant, Eremitani ordinis conuentus, quorum ratio iniri potest, circiter duo millia, initiatorum ad XXX. millia numero: Virginum loca tercentum numero. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6.

Idem Enneadis 9. lib. 2. Stephanus Bauarus Clementi II. venenum miscuit: moxque ab eius interitu, sine cleri populiue suffragio, sacram inuasit sedem, seque Damasum II. vocauit. Vsque adeò mos inoleuerat Apostolicæ sedis per vim, & dolum occupandæ.



Idem Enneadis 9. libro quarto. Prodigia per id tempus aliquot apparuerunt. Mare vicenis passibus (alij centenis scribunt) præter solitum littora inundauit: apparuit & cometes miræ magnitudinis. His fortasse prodigijs motus, affirmare non dubitauit Fluentinus antistes, esse Antichristum natum. F. anno Domini 692.

Idem Enneadis 9. lib. 7. Natus est sub eodem Pontificatu ex illustri fœmina, Pontificis pernecessaria, puer villosus, & in speciem vrsi vnguiculis armatus: quo monstrifico partu permotus Pontifex, omnes vrsorum imagines, quæ fortè in eius domo fuerunt, iussit deleri, manifesto argumento recepto ab eo persuasionis, quales in concepto hauriuntur species, tales in partu sæpius recepta præsentari. Ergò mulieres etiam in domo Pontificis concipiunt? De hoc etiam suprà.

Idem.



Idem Enneadis 9. lib. 7. & alij. Veneti bello Ferrariam Romanæ Ecclesiæ vectigalem oppugnârant, eamque ob rem excommunicatione feriebantur Clementis quinti. Franciscus ergo Dandalus, qui postea dux creatus est, ad eam culpam deprecandam ingressus est Galliam, vbi tum erat Pontifex. At serò in conspectum admissus est Pontificis. Iniecta autem sibi in collum catena ferrea, ad Pontificis mensam, canis instar & inter canes, tam diu abiectus prostratusque iacuit, donec Clemens ignominiosam notam excommunicationis adimeret patriæ. Atque ex eo fuit illi postea canis cognomen inter suos: quòd vt canis, ad pontificiam mensam pro absolutione iacuisset.

Idem lib. 7. decad. 1. Rer. Venet. Duci Ciano reuerso, Pontifex primò victoriam gratulatus: inde annulum porrigens aureum, accipe, inquit, Ciane, & me auctore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium reddito: quod tu tuique successores quotannis stato die seruabitis, vt omnis posteritas intelligat, maris possessionem iure belli vestram esse factam: atque vti vxorem viro, ita illud vestro subiacere Imperio.

Idem Enneadis IX. libro primo, de Stephano 6. Papa. Formosi acta pro irritis habenda pronunciauit, eius cadauer iterum refossum, tamquã sic quoque pati aliquid atrocius posset, securi subiecit, corpus in Tyberim proijci iussit, vt sepulturâ & omni humano honore careret. Non possum non multùm mirari, vnde tragica hæc Pontificum fluxerint exempla? quæ dira pietatis obliuio eorum mentes irrepserit? vt neque personæ, quam sustinebant, ratio ab his vlla haberetur, neque loci, quem tenerent: vt non immeritò aliquis suspicaretur, quicquid moderationis & maiestatis fuit in illis, quià Caroli cognomento Magni temporibus ad Gallici imperij exitum (interfuit enim ætas vna) sedem tenuerunt, non tam suâ sponte, quàm Regum, Imperatorum, & in quorum tutelâ essent, metu & reuerentiâ, in officio mansisse. Nullo vmquam tempore fuit in maiore admiratione pontificum nomen, numquam à Regibus & cæteris mortalibus tantum Apostolicæ sedi tributum: vt dicere æquum sit, non magis Galliæ, quàm Rom. Ecclesiæ, & reliquæ Italiæ calamitosum fuisse, quòd in eâ gente desitum esset Imperari.

Idem scribit, effossum esse in Creta ante paucos annos cranium humanum, magnitudine dolij mediocris, quod, vbi contrectari cœpit, redactum fuerit in fauillam. Et in Creta quondam montem quendam terræmotu concussum detexisse corpus humanum, quod 40. cubitos habuerit in longitudine.

Ibidem. Mirum est, quanta omnium bonarum artium obliuio per id tempus mortalium animis obrepserit, vt ne in Pontificibus quidem, cæterisq; principibus quicquam elucesceret, quod vitam iuuare posset. Non salubria instituta, non templorum refectiones, non vlla pietatis exempla, non liberalium artium affectationes: sed stupor & amentia quædam, obliuioq́ue morum inuaserat hominum animos.

Idem. ASCLETARIONE mathematico ad Domitianum Imp. delato, quòd de eius exitu quædam prædicere esset ausus, quum ne inficiaretur quidem, iactasse se, quæ ex arte præuisa sibi essent, ira accensus Domitianus: dicas, inquit, mihi oportet, quis te tandem maneat exitus? Affirmantem illum, fore, vt breui laceraretur à canibus, ad eleuandam scientiæ fidem, confestim interfici iussit, corpusq; accuratissimè cremari, sepeliriq; cineres. Hæc ille. Sed fatum mutari non potuit Densus imber cœlo deiectus medio rogi ministerio restinxit, cadauerq; semiustũ à bustuarijs relictum, qui in opertum refugerant, canum superuentu cœptum est lacerari. Id ei cœnanti quum Latinus mimus inter cæteras illius diei fabulas enarraret, ita commotus est, vt iam inde vitæ diffisus omnibus viueret casibus obnoxius. Ex Suetonio.

Idem. Domitianus Imp. mathematicis prædictionibus ad superstitionem vsq; deditus, cùm sibi mortem instare cognouisset, pridie, quàm interfectus est, quum tuberes sibi oblatos in crastinum iussisset asseruari, illud adiecit: Si illis, inquam, vti licebit. Conuersus inde ad eos, qui proximè steterant: Futurum est, inquit, vt cras Luna in aquario cruentetur; existetq; facinus aliquod, de quo homines omnibus in terris loquantur. Cæterùm, quia monitus fuerat, vt quintam illius diei horam caueret, solicitus perseuerat aruspicis causam audire, qui de casu fulminis consultus, mutationem rerum portendi, dixerat. Quum igitur inter agendum verrucam in fronte scalpendo fregisset, fluxisſetq; ex eo attritu paululum sanguinis, Vtinam, inquit, hactenus. Tum horas requirenti pro quinta, quàm metuebat, sexta ex composito nunciata est. Ad eam vocem lætus, tanquam instans periculum

euasisset, surgens ad curam corporis festinabat, quem Parthenius cubiculi præfectus reuocauit, adesse nuncians, qui magnum nescio quid afferret, neque id differendum. Summotis itaque omnibus, in cubiculum se recepit, vbi septem vulneribus à Parthenio & coniuratis contrucidatus occubuit, anno ætatis quinto & quadragesimo, ex quo imperare cœperat quintodecimo.

1494.

Malleus Veneficarum quæst. 7.

NOuimus, vetulam tres successiuè Abbates, vt publica omnium fratrum fama in illo monasterio etiam in hodiernum diem refert, non solùm maleficiasse, sed & interemisse, & quartum iam simili modo dementasse: quod & ipsa publicà voce fatetur, nec veretur dicere: feci, & facio, nec desistere à meo amore poterunt, quia tántum de meis stercoribus comederunt, quantitatem per extensum brachium demonstrando. Quia autem nobis non aderat vlciscendi & inquirendi super eam facultas, ideo adhuc superest. Imp. Maximil. 1. Papa Alexandro 6. vt sup.

1494.

Ioan. Picus de Mirandula, in Apol.

ECclesia non consueuit, nec potest damnare; quoad animam, sed tantùm in doctrina. Imperat Max. 1. Papa Alex. 6. vt sup.

Adamum etiam Dæmones genuisse.

HAnc quæstionem disputat inter alios etiam hic Picus, de arte Cabalistica: & ait, Adamum præter Abel, malos genuisse: sed nihil esse malum, nisi vitium & dæmonium: & sequentia.

Mysterium, quare Christus Israëlitas oues, Apostolos piscatores, seipsum autem pastorem, missum ad quærendas oues, appellârit, habes apud eundem in Heptaplo.

De Moyse filio Nabaman Gerundinensis
Hebræo, ex eodem.

HIc cum alijs Hebræis scribit, per sex dies Geneseos sex mille annos mundi sic designari, vt primi diei opera significent illa, quæ primo millenario fieri debeant, & sic consequenter ad sextum vsque diem & millenarium: de quo etiam Reuchlinus.

De Albumasare Arabe, ex eodem.

ERrat hic de Mahometis, vt etiam alij de Antichristi aduentu, qui illum in anno 1345. ob trium siderum superiorum in Aquario coniunctionem, aut anno 1464. ob Iouem & Saturnum in piscibus iunctos, nobis minitantur.

Ioannes Tisseranus Monachus.

1494. HIc author est ordinis meretricij, in quem recipiebantur publicæ meretrices effætæ, quæ Veneri inseruire ampliùs non possunt. Imp. & Papa vt sup.

Dionysius Ruremundanus, Carthusianus Prior,
in Speculo Prælatorum.

1494. VT Eclipsis solis multùm grauat oculos intuentium, vtque Eclipsis solis, quando fit in ascensu Solis, plus nocet, & est signum malum: sic peccata prælatorum, qui sunt in ascensu dignitatis, plus scandalisant. Alia vtilia multa in hanc rem per totum illum librum tractat hic autor. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6. vt sup.

Idem, Sacerdotes, ait, debere esse sine macula, castos, mundos: sine vitijs: benè enim loqui, & malè viuere nihil aliud esse, quàm sua voce semetipsum damnare.

Pomponius Lætus.

[illegible]94. DIoclesianus Imp. post triumphum adorari voluit, fratrem Solis & Lunæ se nuncupans: & osculari sibi pedes præcepit, calceamenta auro & gemmis exornans. Huic Papa hodiernus

se similem fecit: & in eo etiam impietatem auxit, quòd calceis suis Christi imaginem apposuit. Imp. & Papa vt sup.

Idem. Cùm Delphos misisset Nero, consultum de belli Persici euentu, templum Delphicum terræmotu & fulminibus deletum est. Reditus Ecclesijs concessos eripuit, ioco addens, se facere expeditiores ad regnum cœleste, quoniam in ipsorum libris scriptum esset: Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Petrus de Natalibus. 1494.

DVodecim testamenta duodecim Patriarcharum, filiorum Iacob, in Hebræorum codicibus reperta, in latinum translata sunt: in quibus de aduentu Christi, & articulis humanitatis tot & tanta mysteria vaticinata continentur, vt videantur, diuino afflati spiritu non futuram prophetiam prædixisse, sed transactam historiam texuisse: de quo etiam Vincentius.

Idem ex Chronico Guilielmi. Cùm sapientiss. Regina Sabæ ex Æthiopia, Salomonem in suo regno visitasset, tradunt, eam Regi scripsisse, quod præsentialiter timuerat ei dicere: se vidisse in domo sua lignum, in quo suspendendus esset quidam, pro cuius morte Regnum Iudæorum periret: & certis indicijs illud Regi patefecisse.

Gallus Episcopus Senonensis. 1494.

SCripsit ad Alexandrum Pontificem, quòd in Galliâ prouerbij loco passim dicatur: Diabolum Romæ vinculis liberatum esse, vt vniuersæ Ecclesiæ noceret. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6. vt sup.

Petrus Mendoza, & Georgius de Monte ferrato. 1494.

SVb Pontifice Alexandro 6. vixisse fertur Petrus Mendoza Hispanus, Cardinalis Valentiniensis dictus: qui non meretricum agmine, ac sub rege Ferdinando reginâ ipsâ satiatus, petijt, atq; obtinuit ab eodem sanctissimo vicario, vt & suo filio notho, Zanetensi Marchione, in sacro cœlibatu, tanquam amatâ sponsâ vteretur. Talis est illorum cœlibatus, per totum orbem iactatus.

Sub eodem, Bononiæ in Italiâ Georgius de Monte ferrato igne consumtus fuit: quem tamen Antonius Auerarius ser. 35. de virtutibus, in Iudaismum lapsum esse, dicit: & Baptista Mantuanus lib. 3. cap. 13. de patientia illud idem confirmat. Imp. 116. Max. Papa vt sup.

Liber Deflorationum patrum VVerneri, 1494.

Abbatis S. Basilij.

HOc libro ostenditur inter alia modus, & mysteria dedicationis Ecclesiarum: & Mariam matrem Domini primam fuisse, quæ votum virginitatis fecerit: & prælatos tot mortibus dignos esse, quot perditionis exempla transmittant in subditos. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6. vt sup.



Ioannes de Trittenheym, Abbas 1495.

Spanheymensis.

PVluerem huius Trithemij ad cerebrum studentibus perutilem plurimi hactenus celebrârunt semper. Nam haud pauci eò vsu eius peruenerût, vt inspectores illos vrinarum, arteriarum, linguarum, retrimentorum, &c. facilè negligerent. Multi ad centesimum ferè annum ætatem solidam produxerunt, tantum denique adepti sunt memoriæ acumen, vt facilè quosuis, etiam maximos excellerent: idque absque catapotijs, clisterijs, pessis, vnctionibus, cataplasmatis, clinctorijs, masticatorijs, gargarismis, sacculis, fumis, conditis, syrupis, aquis, teriacalijs, & similibus.

Rec. Calami arom. Gentianæ, Cymini, Sileris môtani, Anisi, Carui, Ameos, Sem. petroselini, Spicæ Nardi, ana ℥.S. Coralli rub. vnionû, siue perlarum non perforatarû 3.V. Zingib. albi, Amaridulcis (Chamepyt.) Folior. senæ,

Tartari adusti, ana ʒ. V. Macis, Cubebarum ana ʒ. II, Gariophyllorum ʒ. VII. Fiat puluis f. a.

Vtilitas.

DOsis eius ʒ. S. quæ manè sumatur & serò, in brodio vel vino, per mensem primum: secundo mense, manè tantùm: tertio mense, manè ter in hebdomada: quarto mense, bis in hebdomada: & sic deinceps continuetur ad vitam. Siquidem contra multas valet ægritudines: & est probatissimus ac efficax puluis.

Stomachum confortat. Cerebrum purgat. Oculos & visum serenat. Memoriam acuit. Humores malos atque superfluos in toto corpore consumit sine periculo. Lenit & aperit constrictionem in pectore. Nauseam pellit. Nimiam pinguedinem prohibet. Ab Epilepsia & Apoplexia præseruat. Materiam calculi sine dolore dissoluit, & in lapidem durescere non permittit. Chiragram & Podagram, Sciaticamque præualere non sinit.

Hunc puluerem cùm Paulus Scalichius, qui ficta genealogia se Comitem Hunnorum de la scala nuncupauit, Duci Borussiæ, cui tunc temporis erat à consiliis, vtendum dare vellet, medici Principis prohibuerunt: ex quo enata est disputatio inter illos, vbi de vsu istius pulueris in partem vtramque vltrà & citrà scriptis dimicatum fuit: quæ disputatio extat in Satyris Philosophicis eiusdem Scalichij.

Idem. Henricus archiepiscopus Moguntinus, ex præcepto Eugenij 3. Papæ, in die S. Pentecostes à duobus Cardinalibus, Gregorio & Bernardo deponitur, & eodem anno Calendis Septembris mortuus est. Hanc breuitatem vitæ S. Hildegardis biennio illi antea prædixit, quæ in quadam ad eum Epistolâ sic dicit: Audi, qui in multis scrutinijs me negligis. Cœlum de vltione Domini apertum est, & nunc inimicis funes dimissi sunt. Tu autem surge, quia dies tui breues sunt, & reminiscere, quia Nabuchodonosor cecidit, & quòd corona eius perijt. Et alij multi ceciderunt, qui se temerè in cœlum exaltauerunt. Ah tu cinis, quare non erubescis in altum te spargere, cùm debeas esse in putredine? F. anno Dom. 1153.

Idem. Hatto Abbas Fuldensis, huius nominis secundus, ordinatus est Archiepiscopus, qui fertur tempore famis magnam multitudinem pauperum mendicantium in vno horreo concremasse, quasi ipsi inducerent famem super regionem suam mendicitate, & ocio: volens in hoc consulere tam eorum inopiæ, quàm vtilitati communi. Vnde aiunt, quòd tertio anno nondum completo, dirum ... diuinæ animaduersionis vindicta in eum processerit, eumque mirabili, & priùs inaudito genere supplicij durè satis punierit.

Tanta enim turba murium vndequaq; prorumpens in eum glomerata irruisse dicitur, vt quòcunque se verteret, istiusmodi bestiolarum morsibus premeretur: si erat in alto, vel eminentiori quolibet loco, mures per parietes ascendebant: si verò inclusus, per rimulas intrabant, eumque infinitâ multitudine obruentes mordebant, lacerabant, ac deuorare penitus gestiebant. Quorum tanta fuit importunitas, vt quanto repellerentur impetu, tanto maiori furore incursarent.

Cùmq; se nusquam in terra tutum conspiceret, pontifex iam miserandus, aquarum munimine se cinxit, ac iuxta oppidum Bingionum turrim in medio Rheni, ad custodiam patriæ olim constructam scaphâ subuectus ascendit, sperans, eò loci mures per vndosi fluminis raptum nullatenus esse venturos: sed non est locus, quo suam diuina potestas prohibeatur exercere vindictam.

Natantes per aquas infinitâ multitudine denuò mures, turrim per muros ascendunt, intrant, pontificem inquietant, rodunt, infestant, tandemq; nimia eorum multitudine obrutum miserabiliter necant.

Hanc historiam vsq; in hodiernum diem, & à veteribus descriptam legimus: & ab incolis terræ, vt à proauis perceptam, auditu ad nepotes referri, non ignoramus. Turris autem in Rheni fluminis medio nomen retinens à casu, murium turris dicitur, in qua Hatto pontifex ab ipsis consumtus bestiolis fertur. De hac historia aliquoties etiam apud alios authores suprà.

Idem. In octauâ sancti Ioannis Euangelistæ, terræmotus bis inter diem & noctem, per totum penè orbem terrarum, tam horrendus & terribilis fuit, vt multa ædificia corruerent, & homines sine numero perirent, maximè in Italiâ: vbi tam periculosus & horribilis fuit, vt diuersæ ciuitates, castella, & villæ, cum hominibus ibi commorantibus, subitò terræ hiatu interirent. Nam & montes scissi sunt, & flumina deglutiente terrâ penitus exsiccata, ita vt, qui vellent, pedibus siccis transire potuissent.

Padus etiam, vnus de quatuor Europæ maioribus fluuijs, de suo loco in altum se erigens, ita in modum fornicis à terra stabat eleuatus, vt inter terram & aquâ via patesceret transeuntibus: cumq; sic diutius aqua penderet in aëre, tandem in semetipsam collisa, cum tanto strepitu ab alto dimittitur, vt sonitus illius per multa milliaria audiretur. His horrendis signis per vniuersam Europam diuulgatis, nihil aliud ab omnibus, quàm extremus instare dies credebatur. Ieiunijs autem, & orationibus triduanis per totam Italiam ab omni populo peractis, sententiam Domini mitigare studuerunt.

Idem. Sub Honorio Papa 2. venit Romam quidam presbyter Arnolphus, vir magnæ deuotionis, & prædicator egregius, qui cùm inter annunciandum verbum Dei clericorum lasciuiam, libidinem,

nem, auaritiam & nimium fastum reprehenderet, & paupertatem Christi & Apostolorum eius, integerrimamque vitam ad imitationem omnibus proponeret, à Romana quidem nobilitate, vt verus Christi discipulus, laudatus est: sed Cardinalium & clericorum odio nimiùm est habitus, à quibus & noctu captus, occultè est interfectus.

Hoc suum martyrium antea, cùm adhuc esset in eremo, diuinitus sibi fuit reuelatum, cùm per angelum ad prædicandum Romam mitteretur. Vnde & publicè dixit: scio, quòd animam meam quæritis: scio, quòd me breui iam occidetis. Sed quare? veritatem vobis dico, fastum, superbiam, auaritiam, luxuriam, nimiumque studium, quod comparandis diuitijs miseri impenditis, reprehendo: propterea vobis non placeo. Ego testem inuoco cœlum & terram, quòd annunciauerim vobis ea, quæ mihi Dominus præcepit: vos autem contemnitis & me, & Creatorem vestrum, qui vos per vnigenitum filium suum redemit. Nec mirum, si hominem me peccatorem, vobis veritatem annunciantem, morti tradituri estis: cùm etiam, si sanctus Petrus hodie resurgeret, & vitia vestra, quæ nimis multiplicata sunt, reprehenderet, ei minimè parceretis.

Cùm hæc alta voce clamasset, subiunxit: Ego quidem mortem subire pro veritate non timeo: vobis autem in verbo Domini prædico, quòd omnipotens Deus non parcet impuritatibus vestris. Vos enim omni spurcitia pleni, plebem vobis commissam præceditis ad infernum. Deus vindex est. Cumque odium cleri propter veritatem in eum sæuire cœpisset, eorum insidijs captus & submersus est. Sabellicus & Platina suspensum affirmant. Sed & Hugo Arnulfi mentionem facit. Circa annum 1127. vixisse dicitur.

Idem. Cùm Principes ad instantiam Romani Pontificis Gregorij 10. Rodulphum I. regem sæpè admonerent, vt pro coronâ Imperij Romam proficisceretur, respondebat: Multos Allemannorum reges Italia consumsit, non ibo Romam: Rex sum, Imperator sum, nec minùs pro vtilitate Reipublicæ me facturum confido, quàm si Romæ fuissem coronatus.

Idem in Chronico Hirsaug. Cùm calices olim essent cuprei, sacerdotes aurei fuerunt: hodie autem calices sunt aurei, & cuprei sacerdotes.

Idem. His diebus quædam mulier, fingens, sibi Angelum Dei apparuisse, qui, nouissimum diem iudicij mox instare, pronunciasset, multos tam ex clero, quàm ex populo, per diœcesin Moguntinam decepit. Quæ tandem per Rabanum Archiepiscopum comprehensa, confessa est, fuisse se per consilium cuiusdam presbyteri ad hoc quæstus gratiâ inductam. F. Anno 847.



Idem. His temporibus multi in occulto fuerunt Hæretici vtriusque sexus, qui varios seminauerunt errores in Allemanniâ, Franciâ, & Italiâ, quorum plures deprehensi flammis exusti sunt. In ciuitate enim Argentinensi hoc anno plures quàm 80. fuerunt comprehensi, omnes vna vice, quorum pauci innocentes sunt reperti. Hos frater Conradus de Marpurg, Ordinis Prædicatorum, Inquisitor Apostolicus iudicio ferri candentis, si negassent hæresin, probare consueuit: & quos ferrum exussisset, velut hæreticos iudicio seculari tradere comburendos. Vnde paucis exceptis, omnes vtriusque sexus, qui semel essent accusati, & ad eius examen perducti, per eum condemnabantur ad incendium. Fuerunt autem, qui crederent, eû plures innocentes damnauisse: propterea, quòd candens igne ferrum nullum reperisset immunem: etiamsi nullius hæresis macula vnquam infectus extitisset. Ideo postea, anno 1233. à quibusdam nobilibus, non procul à Martburgo, pro cane rabido fuit occisus.

Idem certamina multa cum monachis habebat, noluitque, Christum cum Aristotele misceri, aut potiùs humana philosophiâ & fabulis confundi.

Idem. Eckhardus Dominicanus Heydelbergæ damnabatur hæreseos: sine dubio Papam adorare noluit: anno 1330.

Idem. Anno 924. Hirsaugiæ monachus quidam annorum 78. obijt, nomine Adelhardus, qui 23. annos cæcus fuerat. Visum autem ex maximo dolore capitis amiserat: sed cæcitate secutâ, is dolor desijt. Ipse postea fuit optimâ valetudine, & totum se ad cultum pietatis contulit, ac multa futura prædixit, quæ euentus comprobauit: vt triennio antè, diem & horam obitus sui: & desolationem huius Monasterij, post annos ferè 80. secutam, tam clarè, quàm si præsentem oculis vidisset.

Idem.

Idem in lib. lugubri de statu & ruina monastici ordinis. Romani Pontificis dispensatio, nisi Deus approbet, te minimè excusabit. Non omnia Deo placent, quæ per summum Pontificem in terrâ geruntur: illum .n. hominem esse scio, qui vt homo & falli potest, & fallere. Tu autem S. ordinis apostata, qui de bullâ dispensationis securum te existimas, vide, ne post mortem (vt vulgò dicitur) illiterato dæmoni occurras, qui literas nesciat, qui appellationi honorem non deferat, qui allegationes immunitatis tuæ contemnat. Crede mihi, non est allucia, quæ possit fallere Deum, &c.

Quid proderit tibi hîc temerè præsumta dispensatio, quam nec probare licebit testimonio, nec iure defendere? Tunc videbis, ô Monache peruerse, tunc intelliges, quid roboris in se contineat fraudulenter impetrata licentia, cùm vindictam æterni iudicis senseris in pœnâ. Quid mihi dispensationem allegas? quid licentiam peccandi prædicas? putásne, Summi Pontificis auctoritate iram Dei te posse effugere?

Et paulò pòst. O Abbates, Abbates, qui omnium malorum in cœnobijs vestris estis occasio, qui vanitatibus dediti, monachos delinquentes non statim corripitis, quàm duram damnationis sententiam accipietis? Vobis (credite mihi) vobis imputabitur monachorum vestrorum damnatio, qui rectores eorum positi, mores instituere neglexistis. Væ vobis: melius esset, si Abbates nunquam fuissetis. Vos auaritiæ & libidini vacantes, opus Domini negligitis, curam animarum despicitis, de obseruantiæ semitâ nihil cogitatis. Qui vitia monachorum debetis corrigere, vitia committitis, & ne arguantur vestra, dissimulatis aliena.

Cernitis ô patres ornatissimi, quis sit ordinis vestri status, qui Abbates, qui Monachi? quoniam, qui corrigant improbos, desunt: soli apud illos, qui corrigantur, occurrunt. Quid ergò moram facitis? quare de reformatione talium non cogitatis? cur monachorum iniqua studia non coërcetis? Nos confundit illorum diffamia, nos scandalisant illorum exempla, quoniam quò numero sunt plures, eò creduntur à nescientibus actione potiores. Exsurgite patres, quoniam dies & breues, & mali sunt: reformate pro viribus ordinem: nisi enim citò apposueritis remedium, grauis sanctietis in breui detrimentum.

Et paulò pòst. Pudet me dicere, quid facere Abbates multi non vereantur, qui voluptatibus carnis non tam submersi, quàm furiosi, nihil honestatis monasticæ custodiunt: nihil turpitudinis mandanæ obmittunt: omnia sibi licere existimant: qui non quid deceat, sed quid libeat, explorant. Ecce ille monasticam abhorrens quietem, vagis discursibus in mundo quærit solatium: iste decreti regularis impatiens, pomposus procedit in publicum: alter disciplinam honestatis vitæperans, tota die leuibus personis conuiuia ebriosus assidet: hic mansuetudinem sanctorum contemnens, se litigantium caussis immiscet: ad tabulam ludens alius residet: alius ad tympanum stolidus saltat.

Quid non abbates præsumunt ambitiosi? quid voluptatis transeunt intentatum? Cœnanti famulorum curuantur genua: transeunti Ecclesiarum sternuntur tapetia: progredientem in publicum seruorum ingens sequitur copia. Inuenies (non mentior) Abbatem inter eos etiam, qui reformationis homine gloriantur, cuius tanta sit ambitio, vt episcopo non velit dici inferior: qui ad mensam cum tanto apparatu residet, vt cuilibet principi copia vasorum, cibi, potusque varietas, ac ministrantium multitudo possit sufficere. Denique si procedenti per ciuitatem te huic dederis obuiam, tanta famulorum multitudine vallatum cernes, vt non abbatem, sed archiepiscopum transire, putares.

Si pauperes se non fingerent, sed essent: in tantâ solennitate vanitatis minimè effluerent. Certus enim sum, quòd prædam sequitur ista turba, non hominem. De pauperibus prædam inuenire, quis optet? ô Abba, pastor fugitiue, dispensator bonorum Domini tui ingrate, & infidelis!

Idem. Ordinis nostri sacratissimi patris Benedicti obseruantia, hoc tempore (anno 1265) in omnibus penè monasterijs Germanicæ nationis, vsq; adeò defecerat, vt pristinæ institutionis vestigium nullum in morib. cerneretur. Omnia corrupta erant, omnia collapsa: monachi simul cum Abbatib. in præcipitium vitiorum corruerunt. Nemo hanc ordinis nostri deformationem curabat, nemo condoluisse visus est, non Rex, non Papa, non principes, non denique præsul vllus de monachorum deformatione quippiam cogitauit. Tam enim publicæ fuerunt transgressiones monachorum, vt licitæ putarentur.

Idem. Ab hoc tempore, scilicet anno 1140. cœpit philosophia secularis sacram Theologiam suâ curiositate inutili fœdare. Tunc cœptum est Oxonij, Parisijs, & alibi curiosè disputari de auctoritate Petri, de dignitate ordinis monastici, de præstantiâ sacri cœlibatus, de conceptione Mariæ, de fermento & azymo, de deificatione panis in altari per transsubstantiationem, & similibus.

Idem. Anno 1210. inter Innocentium 3. Papam, & Othonem Imperatorem quattrum grauissimæ dissensiones fuerunt subortæ, propter Marchiam Apuliæ, quam Imperator ad Imperium, Papa verò ad Ecclesiam Romanam pertinere, confirmabat per donationem testamentariam dominæ Matthildis, filiæ quondam Rutgeri, principis Siciliæ famosissimi, & vxoris Conradi Regis, filij Henrici Imperatoris quarti. Hanc donationem, per mulierem sine consensu principum Ecclesiæ factam, Papa validam, Imperator verò inualidam esse dicebat. Tandem cùm Imperator ipsam marchiam Papæ non vellet concedere, ab ipso fuit excommunicatus, & postremò ab Imperio depositus.

Idem. Anno 1160. diem suum obijt Augustæ Rhætiæ Gebhard Canonicus Augustanus, cũ 90. annos in presbyteratu ibi egisset. Natus fuerat sub Episcopo Augano 27. Brunone, quem Bruschi ait 1009. electum esse, & 1031. mortuum. Si ergò 1031. anno natus esset, & vixisset vsq; ad 1160. annum, 130. annos vixisset. Idem ap. Martinum Heningum reperitur.

Ioannes de Lambsheym.

Circa annum Domini 1430. Alanus de Rupe, Dominicanus monachus, post quasdam malorum dæmonum illusiones, ex Mariæ Psalterio Rosarium fabricauit, idque Euangelij loco hominibus prædicauit, atque fraternitatem Rosarij inde demum instituit. Vtque magis minueretur Dei gloria, & periclitaretur animarum salus, Iacobus Sprenger, Teutonicæ prouincialis, confictis miraculis hæc sublimauit, ac tandem Sixtus IV. Papa bullis & indulgentijs approbauit.

De hoc toto negotio liber etiam editus est, in cuius principio legitur, beatam virginem ingressam fuisse aliquando in cellulam clausam eiusdem Alani, concinnasseq; ei ex suis capillis annulum, & monachum sibi desponsasse, osculatam fuisse, dedisse contrectandas & lactandas papillas: ac deniqne illi fuisse tam familiarem, vt sponsa solet esse sponso, &c. vt Balæus ex Leandro, & Trithemio refert Cent. 8. Appendice 2. cap. 50. Scrip. Brit.

Hæc etsi manifestè impia & blasphema sint, & magna cum ignominia sanctissimæ virginis dicantur, tamen à pontificijs magna cum admiratione recepta & approbata fuerunt. Liber autem hic, in quo hæc & similia portentosa mendacia referuntnr, videtur esse huius Ioannis de Lambsheym, qui de institutione & vtilitate fraternitatis Rosarij diuæ virginis Mariæ librum 1. scripsit. Huius fraternitatis Baptista Mantuanus in Alphonso etiam his verbis meminisse videtur:

Hi filo insertis numerant sua murmura baccis.

Hospinianus, Imp. Max. 1. Papa Alex. 6. vt sup.

Martinus ab Azpilcueta Nauarræus.

Scripsit de reditibus Ecclesiæ, quib. vsibus sint impendendi, & quibus conferendi: de spolijs clericorum: item de finibus humanorum actuum. Imp. Max. 1. Papa vt sup.

Actius Syncerus Sannazarius de Alexandro 6. Papa, & partu Virginis.

Sævitiæ, insidiæ, rabies, furor, ira, libido,
Sanguinis & diri spongia, dira sitis,
Sextus Alexander iaceo hic. Iam libera gaude
Roma: tibi quoniam mors mea vita fuit.

Idem. *Vendit Alexander cruces, altaria, Christum;*
Emerat ille priùs, vendere iure potest.
De vitio in vitium, de flammâ transit in ignem:
Roma sub Hispano deperit imperio.
Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iste:
Semper sub Sextis perdita Roma fuit.

Idem. *Visuram se iterum Sixtum, cùm Roma putaret,*
Pro Sixto Sextum vidit, & ingemuit.

Idem in annum Iubilæum Alexandri 6. Papæ.

Pollicitus cœlum Romanus & astra, sacerdos,
Per scelera & cædes ad styga pandit iter.

Idem in eiusdem filiæ pudicitiam.

Hic iacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais: Alexandri filia, sponsa, nurus.

Idem in eandem Lucretiam Alex. filiam.

Ergo te semper cupiet, Lucretia, Sextus?
O fatum, diri numinis hic pater est.

Idem

Idem de Leone X. *Sacra sub extremâ, si fortè requiritis, horâ*
Cur Leo non poterat sumere? vendiderat.

Habet Sannazarius alia plurima contra Papas: vt apud eum.

1495.

Iacobus Sannazarius.

De Cæsare Borgiâ, Alexandri sexti notho.

CÆsar Borgia, Borgia ille Cæsar,
Cæsar patris ocellus, & sororis,
Fratrum blanditiæ, quies, voluptas,
Montis populus ille Vaticani.
Ille inquam dominæ vrbis inquinator,
Cæsar Borgia, Borgia ille Cæsar,
Cinædi patris impudica proles,
Mœchus ille sororis, atque adulter,
Fratrum pernicies, lues, sepulchrum,
Montis bellua tetra Vaticani,
Quingentas modò qui vorauit vrbes,
Imbutus scelere, & malis rapinis.

De eodem.

AVt nihil, aut Cæsar vult dici Borgia: quidni?
Cùm simul & Cæsar possit, & esse Nihil.

Ad eundem.

OMnia vincebas, sperabas omnia Cæsar:
Omnia deficiunt: incipis esse Nihil.

Idem fingit in libro de partu virginis, quòd D. Maria in Sibyllinis vaticinijs legerit, legentemque Angelus Gabriel deprehenderit, hisce versibus:

Reginam haud humiles volventem pectore curas
Aspicit (scil. Angelus) *atq; illi veteres de more Sibyllæ*
In manibus &c.

1495.

Speculum Exemplorum Catholicorum dist. 9.

Exemp. 71.

QVidam Monachus quadam vice stetit in choro, cùm cantaretur: Incarnatus est de Spiritu sancto. Et cùm alij fratres inclinarent, ipse cum erecto collo stetit, & se non inclinauit. Affuit Diabolus dans ei alapam, dicens: O Monache ingrate, quomodo sic stas erecto collo? Cur non inclinas te cum fratribus? nónne audis, quòd cantatur, quòd Deus propter te factus est homo? Si propter me miserum tantum fecisset, ego sibi in perpetuum inclinarem. Imperat. Max. 1. Papa Alex. 6.

Ibidem. Ego in quadam ciuitate Episcopali annis vndecim adoleui, vbi 72. canonici sub præbendis pinguissimis ducentarum ferè librarum Parisiensium in matrice Ecclesia seruiebant, quorum plures erant detentores plurium beneficiorum. Vide ergò, qualem vindictam vidi in ipsos turpes detentores. Mihi testis & iudex sit sancta Trinitas vnus Deus, quòd paucos eorum vidi communi morte defungi, sed omnes subitò & reprobè mori. Ita, quòd quidam eorum, audito, quòd vnus sociorum in nocte sanus, manè mortuus inuentus esset, complosis manibus dixit: Et quid valeis? secundum vsum & consuetudinem Ecclesiæ mortuus est, vt videtur.

Vidi ego ipse in Ecclesia eadem, infra paucum tempus quatuor archidiaconos sic defungi. Vide ergo Lector, & mirare miraculum.

Primus eorum de equo phalerato & grandi cecidit, & fractis ceruicibus expirauit.

Secundus manè, & in cathedra sedens, mortuus est repertus.

Tertius in choro stans, cùm ad missam eleuatio corporis fieret, cecidit resupinus, & subtracta loquela cum sensu, quasi brutum animal, die tertia, sine sacramentis ecclesiasticis, est defunctus.

Quartus, confessionem peccatorum & sacramenta recusans, mortuus est, & extra cœmiterium sepultus.

Ibidem dist. 10. Exem. 29. Erat quidam potentissimus Episcopus partium Germaniæ, qui nedum spiritualis, sed etiam secularis iurisdictionis negotia administrabat. Is cùm quadam vice

vestitus ferro, & militum strepenti exercitu circumuallatus per campos equitaret: vidit, rusticum hominem, aratri sui stiua relicta, in suo agro stare: & aperto ore ac stupentibus oculis sese cum summa admiratione respicere. De quo admiratus Episcopus, deserto paululùm itinere cœpto, equum quo vehebatur versus rusticum egit, & insolita quadam beneuolentia vultum serenans, ad eum dixit: haberem aliquid interrogare à te, vir bone: si uelles simplicia & vera interroganti responsa tribuere. Ad quod rusticus, nescio à quo ductus, vrbanè satis respondens, dixit: Quis sum ego, & qui sunt omnes parentes mei, vt illustrissimo principi meo & gratioso domino dedigner respondere?

Et Episcopus ait ad eum: dic ergo mihi, quid cogitabas, cùm hiante ore, & diffusis malis stabas, & me stupens inspexeras? Cogitabam, inquit rusticus, vtrùmne S. Martinus, qui & ipse Episcopus erat, cum tanto strepitu armorum militumque exercitu solitus sit per viam incedere? Ad quod Episcopus paululum rubore suffusus: Ego, inquit, non tantùm Episcopus sum, & spiritualis dominus: sed sum etiam temporalis dominus, & Dux, & Princeps. Tantùm nunc me Ducem exhibeo: sed si Episcopum libet videre, ea die (& diem statuit) ad Ecclesiam veni, & Episcopum exhibebo.

Ad quam responsionem modicè in risum concitatus homo ruralis Episcopo ait: si non velles ægrè suscipere, & dedignari, responsum præbere seruo tuo, haberem & ego quod interrogarem à te. Quære ex me, ait Episcopus, non offendes. Dicit ergo rusticus: si, quod Deus prohibeat, exigentibus meritis, Dux ad inferna migraret, Episcopus noster quæso quò pergeret? Quâ interrogatione confusus Episcopus cum rubore abscessit, & nil adhæc respondens ruralem hominem deseruit, haud parùm instructus rustici hominis decenti facetia, vt magnoperè caueret, ne, si Ducis magis quàm Episcopi negotia solicitare vellet, Ducis magis quàm Episcopi mercedes reciperet.

O quot Episcopi perierunt, & iam nunc apud inferos tremunt, qui vtramque iurisdictionem, secularem scilicet & spiritualem, administrauerunt? qui, si tantùm spiritualium causarum negotia tractauissent, iam fœlicibus fœliciores in cœlesti regno regnarent. Fermè idem etiam suprà recitauimus.

Ibidem. Quidam peccator infirmatus, & de salute sua quasi desperans, visitatus fuit à suo curato: qui curatus trepidanti infirmo dixit, quòd si vellet sibi dare equum suum, ipse recipere vellet peccata sua super se: quod dixit non propter salutem infirmi, sed vt equum haberet. Quod infirmus acceptauit, & pacto facto defunctus est.

Cumque sacerdos sacris indutus vestibus officium funerale pro ipso faceret, visibiliter coram populo eductus fuit sursum per testudinem Ecclesiæ, facto in eadem magno foramine in testudine, & postea idem sacerdos nusquam comparuit.

Ibidem. Legitur in Scala cœli, quòd quidam aduocatus, tempore charistiæ, ne audiret voces pauperum, ad quandam hæreditatem iuxta Ecclesiam accessit, vbi nec defuit populus clamans, fame oppressus: quorum voces cùm audiret, respondit: Non durabo cum istis canibus. Et fecit, poni mensam in alia camera: & statim ad portam armatus quidam pulsauit, & dixit: Nuncius Dei sum, & volo loqui cum domino vestro. Et cùm seruiens de mandato domini sui assereret, eum ibi non esse: Mentiris, inquit, in illam Cameram se transtulit, ne ipse audiret voces pauperum. Et nunc cito eum, vt compareat coram Deo, redditurus rationem de commissis. Statim autem aduocatus infirmatur, hortaturque ab amicis, vt confiteatur, sed renuit, & finaliter ad damnationem peruenit.

Ibidem. Legitur in libro qui dicitur, Vita Iesu, quòd carnales amici in beneficiorum collatione aliis dignioribus & melioribus præferuntur, quorum promotoribus væ damnationis Propheta comminatur: Væ, inquiens, qui ædificat Syon in sanguinibus. Nota versus:

Cùm factor rerum priuauit semine clerum,
Ad Satanæ votum successit turba nepotum.

Vnde nota visionem de quodam Pontifice ad carnales amicos affecto, quæ statim post mortem eius ostensa est cuidam Legato Ecclesiæ in via iam posito.

Quodam enim manè, cùm idem legatus excitatus à somno vellet orare, vt consueuerat, submissus est quidam lectus in superficie aureus, tapeciis circumseptus, in cameram vbi quiescebat, in quo residere videbatur ipse defunctus ad modum Pontificis ornatus, & in gyro eius multi de genere suo per eum promoti & ditati choream ducebant, & cantilenas lugubres cantantes in hunc modum proclamabant: Maledicta promotio & exaltatio tua. Tu enim es nostræ perditionis causa. Ille verò circumquaque respiciens maledictionem eis similiter imprecabatur, dicens: Maledicti vos à Deo, quia propter vos traditus sum igni perpetuo.

Et hoc dicens coopertorium aureum eleuauit, & flamma de lecto cum fumo fœtidissimo ascendit. Et sic visio disparuit. Hæc autem visio prædicto legato, auunculo illius, ostensa est, vt ipse à similibus abstineret, quia defuncti successor erat futurus.

Ibidem. Refert Doctor Iacobus Carthusiensis in libro suo de peccatis mentalibus mortalibus, quòd Romanus quidam Pontifex fini vitæ appropinquans, Capellano suo autoritatem Apostolicam contulit, se absoluendi sub plenaria remissione, vt fieri solet in anno Iubilæo. Finita confessione beneficium absolutionis obtinuit, obiitque.

Non multò pòst Capellano eidem apparuit vultu mœstissimo, & veste lugubri. Requisitus, an ipse esset Papa defunctus, respondit, quòd sic. Requirit Capellanus, quare tam tristis appareat? respondit: quippe æternæ morti adiucatus sum. Quare? inquit Capellanus, cùm tamen benefici-

um absolutionis plenariæ tibi, confessione facta, impensum sit. Respondit defunctus: Quoniam supremus iudex absolutionem illam ratam non habuit. Quibus dictis disparuit.

Vtique Deus creditur hoc voluisse reuelari propter nos, vt, si in viridi ligno hoc factum constet, id est, in capite Ecclesiæ, in arido, id est, in minori auctoritate quid fieret, pensaremus.

Ibidem. Legitur in historiis Anglorum, quòd quidam Clericus fuit canonicus in diuersis Ecclesiis, & Decanus in vna. Cumque infirmaretur grauiter, visitatur à quodam sancto viro, familiari suo. Cumque incepisset eum monere de via salutis, mox obscurata est camera, & vox mirabilis terroris audita est: Surge, surge sacrilege, expoliator Christi, & interfector pauperum: veni & accipe indumentum.

Cumque ille subitò expirasset, & corpus eius nigrum tanquam carbo fuisset dimissum, sanctus vir cum horrore & timore ad suum monasterium perrexit, & rogabat Deum, vt ei dignaretur ostendere iudicium illius Clerici. Et vna die, eo orante, id apparuit sub tali forma:

Duo equi ignei cum sellis stabant iuxta eum, vnus ante, & alter retrò: & firmabant pedes anteriores super humeros, & cum dentibus frangebant ossa, & omnia membra eius: & in qualibet sella equi stabat vna maleta. Cumque sanctus corrueret præ honore visionis, ille decanus cœpit dicere: Quare vocasti me miserum, cùm non vis mihi loqui? Cumque resumtis viribus interrogasset, quis esset, respondit: Ego sum talis decanus maledictus & damnatus, quondam familiaris tuus.

Tunc sanctus: Quæ est ista horribilis pœna tibi data à Deo? Tunc Decanus: Hi sunt duo equi ignei, qui inspirant ignem per omnia membra mea, & conterunt & comedunt omnia mea ossa, sicut equus comedit substantias pauperum. Vnus portat peccata mea, & alter peccata populorum, à quibus oblationes, decimas, anniuersaria, & præbendas recepi.

Tunc sanctus: Miror cùm fueris mundus homo, discretus, & ecclesiasticus, quare sic es damnatus? Tunc Decanus: Non mireris de hoc, sed mirare, quomodo Clericus habens Ecclesiam potest saluari?

Cumque ille adiurâsset eum, vt diceret causam, dixit: Attende ad stabulum clericorum, & ad Ecclesiam. Illud conseruatur à pluuia & à contrariis, & Ecclesia ruit. Attende ad particas, & ad vestes clericorum & sacerdotales. Numerus primarum præ multitudine ignoratur: secundæ autem nullæ sunt, vel sic fractæ aut fœtidæ, quòd vix possunt portare. Attende ad mensam eorum, & ad altare Christi: in mensa eorum vasa aurea & argentea, in altari Dei vix calix stanneus reperitur. Scutiferos & meretrices induunt, & pauperes spoliant, ac hospitalitatem fugant: prædicationem abhorrent sed lasciuiam & mundum amplexantur: obliuiscuntur diuinum officium, & rememorant cantilenas.

Et hæc est porta damnationis, & præcipitii clericorum. Tunc flamma fœtidissima Decanum cum equo eleuans, cum mirabili dolore à præsentia sancti viri euanuit.

Ibidem. Ante annos paucos Romæ quidam Cardinalis defunctus est, nomine Iordanus, de ordine quondam Cisterciensi assumtus, sed vita ordini in eo minimè concordabat. Erat enim auarus valdè, sicut à quodam Abbate audiui. Habebat autem notarium nomine Pandolphum, hunc cùm pro quodam negocio, nescio quò, misisset, interim expirauit. Eadem hora cùm ille expleto negocio rediret, manè ante lucem cateruam miserabilem in agro contemplatus est.

Sedebant homines in iumentis, in ore caudas habentes, versis dorsis ad capita illorum, quos Iordanus cuculla indutus nudis pedibus sequebatur, duobus dæmonibus se ducentibus, in quorum aspectu dum notarius nimis horreret, clamauit Cardinalis, Pandolphe. Subsistente Clerico & dicente, quis es, aut quid clamas? Respondit ille: Ego sum Iordanus, dominus tuus, & mortuus sum. Dicente illo, quò ducimini? respondit, ante tribunal Christi. Et ille: Nostis, quid de vobis sit futurum? Non noui, inquit, Deus scit. Sed cùm illuc venero, beatus Petrus de cardinalatu meo pro me redditurus est rationem: sanctus verò Benedictus de cuculla: quòd si illam mihi obtinere poterit, saluabor: sin minùs, damnabor. Sicque oculis eius subtractus est.



Expo-

Expositio duarum horribilium figurarum: Asini videlicet Pontificii Romæ: Vituli verò Monastici Freibergi Misniæ inuenti, anno 1496. Imp. Maximiliano I. Papa Alexandro 6.



SEmper Deus clementiam suam ac iram quibusdam miraculis, præsertim Imperiorum, mirabiliter manifestauit: sicut octauo capite Danielis Romani Antichristi regnum prænunciauit: vt omnes veri Christiani malitiam illius declinare, ac fugere possent. Qui pro sua calliditate pietatem simulat eam, qua vel electi circumueniri posse ferè creduntur, vt Christus ait Matth: 24. Eapropter durante regno illius, multa diuinitus signa extiterunt: præsertim haud ita pridem terribilis isthæc figura, Pontificius Asinus dicta, Romæ in Tybere mortua fuit inuenta: cùm annus post Christum natum ageretur M. CCCC. LXXXXVI. Quæ totius pontificii Regni formam tam graphice, ac luculenter exprimit, vt nullius mortalium artificio fieri hoc potuisse, constet: sed planè fatendum sit, ab ipso Deo sic papisticam abominationem fuisse repræsentatam.

Primùm Asininum caput Papam denotat. Est enim Ecclesia Spirituale quoddam corpus, & in Spiritu collectum regnum Spirituale: ideò corporale caput, aut externum principem habere nec debet, nec potest: sed vnum Christum, qui intrinsecus in Spiritu per fidem in cordibus operatur, caput, ac princeps existit. Verùm cùm semetipsum Papa externum & corporale caput Ecclesiæ constituerit: iste hoc asinino capite humani corporis commodè designatus fuit. Sicut enim Asini caput humano corpori congruit: ita Ecclesiæ caput Papa existit: præsertim cùm in sacris literis Asinus etiam externum & carnalem statum designet, Exod. 13.

Secundò, Dextra manus Elephanti pedem refert: ac sacrum Imperium Papæ significat, quo infirmas hominum conscientias conculcat. Suis enim innumerabilibus, & intolerandis dogmatibus animas deperdit, & nefandis conscientias mortalium peccatis miseriisque sine vllâ ratione onerat: haud secus, ac magnum illud animal Elephas, quicquid ei subiicitur, proterit, & contundit. Nam quid aliud est Ecclesiasticum Imperium, quàm conscientias inuitis confessionibus, castimonia, votis, falsis ac friuolis Missis, pœnitentia ficta, iuramentis obstringendis & remittendis, permittendo & interdicendo multa superuacanea, indulgentiis, reliquiis sanctorum, & id genus aliis ex mera temeritate, & violenta potestate grauare, opprimere, perturbare, & affligere? Denique à vero religionis negocio, & fide ad fucosum splendorem operum, & pietatis simulatæ traducere? Dan. 8. Occidet populum religiosum, & sanctum, 2. Tim. 4. Docent mendacia per hypocrisin. Dextra enim manus interiora denotat, quæ ad conscientias, animasque pertinent: quibus solus Christus suo suaui, & miti Imperio dominari debet: sed Asini caput, sua perniciosa potestate & audacia illis præsidet.

3. Læua hominis manus Imperium Papæ seculare, seu politicum designat. Etsi enim eiusmodi dominatione abstinere deberent, teste Christo, Lucæ 22. Mundani Principes regnant, vos autem non sic: sua tamen vafritie Papa, Diaboli adiutus ope, effecit, vt non solùm politico Imperio cæteris regibus vniuersis esset potior: sed etiam principem in Magistratu ciuili locum obtineret, & regum omnium supremus euaderet, quos in suas partes allexit, vt illi auxiliarentur, & in tantâ potestate conseruarent, ac obnixè propugnarent: ne videlicet Danielis vaticinio fides deesset, aientis: Illius potentiam fore magnam, sed non sua ipsius virtute. Et hac de caussa, manus isthæc humana cernitur: siquidem regnum illud, citra Scripturam, hominum saltem opinionibus ita fuit enatum: dum fas esse contendunt, vt successor Petri, & vicarius ipsiusmet Christi omnibus dominetur. Quanquam Dei gratia nunc eò sit deuentum, vt nemo non meram esse maliciam videat, quam Pontificia lerna nefariò vsurpat.

IIII. Pes dexter taurinum pedem repræsentans, ordinis Ecclesiastici ministros significat: qui pontificatum in tantis animarum afflictionibus, & oppressionibus sustinent, nempe Doctores papistici, concionatores, parochi, & confessionarii, præsertim verò Theologi scholastici. Quod damnatum genus hominum nihil aliud agit, nisi vt suprà nominata statuta & dogmata Papæ intolerabilia misellæ plebi inculcet, concionibus docendo, & audiendo peccata recensentes & sic miserabiles Laicorum conscientias sub Elephanti pede constrictas teneat: ac papatus veluti fulcra, pedes

& fundamenta existunt: quod alioquin haud ita diu consistere valuisset. Est enim Theologia Scholasticorum nil, nisi inanis, ficta, ementita, abominanda, & diabolica nugatio seu loquacitas, ac Monachorum somnia, quibus tamen miserorum hominum animas perditè oppresserunt. Matth. 24. pseudochristi, & pseudoapostoli exorientur.

V. Sinister pes est veluti gryphis vnguis, & politici Imperii ministros designat, canonistas lutis Pontificii, qui fatentur, meram auaritiam Canones suos recipere. Nam quemadmodum gryps vnguibus suis ad se rapit, ac tenaciter comprehendit, quæ illi offeruntur: ita papisticus hic ordo suis canonibus ad se rapuit totius Europæ diuitias, quas instar diaboli indesinenter retinet: sicut etiam Canones ex sordida possidendi libidine sunt conflati, vt iam vniuersus mundus vnà cum corpore & anima, facultatibus ac honore, ab hoc monstroso religionis genere fœdè oppressus, intereat.

VI. Muliebris venter & pectus denotat Papæ corpus, h. e. Cardinales, Episcopos, Sacrificos, Monachos, studiosos, & consimile libidinosum genus hominum, porcosque saginatos, quorum vita comessationibus assiduis, heluando, scortando, & variis voluptatum lenociniis transigitur. Interim tamen nullius pœnam reformidantes liberrimè degunt: & hoc viuendi modo impudentissimè vtuntur: sicut asinus hic papalis muliebrem suum ventrem nudum ac liberum gerit, vt coràm oculis cernimus, & à Daniele ac Paulo 2. Tim. 4. scriptum extat, quòd plùs ament voluptatē, quàm Deum: & Philip. 3. venter sit Deus ipsorum.

VII. Squamæ piscium adhærent brachiis, femoribus, & collo: non autem pectori seu ventri, quę seculares principes & magnates repræsentant. Mare enim in Scriptura sacra significat mundum, & pisces humanum genus designant, vt Petri rete Christus ipse explicat, Matth. 4. Significant itaque squamæ adhæsionem, vt loquitur Deus Iob. 39. Squamarum aliæ aliis ita cohærent, vt ne tenuicula quidem possit interuenire aura. Sic quouis tempore mundani principes adhæserunt, & adhuc hodie adhærent Papæ, eiusque Imperio.

Et quanquam illius luxuriam, impudicitiam, & voluptates defendere nequeunt (siquidem hìc nullæ ventri, aut pectori squamæ adhærent, quippe cuius malitia nimium est manifesta) patienter tamen eum ferunt, & eò firmiùs illius collo, brachiis, & pedibus affixi pendent: hoc est, eius viuendi morem, velut legitimum & diuinitus institutum, defendunt: vnde firmiter ac pertinaciter suum caput gerit. Quinetiam illius politicum & canonicum Imperium, intolerabiles leges, dogmata, canonas seruari, & bona temporalia tueri eiusdem satagunt. Adhæc, monasteria, præposituras, & gymnasia instituunt, ac templa erigunt, in quibus eiusmodi doctores, concionatores, confessionarii, canonistæ, ac Theologi nugas suas magno conatu tractant: vt firmiter consistat, & fundamento solido nitatur. Deniq; vt paucis dicam, totius mundi auxilium, & fauor Papam conseruat, eique ita adhæret, vt ne tenuissima quidem aurula, nec ipsum verbū Dei, eos à se mutuò separare queat.

VIII. Silicernii caput prope posteriora innuit decrementum, & finem papatus: in Sacra enim Scriptura facies aduentum, tergum verò discessum denotat. Sic Apostolus ad Heb. 8. ait: Quicquid annosum, finem habet propinquum. Atq; ita significatur eo, finem papistico regno impendere, ita vt sua sponte, absq; vllo gladii ictu, seu violento conatu, sit ruiturum: quod Daniel 8. cap. testatur, fore nimirum, vt absq; manu destruatur. Verbum enim Dei, ac veritas improbitatem eius detegunt, & sic paulatim euanescit. Ex his videmus, figuram istam verè cum vaticinio capitis octaui Danielis conuenire: & vtrumq; ne pilum quidem latum à papatu aberrare.

IX. Draco, qui suum ex podice illius os aperit, ac ignem expuit, virulentas & horrendas bullas, blasphemosq; codices denotat, quos cum suis Papa in totum orbem euomuit, quoslibet iis deuotare cogitans: quia persentiscit, exitum suo imperio impendere. Vltima enim, & pessima eorum est ira, seu conatus, quo ad extrema descendunt, vtrùm comminationibus, terrore, atq; execrationibus horrendis abominandam suam doctrinam conseruare possent? Verùm nihil est, quod patrocinetur nebuloni: pereundum est ei certò: frustra enim draco mordet, & in aërem expuit, nec quempiam attingit: quia iracundæ illius bullæ, ac volumina neminem ampliùs perterrefaciunt: cùm veritas nimis luculenter iam pateat, & inclarescat.

X. Quòd autem papalis hic asinus non alibi, nisi Romæ fuit repertus, antecedentia omnia multùm confirmat: ita vt de nullo alio regno possit intelligi, quàm Romano. Est autem Romæ nullum aliud Imperium, vel par magnitudine, vel amplius etiam pontificis Iurisdictione. Deus enim semper edit miracula iis in locis, vbi rem certam designant: vt & Ierosolymis factum fuit. Quòd autem exanimus fuit, exitum papatus adesse, conuincit, qui tamen non ense aut mortalium vi, sed vltrò, suaq; sponte sit dispariturus. His omnes commonefactos velim, ne hoc tam magnum Dei miraculum contemnāt: sibiq; ab exsecrando Antichristo, eiusq; assèclis diligenter caueant. Melanchthon.

Explicatio Vituli Monachici, Freibergi in Misnia reperti.

EXpositionem vituli huius monachici relinquam Spiritui, quando ego vates haud sum: nisi, quòd omnibus notum est ex vulgaribus coniecturis, per omnia miracula tristes calamitates ac mutationes præsagiri, cuiusmodi haud dubiè nostra quoq; Germania debet exspectare. Sed quales sint futuræ, prophetarum officii est prænunciare: ego autem nouissimum diem in votis habeo. Permulta enim prodigia hactenus continenter euenêre, ita vt totus terrarum orbis velut in grandis cuiusdam libræ medio consistat: qui sine ingenti mutatione interire nequit. Cui splendidissima

lux



lux Euangelii hodierno die accedit, cuius annunciationem semper maximæ variationes propter incredulam turbam susceperunt. Ego saltem de certissimis loquar, nec exponam caussam, quare Deus hoc tantum prodigium vitulo monastico patefecerit, & vestem illam sacrosanctam tam horrendè, ac prophanè polluerit: cùm tamen futuras miserias absq; cucullo monastico, per aliquod prodigium potuisset indicare.

Qua de causa Freibergi quoq; sacerdotalem vitulum nuper creauit: & hoc præsenti anno tantùm sacris prodigiis nobiscum agere cœpit, quibus certò declarat, ordinem Ecclesiasticum attentè à se obseruari, & aduersus illum quippiam sine dubio susceptum iri. Sic olim quoque fecit, cùm Dan. 8. Alexandrum regem potentissimum capro significari permitteret: quo præter venturæ calamitatis prædictionem, innuebat etiam Græcorum proteruiam ac temeritatem, qui caprorum instar sua ratione ad sublimia contendunt, & nihil non tentare audent. Sic etiam hoc loco in vitulo Monachico præter significationẽ propheticam, indicauit, cuiusmodi genus hominum sint Monachi: & fortaſsis hoc quoque voluit, tristissimam hanc perturbationem propter sacerdotum improbitatem mundo euenturam, qui sua carnali doctrina fidem exstinxerunt, & mundum in vitulinam conuerterunt.

Alius igitur propheticam explicationem proferat, ego vitulum meum Monachicum, propter eandem vitæ meæ conditionem, declarabo: sacerdotalis vitulus suum quoq; coniectorem inueniet. Hanc autem explicationem eò libentiùs suscepi, quò magis eorum animos obduratum iri scio, ad quos pertinebit: quia verò contemnunt, & velut hæresin damnant, quæcunque dico: ideo nec hoc mihi loco credere debent: sed indies magis excæcari: ne ad veram Dei agnitionem aspirent, & irreligiosam suam vitam emendent. Sicut ad Esaiam dicebatur: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.

Quemadmodum igitur Bileam, cùm verbum Dei non audiret, vltimò etiam ab asina sua plectebatur, nec tamen peccatum agnoscebat: ita etiam nunc religiosi nostri patres, qui hactenus coram lucida veritate Euangelii suas aures instar viperarum obstruxerunt, hunc vitulum quasi clarum speculum intueantur, quinam sint coram Deo, & quid in cœlo de ipsis sentiatur: quamuis nihilominùs oculos strictè claudere debeant, ne quicquam hîc videant: aliàs fortaſsis conuerterentur, & horrendum Dei iudicium effugerent: excæcatum enim Pharaonem neq; verba, neq; miracula commouere potuerunt.

Primùm igitur, vt summatim loquar de hoc miraculo, non tibi ludibrio sit, quòd Deus religiosam hanc vestem, & sacrum cucullum vitulo induit. Nam sine dubio voluit innuere, breui manifestatum iri, quòd vniuersa vita monachica nihil aliud sit, nisi fictus & externus splendor religiosæ pietatis. Sumus enim nos miseri homines persuasi hactenus, ipsum Spiritum Sanctum sub eiusmodi cucullo latere: & hac sacra veste nil nisi pietatem tegi. Sed hîc Deus ostendit, vitulum saltem occultari eadem: quasi diceret, integumentum illud esse nequitiæ.

Nam quid vitulus significet, aureus Aaronis vitulus declarat, qui in deserto numinis loco celebrabatur, Exod. 33. Psal. 77. Mutauerunt eius gloriam in simulachrũ vituli gramine vescentis: quod idem demonstrant & Ieroboami vituli in Bethel & Dan. 3. Regum 12. contra quos tantoperè prophetæ vociferabantur. Sic etiam hunc vitulum quisq; intueatur, & sciat, cucullum istum designare vniuersum sacrum ordinem, cum omnibus suis irreligiosis cultibus, quos maximi faciunt, orando, missificando, psallendo, ac ieiunando. Verùm cui hos cultus præstant? quis honoratur iisdem? & ex quo pendent? Ex vitulo, quem vestis isthæc sacra exornat, vti cernitur.

Quid igitur est vitulus? Falsa illorum idololatria, in mendaci corde. Quomodo? opinione sunt imbuti ea, qua putant, vero se Deo inseruire sacris suis cultibus, & cœlum per opera mereri, confidunt: ideoq; suos cultus tantummodò metiuntur operibus humanis, non fide. Est autem nullus vspiam Deus, neq; in cœlo, neq; terra, qui cultibus hisce delectetur, præter Diabolum, aut Antichristum: siquidem verus Deus haud aliter nisi in Spiritu, & veritate colitur, Ioa. 4. h. e. in fide & spiritualibus operibus, quæ Spiritus Christi in nobis facit, Ioh. 6. & Es. 55.

Idcircò falsi isti Theologi suis cultibus, sub diuini nominis prætextu, nemini seruiunt, nisi sibimet prauis opinionibus, quibus se Deo placere putant. Opiniones istæ sunt mendacia, & idololatria in cordibus ipsorum: sicut etiam Iudæis acciderat in suis Idolomaniis. Ecce hic est vitulus, &

falsa carnalis opinio sacri ordinis, ex qua pendent, & quam suis speciosis levibusque palliis exornare nituntur. Vescitur itaq; vitulus iste duntaxat gramine: siquidem eiusmodi sancti viri non fruuntur futuris opibus: sed in terris sese saginant. Videmus enim, præstantissima quæq; bona, maximas voluptates, summos honores, summamque potestatem penes Ecclesiasticum ordinem esse. Eiusmodi gramine vescitur hic vitulus, vt verum euadat, quod scriptum est, maiestatem eorum permutari in idolum vituli, qui herbis & gramine pascitur. Christus enim nostra maiestas est, & gloria, qua summè lætari deberemus: at illi aliam in suis cordibus gloriam illius loco spectant: & suis tantum gloriantur ac nituntur operibus, & meritis, ita vt Christi vicem isthic vitulus suppleat, & nomen eiusdem gerat.

2. Quòd autem stola cùm in tergo, tum pectore & femoribus, est dilacerata, significat discordiam, quæ in eiusmodi religione existit: cùm tamen nihil seueriùs exigatur in S. literis, quàm vt viuatur vnanimi consensu inter Christianos: sicut Psal. 57. testatur: Deus excitat lætitiam in domo eorum, qui sunt concordes: & Psal. 133. ô quàm iucundum est, fratres habitare in vnum? Verùm isti irreligiosi Spiritus tam varios fouent sensus, quàm multiplices reperiuntur colores. Sua Franciscanis, seu discalceatis Monachis regula videtur optima: Concionatorum ordini sua placet: Augustiniani huc tendunt, illuc Carthusiani: nec vlli probatur ordini, quod aliis satisfacit. Et sic stola pannosa apparet à tergo vituli, & circa pedes: quamuis in hoc omnes consentiant, quòd eundè vitulum exornent, hoc est, consimili laborent impietate, & opinionum prauitate, qua cœlum bonis operibus consequi nituntur.

Potissimùm verò notandum est, quòd posteriora finem significent, & pedes eos referat, quibus velut sustentaculis vitulus (h.e. falsa hæc opinio) incumbit. Nunquá enim hactenus tot sectæ, tot ordines, tot discrimina & nomina Ecclesiasticorum fuerunt, quot hæc præsens habet ætas, quæ ruinam afferet illis, vt eorum malitia tandem finiatur, & intereat. Sunt item pedes audaces isti fratres, & doctores, magistri nostri eximii, adeoq; doctissimi quique passim in ordinibus sacris: qui sep o bum hunc Ecclesiæ statum suis monumentis, concionibus, & dictatis per orbem terrarum conseruant: licet interim suis opinionibus longissimè à se mutuò singuli discrepent. Quot enim capita, tot sensus etiam inter illos reperias.

3. Vitulus prorsus concionatorem repræsentat gestibus, quippe qui posteriores pedes extendit, ac si staret: dextrum verò ex anterioribus expandit, sicut mos fert concionatorum: læuam ad se trahit: caput sursum iactat: linguá volutat in ore: deniq; omninò apparet, vt qui concionem ad populum habet. Idcircò quemadmodum Asinus pontificius Papam depingit: ita verissimè vitulus hic Monachicus Apostolos & discipulos Papæ repræsentat: vt mundus vniuersus perspiciat, cuiusmodi hactenus doctores rerum diuinarum audiuerit, & adhuc hodie audiat. Quales enim Apostolos æquius est habere caput Asininum, quàm vitulinos? siquidem carnale imperium carnali quoque doctrina vtitur. Ideoq; nullos dum oculos habet, vt eos designet, de quibus Christus ait, Matthæi 23. Væ vobis Scribæ, duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Et Esa. 56. speculatores eius cæci omnes, nesciuerunt vniuersi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.

Complura alia in hoc vitulo, ad Monachos & doctores accommodare quis poterit, nimirùm: quòd auricula cuculli intolerabilem tyrannidem confessionariorum denotat, qui mundum confitendi molestia grauissimè affligunt, & in Diaboli potestatem tradunt: quòd lingua in ore futilem eorum doctrinam repræsentat: quòd verrucæ duæ in caluitio capitis cornua fieri debebant. Hæc autem Euangelii prædicationem significant, quod de cruce verba facit, & veterem hominem ferit. Michææ 3. Ferreum reddam cornu tuum, vt multas gentes ferias. Verùm hic vitulus non habet cornua: sed vestigia tantùm, & signa. Nomen enim solùm possident, quòd Euangelii vocem sonent: sed hanc ipsam velut captiuam duxerunt, & ad suas humanas traditiones retorserunt. Sunt itaq; verrucæ in caluitio, cui quicquid placet, Euangelium vocatur: nec ex eodem licet excedere Euangelio: sed illius sanctimoniæ congruere: præsertim quod caput, siue Papam attinet.

Quòd cucullus tam arctè collum stringit: illorum pectora excæcata, & contumaciá indicat in vita monachica, cui suas tam indissolubili nexu conscientias alligârunt, vt ne sanctissimæ quidem veritatis vi vlla inde soluti possint abire. Quòd autem idem cucullus integer in tergo, in pectore verò laceratus est, indicat, eos coram mundo tantùm pios esse, ex quo olim ipsis migrandum erit: sed coram Deo, & respectu futuræ vitæ, reuera tantùm ventres sunt nudi, & lurcones: vt interim taceam, quæ vel per ventrem, vel alio modo peccata, Deo vidente, perpetrantur.

Quòd item inferius labrum humanum, superius vnà cum naso, vitulinum apparet, significatur eo, conciones quidem interdum de legis diuinæ operibus haberi: sed omnia vitulum redolere & ad propriam iusticiam, ac pietatem torqueri. Duo enim oris labra duas conciones denotant: inferius legis, superius Euangelii seu promissionis diuinæ. Verùm Euangelii loco, vitulinum ea prædicant, hoc est, aureolos, & ingentia merita cœli, pro suis operibus, quæ sine fide magnis laboribus faciunt. Postremò, vitulus est læuis vbiq;, præter naturam istius animalis, quo significatur subtilis & blanda simulatio, vel hypocrisis, qua se hactenus omnibus versutè commendârunt: vt sanctiá nobis patres salutarentur, cùm reuera fuerint animarum latrones, & præcursores Diaboli. Hæc iam omnia sunt reuelata, & vitulus editus est in lucem, quo fit, vt non possint ampliùs celari, vtpote qui cunctis innotuêre.

Hanc ego declarationem omnium iudiciis committo: quæ licet non congrueret, sacrarum tamen

men literarum fundamento per se probatur: Monachatus eam esse naturam, quæ hic fuit exposita. Cùm autem vitulus isthic insuper accedat, quilibet, quid contemnat, video, si meam sententiam contemserit: satis nobis in huius vituli explicatione dictum est, Monachatum Deo exosum esse.

Quòd si res aliter se haberet, hanc vtiq; pallam honestiori simulachro induisset.

Quinetiam hoc miraculum non vnum tantùm virum, seu hominem, sed ingentem numerum, & multitudinem designat, quod omnium in sacris miraculorum fert mos, & consuetudo. Dan. 8.

Cauete vobis Monachi ac Nonnæ, & cauete diligenter, nec admonitiones diuinas ludibrio, seu risu excipite: aliam vitæ Monasticæ rationem inite: vel relictis monasteriis, & cucullis depositis, in Christianorum castra reuertimini: priusquàm vos hora opprimat, vt etsi velletis, resipiscendi copiam adipisci nequeatis: quia iam facultatem istam concessam negligitis.

Inprimis nobilitatem rogatam velim, idq; ea, qua conuenit, humilitate, vt suos propinquos, & liberos isto periculoso viuendi genere liberet: eosq; perinde, ac ipsos, homines natos esse, cogitet: quippe, qui naturæ legibus haud minùs obnoxii tenentur, ac alii mortales: vnde fieri prorsus non potest, vt tam infinita hominum copia castam possit vitam traducere. Ego sic meo officio satisfaciendum, & omnes sedulò admonendos, putaui. Lutherus.

Conradus Summerhard D. Theologiæ, Professor Tubingensis. 1496.

MVlta hic in Papatu damnauit, vt in oratione funebri de Eberhardo, primo eius nominis duce VVirtembergico, Tubingensis Vniuersitatis fundatore, videre est, vbi quoque expresse ponit: optimum Ducem sæpissimè efflagitasse & exoptasse, vt demum aliquando reformatio à capite Papæ ad reliqua vsque membra institueretur.

Non enim fugiebat animum inclyti illius ducis, sed optimè animaduertebat tam generosum cor principis, omne malum non aliunde nisi à capite Papa oriri, illumq; omnes errores, abusus, & corruptelas in totam Ecclesiam disseminare: idcircò ardenter suspirauit, vt Deus tandem gratiam largiretur, quò totum Ecclesiæ corpus reformaretur. Imp. Max. 1. PP. Alex. 6. V. S.

Ioannes Marius Belga. 1496.

FVit hic olim Gallorum Regis Ludouici 12. Historicus, & scribit in libro de schism. & Conciliis, se existimare, tantùm triginta duos Papas saluatos, reliquos autem cum aliis multis Ecclesiasticis maiori ex parte à Diabolo in sua retia hamo hæresium, diuitiarum, & superbiæ pertractos. Verba eius sunt: Iam verò, inquit, Deo permittente, Papa honore æquali Regibus fruitur, omnique persecutionis periculo liberatus, summa securitate gaudet: quod licet ex animo Ecclesiæ gratulandum videatur, tamen sunt, qui disputent ac sentiant, id singulari arte, atque astutia Diaboli, hostis generis humani, factum: qui, cùm non alia ratione sanctimoniam Paparum corrumpere posset, quorum triginta duos è manibus suis, forti constantia, & tolerantia persecutionum & martyrii, euasisse videbat, cogitârit, eos, aliosque Ecclesiasticos, hamo diuitiarum atque hæresium, quæ ex superbia, & inflatione scientiæ profluunt, in sua retia pertrahere, spe certa, se maiorem eorum partem hisce duobus facilimè in suam potestatem redacturum. Et ad id quidam allegant, in die donationis solenni, vocem horribilem in aëre auditam, quæ dixerit: HODIE Venenum in Ecclesia seminaui. Imp. Max. 1. PP. Alex. 6. V. S.

Idem. Verùm enimuerò Platina, non ignobilis autor, in vitis Pontificum aliam diuersamque rationem assignat, & autoritate Eusebii allegata, dicit: Persecutiones non aliunde, nisi ex diuina vltione processisse: maximè ea de causa, quòd Christiani, & præcipuè Ecclesiastici, sub colore & prætextu fidei ac religionis Christianæ, tanta arrogantia, tanto odio, contemtuque vicinorum laborârint, vt impossibile fuerit paganis ferre. O si principes nostri temporis similiter affecti essent erga clerum, præsertim cùm, eum superioribus similem esse, videant.

Idem. Diocletianus, se vt Deum adorari, suisq; pedibus oscula præberi, volebat, quemadmodum Papæ, barbaricum fastum regum Persicorum imitantes.

Idem. Sed cùm Syluester humili ac religiosa recusatione vnam coronam, quam sibi Constantinus ex potestate Imperiali conferre volebat, reiecerit: ipsi authoritate priuata triplicem rapuerunt, cum tiara, qua Persici reges olim vti consueuêre, quæ instar cuculli eminet, & plurima in se continet, instar stellæ Phrygionis.

Idem. Verùm enimuerò opes atque diuitiæ huius mundi tantoperè hominibus placent, eorumque sensibus abblandiuntur, vt, etsi Syluester Papa coronam auream, sibi ab Imperatore Constantino oblatam, recipere abnuerit, non tamen tam teneræ strictæque conscientiæ fuit, vt alia maiora, redditus videlicet, terras, regiones, dominiaque Imperii Romani, quæ, vt aliqui dicunt, Constantinus ei dedit ac concessit, non acceptaret.

Idem ex propheriis Merlini, antiqui vatis. Cæsar regnabit vbique, sub quo cessabit vana gloria cleri.

Idem. Erit vrbs vix præsule digna.

Idem. Vt autem ad Benedictum nonum reuertar, qui auctor fuit 14. schismatis, & Papatum vendidit: huius, vt omnes historici affirmant, simulachrum admodum monstrosum post mortem cuidam apparuisse refertur, interrogatumque, quid illa horrenda imago præ se ferret, cùm antea Pontifex fuisset? quia, inquiisse, in vita sine lege, fide, & ratione vixi: ideò, volente Deo, & Petro, cuius sedem omnibus probris fœdaui, simulachrum meum plus feritatis, quàm humanitatis in se habet.

Id exemplum alii ob oculos ponere deberent: sed pauci ex eo tempore fuerunt, qui id & alia curârint. Verisimile autem est, iram Dei per talia scelera, & scandala irritatam fuisse. Nam vt alias calamitates, quæ in Ecclesia acciderunt, prætercam, circiter tempus huius schismatis, Terra Sancta Christianis ademta, & per Turcas ac Saracenos occupata est, qui templo Hierosolymitano, & sepulchro Dominico polluto, omnis generis fœditates in eo perpetrârunt. Anno D. 1011.

Idem. Tria præcipuè Ecclesiæ vniuersali magnum damnum attulêre: nimirum ambitio, auaritiæ mater: omissio seu neglectus conciliorum generalium: legitimi matrimonii sacerdotum in Ecclesia latina prohibitio. Ad quæ tria testimonia adduco.

Primum est Papæ Pii secundi, qui dicere solebat grauiter: Virtutes clerum ditasse, vitia pauperem facere: Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiori restituendas videri.

Secundum Gaguini, qui in vita Caroli VII. his verbis sententiam suam explicat: vetustissima contentio de vniuersali concilio, vtrùm maius sit Papâ, sæpè hactenus inter Ecclesiasticos perseuerat: quo, mea sententia, factum est, vt generales synodos cogere Pontifices detrectent. Formidant enim, suam tam latè patentem, ne dicam, vsurpatam auctoritatem, Conciliorum decretis cohiberi. Itaque ea est hodie illorum sublimitas, & amplitudo, vt, parui habitis Regibus, licere sibi omnia, glorientur.

Tertium est Platinæ, in Benedicti quarti vita dicentis: Sanctitate enim & doctrina, quæ non nisi magnis laboribus consummataque virtute comparantur, Pontificum decus sine vllis opibus primò quidem auctum est inter tot hostes, obstinatosque persecutores Christiani nominis: mox verò, vbi cum ipsis opibus lasciuire cœpit Ecclesia Dei, versis eius cultoribus à seruitute ad luxuriam, peperit nobis tanta luxuria peccandi hæc monstra, hæc portenta.

Et de his rebus tribus dictum est, quò clarè perspiceretur fons, & origo arrogantiæ ministrorum Ecclesiæ Romanæ: & quòd hæc non sit noua, sed quasi prædictrix, & vates maximi istius futuri vicesimiquarti schismatis, de quo tot tantaque veterum prophetarum, Sibyllarum, & Astrologorum vaticinia inueniuntur: simulque cognosceretur, intolerabilem, atque immensam ambitionem Ecclesiæ Romanæ præbituram occasionem eius persecutioni.

Idem. Etsi de futuris contingentibus non sit determinata veritas, secundum Philosophum, tamen Ecclesia pro articulo fidei tenet, mundum igne periturum: & antequàm id fiat, certum est ex autoritate Apocalypsis, Antichristum esse venturum. Eius porrò aduentum ingens & horribile schisma præcedet, cuius magnitudine principes seculares cogentur manum adhibere reformationi Ecclesiasticorum: id quod inspiratione & reuelatione diuina multi Prophetæ, Sancti, Astrologi, Mathematici, & Vates præuiderunt, quorum vaticiniorum partem aliquam hîc adiiciemus.

Apostolus Paulus in II. Epistola ad Thess. dicit: Non reuelabitur filius iniquitatis, Antichristus, donec fiat discessio siue dissensio. Glossa. Id est, Schismatica diuisio, vel subtractio Romanæ Ecclesiæ, vel Romani Imperii.

Mirum.

1496. HOc anno quædam mulier, nomine Æmylia, nupsit ciui cuidam Ebulano: at post duodecimum matrimonii annum mutata est in virum, & deinceps Æmylius dicta fuit, & viris conuersata artes viriles in patria exercuit, vxoremque propriam, restituta dote, iussu Ferdinandi Regis Siciliarum, duxit. Palmerius.

M. Elucidarius.

1497. DE Antichristo scribit, quòd sit nasciturus in Babylone: vide apud eum. Imperatore Maximiliano 1. Papa Alexandro 6.

Michaël Lochmeyer, Canonicus Patauiensis. 1497.

MOuetc. 38. quæstionem, an cognoscens pulchram plùs peccet, quàm deformem? item, fornicando quis grauiùs peccet, religiosus vel laicus? Concludit, quòd laicus, propter merita præcedentia & sequentia religiosi: allegans ad hoc psalmum, Si ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Ex quo infero, ait, quòd positus in dignitate, vt Episcopus, leuiùs delinquit, quàm inferior, cùm dicatur religiosissimus, c. ex multa de voto. & ut in statu perfectionis, c. licet. de regula. c. nisi eum pridem de renun. Septies enim in die peccat iustus, sed per bona opera illicò resurgit. Imp. Max. 1. PP. Alex. 6. V. S.

Gabriel Biel Theologus, Professor Scholæ Tubingensis. 1497.

ETsi in lectionibus super canone Missæ, lect. 57. multis argumentis firmâsset, indulgentias Papæ non prodesse animabus purgatorii papistici: tamen post librum euulgatum, videns bullas Sixti 4. & Innoc. 8. qui rectà dabant indulgentias defunctis, & audiens fabulam de quodam Papa, qui per suas indulgentias eruit à purgatorio animam nepotis, quæ ei liberata apparuit in testudine fenestræ: his solis, inquam, bullis visis, & fabula auditâ, dementatus retractauit, quæ priùs in hac schola docuerat & scripserat pro negatiua: & fixè conclusit, & deinceps docuit ac scripsit affirmatiuam. Carol. Mol. in orat. de Theol. dignitate Imp. Max. 1. PP. Alexandro 6.

Idem in commentario super canonem Missæ, dicit: Quomodo fit corpus Christi in pane, non inuenitur expressum in canone Bibliæ.

Idem in Can. Mis. lect. 49. Execrabili argumento osculationem pedum Papæ sic plerique defendunt, & meritò fieri ideo, affirmant: quia scilicet in iis ipsis sandaliis, vbi osculum accipit Papa, signum crucifixi Christi depictum sit. En tibi pios catholicos homines: qui imaginem Christi calceis impingunt, & non alio, quàm infimo abiectissimoq; loco dignam iudicant?

Ibidem. Qui creauit me dedit mihi creare se: & qui creauit me sine me, creatur mediante me Super quo pii exclamant: Ecce Deifex.

Lucius Bellantius Senensis, Astrologus. 1498.

BEllantius lib. 5. suarum responsionum contra Pium sic scribit: Nec vnum tacendum videtur: complures autem sunt eius Florentiæ testes fidedignissimi, quibus, inspecta Hieronymi Sauanorolæ genitura, quinque ante eius iacturam menses, dum florebat, eum vitam laqueo terminaturum, prædixi. Is quanquam crematus, tamen etiam priùs fuit strangulatus. Imp. Max. 1. PP. Alexandro 6. vt suprà.

Paulus Scriptoris Tubingensis. 1499.

HIc cùm Scotum prælegeret, ac ad decimam quarti libri distinctionem deueniret, transsubstantiationem negauit, asserens: omnia Dei verbo, ceu Lydio quodam lapide probanda: cætera enim omnia erronea esse. Solitus est prophetare mutationem religionis. Habuit auditores Augustinianos, discipulos & subditos Ioannis Staupicii prouincialis: ac inter reliquos Conradũ Pellicanum Rubeaquensem, qui, eum multos abusus & errores papisticos taxasse, & insectatum fuisse, testatur. Ob quam etiam causam à Minoribus in exilium pulsus, Keysersbergæ obiit. Imperatore Max. 1. Papa Alexandro 6. vt suprà.

Petrus à Biaxio Nauarrensis in tract. qui inscribitur Directorium Electionum. 1499.

SI Papa de plenitudine potestatis tale iubeat, cuius transgressio crimen inducat, opponi potest ius gentium. Bal. in proc. decretalium col. iij. Miseros appellat Prælatos, qui obediunt Papæ inuisa præcipienti. Et ait Martinus Laudensis in tract. de Consiliariis: Quòd si Princeps iracundia vel iniusticia motus, mandauerit crudelia, non debent permittere, vsque ad trigesimum diem: donec cesset iracundia. l. si vindicari. c. de pœnis. Qui textus aureis literis est pingendus; vt ille inquit. Imp. Max. 1. PP. Alex. 6. V. S.

Idem in Direct. Elect. Multi asini, qui vix legere possunt, ad Sacerdotale officium proue-huntur, qui propter inscitiam mercibus se implicant, vsuris student, adulteriis inuigilant, & reliqua id generis scelera perpetrant sic, vt verè dici possit: Egressa est iniquitas de Babylone, à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum, Dan. 13. Hinc eorum exemplo pauperculi laici seducti, eorum vitam ac mores imitando gehennalibus cruciantur tormentis. Quod enim agitur à Prælatis, facilè trahitur à subditis in exemplum.

Portentum.

1499. Hoc anno, feria VI. in vigilia Sancti Viti, circa occasum Lunæ, Luna fuit primò mutata in algredinem, postea per medium in duas partes diuisa, quasi essent duæ Lunæ, quarum vna saltauit contra aliam retrogradè & ex aduerso contrra aliam, & fuerunt rubricatæ. Tandem vniuntur è conuerso, & dant occasum, vt vna Luna. Illis temporibus multæ fiunt confœderationes, tam in Sueuia quàm alibi. Et nobiles, qui anno 1496. confœderati erant, opponunt se magnifice Romanorum Regi, ex parte denarii communis, quem Regi non voluerunt dare. Linturius.

Ordo pœnitentium mulierum, seu meretricum.

1499.



Ioannes Tisseranus Minorita hunc ordinem ex prostitutis, non iuuenculis, sed vetulis tantùm, rugosis, laridis, & decrepidis, quæque communi ordinum vsui non ampliùs aptæ essent, constituit anno 1499. Parisiis. Genebrardus, & Ioannes Multivallis in Appendice ad Eusebii Chron. referunt eum ad annum 1494. Imperatore & Papa vt suprà.

Ex libro cui titulus est, Gesta Romanorum, cum applicationibus mysticis.

1499. Titi in imperio erat quidam miles generosus, Deo valdè deuotus, qui vxorem pulchram habebat, sed sub viro suo adulterata est, nec de adulterio desistere volebat. Miles verò, cùm hoc vidisset, contristatus valdè in animo suo, cogitabat terram Sanctam visitare, & ait vxori suæ: Charissima ad terram Sanctam pergam, vos discretioni vestræ commito.

Cùm autem vltra mare perrexit, domina quendam clericum peritum in nigromantia dilexit, & cum eo dormiuit. Accidit semel, quòd, cùm ad inuicem in strato iacuissent, dixit domina: Si vnam rem mihi perpetrares, me in vxorem ducere posses. Et ille: Quid ergo est hoc, quid tibi placet, quid potero tibi ministrare? Quæ ait: Maritus meus ad terram Sanctam perrexit, non me multùm diligit, si eum per aliquam artem occidere posses, omnia quæ habeo, obtineres. Ait Clericus: Tibi concedo, ita tamen, vt me in maritum accipias. Quæ ait: Hoc firmiter promitto.

Clericus verò quandam imaginem nomine militis fecerat, & in pariete ante oculos suos fixit. Interim miles cùm per plateam ciuitatis Romanæ transiret, Magister quidam peritus ei obuiabat, & interimè eum respexit, & ait ei: Charissime, secretum habeo tibi dicere. At ille: Magister, quid vobis placet, dicite. Qui ait: Hodie tu es filius mortis, nisi auxilium habueris à me: Vxor tua est meretrix, & de morte tua ordinauit.

Miles audiens, quòd verum dixisset de vxore sua, ei adhæsit, credidit atque dixit: O bone Magister, vitam meam salua, & mercedem condignam tibi reddam. Qui ait: Libenter te saluabo, si feceris, quæ tibi dixero. Ait miles: Præstò sum. Magister balneum fieri fecit, & militem vestimentis exuit, & balneum intrare mandauit. Deinde speculum politum in manum suam tradidit, & ait: In speculo respice diligenter, & mirabilia videbis.

Ille cùm speculum respexisset, & Magister iuxta eum in libro legisset, ait ei: Dic mihi, quid vides? Ait miles, quendam clericum in domo mea video, qui vnam imaginem de cera ad similitudinem meam in pariete fixit. Ait Magister: Quid modò vides? At ille: Iam arcum accipit, & sagittam acutam in eo ponit, & imaginem incipit sagittare. Ait Magister: Sicut vitam tuam diligis, cùm sagittam ad imaginem volare videris, totum corpus tuum in balneo volue in aqua, donec tibi dixero. Miles cùm hoc audisset, & vidisset sagittam moueri, corpus suum sub aqua voluit totaliter.

Hoc facto, ait Magister: caput tuum eleua, & in speculo respice. Quod cùm fecisset, dixit ei: Quid iam in speculo vides? Ait ille: Imaginem non percussam, sed à latere sagitta abiit: & de hoc Clericus multùm dolet. Ait Magister: Iam in speculo quid facit, respice. Et ille: Iam magis propè pergit ad imaginem, & sagittam in arcum ad percutiendum ponit, vt imaginem percutiat. Qui ait: sicut priùs fecisti, & modò facias, si vitam tuam diligis.

Miles verò, cùm per speculum vidisset, quòd Clericus arcum tenderet, totum corpus suum voluit in aqua. Hoc facto, ait Magister: Respice, quid modò est? Quod cùm fecisset, dixit: Miro modo dolet Clericus, quòd imaginem non percussit, & vxori meæ dicit: Si tertia vice imaginem non percutiam, perdam vitam meam prope imaginem. Et modò pergit propiùs, ita quòd mihi videtur, quòd non poterit decipi, quin imaginem percutiat. Ait Magister: sicut vitam tuam diligis, iam curam habeas, vt, cùm arcum videris trahi, totum corpus tuum sub aqua inuoluas, donec tibi dixero.

Miles semper in speculo respiciebat, & cùm, Clericum arcum extendere ad percutiendum, vidisset, corpus suum in aqua inuoluit, donec magister ei dixit: Surge velociter, & in speculo respice: quod cùm vidisset miles, ridebat. Ait Magister: Charissime, dic mihi, quare rides? At ille: Clarè in speculo video, quòd Clericus imaginem non percussit, & sagitta est reuersa, & eum inter pulmonem & stomachum percussit, & mortuus est. Vxor mea sub lecto meo foueam fecit, & eum ibi sepeliuit. Ait Magister: Surge velociter, & vestimenta indue, & ora Deum pro me. Ille verò ei de vita sua gratias reddidit. Factaque peregrinatione, ad suam terram miles perrexit.

Cùm verò domum venisset, vxor eius obuiam ei venit, & cum gaudio eum recepit. Miles verò per plures dies dissimulabat. Tandem pro parentibus vxoris misit, & eis ait: Charissimi, hæc est causa, quare misi pro vobis. Hæc est filia vestra, vxor mea, quæ adulterium sub me commisit, & quod peius est, in mortem meam nefanda machinata est. Illa verò cum iuramento negauit. Miles verò incepit, & totum processum Clerici recitauit: quod si non creditis, inquit, venite, & videte locum, vbi Clericus sepultus est. Eosque ad cameram suam duxit, & corpus Clerici sub lecto eius inuenerunt. Iudex est vocatus, & sententiam dedit, vt ipsa igne combureretur: & sic factum est, & puluis illius corporis pòst per aërem dispergebatur. Deinde miles sibi virginem pulchram in vxorem accepit, & ex ea prolem genuit, & in pace vitam suam finiuit. Imp. &. PP. V. S.

Tilemannus Spangenberg.

Tilemannus Spangenberg, D. Ioannis Spangenbergii, Theologi, piæ memoriæ, pater, qui circiter annum 1499. diem clausit extremum, inter alia pia monita, ad liberos suos & vicinos sæpe dixerat: Breui eam religionem, quæ tum vigebat, in summum venturam contemtum: tum eos visuros, sacerdotes & monachos ob malitiam, auaritiam, odia & fœditates, eiectos ex templis & monasteriis, discurrere, & aliam veram tum religionem fore instaurandam. Non enim patietur Deus (dixerat) corruptissimos horum hominum mores, præsertim, cùm vix vnicum verbum Euangelii doceant, & præterea vitam, quolibet etiam ethnico indignam, ducant. 1499.

Hanc religionis (papisticæ videlicet) mutationem tum dixit futuram, quando cornua calceorum, quæ tum abiiciebantur, homines iterum essent recepturi, & non in anteriore parte tantùm, sed & ex vtroque latere gesturi.

Dixerat præterea aliquando in præsentia quorundam canonicorum: Spirituales & Ecclesiæ ministri docere populum quidem deberent: sed inuerso ordine bella gerunt, & ad arma adhortantur: (erat enim quædam tunc inter Duces Brunsuicenses & Episcopum Hildesheimensem discordia.) Id quod aliis prohibere, eos deceret, facere ipsi non erubescunt. Vbi animas curare debebant, non animas tantùm, sed & corpora trucidant. Sie sollen sein Seelsorger/ so sind sie Leib vnnd Seelwürger. Cat. Imp. & PP. V. S.

Antonius Theodorus.

Cuiusdam serui Dei heremitæ, nomine Theophili, qui & sacerdos extitit, beatam abstractiuam vitam in ducentis libris prophetiarum descripsit Antonius Theodorus eo tempore, quo erat Dux Ianuæ: ibi specialiter continentur omnia, quæ futura sunt Ecclesiæ, de suppressione Cleri, & depauperatione Ecclesiasticarum personarum. Et de Ecclesia additur, quòd postquàm fuerit punita propter excessum, renouabitur, sicut Deus longo tempore reuelauit suis electis. Imp. Max. 1. PP. Alex. 6. V. S. 1499.

Stella Clericorum.

1499. Sacerdos, qui pro minimis celebrat, videtur dicere cum Iuda: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Ergo est nefas, vendere Dominum suum. Et cogita, quòd primus seruus venditor seipsum suspendit.

Et paulò pòst, sub Bernhardi titulo: pasce pasce: sed non dicit, vende, vende. Imperatore & Papa vt supra.

Ioannes Lupus de Palaciis rubeis, de libertate Ecclesiastica.

1500. Leo 4. Papa fuit multùm timidus, & in graue præiudicium Ecclesiæ, principi seculari se submisit. Imp. Max. 1. PP. Alex. 6. V.S.

Stephanus ex Nottis Monachus, Doctor.

1500. Hic scripsit librum, cui titulum fecit, Opus remissionis à pœna & à culpa, quibus addit, quòd,
quicunque in eo legerit, defendatur à crudeli morbo desperationis, & ducatur in vitam æternam.
Tractat autem de Iubilæo & indulgentiis, ad quid & quantum prosint. Et circa finem ait,
quòd, quicunque differentiam indulgentiarúm facere velit, grauiter peccet, contra priuilegium
concessum Petro, quod ad Cœlum & terram extenditur: pecuniam etiam opus esse, ait, ad indulgentias, ad iustam vsque æstimationem, hoc est, vt, secundum quod cui dimittitur, recompenset: &
alia vanissima & impiissima, ad quæstum facientia multa. Imp. & PP. V. S.

Ibidem. Nam scire debes, quòd ex effusione sanguinis Christi, & multis meritis martyrum, & aliorum sanctorum, constituitur thesaurus Ecclesiæ, cuius potestatem habet Vicarius Christi, & claudit & aperit cui vult, & quando vult. Nam minima gutta sanguinis Christi fuisset sufficiens ad redimendum totum mundum.

Item martyres fuerunt hic puniti vltrà, quàm eorum delicta meruerunt, vnde eorum merita remanserunt in Ecclesia vniuersali, prohibitu PP. distribuenda.

Nicolaus Gilles Gallus in Chronico.

1500. Sanctus Gillius pro Carolo magno impetrauit, de quo etiam suprà anno 814. remissionem alicuius peccati maximi apud Deum: qui in huius rei testimonium angelum suum cum Chirographo misit. Ita ad primatum Papæ tam citò non poterant conscendere, quin statim ad quæstuosas fabulas & superstitiones inuehendas animũ adiicerent: quibus reges & principes terræ dementarent, eosque auro & argento emungerent: vnde opes nacti, non veriti sunt Deum atque Sanctos ludere, dum illum Chirographis, hos verò intercessionibus sententiam suam approbare, & promouere, dicerent. Imp. Max. 1. PP. Alex. 6. V. S.

Idem scripsit etiam noua & antiqua mirabilia, Gallicè Parisiis impressa anno 1554.

Apud eundem etiam insignis Papæ Bonifacii VIII. epistola hæc extat:

Bonifacius Seruus Seruorum Dei Philippo Francorum regi, Deum time, & mandata eius obserua.

Scire te volumus, quòd in Spiritualibus, & temporalibus nobis subes. Beneficiorum, atque præbendarum ad te collatio nulla spectat: & si aliquarum vacantium custodiam habeas, vsumfructum eorum successoribus reserua: & si quas contulisti, collationem haberi irritam, decernimus: aliud credentes, fatuos reputamus. Datum Laterani 4. Non. Decemb. Pontificatus nostri anno sexto. Hoc Papæ Bonifacii instrumentum est à Bibliothecariis, sine dubio in ipsius registro in consuetudine reconditum. Sed audiamus, quid pars aduersaria respondeat. Nam ex regis responso, quantum fidei, atq; auctoritatis istis registris tribui oporteat, cognoscemus.

Philippus Dei gratia Francorum rex, Bonifacio se gerenti pro summo pontifice, salutem modicam, siue nullam. Sciat tua maxima Fatuitas, in Temporalibus nos alicui non subesse: aliquarum Ecclesiarum, & præbendarum vacantium collationem ad nos iure regio pertinere & percipere fructus earum, & contra omnes possessores vtiliter nos tueri. Secus autem credentes, fatuos reputamus, atque dementes. Hæc ex Chron. Brit. Armori. lib. 4. cap. 14. Hic videre est, Papam sibi vendicare regnum Galliæ.

Cæsar Borgia.

1500. Hic filius Pontificis Alex. 6. summus nequam, cùm suspectum haberet quendam Germanum Basiliensem, cum ante fores amasiæ suæ suspendi curauit. Imp. & PP. V. S.

Tilemannus Minorita.

1500.

FVit in monasterio Gröningæ quidam monachus Minorita, grandis admodum natu, nomine Tilemannus. Is cuidam ciui, nomine Hans Ludeke, in confessione conquerenti, suam conscientiam nescio quibus hominum traditionibus implicatam teneri, respondit: Multa esse, quæ de eâ materiâ dici oporteret, sed non esse liberum. Maximum enim esse periculum veritatem dicenti. Sed tamen eum breuiter iam sic rem accipere debere: Christum pro nobis esse mortuum: eum solum esse nostrum Seruatorem, in eum solum fidendum: reliqua omnia, vt indulgentias, & similia, esse meras nugas, ideoque non curandas. Similia haud dubiè, & alijs in confessione dixit. An etiam publicè quid dixerit, ignoratur: dicturus autem fuisset sine dubio & ea, & alia multò plura, si per tyrannidem Antichristi, eiusque satellitum, qui veritatem oppressam sepultamque tenebant, licuisset. Cat. Imp. Maximiliano 1. Papa Alexandro 6. vt sup.

De Baptista Mantuano Arnol. Bostius ad Burellum.

1500.

ANno Dom. 1516. obijt Baptista Mantuanus, omnium, qui vnquam fuerunt, fraterculorum doctissimus, anno ætatis suæ 72. Ille est, qui seculo Octauiani, tot vatibus superbo, obijci meritò possit: & quo mille ab hinc annis, nemo aut pulcrius aut dulcius poëma scripsisse legitur: vitæ seueritate, morumque sanctitate clarus, ac disciplinarum omnium scientissimus. Res diuinas, nullo inuitatus Mœcenate, cecinit: vt etiam absentes consolaretur, diuinus homo.

Is multis in locis affirmat, non omnia sibi placere, quæ Romana Ecclesia pro fide credendis offert, licet ea aliquando & ipse scriptis comprobauerit. De quibus in lib. 12. Fastorum sic ait:

Et licet his olim nugis iuueniliter aures
Præbuerim, tamen, vt melius cum tempore factum est
Iudicium, lis hæc mihi perniciosa videri
Cœpit, & ex grauium cuneis abigenda virorum.

Detestatur ille multas in papismo abusiones iniquas, ac peracriter insectatur: nec demum parcit eorum sacrosanctis sacrificijs & missis, sed dicit, esse insipida sacra, altaria eorum passim sordere.

In Ecloga nona docet, omne ferarum genus habere Romæ suas Aras, & omnium vitiosorum hominum colluuiem illic esse in honore ac precio. Multaque profert in aspernationem auaritiæ ac tyrannidis, eiusdem curiæ Romanæ. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6. vt sup. 1495.

Versus ex Baptista Mantuano.

MIlle lupi, & totidem vulpes in vallibus istis
Lustra tenent. Et quod dirum ac mirabile dictu est,
Ipse, homines (huius tanta est violentia cœli)
Sæpe lupi effigiem moresq; assumere, vidi,
Inq; suum sæuire gregem, multaq; madere
Cæde sui pecoris: factum vicinia ridet,
Nec scelus exhorret, nec talibus obuiat ausis.
Sæpè etiam miris apparent monstra figuris,
Quæ tellus affecta malis influxibus edit.
Sæpè canes tantam in rabiem vertuntur, vt ipsos
Vincant cæde lupos: & qui tutela fuerunt,
Hostiles ineunt animos, & ouilia mactant.
Idem alibi. *Si quid Roma dabit, nugas dabit: accipit aurum,*
Verba dat: heu, Romæ nunc sola pecunia regnat.
Exilium virtus patitur, &c.
Idem. *I pudor in villas, si non patiuntur easdem*
Et villæ vomicas: Vrbs est iam tota lupanar.

Bonifacius 8. Gallis & Græcis de Imperio Constantinopolitano certantibus frigidam suffudit, & oleum camino largè suppeditauit: vt ianua Othomanno aperiretur, ad instaurandam Turcicam dominationem, quæ Asiam, & Europam tum alijs calamitatibus attereret, cùm in Mahumetis impiam vesaniam pertraheret: secundum Angeli Hierosolymitani prophetiam in Mantuano:

Quod te superi monuêre, Scytharum
Hoc infame genus, Turcos, tunc temporis vltra
Caucaseos montes positum, trans Bosphoron esse
Venturum excidio Graijs, finesq́ aditurum
Ausonios: ista nos tempestate dolentes
Vidimus impletum, &c.
Idem. *Fama est, Ægyptum coluisse animalia quædam,*
Et pro numinibus multas habuisse ferarum.
Ista superstitio minor est quàm nostra: ferarum
Hic aras habet omne genus, contraria certè
Naturæ res, atque Deo, qui dicitur, olim
Præposuisse hominem cunctis animantibus vnum, &c.
Idem. *Non mihi si linguæ centum sint, oraq́ centum,*
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia Pontificum percurrere crimina possem.

Idem de coniugio sacerdotum quid senserit, ex hisce eius de diuo Hilario, in eius vitâ existentibus carminibus apparet:

Integritas vitæ, legum prudentia, cultus
Cœlicolûm, tutela inopum, diadema, pedumq́
Pictaniense tibi, dum nil mortalia curas,
Dum viuis tibi, sorte tuâ contentus, ab omni
Ambitione procul, populo applaudente, tulerunt.
Non nocuit tibi progenies, non obstitit vxor
Legitimo coniuncta thoro: non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas:
Sola erat in precio, quæ nunc incognita virtus
Sordet, & attrito viuit cum plebe cucullo.
Romulidûm leges, quæ sunt connubia contra,
Esse malas quidam perhibent: prudentia patrum
Non satis aduertit, dicunt, quid ferre recuset,
Quid valeat natura pati: Ceruicibus, aiunt,
Hoc insuaue iugum nostris imponere Christus
Noluit: istud onus, quod adhuc quàm plurima monstra
Fecit, ab audaci dicunt pietate repertum.
Tutius esse volunt, quâ lex diuina sinebat,
Isse via, veterumq́ sequi vestigia patrum:
Quorum vita fuit melior cum coniuge, quàm nunc
Nostra sit, exclusis thalamis, & coniugis vsu.
Idem. *Roma quid insanis toties? quid sanguine gaudes?*
Quid geris imbelli spicula tanta manu?
Quo vesana ruis studioq́ armaris inani,
Iam senio lassas debilitante manus?
Nec potes antiquos belli nescire tumultus,
Nec solitam rabiem longa senecta domat.
Si foris arma tacent, tu bella domestica tentas,
Nec feritas requiem ferre superba potest.
Tu similis colubro: quoties grauis ira venenum
Suscitat, & mota lumina bile rubent.
Sic furis, vt spumis ex ore cadentibus atrox,
Fulmineo quoties dente minatur, aper.
Sic fremis, vt frendens, cùm ferrea vincula mandit,
Cerberus, & stygias murmure turbat aquas.
Tu fratres in bella vocas, in pignora patres,
Et scelus omne audes, & paris omne nefas.
Fas & iura negas, homines & numina fallis:
Nec Iouis Imperium, nec Phlegethonta times.
Singula texentem conuicia deseret ætas,
Tantum ac tale tuæ est improbitatis onus.

Romanis pater est Mauors, lupa Martia nutrix:
Hæc hominum mores, ingeniumq́ docent.
Viuere qui sanctè cupitis, discedite: Roma
Omnia cùm liceant, non licet esse bonum.

Idem adducit in 2. lib. de vita D. Blasij, angelum ad Blasium inter alia sic loquentem de Cæsaris Constantini magni imperio, deque futuro ecclesiæ statu pacis tempore, de cleri & populi vitijs, ac tandem plagis.

De Constantini Imperio.

NVnc bonus, expulsis, Romana in regna, tyrannis,
Adueniet princeps, sub quo pacabitur orbis,
Et finem accipiet veterum cultura deorum,
Constantinus: apud Thraces, qua Bosphorus æquor
Thracius Euxinis Ægeum ingurgitat vndis,
Constituet sedem imperij, Latiumq́ relinquet
Christo, & Romuleam septem cum collibus vrbem.
Tunc insigne crucis, quondam damnabile, surget
Ex humili in sublime loco: præcedet honore
Romanos fasces, & regia signa, coronas.
Tunc inter superos vnâ lætabimur ambo,
Istaq́ ab excelsa mundi speculabimur arce.

De Ecclesiæ damnis post pacem.

HÆc tamen, ô Blasi, de tempestate quietis
Pacificæ, clades heu deploranda sequetur:
Et graue manabit dulci de melle venenum.
Vox est blanda, quies: pax delectabile nomen:
Plura tamen de pace fluent opprobria, damna,
Dedecora, ærumnæ, quàm de crudelibus armis.
Degenerabit enim virtus antiqua, voluptas
Inter opes & delicias delumbia reddet
Corpora, & amittet mens eneruata vigorem.
O studia, ô mores, ô tempora sordida! cerno
Oblitos Christum populos, incredula corda
Conculcare fidem, scelus omne incurrere facto
Agmine certatim, fieriq́ animantia bruta,
Et Romam in caulas atq́ in magalia versam.

De plagis quæ sequentur.

COelicolæ in gentes malè tunc animabimur illas,
Atq́ isthæc superi quando impia secula cernent,
Destituent ope terrigenas caua tartara olentes.
Irascente Deo, coitum mala sidera in vnum
Conuenient, tristes in humum iaculantia flammas,
Atq́ viam cœlum inueniet, qua conterat illud
Infidum, crudumq́ genus. Soluentur ab Arcto
Terribiles hominum vultus, animiq́ feroces,
Sauromatæ, sine diuina, sine lege humana
Viuentes, Hunni, Alani, Turci, atq́ Agathyrsi,
Adde, quòd inter se Christi intestina nepotes,
Mutua more canum rabidorum in vulnera versi,
Bella gerent: Græcis Itali, Gallis Alemanni
Certabunt odijs plùs quàm capitalibus: vtq́
Se extirpent, parcent Turcis, parcent Agarenis.

Idem in quarto Fastorum libro, de Papa Leone.

Magna gerendarum superest tibi copia rerum,
Sancte Pater: rem magnam animo complectere grandi:
Sed tria præsertim restant, cura atque labore
Digna tuo. Bellum est primum, quo fessa laborat
Italia, & pleni humano iam sanguine campi.
Est aliud, Romana graui maculata veneno
Curia, quæ spargit terras contagia in omnes.
Postremum est oppressa fides, exposta rapinis
Vndiq, & in prædam populis proiecta cruentis.
A te hæc subsidium magnis clamoribus orant.
Sancte Pater, succurre, Leo, respublica Christi
Labitur, ægrotatq; fides iam proxima morti.
Idem. *Tempora Martigenæ quid idonea perditis? Ite,*
Ite, lares Italos, & fundamenta malorum,
Romuleas arces, & Pontificalia tecta,
Colluuiem scelerum, temerate fauentibus auris.

Idem lib. 12. Fastorum.

Pullulat hac radice grauis discordia rixæ.
Sunt etenim, qui conceptus contagia in istos
Lapsa velint, magnamq; putent traxisse parentem
Fomitis antiqui vitium, cui fecit Origo
Nomina. Sunt alij, quibus hæc adsurda videntur.
Sicq; duæ veniunt ista in certamina sectæ,
Nonnunquam magno implentes subsellia risu.
Æquanimes autem volumus si vera fateri,
Vanus vterq; labor, pietas temeraria, præceps
Relligio, leuitas velataq; scientiæ amictu.
Nec natura potest illuc extendere visum,
Nec Deus hoc docuit: nec re dependet ab istâ
Nostra salus. Quæ nos igitur dementia torquet,
Vt studeamus in his consumere litibus annos?
Et sequitur. *Quid, seu munda fuit semper, seu sorduit*
Hæc ea, Mortales, non sunt, quæ nomina poscunt (olim!
Obsequia à nobis. Studio dominatur in isto
Ambitio, & tumidis pugnans iactantia verbis.
At si sancta fides operas exposceret istas,
Esset opus pugnare pium, sudare sub armis,
Exilium, mortemq; pati. Sed salua, sepultis
His nugis, est ipsa fides discrimine ab omni.
Item. *Sicq; suos iuxta affectus insomnia fingunt.*
O miseri, nonne hæc deliramenta videtis?
Cur tam ridiculis igitur popularia corda
Obseruare opus est guerris? & scindere pacem
Inter mortales, quâ nil descendit ab Astris
Vtilius nobis? belloq; inuoluitis orbem?

Idem in Alphonso lib. 4. Sixtum quartum aureis domi vestibus vtentem, lectos aureis stragulis integentem, vasis argenteis onus ventris excipientem, calceolos amicæ Tiresiæ margaritis opertos comparantem, ita post mortem salutauit Iupiter infernalis:

At tu implume caput, cui tanta licentia quondam
Fœmineos fuit in coitus: tua furta, putabas,
Hic quoq; prætextu mitræ, impunita relinqui?
Sic meruit tua fœda Venus: sic prodiga in omnem
Nequitiam, ad virtutis opus tua auara libido.
Illa Dioneæ Cythereia munera conchæ,
Illa, pudicitiam quibus impugnare solebas,
Et noctes emere, & nudæ indulgere palæstræ,
Scimus, & in scriptis tua sancta redegimus acta.

Idem libro de vita beata, cap. vltimo. Thomas quidam Gallus, qui pristinum fidei feruorem adhuc in pectore fouebat, cum paucis in Italiam se contulit. Sic enim Deo visum est, vt ea

regio,

regio, quæ cæteris omni munere præstat, hoc etiam virorum habeat ornamentum. Verùm non solùm Italiæ, sed etiam viro sancto Deus ipse consuluit. Illi enim dedit, cuius vitam posset imitari: isti verò, purpurei diadema martyrij.

Nam dum benè beatéque viueret, à quibusdam inuidis, apud summum Pontificem capitis accersitur. Et post carcerem, post tormenta, post cruciatus tandem, cùm nihil damnabile reperissent, grauiùs inuestigârunt: quod iure non potuerunt, iniuriâ perficere fortiter accinguntur, & comburendum scelerato rogo commiserunt. Ah, quò prorumpis efferate liuor? Sed tamen illum non occidisti. Nequit enim anima exstingui. Sed illius terrenum corpus violando, fecisti, vt citiùs vitâ donaretur æternâ. Huius flammas, non Scæuolæ rogo, sed Laurentij posse comparari, non dubito. Dicant quicquid velint, obstrepant, clamitent, & insaniant: ille summo viuit olympo. Sed multa de hoc viro silentio præteriui, &c.

Carmina quædam in Martyris eius laudem, in Nicolai Harlemensis collectionibus repeita.

Claustra, Thomas Gallus, primus qui lapsa reformat
Carmeli gregis, heu heu cadit immeritò!
Compulit hunc feruor, Domini conspergere semen,
Exitium vitijs vita modesta dabat.
Dogmata præconis miracula concomitantur,
Quæ doceant, illum pectus habere pium.
Quantum sic populum Zabuli de dentibus egit,
Et vitâ, & verbo, credere nemo potest.
Lippis lux oculis nocuit: non sustinuêre,
Viuere tam sanctum, fœda Quirina cohors.
Sistitur hæreseos, fictus quòd sitq́ sacerdos,
Eugenio Papæ, & friuola quæq́ patent.
Instituit sacris antistes hunc Rhedonensis,
Testis apud Gallos publica fama volat.
Sordida Roma Thomam Papâ sordente petebat,
Flamma sorbendum, quamq́ tyrannus alit.
Vrget ad hoc primas Guilhelmus Rotbomagensis,
Cardinei cœtus. Sic perit innocuus.
Perstitit igne Thomas, constanti pectore firmus,
Quod Christi exemplo viuere clerus habet.
Eugenius memorans tandem, quòd perniciosâ
Morte viri fuerit credulus ipse malis:
Ingemuit crebrò, vir quòd tam sanctus obisset,
Hoc quoque præ cunctis vir bonus ille dolet.
Non nocuit flamma ista Thomæ: sed martyrium dat:
Immortalis eum parta corona manet.

Accedit hoc distichon:

Post tormenta pius (sibi dant quæ carcer, & ignis)
Martyr ad æthereas conuolat ille domos.

Idem. In sacris libris post scelera recitata, pœnarum & vltionum mox fit mentio: vt moneatur lector, à peccato ad supplicia necessarium esse transitum. Nam rarò magna illa scelera commemorantur, quin insecutæ ruinæ & excidia subiungantur. Sic enim Tarquinium regno pulsum legimus: Cæsarem interfectum: Neronem & alios similiter, Deo & humano generi inimicos, trucidatos: mortes enim, ruinæ, euersiones, cruciatusque flagitijs debentur.

Idem lib. 2 Fastorum de Antichristo.

Monstrum immane, potens hominum tot millia apertâ
Absorbere gulâ, quot sanguinolenta volebat
Sæuities. Monstrum illud erat, seu bellua, partum
Virginis extento cupiens extinguere collo:
Cuius ab aspectu, sumtis diuinitus alis,
Vt sacer Ægææ vates canit incola Pathmi,
Fugit ad extremæ loca virgo incognita terræ.
Virgo fuit primo fruticans Ecclesia seclo,
Christigenæ soboles eius, quos bellua adegit
Quærere desertis aliena penatibus arua.

1500.

Collatio Gentilitatis & Papismi, per Conr. Nucerinum.

APud Ethnicos quondam suos quæque ciuitas aut regio, quos peculiariter coleret, habebat patronos ac Deos tutelares. Etenim (vt ille canit)

Pallada Cecropidæ, Minoia Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypsipylea colit.
Iunonem Spartæ, Pelopeiadesq́ Mycenæ,
Pinnigerum Fauni Mænalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat.

Bœotiæ præerat Amphiaraus: Africæ Mopsus: Celestus Ægypto. Osirim Æthiopes: qui Meroën incolunt, Iouem & Bacchum duntaxat colebant: Delphos Apollinem: Samos Iunonem: Ephesus Dianam: Paphos Venerem: Babylonij Belum: Aphri Neptunum: Rhodij Solem: Osirim Ægyptij omnes, & Isidem: Saitæ Mineruam: Naucratitæ Serapim.

Syriæ Astartes Deus erat: Arabiæ Diasares: Noricis Tibelenus: Deluentinus Crustumenensibus: Fortuna Prenestinis: Viridanus Narnienſibus: Æsculanis Ancharia: Volsinensibus Norcia: Oriculanis Valentia: Sutrinis Murcia: Phaliscis Curis.

Germani Tuisconem Deum terra editum, & filium Mannum carminibus antiquis colebant: Vercellenses Apollinem: Nouarienses Herculem: Romani Martem, & Quirinum: Feroniam Italorum alij: alij Aueruncum, Matutam & Glaucum: & Melicertam alij: Athenæ Mineruam colebant.

Ita hodie Roma Petrum, Paulum: Græcia Paulum: Venetiæ suum habent, cuius in tutela sunt, Marcum: Mediolanum Ambrosium: Lutetia Genouefam: Agrippina Colonia Magos: Augusta Vindelicorum Vlricum: Vesontio Ferreolum, & Ferrutium: Pannonia Lodouicum regem: Salisburgenses Rubertum: Salinæ Anatolium: Migiæ Germanum: Nozerethum Antonium.

Francus Chilianum: Polonus Hedeuigam: Burgundus Andream: Galli Dionysium: Angli Georgium: Bolognia in Gallijs Martinum: Bellouacenses Petrum.

Hispania Iacobum: Heluetia Gallum, & Mariam in Einsidel: Germania Georgium, & Henricum. Poloni Stanislaum: Borussi Albertum: Pictauienses Sauinium: Bituriges Stephanum: Angli Thomam. Alij denique alios.

Nulla ferè est patria, regio, gens, natio, vrbs, ciuitas, oppidum, pagus, vicus, collegium, status, ars, gradus, opificium, familia, aut persona, quæ non aliquam peculiarem tutelam ex Dijs Deabúsue habeat.

Sed & opificum ordo suos quoque adoptauit patronos, & quasi Deos tutelares. Velut artium studiosi olim Mineruam, Apollinem, nouem Musas: hodie Catharinam, Gregorium. Medici Apollinem, & Æsculapium: nunc Cosmam, & Damianum. Scorta Magdalenam & Afram. Venatores Hubertum & Eustachium. Sartores Gutmannum. Iurisperiti Hiuonem. Figuli Goarin. Pistores Lucam. Fullones Seuerum. Sutores Crispinum & Crispinianum. Fabri Eulogium.

Olim nautæ prosperum in mari cursum à Neptuno petebant: etiam Dioscuros Castorem & Pollucem antiquitas credidit Deos tutelarios, & opem ferentes in discrimine nautis, quemadmodum ex Statio in tertio Syluarum, Theocrito in Idyllio, Dioscuris nuncupato: & in Horatio in Odarum primo liquet. Hodie Nicolaus est nauigantibus maximè propitius.

Vini copiam à Libero petebant: nunc vberes vineis fructus affert Vrbanus: hinc sacella agrestia. Denique Martini memoria ita recolitur, vt, mustis post vindemiam, vbi deferuefacta & quieta fuerint, turpe sibi homines ducant, si in anniversarijs huius noctibus non probè madescant. Ludouicus Minorita cereuisiæ curam agit. Milites Martem & Iouem Sospitatorem habuerunt. Captiuis subuenit Leonhardus. Georgius pontificius curat, vt è prælio redeant salui.

Parturienti felicem partum præstabat Lucina, quòd ipsa sine vllo materno dolore edita fuerit. Vitunus & Sentinus puerperio putabantur dare vitam, vnde ex officio erant illis nomina. Prorsa quoque rectos fœtus educebat, cuius periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt. Romæ duabus Carmentibus, quarum altera Postuerta nominata est: Prorsa altera, à recti peruersique partus & potestate & nomine: hodie Margarita opem fert sola.

Petebant diuitias à Iunone, Mercurio & Hercule: eas Erasmus Pontificijs largitur. Frugem vbertatem à Cerere. Pan Rusticus, Deus pastorum fuit. Mercurius ouium procurationem habere, earumque greges magis ac magis augere, creditus est. Vuendelinus gregem aduersus lupos tuetur. Antonius sues. Pelagius boues. Eulogius equos.

In tutela sunt Orbonæ orbati liberis parentes, hodie in Mariæ Virginis, quæ etiam mater orphanorum dicitur. Apollo & Æsculapius quemuis morbum depellebant.

Antonius ab igne sacro defendit. Christophorus & Marcus, à repentina morte. Sebastianus & Rochus, à peste. Sigismundus à quartana liberat. Iob scabiem curat. Fiacrius morbum Gallicum. Valentinus morbum comitialem depellit.

Ioan-

Ioannes Euangelista à toxico seruat. Petronella & Genouefa à Febri sanant. Benedictus calculum secat, & excindit. Hubertus canis rabiosi morsum arcet.

Apollonia dentium dolores cruciatusque leuat. Iuliana & Otilia ophthalmiam curant. In tutela Nemiæ sunt, quibus extrema tempora Barbara dat, vt nisi accepta hostia non obire possit quis.

Arnobius libro aduersus gentes quarto, vbi de fictitijs & putatitijs Dijs agit, ait: Ab erroribus viarum dea Vibilia liberat. Hodie idem adscribitur tribus Magis, quos reges vocant. Scholastica tonitrua & tempestatem arcet. Leonhardus è custodia emittit, vinculisque leuat. Laurentius & Florianus domum ab igne seruant. Hieronymus & Antonius Paduanus rem perditam recuperant. Anatolius modò cœlum serenat, modo pluuiam dat.

Olim mos erat, vt singulis annis in templis rem diuinam facerent Dijs, quibus dicata erant: temulentique ante ipsorum simulachra saltarent, qui mos in hodiernum diem durat.

Ethnici, seruati è naufragio, gratias agebant Neptuno ac Veneri. Ethnici, conualescentes à morbo, gratias agebant Apollini aut Æsculapio. Sortiti vxorem ex animi sententia, gratias agebant Iunoni pronubæ. Ad imperium euecti gratias agebant Ioui. Diuitias nacti gratias agebant Mercurio, Herculiue.

Papistæ recepta merce quæ perierat, gratias agunt Nicolao, alibi Paulo, alibi Hieroni Incolumes è naufragio eunt Compostellam, gratias acturi Iacobo. Recreati à morbo tabellam ac donaria suspendunt quibusuis diuis. Quibus è prælio licuit redire saluis, honorant seruatorem Georgium, aut seruatricem Barbaram.

Ethnici cæci & infelices pro Dei bonis gratias agebant malis dæmonijs, & pro benigni numinis beneficijs laudes canebant maleficis spiritibus.

Papistæ mortuis verba faciunt, cuius rei præceptum nullum, nec exemplum reperitur in sacris literis, siue vetus Testamentum excutias, siue nouum. Hi non minore tenentur superstitione, ne dicam impietate, nec ita multùm absunt à cæcitate Gentium, quæ vt plures credunt esse Deos, ita putant, Apollinem posse, quod non possit Mars: Venerem posse, quod non possit Diana, & contrà.

Tutissimum autem simul & optimum est, quod nos docent Scripturæ, quàm quod induxerunt homines. Illæ monstrant non solùm quid orandum, verùm etiam vnde petendum. Moses cum Hebræis cùm incolumis euasisset è mari rubro, demersis Ægyptijs, quem prædicat? cui gratias agit? Num Abrahæ? num Iobo, aut Melchisedech? Quid canit? Cantemus (inquit) Domino, gloriosè enim magnificatus est. Quid illi tres beati pueri, postea quàm angelus flammam vertit in refrigerium? Non agunt gratias Angelo, sed cantant: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.

Cùm ab exilio Babylonico redeunt Hierosolymam Israëlitæ, quem prædicant? cui gratias agunt? Te decet, inquiunt, hymnus Deus in Sion. Solomon extructo templo: Benedictus Dominus Deus Israël. Zacharias in Euangelio: Benedictus Dominus Deus Israël. Maria & vtero & Spiritu sancto fœta: Magnificat anima mea Dominum, psallit.

Singulis Dijs certa animalia sacra ac dicata fuerunt apud veteres. Mercurio gallus. Musis cicadæ. Ioui aquila. Alijs alia. Pisces etiam quibusdam, vt Athenæus meminit, libro 7. Papistæ Huberto venatori equum, canem, accipitrem, & picam adscribunt. Gingulpho, cucullum. Hieronymo leonem. Antonio porcum. Syluestro bouem. Rhenoberto ouile. Georgio & Margaretæ draconem. Diabolus Antidium Romam fert.

Diabolum Bernhardus captiuum detinet. Barbara de turri prospectat. Nicolaus pingitur cum tribus pueris, &c.

Quos coluêre Romani Deos, templa ostendunt, quæ ex antiquitate adhuc Romæ visuntur, & dicata nunc alijs diuis sunt. Iouis, Mineruæ, & Iunonis templum, nunc Seruatoris est. Herculis & Musarum, nunc sanctæ Luciæ. Quod Veneris & Cupidinis fuit, Helena Constantini mater conuertit in templum Crucis.

In ludis Circensibus Deorum simulachra & imagines habitu triumphali produci & præclara pompa efferri solebant. Is mos etiam præualuit in Papismo, in litanijs, solennibus precationibus & supplicationibus, cùm preces publicè in templis Deo immortali offerri debeant.

In ludis secularibus triduum & trinoctium in sacris totus populus operabatur ad aras Iouis, & Apollinis, quibus canebatur carmen à pueris ac puellis, luminaque accendebantur. Nónne hodie idem fit?

Olim extabant tabellæ, in delubris appensæ, illorum, qui votis ope Deorum liberati sunt à morbis atque periculis, qui mos etiam nunc manet.

Antiqui quotannis lustrabant agros, & à circumeundo, id est, ambiendo, Ambarualia sacra appellabant, & sacerdotes Ambaruales, hodie itidem & Rogationes vocamus.

Fuit olim Athenis in Prytaneo, domo publica, & in arce πῦρ ἄσβεστον, perennis ignis. Sunt hodie in Papisticis templis lychni siue lampades, quæ, oleo infuso, dies ac noctes ardent.

In funere Gentilium, imagines portari solitas fuisse, locuples testis est Plinius. Quæ consuetudo ad nostra ducat tempora inter gentiles Papistas, vt non Reges solùm,

sed & nobiles sua habeant peculiaria symbola & stemata, quæ comitantur gentilia funera: semperq́; defuncto aliquo, totus adest familæ eius, qui vnquam fuerat, populus.

Alij pro symbolo bouem habent, alij noctuam, alij columbos, alij psittacos, alij vrsum, alij testudines, alij leonem, alij aquilam, alij porcos, alij equum, alij aprum, alij ranam, alij gryphum, alij leopardum, alij draconem, aliaq́ue consimilia, quibus nostri gentiles sunt insigniti.

Mallem, ab alijs rebus, quàm à brutis animantibus sua gestamina ducerent. Sunt, qui ab herbis & flosculis ac cæteris eiusdem generis. Quæ ornârunt quibusdam quasi emblematis ac sententiolis: vt illa cuiusdam, Sic visum superis: cui addidit quidam facetus, Aquilam summittere porcis.

Hæc appendere in postibus solebant: nunc pulchrum quoque habetur, in hospitijs, plateis, parietibus, funeribus, ac templis ostentare. Hæc insignia gentilia, nunc arma dicunt.

Athenienses Græciæ facilè principes, non solùm Mineruam, Neptunum, deos indigetes prophano cultu prosecuti sunt, sed Protagoram, quòd de illis dubitare videbatur, eiecerunt: Socratem, quòd eos Deos negare diceretur, morte damnârunt.

Eadem Papistarum in Papa ac cæteris non dijs impietas, & in vindicando non minor seueritas. Nostris enim temporibus multi cremati sunt, & graui supplicio affecti, de causa etiam leuissima.

Cùm autem Christus Romanis commendaretur, & vt in deorum numerum adscriberent, proponeretur, ac Tiberius Cæsar eum in suo larario collocauisset, & adorandum etiam præcepisset: ij facto senatusconsulto renuerunt, & quod turpissimis idolis, impurissimisque dæmonibus concesserunt, Deo vero ac Seruatori vnico negauerunt.

Videmus, quid Papæ in suis comitijs ac concilijs sanciant, quam religionem inuehant, quam refutent, quæ monstra regnare sinant: nolentes, Deum suum esse ducem, quem mali metuunt, credunt Dæmones, orant Ethnici, vt docet Hesiodus:

Cùm dormire velis, rursus cùm illuxerit, ora
Cœlicolas, vt sint præstò tibi mente benigna.

Hermes, Pythagoras, Socrates Deum nôrunt, nec negârunt. Plato, Dei cognitionem esse sapientiam & virtutem veram, fatetur, eiusque ignorantiam manifestam esse inscitiam & nequitiam. Esse autem Deum, affirmauit Simonides. Aristoteles Ens entium, & primum mobile dixit. Cicero æternam mentem & Deum. Hunc solum inuocare ac reuerenter adorare, ac scienter colere debemus, non ad ligna, aut lapides, aut diuos hanc gloriam, soli ipsi conuenientem, transferre.

Superstitio & vitia ab Adami lapsu ad hunc vsque diem conualuerunt. Et Patrum innituntur omnes traditionibus. At si Christo credimus, Iudæi violârunt Dei præcepta propter traditiones & doctrinas hominum. Falsæ superstitiones suos Ioues, Apollines habent, tripodes, & Delphos, & sedes, & mystas inuenerunt, regios assertores nactæ sunt, consuetudine nituntur, numero ac multitudine pugnant, sacerdotum auctoritate fulciuntur. Sed alia est norma, alius lydius lapis, ad quem doctrinæ veritas ac synceritas expendi debet.

Μητραγύρται Phrygiæ deæ sacris initiati erant, & stipem Cybelæ matri deorum cogebant tympana gestantes, quales hodie cæcos videmus, atque D. Antonij, quos vocant, mendicos vestibulatim tympana pulsantes & cantantes, quorum proprium est omnia præstigijs agere: quod ipsum vtinam ad nostros & monachos & sacerdotes non manasset. Supplicationes interdum huic aut illi Deo, interdum omnibus dijs constituebantur.

Ibant per vrbem coronati pueri, matronæ, virgines, nonnunquam etiam lauream tenentes, canebantque hymnos compositos in laudem deorum, ac decernebatur supplicatio, vel ad auertendum aliquod malum, quod aut premeret, aut immineret, vt pestis, bellum, fames, æstus, pluuia, & c. vel ob rem benè ac feliciter gestam.

Hammonij simulacrum prodigiosum gestabant vates & sacrifici: hos sequebantur matronæ virginesq́;, pæanas & inconditum quoddam carmen cantillantes, quo Iouem illum Hammonium propitiari credebant, vt certum redderet oraculum.

Erant alia plura simulachra, digna quidem, quæ ab asellis circumferrentur. Quibus etiam ad peragenda sacra Eleusina opus erat. Asino enim imposita deportabantur. Et apud Apuleium Asinus Cererem circumfert. Itidem in omnibus Papistæ, quorum etiam simulachra lignea à Capharnaitis asellis circumferuntur. Simulachra Hammonij, Bacchi, Veneris, Neptuni, Sileni, & Isidis, circumferri solebant. Circumferuntur hodie Antonij, S. Spiritus, Bernardi, Huberti, Sebastiani, & alia plura.

Veteres, quibus in locis oletum & rem fœtidam, hoc est, stercus siue vrinam fieri nolebant, angues tanquam loci genium depingebant cum hac inscriptione: ite procul, sacer est locus, ite prophani: extrà meite, & hunc ne polluite. Quo signo perspecto, inde metu pueri discedebant. Sic & nostro seculo fit, vt imago Antonij pingatur ijs in locis, vbi oletum fieri vetamus, cum hac inscriptione: Le feu sainct Anthoine bruslera, qui icy pissera.

Ociosum enim esset, per omnia Deorum nomina, qui à veteribus colebantur, & nunc coluntur, velle decurrere: cùm tot, tamq́; varij, noui, veteres, serui, barbari, Græci, Romani, peregrini, captiui, adoptiui, proprij, communes, masculi, fœminæ, rustici, vrbani, nautici, & militares enumerentur,

Superstitionem non minorem arguunt, quàm falsam ineptamque, & penitus impiam, tot Deorum nomina, & ijs sua attributa officia. Vtinam hac superstitione nostra non infecta esset Ecclesia. Postulant enim ab hominibus, quod solus DEVS potest largiri. Imp. & Papa vt sup.

Antithesis Christi & Antichristi, per Conr. Nucer.

Mansueti quàm sit dispar vita, atq; superbi,
Lector docte, ex his collige versiculis.
Rex pius excelsos regnorum spreuit honores:
Impius ast armis regia sceptra parat.
Aspera ceruicem sapientis serta coronant:
At stulti ex auro fronte corona micat.
Discipulis Rex ille pedes pura abluit vnda:
Hic pedibus regum basia ab ore capit.
Legibus impositum sacris, didrachma pependit:
Quolibet hic soluit seq; suosq; iugo.
Corporibus morbo afflictis parat ille salutem:
Hic animas tristi conficit exitio.
Degrauat innocui tergum crux aspera regis:
At scelerum pondus terga subacta gerunt.
Conseruat placidum fidus moderator ouile,
Perfidus at miserum deglubit omne pecus.
Nascitur in vili stabulo diuina propago:
In Regum thalamis nascitur atra lues.
Optatus lento vehitur dux pacis asello:
Conspicuis belli dux furit alter equis.
Non fert ille, suos lucris inhiare caducis:
Conglomerat cunctas hic malè sanus opes.
Veriloquo pia iussa docet Sanctissimus ore:
Hic technis verum contegit omne suis.
Vendentes repulit sacra Zelator ab æde:
Quos blandè inuitat nebulo sacra premens.
Denique, sidereas iter ille ostendit ad arces:
Hic verò Stygios monstrat adire lacus.
Hoc igitur biuium sapienter, candide lector,
Discerne: incipias & meliora sequi.

Enguerranus de Monstrelet in Chronico Gallico. 1500.

QVidam presbyter in Francia, prædij alicuius, ad alium locum sacrum pertinentis, decimis inhians, à prædij illius domino in iudicium vocatus, atque damnatus est. Qui propter hanc iacturam prædij dominum odio quàm maximo prosecutus, cum venefica quadam conspirauit, atq; cum eâ de vlciscendo hoc facto communicauit.

Illa vlciscendi rationē ita suasit: vt nimirùm bufonem acciperet (quem ipsa in ollâ ei datura sit) eumque tamquam infantem baptizaret, & ei nomen Ioannis imponeret: præterea etiam hostiam consecraret, eique ad comedendum præberet, & denique hoc facto, restitueret. His omnibus secundum veneficæ iussum peractis, Ecclesiastes bufonem veneficæ reddit, qui ab eâ ad puluerem combustus, alijsque veneficijs commixtus, alicui liberorum suorum traditur, cum mandato, vt in ædes domini prædij, comedendi tempore perferret, curaretque, vt vel in cibum, vel in potum conijceretur.

His ita à puellâ secundum matris præceptum peractis, intra triduum dictus prædij dominus, vnà cum vxore atque filio, è vitâ discessit. Venefica capta atque combulta: Ecclesiasticus verò per munera, & collegarum fauorem liberatus est. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6.

Idem. Benedictus Papa Carolum Sextum Galliæ Regem excommunicauit. Sed contrà Rex cum vniuersitate Parisiensi ex septimo Psalmo responderunt inter alia: Conuertetur dolor in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Anno Domini circ. 1383.

Idem. Hermaphroditus monachus in vtroque sexu libidinibus deditus, tandem peperit. Vide ibi: mysterio non caret. Anno Domini 1478.

1500.

Ioannes Palæonydorus, vel de Veteri aquâ, lib. 3. cap. 11. Fasciculi ordinis sui tripartiti.

MAriam (inquit) Christi matrem, Ioanni 23. Papæ hæc parùm ante Papatum, in quadam visione dixisse: Vidi tuam ad me deuotionem. Veluti igitur ego te ab aduersario tuo liberabo, & ad altißimum (Maria Papas facit) promouebo gradum: sic videas, quòd similem fratribus meis, Heliæ filijs, vicem rependas. Regulam ab Innocentio confirmatam, solidè approbabis. Insuper me & filio meo iubentibus, priuilegium hoc dabis, vt quicunque ordinem meum intrauerit, à culpâ & pœnâ liberatus, (non saluat Christus sine Papâ vicario) in æternum saluus fiat, &c.

Istam apparitionem cum inauditis indulgentijs & animarum à purgatorio liberationibus, in quolibet eius festo & in sabbathorum Missis, in quadam bulla legi, tam in Angliâ, quàm in Hanoniâ. Quæ etiam Romæ anno Domini 1530. sub Clemente 7. renouata fuit, Nicolai Audeti eorum magistri generalis procuratione pecuniaria. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6. vt sup.

Ibidem cap. 13. Hinc Carmelitæ post quatuor annos, ab Vrbano 6. Rom. Pontifice pecunijs obtinuerunt, vt quicunque eos nominarent, aut dicerent, esse Mariæ fratres, pro qualibet vice haberent trium annorum indulgentias, ac totidem quadragenas: cùm tamen nullibi legeretur, illos fuisse beatæ Virgini vel consanguinitate vel affinitate iunctos. In contemtum igitur huius indulti, quidam statim asseruerunt, eos esse Ægyptiacæ meretricis Mariæ fratres, & hæretici sunt adiudicati.

Idem Vrbanus primo Pontificatus anno, & 6. Calendas Octobris, eisdem concesit, quòd possent commutare vota (perpendite quæso) iniustaque bona, & incerta restitutionis loco recipere.

Palæonydorus, Matth. Paris, Vuestmonasterius.

VT incrementum acciperet spiritualis sanctitatis opinio in rasis & vnctis, postquàm essent per Felicem quartum, & Bonifacium secundum, à laicis segregari, vnius Benedicti Nursini exemplo, monachi mirum in modum sunt aucti. Ille enim circa annum Christi 524. in monte Casiino claustra erexit: multique nobiles & ignobiles ex omni patria ad ea commigrârunt.

Atque illis regulam Benedictus dedit, anno Domini 530. ita vt omnium monachorum occidentalium diceretur pater, vsque ad tempora sectarum mendicantium: hoc est, per 666. annos, qui est numerus nominis bestiæ, Apocal. 13. (quod mysterio non caret) vsque ad annum Dom. 1197. quo Dominicus Hispanus cœpit contra Albigenses, Papisticarum inuentionum, dogmatum, ac possesionum impugnatores, prædicare. Quo in anno vterq;, Matthæus Paris ac Vuestmonasterius, & alij multi Chronicorum scriptores, Dominicanos, qui primi esse volunt, incepisse, tradunt.

Ecclesiæ & Symoniæ colloquium vetustum

Ec. *QVid Simonia furis, totius adultera iuris?*
Quid mea conturbas per auaras improba turbas?
Ponis vbiq; forum, sequitur te turba malorum:
Quæ mea sunt tollis, tu ferrea pectora mollis,
Nunc promittendo, nunc dando, vel accipiendo.
Diripis, expendis, per mundum brachia tendis,
Omnia tentando, gradibus cunctis inhiando.
Non facis ararum, sed presbyteros decimarum,
Præpositos vanos tu præficis, atq; decanos.
Res agis Abbatum, regis, & das pontificatum.
Sym. Non ego tantorum sum planè causa malorum:
Sed quia maiores piget exoluisse minores,
Et dare sponte bonis refugant possessa patronis:
Hinc benè maiores non præstant gratis honores.
Quod latet extrudunt, malè clausa metalla recludunt;
Vsibus exponunt, quod auari quiq; reponunt.
Diuite iam venâ caret infarcita crumena,
Inuolucris tutis, tineis exesa minutis.
Quodq; negabatur priùs, vsibus ecce paratur.
Rem puto diuinam fore talia, non Simoniam.
Ec. Quàm benè protecti sunt hi per pallia recti,
Ipsa venenosè quos fallis, & insidiosè:

Quos malè blanda bonos vis appellare patronos,
Rebus abutentes mundi, scelerumq́; potentes.
Nam benè quæ captant, sibi quæue licentiùs aptant,
Hæc bona: quiq́; boni sunt, dicunt perditioni,
Iudicio indigno, cum possessore maligno.
Vnde tuam partem cupis expurgasse per artem,
Hinc magis argueris, magis esse nociua videris,
Dona quòd extrudi facis, atque in templa recludi.
Nec dare vis gratis, quæ sunt diuina, probatis:
Sed reprobis vendis, mercemq́; per omnia tendis.
Sim. Quæ mea sunt vendo, mihi quod licet, accipiendo.
Vt dare præsumo, sic terrea dona resumo.
Non decus ararum, sed distraho res decimarum.
Vendoq́; securè mansus, qui sunt mihi iure.
Cælica tractantur, quæ Pontifices moderantur:
Ordoq́; sacrorum celebratur more priorum.
Quid, rogo, miraris, vel quid liuore grauaris?
Dum sacra spargamus, carnalia si qua metamus,
Paulus id expreßè non magnum prædicat esse.
Ec. Arte modò sibi quâ mens ah mentitur iniquâ?
Et malè Scripturas vitio transuertere curas?
Cur tibi terrarum ius & trahis ecclesiarum?
Consonat his certè, quæ dicam, Paulus apertè.
Quis sibimet debet, sibi quisue stipendia præbet,
Militiæ morem peragens, durumq́; laborem?
Subtus certanti dat præmia rex superanti.
Pro stipe seruorum sic censeo cuncta meorum,
Quæ mihi, quæ cælis, delegit quisque fidelis:
Sumtus in castris, dat præmia Christus in astris.
Qui mihi debetur, non iustè sumtus emetur.
Non est vendentis, benè sed certando merentis.
De re carnali, vel semine spirituali,
Discipuli Christi fallens exempla dedisti.
Victum quærebat, dum vitæ verba ferebat.
Hæc sibi poscebat, sed egenis prospiciebat:
Ordine scriptorum patet istud vbique suorum.
Sym. Mira refers planè, quibus esse videtur inane,
Iura quòd vllarum quis poßidet Ecclesiarum.
Si dabit inuitus, fuerit quo iure potitus:
Si dare cogetur, proprium nec velle tenetur.
Si sua dans gratis, capiet nihil vtilitatis.
Non ego non horum dominari quæro bonorum,
Non tria grana salus valeat possessio talis.
Ec. Est patulum planè, quod præfers, quàm sit inane,
Non sit amica bonis species hæc relligionis,
Quâ proprijs veluti mihi competit, aut licet vti.
Sim. Obstruo nunc aures, si verba profana restaures.
Ec. Non nego vestrarum ius vobis Ecclesiarum.
Sumite cunctarum iustas partes decimarum.
Debita vestrorum soluantur seruitiorum.
A grege quæratur, qui paruo præficiatur.
Sim. Quòd si cunctarum quæris res Ecclesiarum,
Si gratis præstas, quid te iuuat ista potestas?
Ec. Illa Deo debes: tua seruat, si sua præbes.
Et sibi iungeris, sua si commissa tueris.
Multa dat in cælis si sis in pauca fidelis.
Captat adhuc harum possessor id Ecclesiarum,
Quod cùm digna refert, sua quem conceßio præfert,
Eiusdem partes per nullas deterit artes,

Rebus in ipsarum sibi quæ sunt Ecclesiarum,
Quin indefessè studet illi commodus esse.
Sim. Esto, ponatur, quòd gratis honor tribuatur:
Sed quibus intendis personis præficiendis?
Num genus ignauum laudas, ignobile, prauum?
Ec. Hic sic honor gratis, quòd vulgus rusticitatis
Nescit, honor quid sit, quid honestas, curia quid sit?
Nil sapit vrbanum, nil sentit denique sanum.
Hoc genus exosum, tu clamas relligiosum.
Est modò diuinus, quem cingit amictus ouinus.

Annatæ & Vacantiæ.

1500. Annatæ inde nomen habent, quòd qui recens in demortui locum, in beneficio aliquo Ecclesiastico successit, Pontifici Romano fructus integros vnius anni persoluere teneretur ex eo sacerdotio. Quam pecuniam, vt in Saracenos & Turcas semper esset paratus Thesaurus, Papæ suo quodam initiò sibi dari petierunt: sed postea cùm impetrassent, in rem propriam conuerterunt.

Vnde ex conuentu Augustæ anno 1500. habito Legati Romam ad Pontificem Alexandrum missi fuerunt, vt prouentus illos, hac potissimùm de causa concessos olim, in hunc vsum contribueret. Sed quid ille?

Rem, tibi quam nôris aptam, dimittere noli:
Fronte capillata, posthæc Occasio calua.

Imp. & Papa vt sup.

1500. *Ludouicus Bologninus in tractatu de indulgentys, num. 84. 85. & 86.*



DEinde quæro, an pauper ita consequatur indulgentiam, vt diues. Thomas quarto Sent. dist. 20. & Innocent. & Host. in sum. de pœnitentia, dicunt: quòd Deus, qui omnia moderatur pondere, numero, & mensura, dabit plus gratiæ vni, quàm alteri, secundum quod plùs erit deuotus, vel secundum quod vnus dat plus quàm alius.

Alia dubitatio. Sanctissimus dominus Innocentius concessit indulgentiam, quòd quicunque dederit decem pro constructione Ecclesiæ, remittatur ei quarta pars peccatorum suorum: aut si quis offerat vno ictu quadraginta, sint remissa omnia peccata. In hoc dices, quòd non, &c.

Et paulò pòst. Nam non debet vna oblatio eiusdem numeri, eiusdem ponderis, & mensuræ plus operari quàm alia, quia si secus diceremus non ita faciliter inuitarentur homines ad offerendum, quàm si quælibet oblatio haberet integram remissionem, &c. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6. vt sup.

1500. *Sebastianus Doctor.*

FVit hic canonicus Erphordiæ, doctor Theologiæ, & concionator in summo templo diuæ Virginis. Multùm solitus est insectari inscitiam, ignauiam, & turpitudines cleri, ac dicere: Si spirituales esse, ac dici vultis: ducite etiam vitam spiritualem.

Indulgentias damnauit, quod ex hisce eius verbis patet. Nam anno 1508. Dominicâ post Iudica, contra Romanas indulgentias, quæ tunc erant allatæ, sic prædicauit:

Liebe Freund / wir solten heut auff den Weissen Sontag vnsern Kram auflegen: es ist aber ein frembder Krämer hie / der soll besser Wahr haben / denn wir: wenn der hinweg kömpt / so wöllen wir mit vnser Krämerey auch kommen.

In eádem concione etiam satisfactiones alienas, seu qui pecuniâ aliorum bona opera soliti sunt emere, reprehendit: & quòd res tota Ecclesiastica à plebe ad clerum, quasi illi soli sint Christiani, sit deuoluta,

Item/ Wir haben/die für vns zur Kirchen gehn/ betten/ singen/ horas lesen / Meß halten: Wer will aber für vns in die Helle fahren?

Item de cæco nato legit Euangelium, dicendo: Es wirdt die zeit kommen / daß man euch das Euangelium wirdt auß dem Büch lesen. Ewer etliche werdens erleben. Ich werde es nicht erleben. Nam Papistici concionatores plerunque memoriter recitant Euangelia. Crebrò etiam solitus est prædicere correctionem, seu reformationem religionis, & Ecclesiæ.

Ob tales eius conciones incidit in summum sacerdotum odium, & senatus, cùm alioquin à studiosis & ciuibus diligenter, & etiam libenter audiretur: ab eisque est in exilium actus. Exulauit aliquandiu Magdeburgæ, sed denuò est reuersus Erphordiam, ibique mortuus. Car. Imp. Max. 1. Papa Alexandro 6. vt sup.

Indulgentiæ & Missæ.

INdulgentiæ, Missæ pro mortuis, & id genus emunctionum apud Papistas nihil aliud est, quàm quod apud Ethnicos erat, rem diuinam Mercurio benefactori facere. Nam quoties id fiebat, toties cuilibet furari & compilare licitum erat: ita vt etiam Samijs toto decennio ideò latrocinari permissum fuerit. Vide Plutarchum in quæst. Centur. Græc.

Sed & Apollinem responsa ad lucrum dedisse, & Pythiam pecunia correptam oracula reddidisse Philippo, & alijs: vide Gyral. l. 7. fol. 312. & Cæl. Rhod. lib. 2. antiq. lect. cap. 12. fol. 93. item verba Liuij decad. 5. lib. 5. fol. 384. cùm ait: Æsculapij templum nobile, quod quinque millibus passuum ab vrbe distat, tum donis diues erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacrauerant Deo. 1500.

Sed quid quæso, lector, Papistarum munera & miracula ad sanctorum statuas fieri solita aliud esse putas? Idem habes, Lector, apud Statium, & Tacitum libro 20. & Pausaniam in Cor. f. 207. Sic templa pro sanatione ædificata, & dona oblata fuisse, alibi legitur, vt apud Pausaniam in Laconicis fol. 376.

Et Plutonem exequiarum, funerum, & honorum, qui mortuis impenduntur, vsum introduxisse, volunt: cùm antea nulla earum rerum apud homines esset consuetudo. Diod. Sicul. lib. 5. Rer. antiq. c. 15. fol. 158. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6. vt sup.

In veteri Testamento non fiebant indulgentiæ, quia non poterant: nec apud illos sacerdotes erant claues, nec potestas ligandi, & soluendi, vt habent nunc Pontifices.

Vnde supra num. 29. idem Bolog. refert ex Stephano, quòd Papa absque dubio potest omnes indulgentias concedere, quia ipse est primus, qui habet claues Thesauri Ecclesiæ, tam meritorum Christi, quam aliorum Martyrum, Sanctorum, & Apostolorum.

Plura de Indulgentijs ex libro Indulgentiarum.

DIcunt, Romæ fuisse mille quingentas Ecclesias, & in qualibet multas Indulgentias: in Lateranensi omni die 48. annos indulgentiarum, & totidem quadragenas, & remissionem tertiæ partis omnium peccatorum. Et Papa Syluester, & Gregorius, qui eam consecrârunt, dederunt tantas indulgentias, vt nemo eas possit enumerare, quàm solus Deus, testante beato Bonifacio, qui dixit: Si homines scirent indulgentias Ecclesiæ Lateranensis, non opus esset, quòd irent per mare ad sanctum sepulchrum, vel ad S. Iacobum.

Idem dicit, qui ad eandem Ecclesiam venit peregrinationis causa, illum absolui ab omnibus peccatis.

In capellam S. Sanctorum mulieres prohibentur ingredi, in ea sunt 28. gradus, qui steterunt ante ædes Pilati in Ierusalem. Quicunque autem (tam sanctus fuit Pilatus) hos gradus ascenderit cum deuotione, habet pro quolibet gradu nouem annos indulgentiarum: qui verò geniculando gradus illos ascendit, is vnam animam liberat ex purgatorio.

In die dedicationis, qui dies vocatur Saluatoris, ibi est plenaria remissio omnium peccatorum à culpa & pœna. Cumque Papa primùm indulgentias largiretur, Angeli fuerunt præsentes, & dixerunt præsente populo, Amen.

Cùm capita Petri & Pauli ostenduntur, Romani habent indulgentias trium millium annorum, vicini sex millium, peregrini 12. millium.

Qui deuotione per aureas portas, quæ tantùm in Iubilæo aperiri solent, ingreditur, liber fit à peccatis non aliter, ac cùm primùm baptizatur homo, & pro animabus etiam itur per illas portas.

Item cùm Gregorius Ecclesiam Lateranensem denuò dedicaret, dedit tot indulgentias, quot guttæ cadunt, si per tres dies continuè pluat. Cumque Gregorius metueret, ne thesaurus gratiæ illa profusione euacuaretur, Christus ei apparuit, & dixit: se concedere, vt plures det indulgentias: populum enim his opus habere.

In summa, omnes Ecclesiæ habent suas indulgentias, quæ si in vnam summam redigantur, exsurgunt supra decies centena millia annorum.

Peccare ergò audacter licebit illis, qui pecunia sibi illas comparârunt, donec tot anni, à Papa, qui mentiri nequit, promissi, elabantur.

Extant bullæ multæ, liber etiam Romanarum indulgentiarum, de quo alibi in hoc opere dictum fuit: in quibus Papa dat quatuor, sex, & octo millium annorum indulgentias, ita vt indulgentiæ stationum vrbis Romæ ad multa centena millia annorum ascendant. Cùm autem nec mundus tanto tempore consistat, nec ætas hominis tanta, nec etiam purgatorium (quod secundum illorum mendacia cum consummatione seculi finitur) tam diu duret: necesse erit, aut Papam post hanc vitam nouum habiturum tribunal, aut omnia talia turpiter efficta & commentitia esse.

Stationes sunt latinè editæ Romæ anno 1475. & postea Germanicè amplificatæ, Noribergæ anno 1491. in quibus impudentiã cauponationum, licitationum, & nundinationum Romanensium, in breui quasi tabella, ob oculos habere potes.

Excommunicatio.

EXcommunicationis fulmine tanta libidine & improbitate ad vsuram suam sunt abusi Papistæ, vt si Magnatem quempiam eo percusserunt, ipsi sibi arrogârint, penes neminem alium esse absoluendi illum, potestatem, quàm se: & docuerunt, si quis moriatur nondum cum sede Apostolica Romana reconciliatus, eum iacturam fecisse irreparabilem salutis suæ temporalis & æternæ, nec vllum superesse medium, aut spem liberationis.

Ex hisce malis saluare se nemo potuit vllo modo, nisi numerata pecunia, impensione auri, terrarum atque dominiorum donatione & legatione: cuius rei exempla opus hoc suppeditat Lectori plurima.

Quòd si verò quis superuiuens vel excommunicationem paruipendere visus fuit, aut non illicò se redimere curauit, is omninò exauctoratus, regno abdicatus, pulsusque ipse cum suis fuit, & Imperium, principatum, & dominatum omnem amisit: eius subditi iurisiurandi sacramento absoluti fuerunt: & quicunque excommunicato huiusmodi bellum intulit, & ad iussum Pontificis arma sumsit contra illum, protinus is omnium peccatorum remissionem, & æternam vitam in præmium accepit.

De excommunicatis à Papa multa passim extant in historijs exempla: Vnicum hoc loco sufficiat ex Antonino. Excommunicati, inquit, sepultura Ecclesiasticâ indigni, quo modo regnum Dei ingredi meruerunt? Et in specie nominatim de Friderico 2. patre eius Henrico, & Filijs, Conrado, Manfredo, & Conradino loquens, ait: Hi excommunicati, cum infinitis diuitijs Regno Romano & Siciliæ exterminati, ad inferos descenderunt. Antoninum tamen propter hoc grauiter reprehendit Nauclerus Generatione 43. vt ibi.

1500. ## *Iudæorum scelera.*

HOc anno, vt & antea & postmodum, compertum est, Iudæos hostias & adulescentulos etiam emisse à Christianis, vel furtim abstulisse. Eos deinceps compugerunt, & vellicârunt cultris, & lanceolis, aut omninò mactârunt, sanguine illorum collecto. Et sic solent ludibrio & ignominia afficere Christum Saluatorem, & Christianos, & abuti eorum sanguine ad magica, veneficia, & necromantica.

Sed etsi nonnullis in locis id vel exilij vel mortis pœna luerunt, Id tamen nihil profecit: nihilominùs enim alibi hoc facinus iterum aggressi sunt: quod multi referunt historici. Imperatore & Papa vt sup.

1500. ## *Iacobus Prunus, Astronomus Vlmensis.*

SVrget quidam anno 1520. publicis typis diuulgaturus libros Latinos & Germanicos contra Pontificem nostrum Romanũ, eiusq; Cardinales, & sacerdotes, atq; totum clericatũ, & patefaciet ac deteget omnem ipsorum improbitatem & nequitiam. Et hæc in libris illis admodum perspicuè & candidè demonstrabuntur: vnde populus irarum æstu fluctuans, se tam diu fraudulenter delusum esse, atque seductum, odio infestabit Papam & Clericos: adeoque vniuersus Christianismus contra Ecclesiasticos insurget, seq; technis eorum ac dolis opponet indesinenter. Imp. & Pap. vt sup.

Idem. Sacerdotes, & monasteriorum habitatores ex parte aufugient hinc in deserta, syluas, & antra ferarum: vbi vitam agent miseram ac inopem, non tamen vltra 42. mensium tempus. Multa cœnobia diruentur, & deuastabuntur: monachique sacra sua facient in syluis inter horrida nimis, & hirsuta dumeta: induti erunt habitu tantùm laicali, omnibus carentes aris & templis. Nulla vtentur in capite rasurâ: & in octodecim mensibus ne vnus quidem audietur, qui se sacerdotem profiteatur apertè, & sine metu: laicis enim omninò pares reputabuntur clerici.

At verò multi dabuntur neci, eorumque cadauera abijcientur hinc inde per vias, plateas, & latrinas, sicuti fimus. Paucissimi erunt, qui sua functione non abibunt.

Et tunc ira Dei tanto zelo contra Ecclesiam exardescet, quòd nullus piorum, quotquot etiam per totum terrarum orbem fuerint residui, Deum flectere poterit suis precibus, vt vel minimum de feruore iræ suæ remitteret, donec hæc omnia fiant.

Albertus Crantzius.

VBi legisset hic theses Lutheri, dixit: Se quidem eas approbare: sed tamen metuere ne tantis conatibus impar, à potente Papâ supprimatur: ideoque de Luthero ait: ô frater, abi in cellam tuam, & dic: Domine miserere mei. Imp. 116. Max. 1. Papa 221. Alex. 6.

Eiusdem de ruinâ Imperij

Vaticinium.

IAm res eò vergunt in Alemanniâ, vt, quæ pridem amisit viuacitatem, omnem deinde perdat honorem, rebus inclinantibus ad Gallos. Ergo labor in hostes Turcos colluctandi permanebit, &, vt formidatur, indies augebitur: quo maiestas Imperij decidet. Et facile est toleratu, si modò perseueret incolumitas, & libertas à Turco, quæ & ipsa vocatur in discrimen.

Idem. Sciebat Ioannes 12. propter se euocatum Othonem à Cardinalibus: quorum alteri, re compertâ, manum, alteri nasum abstulerit. Venire ira plenum, & ideo non putabat expectandum, sed concitò abeundum. Veniens autem Rex, vocato concilio, acta Ioannis subiecit discussioni, & eum, re manifestata, indignum nomine pontificio deiecit, inque locum eius substituit Leonem VIII.

Idem. Dicant igitur, si ideo Imperator non est, quia à Papa consecratus non est, quis consecrauit Augustum, & omnes ab eo Augustos, vsque ad Carolum Magnum, nisi ille, per quem reges regnant, & potentes iusta decernunt? Si non est Romanorum Rex, aut Imperator, quia Italiam non tenet, cedant hoc nomine Constantinopolitani, ex quibus pauci Italiam habuerunt: cedant & nostri temporis Imperatores. Proinde non ir[illegible]demus optimos Principes honore suo. Scimus, quo ordine Pontifices ad eam se consecrationem ingerebant.

Idem. Quo tempore Benno dux inferioris Saxoniæ, filius Hermanni, in eâ ditione secundus, migrauit è vitâ: frater eius Luderus comes, breui secutus est illum: cuius vxor Emma locupleti in patrimonio consistens, multa bona contulit in Ecclesiam Bremensem. Et extat vsque hodie in lignis illius fœminæ de multis bonis inextinguibilis memoria, inter alia quæ donauit, auri & argenti & lapidum pretiosorum donaria. Fertur, ciuibus permisisse pratum non longè ab vrbe feracissimum: cuius vsque hodie illa præcipua est indulgentia, vt nullis ibi pecora muscis, nullis crabronibus aut vespis vexentur: quod referunt in merita eiusdem venerabilis Emmæ.

Idem. Ad pristinam obseruantiam si nostra tempora referimus, ethnici videbimur. Quid enim hodie per dispensationem apostolicam non obtinetur?

Idem. Mathildis, quam Italici scriptores multa laude efferunt, quod rarò præstant exteris, multa obsequia impenderat Romanæ sedi, multas pro suâ fortunâ operas, & impensas fecerat conficiendis, & alendis pro summo pontifice exercitibus. Sed non potuit tum in vicem gratitudinis, in tertio affinitatis gradu ad matrimonium dispensationem impetrare. Ea tum erat temporum obseruantia, vt ne vllus sermo de dispensatione fieret. Nostra sunt tempora liberaliora, nescio si meliora, quando vna puella tertium experitur maritum, primis duobus superextantibus: quando summorum Pontificum sanguis ex archiepiscopatu in Cardinalatum, & ex illo gradu in secularem ducatum perducitur.

Idem. Sic se habet inter homines ciuilitas, vt maioribus blandiamur, etiamsi non ignoremus, nobis illos aduersari. Colendi enim sunt alij, vt prosint, alij, ne noceant: quo modo veteres Romani etiam febrim & scabiem in dijs habuêre, hoc quod diximus, prætendentes.

Idem. Papa prouidit Ecclesiæ de quodam fratre Ioan. ordinis Prædicatorum, qui vel electionem præueniret, vel quid in ea vitij deprehenderet, aut qui plenitudine suæ potestatis (vt solent) vteretur: nondum extantibus principum Germaniæ concordatis, quæ repagulum obijciunt.

Idem. Quo tempore Gregorius Papa X I. decimam folicitauit ab Ecclesiasticis, per omne Imperium, Archiepiscopi tres ad Rhenum obuiam vadunt, se opponentes (vt debuêre) emunctioni Cleri sui.

Idem. Concilium Basiliense, subductis paulatim patribus, cœpit euanescere.

Idem. Laus egregia Friderici, pacem Ecclesiæ reddidisse: sed aliquanto maior, si hoc adiecisset operi suo, vt auro prouinciæ non emungantur, vel vt ipse pater patrum, ex auro (quod ex annatis corrodit) Christianismum tutaretur, non suos nepotes glorificaret. Hæc qualicunque oculo tum Rex, vt per omnem ætatem reliqua Imperij detrimenta, dissimulabat.

Idem. Formidandum, ne nostris criminibus prouocatus, & iratus DEVS, longiùs se retrahat, & propter Ecclesiam non rectè ambulantem, in altum, vt olim à Synagogâ, regrediatur: pro indubitato habentibus nobis, quia ipse iudicat populos, gubernans mundum omnem, etiamsi hoc impij non credant. Qui verò credunt, non hoc agunt, vt properet Deus misericordiam suam super suos.

Idem, sacerdotio olim quare plura sint attributa, & donata, recitat: sed & simul, qualiter Clerus diuitiarum copiâ luxuriet. In diuorum numerum recipi, solius esse Dei, dicit. Superstitionem, quæ sæpiùs veræ religioni miscetur, multa facere videri, qualia tamen non sint. Magnitudinem superstitionum bonas Euangelij fruges quasi vepres & spinas, conculcâsse.

Idem. Ponebantur tum Episcopi, quomodo Apostoli, ad prædicandum, & baptizandum, & triumphandum.

De Ioan. Capistrano monacho idem talia dicit: Fertur idem aliquot sanitatis signa fecisse: vt vulgo est creditum: sed in ea re sæpe loquacior fama. Facilè redit res in abusum: vt est hodie cernere per omnes terras, & vrbes.

Idem. Tum temporis Papa summis viribus annitebatur, concilium in Italiam reuocare. Formidabat enim Germanos, quòd ope cæterarum nationum Italicas vires præscinderent, & aliquando summum Pontificem de prouinciarum auro (vt Husitæ aiunt) triumphantem, filiosq; & nepotes glorificantem, ad maiorem modestiam, Christique scholâ dignam, reuocarent. Concordata inter sedem apostolicam, & Germanicam nationem olim inita, posthabentur: perijt verecundia de frontibus multorum. Et querimur, Bohemos ad Ecclesiam nolle redire, quando illis moribus viuitur, qui non sint exemplares.

Idem. Lakoldus hac tempestate dux erat Cracouiæ, & qui per omnem Poloniam facilè princeparetur. Hic à Ioanne Pontifice Rom. suscepit coronam, quòd Ludouicum (quia eum exsecrabatur, & excommunicabat Papa) non duceret legitimum Imperatorem. Iam enim Pontifices in eam venerant maiestatem, quam principes seculares dicunt Præsumtionem, vt reges crearent, citantes verbum primi post Christum Pontificis: Ecce, inquit Petrus, duo gladij hic.

Contrà principes ipsi verbum æterni pontificis: Mitte gladium tuum in vaginam, de gladio carnali, humano, & seculari interpretantur: quasi non liceat summo Pontifici in eo pugnare. Lakoldus autem à Pontifice rex nominatus & consecratus, omne regnum fecit B. Petro tributarium, vt per singula quotannis solueretur nummus vnus: qui appellatur S. Petri. En Lector, & Polonia Papæ est, provt ipse vult.

Idem. Vtcunque, Romani Pontifices iam cœperant reges creare: quod dudum in patrimonio, quod vocant diui Petri, cœptum cùm prosperaretur, in alios quoque exequuntur.

Idem. Romanorum Rex, & cæteri Principes rem tantam reijciunt in summum Pontificem, & Ecclesiasticos principes: ad quos aiunt pertinere, incendium ab Ecclesiasticis ortum restinguere. Vt quid enim terrarum eis dominia, aut prouinciarum imperia? Num vt nepotes extollant, & inter principes collocent? Num ideo permissa sunt illis vectigalia, vt inde luxurientur, superbiant, impinguescant? Iusta nimirum querimonia: sed inexcusabilis ignauia, propter hoc permittere sæuitiam impijssimæ gentis in populum catholicum.

Idem. Stratiquates Boleslai Bohemorum regis filius, olim clero adscriptus, cùm ad Episcopatum quendam vocaretur, eum tanquam suo genere indignum contemsit. At cùm postea alium quendam splendidiorem ambiret, propter familiæ dignitatem obtinuit quidem, sed dum à Moguntino consecratur, statim à diabolo arreptus, misereque tortus, expirauit. F. Anno Domini 972.

Idem. Nostra feliciora videntur tempora: vbi Pontifices Euangelizandi ministeriũ relegârunt in sacerdotes, ipsi superintendentes. Sic enim sonat Episcopi nomen. Meliora sibi desumunt in decimis, primitijs, & oblationibus: equis, armaturis, euectionibus magnificis intenti, curam gregis abiecerunt. Sed hæc in aurem legenda, ne offendantur magnates, & dicamur os in cœlum ponere, dum quæ supra nos sunt, carpere contendimus.

Sed finis sit comparationum inter Pontifices veteres & nostros. Illi regna conquisierunt æterna per summæ pietatis merita: nostri, si sua in pace & tranquillitate, & rerum abundantiâ transigant tempora, felices se prædicant: & vocantur, dum viuunt, sancti patres, benè etiam, si hoc nomen retinent in morte.

Idem. Erat illa tempestate maior in Ecclesias potestas regum, quàm sit hodie: pro qua re cum Imperatoribus diu luctati sunt Romani Pontifices.

Idem. Processit ad tertium lapidem rex Pipinus: & equo descendens, Pontificisque pedes osculatus, illum terrâ incedens, & frenum Pontificis equi regens, ad cubiculum vsque deduxit. Anno Domini 752.

Idem. Hoc tempus (de ordine Ecclesiastico loquens) declarat, murem esse missum in peram: quem & summus Pontifex, & maiores in orbe Prælati respiciunt magis, ne noceat, quàm vt prosit: sed hæc verecundiùs dici, ob eandem causam, par est.

Idem. Vertigo rotat Petri successores, Christi vicarios in terrâ.

Idem. Leo 2. constituit, ne Archiepiscopi pro vsu pallij quicquam persoluerent: quod vtinam adhuc hodie seruaretur. Sed alia sunt tempora.

Idem. Romam Regi Romanorum Germano pecuniam, & tributum pendisse, multis probatur.

Idem. Scandalum peperit res illâ ætate incomperta, vt duabus Ecclesijs vnus esset Pontifex, hoc est, vnus sponsus duabus sponsis. Id verò ætas nostra iam desijt pro frequentiâ mirari, quòd passim cernimus, alteram alteri Ecclesiæ in vnâ personâ accedere, vt habeat alteram in titulum, alteram verò in commendam. Sed non potuêre tunc pro rei nouitate placari homines, vt æquis animis acciperent, quòd Giselerus vtramque retineret Ecclesiam, in Mersburgensem collocans religiosum, qui absentis vicem tueretur: vt esset, iuxta tum acceptam speciem, ex episcopatu facta abbatia, cuius fructus tolleret nihilominùs prior Episcopus. En temporum mutationem, quam in multis præterea alijs est attendere.

Idem. Varinus Coloniensis archiepiscopus (alij Vualthramum vocant) Geronem suum antecessorem, ecstasi correptum, viuum sepelijt. Eius facti postea pœnitens, Romam adijt, Papalem satisfactionem expetitum. Cui, vt monasterium aliquod collapsum reficiat, iniungitur. Reuersus itaq; domum, S. Martini cœnobium reparauit, ac Scotis perpetuò inhabitandum dedit.

Idē. Henricus tum Imp. cùm latè omnia perspiceret, prospiceretq;, fratres Fuldenses regalis abbatiæ non rectè ambulare in vijs regulæ suæ, multa illis prædia, tanquam luxuriem nutrientia, ademit. Factum est enim (quod hodie cernitur) vt incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquerit Deum factorem suum.

Idem. In annalibus vbique lego, per Ecclesias vixisse fratres, ordine vtique canonico, sub regula diui Augustini. Sed abiectum est hoc nomen, vt erubescant deinde dici fratres, hoc retinentes, vt canonici sine regula (cùm canon sonet regulam) & domini dici ament? Fugit cum nomine fratris charitas, illi nomini cognata: & succedit amor excellentiæ propriæ, contentio sine fine.

Idem. Sed quando erit finis multiplicandarum religionum, in vno magno Ecclesiæ monasterio sub abbate Christo? cuius regulam, per Euangelia digestam, si strenuè obseruaremus, nihil esset opus repertitijs illis & nouis religionibus. Sistendus est hic stylus: quia si exaudierint, multi consurgent in prælium: paratiores contendere, quàm animum ad obseruantiam diuinæ legis intendere.

Idem. Fratres, quos dicunt Gaudentes, ita se gerunt, vt, etiamsi non essent, Ecclesia Dei nihil pateretur detrimenti: possent, sine illis, pastores Ecclesiarum Dei populum gubernare. Nunc verò priuilegijs suis, quæ præferunt, mirabile faciunt Ecclesijs detrimentum, non contenti mendicitate, quam sponte subierant, in quâ nihil habentes omnia possident, magnis Ecclesiæ prælatis non impares. Hoc illis præstant Christi sacramenta, & præsertim pœnitentiæ, quæ sunt illis aurifodinæ.

Idem. Cùm Gregorius Papa Episcopos solicitaret, vt abrogato Friderico, alium substituerent, Coloniensis, & Moguntinensis respondent: non esse sui iuris, Imperatorem substituere, sed tantùm, electum à Principibus coronare.

Idem. Coloniensis Archiepiscopus, & Hermannus Bambergensis Romam missi, pecuniam, quæ Regi debebatur, congregare, cùm legatione peractâ reuerterentur, literas Alexandri Papæ detulerunt, Regem vocantes ad satisfactionem pro simoniacâ hæresi, alijsque nonnullis emendatione dignis, quæ de illo Romæ fuerunt audita.

Idem. Impendente morte Alberti Episcopi Bremensis Nigromantici, visæ sunt lachrymæ ex crucibus emissæ: porci, canesque in templo, qui ab altari vix poterant repelli: nec non lupi in suburbio Bremensi gregatim vlulantes, horribilique iurgio cum bubonibus certantes, annum circiter millesimum septuagesimum secundum.

Idem. Tum redditâ pace, alterum diuersum illi bellum surrexit in monachos: asserentibus Pontificibus, melius esse, paucos Deo seruientes pascere, quàm magnum gregem ociosorum, nullâ in re vtilium Reipublicæ: qui neque Deo satis seruiant, sed monastico habitu seculi sequantur voluptates. Poterat zelus esse diuinæ religionis, qui stimularet Pontifices: sed immiscuit se priuata contentio, de æmulatione consurgens: quòd cernerent Pontifices, in maiori esse apud regem Abbates loco, quàm se.

Idem. Mira Pontificum perplexio, qui vtrisque rebus impliciti, & secularibus & ecclesiasticis, magnam rem peragunt, si vtrobique integri ex fide omnia implent.

Idem. Tum illa stupenda Romæ in pontificiâ sede perturbatio est exorta à Formoso, & successoribus eius, cùm orto inter eos schismate successor prædecessorem malè haberet. Effoditur à successore Formosus, & cadauer in Tyberim proijcitur. Qui hoc procurauit Pontifex, à successore suo, Formosi defensore, confunditur. Ita grauissimo totius Christianismi scandalo Romani Pontifices, veluti ebrij, imò furiosi, iactabantur. O Petre, Line, Clete, Clemens, ad quid peruenit vestro sanguine vestratumque, imò Christi cruore, partus principatus?

Idem. Conuocatâ omni Francorum, atque Saxonum nobilitate in Frisiariâ, vnanimi consensu Henricum I. Saxoniæ ducem regno præficiunt, anno Christianæ salutis 920. Necdum enim erat legitima Electorum principum constitutio, nec summus tum Pontifex consulebatur: quamuis magnâ se iactantiâ immiscuerint Romani Pontifices, ad dandum Imperium, vt suam perinde amplificarent potestatem.

Idem. Bremensi Ecclesiæ post secundum ordine Episcopum VVillericum, tertius præfuit Leodericus. Hunc, pontificatu suscepto, notant annales de quodam tumore, sanctitati episcopali alieno. Argumentum faciunt, quia se aliquando custodem, aliquando pastorem Bremensis gregis gloriaretur. Vide temporum simplicitaté, quòd non paterentur pastoris vocabulum? Quid facerent, si nostræ ætatis ambitiosum ritum cernerent, vbi ex ore Episcopi insonare audirent: Nostra gratia, nostra pontificalis dignitas, & reliqua his etiam gloriosiora?

Idem. In expeditione pro episcopatib. tum infinita cœpit exigi pecunia, ad quadraginta, quinquaginta, sexaginta, octoginta millia aureorum. Anticipator fuit iste nostrorum temporum: necdum enim erant annatæ.

Idem. Exorbitabat eo tempore supra modum Romana curia, in exhauriendo prouincias auro, inauditas indulgentias, & gratias incredibiles conferendo. Curiales autem Apostolici impetrantes, miserabiliter iactabantur. Litigabant coram auditore: sententiæ duæ ferebantur pro vna parte: in tertiâ instantiâ mandabatur auditori, vt imponat parti perpetuum silentium. Neque per cancellariam opus erat literas expedire: compendiosior erat via per cameram, dato, quod sonaret, & fulgeret. Res tum noua, sed nostrâ ætate bene inolita, vt illud seculum adinuenisse credatur, quo hoc nostrum modò vtitur. Sed hæc frustra querimur. Anno 1398.

Idem. Summus Pontifex Bonifacius 9. gratias & indulgentias fecit inauditas: & quàm facilè dedit, tam leuiter reuocauit: fabulas excitans in orbe Christiano, quòd auro expleri non posset. Et à multis Apostolica sedes in contemtum venit, nonnullis ad neutralitatem inclinantibus, alijs etiam incipientibus iustificare partem Pontificum in Auinione, quòd Vrbanus de crudelitate, Bonifacius de auaritiâ insigniter notarentur.

Idem. In Saxonia Iudæi ob crebra facinora pulsi fuerunt. Abutuntur enim sanguine Christianorum ad restinguendum cruorem, qui perpetuò illis fluit: quia patres illorum clamauerunt: Sanguis eius super nos, & filios nostros: vt quidam dicunt. Sed alij volunt, solam Saluatoris in ea re ab eis quæri contumeliam.

Idem. Anno Dom. 1491. à Sacerdote diuendita fuit ostia Iudæis, qui digno supplicio exusti fuerunt.

Idem. Sunt multi laquei animarum, quos magno suo periculo dissimulat vulgus Sacerdotum.

Idem. Resedit in patre Pribislao nonnihil gentilitij erroris: quia imaginem D. Mariæ in clypeo pictam deferens, pro numine veneratus est.

Dubium non est, quin autor cum Pribislao simul omnibus Papistis gentilismum attribuat, qui eandem matrem, excluso Christo, his verbis adorant: Da nobis salutem, miserere nostri, & da nobis æternam pacem. De quibus alibi.

Idem. Reliquiarum Romanorum copia, eas vilescere facit. Fabulis enim non inhærendum. Nemo gloriari debet de veterum authoritate: indocti enim erant, non habebant, vnde falsitatem coarguerent. Sed ætate nostra, crebrescentibus literarum monumentis, inexcusabilis torpor est, in fabulis scientes prudentesque permanere.

Idem. Eò nunc peruentum est iam dudum in Ecclesia, vt in deligendo Pontifice maior sit respectus tuendorum Ecclesiæ prædiorum, quàm in ædificatione & reformatione morum.

Idem. Quoniam nullum penè Episcopis hodie ministerium remansit in Ecclesijs, nulla penè cura religionis, ad hoc solum intendunt nostri temporis, præsertim in locupletibus Ecclesijs, Pontifices, vt quæ foris sunt, temporalia tueantur, arces & prædia defendant. Nullum perinde videtur Ecclesiæ detrimentum, magis verò profectus, habere tam potentem defensorem, qui nutu & verbo plus, quàm alius armis, imperitet. Quòd si modestia esset in summis viris, posset Coloniensis Ecclesia suum Pontificem impensis suis satis deducere. Sed quando erit, vt dicat infernus, Sufficit?

Idem. Inuenit nuncius iste, qui missus est in vrbem, faciles aures Pontificis Romani. Solet enim sedes Apostolica petentibus se liberalem exhibere, permutans plumbum pro auro. Quod cùm dictum est veteri seculo, quantum creuerit in hunc diem illa liberalitas, facilè intelligunt agentes in rebus. Sed hæc interim.

Idem. Gigantis Pallantis, filij Euandri, cadauer (sic existimatum fuit) turribus altius, Romæ in via Laurentina effossum est, cum face ad caput eius ardente, quæ nec aqua, nec flatu extin-

qui potuit, donec, supra flammam (Vincentius scribit, subtus) foramine acu facto, aër immissus fuit. Facies illius (vulnus, Vincentius ait) erat 4. pedum, & semissis. Postea in platea putrefactum est. Epitaphium erat ei additum tale:

Filius Euandri, Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, mole sua iacet hic.

Idem. De mandato Innocentij VI. à vinculis excommunicationis absolutus exiuit quidam, non sine scandalo multorum in Ecclesiâ, qui perinde Ecclesiasticæ disciplinæ neruum contemtiorem habituri videbantur: cùm tot Pontificum censuras pertinaciter dissimulatas, Pontifex, acceptâ pecuniâ, sine præuia satisfactione laxaret. Ferebatur enim, aliquot aureorum millia cameræ apostolicæ persoluta.

Idem. VVenceslaus contemto auro, iussit, vt optimi vini de Rheno (quod Bacharachense vocant) aliquot plaustra sibi mitterentur. Ita summa illi de vino cura fuit.

Idem. Theobaldus Camerinorum Princeps suppetias tulit Beneuentanis, congressusque Græcis, fugauit eos: & quotquot cepit, cuiratos remisit, addens ignominiæ risum: Quandoquidem, inquit, Imperator vester eunuchis gaudet, quotquot emiserit armatos, gallinaceos factos remittam.

Erat deinde ex hoc genere mulier, quæ virum captum in castra sequitur magnis eiulatibus, vociferansque omnium in se oculos conuertit. Nouitate rei motus Princeps, iussit adesse fœminam propiùs, & quid pateretur, exquirit. Tum illa fidentiùs, quid est, inquit, quòd viri fortissimi bellum fœminis indixistis? quid in vos deliquit sexus infirmior? Ad quam Camerinus: Et quis (malùm) fœminis, nisi Amazonibus, bellum inferebat? Tum mulier: Quando, inquit, ad hoc pugnatis, vt victos emasculetis, non alijs quàm fœminis bellum facitis, quarum de maximo contenditur præiudicio. Omnem substantiam, & quicquid etiam vndecunque possideant, auferatis: dummodò viros relinquatis, habent vnde consolationem recipiant fœminæ. Hac verò parte truncatos si remittitis, non viros, sed fœminas spoliastis.

Excepit omnes cachinnus: & promeruit libertas dicacis fœminæ, vt virum cum omni præda reciperet. Tum Camerinus, vbi virum & omnia reddidit mulieri, versus in eam, Quid, inquit, faciam vis viro tuo, si iterum in me pugnans, capiatur? At illa, Oculos & aures cum naso amittat, modò vir ad me redeat. Ita dicti sui festiuitate & sibi & viro profuit.

Idem. Creuit perinde magnum in modum authoritas & dignitas Ecclesiæ Romanæ, quæ iam Imperatores & confirmare, & consecrare cœpit, quod ante hunc diem fecit nunquam. Duo gladij, quos Petrus adesse dixit, Christus autem satis esse respondit, iam tum primùm in Successore Petri, Leone tertio apparuerunt. Nam cæteri Pontifices alterum in vagina reclusum, ad opportuna tempora tenuerunt: quamuis etiam ante hunc diem temporalem gladium exeruisset Ecclesia, in aliquot districtum, quos Gothi, Longobardi, & super omnes idem Carolus, victis Longobardis, Ecclesiæ contulerunt. Nam totus exarchatus Rauennas, dono Caroli, accessit Romanæ Ecclesiæ.

Meritò summus Pontifex, & Gallorum Rex mutuis se attollunt fauoribus, quando ab initio hæc sedes domui Caroli hoc præstitit, vt regiam haberet dignitatem, & vicissim Carolus Ecclesiam amplissimo principatu in Italia locupletasset. Accessit his omnibus, & Carolo tributa imperij cum nomine dignitas, & Ecclesiæ Romanæ per eam coronationem adaucta magnum in modum maiestas.

Olim Imperatores non passi viuere Pontifices, ad supplicia deuocabant: & Græculi postquàm, apud eos extincta stirpe Constantini, & deinde magni Theodosij, non habuêre Romanum Pontificem, nisi quem ipsi confirmassent: mutatæ sunt rerum vices, vt non habeatur Imperator, nisi quem Romanus Pontifex confirmârit, & consecrârit. Domini est terra & plenitudo eius, ipse transfert regna & Imperia, dignissimeque ad suum in terris vicarium hoc sacrum ministerium delegauit.

Idem. Melciades insequitur, natione Apher, qui tempora Constantini attigit. Hic (vt Gratianus eiusdem Pontificis verbis testatur) ante Syluestrum, ostendit, fuisse Christianum Constantinum. Vnde conuincitur, tota res de donatione Constantini in Syluestrum, & de Imperatoris baptismo, esse commentitia: & quòd non martyr emigrauerit, anno Pontificatus sui quinto.

Idem. Seueritatem illorum temporum in corrigendo adulterio, ex vno Othonis facto perpendimus. Cùm Rex expeditionem militarem crebriùs duceret per Italiam, procidit ad pedes eius mulier querula, quòd vim passa esset ad stuprum, rogans iustam legum vindictam. Cùm ille festinans educere, polliceretur, in reditu se iustitiam facturum: eiulans mulier, Quis tum, inquit, faciet te dominum meum atrocis iniuriæ memorem? Tum ille suspiciens in proximam Ecclesiam, Hæc, inquit, erit testis inter me & te, & in signum iustæ vltionis. Ibat ille itinere, & proxima vice per interpositos reuersus, vbi vidit Ecclesiam, recordabatur delatæ questionis. Iussit aduocari mulierem. Vbi aderat, præueniens mulier, Serenissime, inquit, rex, vir de quo sum olim questa, nunc meus est maritus: peperique ex eo, & iniuriam aboleui. Non sic, inquit Rex: per Othonis barbam sentiet dolabrum. Nam inter vos facta collusio sacris legibus non imperat; iussitque, virum securi percuti.

Idem. Operæprecium est, hoc in loco lacerare fabellam, cuius incidit mentio, per veræ historiæ ignorantiam confictam. Eam enim veritatis loco multi buccis inflatis, magno ore sonantes iamq; temporis diuturnitate conquisiuisse authoritatem creditur, & fidem. Volauit nænia in parietes, picturis commissa. Efferunt statuas de ligno excisas Benedicti, velut martyris pro Christo cæsi, qui (vt ostendemus) in pace quieuit: quod & annales, & cælatura sepulchri testatur extantis. Multa sunt autem, quæ catholicæ veritatis amatores inuitant ac stimulant, ad propulsandum ab Ecclesijs fabulosas narrationes: vel quòd superstitiosas pariunt sinceræ fidei perturbationes: vel quòd zizania sunt, quæ inimicus homo, cæteris dormientibus, superseminauit, vt eorum falsitate detecta, illa quoque fabulosa putentur, quæ in petra firma consistunt: vel quòd irrisionibus nos exponunt totum, qui simplicitati fidelium illudunt, omnia fabulosa recipienti pro veris. Barbari, inquiunt, pro suo sensu, somnia pro rebus colunt. Danda est ergo opera, vt furfures à medulla tritici, paleæ separentur à granis, veritas segregetur à figmentis.

Idem. Hoc tempore quidam Iudæus in Hispania, cùm scinderet rupem vineæ suæ imminentem, vt amplificaret vineam, & Solem admitteret, fertur in concauitate rupis reperisse librum: cùm tamen nullum antè scissionis in rupe signum inuenisset, sed solidam scidisset. Erat liber non ex membranis, aut linteo, vt olim, sed velut ligneis tabulis compaginatus, qui tribus linguis, Græca, Hebræa & Latina, scripturam haberet, qui magnitudinem æquaret Psalterij: & loquebatur de triplici mundo, ab Adam ad Antichristum. Proprietates verò & conditiones hominum de vnoquoque mundo discreuit.

Principium tertij mundi sic orsus est: Filius Dei nascetur ex Maria Virgine, & pro salute hominum patietur. Quod cùm legisset Iudæus, cum omni domo sua baptizatus est.

Idem. Vidit (vt ferunt) inuitus Fridericus in pariete opere musiuo factam picturam, quam oculis vt annotauit, vultum auertit contractum. Erat eiusmodi: Sedit in pontificali cathedra Innocentius secundus, ad cuius genua Lotharius Imperij coronam curuatus accepit. Fremuit, nihil dicens, Fridericus: & cùm redisset in Germaniam, Hadrianus Papa misit ad eum Cardinales duos, rem magnam acturos. Scripsit inter alia Papa: Beneficium coronæ tibi concessimus. Quod verbum indignè ferens, efferbuit. Nostris, inquit, Electoribus acceptum ferimus, post Deum, quòd regnamus: primam coronam à Coloniensi recognoscimus, Imperialem à Papa. Cæterùm beneficium ab illo non recepimus: Deo soli debemus & Electoribus, non Papæ, quòd regnamus.

Idem. Nam in corde eius imago crucifixi Domini concreuit, aperteque cerni potuit ex illo die, quo extractum corpori cor apertè cerneretur. Tres quoque ibi lapilli sunt inuenti, eiusdem ponderis. Mirabilem Dominum in sanctis prædicamus, quia ita per exempla cernimus de Ignatio primitiuo Episcopo, qui semper in ore habuit: AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST. Simile aliquid reperitur, quòd in corde eius nomen Iesu aureis literis fuerit repertum post mortem: bestijs enim consumtis, cor inuentum stuporem fecit Christi fidelibus.

Idem. Marcellus cum fratre Hospitalis (vt apparebat) sancti Ioannis, carnales fratres, & ambo professione Minores, religiosa veste proiecta, literas præferebant Apostolicas. Marcellus satis eloquens & doctus, qui se magistrum asserebat in Theologia, indulgentias plenarias pollicitus dantibus pro redemtione captiuorum pro rege Cypri, per diœcesim Zvverinensem profecit, multum faciens quæstum.

Venerat Lubicam, Pontifici se exhibet. Ille & vultum hominis, & literarum faciem perpendens, primùm suspicionem falsi concepit: deinde vbi omnia introrsus perspexit, reperit falsarium. Ille tamen, nihil mutato vultu, intrepidus stabat, pollicitus omnia facere & perpeti, de re sua liquidanda. Episcopus coëgit præstare iusiurandum, ne quouis modo, nisi dimissus, abiret. Ille non grauatus præstitit. Frater eius breui morbum contrahens, vita excessit.

Marcellus, vbi primùm licuit, secretò abscessit, nemine commonito. Episcopus interim rem summo Pontifici direxit. Ille remandauit, falsarium seruari, & ad formam iuris in eum procedi. Erat tum Cardinalis Anglicus in legatione causæ Bohemicæ per Germaniam, cum potestate de latere. Scribit illi Papa, vt falsarium ad se perductum examinet, & iure agat. Iam audiebat Lubica, dilapsum peruenisse Coloniam.

Erat autem multis in locis Italiæ non ignotus Marcellus: nam Venetijs pridem ob similem causam erat in carcere, per summum elapsus ingenium. Simulauit, ad mortem se ægrotare: scribebat (vt erat medicinæ artis peritus) receptam, quam potione formare iussit in apotheca, simulans se accepturum: erat enim somniferum vehemens. Quo accepto, rogauit, ad se dimitti fratrem ordinis Minorum, vt coram Deo sinceram faceret moriturus conscientiam. Aduentantem ad se in carcerem fratrem blandè inuitat, vt de suo potu gustare non detrectet. Simplex frater nihil veritus mali, bibit: nec diu pòst in somnum soluitur grauissimum. Marcellus detracta illi veste monachali, ipse induitur, & clamans extrahi carcere frater poscit, iam impleto circa carcerum officio. Extrahitur Marcellus monachali veste, & pro fratre abire sinitur.

Sic elapsus Venetijs, venit Coloniam. Idque compertum habens Cardinalis, honorificè scribit noto homini, ad se veniat: magnum esse, quod cum illo sit acturus. Ille, vt qui Cardinalem pridem nouerit, sperans ab eo prouectionem magni honoris, non inuitus proficiscitur. Venientem

tem vinciri iubet, & iam Rheno defluens perducit Coloniam, ibique tradidit carceri custodiendum. Nec diu erat, (incertum quibus modis) audit Cardinalis, cum custodes fefellisse, iterumque abijsse. Edicit, habiturum centum aureos, quisquis illum reduceret: magnitudo præmij fecit, inquirere multos. Extrahitur ab satellite inter moniales latitans. Cardinalis iubet, numerari promissam mercedem: ille vsus modestia, quadraginta aureis contentus abijt.

Marcellus inde diligentiùs asseruatus, publico iudicio conuictus, damnatur ad scalam & carcerem perpetuum. Inscalatus deducitur in Brule Archiepiscopi arcem. Inde lugubrem misit Cardinali post aliquot dies, ad commiserationem sui, epistolam, lachrymis plenam, mirabili arte tornatam: sed surdo locutus est. Cùm verò iam in obliuionem venisse videretur, & polliceretur artem medicam Theoderico archiepiscopo, nescio quid incommodi passo, specie comparandæ Pontifici medicinæ, elabitur: & inde in regna perueniens aquilonis, episcopatum ambiebat, incertum, quos exitus inueniens.

Idem. Rem à multis seculis retrò commemoratam, de barbarie, in qua vetuli etiam parentes à filijs mactantur, & senes iam labori inutiles ad mortem vrgentur, hac tempestate quidam ex rustica VVandalorum gente (qui in durißima seruitute vix panem excudunt omni labore & sudore quotidiano) comprobauit.

Nobilis domina, vxor comitis de Mansfeld, filia comitis de Luchovv, cū parentes inuisere constituisset, iter faciens per ericam Lunæburgensem, in vicino fruticeto audiuit vocem gementis, & miserabiliter precantis: missoque vno ac altero ex familia, iubet contemplari, quid esset: nec demorata reditum, cùm moram facerent, ipsa aditura iussit aduerti currum. Conspexit, senem iam annis pressum, labori inutilem, ligatis manibus eiulantem, orare, vt vitæ eius parceretur. Iuxtà vidit, virum scrobem effodere: quem interpellans rogat, quid moliatur?

Ille nihil ratus illicitum, planè confitetur, se patrem suum, iam labori defunctum & inutilem, quique panem suum quærere non poßit, sepulturum. Illa redarguit impium, quòd parenti non parceret. Non times, inquit, improbe, Deum, cuius est mandatum de honorandis parentibus, & de nemine occidendo, minimè verò patre? Ad hæc ille suspiciens: Non possum, inquit, ô domina, auferre panem paruulis, quos multos alo domi, & dare inutili seni: vtrisque autem enutriendis non sufficio. Quid faciam?

Tum ingemiscens domina respexit in suos, dixitque: Videtis, quæ sit horum pauperum conditio, quibus dum nemo impendit misericordiam, magis emunguntur ad sanguinem? Et prolatis aliquot argenteis, dedit filio, vt patri vitam permitteret. Pollicetur ille, quoad durauerint argentei, se patri prospecturum. Illa abiens pauperum secum sortem humanitus miseratur, multa loquens inter amicos de preßione misera rusticæ plebis. Sed nemo percipit corde. Quantos putamus ea conditione emori coactos?

Idem. Ad dies solutos Carnispriuij vocabat ex ministerialibus cum puellis & dominabus in Caluen, vt more gentis resoluti, carminibus, choreis, vanitatibusque cæteris, lætos cum illo dies agerent. Venerant frequentes: Archiepiscopus inprimis choreis inerat fœminarum, nulli cedens circulationibus, stridoribus leuißimis, & clamoribus. Die Lunæ ad vesperarum horam, cùm medijs in vanitatibus versarentur, apparuit ignis in camera, facilè, si quis anniteretur, restinguendus: sed nemo occurrit. Interpretatum est, immisisse Dominum cunctis timorem, vt fugerent. Igitur ad gradus festinabant cum clamore vniuersi.

Archiepiscopus vix choreâ patitur abire, vt compesceret populum: sed immixtus turbæ, nec procedere nec retrocedere quibat. Venêre in gradum tanta pressura, vt mole sua necesse esset dare ruinam. Igitur concidit gradus lapideus, cui imminebant. Ruebant vnâ plures quàm trecenti homines vtriusque sexus. Ex omnibus læsus est nemo, præter Archiepiscopum, & tres alios. Ille delatus in domum, postera die spiritum efflauit. Ad locum deinde cremationis adspexêre, & tam pusillum erat incendium, vt puer restinxisset.

Hunc inuenit exitum per multas Ecclesias transiens Ludouicus, vtinam bona pœnitudine excedens.

Idem. Interea idem Imperator Carolus (nescio, si ad interpretationem verbi, quam nunc faciunt) bene Augustus, Imperij neruos exhausit, viresq; conscidit. Sedecim in Sueuia vrbes, sine medio recognoscentes Imperium, vendidit vicinis principibus. Aliæ quatuordecim cùm intelligerent, conspirârunt inuicem, fœdere mutuo se constringentes, vt non patiantur, se in morem pecudum venales exponi. Plurimùm enim interest, hanc vel illam supra se agnoscere potestatem.

Imperator indignatus, vnam ex eis obsessam nisus est expugnare, ad terrorem cæterarum: cæteræ ad arma concurrentes, obseßis opem tulêre. Tunc quoque nonnulli ex his, salua libertate solita, Principibus Austriæ ad protectionem se commendauêre, non vt dominis parituri, sed vt protectoribus vicißim obsecuturi: quæ res diu permansit ad tempora nostra.

Idem. Otho III. Cæsar (vt sunt mariti ad zelotypiam procliui) iußit, mox vinciri accusatum, & gladio cædi. Ille moriturus innocentiam suam DEO commendabat, vxorique questus, cum lachrymis ibat ad mortem. Caput viri coniunx rapit, & amplectitur, nemine obluctante, quòd iusto dolore torqueretur. Obseruabat deinde Cæsarem pro tribunali sedentem, & accurrens acclamabat, fœmineo vlulatu postulans de iniusta & iniquißima oppreßione iudicium.

Cumq;

Cumque miserabiliter eiularet, versus in eam Cæsar ait: quis te mulier tantoperè læsit? quis oppressit? Tu, inquit illa, ô Cæsar: & proiecto in medium capite, Hunc, inquit, mihi virum per summam iniusticiam abstulisti: & in promtu tenens ferrum ignitum, in conspectu omnium pertulit illæsa: Quàm, inquiens, ego immunis sum ab igne, tam erat maritus à crimine, quod ei imputabatur. Stupuêre, qui aderant: nam & in memoriam reduxêre, qui viderant, lac pro cruore profluere, cùm miles ille gladio cæderetur.

Cæsar miratus, vbi rem diligentiùs perquirit, reperit, ab Imperatrice per calumniam accusatum innoxium virum: & zelans pro iusticia, reginam iussit concremari, seque, qui præcipitasset sententiam, magno ære mulctauit, rependens mulieri pro morte viri aliquot arces. Nec poterat diu occisor consolationem accipere, quòd seipsum de præcipitato iudicio seuerissimè damnaret.

Nec multo pòst tempore iterum Romam, incertum quibus ex causis, proficiscitur. Romani verò ab illo à sententia sua per vim deiecti, imperata facere adigebantur. Igitur quem armis superare non poterant, alio genere perditionis intentato, subuertere contendebant.

Idem. Razeburgensis tum Ecclesia, mortuo Henrico, vacabat: & se ingerebat non electus à fratribus Lambertus quidam, Hamburgensis & Bremensis Canonicus, qui Ecclesiam alienigena à summo Pontifice ad se nihil pertinentem impetrauit.

Vide, in quantum licentiæ tum processit, post Imperatorum destitutionem, Romana Ecclesia, vt se inciperet intromittere de Ecclesijs vacantibus. Solebant Imperatores de Romana aliquando disponere Ecclesia: peruentum est eò, vt de solis Germaniæ Ecclesijs & abbatijs disponerent, idque extortum est manibus eorum tempore Henrici V. Imperatoris, cùm Ecclesijs peruenit libera electio. In eam quoque Papa manus iniecit per hæc tempora, & creuit illa facultas in immensum, vt satis sit per Germaniam res tolerabilis, sed in Francia & Anglia immoderata.

Fertur de hoc Lamberto, quòd in aduentu suo, cùm debuit intrare Ecclesiam, quendam mirabilem & intolerabilem sensit ruborem in facie, tanquam ignis vehementer ardentis, quasi introitum in Ecclesiam illi prohibentem: sed breuis hospes erat, quia eodem anno defunctus est: quia alienigenam Ecclesia ferre non potuit. Extant de eo versiculi malè tornati:

Vt lupus intrauit, canonicè non vocitatus:

Paulò regnauit, morte praeuentus erat.

Regnare dicit Episcopum, cùm sit seruus Deo seruientium.

Idem. Incessit cupido Principi VVedekindo, lustrare regis castra: quod etsi iam reconciliato liceret, libuit tamen, ignoto habitu liberiùs omnia scrutari.

Vicina erat Paschalis solennitas, & Rex cum vniuerso milite pro Christiana pietate se tum sacris imminentibus apparabat, commemoratione Dominicæ passionis, & expiatione criminum, in purgationem conscientiæ. VVedekindus in mendici habitu per fluuium in nauicula allabitur: & quò minùs nosceretur, mendicus cum mendicis ad stipem sedebat. Ingens quippe pauperum regionis multitudo quotidie affectabatur. Rex illis largam stipem iussit erogari.

VVedekindus, vbi ad eum peruentum est, dexteram & ipse protendit. Attendit, qui distribuit, incuruum in manu digitum, qualem sciebat habere VVedekindum. Vultum eius diligentiùs intuetur: agnoscit arridens, qui largiebatur: quid ita mendicus inter Mendicos sederet Princeps ditissimus, percontatur? Ille nihil ad hæc, sed ad regem se iubet introduci. Erat tunc sanctissimus Paschæ dies.

Rex hilariter excepit venientem, percontatus, quid sibi vellet indignus Principe habitus. Ille sub hæc: volui, serenissime Rex, hoc habitu incognitus (vt sperabam) lustrare secreta gestorum: quæ cognitus non tam fidenter adspicerem. Curiositas induxit, vt latibulum quærerem: qui inter tuos nunc in gratiam susceptus, propalàm poteram percontari, quæ vellem.

Quid igitur, inquit Rex, vidisti, quod te vidisse delectat? Ille (vt erat adhuc rerum Christianarum rudis) subintulit: Vidi, quod mirabar, ante biduum te vultu demisso tristem, incertus, quid contigisset, quod tantum Regem contristaret. Commemoratio fuit Dominicæ passionis, quæ die Patrasceues regium vultum obscurâsset. Rursum, inquit, vidi hodierna te die primùm solicitum, & ad rem attentissimum: posteaquàm verò mensam adieras templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum.

Stupor autem erat videre, quòd de manu purpurati sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent, quem quibusdam ludibundum arridere, vltrò properare: alijs verò abhorrentem, auertisse vultum: & tamen in ora demissum, nec redeuntem adspexi. Hoc quid sit, necdum accepio. Tum rex: Bene, inquit, profecisti: plus tibi aliquid, quàm cunctis sacerdotibus, & omnibus nobis ostensum est. Inde mutata veste, manu secum abstractum, docuit grande pietatis mysterium in altaris Sacramento.

Qua recognita, ferunt, exhilaratum ducem orâsse, vt proprium sibi sacerdotem permitteret, qui diuinæ rei curam haberet, crebriusque in conspectu perageret altaris sacratum ministerium. Rex promittit, Pontificem se illi daturum, modò habitationem Episcopo dignam prouideret. Dux verò

arcem

arcem suam ad VViseram vtriusque capacem ostendit, deditque in eiusdem arcis non exiguo circo, locum ædificandæ Ecclesiæ.

Ferunt, inde nomen Ecclesiæ prouenisse, nam Meum & Tuum (quasi communis duorum possessio) sonat in lingua Saxonum vernacula, Min/din. Erat a. vir præcipua religione Herimbertus: qui, cùm Carolum latere non posset, dignus est habitus, quem primum præficeret Ecclesiæ Mindensi Episcopum. Adiecit illi ministeriales non paucos, nec paruos, vt haberet Ecclesia defensores suos. Illi verò, quia ex imo gradu in nobilitatem excreuerant (vt partim comites, partim Duces fierent) spreuisse matrem videntur.

Idem. Conradus II. natione Francus, vir regij sanguinis, ab Henrico prædecessore designatus, à principibus electoribus Henrico substituitur. Quem verò patrem habuerit, annales non proferunt. Crediderim, Conradi illius filium, qui gener erat Othonis I. vt sit ex filia Othonis I. nepos: vt sibi ratio constet eorum, qui de sanguine Saxonum hunc quoque cum posteritate numerant. Frater illi Henricus rebellabat: sed cùm à facie eius consistere diffideret, profugit ad regem Vngariæ. Is venientem Christiana pietate suscepit, & in die parasceues carnes illi proposuit edendas. Tum rex in illum conuersus, Maioris, inquit, piaculi est bono fratri repugnare. Ille admonitus redijt in gratiam fratris, & Nurembergam sponte reliquit Imperio.

Idem. Morte VVilhelmi regis vacante Imperio, Alphonsus Castellæ Hispaniarum rex, & Richardus Cornubiæ comes, regis Angliæ frater germanus, in vanam spem Imperij Romani sunt inducti. Alphonsus quidem, vt fauorem sibi Romanæ conciliaret Ecclesiæ, duas Transpadanas vrbes illi permisit, Taurinum & Alteram: facilè donans quod non habuit, & aquilam explumans. Sic agitur cum infelici Romano Imperio, postquàm auaritiæ nihil satis est, vt qui adspirent ad regnum, promtè promittant de non suo, vt cumulum rerum & fastigium assequantur.

Idem. Misit hoc tempore summus Pontifex per Germaniam legatos, qui populum ad arma in Turcum vocarent. Erat autem sexagesimus quartus post mille quadringentos. Sed ea res imprudenter vel promulgata vel accepta est. Imperiti prædicatores inerme vulgus excitauêre, quasi omnia illis in promtu futura viderentur in terris, ad quas properabant. Venêre pannosi, inermes, inopes, emendicantes cibum, qui in Turcum ducerentur. Risêre Itali, & meritò quidem, simplicitatem (vt solent) Alemannorum, quòd sine armis, sine commeatibus properarent ad tam difficilem, longinquamque expeditionem.

Venêre multi Venetias, quasi illicò nauibus euehendi: inde nonnulli Anconam, quò audierant venturum Pontificem. Maior numerus Romam petebat. Magna colluuies hominum ad bella malè procinctorum. Quid faceret Pontifex, vt redire faceret inutilem bello turbam? Dedit illis benedictionem, & plenariam remissionem. Multi in itinere fatigati, inedia exhausti defecerunt: alij ex itinere, cùm, quid gereretur, audirent, redierunt.

Vrspergensis, Crantzius, Otho Phrisingensis, Erphordiensis. 1500.

A Calixti II. legato indicitur synodus Coloniæ anno 1119. & publicatur anathema in Henricum V. Imperatorem, qui Antipapam creârat Burdinum. Alterâ indictâ Triburiæ (hodie Friburga dicitur) desertus ab omnibus Imp. cogitur primo loco Calixti vocationem comprobare (licet à Cæsare creatus Papa Burdinus adhuc in viuis esset) ni velit à dignitate imperij sui excidere. Deinde ius inuestituræ resignare, atque tradere Romano præsuli.

Ea de re certior factus Calixtus, legatos mittit in Germaniam, cum plenissima potestate. Synodus Vuormatiæ habetur. Cæsar excommunicationis terrore, & quòd Papa omnes suos principes ad horribilem defectionem promouisset, fractus, imperij tranquillitatem suis commodis ac dignitati propriæ anteponit, pontificiq; ius inuestiendi per annulum & baculum tradit. Legati eum nodis anathematis exoluunt, atq; potestatem faciunt ad Ecclesiæ cœtum, vnde eum excluserant, redeundi.

Formulam concordiæ vtrinque datis literis, sigillisque appensis corroborant: atque vt omnibus quàm notissima esset victoria, & Cæsaris probrum, eas literas in loco campestri spaciosissimo prope Rhenum, clara voce proclamant ac denunciant. Hasque literas in Ecclesia Lateranensi publicè suspendit, vt omnibus & risum & insultationem mouerent.

Idem Crantz. Exegit Papa Paschalis 2. iuramenta ab Rege Henrico V. quòd in Apostolicæ ac Catholicæ fidei obseruantiâ integer, in Apostolicæ sedis reuerentiâ promtus, in defensione Ecclesiarum solicitus existeret. Sed Rex iurare recusauit, dicens, Imperatorem, cui ab omnibus sacramenta deberentur, nemini obstringendum per iusiurandum. Ibi armatus Regis exercitus iniecit manus in clerum. Sed nimiùm hoc breuiter nostri transeunt: operæprecium est, ex Italicis rem mutuare, vt seriem gestorum teneamus.

Exceptus à summo pontifice Rex ad gradus Petri, vbi pedes exosculatus est, leuatur ad oris osculum. Ibi principes eum bis amplexati in conspectu infinitæ multitudinis, per argenteam olim, nunc æneam beati Petri portam transeunt in basilicam. In proximis pauimenti rotis sedes binæ constitutæ, Papæ ac Regi, circumstantib. Cardinalib. cum Episcopis, ac regni nobilibus, qui cum Rege venissent.

Pontifex abrenunciari poscit inuestituris. Rex ad colloquium secedens in proximam beati Gregorij memoriam; tribus horis differt responsum. Papa tædio affectus, per nuncios orauit responsum. Venerunt non Episcopi, non prælati, sed satellites: renunciârunt, non esse, quæ poscerentur, indulgenda, cùm sit in Euangelio scriptum, Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Replicatum est de parte Pontificis multipliciter. Sed cùm nihil ageretur, aduesperasceretque, res est in crastinum dilata.

Non scribunt Italici, quod Galli & Theutones consonâ voce prædicant, Pontificem Regi omnium regalium à prælatis restitutionem faciendam pollicitum esse (quo impetrato, nihil esset opus inuestitura à Rege, quando prædia non tenerentur ab Ecclesijs, de quibus per Regem Ecclesiastici inuestirentur) & eo pacto regem abdicaturum inuestituras, in promissis fuisse.

In proximum diem, quæ fuit prima quadragesimæ Dominica, cùm taciti assiderent Principes, Pontifex loco mouens, altare sancti Petri ad rem diuinam petijt. Celebratâ Missâ, Pontifex se in cathedra continens, quid Rex faceret, diceretúe, expectabat: quum accedens satelles manus iniecit Pontifici & Cardinalibus, & ex nobilitate Romanâ plurimis: cætera cleri turba ad vnum spoliati omnes, nulla etiam veste relictâ.

Postero die populus Romanus armis correptis in vrbem Leoninam (ea est Vaticanum) prorumpunt, Theutonicisque per hospitia inuentis occisis, pugna in scalis sancti Petri, ad quas regij milites conuenerant, est relicta: exercituque regio, qui ad Saxonum vrbis Leoninæ portam in pratis consederat, vt oppressis suis subueniret, se parante, Romani in vrbem per pontem Hadriani se recipiunt. Per biduum verò, quod secutum est, Theutonici armis retentis, id vrbis Leoninæ, quod à Saxonum portâ ad basilicam vinarijs hospitatorijsque tabernis frequentabatur, ad libitum discurrerunt.

Sed quarto abinde die, cùm rescissent, Romanos, structis in vrbe aciebus, vt erumperent, se parare, illicò Rex, Pontifice, Cardinalibus, cæterisque captiuis in castra perductis, vrbe excessit. Primis castris Rex ad Soractis montis radices ripam Tiberis insedit. Eo exinde vadato amne, Rex, pontifice & Cardinalibus obseruatis, ad prædam & incendia, quò magis terreret, emittit exercitum.

Adeunt ex Theutonicis Episcopis nonnulli Pontificem, dolere se, protestantes, tantam sanctitati suæ irrogatam iniuriam, quæ illis nolentibus ac non prospicientibus accidisset. Veruntamen videri illis operæprecium, vt necessitati temporis seruiatur, motum regis & principum (quibus obsisti non possit) qualitercunque placandum: dignetur (quod necessitas monstret) implere consecrationem eius, vt omnia conquiescant. Quibus ille respondit: Quid dicitis fratres? virum hunc iniquum, virum sanguinum & dolosum, à nobis dicitis consecrandum? Benè expiauit manus suas ad percipiendam benedictionem, qui aras sacras perfudit cruore innocentium sacerdotum, & domum sanctificationis repleuit cadaueribus cæsorum. Absit à nobis verbum hoc.

Cùm illi dicerent, saluti suæ ac multorum consulendum captorum, respondit liberâ voce: Occidat corpora, animas auferre non potest. Non timemus Regem: vobis hoc dicimus, nec prosperabitur in vitâ, nec gaudebit pace, neque videbit semen suum.

Ea cùm renunciata essent Regi, iussit captiuos in conspectu Pontificis decollari. Ille hortabatur illos fortiter mori pro iustitiâ, certos de æternâ salute: illi verò flexis in Pontificem oculis vitam orabant. Emollita sunt viscera pij patris. Euocatis notarijs scripsit, quæ Rex voluit: & introductus in vrbem, à Pontifice est consecratus, & Imperator appellatus.

Hæc verior narratio de multis extracta: vbi quisque, quod affectus monstrat, scribit: Italus in contumeliam Germani regis, Germanus in suæ gentis defensionem, pallia, quæ potest, obtendit. Hoc certum, vix Germaniam tetigit Imperator, quum euocato concilio omnes patres non priuilegium, sed prauilegium appellârunt, & iniusto metu extortum nullius esse momenti, declarârunt.

Idem. Ergò quem Archiepiscopus consecrare noluit, Romam eius rei gratia perduxit, non confirmationis, vt nunc agitur: nec dum enim Romana Ecclesia tantum sibi iuris in omnes omnium prouinciarum ecclesias vendicabat, vt, nisi confirmatione apostolica, episcopus non haberetur legitimus. Id enim posteriora tempora adinuenerunt. Nec ibi quieuit Romana Ecclesia, donec annatas quoque sibi ex omni Christianismo aduocaret. F. A. 1155.

Idem. Imperator irarum plenus tum de Italiâ redibat, omnes Alpium vias obstruens, ne quis ex Germania Romam petat. Explorare deinde voluit, quid sentiret Philippus Coloniensis, quem dudum suspexit de rebellione. Euocatum ergò solus solum his verbis aggreditur.

Quæ ex longo, inquit, tempore nobis intercessit familiaritas, Philippe, te corâm iubet exponere iniurias Romani Pontificis in nostrum Imperium. Vides, quomodo Treuerensi Ecclesiæ, quem voluit, tentat intrudere: Imperij iura in Italiâ non desinit vendicare. Proinde æquum est, me quoque ad ea contuenda consurgere. De te autem, quam sim in controuersiâ tali spem habiturus, exposco.

Iam autem Archiepiscopus ille à summo pontifice legationis amplificationem accepit: vt, quoniam aditus ad vrbem nemini pateret, ne sine solatio iustitiæ, aut Papalis gratiæ manerent

Eccle-

Ecclesiæ, permisit Papa Philippo rerum per Germaniam dispensationem. Id sciens Imperator, animum tamen eius pertentauit. Cui Philippus:

Arbitror, tibi, Imperator, ex longo tempore multis in rebus fidem esse meam exploratam, quòd iustitiæ tuæ nec defuerim vnquam, nec sim aliquando defuturus. Vnum est, quod Pontifices nos grauat, confiscatio rerum à morientibus episcopis: quæ vna res Ecclesias nudat, & episcopatum ingredientes intolerabiliter premit. Hoc vno sublato, non habemus, quo Romano imperio non fidissimi semper perseueremus.

Ad quem Imperator: olim, inquit, Romani Imperatores de Ecclesijs vacantibus omnem habuêre solicitudinem, & inuenti sunt illo tempore longè, quàm nostris seculis, episcopatu in suis sedibus digniores. Tunc enim Principes longè lateque prospicientes, ex omni Imperio legaliores vbique viros præfecerunt. Nunc liberam vocatis electionem, quando suis quisque studijs, affectibus, illum electione conatur erigere, quem sua maximè libido deposcit, non quem sua merita prouehunt. Sed quoniam hoc ius placuit maioribus nostris Ecclesijs remittere: paruulas reliquias iuris inuentas posteris relinquemus, nec patiemur minui.

Ea cùm Archiepiscopus duriore fronte exciperet, sentiens Imperator auersum eius à se animum, Quandoquidem, inquit, Papæ magis, quàm Imperio subseruis, nihil opus est, te in cætu, quem indiximus Imperij Pontificibus in Geilenhusen, adesse. Ille pro magno accepit remissionem, & ab Imperatore non satis Imperialis abscessit. Anno 1190. Imp. Henrico 6. Papa Clemente 3.

Idem. Annum circiter 1184. Imp. Fridericus insignem egit Principum Imperij conuentum Moguntiæ, in quo Henricum F. suum Regem declaratum, auratum fecit militem, torque donatâ: ibi confirmatum est matrimonium inter eundem Henricum & Constantiam, quæ filia erat vnica Regis Neapolitani, monialis. In conuentu isto celeberrimo, ipso die processionis, in sacratissimâ Pentecostes festiuitate, cùm in Ecclesiâ sederet Imp. cum vtriusq; ordinis Principibus: à dextris habens archiepiscopum Moguntinum, & à sinistris Coloniensem: Abbas Fuldensis turbauit cætum tam celebrem, locum sibi deposcens ex sinistro Imperatoris latere, quem dominus Coloniensis occupauit. Meminêre multi, hoc ab antiquâ obseruantiâ in eo præsertim loco factum. Sed Princeps Elector & Archiepiscopus cedere abbati, duxit inglorium.

Imp. interpellatus respondit: Veteres approbamus, vt tenemur, Imperij nostri consuetudines. Quib. auditis, Archiepiscopus, conuentu relicto, abijt: quando, inquiens, ita serenissima tua Maiestas erga nos affecta est, cedo Abbati Archiepiscopus, Monacho Princeps Elector. Sequutus est illũ comes Palatinus Rheni, frater Imperatoris, & Comes de Nassavv, dicentes: Serenissime Imp. dominum sequimur exeuntem, cuius beneficia recognoscimus. Comiti de Nassavv, quòd ille & ab Abbate beneficium teneret, dixit Ludouicus Thuringiæ Princeps: Pulchrè hodie respondes beneficio, qui deserto vero domino, alium sectaris. Cui ille: Beneficium quod teneo, iustis suo loco promerebor obsequijs, hodie sequor, quem in hunc cætum inter alios deduxi, æquè dominum feudi, quod teneo. Idem fecit Dux Brabantiæ. Tot vacuatis sedibus, turbatur rex Henricus, etiam in collum appendens Archiepiscopi, eum sanctè rogat, ne festum diem à mœrore auspicetur, neue turbationẽ excitet in tanto principum conuentu: maneat in consessu, neu committat, vt diem suæ coronationis tantis iræ tenebris obnubilet. Tunc Imperator & ipse se interponit: Quandoquidem, inquiens, vnum te adeò verbũ conturbat, vellem, me temperâsse sermoni: quamuis, nihil præter Imperij dignitatem me elocutum, agnoscam: sed vide, ne doloris minimi curatione, ingens corpori vulnus infligas. Quid enim sit scindere tantum conuentum, pro tuâ prudentiâ non ignoras.

Tum excandescens Archiepiscopus: Pulchrè, inquit, hodie remuneratur mihi Cæsarea maiestas diuturna huius capitis obsequia, dum in castris incanui, Italiam fatigaui, Lombardiam oppugnaui, Brunsuici sudorem cum sanguine fudi: Hæc magna merces mea, vt in conuentu Principum confundar propter Abbatem: qui, nisi occultam Cæsarei culminis intelligentiam foueret, ab hac iniuriâ meritò temperaret. Quòd si, & Cæsar, & Rex, manere me, vultis, ecce pareo; reponantur nostræ sedes vt fuêre: sin nostram Abbas turbauerit, ascendat in cœlum, ponat suam in aquilonem, & similis sit Altissimo. Præsentiens autem Abbatis Archiepiscopus arrogantiam, quatuor armatorum millib. in cætum stipatus venit: arma etiã proculdubio in Ecclesiâ exercuissent, si in longũ durâsset contentio.

Tum Imperator: Quandoquidem, inquit, à te, Archiepiscope, insimulamur de occultâ cũ Abbate huius rei machinatione, parati sumus iusiurandum præstare, nos eius culpæ non esse affines. Et cũ iurare paratus videretur, exceperat Archiepiscopus: Verba, inquiẽs, Cæs. Maiest. mihi pro iuramento sunt. Conuersus inde ad Abbatem Imperator, quòd & ille Principes haberet non paucos, pro illo, si ad arma veniret, vi pugnaturos, dixit: Hodie, ne maior nobis turba hunc diem festum obscuret, sine iuris tui præiudicio adhibenda est tibi, pater, breuis moræ patientia. Tunc Abbas cum rubore locum tenuit inferiorem: & coronatus est rex Henricus cum Reginâ. Væ tibi superbia, quæ in cœlis nata, cum authore tuo ad inferna demergêris semper crucianda.

Idem. Papa Adrianus 4. refert: Audiuimus, frater Episcope, quæ loqueris, speciosa quidem dicta: sed non opere exhibita. Friuolum potest videri, quod dicimus: & tamen in minimo commissa negligentia facit argumentum de maximis. Ab iumento descendentib. nobis strepam tenuit sellæ sinistram: nescimus, ad irrisionem, an aliorsum, cùm dextera fuisset obsequenti contrectanda.

Rex stomachanti similis risũ soluitur, minimùm se studuisse, respondens, strepis apprehendendis: & addens, Tu primus es, pater, cui tali officio deseruimus. Deinde iam commotior: Scire vellim, officij hoc genus ex debito sit, an beneplacito? Quòd si ex beneuolentiâ descendit, quis causabi-

tur negligentiam in spontaneo? Sin ex debito, parùm interesse putamus, quo latere accesserit, qui venerabundus adorat.

Hac verborum vicissitudine (quæ multò plura inter collaterales amborum fuére) sine osculo discesserunt.

Idem. Ludouicus Bauarus Imperio legitimè præsidens, libertatem vendidit (vt ferunt) ciuitatibus Italiæ vili nimis precio. Florentini sex millia nummûm aureorum pro sua libertate soluisse feruntur Imperatori: quam pecuniam vel mediocris vnus ciuis dotem sibi numeràsset.

Carolus deinde Imperator viscera Imperij per Germaniam exhauriens, pro ignauissimæ pecudis, filij sui VVenceslai, prouectione, principes electores induxit, promissis cuique centum millibus aureorum: inque pignus cuique traditis vectigalibus Imperij ad confinia ditionis cuiusque collocatis, vt rex Romanorum viuo patre diceretur, & esset.

VVenceslaus ipse suo tempore non regnans, sed desidens, non vigil, sed dormitans, quòd reliquum fuit, abligurivit: ita vt, cùm vel Robertus, vel Sigismundus ad Romanum regnum peruenirent, non iam ruere, sed ruisse, cernerent dolentes, Imperium.

Idem. Hartuicus Bremensium archiepiscopus, certis pactionibus ab Adolpho Holsatiorum comite Diethmarsos receperat. Ipsis verò non pro votis archiepiscopo parentibus, archiepiscopus instructo exercitu, cædibus cogere, atque sub iugum suum mittere eos conatus est. Fruges itaque conculcans, & longè lateque pagos incendijs ac rapina vastans, tandem eos compulit deditionem facere, infinita pecunia promissa.

Socij istius belli Adolphus Holsatiæ comes, alijque milites, stipendium postulabant.

Archiepiscopus cùm non esset soluendo, & Diethmarsi solutionem debiti differrent, reditus suos in triennium abiurare coactus est. Diethmarsi à cruento lupo potiùs, quàm ab episcopo deficientes, colla sua Schlesuicensi episcopo submisêre, dictitantes, æquè sese S. Petro seruituros, qui tam Schlesuici quàm Bremæ esset patronus. Sic Diethmarsi, datis obsidibus, Danico episcopo fidem adstrinxerunt.

Idem. Ludouicus interea, Romanorum Rex vocatus, venit in Italiam, excipiturque perbenignè à Gibellinis, vt qui partes fouerent Imperij, peruenitque in vrbem Romam, excipientibus eum proceribus Romanis solenni apparatu. Habebant autem primores Romani magistratum, quem appellauêre Vicariatum, quem tum Stephanus Columna gerebat. Is à Clero & populo interpellatus, coronam Ludouico dedit imperialem. Qua ille percepta, cùm aliquandiu gyrationes vertiginosas Italorum in suis partialitatibus ridens conspexisset, in Germaniam reuertitur, conuentuque regni conuocato permagnifico in Francfordiam, ad eum etiam accuerat reges Imperio non parentes. Venerat rex Angliæ, Imperio nihil debens: aderat rex Bohemiæ Ioannes, Henrici septimi filius: cæterique regni tam spirituales quàm seculares principes.

Ibi constituta sunt multa, quæ ex dignitate Imperij tunc sunt visa: inter alia verò, quòd electus à principibus, aut à maiore, aut saniore parte, administrationem habeat, citra assensum Pontificis: cùm eà, quæ præter hæc introducta sunt, nec diuino iure, nec vlla patrum ordinatione, sed blanda quorundam assentatione, & Romanorum spontanea ingestione pontificum, prouenerint. Electus insinuetur Romano Pontifici, quòd sit princeps Catholicus, iustus, Imperio dignus, petaturque coronatio: quæ (nisi obstiterit manifesta causa) si negatur, sumatur consecratio à quouis Catholico pontifice. Nam omnes illæ solennitates per Ecclesiam introductæ fuerunt. Quis enim Romanus Pontifex consecrauit Constantinopolitanos Imperatores? & quis ante Carolum multos Christianos Cæsares? & ante Constantinum Ethnicos quis sacrauit Imperatores?

Deinde ordinatum est, quòd Imperator præstabit Pontifici & Ecclesiæ defensionis, deuotionis, & humilitatis, non fidelitatis, homagij, aut subiectionis iuramentum: quia temporalis domini Papa Imperatori nihil tribuit, imò Ecclesia sumsit omnia illa ab Imperio. Gladius enim vterque nihil habet commune, cùm alter animam, alter solum corpus conficiat. Ibique decreto firmatum est, quòd vacantis Imperij administrationem Pontifex habeat, nullam scripturam, nullâ rationem, sed solam vsurpationem introduxisse.

Hæc tunc principibus in cœtu Imperij congregatis visa fuêre in rem Christianam obseruanda. Sed luit Germania pœnas diuisionis suæ: quæ si vnum sentiret, pareretque suo capiti (quomodo in Anglia & Francia Principes regi) rectè illi omnia procederent: nunc verò experitur, quod verbo veritatis discere & cauere debuit: Omne regnum in se diuisum desolabitur.

Idem. Quo tempore Vrbanus 6. Papa inter Ludouicum & Adolphum, de Ecclesiâ Moguntinâ contendentes, perfecit, vt Ludouicus frater VVilhelmi de Misniâ marchionis, ad archiepiscopatum Magdeburgensem transferretur, Adolpho apud Moguntiam permanente: exitus memorati Ludouici cladem attulit insignem.

In oppidum Caluen multam Ecclesiæ euocauit militiam. Aderant euocati cum vxoribus & filiabus, diem festum cum suo acturi Pontifice. Prætorium, quod erat in oppido spaciosum, illi vsibus instructum, desumsêre ad vanitates, ducendasque choreas: vt est hoc hominum genus motu lebus instructum, desumsêre ad vanitates, ducendasque choreas: vt est hoc hominum genus motu leue, cantu solutum, & luxui paratū. Ducebant in gyro vertiginosam, & ridiculam circuitionem. Saliebant ad manus dominarum alacriter, vt immenso pondere victa domus subsidere minaretur, crepitum grandem præmittens.

Archiepiscopus apprehensa ad manum, quæ proxima stabat, domina, gradus inter primos abiturus petiuit. Vbi iam descendere cœpit, lapideus ille antè solutus gradus concidit, & Archie-

piscopum cum consorte, & nonnullis alijs, ruinæ inuoluens miserabiliter exstinxit. Idem nonnihil alijs verbis recitatum est ex hoc eodem autore paulò suprà.

Idem. Summus pontifex Volmarum Ecclesiæ Treuerensi præfecit. Quod audiens Imperator, indignationem expuit, quam diu absconderat. Inde renouata sunt vulnera veteris mali. Henricus Rex auxerat dissidium inter cardines orbis.

Nam dum inter Papam & parentem exisset dissidium in palàm, quendam Italiæ episcopum in conspectu suo agentem interrogauit, à quo sui Episcopatus consecrationem teneret? Ille respondit: A summo pontifice. A quo deinde inuestituram? itidem ait ille, à pontifice. Stomachatus Rex iterum rogat: tunc Episcopus: Nihil, inquit, prædiorum ab regno vel Imperio teneo, neque ministeriales curtes, neque regias dominationes.

Visa est regi durior responsio, & annuens militibus, permisit, Episcopum luto volutari.

Idem. Rex Carolus, ad subigendos Barones & nobiles regni Bohemiæ, vsus est operâ & consilio vnius fratris religiosi de ordine Cisterciensium: nomen illi Theoderico Kageluuid, cœnobio Leuin erat innutritus. Cuius cùm esset industria regi comperta, magnus cœpit haberi apud illum, vsque adeò, vt curiam eius multis annis rexerit: ita ingenio, prudentiâ, & rerum dexteritate pollebat. Perpendit de minimo Rex hominis industriam.

Arci præfecit, quæ tenui erat prouentu: & transiens è vicino Rex, experiri constituit, quid faceret ille arcis suæ præfectus, & si extempore consulere posset necessitati. Nihil antè præmonito superuenit cum regio comitatu: iubet apparare mensam.

Ille subitum accepit consilium. Mittit, qui ad proximam villam cogant omnes sues, quarum aures caudasque præcisas iubebat introferri. Paruum erat detrimentum villanis, quibus suus numerus in pecudibus constabat. Acceptas aures cum caudulis, mox iubet coquum vario genere impiperare, & quantò potuit celeriùs, ac promtiùs, Regi ad mensam importari.

Delectatus Rex hominis ingenio cum vrbanitate (nam ex ridicula re pauit tum Regem cùm familiam) eum deinde maioribus rebus præfecit. Vbi iam aliquot annis rem omnem ex dignitate gesserat, suum peculium non mediocriter adauxit.

Non potuit inuidiam euadere virtus. Inuenti sunt, qui calumniarentur apud Regem, carperentque, quòd frater vnus, tantis auctus opibus, regiam administrationem non satis ex fide ageret. Crebrescunt accusationes, aggerit quisque suum, crimina cumulantur in vnum caput. Rex sciens, hominem facilè se ingenio suo expediturum de obiectis difficultatibus, iubet adesse, cunctis eius calumniatoribus in conspectu regis astantibus. Præfinit illi diem Rex, quo de suâ administratione calculum ponat.

Ille sub hoc: Quod, serenissime rex, præcipis in diem fieri, possum etiam hoc momento expedire.

Expectabat Rex, quid faceret: iussitque, quando vellet, poneret rationem. Nihil moratus Theodericus, ait: En breuis est calculus. Ad te veni, Rex, simplici religionis habitu, & pauculis in loculo denarijs: quæ si mihi permiseris, omnia reliqua, quæ teneo, tua sunt: tibi Rex habeto.

Exhilaratus Carolus, hominisque facetiâ simul, & facilitate delectatus, ait circumstantibus: Quis ex vobis est, qui talem mihi suarum administrationum faciet rationem? Illi verecundati, deiectis in terram vultibus, siluerunt. Ea de re charior cœpit esse Regi, primùm ad episcopatum Mindensem, deinde etiam Magdeburgensem prouectus. Sed ille vtroque relicto, redibat ad Regem.

Idem. Venerat Lubicam VVilhelmus quidam, homo candida veste indutus, abstinentiæ & insignis austeritatis in pœnitentia vultum præferens: quo multos in opinionē suæ sanctitatis induxerat. Latuit aliquandiu vulpinus animus in ouina pelle: sed diu tegi nequitia non potuit. Prodidit se ad fœminas, quibus de sua sanctitate persuasisse videbatur: nam illas ad impudicitiam varijs modis pertentauit. Qui rumor vbi primùm inter fœminas percrebruit, ad viros perducitur. Illi, comperta nequitia ridiculi hominis, ad inquisitorem hæreseos pertrahunt.

Idem. Henricus, deposito regali ornatu, nudis pedibus, ante oppidi portas toto triduo in glacie & niue, asperrimo hyemis sidere, stetit tremens: nec tamen veniam impetrare potuit, nisi interventu Mathildis Comitissæ amicæ id contigisset. Coactus tamen fuit Imperator, per integrum annum Romæ, iussu Pontificis, se continere, pœnitentiam agere, & equum non conscendere. Quæ omnia, licet Imperator religiosè impleuisset, & pax & sceptrum Imperatoris literis & iuramento fuissent stabilita: tamen dum Romæ, vt dictum fuit, commorabatur, Papa alium, nempe Rudolphum Sueuum, in eum mouet, illi coronam cum elogio mittens:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Post acre bellum & conflictum inter hos Imperatores, Rodolphus Imp. rebellionis crimen fatetur, & in prælio abscissam dextrā Episcopis ostendit, dicens: Hæc est manus, qua ego Henrico domino meo sacramenta præstiti, &, vobis vrgentibus, perfidè fregi: ite, & implete Regi vestro fidem, nam ego vado in viam patrum.

Hic Papa à conuocatis Episcopis tandem, vt inuasor sedis Romanæ, sacrilegus monachus, somniorum & præstigiarum obseruator, necromanticus, & qui malis artibus fidem Christi contaminârit, sede destituitur.

Idem. Rex Poloniæ non satis æquo ferebat animo, quòd Marinus de Fregeno, nuncius apostolicus, qui iam dudum in Succia multas opes contraxit, etiam suas in Polonia constituisset oues tondere. Teneri iussit hominem, vt diligentiùs perquireret, quos in vsus veniret, tanto molimine aceruata per prouincias pecunia: præferens, suo regno magis opus videri tali supplemento, quàm Italiæ, quòd, cùm illa in pace degeret, ipse à Turcis Tartarisque quotidie laboraret.

Ea fama cùm percrebuisset in Lubeca, venit nuncius regis Daniæ, & ipse ponens ad firmam res, quas dudum in Succia collectas idem Marinus iam haberet in Lubeca. Apostolicus quoque collector, qui tum aderat, decanus Hamburgensis, Lubecensis canonicus, ministerium suum impleuit, vt fidelis esset Romanæ Ecclesiæ. Nam & ille manus iniecit eisdem rebus.

Sed Marinus, vt erat multarum rerum iam scius, prouidusque futuri, elusit manus omnium. Reges tamen (vt credo) memorati, de tonsis ouibus lanæ bonam tulêre partem.

Idem. Occasione quadam fratres licentiùs de claustro egressi, mulierum consortia primò petebant absconsè, inde in maiorem dissolutionẽ abierunt. Paulatim ergò deferuescente in clero religione, apud Ecclesias ex monachis regulares canonici, & ex his seculares (vt nunc vocantur) canonici prodierunt. Quid autem ex hac deinceps resolutione sit oriturum, quis nouit?

Interpretemur, oro, vocabulum. Si canon est regula, canonici sunt regulares, quid ergò fiet de canonico seculari, nisi vt regularis sit irregularis, aut (si id malumus) regularis sine regulâ?

Erat is deuotionis feruor sub sanctis patribus, vt inter fratres ipsi etiam pontifices visitarent: quod de huius proximo legimus decessore Libentio. Iam ventum est ad regulares, vt canonici dicerentur, & essent: vtinamque ibi perdurassent. Inferior iuuentus est gradus, canonicus secularis, hoc est, monstrum sine exemplo, regularis sine regulâ, canonicus sine canone.

Idem. Cùm in synodo Moguntinâ anno 1106. Paschalis 2. per suos legatos Henricum IV. Imp. qui ad concilium prouocârat, vti Symoniacum, anathematis fulmine percussum, per principes Electores dignitate priuari curâsset, mandatum est Moguntino, Coloniensi, & VVormatiensi episcopis, vt eum adeuntes, Imperialia insignia auferrent inuito.

Cumq; in senioris venissent conspectum Ingelhemiam, quo loco palatium instruxit magnus Carolus, mandata concilij exponebant, poscentes, vt insignia volens traderet. Illo autem causam requirente tam seueræ in se inauditum prolatæ à concilio sententiæ, obiecisse ei feruntur in conferendis episcopatibus & abbatijs simoniam.

Tunc Imperator: Dic Moguntine, dic Coloniensis per nomen æterni Dei, quid à vobis acceperim? Dixerunt: Nihil. Et Imperator: Gloria Deo in excelsis, quia vel in hac parte fideles inuenti sumus. Certè maximè vestræ dignitates potuissent magnum Cameræ nostræ, si ita quæreretur, quæstum præstitisse. Dominus VVormaciensis nouit, quæstu an gratiâ interueniente, alium receperimus. Nolite patres temerare fidem vestram. Ecce iam senio laboramus, sustinete nobiscum, & nolite in confusionem gloriam nostram terminare. Generalem curiam expetimus: si cedendum est, proprijs manibus filio coronam trademus.

Illis renitentibus, & vim ostendentibus, parumper secedens, Imperialibus se vestiuit insignibus, & reuersus: Hæc, inquit, Imperialis honoris sunt insignia: hæc mihi præstitit æterni regis pietas, & principum electio. Potens est Deus nos in his conseruare, & manus vestras ab opere cœpto cohibere, quamuis simus armis & militia nostra destituti. Securi enim de tali violentiâ nobis non prospeximus: sed timor Dei vos coërceat, quos pietas non reuocat. Quòd si neutrum veremini, ecce præsentes sumus, non possumus viribus refragari.

Hæsitant pontifices: sed inuicem cohortantes, accepto conamine, Imperatorem inuadunt, coronam capiti detrahunt, & sede detractum omnibus Imperialibus exuunt.

Imperator ab alto ductis suspirijs, sic eos alloquitur: Deus vltionum Dominus videat, & vindicet iniquitatem, quam facitis. Ignominiam sustineo antea inauditam. Sed delicta iuuentutis apud iustum iudicem Deum luo: vos tamen immunes à crimine non eritis: quia iusiurandum præuaricati, iusti vindicis vltionem non effugietis. Non prosperetur honor vester. Sit portio vestra cum eo, qui tradidit Christum.

Illi obturantes aures, abierunt, filio eius Henrico V. Imperialia deferentes.

Petebat Imperator pœnitentiam à legatis Romanis, cæterisq; Episcopis. Sed illi respondent: absque generalis synodi decreto se nullam ipsi absolutionem impertiri posse, eamque rem ad Papam pertinere: Romam ipsi proficiscendum esse, vt præsenti Papæ sua humiliatione satisfaciat.

Pollicebatur etiam profanis principibus, sese omnibus, quoscunque læsisset, satisfacturum, rogare veniam, & polliceri emendationem omnium, quæcunque postulassent. Sed nemo vllis precibus locum reliquit: fulmen Papæ præponderabat.

Inuestituræ ius, quod à maioribus acceperat, veluti simoniaca hæresis publicè damnatur, & vocatur Henriciana hæresis. Inuestiti ab Henrico deijciuntur, ac vsque ad concilij generalis satisfactionem, & ordinationem suspenduntur.

Legati Romam destinantur, qui oracula veluti ab Apolline ibi acciperent, quomodo ad nutum Papæ omnia suscipi gerique conueniret. Cadauera schismaticorum è sepulchris eruuntur, ac proijciuntur. Vuigberti corpus, quòd sex iam annos (Vrspergensis habet quinque) in Ra-

ven-

vennensi ecclesiâ humatum in terrâ iacuerat, sine omni patientiâ effoditur, & contumeliosè tractatur. Idem Erfordiensis cap. 86. Chron. Hirsaug. Otho Frising. libro 7. cap. 10. Auentinus libro 5. Annal.

Idem. Circumcelliones quidam, pulsatis campanis, & conuocatis baronibus terrarum, in Hallis Sueuiæ sic feruntur prædicasse in publicâ statione: quòd Papa esset Hæreticus: omnes Episcopi & Prælati Simoniaci & Hæretici, inferiores quoque prælati cum Sacerdotibus: quia in vitijs & peccatis mortalibus non haberent auctoritatem, & potestatem ligandi & soluendi, & omnes essent hominum seductores. Item, quòd Sacerdotes in mortalibus constituti, non possent conficere altaris Sacramentum. Item quòd nullus viuens, neque Papa, neque Episcopi, neque alij possent interdicere diuina: & qui prohiberent, essent Hæretici & seductores.

Et permittebant in ciuitatibus diuina peragere, vt Sacramenta Ecclesiastica liberè perciperent, quia ipsis perceptis mundificarentur à peccatis.

Item, quòd fratres Prædicatores & Minores peruerterent Ecclesiam falsis prædicationibus: & quòd omnes illi Fratres, vnâ cum Cistercienſibus & alijs, prauam vitam ducerent & iniustam. Item, quòd nullus esset, qui veritatem diceret, & qui fidem iustam opere seruaret, nisi ipsi & eorum socij: & si ipsi non venissent, priusquàm Deus fidem suam periclitari sineret, de lapidibus excitasset alios, qui Ecclesiam Dei verâ prædicatione illustrassent. Prædicauerunt, inquiebant, ad hoc tempus prædicatores nostri, & sepelierunt veritatem, & promulgârunt falsitatem: Nos contrà veritatem prædicamus, & sepelimus falsitatem.

Et in fine: Indulgentiam, quam damus vobis, non damus fictam ab Apostolico, vel Episcopis: sed de solo Deo, & ordine nostro. Adiecerunt: Nihil opus est, habere mentionem de Papâ: quia ita peruersè viuit, & tam mali exempli homo est, quòd tacere, & in obliuionem oportet illum adducere.

Et blasphemando adiecit perfidus Concionator: Orate, inquit, pro domino Friderico Imperatore, & Conrado filio eius, qui perfecti, & iusti sunt.

Audebant dicere, quòd Papa nec haberet auctoritatem soluendi, neque ligandi, quia non habet vitam Apostolicam: & hoc probare instituerunt per quandam glossulam, &c. Conradus Rex, cùm tueretur hos concionatores, incidit penè in capitis periculum.

Idem. Statuerunt Pontifices, vt quotquot Ecclesiæ maiores vel minores apud sedem eandem vacuentur, prouisio spectare debeat ad summum Pontificem. Benè Petrus laxauit retia, benè duxit in altum, & traxit rete plenum magnis piscibus: vnde meritò audiuit etiam in hoc casu à communi Domino: Modicæ fidei, quare dubitasti? num potens sum tibi dare prouincias & regna? tu dubitasti?

Num potui orbem sedibus tuis subijcere? quare dubitasti? Nónne Domini est terra, & plenitudo eius? Ecce magna pars Italiæ tibi tributaria est: per vniuersam Germaniam & Hispanias de Ecclesijs & maioribus beneficijs disponis: in Franciâ idem facturus, nisi noua adinuentio pragmaticæ sanctionis obsisteret. Ex Angliâ & Poloniâ vber tibi prouentus est, quia omnia inde capita sunt tibi censualia. Vngaria mittit aurum, nec detrectat Illyricum, ergò laxa Petre retia: angusta interim sunt: laxa, vt fiant capaciora. Duc in altum, quia ad littora nulli sunt pisces: in altitudine maris, in profundo nationum, ibi sunt pisces, quos capies. Duc in altum: nam in Iudææ angustijs non est, quod impleat sagenam. In omnem terram cum sono exiuit imperium tuum, vt non sit, vnde meritò possis dubitare.

Amplificârunt per tempora summi Pontifices magnificè ditionem Ecclesiæ, non per ementitam Constantini donationem, quæ nunquam facta est: sed per munificentiam aliorum Principum, siue de Gottis, siue de Longobardis, siue per Carolum Magnum: quod latiùs alibi ostenditur. Amplificârunt in Ecclesiasticis reb. per reseruationes, confirmationes, & prouisiones, fimbrias suas. Laxârunt retia, & omnia in suam traxêre potestatem. Mirabitur, quisquis annales antiquorum temporum legerit, temporum mutationes cùm in cæteris, tum maximè in Ecclesiasticâ potestate.

Ioannes Nauclerus Præpositus Tubingensis.

LVcius Papa constituit, vt duo Presbyteri, & tres diaconi semper, veluti testes vitæ, Episcopum comitarentur. Quid hodie?

Idem. Tempore donationis Constantini vox de cœlo audita fertur: Hodie venenum in Ecclesiam infusum. Hoc Nauclerus ideo negat, quia quæ hodie dicuntur de patrimonio Ecclesiæ, ferè inueniuntur omnia à sequentibus principibus donata. Et inquit: si verè vox illa fuit audita, potuit insinuari propter iurisdictionem secularem magis, quàm ob res. Vel fortè, quòd diuitiæ pariunt superbiam, quod est venenum perniciosum: à quo creditur longè abfuisse B. Syluester: qui, cùm Constantinus ei diadema aureum gemmis distinctum dedisset, id aspernatus est, tanquam religioso capiti minimè conueniens. Imperat. 116. Max. 1. Papa 221. Alex. 6.

Idem. Iulius Papa constituit, ne sacerdos alibi, quàm apud Ecclesiasticum iudicem causam diceret. Initia primatus anno 339.

Idem. Constantinus cùm Nicenam ingrederetur synodum, iussus & rogatus fuit ab Episcopis, vt primam sedem occuparet. Quid hodie Papa, & liber Ceremoniarum iubet? scilicet, vt Imperatori fit locus circa pedes Papæ. Vide ibi.

Idem volum. 2. Generat. 15. Hieronymus presbyter Romæ existens, dum esset annorum triginta, & quorundam clericorum, & Monachorum lasciuiam increparet, illi non ferentes, insidias ei struxêre. Vnde vesaniæ eorum locumpræbens, ipse ab vrbe recessit.

Idem. Anastasius Imperator Constantinop. Hormisdæ Romani Pontificis Legatos cum mandato remisit, & ea conditione nauigare iussit, vt rectà in Italiam redirent, nec vllum Græciæ littus attingerent, & Pontifici dicerent, vt sciret, Imperatoris proprium esse imperare, & non imperata Pontificis accipere.

Idem. Martinus Pontifex maximus vbi, Boëmicam hæresin crescere, animaduertit: priusquàm longiùs serperet, Cardinalem Vinctoniensem Anglicum, regia stirpe natum, in Germaniam proficisci iussit, qui contra Boëmicam labem vicinos in arma concieret, cui & Imperator adiumento fuit.

Erant tres exercitus: Saxoniæ duces & stagnales ciuitates primum duxêre, secundum Francones, marchione Brandenburgensi duce, tertium Otho Treuerensis Archiepiscopus, quem Rhenenses secuti sunt, Boiarij, & ciuitates Sueuorum imperiales.

Ingressi Boëmiam tribus locis, postquàm syluam transiêre, iuncti simul ante Missam castrametati sunt. Ac hæretici collecto raptim milite contrà tendunt. Nostri attoniti, non viso hoste, fugerunt, instrumentaque bellica cum præda dimiserunt. Occurrens catholicis Cardinalis, vt in hostem redirent, hortatur, quod cùm frustra niteretur, turpis fugæ comes factus est: hostes præda potiti sunt maxima: nec priùs Teutones fugere, quàm Boëmi persequi destitêre.

Sigismundus his cognitis, Norinbergam properat, noua principum auxilia comparat. Martinus quoque Pont. max. Iulianum Cardinalem S. Angeli cum ea legatione mittit, vt Boëmis bellum inferat. Is Germaniam ingressus, ad Sigismundum diuertit. Decreta est noua in Boëmos expeditio: dux belli Fridericus Marchio Brandenburgensis declaratus, & ingressus est Boëmiam per viam, quæ ducit ad Teplam.

In ea expeditione Albertus & Christophorus Bauariæ, & Fridericus Saxoniæ duces, Ioannes & Albertus Brandenburgenses principes, Herbipolensis, Babenbergensis, Eistetensis episcopi, societas Sueuorum, quam S. Georgij vocant, imperiales ciuitates Moguntinensis, Treuirensis, & Coloniensis Archiepiscopi auxilia miserunt. Supra XL. millia equitum fuisse traduntur, peditum minor numerus erat. Renatus Lotharingiæ dux, impeditus bello contra comitem VVidemont, non aderat, neque Palatinus Rheni, qui illi adiutor erat.

Ingressus Boëmiam Cardinalis, numerosam expeditionem ducens, multas hæreticorum villas incendit, oppida diripit, in quibus non auaritia tantùm, verùm crudelitas etiam militum grassata est: quosque obuios passim necauêre, nec ætatis nec sexus habita ratione. Boëmi, qui iampridem hostem affuturum acceperant, expeditas legiones coëgerunt. Inter hæc siue proditio in exercitu fidelium fuit, quod plurimi putauêre, siue inanis mentes eorum pauor inuasit, totis castris trepidatum est: & priusquàm hostis visus, fœdissima capta fuga.

Mirari Iulianus, vnde hic timor, quæ causa fugæ tanti exercitus, hortatur quosque, forti animo hostem expectent: de vita, de religione Christiana bellum geri: turpe Germanis, quos totus orbis concelebrat, hosti nondum viso cedere. Sed frustra erat cohortatio apud eos, quorum pudorem metus euicerat, ablata sunt raptim signa: multi etiam proiectis armis, ac si à tergo instaretur, rapido cursu fugam maturauêre. Quibus & Cardinalis inuitus se comitem dedit. Hostis ex illo metu audax factus affuit, impedimentisque omnibus, quibus per syluam non erat facilis exitus, & ingenti præda potitus est.

Idem. Anno salutis 1338. die 8. Augusti, Ludouicus Imperator, in Francofurt vocata solenni curia, decretum quoddam de consilio quorundam fratrum Minorum, sub sigillo suo, contra processus quondam Ioannis Papæ, promulgauit. Incipit autem:

Ludouicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, vniuersis & singulis regibus Christianorum, ac patriarchis, archiepiscopis, episcopis, presbyteris, quocunq; honoris prærogatiua fulgeant culmine, & cæteris Ecclesiarum prælatis, nec non secularibus principibus, marchionibus, ducibus, comitibus, baronibus, capitaneis, potestatibus, rectoribus, iudicibus, prouincialib. ciuitatũ, terrarum Romano imperio subiectarum, & ipsarum cuilibet, incolis & habitatoribus, ac omnibus & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, gratiam suam & omne bonum.

Fidem Catholicam, quam sancta mater Ecclesia docet & tenet, firmiter credentes, fideliter confitentes, & ipsius Ecclesiæ doctrinam in sacris canonib. traditam sequi volentes, quibusdam allegationibus, impugnationibus, & oppositionibus, quæ contra nos, & electionem, ac promotionem de nobis factam ad culmen dignitatis imperialis, & contra imperialem authoritatem & dignitatẽ opponuntur, ne simplicium corda possint inficere, duximus, in his scriptis respondendum.

Inprimis contra nos & Imperialem authoritatem, dignitatem, potestatem, & ius imperij allegatur, quòd potestas & autoritas imperialis est à Papa, & electus in regẽ Rom. ex sola electione non est,

nec

nec dici potest verus imperator, nec habet potestatem iurisdictionis: & antequàm inungatur, consecretur, & coronetur, Papa in temporalibus etiam habet plenitudinem potestatis.

Ad quod respondemus: hanc oppositionem sacris canonibus, iuri, ac rationi obuiare, sicut expressè patet in c. cùm ad verum. & c. Si imperator. 96. dist. vbi habetur, quòd nec imperator iura pontificatus, nec pontifex iura imperij sibi vsurpare debet: vbi glossa dicit, quòd istæ potestates sunt distinctæ, & quòd neutra dependet ab altera. Imperator enim non habet imperium à Papa, sed à solo Deo, 93. dist. c. legimus. vbi tex. quòd exercitus facit Imperatorem. Et glo. ibi dicit eum verum Imperatorē, antequàm à Papa confirmatur. probatur idem in c. Quoniam. x. di. quem tex. ponit in longum. Infert, quòd Papa non habet vtrunque gladium: alioqui si imperium haberetur à Papa, in temporalibus posset ad Papam appellari, quod prohibet Alexander Papa, dicens, illa temporalia habere suam iurisdictionem. de appel. Si duobus. c. Causam hi quæ. fi. sunt le. ibi glo. facit, & tex. in c. quo iure. 8. dist. &c. Nouit. de iudic. ex quibus concludit, quòd potestas imperialis est immediatè à Deo, & Imperator ex sola electione, antequàm inungatur aut coronetur, habet potestatem imperialem, nec Papa habet potestatis plenitudinem dictam in temporalibus.

Secundò obijciunt nobis, quòd Ioan. 22. per suos processus cassauit ac annullauit electionem de nobis factam, & nos postea administrare non potuisse iura imperij, sed administratio ad ipsum Papam pertinebat de iure, quæ omnia sunt contra iura imperij, & contra iura & libertates eorum, ad quos vacante imperio pertinet electio, & contra iura ac libertates principum Alemanniæ, & subditorum imperij, contra consuetudines ab antiquo rationabiliter introductas. Insuper per processus suos, bullas, aut literas, quas dicitur per mundum direxisse, in quibus asserit, se totam Italiam ab imperio & regno Alemanniæ separasse: insinuans, quòd Papa est dominus vniuersalis, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Ad quæ omnia duximus respondendū, quòd dicti omnes sui processus, assertiones, & literæ, & circa prædicta gesta, sunt atque fuerunt nulli, & nulla, nullius roboris vel momenti, rationibus infrà scriptis.

Prima ratio. Quòd Papa, quantumcunq; legitimus, talem potestatem in temporalibus, maximè supra iura imperij, non habeat, clarè determinant iura suprà allegata. Vnde quicquid dictus Ioan. 22. fecit in prædictis, tanquam à non suo iudice factum, nullius fuit roboris vel momenti. 2. q. 1. c. inprimis, de iudic. at si clerici cum simili.

Secunda ratio. Ex eo, quòd dicti processus, imò veriùs excessus, contra nos & in præiudiciū enorme nostri, & illorum, qui nos elegerunt, & aliorum principum Alemanniæ, ac totius imperij, ex notoriè falsis causis, & nullo iuris ordine seruato, nobis, & alijs, quorum intererat, absentib. & nullo modo legitimè citatis, emanârunt: sunt idcircò inualidi, nulli, nullius roboris vel momenti. 3. q. 9. per totum. vbi dicitur, quòd omnia, quæ contra absentes in omni negotio aut loco aguntur, irrita erunt, nec aliquam obtinent firmitatem.

Non obstat autem, si dicatur dictus Ioannes Auinione existens cum sua curia, per literas, quas dicitur ad fores Ecclesiæ publicâsse, absentes citâsse, quoniam talis citatio in simili negotio est nulla, nec dicenda legitima, rationibus infrà scriptis.

Prima, quia secundum iura ad hoc, vt citatio dicatur legitima, necesse est, quòd citandus personaliter citetur, si inuenitur, aut publicetur ad domum: aliàs contra ipsum non potest procedi: probatur 4. q. 5. c. quisquis de do. & contu. causam. de cle. non re. ex tuæ. cum vulgatis iuribus.

Secunda ratio, quia ad hoc, vt citatio arctet adueniendū, necesse est, vt assignetur citato termin⁹, & locus ad comparendū securus, prout probatur c. ex parte. de app. 3. q. 9. hortamur, vt lit. non cont. accedens. ff. de iudi. si locum. Sed notorium est, quòd dictus Ioannes tam nos, quàm nostri imperij fideles & amicos, odio capitali & etiam hostili exercitu persecutus est. Ciuitas verò Auinionen. & ipse Papa ac dominus ciuitatis, nos & Romanum imperium habebat odio ex antiquo. Quare desiperet, qui diceret, talem citationem aliquo modo fuisse canonicam: imò irrita fuit & nulla.

Tertia ratio, quia nullus in propria causa debet esse iudex, vel ius sibi dicere, 23. q. 4. inter querelas. c. ne quis in propria causa in rubro & nigro. Sed notorium est, quòd dictus Ioan. contendebat, se etiam in temporalibus, & in nos, ac in totum imperium habere plenitudinem potestatis: & quòd contra nos ac iura imperij de facto mouebat, & iura imperij vsurpare conabatur, & vt hostis persequi curabat. Vnde & contra eum, tanquam aduersarium & hostem nostrum, & imperij, pro defensione nostra, & fidelium nostrorum, appellauimus ad futurum generale concilium, in loco tuto & securo celebrandum, igitur, &c.

Tertiò obijcitur contra nos, quòd dictus Ioan. 22. tam in nos, quàm in omnes sequaces & fideles nostros, habentes & tenentes nos pro Imperatore vero & legitimo, & nobis tanquam Imperatori reuerentiam exhibentes, & in omnes admittentes nos ad diuina, seu participantes nobiscum &c. fulminauit execrationis sententias, & interdictum in vniuersitates. Et dicitur, quòd sententia pastoris siue sit iusta siue iniusta, seruanda est & tenenda.

Ad quæ respondemus, quòd, secundum sacros canones, sententiæ & processus huiusmodi fuerunt & sunt nulli, & nullius momenti: quod probatur rationibus.

Prima ratio. Certum est, quòd, cùm prælatus ecclesiæ in suo mandato excedit formam & potestatem à sacris canonib. sibi traditam, in contrarium facientes non incurrunt sententias, &c. Probatur per c. cùm ad quorundam. de exces. præla. Nam sacri canones & Ecclesia prohibent ea, & non concedunt Papæ ius imperij & potestatem in temporalibus. Sed Ioan. 22. ius & potestatem imperij sibi vsurpare nitebatur, ergo &c. Et hic est vnus ex casibus, in quibus execrationis sententia non est aliquatenus timenda, nec obseruanda.

Secunda ratio. Certum est de iure, vbi error est expressus in sententia vel mandato, sententia est ipso iure nulla: putà, præcipit subdito, vt non obediat suo superiori, vel præcipit aliquid contra Deum, vel contra sacram Scripturam, pro quo 11. q. 3. Si is qui cum duobus. Et idem est, vbicunque sententia est ipso iure nulla: probatur in c. per tuas. de. sen. exc. de procur. in nostra præsentia. cùm si. Sed manifestum est, quòd dictus Ioannes mandauit, vt non obediatur nobis, cui omnes subiecti imperio obedire & reuerentiam exhibere, secundum diuina & humana iura debent: & quòd hoc fecit, volendo sibi ius imperij in temporalib. vsurpare, quod est contra Deum, & omné iusticiá, ergò &c.

Tertia ratio. Manifestum est, quando sententia execrationis vel interdicti fertur post appellationem legitimam, quòd tunc est nulla, nec timenda, nec obseruanda: probatur de off. de le. cùm abbas. de sen. ex. per tuas. & in glo. Sed manifestum est, quòd nos contra dictum Ioannem & processus eius, contra Deum & iusticiam in nos fulminatos, appellauimus ad futurum generale concilium, & ad sanctam catholicam ecclesiam, quæ appellatio fuit ad ipsius Ioannis noticiam deducta, prout constat legitimè, & quòd ipse postea contra dictá appellationem promulgauit contra nos, fideles nostros, & nobis consilium, fauorem aut auxilium præstantes: ergò &c.

Nec obstat, si dicitur, quòd Papa non habet superiorem, & sic non possit ab ipso appellari, quoniam manifestum est, secundum doctrinam catholicam, quòd Papa, vbi de fide agitur, subest concilijs, 16. di. sicut in tex. & in glo. 25. q. 2. sunt quidam. 19. di. Anastasius 40. di. Si Papa. Idem, vbi de iure diuino agitur, concilium est supra Papam, iuribus alleg. Cùm auté pro defensione iuris imperij, quod à iure diuino & fide catholica dependet, appellauerimus, sequitur, quòd appellatio nostra interposita fuit ad superiorem, id est, ad concilium generale, contra aduersantes nobis, & nos, ac imperium, & fidem catholicam, quam sancta Romana tenet Ecclesia, impugnantes.

Quamobrem de concilio ac consensu prælatorum omnium, & principum Alemanniæ congregatorũ in oppido nostro Francofurt, denunciamus, & decernimus, processus huiusmodi nullos esse, & nullius roboris aut momenti. Ac vniuersis & singulis sub nostro degentibus imperio, cuiuscunq; status & conditionis fuerint, districtè præcipimus & mandamus, quatenus nulla singularis persona aut communitas dictas sententias execrationis aut interdicti præsumant obseruare. Quicunque autem contrà fecerint, eos omnibus feudis, quæ tenent ab imperio, & omnib. gratijs, priuilegijs, libertatibus, & emunitatibus priuamus. In quorum omnium testimonium præsentes literas fieri fecimus, & nostræ imperialis maiestatis bulla iussimus communiri.

Dat. in oppido Francofurt, præfatis prælatis ac principibus ibidem nobis assistentibus, die 8. mensis Augusti, anno Domini 1338. Indictione 6. Regni nostri anno 24. Imperij verò x I.

Idem. Anno Dom. 1359. Carolus Imperator in ciuitate Moguntiná cum archiepiscopis Moguntino, Treuerensi, & Coloniensi habuit colloquium. Misit enim Innocent. Papa legatũ suum episcopum Caluacensem, pro subsidio Cameræ, & dedit ei potestaté dispensandi cum clericis ad beneficia curata, vel sine curâ, ad dignitates aut officia, quæ minùs canonicè haberent, aut fuissent adepti, cum fructibus inde perceptis. Erant ibi etiam Saxoniæ & Bauariæ Duces: vocauitq; Imp. legatũ, & audiuit eundem super commissis. Quo facto, dixit Imperator: Domine Legate, Papa misit vos ad Germaniam, in quà magnam exigitis pecuniam, sed in clero nihil reformatis.

Adstabat autem propè Cuno de Falckenstein, canonicus Ecclesiæ Moguntinensis, cum capitio pretioso, auro, & aureis atque sericis ligaturis consuto. Cui Imperator: Præsta mihi capitium tuum. Et deposito suo capitio, imperator induebat capitium Cunonis, suumque vilius Cunoni dedit, dicens principibus: Annón in capitio Cunonis similis sum plùs militi, quàm clerico?

Deinde restituit capitium Cunoni, vertitque se ad Gerlacum archiepiscopum Moguntin. & ait: Domine Archiepiscope, vobis præcipimus sub ea fidelitate, qua nobis astringimini, quatenus reformetis clerum vestrum, vt abusum in vestibus, calceis, capillis, ac vitæ vsu tollant. Quod si non fecerint, mandetis, fructus beneficiorum suorum occupari, & fisco nostro præsentari, quos cum voluntate Papæ in honestos vsus conuertemus: quibus verbis ita finitis, paulò pòst legatus Papæ nauem intrauit, & sine mora, quasi fugitans, ad ciuitatem Coloniensem nauigauit.

Idem. Carolus 4. cum coniuge in die S. Paschæ infra missarum solennia coronatus est ab Ostiensi Cardinale, & altero quodam ab Innocent. Papâ misso, præstito solito iuramento: & refert Blondus, sequacesque, quòd hac conditione admissus sit, vt neq; Romæ, neq; in Italiâ diutiùs moraretur. Quod quidem Franciscus Petrarcha ad Nerium Foroliuiensem, Imperialem tunc notarium, sic scribit:

Omnis potestas impatiens consortis erit, cuius rei si qua antiqua non sufficerent, vereor, ne recens nobis exemplum casus attulerit: ne iam pontifex Romanus, principem Romanum Romæ esse, vetuerit, quod fama loquitur: is nunc diademate contentum, ac imperij Rom. titulo, non solùm patitur, sed iubet: & quem dici Imperatorem sinit, Imperare nullo modo siturus est.

Ad ipsum verò Carolum Petrarcha sic dicit: Nescio, quid Romano pontifici pollicitus, iureiurando interposito, quasi muro valido, seu monte invio, eo manè vrbis aditu prohiberis. Quænám ista superbia est, Principem Rom. publicæ libertatis authorem, libertare priuare? cuius esse deberent omnia, ipse non sit suus?

Idem. Anno Domini 1323. Ioan. Papa in publico consistorio Auinione protulit sententiam execrationis in Ludouicum Bauarum ex eo, quòd miserat iam copias suas in adiutorium Galeatij, & frattrum eius, qui tyrannicè dominabantur Mediolani, opponendo eidem Ludouico, quòd non esset ei licitum, vti officio Imperatoris, quoadvsque esset confirmatus ab ecclesia: dedítque

ei terminum trium mensium, infra quem renunciare deberet electioni de se factæ, & quòd veniret personaliter, si vellet se excusare de eo, quòd fauorem præstiterat hæreticis schismaticis, & rebellibus Ecclesiæ. Insuper priuauit omnes clericos, qui ei præstarent consilium, auxilium, & fauorem.

Ludouicus autem rex habito consilio, appellauit ad ipsum Papam malè informatum bene informandum, & etiam ad concilium generale, quando esset Romæ in sede Petri: misitque solennes oratores, qui se de prædictis excusarent, promittens, Ecclesiæ non contrarium se fore. Postea verò Ludouico non comparente, Papa exsecrauit eum, ac de hæresi condemnauit, contra adhærentes durissimos processus fulminans, à quibus omnibus Ludouicus appellauit.

Isti processus, vt scribit frater Hermannus, qui tunc temporis vixit, à quibusdam strictissimè seruabantur, à multis verò inualidi reputabantur: quia dicuntur examinati à doctoribus vtriusque iuris, qui iudicabant, eos penitus non valere. Immò Ioannem Papam magni & multi theologi, scientia & vita probati, dogmatizabant hæreticum, propter errores certos.

Idem. Anno Domini 1343. scripsit Imperator Ludouicus Regi Francorum, cùm certum esset, Papam ad nutum suum regi, ideò si quid contra se fieret, putaret, se ab ipso habere: rogabatque, vt ex promisso absolutionem impetraret sibi. Ad quæ Rex Franciæ respondit, eum, tanquam Rom. Imperij præfectum, & sedis Apostolicæ tutorem, nunquam, vt Imperatorem, & subditum benè decuisset, gratiam petiuisse, ac absolutionem.

Nuncijs autem Ludouici dicentibus: se mandatum concipere posse secundum formam Papæ placentem: (habebant enim faciendi potestatem, quicquid placeret) petebant procuratores, quòd daretur eis forma placens Papæ: conceptumque est procuratorium turpissimum, & rigidissimum, quod Ludouicus etiam in carcere detentus non sigillasset: in quo mandato dabatur potestas Humberto Delphini, auunculo principis, item Augustensi & Bambergensi ecclesiarum præpositis, & magistro Henrico Archicancellario suo in solidum, confitendi omnes errores & hæreses sibi impositas: item resignandi Imperium, nec resumendum, nisi de gratiâ Papæ: & se, suosque liberos, ac bona in manus Papæ ponendi: adijciebantur etiam aliqua statum Imperij tangentia.

Idem. Anno Domini 1344. die 17. Septembris, conuenientibus in Francofurt principibus ac nuncijs aliquorum, ciuitatumque, surgens VVickerus archiepiscopi Treuiren. protonotarius, in præsentia principis dicebat:

Serenissime D. Imperator, principes electores, & alij imperij fideles, recensentes articulos reformationis vestræ, quos Papa requirit, concorditer decreuerunt; articulos illos in perniciem & destructionem imperij esse conceptos, & quòd nec vos, nec ipsi, virtute iuramenti imperio præstiti, annuere eis valeatis: intenduntque Oratores suos ad Papam mittere, nec non ad collegium cardinalium, cum petitione, quòd desistant. Et si recusârint, iam deliberauerunt, quòd in Rens super Rhenum conuenient, vobiscum deliberaturi, qualiter huiusmodi conatibus resistatur. Quo dicto, quæsiuit ipse, an ita esset? Et ita esse, & sibi placere, omnes responderunt, ac talia facere promiserunt.

Mittuntur nuncij principum, qui Papæ contradictionem articulorum referrent, nec tractandi de aliquo mandatum haberent. Papa cogitans, se delusum, maiori inuidia contra principem permouebatur: vnde postea cum Ioanne rege Boëmiæ, & Carolo filio eius, qui læsi fuerant ab imperatore, & cum Treuiren. archiepiscopo, eorum patruo, ad perpetuum principis exterminium deliberauit.

Idem. Anno Domini 1346. in Cœna Domini Clemens Papa contra Ludouicum crudelem facit sermonem, omnes processus Ioannis innouans, ipsumque hæreticum & schismaticum declarans. Monuit deinde Electores principes Imperij, vt regem eligerent idoneum in imperatorem, infra certum tempus expressum, ne ecclesia diu aduocato careret: alioqui circa hæc sedes Apostolica prouideret: causæ autem in prædicto sermone allegatæ à Clemente potiores, erant hæ:

Prima, hæresis. Ipse enim, inquit Clemens, asseruit, determinationem de paupertate Christi & Apostolorum per Ioan. 22. factam, esse hæreticam: & iurauit, se credere contrarium.

Item asseruit, ad imperatorem pertinere, deponere Papam & instituere.

Item quia citatus super hæresi, & propter contumaciam execratus, in dicta execratione ferè per X. annos mansit.

Item Ioannem de Landemo hæresiarcham secum tenuit.

Item episcopos constituit, interdictum violat, & illos qui nolunt violare, de beneficijs expellit: matrimonia solennizata in facie ecclesiæ separat, & in gradibus prohibitis coniungit. (Fortè vult, quia Ludouicum filium suum desponsauit comitissæ Tirolis, viuente adhuc marito Ioanne, filio regis Boëmiæ, pro eo, quòd dixerunt, eum impotentem, & cum hoc ipsa Ludouico in gradu prohibito erat iuncta.)

Item, subiungit Clemens, idolum in Ecclesia constituit antipapam, & Papam de facto deposuit.

Idem. Summa autem commissionis erat: Cùm multi contra processus & sententias Ioannis Papæ agentes, adhærentes quondam Ludouico de Bauariâ hæretico, redire cupiant ad vnitatem Ecclesiæ, committimus tibi, vt, qui confessi fuerint errores suos & pœnas, quas inciderunt explicitè vel implicitè, & iurauerint, deinceps fidem catholicam

tenere, & nulli deinceps hæretico vel schismatico fauere & credere: & quòd non spectat ad Impera-
torem, Papam deponere, & alium creare, sed hoc hæresim esse damnatam, & quòd nullum Impe-
ratorem habebunt, nisi per sedem Apost. approbatum: nec relictæ vxori & liberis ipsius Ludouici
fauebunt, nisi cum Ecclesia reformentur, & Carolo Rom. regi per Ecclesiam approbato parebunt,
ab huiusmodi sententijs & pœnis absoluas, ita, quòd, si in aliquo contrauenerint, in sententias &
pœnas pristinas relabantur.

Visâ autem formâ huiusmodi durâ, aliqui consuluerunt, eam non acceptandam per regem,
sed occultandam, & pro alia forma scribendum. Sed cùm ciues nec errores vellent fateri, nec se-
cundum formam iurare, clerus autem quasi pœnitens cessauit, ecce venerunt magistri & con-
sules ad præsentiam regis, coram multis Ecclesiasticis & secularibus: & Cunradus de Berenfelß/
ac magister ciuitatis, nomine Vniuersitatis, præposuit coram tabellione hæc verba:

Domine Babenbergensis, sciatis, quòd nec fateri nec credere volumus, quòd dominus no-
ster Ludouicus Rom. Imperat. vnquam fuerit hæreticus: quemcunque etiam dederint nobis prin-
cipes & domini electores, vel maior pars, pro Rom. Imp. illum pro tali habebimus, etiamsi
nunquam Papam requireret, nec quicquam faciemus, quod sit contra ius Imperij quoquo modo:
sed si habetis potestatem à Papa, & vultis nobis remittere peccata nostra, placet nobis.

Et conuersus ad adstantes: Datisne mihi, inquit, potestatem petendi absolutionem pro vo-
bis? Mox dixerunt, Placet, damus. Et sic hi duo, Magister ciuium & Cunradus, iurauerunt
secundum formam verbalis mandati: sicque relaxatis processibus à Secretario Papæ, Ioanne de Pi-
storio, diuina publicè sunt resumta, ciuesque regi solitum præstiterunt iuramentum. Et sic in
die natiuitatis CHRISTI, Carolus in Ecclesia Basiliensi communicatus fuit, legitque in Missa
circa gallicantum alta voce Euangelium, habens in manu euaginatum gladium: Exijt edictum
à Cæsare, &c.

In VVormaciam postea veniens rex cum episcopo Bambergensi, ibi propter populi tumul-
tum sine omni iuramento absolutio dicta est.

Idem. Rudolphus Italos de industria in factionibus suis reliquit: vnde aliquando interroga-
tus à suis, cur non iret Romam, fertur apologo respondisse: inuitata fuisse animalia quondam di-
uersi generis à leone, vt suam adirent regiam: tempore constituto venerunt, ac montem in quo ha-
bitabat leo, intrauerunt: sola vulpes, cùm, redire nullum ex eis, animaduertisset, pedem retulit, di-
cens, vt Horatius scribit:

Quia me vestigia terrent,

Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Ex hac conclusit fabula, multos ante se reges intrâsse Italiam, paucos verò, vt intrauerant, re-
uersos.

Idem. Petrus de Murrone, dictus Cælestinus V. resignauit Papatum pontificatus sui mense
sexto, atque Benedictus Caietanus extitit electus, qui Cælestinum ad Eremum abeuntem ex itinere
ad se retraxit. Eundemque præfecto arcis Fumonis custodiendum tradidit, hac ratione motus, vt
ipse dicebat: ne authores seditionum aliquam calamitatem, hoc duce, Ecclesiæ Dei inferrent, licet
reuera hominis sanctitatem admirarentur.

Vtcunque sit, constat, hominem magnæ ingratitudinis, & calliditatis fuisse, quippe qui am-
bitionis causâ & virum sanctum deceperit, & captum, vitam eremiticam appetentem, in carcere do-
lore animi ante tempus mori coëgerit.

Idem. Nicolaus 3. regi Carolo offensus, quòd nuper vacante sede, præsidens conclaui, Gallicos
patres contra Italos fouerat, ex quo magna & cleri & plebis contraxit odia. Ea igitur indignatio-
ne accensus Pontifex, simulque quia maiorem potentioremque esse putabat, quàm libertati expe-
diret, ad diminuendam regis potestatem, multa molitus est. Vicariatum enim Hetruriæ ei abs-
tulit, quòd diceret, Rudolphum Imperatorem ægrè ferre, quem simulauit opem Hierosolymæ re-
bus allaturum, requisitumque respondisse, id ab se nec fieri posse, nec debere, nisi vsurpatam in He-
truscis authoritatem Carolus dimitteret, quam simulationem (vt refert Blondus) vtrinque con-
tinuauit.

Rudolphus enim hoc ipso, quòd Hetruriam pontifex à Carolo liberauit, delinitus, Roman-
diolam & Rauennatem exarchatum pontifici & ecclesiæ reddidit. Namque post fractas apud Fo-
rumliuium Bononiensium Florentinorumque copias, vbi ad octo millia hominum amiserunt, Ro-
mandiola imperatorias secuta erat partes, & Rodolphus tam minimo tributo contentus, eo priui-
legio sub imperij titulo liberos esse dixit, cuius rei gesta Blondus, in Foroliuiensium monimentis ex-
tare, vidisse se refert.

Ex hoc habeo, quòd non solùm pro absolutione, vt scribunt nonnulli, cùm voto crucis non
satisfaceret, excommunicatus fertur, sed hac etiam de causa Romandiola à Rudolpho ad Ecclesiam
peruenit: anno 1282.

Idem. Anno 1226. Vangionum antistes Henricus, pro defensione libertatis Ecclesiasticæ, dis-
sensionem haud paruam cum suis ciuib. habuit: qui cùm admoniti eius obedire mandato contem-
sissent, ciuitatem interdicto supposuit, ac diuina ibidem celebrari vetuit. Verùm cùm nec sic profice-
ret, omnem clerum de ciuitate exire, præcepit, præter pauculos admodum parochialium ecclesiarum
curatores, quos in eâ dimittendos procurauit: non tamen illi vel pœnitentes absoluere, vel infirmos
communicare poterant, nisi priùs se mandatis parêre pontificis promisissent. Præterea nullus Eccle-

siastica

stasticæ tradebatur sepulturæ: nullus ad communionem ecclesiastico permittebatur ritu intrare.

Cumque ad vnius anni spacium hæc mala durassent, tandem, interuenientibus ex vtraq; parte bonis ac integris viris, res in concordiam venit.

Idem. Anno 1221. inter Legatum Apost. Pelagium, & Regem Hierusalem grauis controuersia orta est. Nam Legatus sibi vniuersorum exercituum vsurpabat dominiū: & omnes ab illo dependere videbantur. Insuper & Damiatæ vrbis captionē sibi attribuere moliebatur: quam ob causam creditur, Ioannem Hierusalē regem castra reliquisse fidelium. Legatus autē Papæ attendens, tantū populi ad Dei congregatum obsequium: vocatis Maioribus, suadebat contra Sultanū progressum, qui castra sua posuerat super Nilum, itinere vnius diei à Damiatā. Militares autem huic proposito contradicebant, dicentes: debere Regem, qui in proximo venturus erat, expectari, cùm non esset in exercitu aliquis, cui vellent obedire. Sed Pelagius legatus, non obstante contradictione, omninò iudicabat, procedendum. Mouebatur ad hoc zelo dilatandi Christiani nominis. Præterea Episcopus quidam publicè prædicabat: quòd Dauid Rex vtriusque Indiæ, ad Christianorum auxilium festinabat, Saracenos impugnaturus, adducens secum ferocissimas nationes. Sed absque rege militaris manus educi non potuit. Vnde Legatus videns, quòd sine præsentiā regis nil ageret: solennes ad eum mittit legatos, orans, vt compatiendo Christiano exercitui veniret. Rex verò, vt erat homo sapiens, quamuis reputaret indignum, vt in eius præsentiā militares res per sacerdotes administrarentur, attamen eius volens satisfacere voluntati, Ecclesiæque Rom. obedire mandatis, collectis his Christianis, qui in Syriā remanserant, profectus est Damiatam. Aduenies autem, dissuadebat omninò, dicens: si eo tempore populus Christianus procederet, illi nec per terram, nec per aquam à Damiatā subueniri posse: maximè cùm tempus instaret, quo Nilus inundaretur.

Legatus autem molestè nimis ferens ea, quæ à Rege prudenter dicebantur, excommunicabat omnes generaliter illius negotij turbatores. Videns autē Rex, animū Legati à proposito reuocari non posse, licet inuitus, obtulit, se cū his, qui eius castra sequebantur, profectuū. Hæc quoq; Antoninus.

Idem. Anno Dom. 1213. facta electione noui regis Germanorum Friderici 2. videlicet, qui tum Siciliæ regnum tenebat, per Moguntin. Treuirensemque archiepiscopos, regem Bohemiæ, ducē Austriæ, ducem Bauariæ, & Landgrauium Thuringiæ, missis etiam ad eundem honestissimis legatis, qui eum in Germaniam securè ducerent, Otho, auditis huiuscemodi rumoribus, infrenduit animo, seq; in arma parans, quæcunque vel Romani pontificis & Ecclesiæ fuissent, aut etiam Friderici regis, in suam redigere potestatem contendebat. Verùm Fridericus tandem à Legatis Germanicis persuasus, quanquam vxor & plerique Siciliæ optimates animum eius in aliud mutare contendissent, relicta cum filio paruulo Henrico vxore in Sicilia, ad iter sese honesto comitatus apparatu in Germaniam præparauit. Romā primùm ad Innocentium veniens, honorificè suscipitur, à quo & benedictionis pariter & coronationis munus humiliter petijt. Sed Pontifex illi blandè respondens, quod petebat, ingeniosè denegauit, dicens, se legatum Cardinalem in Germaniam cum eo destinaturum, quòd regni Teutonici principibus mandaret, vt ab Othone excommunicato simul & deposito recederent, & sibi tanquam ab eisdem electo, in omnibus fideliter obedirent & assisterent.

Itaq; Fridericus pontificis animum ambiguum haudquaquam intelligens, cum legato & suis, quoniam directo itinere propter Othonis insidias in Germaniam venire non potuit, per vallem Tridentinam atque loca Alpium inuia, in Rhetiam Curiensem, deinde à nobilibus & episcopo susceptus honorificè, ad Constantiam vsque perducitur.

Idem. Anno Domini 1212. Otho Saxo excommunicatus, depositus, & ab Imperio abrogatus à Papā, nihilominùs tamen pro Imp. se gessit, cùm ad partes Germaniæ, dimissā Italiā, declinasset.

Circa festum Pentecostes conuentū Norimbergæ principum suæ partis celebrauit: in quo multiplices Ro. pontificis contra se ostensas calliditates exponens, quàm iniustè ab illo infestaretur, declarauit: Adeste, inquiens, animis principes, quibus cura sit de regno, deque in eodem rebus gerendis: nempe ad vos respicit Teutonici regni quæuis dispositio: vestra intererit, eminus cuncta prospicere.

Vestri etenim iuris esse fatemur, non Rom. Pontificis, Imperatorem creare simul, & destituere: vestrûm, siquid in Imperio tumultus insurrexerit, quò viritim extirpetur, curare. Igitur, ô principes & regni cordati proceres, ius vestrum defendite, pro patrijs, & Imperij legibus vires exercete: ne si minùs, & Imperium & patrimonium dimittatis. Vt autem id fieri possit, persuasum credimus, Rom. Pontificem, quò sese suis à præsumtionibus reuocet, si monere blandiloquio tentaueritis. Nam si pro libitu suo Rom. Pontifici, nimiùm, quàm expedit, dissimulando, depositionem Imperat. permiseritis, actum breui vestrā de potestate in deligendo Imperatore, omni dubio procul intelligetis.

Idem. Deniq; Innocentius Papa tertius, audita huiusmodi controuersia inter Othonem Saxonem & Philip. Sueuum, quodq; Othoni Anglus, Philippo autem Franciæ rex fauebat, ne tumultu omnia complerentur, Othonem Imperatorem confirmat, legitimè ab his, ad quos pertinebat, electum. Sed non sine caussa id pontifex faciebat. Nam Philippus rex de ducatu Hetruriæ sese intromiserat, quòd illum Henricus Imp. moriens filij tutorem instituisset. Vnde permotus Pontifex, circa 3. Kal. Iulias Guidonem Prænestinum Cardinalem, sedis Apostolicæ legatum, Coloniam mittit, vt suo mandato Philippum indebitè ad regnum adspirantem, atq; bona Ecclesiæ friuolè detinentē excommunicaret, omnesq; illi adhærentes, qui hoc idē cū suis complicib. sentirent: nam omnib. ad quos vel præsens peruenire, vel eius epistolæ deferri poterant, autoritate Apostolica, & sub excomunicationis pœna mandauit, quatenus Othonē pro indubitato rege susciperent, & Philip. vt rebellem Ecclesiæ, & hostem publicum, refutarent. Vniuersos etiam, & imprimis Colonien. vt ad Othonem deficerent, & à fidelitate, subiectione, & iuramentis, quibus Philippo tenebantur obnoxij, confestim absoluit.

Idem.

Idem. Anno 1174. Thomas Cantuariensis episcopus martyrizatur. Papa Alexander 3. nun-
cijs regis Anglorum Henrici, qui illum ab ea cædis suspicione, quam ex coniuratione eius factam dice-
bant, purgandi causa missi sunt, non facilè credens, duos Cardinales in Angliam mittit, vt diligen-
ter rem inspicerent, quib. rex, relicto bello Hybernico apud Nortmanniam, occurrit honoris causa:
reque discussa, eò ventum est, vt Henricus iuramento se purgârit, promiseritque, se pœnitentiam pro
nece Thomæ acturum, cuius etsi fuisset insons & inscius, occasionem tamen præstitisse sit visus,
quòd viuentem simultate & odio persecutus sit: additum præterea, vt 200. milites Hierosolymam
mitteret, qui sua impensa per annum contra Saracenos dimicarent, vtque ipse triennio, cum quan-
to posset exercitu, conta barbaros bellum gereret, libertatem ecclesiasticam in suo regno tutare-
tur, appellationibus ad Curiam Romanam factis non aduersaretur.

His autem iureiurando confirmatis, regni Anglici titulum in se atque in hæredes suos transfer-
ri, meruit, & spontè, vt Blondus scribit, regnum Angliæ à pontifice obtinuit, vt nemo posthac rex
Angliæ declararetur, qui à Rom. Pontifice non esset appellatus. Hinc obseruatum aiunt, vt omnes
Anglici reges à Rom. Pontifice regni iura recognoscant.

Idem. Applicuit igitur Rex Lycaoniam, cuius metropolis est Iconium. Tradiderat autem Ema-
nuel imperator Constantinopolitanus Romanorum regi viæ duces: qui innata vsi malitia, siue de
mandato domini sui, siue infidelium corrupti pecunia, studiosè cœperunt per deuia Alemannorum
trahere legiones. Cumque deduxissent exercitum, præ lassitudine nostris dormientibus,
nocte clàm relictis castris diffugerunt, populo sine duce relicto: luce facta, non sunt inuenti.

Traditum est, Emanuelis dolo gypsum farinæ admixtum, vnde panis, quo vesceretur Germa-
nicus exercitus, confectus est. Acta sunt anno Salutis nostræ 1147. mense Nouembris. Hi autem
filij Belial, qui duces dati à Græculo fuerant, vt peccatis peccata cumularent, ad Regis Francorum
properant exercitum, mentientes, Imperatorem eorum fretum ducatu, omnia prosperè egisse, &
Iconio violenter expugnato, de hostibus triumphasse.

Idem. Paschalis episcopus, seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio Henrico, glorioso
Teutonicorum regi, & per Dei omnipotentis gratiam Romano Imperatori Augusto, salutem & A-
postolicam benedictionem. Regnum vestrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ singulariter cohærere, dispo-
sitio diuina constituit. Prædecessores siquidem vestri probitatis & prouidentiæ amplioris gratia Ro-
manæ vrbis coronam & imperium consecuti sunt, ad cuius videlicet coronæ & imperij dignita-
tem, tuam quoq; personam, fili charissime Henrice, per nostri sacerdotij ministerium maiestas di-
uina prouexit. Illam ergò dignitatis prærogatiuam, quam prædecessores nostri vestris prædecessori-
bus, catholicis imperatoribus concessêre, & priuilegiorum paginis confirmauêre, nos quoq; dilecti-
oni tuæ concedimus, & præsentis priuilegij pagina confirmamus, vt videlicet regni tui episcopis &
abbatibus, liberè, præter violentiam & & simoniam electis, inuestituram virga & annulo conferas,
& post inuestituram canonicè consecrationem accipiant ab episcopo, ad quem pertinuerint.

Si quis à clero vel populo, præter assensum tuũ, electus fuerit, nisi à te inuestiatur, à nemine con-
secretur, exceptis illis, qui vel in archiepiscoporum, vel in Romani Pontificis solent inuestitura con-
sistere. Sanè archiepiscopi vel episcopi libertatem habeant, à te inuestitos abbates & episcopos cano-
nicè consecrare: prædecessores enim vestri, ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficijs am-
pliauêre, vt regnum ipsum episcoporum maximè & abbatum præsidijs oporteat communiri, & po-
pulares dissensiones, quæ in electionibus sæpe contingunt, regali oporteat majestate compesci.

Si quis verò inflato spiritu ad periculum animæ suæ contra huiusmodi autoritatis nostræ de-
cretum agere præsumserit, sciat, se vinculo Apostolicæ maledictionis & anathematis in hoc seculo &
in futuro, nisi resipiscat, esse alligatum atq; submersum. Sacramentum autem, quod fecerunt ciui-
tates Italiæ regi Henrico V. tale fuit: Ab hac die inantea fidelis ero domino regi Henrico, non ero
in consilio vel in facto, quo ipse perdat vitam vel membrum, vel quo capiatur, vel assiliatur contra
suum velle: adiutorio ero ei retinere ciuitatem nostram, & burgas, & suburbia, episcopatum, comi-
tatum, omnem vsum & honorem regni & imperij, quem prædecessores sui reges & imperatores ha-
buerunt in prædictis locis, contra omnes homines, qui voluerint auferre vel minuere: nulli morta-
lium in prædicta ciuitate vel locis obediam pro episcopo, (imò pro posse eum persequar) nisi illi so-
li, quem prædictus dominus rex eidem ciuitati concesserit episcopum dono & inuestitura sua: hæc o-
mnia obseruabo, ita me Deus adiuuet.

Anno 1112. Pontifex Paschalis multas à Rom. pässus est iniurias, dicentibus quibusdam, quòd
contra instituta Ecclesiæ regem Henricum tyrannum & ecclesiarum destructorem imperiali benedi-
ctione sublimâsset, insuper priuilegio sacrilegij condonasset. Ideo coactus, in concilio XI. Cal. April.
habito in Laterano, facta coram omnib. professione catholicæ fidei, dixit: Amplector nouũ & vetus
Testamentum, concilium Nicenum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, & Antio-
chenum, decreta S. Patrum, & præcipuè Grego. 7. & Vrbani: quæ tenuerunt, teneo: quæ damnarunt,
damno, &c. Quib. expletis, surrexit Gerhardus Egelisinensis episcopus, legatus Aquitaniæ, & de con-
sensu domini Papæ ac totius concilij legit hanc scripturam dicens: Priuilegium illud, quod pro libe-
ratione captiuorum, à domino Paschale Papa per violentiam regis Henrici extortum est, nos omnes
canonica censura, & autoritate ecclesiastica, iudicio S. Spiritus, damnamus, & irritum iudicamus. Et
hoc ideò, quia in eo priuilegio continetur, quòd electus canonicè, à nemine consecretur, nisi priùs à
rege inuestiatur, quod est contra Spiritum sanctum, & canonicam sanctionem. Perlecta charta ac-
clamabant omnes, Amen, Amen.

Idem. Qualiter autem Ecclesiasticas inuestituras, cæteraq; spiritualia negocia, quæ tanto tempore reges Teutonici administrauerant, quæque ipse, se, ne regni diminueretur honor, nunquam, vita comite, dimissurum, proposuerat, humiliatus pro Christo, coram multitudine, in manus domini Ostiensis, in perpetuum dimiserit: rursumque, qualia ipsi, ob honorem regni conseruandum, authoritas Apostolica concesserit, meliùs edocebunt super his scripta subnotata. Siquidem literæ inuestiturarum resignationem, ab Henrico factam, pleniùs indicant.

Idem. Anno 4. Henricus V. cum maximo exercitu ad sedanda scandala, quæ inter imperium & sacerdotium erant, in italiam venit: nam discordia à Gregorio 2. cœpta, agitata est à successoribus eius Victore, Vrbano, & multò magis Paschale, ob quam causam scandalum erat in toto orbe terrarum. Imperator enim vti volens consuetudine & auctoritate prædecessorum suorum, petebat, sibi seruari ea, quæ priuilegiis Carolo Magno, & successoribus in imperio iam per CCC. annos & ampliùs concessa, & obseruata fuerant sub summis pontificibus, & quibus priuilegiis licitè, per inuestituram annuli & virgæ, episcopatus & abbatias conferebant, & hoc suum ius allegabant.

Idem. Henricus 3. accepta imperii corona à Clemente 2. Romanos iurare coëgit, se pontificum electioni de cætero nequaquam interfuturos, nisi iussu Imperatoris. Alii tradunt, Clementem Romanos, ne in errores similes inciderent, iureiurando adactos, pontificum electionibus prohibuisse. Acta sunt hæc anno 1047.

Sed quoad Benedictum 9. constat, simulachrum eius monstrosum post mortem cuidam apparuisse, interrogatumq;, quid illa horrenda imago præ se ferret, cùm antea pontifex fuisset: Quia, inquiisse, in vita sine lege & ratione vixi: ideò volente Deo & Petro, cuius sedem omnibus probris fœdaui, simulachrum meum plus feritatis, quàm humanitatis in se habet. Iam enim, postquàm decem annos & quatuor menses sederat, obierat.

Syluester verò 3. non diu in pontificatu mansit. Nono enim & 40. die, factione suorum Benedictus restituitur: eoque pontificatus peruenerat, vt qui plus largitione & ambitione valeret, is dignitatis gradum, bonis oppressis, obtineret: quem morem vtinam non retinuissent nostra tempora.

Idem. Otto Saxoniæ Princeps, circa annum Domini 914. moritur, filium relinquens Henricum magnanimum principem. Hunc Conradus I. Imperator tantùm odit, ob suspectas sibi Saxonum vires, quàm est ipse ab Ottone illius patre semper humanissimè cultus. Et cùm videretur, rem viribus imparem agere, insidiis locum dedit.

Quare Hattonem Archiepiscopum Moguntinum contra Henricum solicitat. Hatto autem malis artibus imbutus, fabricari fecit Henrico torquem auream, quam collo ipsius iniiceret. Fabrefacta est torques, quæ collo alicuius iniecta, nulla arte potuit aperiri, aut dissolui, cogebatque hominem fame mori.

Sed præsentiebat hoc aliquis, qui dolum Henrico detexit: & cùm inuitaretur ab Hattone, conuiuandi gratia, imò latrocinandi causa, dux Henricus præmonitus: Vade, ait nuncio, dic Hattoni: quòd durius collum non habet Henricus, quàm comes Albertus: hunc enim regi Ludouico prodiderat.

Idem. Post Benedictum Leo quintus pontificatum adeptus est. Hunc Leonem post 30. & aliquot dies, Christophorus presbyter & familiaris eius cepit, atque in carcerem misit: ipseque præsulatum inuasit. Quantæ autem authoritatis tum pontificatus fuerit, vitio priorum pontificum, ex hoc comprehendi potest, quòd à viro priuato tanta dignitas vi & factione, vno ferè momento occupata est. Hunc Leonem credunt aliqui præ dolore animi paulò pòst periisse, quòd ab eo spoliatus fuisset, quem ipse domo aluerat, vt lupum. Sic enim cum illo Theocriti conuenit:

Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κυνὰς, ὥστε φάγωντι.

Hoc est, *Ale & luporum catulos, & canes, qui te deuorent.*

Idem. Carnales homines idiotæ Alemanni, vel Bauari, vel Franci, si iuxta Romanam vrbem aliquid fieri viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum id & concessum esse putant, & nobis improperium inde, sibique scandalum concitant, sic vt affirment, se vidisse, annis singulis in Romana vrbe, & iuxta ecclesiam S. Petri, in die vel nocte, quando Kalendæ Ianuarii intrant, paganorum consuetudine choros duci per plateas, & acclamationes ritu gentilium, & carmina sacrilega celebrari, mensas illa die ac nocte dapibus onerari, & nullum de domo sua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo præstare velle: dicunt quoque, se vidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas in brachiis & cruribus ligatas habere, & publicè venales offerre: quæ omnia videntur impedimentum nobis præstare prædicationis & doctrinæ. Episcopi quoque, & presbyteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri, vel fornicatores acerrimi, quos filii fornicationum arguunt, reuertentes ab Apost. Sede dicunt, sibi R. Papam licentiam dedisse, vt antea, ministrare: verùm nos contrà contendimus, quia Apostolicam sedem contra decreta canonum nequaquam audiuimus iudicasse, & hæc omnia propterea nota facimus, vt vestræ authoritatis responsum habere possimus. Incolumem valere, & in Christo proficere beatitudinem vestram, in longitudine dierum, valdè optamus.

Idem. In hac generatione (anno 1018.) Vdo Archiepiscopus Magdeburgensis fata mala persoluit. Is in eadem vrbe aliquando scholasticus obtusi ingenii ac indocilis, implorauit auxilium reginæ cœli, vt aliquid discere posset, quæ ei pollicebatur & sapientiam & episcopatum. Cùm itaque doctus euasisset, in episcopatum eligitur: sed propriæ salutis & gratiæ factæ immemor, voluptati indulgens, bona Ecclesiæ neglexit: & ita tandem omnibus odio habitus est.

Inde in Valleliliorum abbatissam ad libitum habuit. Nocte quadam, cùm apud eam dormiret, vox intonuit: Vdo, cessa de ludo. Sed ille in deliciis perseuerans, non curauit vitam emendare. Tandem Fridericus eiusdem Ecclesiæ canonicus, nocte in choro Sancti Mauritii videbat, turbam Sanctorum Vdonem capitis pœna damnare, quem & sic damnatum, pugil decollauit. De latere enim abbatissæ abductus fuit, & à beata Virgine Maria coram filio suo accusatus, damnatus, & decollatus: ac sic illo vidente infelici fato periit.

Huius horrendi prodigii memoria, cruor Vdonis adhuc in marmore candido ad terrorem aliorum ostenditur.

Idem. Cunrado Imperatori rebelles erant Mediolanenses, quibus suburbia incendit, obsedit, seque non inde moturum, dixit, nisi vrbem pari affecisset incommodo: Coloniensis Episcopus autem Bruno per spiritum vidit B. Ambrosium, qui obsidionem dissuasit.

Idem. Fecerunt quorundam Pontificum vitia, vt meritò ipsi Clero sublata potestas videretur Dei iudicio, quò in melius eorum mentes flagitiis contaminatæ aliquando corrigerentur.

Idem. Leo Papa cum Henrico 3. Imperatore, & centum ac triginta Episcopis in Moguntia concilium celebrauit anno 1049. statuens, ne clerici canes, vel aues in venatione sequantur. Item, vt negotia secularia clerici non tractent. Item, vt nullus fiat monachus, nisi constitutus in legitima ætate, & spontanea voluntate.

Idem. Victor secundus Papa, aliquando celebrans, calicem leuare non potuit: qua gratia rogat populum, vt pro se orarent, & hoc in canone. Tunc subdiaconus, à dæmonio vexatus, publicè fatebatur, venenum se in calicem misisse: ideo Papa Missam celebrans, perpetuò claudit calicem in altari: quanquam Palmerius aliter, sed minùs benè.

Idem. Anno Domini 817. Stephanus Papa, tertio mense, postquàm Romam venerat, nondum exacto, obiit. Cuius in locum Paschalis, patria Romanus, electus sedit annis septem. Hic quia nulla Imperatoris authoritate Pontifex creatur, statim legatos ad Ludouicum misit, qui du: rei culpam in clerum & populum reiicerent, & quòd ab his coactus esset pontificatum suscipere. Accepta hac satisfactione, Ludouicus respondit populo & clero: Maiorum instituta, & pacta seruanda esse, cauerent, ne deinceps maiestatem læd erent.

Idem. De dono Constantini, aut concessione, apud nullos extat authores, præterquàm in libro Decretorum: idque in antiquis voluminibus minimè contineri, author est Antoninus præsul Floren. in Chron.

Idem. Anno 1057. Victor secundus moritur, in cuius locum Fridericus frater ducis Lotharingiæ, abbas Cassinensis, in Stephanum nonum Pontifex est creatus: sedit menses decem: per cuius tempora Mediolanensis Ecclesia, quæ per 200. ferè annos à subiectione Romanæ Ecclesiæ se subtraxerat, rediit, eamque primam agnouit.

Idem. Vno tempore Papa execrauit Philippum Regem Francorum, & Henricum Imperatorem, & Clementem Antipapam: anno 1088.

Idem. Innocentium tertium Papam dixisse, ferunt, quòd ablaturus esset Philippo Imperatori Diadema: aut ipse sibi insigne Apostolicum.

Idem. Interim Stephanus sextus moritur, & Romanus ipsi substituitur, sedit tribus mensibus. Mox vt pontificatum iniit, Stephani pontificis decreta & acta improbat, abrogatque.

Vide, quantùm isti degenerauerint à Maioribus suis. Illi enim viri sanctissimi Maiorum decreta tanquam sua tuebantur: hi posthabito diuino cultu, inimicitias non secus, ac sæuissimi quidam tyranni, inter sese exercebant, suas voluptates postea expleturi: cùm non extarent, qui eorum vitia coërcerent. Ideò fortè Deus illos, tanquam monstra quædam, è medio breui sustulit, vt minùs nocere possent.

Quis non miretur, regnante Ludouico, octo Romanos pontifices sedem beati Petri tenuisse, qui non legitur, nisi duodecim annos regnâsse?

Item. Horror est audire, quàm multa perperam per 28. fermè pontifices sint admissa.

Idem. Anno, vt quidam volunt, à Natiuitate Domini 981. Ioannes 14. creatur Papa. Degebat adhuc apud Constantinopolin Bonifacius 7. qui diuenditis, quæ sacrilegio abstulerat, magnam vim auri comparauit: quâ fretus, vrbem adiit, tyrannidem occupaturus, ciues largitione corrupturus: & propugnatoris sui Ferrucii potentia Ioannem cepit, & in Adriani mole interfecit. Pettica sedem inuasit, sed non multò pòst subita morte periit, adeò omnibus exosus, vt defuncti corpus lanceis profoderetur, à clericis tandem collectum, & sepultum 11. intrusionis suæ mense.

Idem. Anno D. 984. electus est Ioannes 15. patria Romanus, sedit menses octo. Hic miro odio in clericos exarsit: vnde vicissim fuit odio habitus, maximè ex eo, quòd diuina, humanaque omnia cognatis suis largiebatur: quem morem (ait Platina) ad posteros ita traduxit, vt hodie perseueret. Cometes apparuit: fame & peste laborabatur.

Idem. Lucius 2. Papa ob Romanorum persecutiones ad Regem Conradum patrocinium petens misit, sed frustra. Populus itaque Rom. senatoribus, quos ante instituerat, adiecit patricium Iordanem, Petri Leonis filium : pontificem adit, & omnia regalia eius, tam in vrbe, quàm extra vrbem, ad ius sui patricii reposcit: eum, more antiquorum sacerdotum, primitiis, oblationibus, & decimis sustentari debere, dicit. At cùm Lucius Romanus Papa senatum remouere disposuisset, ingenti militia curiam, vnde senatores expelleret, seu Capitolium inuasit. Tunc populus ad arma concurrens, Papam cum suis expulit: vbi Papa (vt fertur) lapidibus attritus, postmodum officium pastorale exercere non potuit, & breui moritur, videlicet mense XI. die 4. & in basilica Lateranensi sepelitur.

Idem. Mediolanenses rebellionem contra Cæsarem Fridericum 1. toto nisu moliuntur: cùm iam antea sese dedidissent. Scribit & Ligurinus, multis non fuisse ambiguũ, Adrianum 4. Pontificem rebellionem eorum fouisse. Nam postquàm sua iura recondita fisco Imperator accepit, vrbes & castella publicata, veterem iram ille extinctam, prauis autoribus, refricare cœpit, iniustum regem, sæuum, superbum, ingratumq; sibi, qui culmen vsurparet, asseuerans: non etiam licere Augusto, nisi conniuente Pontifice, mittere ad vrbem legatos: & quòd non liceat fisco, castella, vel oppida Papæ vrgere collectis, nisi quando primùm Romæ gestare coronam Imperii incipit: deinde à Patrimonio Petri abstinere: quod nisi fecerit, non vt Imperator, sed Ecclesiæ deprædator iustè nominari: subiunxitque, satis argutis rationibus se hæc omnia in lucem posse deducere.

Idem. Philippus rex Franciæ Engebertam Caini regis Danorum filiam legitimo sibi matrimonio iunctam, prætendens lineam per Carolum Flandrensem comitem consanguinitatis computatam, repudiauit. Postea anno 1202. Innocentius 3. Octauianum Ostiens. & Ioan. Voltrens. Episcopos in Franciam misit, quorum admonitione rex vxorem suam Engebertam in qualemcunque gratiam recepit: & superinductam à se ad tempus separauit.

Attamen antequàm legati Romam redirent, Maria, ducis Boëmiæ & Morauiæ, marchionisſque Istriæ filia, à rege Philippo superinducta, defuncta est, quam quinque annis rex contra Dei decreta, & leges tenuit: de qua idem rex filium nomine Philippum, & filiam vnam susceperat: quos liberos Papa Innocentius 3. ad petitionem Philippi regis legitimauit: quod factum eo tempore multis displicuit. De hac dispensatione est tex. in tit. qui fi. sint le. in c. Per venerabilem.

Idem. Innocentius 3. considerans, quòd per detentionem Salernitani Archiepiscopi, qui adhuc per Philippum, Imperatoris Henrici fratrem germanum, in Alemannia detinebatur captiuus, detraheretur Apostolicæ dignitati, statim Sutrinum Episcopum, natione Teutonicum, & Abbatem S. Anastasii, in Alemanniam destinauit, scribens prælatis Ecclesiarum, vt detentores Salernitani, & aliorum prælatorum monerent, &, si necesse esset, per excommunicationē compellerent, vt illos dimitterent, comminando principibus, nisi ad hoc darent operam, totam Alemanniam se suppositures interdicto.

Idem. Equus repertus, qui 100. milliaria singulis diebus currere poterat: idq; per 8. dies continuare.

Idem. Bonifacii Moguntinensis Archiepiscopi celebre ac vulgatum, contra Romanum Pontificem, dictum ab Ecclesia est receptum, quo scripsit, Papam à fide deuium iudicari posse, cùm regulariter cunctos ipse iudicaturus, sit à nemine iudicandus, vt habetur 40. dist. c. si Papa.

Idem. Papa Stephanus 4. de rebus Italicis expeditus abiit: & vacante tunc Ecclesia Reatinâ, noluit Episcopum electum consecrare, nisi ab Imperatore obtinuisset priùs licentiam. Habetur in decretis 63. dist. c. Electis. Ex quo satis patet: tunc Imperatores inuestituras Episcopis præstitisse: licet Antoninus id aliter glosset, dicens, quòd fortè iste electus fuit curialis, qui non debet ordinari: primum autem videtur verius.

Idem. Tempore Bonifacii 9, valdè infamis curia habebatur de labe Simoniaca, vt beneficia non tam meritis, quàm pecuniam offerentibus darentur: & repleuit orbem terrarum indulgentiis plenariis, ita vt paruæ Ecclesiæ in suis festiuitatibus paruo eas obtinerent pro subsidio ipsis porrigendo. Easdem tamen ipse circa finem sui pontificatus omnes, quas contulerat, reuocauit sub eo prætextu, vt potiùs eleemosynæ, quæ pro huiusmodi fiebant Ecclesiis, conuerterentur ad reparationem tectorum Ecclesiæ S. Pauli, quæ corruerant.

Ipse tres habuit germanos, quos multùm exaltauit: quorum tamen filii ad extremam deuenerunt paupertatem.

Idem. Bonifacius Papa annatarum vsum instituit, vt scilicet, qui beneficium consequeretur, dimidium annui prouentus fisco Apostolico persolueret. Sunt, qui hoc Ioan. 22. tribuunt.

Idem. Bonum se amicum Cardinalem, in acerrimum hostem, Rom. Pontificem permutasse, ait Fridericus.

Idem. Interea Pontifices, Vrbanus atq; Clemens, de papatu contendentes, alter alterum diebus solennibus exsecratum pronunciabat, vt schismaticum, cum sequacibus suis: dabaturq; magna occasio hominibus delinquendi. Nam cùm prælatus aliquis committebat excessum, de obedientia vnius transibat ad alterum, quasi abdicans schisma: quo fiebat, quòd non solùm non puniebatur excessus, sed commendabatur vt pius.

Idem. Gregorius PP. positus in extremis, habens in manibus sacrum Christi corpus, protestatus est coram omnibus, vt cauerent ab hominibus, siue viris, siue mulieribus, sub specie religionis loquentibus visiones sui capitis, quia per tales ipse fuisset seductus.

Idem. In Alemannia anno 1063. Coloniensis archiepiscopus apud Henricum adolescentem
Agnetem criminatus, quòd contrà maiestatem imperii Christiana Resp. natu mulieris gubernare-
tur, accepta potestate, Italiam est ingressus: & Gilberto Parmensi, quem regina cancellarium in-
stituerat, deposito, loco eius Vercellensem Episcopum surrogauit. Deinde Romam veniens, admis-
sus ad pontificis Alexandri conspectum, cardinalibus & potioribus è clero considentibus, huius-
modi orationem fecit: Quo factum est modo, mi frater Alexander, vt præter seruatos hactenus mo-
res, præter legem olim Romanis pontificibus præscriptam, Pontificatum Romanum à rege & do-
mino meo Henrico iniussus acceperis? & incipiens à Carolo, multos nominauit, à quibus pontifi-
ces vel electi fuêre, vel confirmati, aut eorum ab his electio affirmata.

Paranti plura dicere Hildebrandus Archidiaconus, cætu Cardinalium annuente, respondit:
Nullum vnquam ius, nullum imperium, Anno archiepiscope, Regibus & Imperatoribus Roma-
nis in pontificis Rom. electione fuit, & si quid per vim, si quid perperam actum sit, censura patrum
postea correctum est. Incipiens itaque à superioribus tam diu immoratus est, quoadusque victus An-
no, satis sibi factum esse, respondit.

Naucletus, Platina, & alii affirmant, omnes Papas à Syluestro secundo ad Gregorium septi-
mum fuisse magos. Qualem ergo, & quem interim Christus vicarium habuit?

Idem. Anno Domini 1208. cùm interemisset regem Henricum Bambergæ Otto de VVittel-
spach, tam propterea, quòd illi filiam suam (quam Rex Ottoni vxorem desponsauerat) propter
scelus homicidii perpetrati in familiarem quendam Ducis Bauariæ, tradere noluit, quàm quoque,
quòd sanguinis propinquitate illam ducere non potuit, nemo fuit è cubiculariis custodibus, qui
tantum principem, tam amantem Reipub. hac eriperet cæde: vt ne dicam omninò Rempub.
quando hoc vno Philippo peremto, Germania summis insidiis pontificis Romani agitata, vires pe-
nè suas omnes in sese experta est truculenter.

Idem. Gaude nunc nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, vt ad te
confluant riui in magna copia nummorum. Hæc abbas Vrspergensis.

Idem. Anno Domini 1226. Longobardi, vt creditur, per suggestionem Papæ Honorii 3.
contra Fridericum 2. Imp. componentes ligam inter se, vicinas sibi ciuitates aduersus Imperium
Romanum statuerunt: quæ per multos annos, sub nomine confœderationis Longobardorum ap-
pellata, perseuerauit: graue admodum Romani Imperii dispendium, ac Hierosolymitanæ expedi-
tionis manifestum impedimentum: quoniam iter, quod ipse Fridericus in Syriam facere promise-
rat, occasio hæc, ne fieret, diutius suspendit.

Idem. Gregorius postquàm pontificatum iniit, monuit Fridericum sub anathematis pœna, vt
primo quoque tempore in Asiam cum exercitu proficisceretur, recuperandæ Hierosolymæ causa.

Idem. Anno Domini 1215. Innocentius Papa Romæ in Ecclesia Lateranen. concilium siue
synodum celebrauit, cui interfuêre Hierosolymitanus & Constantinopolitanus patriarchæ, metro-
politani LXX. Episcopi CCCCXII. Abbates, priores, conuentuales octingenti, Græci & Romani
legati: regum verò Hierusalem, Hispaniæ, Angliæ, Franciæ, & Cypri oratores.

Venêre multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam aptè potuit, eò,
quòd & Pisani & Genuenses maritimo, Cisalpinæ terrestri bello inter se certabant. Editæ tamen
nonnullæ constitutiones referuntur, è quibus vna exstitit: vt quoties orbis principes, alter in alte-
rum, deliquerint, correctio ad pontificem Romanum spectaret. Truncum etiam fieri in ecclesiis,
sub tribus distinctis clauibus, ordinauit: in quo reponeretur eleemosyna, in subsidium terræ san-
ctæ: atque, vt homines ad sumendam crucem exhortentur, strictiùs mandat.

Idem. Moritur Bonifacius 8. qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibusq; terro-
rem potiùs, quàm religionem iniicere conabatur: quique dare regna, & auferre: pellere homines,
& reducere, pro arbitrio animi conabatur. Consanguineos nimis dilexit, & exaltauit. Duos enim
nepotes fecit Cardinales satis iuuenes, similiter & auunculum suum: XX. numero ex suis consan-
guineis & amicis episcopos, & archiepiscopos instituit: laicos comites fecit, magnum thesaurum
eis reliquit. Vnde & mortem eius, conductis stipendiariis, vindicare conati sunt. Gratias à Cœle-
stino concessas reuocauit, quasi non fuissent effectum consecutæ. Gibellinos omnes vno odio perse-
quebatur.

Idem. Per hæc tempora maxima fuit tribulatio in Suenia, & circumiacentibus prouinciis,
propter censuras Ecclesiasticas in adhærentes Ludouico Imperatori. Et ego legi, & vidi literas, per
quas absoluti fuerunt à censuris Præpositus, Capitulum, & Canonici in Sindelfingen, ab Episcopo
Vlrico Constantiensi ex commissione. Et iterum, quòd plures tunc, ex adhærentibus, sepulti fue-
runt in campis, & extra cœmiteria: & plures interdicti fuerunt sepulti in Ecclesiis, & cœmiteriis
postea, vbi fuerunt reconciliati, habito testimonio, quòd in extremis signa pœnitentiæ ostende-
runt: similesque literas habemus adhuc in nostris scriniis.

Idem. Anno 1501. Leodicensis Episcopus, Ioannes de Horne, Cæsari Maximiliano scripserat,
Cruces post Paschatis festum quotidie, igneas, sanguineasque apparuisse in templo, in plateis, in do-
mibus, in cubiculis, ita vt pro vero sanguine à nonnullis haberentur: simplices, duplicesque cruces
fuerant, & videbantur in peplis mulierum, & capitibus puellarum, nec fictas fuisse, Episcopus affir-
mat. Scribit, in peplo cuiusdam vxoris Mastrik Grilete, grandem crucem aurei coloris extitisse, &
in singulis extremitatibus alias minutas cruces eiusdem coloris prostitisse, & in medio aliam ma-
gnam sanguineam crucem.

Matrona, vt ait, miraculo territa, peplũ alibi reponit, aliũ induit, móx & in eo magna cernitur

crux: homines præ ingenti admiratione accurrentes obstupescebant, in quorum conspectu aliquoties peplum aliud induerat, ita vt intra nouem dies tredecim pepla ei crucibus illis signarentur: insuper dum aliqui cum ea conferrent, animaduertunt, in mento eius exoriri crucem digitum latam, habentem mellis colorem & saporem: à gutture incipiebat, & ad inferius labrum se extendebat ad dentes vsq;: illa cùm eam dextra attingere vellet, statim conformis crux in manu quoq; eminebat, & cùm manum ad sinum retraheret, ambæ cruces duas horas ita permanserunt, & rursus disparuerunt.

Post hæc visæ fuerunt lanceæ characteribus quibusdam insignitæ, prorsus sanguineæ, & circulo seu corona concludebantur viridi, ambiente totum caput, & erat ceu spinæ aculeata.

In Vrsperg. Paralip. dicitur: signa fuisse velut spineam Christi coronam, & clauorum Christi figuram referentia: & cùm in Mastricensi vrbe templum ingrederetur, & in sacristiam duceretur, iterum signa illa crucis in peplo eius & ricis luculenter apparuerunt, & homines ea videntes terrore vehementer percellebantur, Canonicorumque vnus subitò attonitus concidit. E uestigio ad Episcopum deducta fuit, qui suis oculis ea vidit, & manibus palpauit. Signa eadem etiam viro in vestibus suis apparuerunt. Hæc Leodiensis Episcopus Maximiliano Cæsari anno 1510. die 18. Maii perscripsit. Pestis sæuissima grassabatur sequenti anno, quam his crucibus prædictam, aliqui volunt. Sed arbitror ego, præsagia fuisse Reformationis Ecclesiæ post annos 16 susceptæ. Signa enim non tantùm crucis, sed lanceæ, coronæ, clauorumq; Christi quoq; videbantur, docentia profectò, meritum, crucem, & mortem Christi iamiam rursus purè prædicatum iri: aureus color subindicat eius preciositatem, vt Prouerb. 8. Doctrinam maioris æstimate, quàm aurum. Mellis sapor dulcedinem eius prædicationis innuit: Prouerb. 24. Comede fili mel, quia bonum est, & fauum dulce in faucibus tuis: sic sapientiam disce pro anima tua.

In mulieribus & virginibus cruces apparuisse, significat, apud Deum non esse respectum personarum, sed suam gratiam humilibus & paruulis seruari. Sed eas extitisse in peplis, ore & mento præmonstratum est, Prædicationem de Cruce & merito Christi in publico futuram, homines eam suscepturos, & ore confessuros: alluditur autem ad illud, quod in Ezechiele legitur cap. 9. Cùm nimirum horrenda esset idolomania in populo Israëlitico, scribit Propheta, Deum angelo mandasse, vt in eorum fronte, qui super abominatione ea ingemuerant, & conquesti fuerant, literam Thau Hebraicam scriberet, & occidi iuberet omnes, quotquot illo Thau, litera Hebræa non indigetati fuerint in fronte sua.

Thau verò illud refert & repræsentat crucis signum in Hebræa, Græca, Latina, & Germanica lingua. Nam quemadmodum, illos, qui in fronte sua illo Thau, id est, crucis signo, insigniti erant, fiduciam & fidem veram in venturum Messiam crucifigendum habuisse, & propterea euasisse interitum, signaculo isto declaratum fuit: sic has cruces, veram fidem in Christum, rursus ceu aurum purum putum, redintegratum iri, designasse, dubium non est.

Sic Eusebius de vita Constantini lib. 1. cap. 22. refert: Quòd Constantino Imp. dum adhuc ethnicus esset, meridie in sudo cœlo luculenta Crux ostensa sit, in qua scriptum erat: In hoc vinces: & sequenti nocte Christus per visionem indicârit: Si fidem in Christum Crucifixum induturus sit, victoriam ab hostibus eum reportaturum, & fortunatum in Imperio futurum esse: ideoque gerere debeat in vexillo Crucem, si bella gereret: quod fecit, & baptizari se iussit, felicitatemque summam consecutus est.

Prodigiosum. 1501.

HOc anno Herrenbergæ in Sueuia, cruces & aliæ figuræ, in homines cecidêre: primam crucem vidit Simon Lamparter in Iacobi Dachtleri vxore Barbara, Ioan. Reuteri Herrenbergæ filia, pridie Encœniorum ibi.

Idem vidit pridie Pentecostes, in quadam puella 20. an. Dorothea nomine, Conradi Holtzii F. (quæ ancilla erat apud Cabiensem Senatorem, Henr. Volcium) varia signa: vt, in vittâ albâ 30. flaua puncta, latitudine nummi, crucemq; glaucam. In peplo longam lineam flauam: in eiusque summitate spongiam, cum cruce flaua, viridi, & cærulea: scalam expressè violacei coloris: gallum gallinaceum flauum, euidentibus cum pedibus & alis: manum flauam, forcipem viridem, glaucum clauum, malleum flauum: cum multis crucibus flauis, viridibus, & cæruleis. Viderunt id & alii multi. Ipse in libello Germanicè hoc annotauit. Cruf. Imp. Max. 1. Papa Alexan. 6.

Superstitio. 1500.

IN Mediolanensium historia sect. 1. admirandæ superstitionis mentio fit: admouentur enim infantes serpenti posito in Templo, è regione crucifixi. Artunus huius hist. author est. Imperatore Maximiliano, & Papa Alexandro 6. V. S.

Ordo peregrinorum pauperum.



ANno 1500. ex Italia in Germaniam venerunt pauperes nonnulli, lineis, alii griseis laneis induti, nudis pedibus, nudo capite, sed neque baculum, neque peram portantes: vinum non bibebant, atque omnibus diebus præter Dominicam ieiunabant. Carnes, oua, pisces, butyrum, caseum aut lac non comedebant. In templis humo se iactabant prolixè orantes, non ampliùs 24. horis in vno loco manentes. Coloniam Agrippinam, & Aquisgranum omnes visitabant. Voto se ad certos aliquot annos obligabant: quo finito ad sua quisque redibat. Solos Monachos, & mulieres à suo consortio excludebant. Nauclerus in Gener. 51. Imp. & PP. V.S.

De Paparum in Cœlo, Inferno, & in Terris maiestate & potentia.

ARrianus in Bythiniacis ait, Bythinos montium cacumina ascendere solitos, & Iouem Pappum salutare: vt & Scythas. Cæl. Rhodiginus l. 2. c. 8. quid de hoc nomine, & quomodo à πάππος deducat, vide apud eum.

Fuit autem nuncupatio Papæ olim omnibus Episcopis communis, vt patet in epistolis Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, & Augustini, ac aliorum antiquorum præsulum, & doctorum, qui & peritiores & sanctiores erant his, qui secuti sunt. Text. est etiam in c. loquitur. in superscriptione 24 q. 1. vbi Cæcilius Cyprianus, Carthaginensis Episcopus Papa vocatur. Constat enim textum illum esse Carthaginensis Episcopi. Nullus autem in Catalogo Romanorum Pontificum est Cypriani nomine.

Idem text. in c. sicut de consecrat. distinct. vbi etiam Clerus ipse Romanus, scribens ad sanctum Cyprianum, vocat eum Papam. Sed ibi glossa, putans literam mendosam, valdè errat: quia (quod nimis reprehendendum est) non priùs legerat opera Cypriani, saltem epistolam illam (ex qua Col. 2. Gratianus fragmentum illud, de quo in d. c. abst. accepit) quæ in libro secundo Epistolarum diui Cypriani, epistola 7. habetur, vbi superscriptio talis est: Cypriano Papæ, Presbyteri & Diaconi Romæ consistentes, salutem. In textu autem, & fine epistolæ est apertior clausula huiusmodi: Optamus, te, beatissime & gloriosissime Papa, semper in Domino benè valere.

Sed nec imperitus ille glossator viderat libros antiquorum patrum, nec etiam conciliorum Ecclesiæ: in quibus Augustinus Hipponensis Episcopus, Papa vocatur à concilio Aphricano, ne dum à beato Hieronymo, Bonifacio, & aliis.

Imò etiam Ethnici persecutores fidei ita vocabant, adeò promiscua erat appellatio Papæ omnibus Episcopis Christianis, vt patet in passione prædicti Cypriani, per Pontium eius Diaconum edita. Vbi Galerius Proconsul, captum Cyprianum interrogans, dixit: Tu es, quem Christiani Papam suum nominant? Sanctus Dei respondit: Ego. Et sic etiam in ipso glorioso martyrio hanc appellationem fassus est, & approbauit: id quod nunquam fecisset, nisi vera fuisset, vtpote pro veritate moriens.

Quin etiam Clodouæus, siue (vt beatus Rhenanus mauult) Ludouicus, primus Francorum Rex Christianus, Simplicem Episcopum Papam vocabat, vt apud Gregorium Turonensem historiarum libro 2. capite 27. Vide Carolum Molinæum de abusibus Romanæ curiæ.

Vocem Papæ alii compositam esse putant ex his notis, Pa: Pa: quæ antiquis significabant Pater patriæ: qui titulus Romanis Imperatoribus tribui solitus est. Ioann. Corasius.

Constat, Papæ vocabulum à nullo Episcoporum Romanorum vsurpatum fuisse, vsque ad annum Christi 600. A tempore siquidem Petri vsque ad Syluestrum, Episcopi: inde, scilicet ab anno Domini 320. vsque ad annum 520. Archiepiscopi: postea verò sub Iustino Cæsare, & Hormisda Pontifice, Patriarchæ dicti fuerunt: post quod, nomen Papæ assumserunt. Neque tamen ob id, vt existimo, quòd nomen Papæ non fuit, ideò dignitatem fuisse, quispiam negabit.

Siue enim Papa à nomine Pappos, quod auum significat: siue à Pappo, carduorum flore: siue à Scythico Ioue Pappæo deriuetur, ratio tamen Etymologiæ dignitati pontificali quadrat. Si verò Papa à papillis, delicatissima & nobilissima corporis parte, dicitur, vt Gomesius sentit, dubitarem quodammodo, an Papalis dignitas ante Ioannem octauum fuisset, vtpote, qui solus officio Papæ, sexu fœmina, papillas delicatissimas habuit? Simon Schardius.

Papa dicitur quasi admirabilis, à vocabulo Papæ, quod est admirantis. Ab aliis dicitur Papa quasi Pater pauperum. Albertus Trotius de perfect. cler.

Notat etiam Curio in Chronicis, Gregorium 3. fuisse Syrum, & Syriaca lingua Papam, id est, Patrem, nominatum fuisse. Item, Iacobus Fontanus libro secundo de bello Rhodio, Turcas suum Deum Babam appellare, dicit. Hæc de nomine Papæ: sed de Ipsa persona vide sequentia.

Sicut in ipsa Ecclesia triumphante præest vnus, cui obediunt omnia & parent, qui est vnicus Princeps supremus, vt est ipse Deus: ita in ista Ecclesia inferiori militante est vnus supremus, cui omnia obediunt, id est, ipse Papa facit vnum tribunal cum Iesu Christo. Et paulò pòst: Vnica est Ecclesia catholica, & vnum caput: & si aliter diceremus, offenderetur ille articulus: credo vnam sanctam Ecclesiam catholicam. Ex consilio quod incipit: Diuo ordini Fratrum Minorum, &c.

Deus omnia subiecit sub pedibus Papæ, secundum illud propheticum: omnia subiecisti sub pedibus eius, minuisti eum paulò minùs ab Angelis, &c. Psal. 8.

Cardinalis (multò magis Papa) potest furem obuium à patibulo eripere. De præstantia Cardinalium.

Papa potest inuitum absoluere. Papa potest quadrata rotundis æquare. Sua sanctitas est domina totius orbis. Consi. 1. col. 19. vol. 1.

Factum ab eius (Papæ) sanctitate, à Deo reputatur factum. c. quanto. de translatione prælatorum. Consi. 1. col. 13. vol. 3.

Papa supremus Dei vicarius est, & qui aliter dicit, mentitur. Baldus, & Andreas Barbatius I.C. Siculus, de officio prætoris.

Appellans ad futurum concilium à Papa, iam excommunicatus est, læsæ maiestatis, & hæreseos criminis reus: & ex patre diabolo, & Gregorio de Heimburg similis est. Æneas Syluius, Papa Pius II. lib. 1. Epist.

Papa habet plumbeos pedes, & quasi immobiles, dans cuncta moueri. Ægidius Bellamere.

Imperator quod habet, totum habet à Papa. Sicut Zacharias ad Teutonicos transtulit imperium à Græcis: ita Papa potest ab Alemannis transferre ad Græcos. Nam in potestate Papæ est, vt det illud, cui vult: propterea constitutus à Deo super gentes, & regna, vt destruat & euellat, ædificet & plantet. Papa Adrianus 4. in epistola.

Qui à Romana Ecclesia recedit, saluari non potest. Adrianus in epistola ad Hispan.

Sedes Romana veritatis voce primatum obtinuit, nec prima diceretur, si aliam super se haberet. Quæ etiam caput est omnium Ecclesiarum, à quo omnes sumserunt originem. Primatum enim non synodialibus, aut aliquibus commentis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & reliqua talia, & his similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obuiauerit præceptionibus, non exeat impunitus, sed status sui periculo subiacebit.

Romana Ecclesia aliarum omnium caput est, & qui se ab hac abscindit, ille fit extorris à Christiana religione.

Generali decreto statuimus, vt execrandum anathema sit, & velut præuaricator fidei catholicæ semper apud Deum reus existat, quicunque Regum, vel Principum, vel Episcoporum, seu Potentum, deinceps Romanorum Pontificum decretorum censuram in quoquam crediderit, aut permiserit violandam. Adrianus tom. 2. concil.

Papa dispensare potest, vt periurus à testimonio non repellatur. Albericus de Malet.

Violenter multa Romæ exiguntur ab officiariis. Alanus excusat hoc, quòd non habent salarium à Papa. Gofredus aliter defendit, quòd fit ideò, quia Simonia non habeat locum in curia Romana: similiter nec lex Iulia de ambitu. Hostiensis putat, autoritatem superioris, & scientiam Papæ excusare vitium, & quia Princeps solutus est lege.

Papæ attributa est omnis potestas in regno Christi, ligandi & soluendi vbi vult. Papa non potest esse hæreticus, nec deponi vllo casu. Albertus Pighius lib. 4. c. 8. Hierarchiæ Ecclesiasticæ.

Papæ summam tribuunt potestatem in Spiritualibus & temporalibus Ioannes Driedo l. 2. de libertate Christiana, cap. 2. Ioannes de Turrecremata lib. 2. Summæ, cap. 113. & seq. Albertus Pighius lib. 5. Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Thomas VValdensis lib. 2. doct. fid. art. 3. c. 76. & seq. Petrus de Palude in libro de pot. Ecclesiæ. Caietanus in Apolo. c. 13. ad 6. Franciscus Victoria q. 2. de potestate Ecclesiæ. Dominicus à Soto in 4. de 25. q. 2. art. 1. Nicolaus Sanderus lib. 2. c. 4. Visib. Monarch. & alii.

Disputandum non est, quin Papa omnia possit. Alexander Soccinus. Maria.

Solus Papa potest absoluere à iuramento, cùm quis periurium incurrit. Alex. Socc. Cornæus. Curtius senior, Crauetta, &c.

Papæ potestas maior est, quàm sanctorum. Aluarottus in tit. Episcopum vel Abbatem. col. 5. de libellis. 20. dist.

Qui primatum Papæ negat, in Spiritum sanctum peccat, Christum diuidit, & hæreticus est.

Et dixit: data est mihi potestas in cœlo & in terra. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ.

Papæ dispensatio ideò magni ponderis censetur, quòd Deus non permittet, errare Vicarium suum in dispensando.

Per indulgentias à Papa datas etiam inferni pœna remittitur. Angelus de Clauasio in summa Angelica.

Papæ potestas maior est, quàm Moysis: quia Moyses non habuit potestatem nisi super populum Iudaicum: sed Papa habet potestatem super omnes.

Potestas Papæ est indefinita. Andreas ab Exea.

Papa est vertex graduum.

Papa deponit Imperatorem, est enim maior. Antonius Corsetus Siculus.

Papa est maior Paulo, & Petro par in administratione. Solus Petrus visus est per mare ad Christum venire, ideò mysticè designauit, totum orbem futurum sub imperio & dominatu Papæ.

Solus Papa potest rem vni auferre, & dare alteri.

Papa est lumen fidei, & quasi Sol & Splendor veritatis.

Papæ solius est, de matrimonio disponere.

Papa potest vnicuique sua bona auferre, & alicui alii in proprietatem attribuere, prout sibi placuerit. Antonius de Rosellis in tractatu de conciliis.

Papæ potestas est maior Apostolo, & potest dictis Apostoli derogare. Rota, & Antonius Maria.

Papa potest disponere, & ordinare contra Epistolas Pauli. Ex decisionibus Rotæ, Anton. Maria, Carolo Ruino, & Sigismundo Neapolitano.

Papa beneficium alicui auferre potest, etiam sine clausula Non obstante. M. Anton. Cucch. de Morator.

Potestas Papæ maior est quàm Angelorum, quantum ad officii potestatem: quia nulli Angelorum concessit Christus claues ligandi & soluendi, sicut Petro, & successoribus eius: & ideò non minor honor debetur Papæ, quàm Angelis. Vnde Papa recipit à fidelibus adorationes, prostrationes, & oscula pedum, quod non permisit Angelus à Ioanne Euangelista sibi fieri. Antoninus.

Papæ potestas est maior omni alia creatura, post potestatem Christi, aliquo modo extendens se ad cœlestia, terrestria, & infernalia: vt de eo possit illud verificari dictum de Christo Psal. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, & pecora campi, & volatilia cœli, & pisces maris. Et aptè: quia ipse est vicarius Christi. Quoad terrestria, dicit Oues, id est, Christianos: Boues, id est, Iudæos, & hæreticos: Pecora campi, id est, paganos. Quod ad cœlestia, dicit: Volucres cœli, id est, Angelos bonos & malos, quia in multis est maior illis. Quoad infernalia, dicit: Pisces maris, id est, eos, qui sunt in purgatorio, ad subueniendum illis per indulgentias. Anton. par. 3. tit. 22. c. 5. § 1.

Papa formam Sacramentorum ab Apostolis traditam potest immutare. Archidiaconus.

Papa potest reuocare beneficium, non tamen est honestum, vt id faciat.

Quòd dicit, FIAT, gratia perfecta est. Ascanius Clemens à Mer.

Sicut Iudæi suo Sacerdoti Leuitici generis obedire tenebantur, sic oues Christianæ Papæ locum tenenti Christi.

Papa habet omnem, Regalem, Imperialem, & Sacerdotalem potestatem in toto mundo, quia consecratur quemadmodum Sacerdos, & coronatur vt Rex, & festum coronationis nunciat omnibus regibus, tanquam suis Vasallis, suæq; iudiciariæ potestati subiectis, vt etiam possit eos instituere, & destituere: in quibus comprehendit etiam Regem Franciæ, Reges Turcarum, Paganorum, & omnium infidelium. Christus enim per suam passionem meruit iudiciariam potestatem super omnem creaturam, & illam dedit, & reliquit Papæ, qui habet claues vtriusque potestatis, etiam temporalis & æternæ, etiam super paganos in toto orbe: & ab omni Rege vel Imperatore, imò à quocunque homine per totum orbem potest ad eum appellari: & contrarium sentientes hæretici sunt.

Vtcunque Imperatores sint electi ante hæc tempora: tamen nulli dubium esse debet, quin summus Pontifex, quem Constantinus Vicarium Dei filii firmiter confessus est, Imperatorem possit eligere, quemcunque, & vndecunque sibi placet. Augustinus de Ancona.

Etsi contingat, aliquos assumi ad Pontifices, qui sint mali homines, & mali Prælati: tamen eorum potestas est à Deo, & boni per eum saluantur, & mali damnantur.

Nulli Angelo commissa est iurisdictio, & cura totius orbis: sed Papæ totius mundi iurisdictio, & cura commissa est: quia super cœlum & terram iurisdictionem accepit.

Mouent etiam quæstiones: vtrùm Papæ debeatur honor, qui debetur Christo? Vtrùm Papæ debeatur honor, qui debetur Sanctis, & Angelis? Quomodo ad Papam spectet determinare, quæ pertinent ad naturam humanam à Dei filio assumtam? Idem.

Vt Christi potestas est æterna, Dan. 7. sic similiter & potestas Papæ est æterna.

Potestas Papæ est potestas à Christo collata: dubitare ergò de potestate Papæ, est dubitare de potestate Christi.

Papa pro crimine quantumcunque notorio deponendus non est, quia talis dispositio redundaret in malum totius Ecclesiæ: quia maneret acephala.

Sententia Dei, & sententia Papæ vna sententia est, & ideò nullus potest appellare à Papa ad Deum: sicut nullus potest intrare ad Consistorium Dei, nisi mediante Papa, qui est æternæ vitæ clauiger & ostiarius. Et sicut nullus potest appellare à seipsum, sic nullus potest appellare à Papa ad Deum, quia vna sententia est, & vna curia Dei & Papæ. Idem August. de Ancona.

Gerit summus Pontifex in Ecclesia vicem illius Prophetæ, de quo dicitur Deut. 18. Prophetam suscitabo vobis de fratribus vestris: quicunque non audierit prophetam illum, ego vltor ad

pœnam

pœnam illam, æternam & temporalem sibi infligendo, vt glossa dicit. Ex quo verbo habetur, quòd impingentes in summum Pontificem, & resistentes sibi grandi pœna puniendi sunt. Significatur enim summus Pontifex per montem Synai, de quo dicitur Exod. 19. quòd die tertio descendit Dominus coram omni plebe super montem Synai, dicens filiis Israel, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines eius. Omnis enim, qui tetigerit montem, morietur.

Significatur etiam summus Pontifex per talem montem ratione eius generalitatis: quia sicut mediante tali monte descendit Deus coram toto populo Iudæorum, sic Christus mediante potestate summi Pontificis, in lege noua descendit super toto populo Christianorum. Et ratione sublimitatis: quia sicut ille mons sublimior erat omni alio, sic Papa sublimior est omni alio Prælato. Et ratione legalis authoritatis: quia, sicut de illo monte data est lex, sic de ipso Papa omnes leges & omnia iura exquirenda sunt. Omnis ergò qui hunc montem temerario ausu tangit, impugnando, vel sibi non obediendo, mori debet non quacunque morte: quia manus sic morientem non debent tangere: sed lapidibus est opprimendus, & iaculis confodiendus, in detestationē talis peccati: vt dicitur in eodem libro. Augustinus de Ancona in summo tractatu de potestate Ecclesiastica.

Papa potest in terris, quod Deus in cœlis.

Papæ nullus est par, nisi Deus. Augustinus Berorius in rubr. de offic. de legen. 10.

Adorauit Papam Constantinus vt Deum. Et Demetrius Croatiæ atque Dalmatiæ Rex ad Gregorium septimum dixit: Tibi deuoueo & polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reuerenda iniungit sanctitas. Item: audis, summum Pontificem à Constantino Deum appellatum, & habitum pro Deo: hoc autem factum est, cùm eum præclaro illo edicto decorauit, adorauit vti Deum, vti Christi & Petri successorem, diuinos honores ei, quoad potuit, contulit, & veluti viuam Christi imaginem veneratus est.

Omnes Reges sunt Vasalli Papæ. Augustinus Steuchus in donatione Constantini.

Papa in terris est, vt Deus in cœlis. Auth. de instrm. can. & fide in prin. § illud. & Bald. de pace Const. in pr.

Pontifex Romanus in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.

Pontifex Romanus non potest vllo modo iudicari in terris, neque ab vllo priuato, neque ab vllo Principe Christiano, siue seculari siue Ecclesiastico: neq; ab omnibus simul in concilio congregatis, quippe qui ita omnibus est prælatus, vt nemini sit subiectus.

Pontifex Romanus summus est iudex, in controuersiis fidei & morum diiudicandis. Robertus Bellarminus lib. 4. de Pontif. sum. c. 1.

Papæ potestas est suprema, in qua non habet parem.

Papa est omnium princeps, & Rex Regum, & causa omnium in Ecclesia militantium.

Papa est omnia, & super omnia.

Papa est viuus fons iustitiæ, fugans tenebras sicut ventus. Baldus & Curtius.

Papa facit opera soli Deo debita. Baldus in l. vlt. c. sent. rescind. Decret in c. 1. de const. Felinus in c. Ego N.

Papa est causa causarum, inde non est de potestate eius requirendum, cùm primæ causæ nulla sit causa. Baldus, & Fel.

Papa est quoddam numen, & visibilis quidam Deus: & quæuis facit, non tanquam homo, sed tanquam Deus facit.

Vt breuibus omnia comprehendamus, habet Pontifex Romanus liberrimam, immensam, infinitam, & perfectissimam in omnibus causis & negotiis, ciuilibus & spiritualibus, potestatem, pro arbitrio dispensandi, absoluendi, indulgendi, commutandi, laxandi, restringendi, confirmandi, declarandi, derogandi, reprauandi, & quid non?

Nemo audet dicere Deo, quare huic parcis? dicit ibi glossa, idem esse & de Papa. Bald. in prælud. feud. § aliqua. C. quamuis de pœnitentia. dist. 3.

Papa solus iudicat, vt Deus. l. sancimus. C. de iudiciis.

Habet Papa cœlestis & terrestris potestatis monarchiam.

Omnis creatura, de necessitate salutis, subest Papæ Romano.

Maior est Papæ, quàm omnium sanctorum potestas.

Tantò maior Imperatore est Papa, ipsomet teste, quantò Sol Luna maior est. Bald. de Maiorit. c. solitæ.

Suprema potestas Pontificis est à solo Deo, nec ab homine potest iudicari, testante Apostolo: Spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur. Extrauagant.

Romanus Pontifex iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere. Bonifacius 8. lib. 1. tit. 2. de const. c. 1.

Non obediens Papæ est morte mulctandus.

Papæ debentur decimæ ab omnibus Parochiis, quoniam pro omnibus laborat: vnde ab omnibus sustentari debet.

Papa potest solus in totum tollere pœnam temporalem, in quam commutata sit æterna per confessionem, & pœnitentiæ iniunctionem: licet secus sit in inferiore.

Papæ absolutè est credendum. Bonifacius de Vitulinis, & Marcus Mantua.

Honorandi sunt Papæ, etiamsi sint mali, & præferendi omnibus Regibus, Imperatoribus, immò Angelis, & virgini etiam Mariæ: quod mirum videtur, cùm hæc à Sacerdotibus pro auxilio adoretur. Bernard. de Bustis.

Omnes Principes orbis terrarum Pontificem, vt Deum summum, adorant & colunt. Blondus.

Quod si quis, diabolico instinctu pulsatus, crudeli temeritate non perhorruerit, & citiùs emendare neglexerit: huiusmodi hominem, quicunque sit, de communione sacrosancti sanguinis & corporis Domini nostri Iesu Christi, à participio totius Christianitatis, non solùm excludimus, sed etiam propulsamus. Quin etiam Apostolici anathematis acutissima lancea eum transuerberamus: vt pro maledictis malè perditus, mortem gemat æternam, associatus in Gehenna inferiori dæmonum principi, mortis inuentori, & etiam Iudæ sacrilego & proditori, vndiq; circumcinctus Draconibus tartareis in vltionem seruientibus, nec in vltimo tremendi Dei iudicio ad vitam resurgat, infelicissimo & miserrimo viuendi genere mortem quærens, & non inueniens. Bambergense Chronicon.

Papa potest citare, quem & vbi vult: Dominus enim est ipse vbiq; terrarum: Bartolus.

Papa est Dominus omnium. Bartol. à Chassanæo.

Papa dispensare potuit cum Rege Angliæ, vt vxorem defuncti fratris duceret.

Amicis tantùm (vt S. Pontificibus) Deus sua arcana reuelat. Bartol. de Spina de potestate Papæ.

Papa est loco Petri, Episcopi verò loco Apostolorum. Bermon Choues de public. concub.

Papa est supra omne concilium.

Papa in terris potestatis plenitudinem habet.

Vbique pallio vtitur Papa, in signum plenitudinis potestatis.

Papæ nemo potest contradicere, cur ita facis?

Papa legibus solutus est.

Papæ iura cœlestis & terreni Imperii commissa sunt.

Papa confirmat, consecrat, & coronat Imperatorem, & deponit. Bonaguidas de Aretio in tractatu de dispensationibus.

Papa potest contra Epistolas diui Pauli statuere. Carolus R.

Iura Papatus, vt diuina, immutabilia sunt. Carolus Molinæus.

Roma effusione sanguinis Petri, qui fuit Vicarius Christi primus, facta est altera Ierusalem, adeò, vt per talem effusionem voluntas Dei fuerit, vt ille locus confirmaretur & consecraretur pro Ecclesia sua sancta, quæ esset caput, & domina omnium Ecclesiarum. Car. in Cle. 1. de prob.

Papæ sacrosancta autoritas iustum facit, quod per se tale non est. Carolus Sigonius lib. 3. de regno Italiæ.

Papa sibi ipse iudex esse debet. lib. 4.

Aduersus M. Pontificem neque Episcopi, neq; Archiepiscopi recipienda est delatio. lib. 9.

Hæreticus est, quicunque dixerit, Papam indulgentias dare non posse. Carerius.

Papæ potestas ad omne bonum extenditur, ad nullum verò malum. Cappronus.

Papæ detrahentes sunt infames, & maximè peccant. Casparus de Perusio de reseruatione beneficiorum.

Papa est caput totius orbis.

Magis est obediendum Papæ in administratione, quàm cuiquam Apostolo resurgenti.

Papa non ab Apostolis, sed à Christo primatum accepit.

Licet Papa faciat, quòd malus videatur, iniustum tamen nihilominùs est iustum.

Leges Papæ sunt obseruandæ, sicut leges Dei.

Basiliensis synodus fuit Synagoga Sathanæ, quam possidet Princeps tenebrarum. Cataldinus de bonis compaignis.

Priuilegia sua sequentibus verbis soliti sunt corroborare Papæ: si quis (quod absit) ea, quæ à nobis statuta sunt, nefario ausu corrumpere, violare, aut refragari præsumserit, nisi resipuerit, sciat, se anathematis vinculo innodatum, & à Regno Dei alienatum, & cum Diabolo ac eiusdem pompis, & Iuda Iesu Christi Domini nostri traditore, æterno supplicio, æternæque maledictioni deputandum. Hæc extant passim in Chronicis.

Papa sancto Petro contrariis moribus viuens, nihilominùs est verus Pontifex. Concil. Constant. contra Ioannem Huss.

Generale concilium tunc Canonicum & legitimum reputatur, cùm à Romano Canonico Pontifice indicitur, vel quod ob schismatis sæuientis procellas catholica Ecclesia sibi ipsi indicit. Canonistæ.

Neq; concilium aliquod susceptum legimus, quod Apostolica B. Petri sedes non probauerit, illique vel per suum Antistitem Romanum Pontificem, vel per eius legatos, non præfuerit.

Papa nulli omninò mortalium reuerentiam facit, sed Imperatori aliquantulum ad osculum pedis assurgit.

Omnes mortales, cuiuscunque sunt dignitatis & præeminentiæ, cùm primùm in conspectum Pontificis adueniunt, distantibus spaciis ter debent ante illum genu flectere, & eius pedes osculari.

Papa est cœlestis aulæ clauigerus, & ianitor.

Papa potest creare nouos Duces, & milites auratos.

In publicatione Electionis (præcedentia & sequentia ex Canonistis, libro Ceremoniarum, pontificali, & Chronicis, sunt desumta) proclamari solet & debet: Annuncio vobis gaudium magnum, Papam habemus.

Papa in Dominica Lætare benedicit Rosam auream, & illam post missarum solennia alicui magno Principi, si quis præsens sit in curia, dono dat. Si autem non sit in curia Princeps tanto munere dignus, mittitur extra ad aliquem Regem vel Principem, prout placuerit sanctissimo domino nostro, cum consilio sacri collegii. Consueuit enim summus Pontifex, ante vel post Missam conuocare Cardinales ad circulum in camera sua, vel vbi ipsi placeat, & cum eis deliberare, cui danda dono, vel mittenda sit rosa.

Papa in nocte Natiuitatis Domini variis cum solennitatibus benedicit Ensem, quem largitur alicui Principi, in signum infinitæ potentiæ Pontifici, eius in terris vicario, collatæ, iuxta illud: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Et alibi: dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.

Papæ iter facienti semper præferenda est crux, per Subdiaconum Apostolicum, & post crucem corpus Domini, super equo albo, cum campanella, quem equum præcedat clericus Capellæ, cum face vel Lucerna ardente, & post eum sacrista cum ferula: & isti semper inter Papam & crucem intercedunt.

Cùm Papa per scalam ascendit equum, tunc Imperator stapham equi Papalis tenere debet, & deinde ducere equum per frenum aliquantulum. Si placeat Pontifici, vt non equo, sed sella vehatur potiùs, tunc Imperator, vel Rex debet ipsam sellam cum Pontifice humeris suis portare.

Parabitur pro Papa aula conuiuii auleis, & pannis sericeis, aureisque pro tempore & loci conditione. In capite aulæ erit suggestus, ad quem triplici gradu ascendetur, longus pro latitudine aulæ: in medio surget quadratus thalamus palmi altitudine, super quo mensa paratur Pontificis: apud parietem erit sedes Papalis, ad quam paruo, & deinde magno scabello ascendetur: ornabiturque sedes cum panno aureo, pendente supra caput: mensa erit alta ad iustam proportionem sedentis. A sinistra super suggestum parabitur alia mensa, pro credentia Papæ, cum vasis aureis & argenteis, vino & aqua, & aliis consuetis. Credentiam appellant mensam, supra quam vasa argentea, siue aurea, ad conuiuium opportuna, præparantur.

Si huic conuiuio interesset Imperator, paratur pro eo sedes ad dextram Pontificis, & mensa super plano suggestus, super quam solus comedet Imperator. Sedes habebit scabellum paruum viride, & erit ornata panno aureo: non habebit pendentem supra caput: similiter parabitur pro eo credentia iuxta credentiam Papæ à sinistris, & ibi erunt familiares Imperatoris pro seruitio.

Si verò adesset Rex aliquis, paratur credentia pro eo paulò remotior ab ea, sedes verò nulla paratur: quia sedet in mensa post primum Episcopum Cardinalem.

In exequiis Papæ, in prima die pro anima eius legi debent ducentæ, & nouem diebus sequentibus quotidie centum Missæ. Ex libris Ceremoniarum Romanæ curiæ.

Papa est fundamentum fidei, vt canones tradunt.

In quolibet Papa residet plenitudo potestatis, non solùm super quolibet membro singulari Ecclesiæ, sed & super tota Ecclesia conciliariter congregata, ad libitum ipsius disponendi, decretandi, dissoluendi, transferendi, congregandi, autorisandi, vt nullius ei audeat dicere, cur ita facis?

Papæ concessa est tota machina Spiritualis, & thesaurus omnis dignitatis est in eo, ita vt nulla sit dignitas, Spiritualis vel Ecclesiastica, cui non præsideat ipse.

Papæ tradita est omnis potestas in cœlo & in terra, secundum illud Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt a Patre.

Papa est iudex super Angelos constitutus, secundum illud 1. Cor. 12. nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?

A Papa ne ad Deum quidem appellari potest: quia est Christus Domini.

Sic sonant verba, quibus compellant Papam Pontificii: Tu es Sacerdos, & magnus, & Pontifex summus. Tu es princeps Episcoporum, & hæres Apostolorum, in primatu Abel: gubernatu arca Noæ: patriarchatu Abraham: ordine Melchisedech: dignitate Aaron: autoritate Moyses, iudicatu Samuel: zelo Helias: mansuetudine Dauid: potestate Petrus: vnctione Christus. Canonistæ.

Imperator tenetur Pontifici præstare iuramentum fidelitatis, & obedientiæ: cuius tenor ponitur in Clementina. vnica, & iureiur. versic. Postquàm. &c. in § cæterùm.

Voluntas Papæ habetur pro iure, vnde sola voluntate tacita vel expressa tollit ius. In Clem. quoniam immunitas Eccles. de conces. prælati.

Papa potest ex sola voluntate, absque causæ probatione, dispensare. c. proposuit de concess. præbendæ. Et quidem contra Canones Apostolorum. c. Presbyter. dist. 83.

Quod facit Papa, Deus ipse facere videtur. C. inter corporalia, cum duobus sequ. de transl. Episcop.

Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, sedes beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi: vtpote quæ de omni Ecclesia fas habet iudicandi.

Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Ecclesia Romana fas de omnibus habet iudicandi: neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est: ab illa autem nemo est appellare permissus.

Sed nec illa præterimus, quòd Apostolica sedes, sine vlla synodo præcedente, & soluendi, quos synodus iniquè damnauerat, & damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuit facultatem: & hoc nimirùm pro suo principatu, quoniam beatus Petrus Apostolus Domini vocem & tenuit semper, & tenebit. C. cuncta per mundum. 9. q. 3. cap. seq.

Imperator Papæ Vasallus est, & tenet Imperium ab eo feudi nomine. Et Papa, vacante Imperio, Imperator est. c. tibi domino. dist. 63.

Papa potest de iniustitia facere iustitiam. c. debitus de Appell. & ibi Dd.

Factum à Papa reputari debet factum à Deo. c. 4. de transl.

Papa habet cæleste arbitrium. in decreto lib. 1. tit. 7. c. 3.

Romanus Pontifex, quia Deus, non potest à quoquam iudicari. Sed videant, ne, dum humana superbia sursum efferuntur, iterum vt lucifer in infernum demergantur. Distinct. 96.

Quod fit autoritate Papæ, fit autoritate Dei. distinct. 24.

Hic aptè quædam recitari possunt, quæ ab Æliano de Anaxarcho & Demade scribuntur. Anaxarchus enim maximè ridebat Alexandrum, quòd se Deum faceret. Et cùm aliquando in morbum ille Deus Alexander incidisset, & ei medicus sorbitionem mandaret fieri, ridens Anaxarchus, inquit: At nostro Deo spes omnis in sorbillatione patellæ posita est. Et cùm Demades, conuocata concione, decreto iussisset, vt Alexander Deus scriberetur, populus impietatis magnitudinem non ferendam ducens, Demadi irrogauit mulctam centum talentorum, quòd Alexandrum mortalem & hominem ascripsisset Olympicis.

Quid verò hodie Papa Vicarius Christi? Is certè neminem, qui Deum ipsum facit, mulctat: sed Episcopatu donat, vt exemplis multis constat.

Quid ergò? De eo statuamus, quod Lacedæmonii de Alexandro. Cùm enim, deuicto Dario & Persarum Regno, Græcis mandaret, vt se Deum facerent, decretum eiusmodi fecerunt: Quoniam Alexander Deus esse vult: esto Deus.

Sic Olympias mater de filio Alexandro, O fili, inquit, tu cùm in Diuorum numerum referri volueris, nunc illud, quod cæteri omnes mortales, nimirùm terram & sepulturam, habere non potes, & sic infortunium suum luxit, & simul etiam filii fastum & immanem superbiam taxauit. Hæc Ælianus.

Qui Romanæ Ecclesiæ, vel Papæ iurisdictionem, vel primatum subtrahit, vel denegat, hæreticus est censendus. 3. q. 6. dudum. 22. dist. 2. cum seq.

Imperator filius est Ecclesiæ, non præsul. 96. dist. si Imp.

Caput habet submittere Ecclesiæ, non præesse. 63. d. Valentinianus. Ex. de iudiciis.

Imperator est Ecclesiæ seruus, non Dominus. 24. d. 8.

Autoritas & dignitas Papæ excedit Imperialem. c. duo sunt. 96. d.

Quis enim Papam sanctum non dubitat, quem apex tantæ dignitatis extollit? 40. dist. non nos. Quia alios sanctificat, & canonizat.

Papa est successor Moysis, & supra Imperatorem. de Maiest. & ob. solitæ. 24. dist. 2. q. 3. Et ideo Imperatorem confirmat, consecrat, coronat, & deponit. de Elect. Venerab. 15. q. 6. alius.

Si Papa etiam suæ & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quòd magis officit sibi & omnibus, nihilominùs innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos: huius culpas isthic redarguere præsumat mortalium nemo, quia ipse cunctos iudicaturus à nemine iudicetur.

Non ponamus os in cœlum, qui transimus super terram, nec loquamur contra talis principis serenitatem, quia sanctus est. dist 40.

Papa tenet principatum tam in temporalibus, quàm spiritualibus: habet vtriusque gladii potestatem, plenitudinem potestatis: omnia iudicaturus à nemine iudicatur, nec ab Augusto, neque Rege, neque populo: in his, quæ vult, est pro ratione voluntas, mutat pro arbitrio: quoniam ipse Deus mutauit in nouo Testamento, quod concesserat in veteri. Hæc leguntur in libro, cui titulus est: Quadriuium Ecclesiæ. Glossa in proœm. Clem. & glossa supra Extrauag. Ioa. 22. ad cand. tit. 14.

Papa est ordinarius omnium ordinariorum totius mundi, vt glossa dicit, & Ioannes Staphylus.

Papa non potest facere, quàm diu est Papa, vt non sit iudex omnium solus, nec potest à se abiicere suam potestatem & iurisdictionem. Glossa.

Constantinus Papæ non donationem, sed restitutionem fecit, cùm Papa Christi vices gerat, cuius est terra & plenitudo eius, & cui data est omnis potestas in cœlo & in terra. Glossa. Ioannes de Lignano.

Papa super omnia concilia potestatem habet. Glossa, & Geminianus.

Papa in tantum est honorandus, vt debeat osculari in pede. Glossa & Ioannes de Platea l. 1. c. domest. lib. 12.

Anno

Papæ est Roma, non Imperatoris. Gl. in can. igitur. 23. q. 8.

Papa est ens secundæ intentionis, compositum ex Deo & homine. Glossa in præfat. Clementina.

Quod dicitur de summa potestate Papæ, intelligendum est de claue discretionis præcedente. Glossa sol. in c. quanto de iureiur. c. non est de voto. c. manet. 24. q. 3.

Qui Papam vnum caput Ecclesiæ non agnoscit, errat cum Manichæis duo principia statuentibus, quia scriptum est: In principio creauit Deus, non in principijs.

Imperator præstat Papæ iuramentum fidelitatis, quod vasalli, feudo accepto, præstant.

Ius eligendi Imperatoris à Papa Electoribus datum est. c. de iureiur. in clem. c. venerabilem. Ex. de Elect. c. 2. de iud. in 6. c. 1. Extra. de sede vacante.

Papa totius orbis tenet principatum: & in hac parte Papa non est homo, sed Dei vicarius. c. periculoso. de statu regularium in Sex. Extravag. Ioan. 22.

Creditum est, Imperij arbitrium Apostolicæ sedis esse, cùm antea è cœlo dari crederetur. Cuspinianus.

Papa potest Angelis mandare, vt vniuersum purgatorium expurgent. Erasmus in 1. Epistola ad Timoth. cap. 1. Qui enim potest angelis mandare, ille habet Imperium in cælo, & qui potest animas è purgatorio educere, ille habet imperium in purgatorio.

Leguntur epistolæ Francisci & Bartholomæi, Regum Iaponensium, ad Gregorium 13. ita inscriptæ, & aliquot linguis publicatæ: Ad SS. patrem, & qui omni cultu adoretur, dignißimum, D. N. Gregorium: quam blasphemiam non est auersatus ille Pontifex.

Archiepiscopus Pisanus in Gallia affirmauit, tributa esse soluenda Pontifici de iure Canonico, ciuili, & naturali: & qui hoc non facerent, non esse Christianos. Enguerr. de Monstr.

Triplex corona Papæ denotat triplicem potestatem: super Angelos in cœlis, super homines in terris, & super diabolos in inferno.

Papa vnus tantùm esse debet, non duo: duo esse non possunt. 7. q. 1. can. non autem. & ibi gl.

Papa non tenetur, se purgare de aliqua infamia, à quibuscunque exorta, bonis, aut malis, si non vult. 2. q. 5.

Etiamsi iniuriam & iniusticiam facit Papa alicui, non tamen habet iudicem super se. 9. q. 3.

Non est præsumendum, quòd aliter faciat Papa, quàm Christus. 28. q. 1.

Papæ iudicium est infallibile. Ei enim soli concessum est in priuilegium, vt errare non posit. Franciscus Bursatus Conf. 110. n. 10.

Reges omnes Pontificis Romani clientes sunt, atq; vasalli. Et si sint prodigi, aut minùs apti, illis curatores à Pontifice dantur. Bal. c. pastoralis, de rescriptis. L. rescripta, de precib. Imperatori offerendis. Habet enim Pontifex ipso iure in Imperatores iurisdictionem, & cæteris regibus re ipsa imperat. Petrus Belluga, & Olradus.

Et Imperator à Pontifice Romano Imperio spoliatur. Nec dignus est Imperator, quem Romanus Pontifex sua voce non designat. Ibidem.

Pontifex omnes subditos à suorum dominorum iuramento absoluit, & liberos reddit, & solus ac supremus legum arbiter & iudex est. Felinus c. nonnulli, de rescriptis.

Qui à pontifice Maximo legibus diuinis solutus est, huic apud Deum immortalem satis cautum est. Ius can. Innocentius, & Panorm.

Sacrilegium est, de Romano Pontifice vel mutire, nisi in laudem. Legitur in libello F. A. F. Poëtæ Regij de obitu Iulij II. Pontif. Max.

Cùm Papa aliquem suis manibus interficit, solùm in irregularitatem incidit.

Papa est Deus. Felinus, & Ioan. de Capistrano.

Qui à Petro in successore eius, hoc est, Pontifice Romano pasci non vult, non est ouis Christi, ac proinde alienus ab Ecclesia. Franciscus Turrianus libro 1. de Eccl. c. 1.

Papa est supra vniuersalem Ecclesiam. vide Concil. Florent.

Deus Papæ subiecit omnes leges, & ipsius celsitudini nulla lex imponi potest. Fortunius Gratia.

Sanctißimus & beatißimus est Papa in superlatiuo gradu, quia supra se non habet gradum. L. vbi autem. ff. de verbo. ob. Et ita foret sanctior Deo, qui tamen solus dicitur altißimus in Scripturis.

Perpendatur sanctißima potestas Papæ, qua potest & debet, tanquam vnicus Princeps Regum terræ. Felix Malleolus in tractatu de libertate Ecclesiastica.

Papa duos Episcopos coniungit, & vnum diuidit in duos.

Papa potestatem habet, & non alius, Imperatores & principes priuare regnis, subditos à iuramento absoluendi, alios in eorum locum sufficere, gladioque materiali stricto officio suo satisfacere. Franciscus Vargas.

Papæ factum omnem sinistram suspicionem tollit. Franciscus Luca.

Pontifex Maximus est populi Romani vertex. Franciscus Zoanetus.

Papa à nullo dependet: & sicut se habet Sol in planetis, ita se habet Papa in Ecclesijs. Franciscchin. Curt. de feudis.

De Papæ sanctitatis potestate disputare, pœna est sacrilegij.

Papa plenariam habet potestatem, & potest facere, quod sibi vult, aut placet. Guido Pp. conf. 48.

Papa non potest errare. Vnde legitur de Papa Gregorio septimo, quòd aliqui Episcopi volebant eum damnare, vt Magum, & quòd suspectus esset ob nimiam familiaritatem cum domina Mathilda. Sed Episcopi non cogitauerunt, quòd Papa nec Magus esse, nec errare potest, quicquid facit, Nam

licet fuisset cum Mathilda illa aliquid iocatus, fecisset hoc pro curialitate, quia se modicum recreasset in tentationibus suis, vt faciunt alij quoque Ecclesiastici: sed non præsumitur, tantæ celsitudinis apicem posse errare. Busdragus.

Si quis Papam iudicare velit, dices illi: ô tu Ribalde, tu pultrone, tu Matto: quis tu es, vt tu Ecclesiam & Papam iudicare velis? Tace, vel ego faciam tibi ignem ad culum, vt saltes sicut vna pica. Ecclesia est Ecclesia, huic teneris obedire, vel combureris. Gerardus Busdragus Epis. Argolicensis.

Papa est creator beneficiorum, & plenissimam habet potestatem eorum, quæ sunt sub cœlo.

Papa est dominus, & illius stat pro ratione voluntas.

Papa potest aliquem suo iure priuare sine causa.

Papa potest apponere, quam vult, conditionem. Guiliel. Redoa.

Romana Ecclesia non debet habere maculam & rugam: vt nec habet: est mater fidei, & semper mansit immaculata.

Roma vniuersa sibi vendicat.

Papa lupanaria concedit. Guilielmus Durandus.

Papa solus est in Ecclesia cancellarius, sicut Moyses in Synagoga. Guilielmus Benedicti. c. Renutius. Ex. de test. num. 205. fol. 86. num. 1.

Papa est supra iura. Gondisaluus de Villadiego.

Pontifex magister veritatis à Christo est constitutus. Gregorius de Valentia de indulg. c. 7.

Papa quomodocunque peccans, & ob mores perditissimos, ac graue etiam scandalum afferentes, non cadit à pontificia potestate.

Papa in concilio coruscat, vt Sol inter sidera.

Papa solus, sine adiutoribus, ardua expedire potest.

Papa semper mansit immaculatus, quia Christus Domini est.

Romana sedes est similis auro puto, quia quantò magis exagitatur, tantò magis fit illustris.

Papa etiamsi peccet, non cadit à dignitate. Pontificis potestatis amplitudo non admittit restrictionem. Ioann. Hieronym. Albanus de potestate Papæ.

Papæ omnia licent. Hostiensis.

Papæ omnes animæ sunt commissæ. Hugo.

Papa deponere potest Episcopum sine causa.

Papa dispensare potest sine his, quæ sunt de iure positiuo.

Papa est maior autoritate sanctorum. Hier. Gigas.

Papa deponit Imperatorem sine Concilio. Legatus à latere est pars corporis ipsius pontificis, adeoque & propemodum ex ipsius corpore creatus, & vicem gerit Papæ. Hieronymus Manfredus

Vbi Papa est, ibi est communis patria. Roma ibi est, vbi est Papa. Hieron. Zanet.

Papa est typus Christi, non solùm humiliati, sed etiam exaltati. Iesuita Hoffæus.

Hildebrandus in Epistola scribit, se errare non posse: & à Christo ac Petro accepisse potestatem, vt soluat & liget, vtcunque libeat.

Papa etiamsi iniuria vel ipsum Cæsarem afficiat, tamen, se metui oportere, gloriatur. Ioann. Auentinus.

Ioannes Quintinus Heduus Parisinus Aristocratiam scripsit Christianæ Ciuitatis de vtroque gladio, vbi adscribit Papæ, quod vult.

Papa & Ecclesia Romana errare non potest. Ioannes Delphinus de potestate Romani pontificis, Ioannes de Turrecremata, & Ederus.

Ioannes Randeus ponit casus quindecim, in quibus Papa non possit, nec debeat dispensare

Papatus & Imperium fraternizant. Ioannes Leciriet.

Dispensatio à Papa facta valet, quia est Deus in terris. Ioannes Neuizanus I.C. & Cornæus l. 2 conf. 60. Cors. de potestate regia.

Papæ factum pro Dei facto reputatur. Neu. & Decius.

Delinquentes ad Ecclesiã confugientes sunt immunes. Ioan. de Vischis de immunitate Ecclesiæ.

Papa vni soli scribens, in plurali scribit. Ioannes de Gral.

Papa dispensationem sibi reseruat cum hæreticis.

Papa potest dispensare contra vetus Testamentum. Ioannes Franciscus Paui.

Papa est omnium doctissimus. Ioan. Corasius.

Salus & Spiritus sanctus à Papa est post Christum. Ioannes Duns Scotus.

Deus assumsit Petrum in consortium indiuiduæ Trinitatis, atque ab eo, tanquam à capite, dona sua in corpus transfudit: sed quod de Petro dicitur, de omnibus Papis idem est.

Papa à Domino, Imperator à populo autoritatem habet.

Papa appellat Reges Filios charissimos: alios inferiores, Dilectos.

Papa derogare potest constitutioni concilij, etiam non facta mentione concilij.

Papa sententiam Imperatoris reuocat, sed non contrà.

Papa caput est temporale, & mysteriale.

Papa est tanquam columna, & saxum immobile.

Viginti quatuor Pontifices à Dauide constituti sunt.

Papa reuocat gesta Concilij.

Qui non sentit cum Papa, non sentit cum Christo, iuxta illud, qui non est mecum, contra me est. Ioan. à Capistrano.

Anno

Papa etiam contrarijs moribus Petro viuens, non tamen desinit esse verus Pontifex: Petro enim ob eius delictum dignitas non fuit ademta.

Pontificis scelera à nemine iudicantur, sed Deo sunt relinquenda. Ioan. Hier. Albanus.

Papæ iudicium in his, quæ fidei, & ad hominum salutem necessaria sunt, non potest errare. Ioan. de Turre cremata in sum. de Eccl. libro 2. cap. 109. & 110. Ioan. Neuizanus, & Decius.

Si totus mundus sentiret contra Papam, tamen sententiæ Papæ standum est.

Papa potest alicui dare plenariam indulgentiam omnium peccatorum. Ioan de Tur. crem. Et qui hoc negat, est hæreticus. Decius.

Papa est sponsus Vniuersalis Ecclesiæ, & caput totius Ecclesiæ. Ioan. de Tur. crem.

Nec Imperator, nec totus mundus potest Papam iudicare: sed anima sua in manica sua. Ioan. de Anania.

Papa potest cum Turca fœdus inire.

Etiamsi Pontifex vellet primatui renunciare, non tamen posset. Ioann. Lupus Hispanus.

Omnes Reges subsunt Papæ, & si Rex est hæreticus, perdit Regnum, & remanet Ecclesiæ.

Regnum Ierusalem à Papa potuit tribui Carolo. Ioan. Bertachinus de epistolis.

Ecclesiam Romanam, quæ parens (autore Deo) & nutricula fidei & morum est, & non potest ab homine iudicari & argui, cœlesti priuilegio munita, relinquo intactam: qua enim impudentia illicita attentare quis audeat vicarios Christi & Petri? Ioan. Sarisbur. in Polycratico.

Papa tantam habet potestatem, quoad regimen sponsæ suæ, militantis Ecclesiæ, quantam ipse Deus: à lege communi. Vnde Christus & Papa faciunt vnum & idem consistorium, sic quòd, excepto peccato, Papa potest quasi omnia facere, quæ Deus.

Papa fungitur vice Dei, non puri hominis: sicut ergò rectè Christus absque dubio posset cum bigamo dispensare; pariter & Papa. Ioan. Montaigne de Bigamia.

Papa solus articulos fidei soluit, & nemo ab eo appellat.

Papa solus rerum naturam immutat, & de nihilo aliquid facit.

Papa solus supra ius dispensat, & de iusticia iniusticiam facit. Ioan. Franciscus de Paconis, & gl. c. quanto. Extrauag. de transl. prælat.

Tanta est Papæ potestas, vt si possibile foret, angelum de cœlo, aliquid contra fidem dicentem aut sentientem, Papa excommunicare posset. Ioan. Nicol. Arelatanus.

Papa est stupor mundi, quia nec Deus est, nec homo, sed vtrumque. And.

Papa, cùm totius orbis sit dominus, innocens est, & non subiacet stellarum influentijs.

Papæ fatū Dei summi gubernatur iudicio, quod & hunc modernum ad beatum nauiculæ culmen suis optimis meritis euexit, clauemque largitus est, qua fati vim & ordinem dissoluere potest. Causarum enim ipse superiorū connexionē atq; seriem facilè restringere valet. Ioan. Liechtenberg.

Papa legitimè electus dicitur Deus in terris.

Papa remittere potest ad septuagesimam septimam vsque vicem.

Papa nouam dat in Baptismo formam. Can.

Papa maiorem scientiam habet quàm alij, cùm sit præpositus curæ totius Christianitatis.

Papa habet diuinitus potestatem super omnes nationes.

Papa habet iurisdictionem super Iudæos.

Papa potest dispensare cum clerico coniugato, vt possit obtinere beneficium.

Papa mortuum etiam nobilitare potest.

Papa priuilegium Imperatori concessum, de eligendo prælatos, reuocare potest.

Papa legitimat filios illegitimos.

Papa suam ipse interpretatur constitutionem.

Papa statuere potest contra illud, quo dicitur: in ore duorum vel trium est omne verum.

Pontificis caput chrismate vngitur, Cæsaris autem brachium oleo. Ioan. de Selua.

Papa potest vno verbo cassare sententias inferiorum, etiam regulariter latas.

Papa potest priuare vnum Episcopum suo Episcopatu: sed non posset priuare omnes Episcopos.

Papa legi Ecclesiasticæ non subditur. Ioan. Bapt. Caccialus.

Gestorum Papæ ratio quæri non debet: quis enim audet dicere Deo, quare huic parcis? glossa ibi, idem, dicit, de Papa notandum: & Baldus in prælud. feud. § aliqua, & Ioan. Iacobus de Leonardis, & de Pisauro in consil. feudalibus ex c. quamuis de pœnitentia, dist. 3.

Papa postquàm aliquid fecit, non licet de eius potestate disputare. Idem in cons. feud.

Nullum Papam hæreticum fuisse, neque in futurum esse posse, pia & erudita Alberti Pighij & Hosij sententia est.

Papam Petri successorem esse, probatur argumento sumto à Synagoga ad Ecclesiam. Idem probatur, sumta similitudine ab Ecclesia militante ad triumphantem.

Papa solus retinuit nomen Papæ.

Pontificibus & Episcopis necessarius est rerum externarum splendor, & affluentia. Iacob. Simanc. de Cathol. instit. tit. 45. de Papa, num. 28. fol. 178. T. 11. P. 2.

Papa Ecclesiastica, sine discrimine, moderatur. Iacob. à Cani.

Mulier, quæ commisit adulterium cum Papa, accusari potest, licet Papa accusari non possit.

Quia sacrilegij instar esset, disputare de facto Papæ, cuius facinora excusantur, vt homicidia Samsonis, furta Hebræorum, & adulterium. Iacob. Nicolaus Boërius I. C. decis. 72. Apponens manum ad aliquod negotium, ita dicitur illud ad se auocare, quòd gesta per alium sunt nulla.

Papa comparatur Cardinali, tanquam cœlum ad terram.

Papa ex necessitate habet assistentes, sed non tenetur ex necessitate, eorum sequi concilia: quemadmodum nec Petrus Apostolus.

Papa maior est in Ecclesia, & non maior Ecclesia.

Papa est sponsus Ecclesiæ.

Papa nullo casu reperitur damnari posse.

Papa gerit vices Dei super angelos bonos & malos: & est maior illis iurisdictione, Sacramentorum administratione, cognitione, & præmio.

Papa habet potestatem congregandi concilium, etiam contra se: & requiritur eius authoritas, etiamsi necessariò congregetur ad corrigendos eius excessus.

Præsente Papa, si vota in duas partes sint diuisa, tum præualet ea sententia, cui Papa adhæret, etsi sit minor pars.

Papa interdum interpretatiuè, interdum limitatiuè, interdum dispensatiuè, interdum penitus tollendo constitutiones conciliares, procedere potest.

Papa ita gubernat Ecclesiam, sicut vir bona vxoris.

Caput Ecclesiæ, propter malos suos mores, non fit membrum putidum.

Papa non vtitur baculo, sicut alij Episcopi, quia non habet coarctatam potestatem, quæ designatur per curuitatem baculi.

Papa si non obseruat iuramentum, præsumendum est, quòd faciat ex causa rationabili.

Solius Papæ opinio præualet opinioni totius mundi. Card. Iacobat.

Romano Pontifici omnem subesse creaturam, est omninò de necessitate salutis, credere. Innocent. 8. in Extravag.

Altitudo maris, de qua Christus inquit ad Petrũ: duc in altum, est Roma, quæ primatũ & principatum super vniuersum seculum obtinet. Ideo Dominus inquit ad Petrum: duc in altum, quasi dicat: vade Romam cum tuis, & ibi laxate retia ad capturam.

Videtis, quis sit iste seruus, qui super familiam constituitur, profectò vicarius Iesu Christi: successor Petri: Christus Domini: Deus Pharaonis, inter Deum & hominem medius constitutus: citra Deum, sed vltra hominem: minor Deo, sed maior homine, qui de omnibus iudicat, & à nemine iudicatur, ipse Apostoli voce pronuncians, qui me iudicat, Dominus est.

Deus fecit duo Luminaria magna in firmamento cœli: Luminare maius, vt præesset diei: & Luminare minus, vt præesset nocti: vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, Ecclesiæ, fecit Deus duo Luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis autoritas, & Regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, maior est: quæ verò noctibus, id est, carnalibus, est minor: vt, quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.

Sicut aurum excellit plumbum, ita dignitas Papæ excedit Imperialem, & sicut Sol dicitur pater omnium planetarum, & Dominus, ita Papa est pater omnium dignitatum. Innocentius 3. in epist. ad Constant.

Papa potest facere, quòd emtio & venditio non sit peccatum: crediturque, nec sacris ligari Papam legibus. Ex libro de insolentia & erroribus Romanæ curiæ.

Papæ est impossibile mentiri, & Sanctus appellatur.

Papa est omnia, & super omnia: & qui aliter dicit, mentitur.

Papa electus, meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus.

Papa debet osculari in pede: habet enim se, sicut Sol ad planetas.

Papa habet immediatam potestatem à Deo: Imperator verò & Reges à Papa.

Ex Petro in Romanos Episcopos permanauit autoritas, qua & Imperio permulti abire iussi,
coactique sunt, & alij regium diadema, & potestas concessa. Regia enim insignia, quæ βασιλικὰ
σύμβολα siue χρήματα Καίσαρος appellantur, purpura, sceptrum, diadema, & alij regij honores,
qui more maiorum Imperatoribus competunt, ab ipsis summis sacerdotibus discernuntur, hac conditione, vt ex eorum suffragijs dentur vel detrahantur Imperia, remoueantur Iura, si ad qualdam
pactiones Reges non accedant. vel ad eas seruandas adduci non possint: ita enim Imperium deponere, insignia abdicare compelluntur. Hæc Iosephus Stephanus Valentinus (de quo infrà) in libro, quem scripsit de osculatione pedum Pontificis, Gregorio 13. Papæ dedicato, à quo & in præmium dono accepit Canonicatum & præfecturam Ecclesiæ Segobricensis: & meritò Papæ pedes
esse osculandos, inter alia dicit, quia Christi loco in terris præpositus sit, eius personã sustineat, potestas summa remittendi peccata ei fuerit commissa, & tandem moderandi & regendi vniuersalem
Ecclesiam quasi quædam habenæ traditæ, quibus ius dicere, sententiam ferre, ligare, soluere in terra
& in cœlis possit. Et paulò pòst ait, Eleuationem & portationem Romani Pontificis fieri idcircò,
vt populum, ouesque Christi sibi creditas circumspicere possit, eisque fausta precatione benedicere:
& populus rursum illum sublimi loco residentem commodè spectare, & ex vultu suum pastorē quiret agnoscere: vt inde protestationem fidei concipiat maximam, quoties aspicit Christi vicarium,
& Petri in eo throno gloriæ successorem.

Papa omnia iura habet in scrinio pectoris sui, etiamsi idiota sit, & immemor etiam sui: vt de Cœlestino Papa ferunt, quòd adeò obliuiosus fuerit, vt ea, quæ manè concesserat vni, serò vel vesperi alijs non concederet. Ludouicus Gomesius, & Zasius.

Patres in Concilio Lateranensi acclamârunt Papæ Iulio: Tu es omnia, & super omnia: omnis potestas tibi data est in cœlo & in terra.

Papa omnium Sacerdotum est Princeps, etiam Imperatoris testimonio.

Perfidiæ locus in Papa nunquam esse potest, ne quidem suspicio.

Summus Pontifex totum orbem habet pro territorio, vt Rex regnum.

Qui negat, Ecclesiam habere vtrumque gladium, est hæreticus.

Qui dicit, Petrum à Christo primatum non accepisse, est ex Diabolo.

Pontificum decreta dictantur à Spiritu sancto, pro bono vniuersali. Lælius Iordanus de Romanæ sedis origine. c. 3.

Pontificibus nullus omninò quæstus est illicitus. Laurentius Puccius Cardinalis.

Habet Pontifex summam potestatem in spiritualibus, & temporalibus: misit enim Christus discipulos suos, vt tollerent asinam & pullū, dicendo, quòd opus his haberet, Marc. 11. Matth. 21. Item legitur, quòd Dominus immiserit diabolos in porcos, qui præcipitauerunt se in mare, non requisitis dominis, Mar. 5. Matth. 8.

Papa est imago Christi, & diuinus Spiritus in corpore illo hospitatur.

Qui Papam non habet pro capite, non habet Christum.

Deo fit reuerentia, quando fit Papæ.

Omnia potest Papa, quæ Deus, excepto peccato.

Papa à Deo potestatem habet, alij prælati ab ipso. Marcus Mantua tom. 13. par. 1.

Non dubium est, Papam semper esse iustum: aut enim sanctus eligitur, aut sanctus efficitur.

Papa semper est iustus, quia est lex in diuinis animata super terris, & ex eo non est dubium, quin sit sanctus.

Papa cognoscit de his, quæ sunt supra rationem.

Papa non potest errare in his, quæ sunt fidei.

Papa est immutabilis. Michaël Vlcurinus de Reg.

Papa electus mutat nomen, & efficitur noua creatura prorsus, ita, quòd, si scriberentur literæ sub nomine baptismali, posset dicere, istæ literæ non diriguntur mihi.

Papa est supremus Vicarius Dei, & qui contrarium dicit, mentitur.

A Papa, licet peccet, non propterea deficit potestas pontificalis.

Papa solam fidem solus semper seruauit, cùm omnes mundi prouinciæ, in quibus Apostoli prædicârunt, à fide defecerint: & cathedram Petri retinuit, multis eam tempestatibus turbantibus. Michaël de Anin.

Si donat regnum Ierusalem Papa, quod tenetur ab infidelibus, alicui Principi Christiano, valet donatio.

Papa non est superillustris, sed supra superillustres. Nam patricius & Consul est superillustris.

Non licet mutare sedem à ciuitate Romana, quia ex Antiochia fuit sedes Romam transmissa ex præcepto Domini. Martinus de Carat.

Vacantibus regnis hodie, ad Papam pertinet collatio, non ad Imperatorem: qui licet dicat se Romanum Imperatorem, tamen Romæ stare non potest, nisi per tres dies, vt ibi per eum coronetur: coronatus remanere ibi ampliùs nequit, nisi per vnum diem. Bartolus de Capua in consilijs, cuius meminit Matth. de Afflicto in c. inuestitura. columu. pen. in f. de no. for. fid.

Diminuta est hodie potestas Imperatorum Alemanniæ à tanto tempore, cuius initij non est memoria. Bald. c. 1. de pace. iuram. fir. l. f. c. locati. de Afflicto in præl. feud. col. 2.

Papa neque Deus neque homo (cùm tamen Petrus, cuius successor esse vult, se hominem profiteatur, Actor. 10.) est. Et alibi: Papa non est purus homo: super quo scribit Nigrinus in libro de reuelatione Antichristi, numero 594. oportet ergò, vt sit diabolus incarnatus, quod etiam est.

Pontifex Romanus est omnium rerum, cœlestium, terrestrium, & subterranearum Dominus: omnesque principes Christiani ab eius nutu pendent: & habet Imperium in Angelos, & Dæmones. Nicolaus Egmondanus Louaniensis.

Potestas imperialis est à Papa: & electus in Romanum Regem ex sola electione nec est, nec dici potest verus Imperator, nec habet potestatem iurisdictionis, antequàm inungatur, consecretur, & coronetur à Papa: & Papa in temporalibus etiam habet plenitudinem potestatis.

In synodo Romæ decretum fuit, vt quoties inter orbis principes alter in alterum deliquerint, correctio ad Pontificem Romanum spectet.

Papa dat & aufert regna, pellit & reducit homines, pro arbitrio animi. Nauclerus vol. 3. gen. 44.

Papa non sine causa gladium portat. Nicol. Moro.

A seculari potestate nec solui prorsus, nec ligari Pontificem, quem constat à pio principe Constantino Deum appellatum, cùm nec Deus posit ab hominibus iudicari, manifestum est. Nicolaus tom. 2. conc. dist. 96.

Anno

Papa contra ius, ac supra ius, & extra ius est, & omnia potest.

Papa potest facere omnia, quæ Deus facit.

Papæ Deus subiecit omnes canones.

Papa non puri hominis, sed vicem Dei gerit in terris. Philippus Decius cons. 498. numero 28.

Papa est maior Moyse. Philippus Probus.

Papa hodie nomen suum præponit omnibus, etiam Imperatori: aliter olim. 97. dist. Victor. Philippus Francus Perusinus I. C. in sex. lib. decr. in procemio.

In manu Pontificis Romani, Vicarij Christi, sunt animæ hominum, & in eius arbitrio religio consistit. Petrus Cieza.

Illud verbum, quo factum est cœlum & terra, per quod denique condita sunt omnia elementa, Romanam fundauit Ecclesiam.

Papa tollit ius diuinum, dispensat contra Euangelium, contra vniuersalem statum Ecclesiæ, & vetus Testamentum, determinationem conciliorum, & decreta patrum.

Qui Papæ non obedierit, peccat mortaliter.

Papa est Petri successor, & vicarius Iesu Christi, vicem non puri hominis, sed puri Dei gerens in terris.

Dicens, Pontificem non esse caput Ecclesiæ, contra articulos fidei errat.

Papa magnam habet potestatem super Imperatorem.

Papæ obedientia à Regibus præstanda est: quomodo? vide Petrum de Monte in sua Monarchia.

Cæsarea maiestas est serra, per se iners, & inutile instrumentum, nisi trahatur à Papa. Matth. Dresf. de Pont. insid.

Papa contractus inualidos validare potest.

Papa Iuris ardua solus explicare potest. Petr. de Bais. par. 2.

Papa est iudex viuorum & mortuorum.

Papa est totum omnium continens. Petrus Rebuffa.

Papa potest statuere, quòd per secundum matrimonium tollatur primum.

Deus dicit: Dijs non detrahes, id est, clericis: Exod. 22. & si clericis obloqui non licet, multò minùs Clericorum principi, Papæ, successori Moysis.

Papæ preceptum, etiam iniustum, est obseruandum.

Papa idem quod Deus potest. Petr. Albinianus Trotius.

Papa est omnipotens, & in eo est plenitudo potestatis. Petrus Andreas Gambarus.

Petri vmbra sanabantur infirmi, quod de Christo non legitur.

Etsi Ioannes, Petrus, & mulierculæ essent præsentes, tamen Petrus primus introiuit in sepulchrum: ergò meritò penes Petrum est primatus. Innocentius.

Sedes Imperatoris in concilio parabitur iuxta sedem Papæ, quæ habebit duos gradus coniunctos gradibus Papæ, sed non tantæ longitudinis, aut latitudinis: erit ornata cum panno aureo post tergum, sed non supra caput: habebit scabellum paruū ad pedes, viridi colore depictum. Et aduertendum, quòd locus, vbi sedet Imperator, non sit altior loco, vbi tenet pedes Pontifex. Lib. Cerem.

In coronatione Papæ pronunciantur verba sequentia: Accipe tyaram tribus coronis ornatam, & scias, te esse Patrem Principum & Regum, Rectorem orbis, in terris vicarium Saluatoris nostri Iesu Christi.

Imperator si Romam proficiscitur, non audet die illa, qua appulit, Romam intrare, sed pernoctare cogitur in campis vna nocte: Cardinales autem obuiam missi reuertentur in vrbem. Iurabitque Imperator, antequàm vrbem ingrediatur, tacto libro Euangeliorum: Ego Rex Romanorum, futurus Imperator, iuro, me seruaturum Romanis bonas consuetudines suas: sic Deus me adiuuet, & hæc sancta Euangelia.

Quàm primùm Pontificem videt Imperator, detecto capite, illum, genu terram tangens, veneratur: demum, cùm ad Pontificis pedes venit, illos osculatur deuotè, & auri massam offert ad pedes Pontificis.

Caudam pluuialis Papæ portabit nobilior laicus, qui erit in curia, etiamsi esset Imperator, vel Rex. Pontificale.

Habent Cardinales potestatem, dandi centum dies de vera indulgentia: Episcopi 40. Paris Crassus Bononiensis.

Papa est potentissimus sacerdos. Paulus à Citadinis.

Cùm Christus Petrum Piscatorem hominum constituit, idem fuit, ac si omnes Reges & Cæsares in retia cogere deberet, vt, quomodocunque ei ad saliuam & gustum essent, eos aut elixos, frixos, tostos, aut assatos absumere posset. Polus Card. in Con. Trid.

Qui Papæ negat obedientiam, idem negat Deo omnipotentiam.

Papa potest appellari Princeps.

Papa loquens in literis in numero singulari, reddit eas falsas.

Papa potest inducere nouum articulum fidei.

Christus non fuisset diligens paterfamiliàs, nisi aliquem vices suas gerentem in terris reliquisset, qui ea omnia posset, quæ ipse potest. Panormitanus Abbas.

Papa solus potest Imperatorem priuare, sicut & confirmare, & coronare, & iurat sibi fidelitatem. Paulus de Castro. l. non ambigitur. n. 6. ff. de legib. Quicquid Papa vel approbat, vel reprobat, id omnes approbare vel reprobare debent. Quintilianus Mandosius.

Papa mortuus, etiam malæ vitæ & morum, non tamen recordatur malæ, sed bonæ dicitur memoriæ.

Papa recipiens pecuniam pro prælaturis, non committit Simoniam.

Deponere potest, extra causam, Papa Imperatorem, & solus.

Papa potest Imperatorem alium substituere, & Electores Imperij mutare.

Papa primus Dominus est, & in temporalibus quoque super Imperatorem. Restaurus Castaldus.

Status Papalis non est ad humanum tantùm principatum, sed & ad diuinum: non ad principandum solùm mortalibus, nec modò hominibus, sed Angelis: non ad iudicandum viuos, sed mortuos: non in terra solùm, sed in cœlo: hic peccata diluit, hic animabus fidelium pœnas condonat, supplicia relaxat.

Quid multis? tanta est sublimitas Papæ, tanta præeminentia, tantaque immensitas, vt nullus mortalium id mente concipere aut comprehendere possit, ne dum satis exponere. Rodericus Zamorensis in speculo humanæ vitæ lib. 2. c. 1.

Stultitiæ quidem elogio sunt denotandi, qui, se illam Petri sedem aliquo prauo dogmate fallere posse, arbitrati sunt: quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi vnquam falli potuit. Regino l. 2

De Papæ potestate disputare, instar sacrilegij est.

Papa potest omnia facere, quicquid sibi placet, & apud eũ est pro ratione voluntas, & quod ei placet, legis habet vigorem.

Papa dispensat contra vetus & nouum Testamentum.

Papa potest facere de peccato non peccatum.

Deus rata habet ea, quæ facit Papa.

Papa in his, quibus in liberam habet administrationem, potest auferre vni, & alteri adiudicare, etiam sine clausula Non obstante. Sigismundus Lofredus.

Papa non potest se submittere iudicio concilij, Imperatoris, vel alterius, quia faceret iniuriam Deo.

A Papa ad Deum non potest appellari.

Papa dispensare potest contra quatuor prima concilia, statuere contra Epistolas Pauli, & verba Euangelij, licet non contra mentem. Sigismundus Neapolitanus.

Principatus vacans Papam habet successorem. Stephanus Aufrerius I. C. Tholossanus.

Papa concilijs non ligatur, sed contra illa facere potest. Speculator de legato. num. 10.

Comprobatum est Canonistis & Theologis, quòd Papa possit extrahere animam de purgatorio. Simon de Horsano Card.

Papa in Simoniacis & similibus peccare nequit. Theod. à Niem.

Electionem summorum Pontificum solus Dominus sibi reseruauit. Thomas de Corsellis.

Papa potest rem Ecclesiæ dicatam vendere. Thom. Camp.

Papa tantam in cœlo habet potestatem, vt, quemcunque velit, hominem defunctum canonizare, & in diuorum numerum referre possit, etiam inuitis Episcopis, & Cardinalibus omnibus.

Papa non vult, vt quis se ingerat in sibi reseruatis. Troylus.

Papa, summi sacerdotis iure & sanctitate, quàm proximè ad superos accedit.

Etiam vera dicere contra Papam, est contra iuramentum Episcoporum. Abbas Vrspergensis.

Vt à solo Deo Græcorum dependet Imperium, ita à sede tantùm Romana, Papa affirmat, Imperium Occidentis pendere. Vincentius in Speculo libro 13.

Papa sedet in sede, quam Dominus ipsi in persona beati Petri specialiter elegit: & hoc adeò verum est, quòd error dicentium contrarium sit similis errori dicentium, Spiritum sanctum à Filio non procedere. Lud. Gomes. & Thom. Aquin.

Caput Ecclesiæ est ipse Christus: cuius vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex: & ideò schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, & membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant. 22. quæst. 39. art. 1.

Papæ ad authoritatem pertinet editio symboli: ad eius enim authoritatem pertinet, finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur, vt dicitur in decre is. Vnde & Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit: Ego pro te oraui, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos: & huius ratio est, quia vna fides esse dicitur totius Ecclesiæ. 1. Cor. 1. quod seruari non potest, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur: & ideò ad solam authoritatem summi Pontificis pertinet editio symboli, vt & omnia alia, quæ pertinent ad Ecclesiam, vt congregare synodum generalem, & alia huiusmodi

Cùm summus Pontifex sit caput in corpore mystico omnium fidelium Christi, & à capite sit motus & sensus in corpore vero, propter hoc oportet dicere, in summo Pontifice esse plenitudinem omnium gratiarum, quia ipse solus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum.

Hoc priuilegium Christus Romanæ Ecclesiæ contulit, vt omnes ei sicut Christo obediant.

Autoritate Apostolicæ sedis vniuersalis Ecclesia gubernatur.

Christus, vt suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quæ caput mundi erat, iam caput Ecclesiæ suæ statuit, vt exinde fides deriuaretur.

Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia.

Papa habet immediatam iurisdictionem in omnes Christianos, quia Ecclesia Romana nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit, vt habetur in Decret.

Summo Sacerdoti, successori Petri, Christi Vicario, Romano Pontifici omnes Reges populi Christiani oportet esse subditos, sicut ipsi Domino nostro Iesu Christo. Ex iure Canonico, & Canonistis.

Sine obedientia, quæ Pontifici Romano, vt Christi vicario, debetur, salus æterna nulli speranda est. Christoph. Clauius in apologia pro Calendario Gregoriano contra Mæstlinum.

Papa super omnia eminet: probatur ex dicto Christi: cùm fuero sublatus, omnia traham ad me. Iacobus de Tenar.

Solus Romanus Pontifex iure dicitur vniuersalis.

Solus Papa potest vti Imperialibus insignijs.

Solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.

Solius Papæ nomen in Ecclesijs recitetur.

Soli Papæ licet Imperatores deponere.

Nulla synodus, absque præcepto Papæ, debet generalis vocari.

Nullum capitulum, nec vllus liber haberi potest Canonicus, absque Papæ arbitrio & authoritate.

Romana Ecclesia nunquam errauit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit.

Papa meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus.

Catholicus non est habendus, discordans ab Ecclesia Romana.

Papa à fidelitate iniquorum subiectos potest absoluere.

Romana Ecclesia à solo Deo est fundata.

Solus Papa potest deponere Episcopos, vel reconciliare.

Papa etiam absentes potest deponere.

Papæ legatus omnibus Episcopis præest, & in concilio, etiam inferioris gradus, aduersus eos sententiam depositionis dare potest.

Excommunicatus à Papa inter alia nec eadem domo maneat.

Papæ soli licet, pro temporis necessitate, nouas leges condere, nouas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & econtrà diuitem Episcopatum diuidere, & inopes vnire.

Vnicum Papæ nomen est in mundo.

Papæ licet de sede ad sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare.

De omni Ecclesia quemcunque clericum Papa valet ordinare.

Ordinatus à Papa alijs Ecclesijs præesse potest, sed non militare, & ab alio Episcopo non debet superiorem gradum accipere.

Papæ sententia à nullo debet retractari, at verò ipse solus omnium retractare potest.

Papa à nemine iudicari debet.

Nullus audeat condemnare ad Apostolicam sedem appellantem.

Maiores causæ, cuiuscunque Ecclesiæ, ad Romanam referri debent.

Papæ præcepto & licentia, subiectis liceat accusare.

Papa absque synodali conuentu potest Episcopos ponere & reconciliare.

Papa Canonicè ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus, teste sancto Ennodio Papiensi Episcopo: & multis sanctis patribus fauentibus, vt in decretis beati Papæ Symmachi habetur. Ex registro Vaticano.

Papa in cathedra sedens prostrato Imperatori coronam Imperialem imponit, quam tamen pede in terram statim excutit, designans per hoc, quòd habeat potestatem creandi & reijciendi Imperatorem. Ranulf. in Polychr.

Etsi inueniatur, aliquos Imperatores dedisse temporalia summis Pontificibus, sicut Constantinus dedit Syluestro, hoc tamen non intelligendum, eos dedisse de suo, sed restituisse, quod iniustè, & tyrannicè ablatum fuerat. Augustinus de Ancona.

Papa in cœlis potestatē habet canonisandi Sanctos: eosq; secundū beneplacitū referendi & collocandi in ordinem Angelorum, Archangelorum, Martyrum, seu Confessorum. Troylus Maluitius.

Carolus Ruinus perhibet, Papam posse statuere, & præcipere contra sacra D. Apostoli Pauli scripta. Et in iure Canonico affirmatur: qui peccat contra mandata Dei, facilè potest peccati remissionem impetrare: qui verò deliquerit contra decreta & statuta Papæ, committit peccatum in Spiritum sanctum, ideoque veniam non recuperabit in æternum. Et iterum ibidem traditur: Biblia ideo meruerunt vocari LITERÆ SACRÆ, quia hoc nomen illis concessit suffragium seu sententia Papæ Innocentij. Item Philippus Decius literis prodidit: omnia Decreta, Canones, Regulas, ordinationes, statuta, & traditiones subiacere sedi Pontificiæ Romanæ, propter mandatum Dei.

Papa Agatho voluit, omnia decreta & statuta Pontificum Romanorum haberi pro Apostolicis, & obuijs vlnis acceptari cum reuerentiâ ab omnibus, tanquam diuina oracula, seu mandata.

Cardinalis Cusanus in quadam epistola ad Bohemos scripsit: Papam posse sententiam dicere, secundum quam sententia Dei possit, & debeat corrigi, & mutari.

Petrus Canisius, Ordinis Iesuitarum Pater, in Catechismo suo Germanico docet: quicunque verus & sincerus Christianus esse dicique cupit, eum oportet credere id, quod credit & tradit Papa, eiusque asseclæ, etiamsi non habeatur in, aut conueniat cum sacris literis. Et cæteri quoque Iesuitæ anno 1561. in colloquio Cæsareo, Viennæ Austriæ habito, canonem sanxerunt, numero 13. sic se habentem: quando Ecclesia Romana, vel patres Iesuitarum primarij affirmant, album esse nigrum, & nigrum esse album, tunc illud credendum est absque omni dubitatione.

Quidcunq; à Papa tanquam bonum fuerit approbatum, aut ceu malum reprobatum, id ab omnib. pari sententia citra controuersiam approbari, vel reprobari debet. Quintilianus Mandosius.

Papa potest Papatui renunciare: quod tamen rarò fit, nisi cum causa: quando videlicet propter oblectamenta virginum eum dimittit. Ludouicus Gomezius in Reg. Cancell.

Papa summi sacerdotij iure, ac sanctitate, quàm proximè ad superos accedit. P. Æmilius de rebus gestis Francorum.

Eo ipso, quòd quis est Papa, est Doctor vtriusque iuris, authoritate, sed non scientia. Bald. cap. 1. vlt. coll. de confess.

Cùm Papa attestatur de proprio facto, tunc sua attestatio plenissimam habet fidem: ita vt nec contrarium probari possit: Papæ enim magis creditur, quàm pluribus. Ant. Gabriel. in com. conclusinoibus, conclusione 2.

Romanæ Ecclesiæ omne genu terrestrium flecti, ac pro eius arbitrio Ianuam cœli aperiri, & claudi; nec inferorum portas aduersus eam præualere posse, dicit Chron. Bambergense.

Hanc certè Fatuitatem illorum, qui pontificem adorant, admirari satis nemo potest: cùm in eo ab Ethnico illo Alexandro Magno longè superentur, qui, cùm adorabundus ante pontificem gestantem nomen Dei insculptum in lamina aurea præfixa tiaræ, procidisset, non pontificem, sed eius Deum se adorasse, dixit, & non huic, sed Deo, cuius Pontifex esset, honorem eum exhibuisse. Hunc enim, inquit, vidi & antea hoc ipso habitu, cùm adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem, quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine mora exercitum traijcere. Nam suo ductu potiturum me Persarum imperio, & cessura mihi omnia ex sententia.

Et ingressus vrbem atque ascendens in templum, immolauit Deo ex sacerdotis præscripto. Ostensoque sibi Danielis libro, in quo, Græcum quendam Persas debellaturum, significatur, hunc ipsum se esse, interpretatus, lætus dimisit multitudinem.

Sequenti verò die vocatis eis, iussit, vt quicquid vellent, peterent. Pontifice autem petente, vt patrijs legibus viuere sibi liceat, vtque septimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, concessit omnia. Rogantibus deinde, vt eos quoque Iudæos, qui Babyloniam ac Mediam colerent, sineret vti institutis proprijs, hic etiam postulatis eorum satisfacturum se, est pollicitus. Et cùm fecisset eis potestatem, si qui vellent, saluis suis ritibus, sequi eius militiam, multi in eam expeditionem dederunt nomina. Historia extat apud Iosephum lib. Antiquit. xi.

Papa non est homo. gl. c. fundamenta. de electione in Sexto.

Totius orbis tenet principatum Papa. 9. q. 3. cuncta per orbem.

Papa ipse ius sibi dicit, quia superiorem non habet. c. 1. de vnitate Ecclesiarum in Sexto.

Papa expressè potest constituere contra constitutionem alicuius Sancti: etiamsi constitutio illius Sancti sit à Pontificibus prioribus approbata. De verb. sign. in Sexto cap. 3.

Papa contra vetus & nouum Testamentum, & Apostolum dispensat. Panormitanus, & Decius in c. Si gratiosè. de rescriptis in Sexto. cap. proposuit, de concessione præbendæ, & ibi glo.

Non ab Apostolis, sed ipso Domino primatum habet Romana Ecclesia. can. sacrosancta. dist. 22.

Papa, etsi non sit, tamen præsumitur bonus. Nec eum homicidam, nec adulterum Papam quis accusare potest; excusatur enim in his, vt & homicidium Samsonis: furta Hebræorum, & adulterium Iacob. Extra, de diuortio. c. gaudemus. De hoc etiam suprà.

Sacrilegij instar esset, disputare de Papæ facto; vt 17. quæst. 4. Quibus addit Laurentius, quòd, qui de diuinis dubitat, peccet venialiter: qui de Papa, mortaliter.

In optimo mortalium statu, cunctis imperabit Pontifex, qui dicitur MAGNVS, & Reges, qui profana administrant, nihil poterunt vti Reges agere, nisi ex præscripto Pontificis SVMMI. Pontifex summus veræ religionis iure poterit imperare quibuslibet mortalibus, quoad singulas eorum res & actiones: ac proinde omnium temporalium Dominus erit. Thomas Bozius Eugubinus pre . . . . de ruinis Gentium & Regnorum.

Correctionem Paparum sibi Deus reseruauit. Thomas de Corsellis.

Cæsaris, & aliorum regum potestas, & iurisdictio à Papa, veluti ab Oceano, deriuat. Vnde Cæsaris vasallus vasallo Pontificis cedere debet. Iacob. Phil. Portius cons. 167. n. 75.

Finit Centenarius decimus quintus.

CENTENARII XV.

Anni Christi.	Num.	IMPERATORES.	Anni.	Mens.	Dies.
1411	135	Sigiſmundus.	26	8	0
1438	136	Albertus Iunior Auſtriacus.	1	9	27
1440	137	Fridericus 4. Auſtriacus.	53	7	19
1486	138	Maximilianus 1. cum patre,	7	6	4
1493		ſolus	25	4	25
		PONTIFICES.			
1424		37. Clemens 8. Hiſpanus.	4		
1378	204	Vrbanus 6. Neapolitanus.	11	6	7
1389	205	Bonifacius 9. Neapolit.	14	11	0
1404	206	Innocent. 7. Sulmonenſ. Pelig.	2	0	21
1406	207	Gregorius 12. Venetus.	8	7	5
1409	208	Alexander 15. Cretenſis.	0	10	8
1410	209	Ioannes 21. dictus 23. Neapolit.	5	0	15
1412	210	Martinus 3. dictus 5. Romanus.	13	3	10
1431	211	Eugenius 4. Venetus.	15	11	21
1439		38. Felix 4. dictus 5. Allobrox.	9	5	
1447	212	Nicolaus 5. Sergianenſ. Lunenſ.	8	0	19
1455	213	Calliſtus 3. Valentinus, Hiſpan.	3	4	0
1458	214	Pius 2. Senenſis.	5	11	27
1464	215	Paulus 2. Venetus.	6	10	26
1471	216	Xiſtus 4. Sauonenſis, Ligur.	13	0	4
1484	217	Innocentius 8. Genuenſis.			
1492	218	Alexander 6. Valentinus, Hiſp.	11	0	8
		CONCILIA.	Episc.	Seſs.	Can.
1409	447	Piſanum.			
1411	448	Romanum 94.			
1414	449	Conſtantienſe.			
1431	450	Baſilienſe.			
1438	451	Florentinum.			
1459	452	Mantuanum.			

Anno

ORDINES.

1405 *Ordo D. Hieronymi, siue Hieronymitarum.*
1407 *Ordo Canonicorum S. Georgij in Alga.*
1407 *Ordo Mendicantium D. Hieronymi.*
1407 *Ordo S. Spiritus.*
1407 *Ordo Montoliuetensium.*
1408 *Ordo Canonicorum Lateranensium congregationis Frisonariæ.*
1409 *Ordo S. Iustinæ.*
1409 *Ordo Mauritianorum Equitum.*
1420 *Ordo equestris Annunciationis B. Virginis Mariæ.*
1429 *Ordo Equitum Aurei Velleris.*
1433 *Ordo S. Ambrosij ad Nemus.*
1453 *Ordo Equitum S. Spiritus.*
1455 *Ordo S. Catharinæ Senensis.*
1464 *Ordo Equitum Lunæ.*
1469 *Ordo Equitum S. Michaëlis.*
1499 *Ordo pœnitentium mulierum, seu meretricum.*
1500 *Ordo peregrinorum pauperum.*

DOCTI VIRI.

Liber de Insolentijs Romanæ curiæ.
Engelbertus VVustervviz.
Theodoricus Vriæ.
Laurentius Iustinianus.
Mechtildis.
Laurentius Valla.
Frater Reinhardus.
Ioannes Huss.
Ioannes de Gerson.
Petrus de Alliaco.
Pancratius Cardinalis.
Nicolaus Clemangis.

Theo-

Theodoricus à Niem.
Franciscus Zabarella.
Ioannes de Lignano Astronomus.
Ioannes ab Oldencastel.
Bartholomæus Miller.
Berengosius.
Poggius Florentinus.
1420. *Bartholomæus Florarius.*
Baldus I. C.
Ioannes Puruæus.
Guilielmus Sartoris.
Henricus à Token.
Thomas Scropus.
Ioannes Barath.
Ioannes Andreæ.
Panormitanus.
Petrus Anchoranus.
Portugalius.
Ioannes à Seisello.
Thomas de Corsellis.
Alexander Fabricius seu Carpentarius.
Discipulus.
Iulianus Cardinalis.
Nicolaus de Buldesdorff.
Gnauus Friderici Angelus.
Petrus Clarke.
Ioannes Rhode.
Hermannus Gigas.
Conradus Halberstadensis.
Flauius Blondus.
Lubertus Hanschildt.
Georgius Heimburgensis.
Nicol. Siculus de Thudeschis, Panormit.
Ioannes Robitzana.
Thomas Rhedonensis.
Petrus Payne.

R. Leui ben Gerson.
Matthias Palmerius.
Ioannes Gattus Siculus.
Iacobus Carthusensis.
Ioannes de Capistrano.
Ioannes Segobius.
Albertus Subouius.
Hermannus Hammelman.
Philippus à Norrys.
Laurentius Ariosiensis.
Vitæ fratrum Eremitarum.
Thomas Patriarcha Barbariensis.
Felix Hemmerlin.
Talheimius.
Ioannes VVesselus.
S. Vincentius.
Æneas Syluius.
Martinus Meier.
Iacobus de Paradiso.
Antoninus Episcopus Florentinus.
Henricus Bebelius.
Roffredus Beneuentanus.
Eblendus historicus.
Ciuitatensis Episc.
Henricus Harphius.
Barth. Platina.
Carsulanus.
Defensorium Ecclesiæ, seu Speculum Hierarchiæ Ecclesiast.
Ioannes ab Hagen, vel de Indagine.
Nicolaus Cusanus.
D. Lurtzen.
Thomas Gascoigne.
Ioannes Monachus.
Alanus Copus.
Ioannes de VVessalia.
Ioannes Capgraue.

Marcus Marullus.
Ioannes de sancto Romano. I.C.
Hermannus Rhid.
Iacobus Papiensis.
Historia Scandalosa.
Compilatio Chronologica.
Philippus Cominæus.
Stephanus Brulifer.
Iacobus Angularis.
Dionysius Kykel.
Theodorus Gaza.
Laurentius Miniatensis.
Campo Fulgosius.
Rodericus Zamorensis.
Bartholomæus Guldinbeck.
Iacobus Mosander.
Ioannes Campanus.
Hermannus Archiep. Coloniensis.
Domicius Calderinus.
Michaël Fernus.
Dominicus de Dominicis.
Antonius Fradmi.
M. Marcus Auditor curiæ Romanæ.
1480. *Rudolfus Agricola.*
Hieronymus Tortus.
Antonius Torquatus.
Nicolaus Eremita.
Ioannes Ibenhagen.
Nicolaus Quodus.
Antonius Codrus.
Franciscus Philelphus.
Alexander ab Alexandro.
Ioannes à Liechtenberg.
Iosquinus Grieningensis.
Nicasius de Brabantia cæcus, Doctor.
Paratus.

Bochardus.
Liber de miseria Curatorum.
Philippus Beroaldus.
Ioannes Iouianus Pontanus.
Ioannes Gochius.
Flauius Melfensis.
Philippus Callimachus.
Georgius Riplai.
Bartholomæus Pincernus.
Virunnius Britto.
Thomas Brabantinus.
Alcabitius Astronomus.
Thomas Scropus.
Sebastianus Titio.
Ioannes de Ianduno.
Ioannes Abiosus.
Hermolaus Barbarus.
Ioannes Bertram.
Iason I. C.
Baptista Panætius.
Iacobus Regius.
Robertus Gaguinus.
VVernerus Rolevvinck.
Iacobus Philippus Bergomensis.
Hieronymus Sauanorola.
Hartmannus Schedel.
Marcus Antonius Coccius Sabellicus.
Malleus Veneficarum.
Ioan. Picus Mirandulanus.
Dionysius Ruremundanus.
Pomponius Lætus.
Petrus Mendoza.
Georgius de Monte ferrato.
Liber deflorationum Patrum.
Ioannes de Tritenheym.
Ioannes de Lambsheym.

Martinus ab Azpilcueta.
Accius Syncerus Sannazarius.
Iacobus Sannazarius.
Speculum Exemplorum.
Conradus Sommerhard.
Ioannes Marius Belga.
M. Elucidarius.
Michaël Lochmeyer.
Gabriel Biel.
Laonicus Chalcondyles.
Lucius Bellantius Senensis, Astron.
Paulus Scriptoris Tubingensis.
Petrus à Biaxio.
Tilemannus Spangenberg.
Antonius Theodorus.
Stella Clericorum.
Ioannes Lupus de Palatijs rubeis.
Stephanus ex Nottis.
Nicolaus Gilles Gallus.
Tilemannus Minorita.
Baptista Mantuanus.
Arnoldus Bostius.
Conradus Nucerinus.
Enguerranus de Monstrelet.
Ioannes Paleonydorus.
Ludouicus Bologninus.
Iacobus Prunus Astron.
Albertus Crantzius.
1500. *Ioannes Nauclerus.*

PARTIS PRIMÆ FINIS.